2

C. 35. C. 6. N. 7.

Lit. n.º

V. n.º 2.

1698

Z. n.º [illegible]

Est. 6. C. 4.

RES
3930V

6,11,5
1698
2465

DISPVTATIONES
DE
BEATITVDINE
TEMPORIS
... QVE LIBRIS
ABSOLVTA.

AVTHORE ...

... Lusitano ... Ordinis Eremitarum S. Augustini ... in Sacra Theologia ...

AD ILLVSTRISSIMVM ...

Archiepiscopum ... Hispaniarum Primatem, Consilij Regij ... in Regali Curia Præsidem, & eiuſdem ...

CONIMBRICÆ

Apud ... Typographum ...

Cum Priuilegio ...

RES
39 30 V.

DISPVTATIONES
DE
BEATITVDINE CORPORIS
QVINQVE LIBRIS ABSOLVTÆ.

AVTHORE FRATRE ÆGIDIO de Præſentatione Luſitano Diocœſis Egitanienſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Doctore Theologo, & in celebri Conimbricenſi Academia in Sacra Theologia Veſperario Profeſſore emerito, ſiue iubilato, vt appellant.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET REVEREndiſsimum D. D. FRATREM ALEXIVM DE MENEZES Archiepiſcopum Braccharenſem, Hiſpaniarum Primatem, Conſilij Regij Luſitani in regali Curia Præſidem, & eiuſdem Eremitici Ordinis lumen præclariſsimum.

TOMVS TERTIVS.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

CONIMBRICÆ.

Cum facultate Inquiſitorum, & Ordinarij.

Apud Didacum Gomez de Loureyro Academiæ Typographum.
Anno Dñi. 1615.
Cum Priuilegio Regis Catholici pro Luſitania. Taxado a

LICENTIÆ.

TOMVM tertium à R. admodum P. Magiſtro Fr. Ægidio de Præſentatione elucubratum, diligenter euolui: in quo tam nihil eſt offendere, quod offendat, vt omnia potiùs, quæ in eo luculenter diſſeruntur, mirabiles in nobis ſummæ illius Beatitudinis amores excitent, atque corpus ipſum ſuarum perſectionum flagrans deſiderio extra ſe rapiat: tanta eſt eius doctrinæ pietas, & eruditio: nam ſingulari concordia ſcholæ ſtylus acer cum incredibili ſuauitate coniungitur. Adeſt præterea indefeſſum Authoris ſtudium, & admirabilis quædam rerum difficilium cognitio, de non vulgaris, & pene clara cœleſtis Beatitatis notitia. Hæreſum monſtra decapitantur paſsim, ſacra dogmata firmantur, Patrum doctrina ſtabilitur, Scholaſticorum ſententiæ examinantur, Authoris robore, zelo, ingenio, iudicio, hoc eſt maximo. Quare egregium opus, ac plane pulchrum dignum eſt, quod ſe ſe dedat in publicam vtilitatem. Ita cenſeo, ita iudico ego Magiſter Fr. Franciſcus à Fonſeca, in Academia Conimbricenſi Sacræ Theologiæ Profeſſor. Conimbricæ in noſtro Auguſtiniano Collegio S. Mariæ de Gratia 12. Decembris 1615.

Frater Franciſcus à Fonſeca.

VIſtas as Informações podemſe imprimir eſtes dous Tomos de Beatitudine: & depois de impreſſos tornem a eſte Conſelho para ſe conferir com o original, & ſe dar licença para correr, & ſem ella não correrà. Em Lisboa 17. de Dezembro de 615.

O Biſpo de Nicomedia. Antonio Diaz Cardoſo. Bartholameu da Fonſequa.

Saluador de Miſquita. Fr. Manoel Coelho.

O Cabido, Sede vacante, da licença para ſe imprimirem os dous Tomos de Beatitudine conteudos na petição atras. Em Coimbra a 23. de Ianeiro de 1616.

O Deão Franciſco Pinto Pereira. *Bento de Almeida.*

DAM licença ao Supplicante o D. Frey Egidio, pera poder mandar imprimir o ſegundo & terceiro volume de Beatitudine, & depois de impreſſos logo os taxão a tres reis cada folha inteira de papel, & com iſſo o eſcuſa de mandalos cá; & mandará a eſta Meſa os tres volumes, a cada hum dos Deſembargadores, a xij. de Ianeiro de 616.

Preto. Franciſco Pinto. Machado.

FRater Guillelmus de ſancta Maria Vicarius Generalis, & Viſitator Apoſtolicus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini in Regnis Luſitaniæ, facultatem damus, vt ſecundus; & tertius Tomus de Beatitudine animæ, & corporis, à Reuerendo admodum Patre noſtro Magiſtro Fratre Ægidio de Præſentatione in Conimbricenſi Academia ſacræ Theologiæ Veſperario Profeſſore emerito compoſiti, & ſuo auctore digni, in communem vtilitatem excudantur. In quorum fidem literas haſce manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Olyſipone die 24, Septembris. 1615.

Frey Guilherme de Sancta Maria.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO

D. D. FRATRI ALEXIO DE MENEZES

Braccharenſi Archiepiſcopo, Hiſpaniarum Pri-
mati, ac ſupremi Conſilij ſummo Præ-
ſidi ex Auguſtinenſi familia
aſſumpto.

***

QVÆSITVM eſt à Theocrito (Præſul Illuſtriſsime, & Reuerendiſsime) cur Ptolemæi toties ſuo in opere meminiſſet? Ptolemæus (inquit) primus à me dicitur, medius, & vltimus, eſt enim hominum præſtantiſsimus. Simile quid Theognis de Ioue, quem primo & extremo carmine decantauerat; nec quid diſsimile de Mecœnate ſuo prima & ſumma camæna occinit Lyricus. Nec immeritò: cui enim, niſi hominum præſtantiſsimo conſecrari debent ſæpiſsimè labores illi, qui præſtantiſsimi habentur inter homines. Et certè meos iſtos, quales quales ſint, nulli alij dicatum ibo, quam tibi Mecœnati meo, Ptolemæo, Ioui: iam enim in meo primo tomo mihi es primus; medius in ſecundo; & tertius in hoc tertio, ſi non vltimus in poſtremo; quippè plura alia paro etiam ſub hoc tuo magno nomine, ſi Deus ſinat, & ætas hæc intacta. Nec rationes tantûm ſunt, quæ ad id me ducant vltrò & volentem, verùm

rûm & quæ me impellant (& adhuc inuitum traherent) cauſæ plurimæ, eæque inſignes adeo, vt eas nemo ignorauerit, qui me nouerit. Priuatas ergo libens prætereo, quas recenſere & infinitum eſſet, & importunum: publica vna eſt, vt cum Theocrito liberè dicam, quod ſis hominum præſtantiſsimus. Nam quæ eſſe poſſunt virtutes, dotesque vel à natura, vel ab vſu, cum quibus natus non ſis, aut quas non ſis nactus? Quôd ſi tres potiſsimùm in viro præſtantiſsimo, & gubernatore politico deſiderauit Dion, Religionem, Prudentiam, Nobilitatem? Hæ cum cæterarum virtutum ſplendido comitatu quietas in te ſuas poſuere ſedes. Quid Religio? publica de geſtis tuis pro Deo, ariſq; ſanctiſsimis extant monimenta, poſt hominum memoriã admiranda: quæ ſi cum illis conferas, quæ patrarunt primæuæ Eccleſiæ fundatores; partim non ceſſerint, partim anteceſſerint. Teſtis eſt Aſia vniuerſa, & Africæ bona pars, vbi laboris tui fructus cum fructu Eccleſiæ maximo proueniunt. Hîc enim ſtudium tuum, hîc cura fuit, non in circunfuſas tantum regiones Euangelicam pietatem proferre, verùm in diſsitas quaſque gentes Chriſtianum orbem dilatare, aut potius vniuerſum orbem reddere Chriſtianũ. Inde legationes tuæ ad Sinas, Syros, Malabares, Perſas, Armenios, Palęſtinos, apud quos tandiù tuum vigebit nomẽ, quandiu pietatis; vigebit autẽ æternùm vtriuſque. Eminet quod geſsiſti ad ſaltus D. Thomæ. Hi licet ſanctiſsimo olim rigati ſanguine, malo tamen Neſtoris ſemine in tribulos ſe dedere, & in horrendã ſyluam. Acceſsiſti, recidiſti, extirpaſti, atq; ad nouos fœtus ſurculos nouos aut inſeuiſti, aut recens plantaſti: quo in opere obeundo quot præſentaneas incurriſti vitæ clades? infinitas. Nam alibi gens effera clamore ingenti ingruit aſſultans, & recta acie te inuadit, nec peruadit diuino beneficio. Alibi intempeſta nocte fluuio emergẽs ſicarius ſcaphæ ſe ingerit, qua cubabas, & dũ capiti machinatur exitiũ, in puluinũ capiti ſuppoſitũ ferrũ adigit.

Iam

Iam alij ſagittis,& miſsilibus in te prouolāt: ecce (horrendū dictu) diffuſo cœlitus in faciē iubare inclareſcis: illi ad tuos pedes prouoluti, orare ſupplices, fateri culpā, precari veniā. Quid plura? viciſti Macte animo, viciſti; dū per tela, & medios ignes perditos homines à mortuo, pene dixerim, Chao ad viuā hanc protuliſti lucē, & Chriſto Dño peperiſti. Mitto aſsiduas fidei catecheſes, luſtrationes baptiſmales, cōciones ſacras, & purā illā ſermonis flāmam ab Ætna tui pectoris. Mitto tot aras, & tēpla poſita, ornataq;, tot extructa cœnobia, & gynæcea cū adſcriptis cenſibus largiter, liberaliter. Mitto in egenos effuſa viſcera, & in miſeros quoſq; animū ſalutarē, quē nouerunt, & Eoę illę gentes olim, & nūc recēs vltima Thyle, in qua Auguſtinenſes monachos ſub illo axe frigido ad hominum ſalutem inflāmas. At vela iam colligo in vaſto hoc Oceano. Quid Prudētia? Ea virtus lōgo rerum vſu firmata amori pariter, & admirationi fuit illis gētibus, quibus præfuiſti. Quippê dum rerū Orientaliū ad te bis clauum defert Regū maximus; cōmotos fluctus ſedaſti, nouitates cōpreſsiſti, pacē firmaſti. Inter quæ pręſtanda incredibiles ſunt, quas oſtendiſti dotes genij, & ingenij. Iam perſpicaci acumine ſummis de rebus, ijſq; difficillimis ſententiam dicere; præ oculis habere omnes illius ſtatus partes, & munitiones; iudicia publica, Regis vectigalia cōſtanter defendere; in omnem partē animo excubare; ad omnē euentū proſpicere futura; incredibili memoriæ theſauro meminiſſe præterita; nullo metu, nulla ſpe á Regis præſcripto, ab honeſtatis regula dimoueri. Ad hæc diruta ſolidare, hoſtem alio diuertere, ac nōnunquam ludificare, ac denique non minus in Eccleſia paſtoris, quàm imperatoris in acie officio defungi: pacis pariter & armorum arbiter Mahometanum furorem ſolo nomine proſternens, ſolo virtutis miraculo bella ſuſtinens, nunc legationes mittendo, nunc paces firmando, nunc fœdera ſanciendo inter illos Reges, qui etiā inimici tua geſtiebant adorare veſtigia. Cęterū illo

iam pacato orbe, Deus te nobis ſtitit, vt & nos ſtaremus.
Et primum Rex prudentiſsimus te ornauit Hiſpaniarum
Primatu; inde vniuerſæ Luſitaniæ præfecit, longo rerum
experimento callens tam bene tuis humeris pallium, ſeu
ouis pellem ſedere, quàm imperium. Ac mox tui abſentis
impatiens, vocauit te propius in oculos, & in ſinum, ac ſu-
premo impoſuit tribunali, quo iam pridem te deſtinarant
bonorum omnium iudicia, votaque. Quo conſilio & rem
adauxit Hiſpanam, & nobis tanquam ſignum aliquod ſu-
ſtulit ad bene ſperandum de rebus Luſitanis, quibus adſis
ô fulcrum. Quod vt facias, adſunt vires Prudentiæ, quas
iuuet Nobilitas, de qua hoc verbum, quanquam cum ru-
bore tuo accipe tamen, nullum eſſe in Luſitania noſtra, ac
pene tota Hiſpania clarum ſanguinem, cuius aliquot par-
ticulas non habeas in venis, tanquam Nobilitatis Hiſpa-
nicæ generoſus cinnus. Et certe ſi proauos, atauoſque pro-
feras, in Reges ipſos Nobilitatis fontes referes principium,
à quibus vtrinque ducto ſemine fœtus illuſtris progenera-
ris. Quod cum amplum ſit, & præclarum, illud tamen te
commendat non parum, quòd gentilitia ſtemmata nun-
quam ſuſtuleris, niſi Auguſtinenſi ſtrophio marginata: to-
tus effuſus in Auguſtinenſes tuos, quos nunc recens pru-
denter nobilitas, & in Religione contines. Hæ ſunt vir-
tutes (Præſul ampliſsime) quæ cum innumeris alijs te or-
nant, & in te nos beant, atque cum maxima Luſitani no-
minis gloria te reddunt inter homines præſtantiſsimum,
optimum, maximum. Conimbricæ.

LECTORI MEO.

DAMVS tibi (Lector candide) tertium hunc Tomum, quo clauditur vniuerſa de Beatitudine diſputatio. In eo & in duobus primis in id iuxta incubuimus pro virili, vt quicquid ad Beatitudinẽ pertineret, à nobis dilucidè perſtringeretur. Quocirca multa vberiùs diſputauimus, quæ licet tibi videantur ſuis ſedibus conuulſa; huc tamen traduximus, & inſeuimus ad nouos, & vberiores fœtus: vt in arboribus plerũque aſſolet in alieno ſolo. Non eſt tamen ita aliena beatitudo ab his, quas in hoc opere coercemus, diſputationibus, quippè quæ per amplam totius Theologiæ regionem latiſsimè diuagetur, & diffundatur. Quod potiſsimum cauſabor, vt eorum deſpiciam ſugillationem, qui vaſtam vnius materiæ molem criminantur. Neque enim in D. Thomam commentarios meditati ſumus, ſed tractatum quendam abſoluimus capaciori amplitudine locupletem, vſui futurum doctis pariter & indoctis. Varijs clauſulis, & diſſectionibus totum opus frequenter interpunximus, vt internoſcat quiſpiam quid in quæſtione quaque diſputetur, vt & facilius aut ad legendum admittat, aut prætermittat. His fruere, & vale.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM LIBRI PRIMI.

¶ Præfatio totius Tomi tertij.

QVÆSTIO I.

¶ De diffinitione veræ, & propriæ reſurrectionis.

Articulus vnicus. De eodem.
§.1. De etymologia nominis reſurrectio.
§.2. Hoc nomen reſurrectio poteſt multis modis ſumi.
§.3. Vera reſurrectionis diffinitio.

QVÆSTIO II.

¶ De ijs, quæ per ſe requiruntur ad veram reſurrectionem.

QVÆSTIO III.

¶ Vtrùm reſurrectio hominis ſit poſsibilis?

Articul.1. Vtrùm idem numero corruptum actione agentis naturalis poſsit redire?
§.1. Referuntur variæ ſententiæ.
§.2. Prima ſententia eſt in Philoſophia improbabilis: in fide verò impia.
§.3. Amplectenda eſt tertia ſententia, quæ negat.
§.4. Probatur concluſio rationibus à poſteriori.
§.5. Expenditur cauſa à priori noſtræ concluſionis.
§.6. Adducuntur, & ſoluuntur a[illegible]menta contra datam reſolutionem.
Art. 2. Vtrùm idem numero c[illegible]ruptum diuina potentia poſsit redire?
§.1. Referuntur variæ o[illegible]niones.
§.2. Præmiſsis nonnullis ponitur vera reſolutio.
§.3. Confirmatur prima concluſio.
§.4. Confirmatur ſecunda concluſio.
§.5. Soluũtur argumenta contra primam concluſionem.
Articul. 3. Vtrùm hominis reſurrectio naturaliter ſit poſsibilis?
§.1. Explicatur ſenſus quæſtionis.
§.2. Refertur ſententia affirmans.
§.3. Refertur ſententia veluti media.
§.4. Vera reſolutio.
§.5. Adducuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.
Artic.4. An hominis reſurrectio per potentiam diuinam ſit poſsibilis?
Art.5. Vtrùm poſsibilitas reſurrectionis poſsit ratione naturali demonſtrari.

QVAESTIO IIII.

¶ De actuali futuritione reſurrectionis.

Art.1. Vtrùm generalis mortuorum reſurrectio ſit futura?
§.1. Refertur error negans.
§.2. Confirmatur fides Catholica de futura reſurrectione.
§.3. Eadem fides erat in lege veteri Iudæorum.
§.4. Expenduntur argumenta, quibus Chriſtus, & Paulus ad reſurrectionem confirmandam vtuntur.
§.5. Soluuntur argumenta adducta §.1.
Art.2. Vtrùm o[illegible]es homines ſint reſurrecturi?

§.1.

§.1. Pars negatiua confirmatur.
§.2. Referuntur opiniones.
§.3. Vera reſolutio.
§.4. Quod omnes iniqui reſurgent.
§.5. Quod infantes etiam reſurgent.
Art.3. Vtrùm vltima reſurrectio in aliquibus ſit iam completa?
§.1. Ponitur reſolutio.
§.2. Virgo Deipara iam perfectè reſurrexit.
§.3. Quid de ijs, qui cũ Chriſto ſurrexerũt?
§.4. An præter Virginem, & Sanctos, qui cum Chriſto ſurrexerunt, alij iam complete ſurrexerint?

QVÆSTIO V.

¶ De cauſa reſurrectionis.

Art. 1. An ſolus Deus ad reſurrectionem ſe ſolo immediatè concurrat? an vero cum eo ſimul concurrant Chriſtus Dominus, Angeli, & alia?
Art. 2. Quis nam futurus ſit effectus tubæ, & vocis, quam mortui audient?
§.1. An vox filij Dei, vox Archangeli, & tuba Dei pro eodem ſumantur?
§.2. An voces illæ futuræ ſint ſenſibiles?
§.3. Vtrùm illa vna vox ſit ore Chriſti proferenda?
§.4. An præter illam nouiſsimam vocem & tubam aliæ ſint admittendæ?
§.5. De effectu huius vocis per tubam emiſſæ.
Art.3. A quonam colligentur cineres mortuorum?
Art.4. A quonam corpora reſurrectura efformentur, & diſponantur ad ſuas animas recipiendas?
§.1. Hæc corporis organizatio virtute naturali fieri non poteſt.
§.2. Organizatio illa non fiet immediatè à Deo, ſed mediante aliquo inſtrumento.
§.3. Archangelum tuba canentem ad corporis organizationem inſtrumentaliter cõcurrere, eſt probabile.
§.4. Quomodo, & quo ordine fiet hæc corporum organizatio, & efformatio.
Art.5. A quo efficienter fiet vnio animarũ cum corporibus reſurgentium.
§.1. Hæc vnio nullius agentis naturalis virtute fieri poteſt.
§.2. Hæc vnio à ſolo Deo immediatè non eſt facienda.
§.3. Chriſtum Dominum ad hanc vnionẽ ſimul cum Deo concurrere.
§.4. Chriſtum Dominum hanc vnionem, & reſurrectionem operari, vt cauſam inſtrumentariam.
§.5. Reſurrectionem Chriſti actiuè non concurrere ad noſtram reſurrectionem.
§.6. Chriſtum Dominum noſtram reſurrectionem operaturum, & per actum imperij, & per vocem Archangeli.
§.7. Chriſtum Dominum operaturum reſurrectionem non ſolum bonorum, ſed etiã malorum.
§.8. Quænam in Chriſto homine ſit hæc virtus inſtrumentalis, qua ad operandum reſurrectionem eleuatur?
§.9. & vlt. Archangelum tubam canentem concurrere ad reſurrectionem, vt inſtrumentum.
Art.6. De cauſa exemplari reſurrectionis.
§.1. Chriſtum Dominum eiuſque reſurrectionem eſſe noſtræ reſurrectionis cauſam exemplarem.
§.2. In quo poſitus ſit effectus exemplaritatis noſtræ reſurrectionis ad reſurrectionem Chriſti.
§.3. Reſurrectio Chriſti ſolis iuſtis erit cauſa exemplaris glorioſæ immutationis.
§.4. Reſurrectio Chriſti licet in aliquibus ſit cauſa exemplaris reſurrectionis malorum, non tamen in omnibus.
§.5. De cauſalitate exemplari termini à quo.
Art. 7. Vtrùm reſurrectio Chriſti ſit cauſa meritoria noſtræ reſurrectionis.
Art.8. De cauſa finali noſtræ reſurrectionis.

QVÆSTIO VI.

¶ De ordine, quo reſurrectio fiet.

Art. 1. An omnium reſurrectio fiat ex cineribus?
§.1. Explicatur titulus quæſtionis.
§.2. Refertur pars affirmans.
§.3. Refertur pars negans.
§.4. Propria opinio.
Art.2. Vtrùm prius tempore electi reſurrecturi ſunt, quam reprobi?
§.1. Referuntur diuerſæ opiniones.
§.2. Refertur error Chiliaſtarum.
§.3. Bonos ſimul tempore cum malis eſſe reſurrecturos.
Art.3. An in reſurrectione iuſtorum inter

ſe

ſe detur aliqua temporis prioritas?
Art. 4. Vtrùm reſurrectio bonorum prius tempore futura ſit, quàm illi in aera rapiantur?

QVAESTIO VII.

¶ De loco in quo fiat generalis reſurrectio.

Art. vnicus. In quo nam loco fiat generalis reſurrectio?
§. 1. Referuntur variæ ſententiæ.
§. 2. Reſolutio quæſtionis.
§. 3. Soluuntur obiecta.

QVÆSTIO VIII.

¶ De tempore in quo fiet generalis reſurrectio.

Art. 1. Vtrùm dies, & hora reſurrectionis generalis aut hominibus, aut Angelis ſit nota?
§. 1. Prima concluſio.
§. 2. Secunda concluſio.
§. 3. Tertia concluſio.
§. 4. Quarta concluſio.
§. 5. Concluſio quinta.
§. 6. Vltima concluſio.
Art. 2. Vtrùm reſurrectio futura ſit tempore nocturno an diurno?
§. 1. Referuntur opiniones.
§. 2. Reſolutio quæſtionis.

QVÆSTIO IX.

¶ De menſura durationis ipſius reſurrectionis.

Artic. 1. Vtrùm generalis reſurrectio fiat in tempore, an in inſtanti?
Art. 2. Cuius nam temporis inſtans ſit terminus reſurrectionis?

QVÆSTIO X.
& Vltima.

¶ An reſurrectio ſit mutatio ſupernaturalis eſſentialiter diſtincta à mutatione phyſica?

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

Finis Quæſtionum.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE BEATITVDINE CORPORIS, QVI EST DE PERFECTIONE CORPORIS IN COMMVNI.

Præfatio totius Tomi tertij.

1 *Præfatio.* IN præfatione totius huius diſputationis de beatitudine animæ, & corporis, quam in primo libro primi tomi præmiſimus, totam diſputationem diuiſimus in tres tomos: in quorum primo, & ſecundo futura erat diſputatio de beatitudine animæ; in tertio autē de beatitudine corporis glorioſi. Totam diſputationem de beatitudine animæ duodecim libris abſoluimus, iuxta ordinem poſitum in præfatione tomi primi, & ſecundi; ſupereſt, vt in hoc tertio tomo diſputemus de beatitudine corporis glorioſi, in quo Sancti ſūt reſurrecturi.

Diſputaturi de beatitudine corporis, in quo ſancti reſurgent; hunc ordinē ſeruabimus. Primo loco inquiremus de beatitudine corporis, eiuſq; perfectione in cō muni, & in genere. Cū verò in Sanctorum corporib⁹ multiplex perfectio diſtingui poſſit: quia alia erit naturalis; alia verò ſupernaturalis; de vtraq; agemus. Et primùm de perfectione naturali; deinde de ſupernaturali.

Ordo libr. Cū verò inter naturales perfectiones, quædam ſint ſubſtantiales, quędam verò accidentariæ; & vtrūmq; diuiſionis membrum multipliciter diuidatur (quia perfectiones naturales quædam pertinent ad eſſentiam, materiam. ſc. & formam; & quædam ad ſubſtantialem integritatem: accidentariæ autem hæ pertineant ad eſſe corporis; illæ verò ad functiones illius) de ſingulis accuratè diſputabimus.

Diſputatio autem, fauente Deo interceſsione Virginis Matris, quinque libris abſoluetur. Primus erit de Beatitudine corporis, eiuſque perfectione in cōmuni.

Secundus erit de Perfectione ſubſtantiali corporis beati.

Tertius autem verſabitur circa perfectionem accidentalē, quæ pertinet ad eſſe ipſius glorioſi corporis.

Quartus aget de perfectionibus, quæ ad naturales facultates, & potentias ſpectant.

Quintus, & vltimus explicabit perfectiones ſupernaturales, quæ corpori glorioſo conueniunt. Et iſto modo abſoluta manebit vniuerſa diſputatio de beatitudine corporis.

Quod attinet ad primum librum, in eo 2. generaliter agemus de beatitudine corpo *Ordo primi* ris glorioſi in communi. Quia verò bea- *libri.* titudo corporis ſupponit reſurrectionem eiuſdē corporis, & pleraq; quæ ad beatitudinē illius pertinent, non poſſunt con-

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

modè explicari, niſi priùs explicetur, tũ vera, & propria ratio reſurrectionis: tùm etiam ea, quæ illi per ſe conueniunt: ordo doctrinæ poſtulat, vt de ipſa reſurrectione priùs diſputemus, quàm de beatitudine corporis reſuſcitati. De qua materia diſpuſat Magiſter cum Scholaſticis *in 4. diſtinct. 43. & cum illis Diuus Thomas ibidem*; ex quo loco deſumuntur, quæ in additionibus *ad tertiam partem quæſtione 75. cum ſequentibus ponuntur*: de eadẽ diſputat Diuus Thomas 4. *contra gentes cap. 79.* cũ ſequentibus & in ijſdem locis Ferrarienſis. Alij de reſurrectione diſputant *in tertia parte à quæſt. 53. vſq; ad quæſt. 56. incluſiuè*, vbi Diuus Thomas agit de reſurrectione Chriſti. Vbi latè Suarius à diſp. 44. vſque ad diſput. 50. Alij denique ea de re ſcribunt in additionibus ad Diuum Thomam quæſt. 75. vſque ad 88. excluſiuè, vbi Martinus Lædeſma, & Seraphinus Aporrecta, cum pleriſque alijs, quos diſcurſu diſputationis citabimus.

Diſputaturi igitur de corporum reſurrectione, hunc ordinem ſeruabimus. Primùm agemus de diffinitione veræ, & propriæ reſurrectionis. Deinde de ijs, quæ ad veram reſurrectionem per ſe requirũtur. Tertio loco inquiremus; an ea ſit poſsibilis? Quarto; an de facto ſit futura? Quinto loco dicemus de cauſa illius. Sexto de ordine reſurgendi. Septimo de loco, vbi futura eſt. Octauo; quo tempore fiet? Nono; an futura ſit in inſtanti? Decimo, & vltimo; an ſit mutatio ſupernaturalis diſtincta à mutatione Phyſica?

QVÆSTIO I.

De diffinitione veræ, & propriæ reſurrectionis.

ARTICVLVS VNICVS de eodem.

§. 1.

De Etymologia nominis reſurrectio.

1. Nominis Etymolog. RЕſurrectio, iuxta nominis Etymologiã, idẽ eſt, quod iteratata ſurrectio: nam reſurgo, idem eſt, quod iterũ ſurgo. Vnde apud Latinos id dicitur reſurgere, quod poſtea quàm cecidit, iterum ad priſtinum ſtatum redit: *Plinius.* Ouid. 1. Faſtorum: *Euerſaque Troia reſurges*, id eſt, tu Troia, quæ diruta es, & ſolo coæquata, reſurges; quia iterum ædificaberis. Et apud Plin. libr. 16. capit. 32. & *Ouidius.* Titum Liuium lib. 4. de Bello punico, *Maieſtas populi Romani reſurrexit*; quia poſtquam declinauerat, iterum redijt ad priſtinam maieſtatem: denique herba, ſiue arbor cæſa, ſi ex manente radice iterũ creſcit, à Plinio dicitur reſurgere.

2. Ex qua Etymologia nominis iam infertur, ad rationẽ reſurrectionis etiam generaliter ſumptæ, neceſſariam eſſe aliquam vnitatem inter id, quod cecidit, & id, quod iteratò ſurgit: ſublata enim omnimoda vnitate cadentis, & reſurgentis, auferatur neceſſe eſt ratio reſurrectionis; ideo, quia non poteſt dari iterata ſurrectio. Opportet igitur, vt ille, qui ſurgit, ſit ille qui priùs ſtando cecidit. Vnde in exemplis ſuperiùs allatis ſemper manet aliqua vnitas: populus enim Romanus, qui à ſua maieſtate ceciderat, eſt ille, qui iterum ſurrexit: & Troia, quæ euerſa eſt, eadem eſt cum Troia, quæ ſurrexit: denique arbor, quæ nouos ramos emittendo iterum ſurgit, eſt illa, quæ cæſa fuit, & truncata: niſi enim haberet vnitatem in radice à qua priores rami pullularunt, non poſſet dici reſurrexiſſe, cùm nouas ramorum virgulas emittit.

§. 2.

Hoc nomen reſurrectio poteſt multis modis ſumi.

3. Quot modis ſumatur reſurrectio. ADuertendũ tamen eſt hoc nomẽ reſurrectio multis modis ſumi poſſe, primo modo ſumitur latiſsimè; prout reſurrectio idem eſt quod quædã reparatio, & inſtauratio eius rei, quæ aliquo modo cecidit, ſiue illa inſtauretur, & reparetur cum eiſdem numero rebus, quas cadẽdo perdidit; ſiue cum alijs eiuſdem rationis, numero tamen diſtinctis. In qua ſignificatione nomen iſtud, & ſæpe vſurpatũ eſt à veteribus, primis linguæ latinę authoribus; & à latinis Chriſtianis vſurpari poteſt, atque accommodari pluribus rebus, quibus ratio reſurrectionis Catholicæ accommodari non poteſt, vt patet ex ijs, quæ ex Plinio, &

&Ouidio ſupra adduximus: Troiæ enim dirutę, & ſolo iam æquatę ab Ouidio promittitur reſurrectio; quia iterum ædificanda erat, & à Troianis inhabitanda: maieſtas etiam populi Romani, quæ inclinauerat, & penè iam erat collapſa, iterum reſtaurata, & ad priſtinum ſtatum reſtituta, dicitur reſurrexiſſe, & à Liuio, & à Plinio: arbor denique cæſa, atque truncata ab eodem Plinio dicitur reſurgere, cùm nouos ramos produxit. Vnde in eadem ſignificatione hoc verbum; *reſurgo*, poteſt à latinis etiam Chriſtianis vſurpari, & pluribus rebus accommodari, quæ reſurrectionis, quam fides agnoſcit, non ſunt capaces: poteſt enim regnum, aut diſsipatum, aut inclinatum reſurgere; & ſic de cæteris.

4. Nec dixerim hanc ſignificationē eſſe aut impropriam, aut metaphoricam; ſed propriam potius; cùm ſit impoſita à primis latinitatis authoribus, qui non dum mortuorum reſurrectionem, qualem ponit fides, agnouerunt; & præterea ſit accommodata Æthymologiæ nominis *reſurrectio*; vnde in hac lata ſignificatione propriè dicemus, animam, quæ à gratia cecidit, & iterum ad eam redit, reſurrexiſſe: quamuis ſi rationem mortis attendamus, & ad reſurrectionem, quam fides prædicat, talis locutio ſit metaphorica. Dicitur autem hæc ſignificatio latiſsima; quia contenta eſt vnitate latiſsimè ſumpta, nec requirit omnimodam vnitatem inter id, quod cecidit, & reſurgit: arbor enim cæſa dicitur reſurgere, quamuis non ſurgat cum eiſdem virgultis, quas habebat, cum cæſa fuit; ſed cum alijs eiuſdem quidem rationis, numero tamen diſtinctis. Eodem modo Troia diruta dicta eſt reſurgere, cum iterum ædificatur; licet, nec eiſdem numero lapidibus reædificata ſit; nec eandem numero formam ſit conſecuta, quam antea habuit.

5. 2. Acceptio adhuc latiſſima.

Secundo modo reſurrectio ſumi poteſt non ita latiſsimè; ſed tamen adhuc latè: & dicetur ea, in qua id, quod cecidit, eaſdem numero partes, quas cadens dimiſerat, iterum conſequitur. In quo iam diſtinguitur à reſurrectione latiſsimè ſumpta; de cuius ratione non erat, vt quod iterum ſurgit, ſit omnimodè vnum cum eo, quod cecidit. In hac ſignificatione reproductio rei, quæ diuina potentia in nihilum redijt, dicetur reſurrectio: etenim non ſolùm cadens ab eſſe ſurgit ad eſſe; ſed ad idem numero eſſe, quod per annihilationem amiſit. In hac ſignificatione reſurrectio conuenire poteſt omnibus rebus creatis, ſiue materialibus, ſiue immaterialibus: corruptibilibus, ſiue incorruptibilibus; ſubſtantijs denique, & accidentibus: vnde Angelus annihilatus, ſi produceretur, dici poſſet reſurrexiſſe: Cœlum etiam, & cætera omnia entia, ſi per veram annihilationem cadentia, iterum ad idem numero eſſe à Deo reproducerentur; dici poſſent reſurrexiſſe. Vndè reſurrectio iſto modo idem eſt, quòd ſimplex reproductio, ſeu recreatio totius, quod in nihilum eſt redactum. Vtrùm autem hæc reſurrectionis ſignificatio ſit vſurpata? quæſtio eſt de nomine: nobis modo ſatis eſt, quòd Aethymologia nominis reſurrectio propriè accommodatur rei ſimpliciter reproductæ; cum cadens iterum ſurgat. Hæc tamen reſurrectio, cum ſupponat veram annihilationem, & ſit reproductio rei ſimpliciter ex nihilo, non poteſt nō eſſe ſupernaturalis, & facta ſine rei productæ vera mutatione.

6. 3. Acceptio ſtricta.

Tertio modo ſumi poteſt reſurrectio magis ſtrictè, pro iterata ſurrectione, ſiue reparatione ſubſtantiali, facta cum vera mutatione ex aliquo ſubiecto. In qua ſignificatione omnis reproductio formæ ſubſtantialis ex aliqua materia, dici poteſt reſurrectio in ſignificatione iam magis ſtricta: hoc modo ignis naturaliter corruptus, ſi à Deo idem numero reproduceretur, reſtituta eadem numero forma ignis, quæ deſijt, diceretur reſurrexiſſe: idque magis propriè, quàm Angelus, ſi annihilatus iterum crearetur, & ex nihilo reproduceretur: & ratio eſt, quia magis accederet ad reſurrectionem ſtrictiſsimè ſumptam, quæ requirit, vt iterata reproductio fiat, cum alicuius ſubiecti reali mutatione. Si quis inquirat: vtrùm Petrus, ſi eadem numero albedo corrupta, iterū ei diuina potētia reſtitueretur, dici poſſet, ſurrexiſſe? Reſpondendum eſt negatiuè: quia reſurrectio ex ſua nominis Aethymologia includit, vt ſit iterata ſurrectio ad eſſe, quod ſimpliciter ſit eſſe: vnde à Latinis

hoc nomen nulli rei accommodatum reperitur, niſi ſubſtantiali, & in ordine ad eſſe aliquo modo ſubſtantiale.

7. Acceptio ſtrictior. Quartò ſumitur reſurrectio modo ſtrictiori: nimirum pro iterata reſtitutione animæ, quæ per veram mortem cecidit; qualis eſt anima ſenſitiua: cuius ſeparatio à corpore eſt vera mors, in qua ſignificatione accipitur reſurrectio ab ijs, qui ſcribunt, animalia mortua aliquando reſurrexiſſe; ea ſcilicet, quę aliquando fuerunt miraculosè ſuſcitata. Nec ſine fundamento hæc ſignificatio eſt magis propria, quàm aliæ, quas explicuimus: quoniam in his, quæ verè mortua ſunt, non ſolùm ipſa tota compoſita dicuntur reſurgere; ſed & ipſum corpus: Si enim equus mortuus miraculoſè ad vitam redeat: non ſolùm ipſe equus dicitur reſurgere, ſed etiam corpus equi, quod non reperitur in alijs, quæ corrupta non moriuntur: licèt enim, quando eadem forma ignis eidem materiæ reſtituitur, ignis ipſe aliquo modo dicatur reſurgere; non tamen reſurgit ipſa materia.

8. 2. Acceptio ſtrictiſsima. Poſtremò Reſurrectio proprijſsimè ſumpta ſoli homini conuenit: ſolus enim homo, ſi poſt mortem ad vitam redit, proprijſsimè dicitur reſurgere; quam proprijſsimam ſignificationem vſus communis, tùm Sacrarum Literarum, tùm Eccleſiaſticorum illi tribuit. Et inde eſt vt ſolus homo, quando de morte ad vitam redit, per anthonomaſiam dicatur

Suarius. reſurgere, vt benè aduertit Suarius *ſecundo tomo ad tertiam partem diſputatione* 44. *ſectione prima ad finem pagina* 477. *columna* 1. *A. B.* Quare communis vſus hac voce, & hoc nomine reſurrectionis vtitur: nec ſine fundamento communis vſus obtinuit, vt reparatio ad vitam in ſolo homine dicatur reſurrectio: quia (vt idem Suarius aduertit) in ſolo homine reparatio fit in eadem numero anima, & ſubinde in eodem numero hominis indiuiduo; quod in cæteris animalibus certò conſtare non poteſt: licèt enim idem numero corpus ſit, quod reſtituitur ad vitam; non tamen conſtat, an eadem numero anima reſtituatur. Sed quidquid de hoc ſit, ad inſtitutum noſtrum ſatis eſt, quod reſurrectio ſimpliciter dicta ſoli hominibus proprijſsimè accommodatur: idque ex communi vſu, tùm Sacræ Scripturæ, tùm Eccleſiaſticorum. Quare in hac diſputatione de ſola hominis reſurrectione diſputabimus.

§. 3.

Vera reſurrectionis diffinitio.

EX dictis iam licet colligere veram reſurrectionis diffinitionem: eſt 9. Diſtinctio reſurrectionis.
enim mutatio ſubſtantialis, qua id, quod per veram mortem è vita excidit, idem numero iterum producitur. Dicitur *mutatio ſubſtantialis*; vt diſtinguatur à ſimplici reproductione rei, quæ ad nihilum redacta eſt: vt ſi Angelus annihilatus iterum reproducatur: talis enim reproductio eſſet quidem ſubſtantialis; ſed foret ſine aliqua mutatione: cum enim ex nihilo reproducatur; nihil datur, quod de vno termino ad alterum tranſeat. Dicitur, *qua id, quod per veram mortem è vita excidit*; vt reſurrectio diſtinguatur à reproductione eius, cuius corruptio non fuit vera mors: vt ſi ignis corruptus idem numero reproducatur: licèt enim ſit vera mutatio ſubſtantialis; non tamen eſt mutatio à morte, ad vitam. Tandem dicitur: *Qua idem met numero iterum producitur*: vt reſurrectio diſtinguatur à reproductione, qua animal mortuum ad vitam reſtituitur: cum enim non conſtet, an eadem numero anima iterum producatur; non poteſt certò dici reſurrectio: diceretur tamen, ſi conſtaret, eandem numero animam reparari ad idem numero corpus: in homine autem mortuo, cum anima ſit immortalis, eadem numero ſuo corpori reunitur. Et hæc de prima quæſtione.

QVÆSTIO II.

De ijs, quæ per ſe requiruntur ad veram reſurrectionem.

EXplicata vera reſurrectionis diffinitione, conſequenter explicãdum erat; quænam per ſe requirãtur, vt illa ſit vera reſurrectio. Vtrũ. ſ. ve neceſſarium ſit, vt homo reſurgat in eadẽ numero materia? & in eadem numero

1. Quæ ad veram reſurrectionis in

anima

anima? denique in eiſdem numero acci-
dentibus; verum, quia de his omnibus la-
tiſsimè dicturi ſumus in libro ſecundo,
tertio, & quarto; ideo ab hac quæſtione
modo ſuperſedemus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm reſurrectio hominis ſit poſsibilis?

1. De poſsibilitate reſurrectionis. DIſputaturi de hominis re-
ſurrectione, primū agemus
de illius poſsibilitate. Dein
dè, ſuppoſita poſsibilitate
illius, inquirendum erit, an
de facto ſit danda? vt verò quæſtio de
poſsibilitate reſurrectionis diſtinctè ex-
plicetur; hoc ordine procedemus. Primo
loco generaliter inquiremus; vtrū idem
numero corruptum per naturam, (id eſt
actione agentis naturalis) redire poſsit?
Secundo; vtrùm poſsit redire diuina po-
tentia? Tertio; vtrum hominis reſurrec-
tio naturaliter ſit poſsibilis? Quarto; An
poſsibilis ſit ſupernaturaliter? Poſtremo;
An poſsibilitas illius naturali ratione poſ
ſit demonſtrari?

ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrùm idem numero corruptum actione agen
tis naturalis poſsit redire?*

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

1. Sententia affirmans. DE hac quæſtione variæ fuerūt ſen
tentiæ, tùm inter veteres Philoſo-
phos; tùm inter noſtros. ¶ Prima
fuit affirmatiua, quæ aſſeruit, non ſolùm
idem numero corruptum poſſe viribus
naturæ redire; ſed de facto peractis certo-
rum annorum periodis, omnia in eadem
vnitate numerica eſſe reditura; idque nō
ſemel, ſed infinities: nec enim mundo fi-
nem durationis ponebant. Ita nonnullos
Auguſt. veterum Philoſophorū ſenſiſſe teſtatur
Auguſtin. 12. *de Ciuit. Dei cap.* 13. *tom.* 5.
Et quanuis Auguſtinus eo in loco, nō ex
plicet, qui hanc ſententiā docuerint (quid
quid inaduertenter nonnulli dicant): ta-
men eam Platonicos fuiſſe ſecutos, do-
cet Ludouicus Viues in Annotat. ad eū-
dem Auguſt. locum, & communiter hæc
ſententia tribui ſolet Platonicis: quanuis
plures Platonicorum nolint eam vnquā *Marſil. Fi*
fuiſſe Platonis: vt Marſilius Ficinus *lib.* *cinus.*
11. *de Theologia Platonis.* Eandem rerum
omnium repetitionem docuiſſe Empe-
doclem, aliquo modo inſinuat Ariſtote- *Ariſtote.*
les 1. *Phyſic. text.* 32. & multis alijs in lo-
cis: affirmauit enim, *mundum infinities per
circulum ad eadem redire.* Epicurum ean-
dem ſententiam docuiſſe, expreſſè docet
Hieronymus *in cap.* 1. *Eccleſiaſtes*, ad illa
verba: *Quid eſt, quod fuit?* litera B. Et hāc *Hierony.*
repetitionem non ſolùm poſuerunt in
alijs rebus, quarum formæ eſſe deſinunt;
ſed etiam in animabus humanis, quas im-
mortales eſſe fatebantur: eaſdem enim
infinities redituras eſſe in eadem corpora
Pythagorici Philoſophi docuerunt, quos
Platonici, & plures alij ſecuti ſunt, vt in
3. art. dicemus.

Nec audiendus eſt Suarius *ſecundo to-* 2.
mo ad tertiā partē diſputatio. 44. *ſectione* 6. *Non reci-*
in ſecunda ſententia pagin. 821. *columna* 1. *pitur Suar.*
A; dum ait, Philoſophos iſtos non de eiſ-
dem numero effectis, ſed de ſimilibus lo-
cutos fuiſſe: non eſt inquam audiendus:
quoniam ex Auguſtino oppoſitum eui- *Auguſt.*
denter colligitur; ita enim ait in princi-
pio dicti capitis 13. *Non aliter putaue-
runt ſe poſſe controuerſiam diſſoluere, niſi vt
circuitus temporum inducerent; quibus ea-
dem ſemper fuiſſe renouata, atque repetita
in rerum natura,* & inferius: *Sicut in iſto
ſæculo Plato Philoſophus in Vrbe Atheni-
enſi, in ea Schola, quæ Achademica dicta eſt,
diſcipulos docuit; ita per innumera retrò ſæ-
cula multum prolixis quidem interuallis, ſed
tamen certis, & idem Plato, & eadem Ci-
uitas, eademque Schola, iidem diſcipuli re-
petiti, & per innumerabilia deinde ſæcula re
petendi ſint.* Quæ verba de numerica
vnitate manifeſtè intelliguntur: nihil
enim repeti poteſt, niſi quod numero eſt
idem. Quando verò periodus iſta anno- De periodo
rum conficienda ſit? omnes conueniunt, magni anni
finiendam eſſe, cum annus magnus con-
cluſus fuerit; concludetur autem, cùm
curſus nonæ Sphæræ fuerit peractus; ſiue
ille peragatur triginta ſex millibus noſ-
trorum annorum, vt Platonici putant; ſi-
ue quadraginta noue millibus, vt in ſuis
tabulis docet Rex Alfonſus.

Secunda ſententia, non iam Æthnicorũ
3. 2.Opinio. Philoſophorum, ſed noſtrorum Theologorum admittit, fieri poſſe viribus naturæ, vt in aliquibus rebus, id quod corruptum eſt, idem numero redeat; non tamen in omnibus. Hanc ſententiam nonnullos approbaſſe refert Scotus *in 4.diſt. 43.q.3. §.Tertia opinio*, & poſt eum Baſſolius ibidem *q.2.art.1.§.Tertia opinio*. Hãc opinionem eſſe cęteris probabiliorẽ, probat idem Scotus *in d.q.3.art.2.litera E. §. Quantum ad iſtum articulum, & ibidem conclusione.1. litera M.* Eandem abſolutè probat Baſſolius *in d.q.2.ar.3.in principio; & ante eos eandem ſententiam probauerat Richardus in d.diſt.43.art.3.q.1.ad 6.argum.* dixit eſſe probabilem Toletus *in 2.de Generation..q.13.concl.2.refertur etiam Henrricus quodlib.10.q.4.*

(Scotus. Baſſolius. Toletus. Henricus.)

4. Si verò ab illis inquiras; quæ nam viribus naturæ non poſſunt eadẽ numero redire? Non coueniunt interſe: nã Baſſol. in dicto art.3. in principio ſolùm hominem excipit, & expreſſè cõcedit cætera poſſe eadem numero redire: & ratio eſt; quia in ſolo homine anima non educitur de potentia materiæ; cum tamen formæ cæterarum rerum de potentia materiæ educantur. Hæc ſententia, ſine dubio fuit Scoti: putat enim formam miſti quã in homine admittit diſtinctam ab anima rationali) poſſe quidem poſt mortem hominis eandem numero redire actione naturalis agentis; nõ tamẽ illius actione poſſe eandẽ animam rationalẽ reuniri, & ob hãc cauſam nõ poſſe hominẽ actione naturæ eundẽ numerò reproduci. Sentit igitur Scotus, homine excepto, cętera omnia naturàliter redire poſſe. Hãc tamẽ ſetentiã non admittit Richardus loco citato: etenĩ ſententiã explicatam non ſolùm reſtringit ad hominem, ſed etiã ad omnia, quæ ex ſemine generantur, cuiuſmodi ſũt animalia: hæc enim ſemel corrupta, nõ poſſunt actione naturæ eadẽ numero redire.

(Opiuio Baſſolij & Scoti. Negat Richardus.)

5, Vtrũ verò aliquod corruptũ actione agentis naturalis de facto idẽ numero redire debeat? dubitari poteſt. Cui dubitationi, nec Richardus reſpondet, nec Scotus; negat tamen Baſſolius in d.art.3. in principio in 2.dicto, & id prob. inferiùs col.2. §, *Secundo dico*: vbi docet, quòd licèt actione naturæ poſſint aliqua eadem numero reproduci; natura tamen de facto nihil in eadem numerica vnitate vnquam reparaturam eſſe; ideo, quia Deus ſtatuit nunquam ad hoc ſe cooperaturum agenti naturali.¶ His omnibus addit Scotus, quòd & ſi poſſibile ſit naturæ idẽ numero reproducere: nõ tamẽ illi eſſe poſſibile illud reproducere eo modo, quo ſupernaturaliter reproduci poteſt; & in vniuerſali reſurrectione eadẽ numero reproducentur. Fundamentum eſt; quoniã tota natura in producendis rebus habet ordinem determinatum, quem mutare non poteſt. Vnde ſicut non poteſt aliquam rem primò producere, niſi in materia diſpoſita; nec generare aliquod animal, niſi materia prius ſit ſub forma ſeminis, deinde ſanguinis, tertiò carnis, & cætera: ita non poterit, quod corruptum eſt, in eadem materia iterum reproducere ſine diſpoſitionibus; nec animal iam corruptum ex pulueribus immediatè reproducere. Hæc eſt explicatio eorum, qui ſecundam ſententiam probauerunt.

(Vtrum de facto aliqd redire poſſit. 6. Opinio Scoti.)

7. 3.Sententia negat. Tertia ſententia generaliter negat, poſſe id, quod ſemel corruptum eſt, actione naturalis agentis idem numero redire. Ita expreſſè Diuus Thomas *quodlibeto 4.artic.5.& 4.contra gentes capit.81. ad primam obiectionem, & in Paulum primæ Corinthior. 15. ſectione ſeptima Commentar. 2.& 3.& aliquo modo id ſignificat in 4.diſt. 44.quæſt.1. artic. 1. quæſtiuncula ſecunda ad primũ: Ægidius in primo Theoremate Corporis Chriſti, & in 2. de Generatione in fine ad illa verba: principium autem intenſionis: Henricus quodlibeto 7. quæſt. 16. magis in hoc inclinat Richardus in 4. diſtinctio. 43. artic.3.quæſt.1. Durandus ibidem quæſt. 2. Capreol. quæſt.1.art.1.concluſione 1.& ar. 3. ad argumenta Scoti; & Aureoli: Argentina quæſtione 1.artic.2.ad primum: Scotus quæſt.1.artic.3.§. His tamen nihil obſtantibus. Hiſpalenſis quæſt.1.artic.1. concluſione 1. Ferrarienſ.lib.4.cap.81. ad ſolutionem primæ obiectionis. Soncinas in 4.diſtinct.43. quæſt.1.concluſione 1.& in 5.Metaphyſ.q. 18. Abert. de Saxonia in 2. de Generat. q. 14.vbi Marſilius quæſtione. 18. articulo.2. concluſione 3. Venetus in ſumma ſuæ Philoſophiæ ad 2. lib. de Generatione capite 20. Bañes in eodem libro. quæſt. vltim. concluſ. 3. Conimbric. ibidem c.11.q.1.art.3. hanc ſententiam eſſe tenendam aſſerit Toletus ibidem quæſtione 43. concluſione tertia: citatur* pro

(D. Thom. Ægidius. Henric. Richard. Durand. Capreol. Argentin. Hiſpal. Ferrar. Soncin. Saxonia, Marſil. Venetus. Bañes. Conimb. Toletus.)

Suarius. Fonſeca. pro eadem Zimara in theorematis propoſit. 103. & Auerroes in 2. de Generat. com. 70. probauit Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 6. pag. 823. col. 1. & in Metaph. diſp. 6. ſect. 3. à n. 5. cum ſequentibus, & Fonſeca 8. Metaph. c. 5. q. 1. ſect. 2. pag. 574. col. 1. §. Dicendum tamen, & ſect. 3. in fine. Denique eſt ferè omnium Theologorum, & Philoſophorum ſententia.

§. 2.

Prima ſententia in Philoſophia eſt improbabilis, in fide verò impia.

8. 1. opinio reijcitur. RElatis opinionibus, pro vera reſolutione hoc ſit primum fundamẽtum. Prima opinio (quatenus aſſerit, ſingulas quaſque res, peracto magni anni circulo, octauæ. ſ. ſphęræ, infinities repetito, eaſdem numero infinities eſſe redituras) non ſolùm eſt fidei Chriſtianæ contraria; ſed etiam in Philoſophia manifeſtè delirat: in hoc conueniunt authores ſecundæ, & tertiæ opinionis.

9. Eſt fidei cõtraria. ¶ Quòd ſit fidei contraria, quatenus admittit in animabus perpetuum circulum ad eadem corpora, & probat non ſolùm παλιγγενεσίαν, id eſt hominum reſurrectionem, ſiue μετεμψύχωσιν, id eſt, animalium in aliud, & aliud corpus trãſmigrationem, infinities repetitam; apertis Scripturæ teſtimonijs euidenter oſtẽdemus art. 3. Quòd etiam eidem fidei euidenter contradicat, quatenus in alijs rebus admittit perpetuum reditum in eadẽ numerica vnitate, euidenter oſtenditur

Apoc. 10. ex *cap. 10. Apocalypſis*; vbi Angelus iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, *quod tempus non erit vltra*: ſcilicet poſt vniuerſalem reſurrectionem. Cùm verò ſine tempore nullus detur motus in primo mobili, vt patet ex Philoſophia: nec ſine motu cœlorũ dentur vllæ generationes, vt in Philoſophia eſt quàm notiſsimum; hinc ferè omnes inferunt, quòd motus cœli, poſt reſurrectionem omnino ceſſabit; & cum illo omnis rerum generatio. Quam veritatem ſatis etiam confirmat

Iſaiæ. 60. locus Iſaiæ. 60: *Non occidet vltra Sol tuus, & luna tua non minuetur*: quæ verba plures Patrum, & interpretum intelligunt de tempore beatitudinis poſt diem iudi-

Cyrill. cij, inter quos eſt *Cyrillus lib. 9. in Ioannẽ c. 40.* Accedit etiam Paulus ad Romanos

Ad Rom. 8. 8. n. 19: *Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat; vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens; ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Vbi vanitas idem eſt, quod mutatio, & corruptio, vt ex verbis Pauli ſatis patet. Per reuelationem verò filiorum Dei intelligitur beatitudo, qua in gloria reſurrectionis filij Dei renouabuntur. Expectat igitur creatura ex doctrina Pauli poſt reſurrectionem liberari à vanitate ſubiectioneq; mutationis, & corruptionis. Quæ expectatio fruſtrà eſſet, ſi poſt reſurrectionẽ futuræ adhuc eſſent generationes, & corruptiones rerum. Eſt igitur de fide, non ſolùm, quòd poſt reſurrectionem nullũ erit tempus, & nullus motus corporum cœleſtium; ſed etiam nullas vltra futuras eſſe rerum inferiorum generationes, & corruptiones. Quod ſatis expreſsit D. *Thomas in 4. diſt. 48. q. 2. art. 2. & 5: in additionibus autem q. 91. art. 2. & 5. vbi Seraphinus Porrecta in appendice vtriuſque* D. Thom. Porrecta. *articuli, & ſatis Abulenſis in c. 25. Matthæi q. 108. concluſ. 1. tom. 7. pag. 141. col. 2. C.* Abulenſ. Quæ doctrina eſt apud omnes Theologos indubitata, tum *in 4. diſt. 48. tum in c. 10. Apocalypſis. Abulenſis in d. q. 108. Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 58. ſect. 2. pag. 1195. A. 2. & ſect. 3. pag. 1201. B. 2. Barradas in 3. tom. ſuæ concordiæ lib. 10. c. 1. pag. 647. col. 2. A. B.* Suar. Barradas.

Quòd opinio illa non ſolùm ſit in Philoſophia improbabilis, ſed etiam fabuloſa; nullus eſt, qui non iudicet. Non quidem, quatenus ſupponit motum cœli eſſe perpetuum (nam id etiam docuit Ariſtoteles *9. Metaph. c. 4. text. 17.* quod licet fidei repugnet; non tamen ſatis apertè cõtradicit Philoſophiæ:) ſed quatenus introducit infinitum reditum, & circuitũ earundem numero rerum: ita vt eædem numero res infinities intereant, & infinities actione naturæ reproducantur: hoc enim tanquam fabuloſum, & veræ Philoſophię repugnans, omnes fatentur; etiã illi qui putant, idem numero actione naturæ redire poſſe. Nec ſine fundamento id dicunt: nam ſi æternitas motus cœleſtis admitteretur; quãuis ipſa octaua ſphęra (cuius circulo magnus annus conficitur) non ſemel, ſed infinities ad idem pū- 10. Eſt contra Philoſophiam.

ctum rediret; non tamen cæteri orbes ad idem redirent punctum, aut ad eundem ſitum, in quo fuerunt, cum præcedens octauæ ſphæræ reuolutio incepit: etenim plerique aſtronomici docent, motus cœlorum eſſe inter ſe incommenſurabiles; Clauius. inter quos eſt *Clauius in c. 1. ſphæræ*: vnde ſicut non poſſunt omnia ſydera eundem ſitum, & ordinem, quem nunc habent, vel olim habuerunt, obtinere; ita nec poſſent eundem, quem habebant, dum circulus præteritus incepit, obtinere; cum illo finito alius incepit circulus; & per conſequens redeunte alio circulo eiuſdẽ magni anni, non rediret eadem cauſa totalis, nec eodem modo ſe haberent orbes cœleſtes; imò nec iſta inferiora. Iam verò non redeunte eadem totali cauſa; nec ijdem numero effectus redirent. Quæ ratio ſatis eſt ad explodendam ſententiam iſtam, vt vere rudem, & inſipientem. Quo argumento illam reijcit Toletus. *Toletus in d. q. vlt. 2. de Generat. & Lorinus in cap. 1.* Lorinus. *Eccleſiaſtes in comm. verſiculi noni, pag.* 40.

11. Quomodo intelligatur loc9 Eccleſiaſt. c. 1

Nec huic errori fauent verba Eccleſiaſtes c. 1: *Quid eſt, quod fuit? ipſum, quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? ipſum, quod faciendum eſt: nihil ſub ſole nouum; nec valet quiſquã dicere, hoc recens eſt: iam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos*: quanuis plerique ea adducant in erroris fauorem: vt Auguſt. refert 12. *de Ciuitate* Auguſt. *Dei c.* 13. vbi ait; *Sed abſit à recta fide, vt his Salomonis verbis, illos circuitus ſignificatos eſſe credamus, quibus illi putant, eadem tẽporum, temporaliumque rerum volumina repeti, &c. Abſit inquam, vt iſta credamus.* Et meritò; quia verba Salomonis non intelliguntur de identitate numerica, ſed de ſpecifica, & generica earum rerum: id enim, quod factum fuit, erit id ipſum ſimilitudine generis, aut etiam ſpeciei, cum eo, quod futurum eſt; non vero, identitate eiuſdem numeri. Et in eodem ſenſu nihil ſub Sole nouum eſt; quia alia ſimilia iam in ſæculis præteritis præceſſerunt. Hæc eſt communis, & veriſſima explicatio ex Hugone Cardinali, Caietano, & cæteris interpretibus, & ſatis ad men[illegible]m Auguſtini loco citato.

§. 3.

Amplectenda eſt tertia ſententia, quæ negat, [illegible]

IMpugnato errore primæ ſententiæ, non ſolùm vt impio, ſed etiam, vt fabuloſo, diſſoluenda eſt controuerſia, 12. 3. opinio eſt vera. quæ inter noſtros agitatur, quorum alij cum ſecunda ſententia affirmant; alij negant cum tertia. Nos pro tertia ſententia Concluſio. (quæ ſicut longè eſt communior; ita & verior) hanc ſtatuimus concluſionem: *Fieri nullo modo poteſt, vt actione totius naturæ idem numerò corruptum redeat.* Huius concluſionis veritatem primò confirmabimus authoritate Ariſtotelis: deinde rationibus veluti à poſteriori: tertiò innitemur oſtendere cauſam à priori. Et in hoc §. eam oſtendemus ex Ariſtotele.

Oſtenditur ex Ariſtotele.

¶ Noſtra concluſio primùm confirmatur expreſſa Ariſtotelis doctrina *lib. 2. de Generat. c. vlt. text.* 70: vbi hanc differentiam conſtituit inter ea, quæ incorruptibilia ſunt, & mouentur ſolo motu locali; & ea, quæ ſunt corruptibilia, & ſecundũ ſuam ſubſtantiam mutantur, & deſinũt: vt incorruptibilia eadem numero redeãt (etenim idem numero Sol eſt, qui finito circulo redit ad idem punctum; & eadem numero aſtra, quæ circulo abſoluto ad nos reuertuntur:) corruptibilia autẽ non redeant eadem numero, ſed ſpecie. Et inde infert progreſsionem generationum (quas eſſe perpetuas falsò ſupponit) tam in animalibus, quàm in alijs corruptibilibus, quoad indiuidua quidem, fieri ſemper in rectum, nec dari circulum in illis, niſi ſecundum ſpeciem. Hæc eſt Ariſtotelis ſententia, quam ſatis clarè ſcripſit loco citato. 13. Oſtenditur ex Ariſtot.

14. Solutio ex Scoto.

Huic difficultati occurrit, tum Scotus, tum Baſſolius: non tamen eodem modo. Nam *Scotus in 4. diſt. 43. q. 1. ad* 3. putat, Ariſtotelem non negare corruptibilia redire eadem numero: nec penes hoc poſuiſſe diſcrimen inter corruptibilia, & incorruptibilia: ſed penes hoc potiùs; vt incorruptibilia in ſua circulatione ita redeant eadem numero, vt per talem motum, & reditum non accipiant eſſe; cum illud non amiſerint: corruptibila verò per illum regreſſum accipiant eſſe de nouo. Non placet ¶ Sed quàm lon[illegible]ſit à mente, & verbis Ariſtotelis hæc Scoti expoſitio, facilè intelliget, qui ipſam verborum cõtexturam

turam vel leuiter expenderit. Pro quo aduerte, Ariſtotelem in text. 78. ex doctrina in præcedentibus data, concluſiſſe generationes rerum fieri in circulum: vt verò explicaret, quomodò talis circulus fieret, duas excitauit quæſtiones: alterã; cur nonnulla videantur circulatim oriri (pluuia enim ex aere, & aer ex pluuia circulatim fit:) nonnulla verò non oriantur circulariter, ſed ſemper in rectum proficiſcantur? vt cõtingit in animalibus: nam ex Socrate generatur Plato, ex Platone autem non generatur Socrates, ſed alius homo. Alteram verò, vtrùm omnia, quæ per circulum redeunt, eodem modo redeant? & ſoluens hanc poſteriorem quæſtionem docet, quæ ſunt incorruptibilia, redire in circulum ſecundum identitatẽ numericam: quæ verò ſunt corruptibilia; redire in circulum, non ſecundũ identitatem numericam; ſed ſolùm ſecundùm ſpecificam. Et ex hac ſolutione infert ſolutionem prioris quæſtionis, & docet illa, quæ circulatim videbuntur redire, nõ redire ſecundùm identitatem numericã; ſed ſecundùm ſpecificam: nam cum ex aere aqua fit, & ex aqua aer; aer, qui redit, non eſt idem numero aer, ſed ſolùm idem ſpecie: & ita concludit progreſſum generationum, quoad indiuidua quidem, ſemper fieri in rectum, tam in animalibus, quàm in cæteris rebus, quanuis in aliquibus fiat reuerſio, & circulus ſecundùm identitatem ſpecificam. Ex quibus euidenter patet, quàm aliena ſit à mente, & verbis Ariſtotelis explicatio Scoti.

15. Solutio ex Baſſolio. Secundo modo occurrit Baſſolius in 4. diſtin. 43. q. 2. ad primum principale; Ariſtotelem docuiſſe id, quod de facto in rebus reperitur; & ob id negaſſe reditum corruptibilium ſecundùm identitatem numericam, non tamen negaſſe talem reditum, viribus naturæ eſſe poſsibilem. ¶ Sed nec Baſſolius mentem, & Reijcitur. phraſim Ariſtotelis benè percepit: Ariſtoteles enim in eo capite manifeſtè agit de ordine rerum, quem ponebat neceſſarium, & infallibilem, vt patet ex illis verbis: *Quorum verò ſubſtantia eſt corruptibilis, ſpecie, non item numero reuerti, neceſſe eſt.* Verbum autem illud *neceſſe* ſatis oſtendit ex mente Ariſtotelis oppoſitum euidenter repugnare ordini naturali rerum: etenim Deus (qui eſt natura naturans) apud Ariſtotelem ad extra agit ex neceſsitate naturæ; & per conſequens ea, quæ facit, non potuit aliter feciſſe. 16.

Quare coactus Baſſolius fatetur, hanc fuiſſe Ariſtotelis ſententiam; ſed in hoc non eſſe ſequendum. Quæ ſolutio ſatis ſuperque eſſe debet, vt ſententia Baſſolij non ſit à Philoſopho recipienda; cum ipſe Baſſolius fateatur, eam eſſe Ariſtoteli contrariam.

§. 4.

Probatur concluſio rationibus à poſteriori.

Secundo loco eadem concluſio generaliter confirmabitur rationibus probabilibus à poſteriori ſumptis. 17. Prima ratio à poſteriori. *Conimbr.* Non eſt inepta ratio, quam Conimbricẽſes adducunt 2. *de Generat. d. c.* 11. *q.* 1. *art.* 3. *pag.* 493. *in principio*: quoniam id, quod agens naturale nunquam fecit, credibile eſt fieri ab eo non poſſe: at natura rem ſemel corruptam nunquam eandem numero reproduxit. Ergo ſatis eſt credibile, naturam non poſſe idem numero corruptum reproducere. Minor patet, & ſatis ſupponitur ab Ariſtotele 2. de Generat. c. vlt. tex. 70: nam licet experiamur plures redire in eadem ſpecifica vnitate; nunquam tamen vidimus, aliqua redire in eadem vnitate numerica. Maior probatur, quia Deus in natura nihil fecit fruſtrà; vnde fluxit axioma cõmune: *fruſtrà eſt potentia, quæ non reducitur ad actum*: maximê cum natura præauida ſit exercendæ ſuæ naturalis poteſtatis.

18. 1. confirm. Confirmatur primò: quoniam ſi virtus naturæ ſe poſſet extendere ad reparandum, quod corruptum eſt, ſecundùm identitatem numericam: nulla eſſet cauſa, quod ſicut actione naturali ſæpe redit idem ſecundùm ſpeciem, non ſæpe rediret idem ſecundùm numerum: ſiquidem poſita hac ſententia omnia adſunt, quæ ad illius reditum ſunt neceſſaria: etenim in materia, iuxta aduerſariorum opinionem, eſt potentia naturalis ad recipiendã eandem numero formam: adeſt etiam eadem numero cauſa actiua, potens reducere ad actum eam materiæ potentiã: quare ſi natura nunquam idem numero reproduxit; ſignum eſt, non eſſe in natura talem potentiam.

19. 2. confirm. Confirmatur ſecundò ex mente Paludani.

Paludan. Capreol. ludani,quem refert,& ſequitur Capreol. *in 4.diſt.43.q.1.art.3.ad 9.Scoti contra primam fol.156.col.1*:quoniam virtus naturalis agit,aut ſemper,aut ſaltem frequenter: cum enim naturaliter agat, nata eſt agere,vel ſemper,vel frequenter. Ergo ſi virtus naturalis ſe extenderet ad reparãdum corruptum in vnitate numerica; profectò vel ſemper,vel ſaltem frequenter iſto modo repararet, quæ corrupta ſunt.

20. Solutio ex Scoto. Hoc argumentũ maximè vrget Scotum, & noſtram concluſionem confirmat: nec enim aut à Scoto,aut à Baſſolio probabiliter diſſoluitur. Notandum eſt igitur, *Scotum in 4.diſtin.43.q.3,art.1.ad vlt.* ita hoc argumentum diſſoluere, vt dicat eſſe impedimenta;vel ex parte paſſi, vel ex parte agentis, quæ impediunt, quominus, dum fit regreſsio naturalis corrupti, non redeat idem numero, ſed

Non recipitur. ſpecie tantùm.Sed profectò hęc reſponſio videtur improbabilis:poſſumus enim ita obijcere; quia hactenus non contigit, vt actione agentis naturalis idem numero rediret:nec enim id in antiquis annalibus vnquam legimus: mirum autem eſt, quòd tanto tempore impedimenta illa permaneant: maximè quoniam,cum illa impedimenta impediant actionem naturalem,non poſſunt non violentare ipſam naturam: violentum autem non diu durat, vt ait Ariſtoteles. Accedit;quia natura,quantum eſt ex ſe determinata eſt,vel vt ſemper producat effectum, vel vt in plurimum. Quare, ſeruato ordine naturali, raro impeditur, ne agat, quod naturaliter agit. Quomodo igitur credendum eſt impedimenta illa ſemper permanſura? Non placet igitur ſolutio Scoti.

21. Solutio ex Baſſolio. Quare Baſſolius in 4. *diſt.43. q.2. art. 2.ad 4.arg.pro tertia concluſione* reſpõdet; naturam, habere quidem potentiam, vt idem numero productum reproducat: hanc tamen potentiam nunquam eſſe ad actum reducendam; quia Deus lege ſibi nota, nobis tamen incognita, ſtatuit in hoc naturæ non cooperari;quia ex cauſa ſibi nota hanc reproductionem corrupti ſibi reſeruauit. Sed hæc ſolutio,vt [illegible]ignificet poteſtatem naturæ, facit D[illegible] quodammodò inuidum; dum in h[illegible] naturæ

Non placet. denegat concurſum illi aliàs d[illegible]bitũ:quod ſine probabilitate dicitur. E[illegible] potiùs ſtare volo vniuerſali legi, qua generaliter ſtatuit cõcurrere cum natura ad naturales operationes, niſi ex ſpeciali priuilegio miraculo ſit opus: vt fecit cum igne Babylonico,qui tres pueros non combuſſit,& ſæpè in confirmationem fidei martyres non læſit. Accedit etiam ratio philoſophica; quia fruſtra daretur in natura talis potentia; ſi ad actum nunquam eſt reducenda. Cui inſtantiæ non benè reſpondet Baſſolius, ſi illius ſolutionem diligentiùs expendas. Quare hæc prima ratio maximè vrget aduerſarios.

Secundo loco confirmatur hæc opinio ex illa non minus vulgata, quàm celebri propoſitione Ariſtotelis in prædic. cap.de Oppoſitis: *A priuatione ad habitum non eſt regreſſus*: quæ propoſitio cum abſolutè,& vniuerſaliter prolata non ſit vera (quia vera non eſt in ordine ad diuinã potentiam, vt patebit ex ſequenti articulo) non poteſt non eſſe vera in ordine ad vires naturæ; in quo ſenſu eam intellexit Ariſtoteles. Sic igitur poteſt formari argumentum. A priuatione ad habitum naturaliter non eſt regreſſus, vt patet ex pręcitata propoſitione. Sed corruptio cauſat priuationem, tum in materia,tum in forma: quia & forma corrupta priuata manet ſuo eſſe; & materia eſt priuata verè & propriè ipſa forma, qua antea informabatur. Ergo viribus naturæ fieri non poteſt,vt aut eadem numero forma redeat, aut materia eadem numero forma rurſus informetur. Et per conſequens idem numero corruptum non poteſt iterum reproduci; cum ex eadem numero materia, & forma iterum componi non poſsit. 22. 2. ratio. Ariſt.

Huic tamen argumento reſpõdet Scotus in d.q.3. §.*Quantum ad iſtum articulũ*, verſiculo *Ad illud de prædicamentis*, propoſitionem illam Ariſtotelis non eſſe intelligendam de regreſſu,& reditione me diata ſecundùm identitatem aut numericam, aut ſpecificam ipſius formæ; ſed de regreſſu, & reditione immediata,tàm ſecundùm identitatem ſpecificam, quàm numericam: Ariſtoteles enim (vt ait) loquitur de vtroque regreſſu;& de regreſſu immediato propoſitio eſt verſiſsima: quoniam à priuatione formæ ad ipſam formam, aut ſecũdum numerum,aut ſecundùm ſpeciem via naturali non poteſt dari 23. Solutio ex Scoto, & Baſſolio.

dari immediatus regreſſus: nec enim cum ex vino fit acetum, poteſt aliquod agens ex aceto immediatè facere vinum, non modo illud numero, quod corruptum eſt, ſed nec aliud numero diſtinctum: ſed oportet prius fieri plures tranſmutationes corruptionum, & generationum, vt materia aceti poſsit iterum informari forma vini, vel ea numero, quam habuit, vel alia eiuſdem ſpeciei. Hæc eſt expoſitio Scoti: quam etiam probat *Baſſolius loco citato q. 2. ad 1. arg. principale, & art. 2. ad 1. pro 2. concluſione.* Et addit, negandam eſſe propoſitionem, ſi Ariſtoteles eam aliter intellexit.

24. Non recipitur.

Sed nec decet Ariſtotelem negare, ſi de illius ſenſu conſtet: nec Ariſtoteles propoſitionem illam in illo ſenſu accepit; ſed in hoc potiùs, vt nec mediatè, nec immediatè poſsibilis ſit regreſſus à priuatione ad habitum. Quod inde euidenter probatur; quia Ariſtoteles in eodem capite conſtituit diſcrimen inter priuatiuè oppoſita, & oppoſita contrariè: quòd ſ. inter cōtraria detur mutuus regreſſus; qui tamen non eſt admittendus inter oppoſita priuatiuè. Iam verò non inter quęcunque contraria poſsibilis eſt mutuus, & immediatus regreſſus, vt patet in albo, & nigro, quæ inter ſe ſunt propriè contraria; & tamen ab vno ad alterum non poteſt viribus naturæ dari tranſitus immediatus: etenim de albo ad nigrum, & de nigro ad album naturaliter non poteſt fieri tranſitus, niſi per medios colores, vt in 10. Metaph. ſæpè docet Ariſtoteles. A calido etiam in frigidum naturaliter non fit tranſitus, niſi per tepidum, quod eſt medium intervtrumque extremum. Quare cum Ariſtoteles docet, inter contrariè oppoſita naturaliter dari poſſe regreſſum, non eſt intelligendus de ſolo regreſſu immediato; ſed abſtrahendo à mediato, & immediato; vt ſit ſenſus ab vno contrario ſimpliciter, & abſolutè dari poſſe regreſſum ad aliud contrarium, ſiue ille fiat immediatè, ſiue mediatè. Quare quando negat, dari regreſſum à priuatione ad habitum, intelligendus eſt, ita vt nec immediatè, nec mediatè talis regreſſus viribus naturæ ſit poſsibilis.

25. Propoſitio Ariſtotelis eſt difficilis.

Sed quoniā illa propoſitio Ariſtotelis difficilis eſt & varijs modis explicatur (vt patet ex ijs, quæ ex *D. Thoma, Soncinate, Caietano, Toleto, Louanienſibus, & Suario adducunt Conimbricenſes in c. de oppoſitis q. vnica art. 5. pag. 409. & 410.* vbi propter rei difficultatem ab illius explicatione ſuperſedent) pro illius vera reſolutione dicimus, propoſitionem intelligendā eſſe de regreſſu à priuatione ad eandem numero formam, vt optimè aduertunt *Toletus in eodem c. de oppoſitis, & Suarius in ſuo indice quæſtionum ad 8. Metaph. c. 5. q. 2.* Et quanuis hæc explicatio non omnino ſatisfaciat Conimbricenſibus in citato loco; debet tamen abſque dubio admitti; ſi tamen propoſitio intelligatur de priuatione in ordine ad illam formam, cui verè, & propriè priuatiuè opponitur. Pro cuius intelligentia aduertendum eſt id, quod nos olim aduertimus, cum & librum prædicamentorum in Logica, & de generatione in Philoſophia interpretaremur; ſcilicet in ijs, quæ priuatiuè opponuntur dari veram oppoſitionem priuatiuam, ſi in ſpecie ſumantur: in indiuiduo tamen non quamlibet priuationem priuatiuè opponi cuilibet formæ; ſed hāc numero priuationem ſolùm eſſe priuationem huius numero formæ, & non alterius. V. g. licet cæcitas in ſpecie ſumpta priuatiuè opponatur viſui, ſumpto etiam in ſpecie; tamen hæc numero cęcitas, quę eſt in Petro, priuatiuè nō opponitur cuicunque ſingulari viſui, ſed ſoli illi, qui in hoc oculo fuit. Quanuis etiā mors ſumpta in genere ſit priuatio vitæ in genere ſumptæ; hæc tamen mors (ſcilicet Petri) non eſt priuatio cuiuſcunque vitæ; ſed illius tantùm animæ, quam ab hoc Petri corpore priuauit. In quo oppoſitio priuatiua diſtinguitur ab oppoſitione contraria: nam contraria non ſolùm in ſpecie ſunt contraria, ſed etiam vnum numero contrarium contrariè opponitur omnibus ſingularibus contrarijs ſub eadē ſpecie contentis. V. g. non ſolùm album in ſpecie contrariatur nigro in ſpecie acceptо, ſed hoc album A. contrarium eſt omnibus nigri indiuiduis: & hæc albedo cōtrariatur cuicunque ſingulari nigredini: etenim ſub eodem genere albedinis maximè diſtat à quacunque numero nigredine: & quamcunque ab eodem ſubiecto expelleret, ſicut etiam per quamcunque à ſuo expelleretur.

Quomodò ſit intelligenda. Toletus. Suarius.

Ratio autem huius diſcriminis inter priua-

priuatiuè, & contrariè oppoſita ex eo eſt
Ratio diſcriminis. petenda, quòd ratio contrarietatis per ſe primò non cõuenit ipſis indiuiduis, quatenus indiuidua ſunt, & ratione differentiarum ſingularium; ſed ratione naturæ communis: etenim ratione ſingularium differentiarum, & ecceitatum hæc albedo non contrariatur huic ingredini, ſed illi, vt ſic, ſolùm opponitur diſparate, vt doctè ſatis aduertit *Curſus Conimbricenſis*
Conimbr. *loco citato art. 4. ad 3. pag.* 406. Quare hæc albedo rationem contrarietatis, qua opponitur huic nigredini, per ſe primò ven dicat ex communi, & ſpecifica ratione albedinis; ratione cuius æquè primò cõtrariatur omnibus indiuiduis nigredinis. Oppoſitum tamen reperitur in oppoſitis priuatiuè: etenim ratio priuatiuæ oppoſitionis per ſe primò conuenit ipſis ſingularibus priuationibus, non verò ratione priuationis in communi: etenim cæcitas in ſpecie ſumpta, ideò eſt priuatio viſus; quia hæc cæcitas eſt priuatio huius viſus, & illa illius. Simili modo mors in communi, ideò eſt priuatio vitæ ſubſtãtialis, quæ eſt anima; quia hæc mors ſcilicet Petri eſt priuatio huius animæ, & illa illius, & ſic de alijs. Et inde eſt, vt licet cæcitas in ſpecie ſit priuatio viſus, etiam in ſpecie: non tamen hæc cæcitas eſt priuatio cuiuſcunque viſus, vt diximus.

27. Illatio. Hinc infertur ratio, cur propoſitio Ariſtotelis: *à priuatione ad habitum non eſt regreſſus*: ſolùm debeat intelligi de regreſſu ſecundùm idẽtitatem numericam; nõ verò ſecundùm ſpecificam: quia fieri poteſt, vt hæc materia (v. g. Petri) quæ per mortem Petri fuit priuata anima Petri, naturaliter informari poſſit alia anima etiam intellectiua, ſi non immediatè, ſaltem mediatè, vt dicemus in 2. lib. attamẽ fieri non poteſt, vt aut immediatè, aut mediatè viribus naturæ rurſus informetur anima Petri: ratio hæc eſt; quia hæc priuatio vitæ Petri, quæ in materia Petri poſt mortem reperitur, non erat priuatio cuiuſcunque animæ, ſed ſolius animæ Petri. Nec quoad hoc datur diſcrimen inter priuatiuè oppoſita, & cõtrariè: quoniam in contrarijs, licèt detur mutuus regreſſus ſecundùm identitatem ſpecificã: nullo tamen modo dari poteſt ſecundùm identitatem numericam: hæc enim albedo corrupta per aduentum huius nigredinis, nullius naturalis agentis actione poteſt eadem numero redire.

Cur autem regreſſus ſecundùm identitatem numericam in oppoſitis tam priuatiuè, quàm contrariè, ſit naturaliter impoſſibilis: non facilè poterit explicari: veram tamen cauſam explicabimus in §. ſequenti. Nunc dicimus, impoſſibilitatẽ iſtam non præciſè ſumi ex ratione oppoſitionis: quia licet priuatiuè oppoſita (inter quæ datur regreſſus ſecundùm identitatem ſpecificam) non habeant inter ſe veram oppoſitionem; eam tamen habent contraria; & tamen redeunt ſecundùm vnitatem ſpecificam, vt ex dictis patet. 28. Dubiũ difficile.

Quare hæc ſecunda ratio ſumpta ex propoſitione Ariſtotelis non omninò cõuincit noſtram concluſionem, niſi illa cõfirmetur ex ijs, quæ in ſequenti §. dicemus. Illam tamen adduximus; quia ad illius probabilitatem ſatis ſuperque eſt authoritas Ariſtotelis. Ratio hæc non omninò conuincit.

§. 5.

Expenditur cauſa à priori noſtræ concluſionis.

Licet argumenta, quæ in confirmationem noſtræ concluſionis adduximus, eam à poſteriori non ineſficaciter confirment; operæ pretium erit diligentiùs expendere; an illa demõſtrari valeat per cauſam à priori. In qua difficultate plures inſudant. 29. Probatur à priori.

30. 1. ratio à priori expẽditur. Communior Theologorum, & Philoſophorum ſententia cauſam per ſe, & à priori huius impoſſibilitatis, ex eo ſumit; quod vnus numero effectus ex ſua natura vendicat ſibi, tum vnam numero cauſam ſecundam; tum vnam eiuſdem agentis numero actionem: ita vt nec ab alio agente ſecundo naturaliter produci valeat; nec alia numero actione. Huic Philoſophiæ huius opinionis authores adiũgunt, illam numero actionem, qua effectus corruptus primùm accepit eſſe, non poſſe naturaliter redire. Ex vtraque iſta opinione inferunt, nullo modo poſſe naturaliter fieri, vt ſemel corruptũ redeat idem numero: etenim cum in ſua vnitate numerica per ſe pendeat ab illa numero actione, à qua primùm accepit eſſe; ſi illa naturaliter redire non poteſt; vtique nec idem numero corruptum poterit naturaliter

liter redire. Hoc fundamento vtuntur *D.Thomas, Ægidius, Richardus cum cæteris ferè omnibus, quos §. 1. pro tertia ſententia citauimus; & cum illis etiam Toletus, & Conimbricenſes ibidem citati.*

Qui eam recipiunt.

31. 2. cauſa impoſsibilitatis. Alij hanc primam rationem non recipiunt, quia & in maiori, & in minori ſatis eſt dubia. Et ideò cauſam huius naturalis impoſsibilitatis ex eo ſumunt; quia Deus à quo cauſæ ſecundæ ad agendum determinantur, ſuum naturalem concurſum ſolùm determinauit ad nouos effectus, nõ verò ad aliquẽ effectũ, qui ſemel productus deſijt eſſe. Hunc dicendi modum plures approbaſſe (nullo tamen citato) refert Suarius in *Metaph. diſp. 6. ſect. 3. n. 7. fol. 146. col. 2. vbi aſſerit, eum ſibi diſplicuiſſe in 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 6. pag. 825. col. 2. C*: ſed re attentiùs conſiderata cenſet: illum eſſe valde probabilem propter rationes ibi adductas. Ad hunc modũ dicendi accedit Fonſeca *1. Metaph. cap. 5. q. 1. ſect. 2. litera C. §. Altera eſt.*

Suarius. *Fonſeca.*

32. Fundamentum huius opinionis. Fundamentũ huius modi dicendi authores illius inde ſumunt; quia putãt, omnes cauſas naturales non aliunde determinari ad producendũ hũc numero effectũ, & non illum, quàm ex diuina voluntate, quæ eas ad plures numero effectus hic, & nunc indifferentes, ad hunc potius, quàm ad illum determinat, quæ fuit plurimorũ opinio, quam ex ſchola Nominaliũ probauit *Gregorius in 1. diſt. 17. q. 4. artic. 7. ad 7, & diſtin. 35. q. 1. art. 1. & ex nonioribus probata fuit Conimbricenſibus 2. Phyſic. c. 7 q. 15. art. 2. concl. 2. & in 2. de Generatione cap. 11. q. 1. art. 3. pag. 492. §. Porrò, nos; & ante eos probauit Toletus 8. Phyſic. quæſt. 3. concl. 2. rat. 3. & Fonſec. in 1. Metaph. c. 2. q. 3. ſect. 8. & lib. 5. cap. 2. q. 9. ſect. 2. ratione 6. & noſtris his temporibus communiter placet, & re conſideratiùs expenſa, probabilis videtur Suario in locis ſupra citatis.* Cum igitur determinatio cuiuſque effectus quoad numericam ſingularitatem, non aliunde naturaliter pendeat, quàm ex diuina voluntate; vtique ſi illa pro ſua libertate ſtatuit, nullam cauſam determinare ad effectum, qui ſemel productus deſijt; vtiq; impoſsibilis omnino erit reditus eius, quod corruptum eſt, ſecundùm eandem numericam entitatem.

Gregor. *Conimbr.* *Toletus.* *Fonſeca.* *Suarius.*

33. 3. cauſa impoſsibilitatis. Tertia adhuc [illegible] ſententia, quæ cauſam per ſe huius naturalis impoſsibilitatis non aliunde ſumit, quàm ex determinatione naturalis ordinis, qui in naturalibus agentibus ſeruatur: licet enim ex ſe habeant virtutem quaſi generalem, & indifferentem ad plura indiuidua eiuſdem ſpeciei; tamen in ipſo vſu, & exercitio ſuæ virtutis, ipſa natura determinata eſt ad ſemper producendum indiuidua numero diſtincta. Suppoſita autem hac naturali determinatione, & naturali ordine in agendo; benè infertur id, quod ſemel corruptũ eſt, ſeruato naturali ordine naturæ, nõ poſſe redire idem numero. Hũc dicendi modum ſatis probauit Suarius in *d. diſp. 44. ſect. 6. pag. 823. col. 2. §. Hoc autem determinans*; nec omnino eum reijcit *in Metaph. in d. diſp. 6. ſect. 3. nu. 10. pagina 147. col. 2.* Cuius opinionis fundamentũ ex eodem Suario hoc eſſe poteſt; quia ipſamet natura videtur hanc determinationem, & ordinem ſibi poſtulare: non ſolùm ne in ſe inuoluat quandam perplexitatem, & confuſionem; ſed etiam, quia talis ordo maximè eſt conſentaneus naturis cauſarum naturalium: nam ob hanc rationem Deus, vt eſt author naturæ, in generationibus hominum ſemper creat nouas animas; nec quæ ſemel creata fuit in corpore, & ab eo ſeparata exiſtit, alteri corpori, aut vnita fuit, aut vnietur: qui ordo nõ ſolùm ſumitur ex Dei volũtate; ſed etiam fundatur in ipſis rerũ naturis.

Suarius. Fundamentum opinionis.

Si nullus horum modorum placet, ille placebit, vt admittamus, huius naturalis impoſsibilitatis dari quidẽ aliquã naturalẽ cauſã; illam tamẽ eſſe nobis occultã. Quę ſolutio ab omni liberabit difficultate.

¶In hac perobſcura, & difficili difficultate libẽter amplecterer hũc vltimũ dicẽdi modũ; quia cæteri omnes varijs ſunt expoſiti difficultatibꝰ ſed quia nõ decet Philoſophũ in difficultatibꝰ ſoluẽdis recurrere ad cauſas occultas; q̃d ſẽtiã, explicabo. 34. Propria ſententia.

Sit igitur prima propoſitio: *primus dicendi modus fundamentum habet ſatis dubiũ; dum cauſam naturalis impoſsibilitatis ſumit ex eo, quòd vnus numero effectus per ſe pendet ab vno numero agente, & ab vna numero actione.* Hæc propoſitio euidenter probatur; quia Philoſophia, quæ ſumitur ſatis eſt dubia; eam enim non poſſunt negare Philoſophi, qui volunt, vnum numero effectum non ſolùm per abſolutã Dei potentiam, ſed etiam naturaliter produci 35. 1. propoſitio contra primum modum dicendi.

poſſe à pluribus cauſis totalibus: aut coniunctim (vt cōmuniter tribuitur Nominalibus, *Ochamo, Gabrieli, & alijs, & ſatis tenet Adamus in 1. diſt. 1. q. 1. notab. 4.*) vel ſaltē diuiſim; quæ fuit ſententia *Scoti in 2. diſt. 20. q. 2. & in 3. diſt. 1. q. 2.* quam putat eſſe probabilem *Suarius in Metaphy. diſp. 26. ſect. 5. n. 25. cui libenter ſubſcribit Rubeus in 2. Phyſ. tract. 7. q. 3. in 2. opinione n. 32. pag. 412. col. 2:* ob quam rationem idē Suarius in Metaphy. diſp. 6. ſect. 3. n. 5. hunc primum dicendi modum non ſatis approbat: imò putat eſſe difficilem; vide illum in vtroque loco. Nec ſolùm dubius eſt, quia maiorem dubiam ſumit; ſed etiā, quia ſumit minorē, quæ difficillimè probabitur. Fateor tamen, modum illum eſſe probabiliſſimum, quia probabiliſſima eſt Philoſophia maioris, ſi ſermo ſit de cauſis naturalibus; etenim longè probabilior eſt ſententia, quæ affirmat, vnum numerò effectum per ſe habere naturalem depēdentiam, & ab vno numero agente, & ab vna numero eiuſdē agentis actione. Minor etiam fortè eſt veriſsima, quatenus ſumit, vnam numero actionem, quæ prǽterijt naturaliter redire non poſſe: de cuius veritate fortè inferiùs aliquid dicemus §. 6. in ſolutionibus argumentorū.

Ocham. Gabriel. Adamus. Scotus. Suarius.

36. 2. propoſit. contra ſecūdam ſententiam.

Secunda propoſitio: *Secundus modus dicendi, quatenus recurrit ad determinationem diuinæ voluntatis, quæ ſtatuit nullam cauſā ſecundam determinare ad producendum effectum, qui ſemel productus deſijt, non ſatis mihi videtur probabilis; ſed improbabilis potiùs & nullo nixus, vel apparenti fundamento.* Quod fuit iudicium *Suarij 2. tom. ad 3. p. diſput. 44. ſect. 6. pag. 823. C: & quamuis in Metaph. re (vt ille ait) diligentiùs conſiderata, putet eam eſſe valde probabilem, vt ſcribit diſp. 6. ſect. 3. num. 7. pag. 147. col. 1. poſt principium:* ego tamen, benè conſideratis ijs, quæ pro, & contra ibidem adducit, in priori eius iudicio perſiſto; & puto, modum illum dicendi nullo niti fundamento: nam quamuis cum eodem Suario putē probabiliſsimam eſſe ſententiam, quòd cauſæ ſecundæ per ſe primò ad hanc numero actionē, & ad hunc numero effectū à ſolo Deo determinantur: nō tamen puto eſſe probabile, quòd Deus pro ſua prę ciſè libertate decreuerit, nullam cauſam ſecundā determinare ad effectū, qui productus perijt: vnde enim conſtare poteſt, Deum hoc determinaſſe? nam quæ ſimpliciter ſunt libera, non poſſunt, niſi ex reuelatione nobis conſtare. Si verò dicas, liberam illā determinationem fundari in ipſa natura ſecūdarum cauſarum, quæ ex ſua natura habent in effectibus producēdis ſemper in rectum procedere (qui fuit tertius dicendi modus) debes concedere, vltimam rationē huius determinationis abſolutè nō eſſe ex præciſa diuina libertate; ſed fundari in ipſa natura rerum naturalium. Itaque cùm conſentaneum ſit rerū naturæ ſemper in rectum agere; & ideò ſemper producere nouum effectū, & à prioribus diſtinctum: & tamen ex ſe nō habere determinare ſe ad hunc potiùs numero effectū, quàm ad illum, & ideò à Deo liberè determinari: probabiliſsimū quidē erit, Deū pro ſua libertate cauſam ſecundā determinare ad hūc potiùs numero effectū, quàm ad illū: non tamen erit ꝓbabile, primā radicē determinationis ad nō cōcurrendū ad effectū ſemel productū, eſſe puram diuinæ voluntatis libertatē: vnde non eſt, quòd Suarius, propter probabilitatem prioris ſententię iudicet, hunc poſteriorem eſſe valde probabilē.

37. 3. propoſit. pro 3. opinione.

Sit tertia propoſitio: *Tertius dicendi modus mihi ſatis eſt probabiliſsimus*, quia ſatis eſt rationi conſentaneū, vt id, quod in rerum natura perpetuò ſeruatur, naturaliſsimū ſit ipſi naturæ. Quæ ratio à poſteriori mihi ſatis cōfirmat, cauſam à priori huius impoſsibilitatis naturalis ſumendā eſſe à naturali determinatione ipſius naturæ: maximè cùm videamus, Ariſtotelē & cæteros nobiliores Philoſophos in generationibus rerū nō admiſiſſe circulum ſecundū identitatē numericā; ſed progreſſum ſemper in rectū, vt patet ex *Ariſt. 2. de Gener. c. vlt. tex. 69. & 70.* vbi ſatis indicat, hoc ita fieri; quia ita fieri eſt propriū ipſi naturæ. Fateor hanc naturalem determinationē, vt cauſæ naturales in ijs, quæ generantur, & pereūt, perpetuò in rectū procedant, non poſſe à nobis à priori demonſtrari: ſed non proinde hanc Philoſophiam, aut vt improbabilē, aut vt nō ſatis probabilē reijcere debemus; cū à poſteriori ſatis efficaciter demōſtretur, naturā ex ſe habere hanc determinationē: quod enī natura perpetuò facit, ex ſe habet, quòd illud faciat. Nec multa vrgent, quæ à Suario in Metaph. loco citato in contrarium obijciun-

Ariſt.

Argumēta Suarij non cōuincunt.

obijciütur; vt dicamus hunc dicendi modum non ſatis eſſe fundatum: nam licet naturalis agendi vis ex ſe ſit ſimplex, & omnino eadem; id tamen non probat, naturalem illum agendi ordinẽ naturis rerum non eſſe conſentaneum: quin potiùs ipſam ſimplicem vim agendi ex eo, quòd ſemper eodem modo agit, efficaciter concludit, talem determinationẽ eſſe naturæ ipſi naturalem. Nec oportet ad ſtabiliendam hanc naturalem naturæ determinationem in agendo recurrere ad circunſtantias extrinſecas temporis, aut loci, quidquid Suarius oppoſitũ inſinuet: quoniam illa determinatio ex his circunſtantijs extrinſecis non dependet: ſicut etiam per ſe non dependet ab vnitate numerica, aut agentis, aut actionis: quia talis determinatio ad non producendũ, quod ſemel eſt productum, ſed ſemper aliud in rectum, pôteſt conſiſtere, ſiue idem numero effectus in ſua prima productione dependeat ab vno numero agente, & ab vna numero actione, ſiue non depẽdeat; ſed poſsit idẽ numero produci, & ab alio agente, & ab alia actione. Quare determinatio naturæ, vt in agendo ſemper in rectum progrediatur ad aliud, & aliud agendum, quod nũquam productum eſt, mihi eſt probabiliſsima: cum à poſteriori efficaciſsimè demonſtretur: quod enim natura perpetuò agit, ita agit, vt ex ſe determinata ſit ad ſic agendum, & non aliter; ita vt ex ſe habeat non poſſe aliter agere. Quare, ſi natura, nec mediante eodem numero agente; nec medijs agentibus numero diſtinctis, vnquam idem numero corruptum iterum reproduxit, à quocunque illud primò ſit productum; vtique à poſteriori demonſtratur, naturã in ſua naturali virtute non habere, vt poſſit reproducere, quod ſemel productum perijt. Porrò, ſi tota natura in ſua poteſtate non habet reproducere in eadẽ numerica entitate, quod ſemel ab aliquo productum deſijt; vtique nec illud valebit producere, quantunuis idem numero agens, & eadem numero actio, cum cæteris circunſtantijs ſimul ponantur.

38. 4. propoſit. Quarta propoſitio: *Præter rationem in tertia propoſitione poſitam, probari poteſt nõ poſſe naturaliter idem numero corruptum redire.* Hæc propoſitio euidenter hac ratione demonſtrari videtur: nullũ agens poteſt aliquem effectũ producere, niſi illũ in ſua actiua virtute virtualiter cõtineat: effectus enim, ideò à cauſa produci poteſt; quia in virtute illius continetur. Sed agens naturale in ſua virtute actiua naturaliter non continet effectum ſemel productum. Ergo nullum agens poteſt naturaliter producere illum numero effectũ, qui ſemel productus eſt, etiamſi perierit. Conſequentia eſt legitima: maior eſt per ſe nota: minor autem (in qua ſita eſt tota difficultas) ita oſtẽditur: ens, quod ex potentia ſuę cauſæ reductũ eſt ad actũ, exijt extra potentiã ſuæ cauſæ, vt omnes fatẽtur. Ergo iam non continetur in naturali virtute alicuius cauſæ: alioquin ſimul eſſet in potentia, & in actu, contra receptã Philoſophiam ex Ariſtotele 9. Metaphyſicæ, quæ omnia, & ſingula entia ita diuidit per potentiam, & actum (ſiue potiùs per eſſe in virtute cauſæ, & extra virtutẽ illius) vt vni, & eidem enti ſimul nequeãt conuenire. Porrò ſi ens ſemel extra cauſam exiſtens, iam non eſt in potentia cauſæ; neceſſariò infertur, eandem cauſam naturaliter non poſſe illud producere; cũ in ſua actiuitate virtualiter iam non contineatur.

Vera impoſsibilitatis demonſtratio.

39. Solutio Scoti. Huic argumento occurrit Scotus *in 4. diſt. 43. q. 3. litera A.* & docet, poſt corruptionem formæ redire eandẽ numero potentiam naturalem, quam antea habebat materia ad hãc numero formam: ex quo infertur ex mente Scoti, eundem effectum, poſt ſui corruptionem, iterum redire ad naturalem potentiam cauſæ. Sed profectò hæc ſolutio non videtur admittenda: quoniam corruptio ex ſua ratione potiùs priuat ipſum corruptũ poſsibilitate eſſendi, quàm iterũ illam ei cõcedat: etenim ita priuat ipſum actualitate eſſendi, vt illud vertat in nihil; ſi non quoad totum, ſaltem quoad formam: hæc enim redigitur in nihil. Iam verò, licet nihilitas entis per corruptionem adueniens non tollat poſsibilitatem obedientialem illius in ordine ad potentiam Dei; ſimpliciter tamen tollit poſsibilitatem naturalem in ordine ad cauſas naturales: in hoc enim diſtinguitur non eſſe entis, quod nunquã fuit, à non eſſe eius, quod fuit, ſed deſijt: quia primum illud non eſſe ſimpliciter non eſt nihil; quia non habet, niſi ſimplicẽ negationẽ actus eſſendi, & ideò ſimpliciter

Non placet.

eſt ens in potentia, etiã naturali: at verò
illud poſterius non eſſe ſimpliciter eſt ni
hil, quia veram habet priuationem actua
litatis eſſendi: ens autem, quod habet ve-
ram priuationẽ actus eſſendi naturaliter
non poteſt habere rationem entis, ſed ſo-
lùm obedientialem: aliàs nullum eſſet diſ
crimen inter non ens priuatiuum, & pu-
rẽ negatiuũ, quod Philoſophus non ad-
mittet. Porrò ſi aliquod diſcrimen debet
conſtitui inter vnũ, & alterũ non ens, nõ
erit aliud, niſi quia non ens per ſolam ne-
gationẽ actus eſſendi admittit poſsibili-
tatem ad eſſendum, & naturalem, & obe-
dientialem: non ens autem per priuatio-
nem actus eſſendi tollit poſsibilitatem na
turalem, & ſolam relinquit obedientialẽ.

40. Ex quo neceſſariò infertur id, quod
Illatio. ſemel eſt productũ, ita exijſſe extra po-
tentiam agentis naturalis, vt in illa am-
pliùs contineri non poſsit; cum verè ſit
nihil nihilitate priuatiua, quæ illud ita po
ſuit extra actiuitatem naturalis agentis,
vt illud priuauerit omni virtuali poſsi-
bilitate in ordine ad agẽs naturale. Quod
ſi verum eſt, veriſsimum etiam erit, talem
corruptionem feciſſe, vt tale ens ſimpli-
citer iam non ſit in potentia naturali ma-
teriæ, ſed ſolùm in potentia obedientiali:
quidquid ſine fundamento oppoſitũ do-
Non recipi- cuerit Scotus loco citato: vbi etiam affir-
tur à Scoto mat, eandem numero formam poſt cor-
nec à Sua- ruptionem iterum redire ad potentiã na-
rio. turalem ſuæ cauſæ, ex qua exiuit. Cuius
ſententiam, eo non citato, probat Suarius
in *Metaph. diſp. 6. ſect. 3. n. 9*: affirmãs, ex-
plicatam Philoſophiam, & in ſe eſſe in-
intelligibilem, & ſine probatione aſſertã.
Defenditur Sed profectò fundamentum à nobis ex-
datum fun- plicatum ſatis confirmat, eam ſine pro-
damentũ. batione non ſumi: nec dixerim inintelli-
gibilem Philoſophiam, quam doctiſsimi
probant Philoſophi: inter quos eſt do-
ctiſsimus Fonſ. 8. *Met. c. 5. q. 1. ſec. 3. ad 4.*

Fonſeca.

41. At obijcit: cauſa cum operatur, non
Obiectio- operatur per aliquam ſui deminutionẽ.
nes in con- Ergo quando actu cauſat, tam manet in-
trarium. tegra in ſua efficacia, ac ſi nihil produ-
xiſſet. Ergo non manet impotens ad eã-
dem productionem iterum faciendam.
Id confirmat: quia effectu producto, po-
teſt ſucceſsiuè agere in infinitum. Ergo
poterit reproducere eundem effectum,
quem ſemel produxit: etenim & cauſa
manet integra, vt antea erat, & nulla da-
tur repugnantia ex parte effectus. Poſſet
id ipſum confirmari: quia in illa corrup-
tione ſit tranſitus in materia de habitu ad
priuationem. Ergo materia adhuc eſt ap-
ta ad eandem formam. Antecedẽs patet:
quoniam ſicut in generatione ſit tranſi-
tus de priuatione ad formam; ita in cor-
ruptione de forma ad priuationem: ete-
nim priuatio eſt terminus corruptionis;
ſicut forma generationis. Hæc tamen nõ
tanti ſunt, vt explicatam Philoſophiam Solutio pri-
faciant, aut inintelligibilem, aut impro- mæ obiec-
babilem. Ad argumentum admittimus, tionis.
cauſam, cùm cauſat, realiter non immu-
tari: negamus tamen eam non amittere
aliquid de potentialitate actiua, quam ha-
bebat, antequam cauſaret: & id nobiſcum
negat Fonſeca: etenim antea habebat acti
uitatem naturalem ad producendum ef-
fectum, quẽ produxit: at poſtquam cau-
ſauit, eam non habet. Vnde ſine proba-
tione ſumit vir doctiſsimus id, quod ne-
gant patroni illius Philoſophiæ. Nec ſine
fundamento id negant: quoniam, teſte
Suario, cauſa illa, cum actu cauſat, non ha
bet potentiam naturalem ad effectũ cau-
ſatum, quandiù ille in eſſe permanet: quã
tamen habebat, antequam cauſaret. Ergo
cauſando aliquam in ſua actiuitate dimi-
nutionem paſſa eſt. ¶ At reſpondet Sua-
rius, illam cauſam non ideò non poſſe 42.
cauſare eundem effectum, quandiù ille Inſtantia ex
in eſſe permanet, quia ex parte effectus Suario.
implicat id, quod permanet in eſſe iterũ
produci: quę tamen repugnantia non da-
tur in ipſomet numero effectu, poſtquã
per corruptionem deſijt. Sed hæc reſpõ- Non recipi-
ſio admitti non debet: quoniã eadem re- tur.
pugnantia, quę cernitur ex parte effect⁹,
ne, quandiù eſt, iterum fiat; cernitur in
eo, poſtquam deſijt eſſe: quoniã id, quod
eſt, quandiu eſt, abſolutè non repugnat
iterum fieri; quia diuina potentia denuô
poteſt fieri, vt ſupponimus; ſed ſolùm
repugnat in ordine ad potentiam natura-
lem. Iamverò ſimilis repugnãtia cernitur
in eo, qui poſtquam fuit, eſſe deſijt, vt cõ
munis habet ſententia ab eodem Sua-
rio probata. Vnde hoc ſumere eſt petere
principiũ. ¶ Secũda obiectio ſatis eſt in- Ad 2. obie-
firma: quia in illa cauſa, cum actu cauſat, ctionem.
manet integra actiuitas ad infinitos effe-
ct⁹ ſucceſsiuê; ꝓgreſſu tñ ſẽper in rectũ,

vt ait Ariſt. non tamen manet integra ad effectum, qui extra illius potentiam ſemel exiuit: vnde non valet conſequentia. Cuius probatio nihil officit; quia datur repugnantia ex parte obiecti in ipſo corrupto, vt diximus. ¶ Ad tertiam obiectionem Fonſeca negat, per corruptionem fieri tranſitum ab habitu ad priuationem formæ, quæ deſijt: ſed ſolùm ad priuationem eiuſdem formæ ſecundùm ſpeciem: & in hoc ſenſu admittit Philoſophiam, quæ docet in generatione, priuationem eſſe terminum à quo; in corruptione verò eſſe terminum ad quem: nam quanuis in generatione detur tranſitus à priuatione ad hãc numero formã: in corruptione tamen non datur ab hac numero forma ad hãc numero priuationem eiuſdem formæ. Niſi dicas, in corruptione dari tranſitum ab hac numero forma ad priuationem eiuſdem; non quidem fundatam in hac numero aptitudine naturali, quæ redeat ad eandem numero materiam; ſed in ſola aptitudine obedientiali. Et hæc ſatis ſint dicta pro difficultatis reſolutione.

Ad 3.

§. 6.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta contra datam reſolutionem.

43. Primum argumentum in contrarium.

Contra datam reſolutionem nonnulla fiunt argumenta, quæ oportet diſſoluere. Primũ ſumitur ex authoritate Ariſtotelis: nam 8. Metaph. c. 4. tex. 11. ſi materia eſt eadem, & agens idem, effectus eſt idem. Prætereà in 2. de Generat. c. 10. tex. 56. & lib. 8. Phyſic. c. 6. text. 53. idem eodem modo ſe habens ſemper aptum eſt facere idem. Sed poſt rei corruptionem, manet eadem materia; & poteſt perſeruare idem numero agẽs; poteſt etiam naturaliter accidere, vt idem ipſum agens erga eandem materiam eodem modo ſe habeat, quo habuit ſe ad eã, quando illum numero effectum produxit. Ergo ſi vera eſt Ariſtotelis doctrina, poteſt fieri, vt idem numero effectus iam corruptus naturaliter reproducatur.

Solutio.

¶ Ad hoc argumentum dicimus, Ariſtotelẽ in 8. Metaph. in loco citato non agere de materia prima, ſed de ſecunda, vt benẽ aduertit Fonſeca in commentario ad illa verba pag. 566. col. 1. poſt medium, §. *Occurendum eſt tamen*: & patet euidenter; quia ſupponit Ariſtoteles in aliquibus non dari eandem ſpecie materiam, ſed diuerſam; vt reperitur in arca, & ſerra: in arca enim materia eſt lignea; in ſerra verò eſt ferrea. Vnde non agit de materia prima (quia in his inferioribus hæc ſemper eſt eiuſdem ſpeciei) ſed de materia ſecunda: imò de hac non agit ſecundũ identitatem numericam, ſed ſpecificam. Quare ex loco illo Ariſtotelis nullum ſumi poteſt argumentum contra datam reſolutionem, in qua agimus, tum de materia prima, tum de vnitate numerica. Accedit etiam; quoniam Ariſtoteles in eo loco nunquã dixit id, quod proponitur: ſed ſolùm dixit, ſi materia eſt vna, effecta poſſe eſſe plura, ſi agentia ſint diuerſa: ex quo nullum poteſt contra nos argumentum ſumi. Quòd attinet ad ſecundã Ariſtotelis propoſitionem, dicimus, Ariſtotelem in illis locis non fuiſſe loquutum de eodem numero, ſed de eodem ſpecie; vt bene aduertit *Fonſeca in d. lib. 8. Meta. c. 5. q. 1. ſect. 3. ad 3. argumentum.* Fonſeca.

Secundum argumentum: ponamus, quòd ignis A. non producat ignem B. in inſtanti C. in quo illum poterat producere. Iam ſic; ignis A. poterit producere eundem numero ignem B. in inſtanti D. Ergo ſi eundem ignem produceret in inſtanti C. adhuc poterit illum producere in inſtanti D. quantumuis in tempore intermedio corrumpatur. Ergo idem numero corruptum poterit redire actione eiuſdem naturalis agentis. Hæc vltima conſequentia eſt nota: prima verò ex eo probatur; quia ſuppoſito antecedẽte; cur non poterit eundem numero ignem, quẽ produxit in inſtanti C. iterum producere in inſtanti D. ſi corrumpatur? 44. 2. argum.

¶ Ad hoc argumentũ primò negari poteſt antecedens: & negandum eſt ab illis, qui putant, vnum numero effectum eſſentialiter pendere ab vna numero actione; & vnam numero actionem per ſe pendere ab hoc numero tempore, cæteriſque circunſtãtijs, quæ nec dantur, nec naturaliter dari poſſunt, niſi in illo numero inſtãti C. in quo ignis A. nõ produxit ignẽ B. q[illegible]m tamen potuit producere. Cũ verò illa [illegible]umero actio, qua ignis B. in inſtanti C. potuit produci, non poſſit naturaliter dari in in[illegible]anti D. negandum eſt, ignem A. poſſe p[illegible]ducere ignem B. in inſtanti D. quem p[illegible]it producere in inſtanti C. 45. Solutio.

& non produxit. Quare antecedens huius argumenti ſatis eſt dubium. ¶ Sed illo admiſſo (nam fortè illud admittent, qui volunt, vnum numero effectũ produci poſſe actionibus numero diſtinctis) neganda eſt cõſequentia: & ratio eſt; quia idem numero corruptum iterum reproduci, eſt contra naturalem ordinem cauſarum naturalium, vt diximus §. 5. propoſitione 3: cum tamen contra eundem naturalem ordinem non ſit, eandem cauſam poſſe producere in alio inſtanti effectum, quem in priori producere potuit, & non produxit. Cum igitur diuerſa ſit ratio in vno, & altero caſu; ab vno ad alterum non valet conſequentia.

46. 3. argum. Tertiò arguitur; Radius productus à Sole in hoc inſtanti A. & ab eodem conſeruatus per horam, eſt idem numero in fine horæ. Sed illius identitas, quæ eſt in primo inſtanti horæ, & in vltimo. per ſe non pendet ab hoc, quòd exiſtat in medio tempore. Ergo radius ille potuit exiſtere in primo inſtanti horæ, & in vltimo; quamuis in tempore medio corrumpatur. Solutio. ¶ Ad hoc argumentum admiſſa maiore, neganda eſt minor: quoniam ſi radius ille in medio horæ corrumpatur, iam indiget noua alia actione, vt fiat: vnde idem numero redire non poteſt.

47. 4. argum. Quartò quidam ita arguunt: corruptũ idem numero redire abſolutè non eſt impoſſibile: alioquin non poſſet diuina potentia iterum redire; quod eſt falſum. Ergo corruptum idem numerò redire ſimpliciter eſt poſſibile. Eſt igitur adhuc in potentia actiua eorum, in qua antea fuit. Sed antea fuit in potentia actiua cauſarum naturalium. Ergo poſt corruptionem adhuc erit in naturali potentia earũ: Solutio. & per conſequens adhuc poteſt idem numero naturaliter redire. ¶ Ad argumentum dicimus corruptum idem numero redire, ſimpliciter, & abſolutè non eſſe impoſſibile; eſſe tamen impoſſibile per potentiam naturalem, qua facta diſtinctione, argumentum corruit: nam ſi antecedens in primo ſenſu intelligatur, vt ſimpliciter in ordine ad quamcunque potentiam non ſit impoſſibile: conſequentia eſt inutilis: etenim ex hoc, quòd aliquid non eſt impoſſibile; quia tale non eſt in ordine ad potentiam Dei abſolutã; non benè infertur, illud eſſe poſſibile in ordine ad quamcunque potentiam; quia poteſt eſſe poſſibile in ordine ad potentiam Dei; impoſſibile verò in ordine ad potentiam creatam.

Quintò; ſi vna aqua in plures partes diuidatur; corrumpitur illa numero aqua 48. 5. argum. quæ erat, antequam diuideretur. At ſi iterum coniungantur, & vniantur illæ partes, redit eadem numero aqua: ſed ſicut prima illa aqua naturaliter diuidi potuit; ita naturaliter poſſunt coniungi eædem partes, quæ diuiſæ fuerunt. Ergo idẽ numero corruptum viribus naturæ redire poteſt.

Confirmatur: quoniam naſus abſciſus 49. 1. confirm amiſit eandem numero formam ſubſtãtialem, & verè ſubſtantialiter corruptus eſt. Et tamen naturaliter idem numero naſus redit cũ arte Medicinæ eidem carni iterum coniungitur. Ergo idẽ numero corruptum poteſt naturaliter redire.

Cõfirmatur ſecundò; quoniam res ar- 50. 2. confirm. tificioſæ, poſtquã diſſolutæ ſunt, aut diſſipatæ, per cauſas naturales iterum reſtaurantur; vt domus, veſtis, exercitus, & alia ſimilia. Ergo & cætera. ¶ Ad hoc argu- Communis ſolutio. mentum communiter reſpondetur, noſtram reſolutionem eſſe intelligendam de corrupto, quod propriè, & ſimpliciter corruptum eſt; vt quia per corruptionẽ forma ſeparata eſt à tota materia: hoc enĩ corruptum non poteſt actione agentis naturalis idem numerò redire: ſecus dicendum eſt de corrupto, quod impropriè corrumpi dicitur; quod tunc contingit, cùm, vel ideò corrũpitur, quòd eius partes ſeparantur, abſque hoc, quòd forma à tota materia expellatur; quomodò & aqua corrumpi dicitur, cum diuiditur in partes, & naſus cum à toto ſeparatur. Igitur, quod attinet ad aquam in partes diuiſam, communis opinio admittit eandem numero aquam corruptam naturaliter redire, cum partes diuiſæ iterũ vniũtur. Quæ fuit ſententia Marſilij *in 2. de Generat. q. 18. ad 4.* quam ferè omnes ſequuntur, & eandem ſequuti ſumus in 2. *de Generat. tract. 3. q. 3. ad 4*: & eandem ſequuntur Conimbricenſes *in eodem libro cap. 11. q. 1. art. 4. ad 2. & Fonſeca libr. 8. Metaph. cap. 5. q. 1. ſect. 2. poſt principium.* *Marſilius. Conimbr. Fonſeca.* ¶ Sed quamuis hæc ſententia nonnullis videatur certiſsima; plures tamen de ea 51. Dubia eſt ſolutio. dubitauerunt; & nos aliquando dubitauimus,

uimus,& modo iterum dubitamus: quoniam licèt eadem numero natura totius aquæ nunquam deſierit, quoad totalitatẽ ſubſtantialem, & Phyſicam; ſed ſolùm quoad totalitatem integralem, & quantitatiuam: tamen verè deſijt, quoad ſuppoſitum, quo ante diuiſionem ſuppoſitabatur: nam facta diuiſione, duæ partes factæ ſunt duo ſuppoſita, vt communis docet Philoſophia: in vnione autẽ quælibet illarum amittit ſuum proprium ſuppoſitum, & ſubſiſtit per ſuppoſitum totius aquæ. Vtrùm vero per illam nouam vnionem redeat illud ipſum numero ſuppoſitum, quo eademmet aqua ante diuiſionem ſuppoſitabatur? nõ eſt omnimodè certũ:nec video,quomodo dici poſſit, eſſe luce merediana clarius, quod idẽ numero ſuppoſitum redeat:quin potiùs puto ſeruatis principijs Philoſophiæ,nõ redire idem numero,ſed aliud: nam licèt,facta partium vnione, eadem numero ſit natura ſubſtantialis aquæ (hæc enim nõ deſijt,quoad ſubſtantialem totalitatẽ, ſed quoad ſolam integralem,&quantitatiuã) non proinde infertur redire idem numero ſuppoſitum: nam ſi Verbum dimitteret naturam humanam, quam aſſumpſit (quod factu eſt poſsibile, quamuis nunquam fiet) eadẽ numero humana natura, quæ fuitin Chriſto, eſſet in proprio ſuppoſito. Porrò ſi ſemel admittatur redirẽ aliud numero ſuppoſitum, iam non eſſet eadem numero aqua: ſicut nec eſſet idem numero homo, ſi Chriſtus naturam humanam dimitteret, vt ſupponimus. Ob hanc rationem ego dubito de veritate cõmunis ſolutionis: imò non admitto fieri poſſe actione naturalis agentis, vt aqua ſuppoſitaliter corrupta, eadem numero redeat, facta reunione partium. Poterit quidem naturaliter fieri, vt eadem numero natura aquæ ſuppoſitaliter corrupta redeat ſub alio ſuppoſito: non tamen vt redeat ſub eodem.

52. Vtrum naſus abſciſus & reunitus ſit idem numero.

Quod attinet ad naſum abſciſum libẽter admitto redire eundem numero naſum in homine, & in animalibus perfectis, ſuppoſita opinione Diui Thomæ, quòd illorum anima eſt indiuiſibilis: id enim admittunt Conimbricenſes,& Fonſeca: nam cum eadem numero materia poſſit eandem numero formam naturaliter recuperare (quia forma, quæ manſit in toto, poteſt naturaliter ſe extẽdere ad eandem materiam ſufficienter diſpoſitã) non video, cur non redeat idem numero naſus: nam impoſsibilitas naturalis ad reproducendum idem numero corruptum per ſe fundatur, vel in deſitione formæ, vel in eo, quòd forma ſeparata non educitur de potentia materiæ. In noſtro autem caſu forma non deſijt: vnde ſicut naturaliter poteſt ſe extẽdere ad materiam nouam illi applicatam (vt fit in nutritione) ita etiam ſe naturaliter extendet ad eandem numero materiam, ſi cum debita diſpoſitione illi iterum vniatur. Si verò loquamur de partibus abſciſis ab animalibus imperfectis, in quibus anima eſt diuiſibilis; diſtinguendum eſt: quoniam vel anima adhuc permanet in illis partibus diuiſis, quando reuniuntur; aut non permanet. Si permanet; non video, cur per actionem agentis naturalis nõ redeat eadem numero pars: etenim cum illa, & quoad materiam, & quoad animam ſit numero vna; non eſt, cur cum toto non poſsit naturaliter iterum cõtinuari. Porrò ſi anima in parte abſciſa iam deſijt; poterit quidem cum toto continuari; nõ tamen cum eadem numero animæ parte, ſed cum alia; vt aduerterunt Conimbricenſes cum Fonſeca. Et ita patet ſolutio primæ confirmationis. Solutio ad 1. cõfirmat.

53. Ad 2. cõfir.

Ad ſecundam, quæ agit de artefactis, quæ ſemel corrupta fuerunt; reſpondet Fonſeca,& admittit illa naturaliter redire eadem numero. Sed ego non video, cur id ſit neceſſarium: nihil enim cogit, vt dicamus per nouam materialium partiũ compoſitionem,ordinationemque nouas formas,nouoſque quantitatis modos iterum redire, eiuſdem tamen rationis.

54. 6. Argum. principale.

Sexto nonnulli ita arguũt: eadem numero priuatio, quæ inerat in materia ad hanc numero formam,antequam produceretur, redit poſt illius corruptionem: ſed propter illã priuationem materia erat in potentia naturali ad eandem numero formã,& ob id naturaliter eam potuit recipere. Ergo poſt corruptionem illius ad hanc illa materia manebit in potentia naturali ad eandem. Cur igitur nõ poterit naturaliter eam recipere? Minor eſt nota: maior ita oſtenditur: quia ad identitatem numericam priuationis ſufficit identitas ſubiecti, & formę priuatæ: ſed facta

corruptione, manet eadem numero materia, & eadem numero forma, quæ corrupta fuit. Ergo manebit eadem numero priuatio, quæ antea inerat.

55. 1. Solutio ex Sõcinate & Soto.

Pro ſolutione huius argumenti aduertendum eſt controuerſum eſſe inter auctores; vtrũ in materia poſt formæ corruptionem redeat eadem numero priuatio illius formæ, quæ inerat in ea, antequam per talem formam informaretur? nonnulli affirmant: quoniam ad identitatem numericam priuationis ſufficit idẽtitas ſubiecti, & formæ priuatæ: ita Soncinas *in 5. Metaphyſ. q. 18. ad 2. & Sotus in 1. Phyſicor. q. vltima ad finem*; negant tamen redire eandem potentiam in materia ad talem formam, quæ antea in ea inerat: ſiquidem antea inerat potentia naturalis ad eam; facta verò corruptione, ſolùm ineſt obedientialis. Rationem diſcriminis aſsignat Soncinas; quoniam ad hoc vt potentia materiæ ad hanc formam ſit eadem numero, non ſatis eſt identitas extremorum, ſed præterea requiritur identitas actionis, qua forma apta eſt in materia produci: nam cum potentia naturalis materiæ non ſit aliud, quam reſpectus quidam aptitudinalis ad habendum hanc formam actione naturalis agẽtis; fit, vt ad identitatem naturalis potentiæ opus ſit identitas horum omnium: iam verò poſt corruptionẽ formę nõ eſt in materia reſpectus aptitudinalis ad actionẽ præteritam; qua ſola materia poterat hac numero informa formari. Porrò ad identitatẽ priuationis ſufficit identitas ſubiecti, & formæ priuatæ. Hæc Soncinas.

Soncin. *Sotus.*

2. Solut. ex Ferrarienſi.

¶ Ferrarienſis tamen *in 4. contra gentes cap. 81. fol. 506. & in ſecundo cap. 60. fol. 154. colum. 3.* docet, materialiter quidem redire eandẽ numero priuationem propter materialẽ vnitatem ſubiecti, & formæ, quæ manet: formaliter tamen non redire: quoniam priuatio, quæ pręfuit in materia, antequã illa numero forma actuaretur, erat negatio illius formę, prout eſt naturaliter educibilis de potentia materiæ: iam verò priuatio, quę redit, eſt negatio eiuſdem formæ, prout eſt educibilis à potentia eiuſdem materiæ per actionem ſolius agentis ſupernaturalis. Inde eſt, vt prior negatio conſequeretur potentiam materiæ naturalem ad hanc numero formam: hæc verò poſterior conſequatur potentiam obedientialem duntaxat. Cum igitur vtraque hęc negatio ſub alia, & alia ratione negat eandem numero formam: ſit, vt priuatio, quæ redit, non ſit formaliter eadem cum priori.

56. Prop[illegible]a ſolut[illegible]

Ego dicerem, & formaliter, & materialiter eſſe aliam numero priuationem: quoniam ad identitatem negationis non ſufficit identitas ſubiecti, & formæ; ſed etiam requiritur identitas continuitatis, & durationis. Quare etiam ſi conſideremus, corrupta forma, adhuc materiam habere potentiam naturalem ad eandem numero formam (quod non concedimus) adhuc deberemus cõcedere corrupta forma, non eandem redire priuationem, ſed aliam numero diſtinctam. Verùm cum materia poſt formæ corruptionem iam non ſit in potentia naturali ad illam numero formam, ſimpliciter concedendum eſt, redire aliam numero negationem, priuationemque, non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter. ¶ Quare ad argumẽtum neganda eſt maior. Ad probationẽ maior etiam eſt neganda; cum etiam requiratur identitas continuitatis in materia, ac ſi eſſet vera forma: Vnde ſicut forma interrupta non eſt eadem, ſed alia, & alia: ita priuatio corrupta nõn eſt eadem, ſed numerò diuerſa.

Ad argum. in forma.

57. 7. Argum.

Septimo quidã ita argumentantur: eadem forma, quæ diſpoſita fuit ad formã Socratis poterit iterum naturaliter diſponi ad formam humanam, vt patet. Ergo ſi Deus eandem numero animam Socratis tunc introducat, redibit idem numero Socrates: idque actione agentis naturalis: nam homo non dicitur generare hominem, niſi quia diſponit materiam ad introductionem animæ humanæ, quam Deus voluntariè introducit. Ergo ſicut homo ille, qui diſpoſuit materiam Socratis corrupti, diceretur generare Petrum cuius animam de nouo Deus creauit, & infudit: profecto, ſi voluntariè in illa materia ad animam diſpoſita Deus animam Socratis mortui infunderet; naturaliter ille homo diceretur generare eundem numero Socratem, qui periit. Quare non ſolùm in rebus alijs, ſed etiam in homine poteſt idem corruptũ naturaliter redire.

Solutio.

¶ Ad hoc argumentum, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: quoniã Deus in illo caſu non induceret eandem

nu-

numero animam ſecundùm curſum commune naturæ; ſed ſupernaturaliter; quare diſponens materiam non diceretur naturaliter hominem illũ generaſſe, quia talis generatio nõ eſſet ſimpliciter naturalis, ſed ſupernaturalis: Deus enim, nõ vt Author naturæ ſimpliciter introduceret animam Socratis mortui, ſed ſuper naturam.

58. 8. Argum. Octauò ita nõnulli arguunt: quanuis nunquam accidat, vt omnes cauſæ, quæ ad eundem numero effectum concurrũt, re vera ſint in eadem diſpoſitione; tamen id non videtur repugnare: nam hoc vniuerſum, tàm apto ordine diſpoſitum eſt, vt poſsit perpetuò durare; & eodem modo, quo nunc, procedere. Prçterea in eadem cauſa eadẽ reperitur potentia ad omnia ſua effecta, poſtquam ſemel fuit cauſa illorũ, quæ antea in ipſa cauſa fuerũt: tũ; quia, cum cauſat, ſicut nullum eſſe amittit; ita nulla naturali potentia, ſeu facultate priuatur. tùm etiam: quia ſicut materia in generatione tranſit à priuatione ad habitum, ſeu formam: ita in corruptione reuertitur ab habitu ad priuationem: idem enim eſt terminus ad quem in corruptione, qui eſt terminus à quo in generatione. At priuatio formæ amiſſæ non poteſt eſſe in materia ſine potentia ad illam, cum priuatio ſit negatio in ſubiecto apto nato, vt forma inſit. ¶ Ad hoc argumentum Fõſeca vbi ſupra ad 4. admittit, quòd optimè fieri poſſet, vt mundus in hoc ordine in æternum duraret: ſi verò in æternum duraret; verè complendus eſſet annus maximus, cuius cum nonnullis Philoſophis §. 2. fecimus mentionem: negat tamen, poſita mundi iſtius duratione, eadem numero effecta fore reditura; quia ſolùm redirent eadẽ in ſpeciè. Quare negandum eſt, quòd in eadem cauſa eadẽ tunc eſſet potentia ad omnia illius effecta, quæ antea fuerunt, ſi de potentia naturali ſermo ſit, vt patet ex dictis ſupra §. quinto ad finem, vbi oſtendimus primam probationem ſumere id, quod eſt falſum; quia licèt cauſa, cùm cauſat nullum reale eſſe amittat; amittit tamen potentiam naturalem, quam antea habebat. Oſtendimus etiã, quomodo in corruptione fiat tranſitus à forma ad priuationem eiuſdẽ formæ: vel enim id eſt ſimpliciter negandum cum Fonſeca; vel ſolùm eſt concedendum de priuatione fundata in aptitudine materiæ; non quidem naturali (quia hæc eſt de perdita) ſed obedientiali, quę nunquam fuit amiſſa.

Solutio ex Fonſeca.

59. Vltim. arg. Poſtremò quidam ita obijciunt: Angeli poſſunt diſponere materiã hominis vita functi eiſdẽ diſpoſitonibus, quibus diſponenda eſt in generali reſurrectione, vt eadem numero anima iterum informetur, & idem facere potuerunt in corpore Lazari mortui, vt denuo eadẽ numero informaretur anima. Ergo mortui naturali Angelorum facultate poſſunt ad vitam reuocari. ¶ Hoc argumentum latè diſſoluit Fonſeca *in dicto lib.* 8. *Metaphyſ. cap.* 5: *quæſt.* I. *ſectione* 3. *ad vltimum argumentũ pag.* 576. *colum.* I. *&* 2. & cum communi ſententia reſoluit, nec Angelos poſſe ſuis viribus animal mortuũ idem numero reproducere. Admittit, eos naturaliter poſſe diſponere materiam illam, quæ fuit in corrupto, ad recipiendam aliam animã: & per conſequens admittit, eos naturaliter poſſe producere aliqua animalia abſq; vllo animali generante: nõ admittit tamẽ eos poſſe illa diſpoſitione reproducere idẽ numero animal, quod corruptum fuit. Et ego in eadem ſum ſententia. Ad argumẽtum verò primo loco dicerem, non eſſe admittendum, Angelos in die iudicij ſuis præciſè viribus, ſine ſpeciali Dei concurſu diſpoſituros eſſe materiam omniũ reſurgentium, de quo inferiùs dicemus. Dicerem deinde, admiſſo antecedente, non benè inferri, Angelos naturaliter poſſe homines mortuos reproducere: quia materia illa, & illæ diſpoſitiones ex ſua natura non neceſsitant ad reditum eiuſdẽ numero animæ: cum enim materia iam nõ habeat naturalem capacitatem ad eaſdem numero animas, quas habuit in vita; non neceſsitabit Deũ, vt ipſe tanquã Author naturę eaſdem numero animas infundat, coniungatque materiæ; ſed id faciet ſupra naturæ curſum. At de hoc iterum fortè redibit ſermo.

Solutio ex Fonſeca.

ARTICVLVS II.

Vtrum idem numero corruptum diuina potentia poſsit redire?

IN primo articulo oſtendimus idem numero corruptum actione alicuius agẽtis natural. redire nõ poſſe: cõſequenter

ter explicandum eſt; an diuina virtute poſsit redire?

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

1. Duplex genus entium

DE hac difficultate variæ ſũt Theologorum ſententiæ; quas referemus, ſi tamen præmittamus duplex genus entium diſtingui: vnum permanentium, alterum ſucceſsiuorum.

1. Opinio. Prima igitur opinio docet, nihil eorum, quæ vel quoad totum, vel quoad aliquam ſui partem eſſe deſinunt, & in nihilum veluti conuertuntur, poſſe idem numero redire, etiam per diuinam potentiam: ſiue illa entia ex ſua natura ſint permanentia; ſiue ſucceſsiua: poſſe tamen illud ens diuina potentia redire idem numero, cuius nulla pars ſubſtantialis, ſubſtãtialiter eſſe deſinit. Cum verò ſolus homo ita corrũpatur, vt & materia eius eadẽ numero permaneat; & anima rationalis, quia eſt immortalis; idẽ (vt volunt) inter entia naturalia ſolus homo, ſi corrumpatur, poteſt diuina potentia cum eadem numerica vnitate redire. Cætera verò omnia per nullã potentiã eadẽ numero redire poſſũt: quia ſucceſsiua (vt tempus & motus) cum tranſeunt, deſinunt eſſe ſecundum ſe tota: permanentia verò (vno homine excepto) ita corrumpuntur, vt formæ eorũ ſimpliciter deſinant. Addunt deinde, nec hominem, nec Angelum, ſi vterque diuina potentia in nihilum redigeretur, poſſe per eandem potentiam iterum reproduci. Hæc fuit opinio Durandi *in 4. diſt. 43.*

Durandus *quæſt. 3. quam etiam videtur probare Marſi-*

Marſilius. *lius in 2. de Generatione q. 18. eandẽ expreſ-*

Abulenſis. *ſè defendit Abulenſis Matthæi capit. 22. q. 238. fol. 95. colum. 4. §. Dicendum, quòd illi cadaueri.* Et ad eam ſatis videtur accedere Diuus Thomas *in 4. diſt. 44. artic. 2. ad 3.* vbi docet, hominem non fore reſurrecturum cũ eadem numero anima ſenſitiua, ſi illa in homine ab intellectiua realiter diſtingueretur: cuius, vt ait, hæc eſt ratio; quia anima illa ſenſitiua in morte hominis deſineret eſſe. Sentit igitur D. Thomas id, quod ita corrumpitur, vt deſinat eſſe, non poſſe idem numero redire: & idem docet de eo, quod in nihilum redigitur: nec enim poteſt iterum idem numero reparari, vt docet *in 4. diſt. 12. q. 1. art. 2. & 3. & 3. p. q. 77. art. 1.*

Secunda ſententia ex diametro huic opponitur: docet enim, non ſolũ in permanentibus, ſed etiam in ſucceſsiuis id, quod corruptum eſt, poſſe virtute diuina idem numero reparari. Hanc opinionem tenuiſſe Thomã de Ganapo, *refert Capreolus, in 4. diſt. 43. q. 1. ar. 2. contra 3. fol. 153. columm. 4. & expreſſè Baſſolius ibidem q. 1. art. 3. tribuitur Mayronio in 4. diſt. 44. q. 3. Hanc ſententiam probatiorem eſſe putant Conimbricenſes,* ſi expendantur, quæ docent *in 2. de Generat. cap. 11. q. 2. art. 2.* putant enim permanentia diuina virtute poſſe eadem numero redire: *at q. 3. art. 2.* putãt, id etiam eſſe probabilius de ſucceſsiuis: & pro eadem ſententia referunt quendam *Bernardum quodlibeto 7. q. 14. Fauet etiam aliquo modo Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 6. ad finem pag. 824. colu. col. 2. in principio;* dum ait, hactenus non eſſe demonſtratum ſucceſsiua nõ poſſe iterum redire; & ſatis id placuit *Toleto in 2. de Generat. q. 13. & vlt. §. Attende autem.*

2. 2. Opinio. Ganapo. Capreol. Baſſol. Mayroni. Conimbri. Bernard. Suarius. Toletus.

Tertia opinio aſſerit omnia quidẽ permanẽtia, ſi deſinant eſſe, poſſe diuina virtute redire ſecundùm eandem numericã vnitatem; ſucceſsiua autem (quæcunq; illa ſint) nullo modo poſſe eadem numero redire, etiam per diuinam potentiam. Hæc opinio inter authores eſt ſatis communis; eam probauit D. Thomas *quodlib. 4. art. 5. & 4. contra gentes cap. 81. & Opuſculo 9. cap. 82. Ægidius Theoremate 1. Henricus quodlibet. 7. q. 16. in terminis, Paludanus in 4. diſt. 43. q. 4. art. 1. vbi agit de ſucceſſiuis, & art. 4. vbi agit de permanentibus: itẽ in terminis Capreolus ibidem q. 1. art. 1. concluſione 2. & 3. Hiſpalenſis q. 1. art. 1. in 2. & 3. concl. Bañes in 2. de de Generat. cap. 11. q. vltima concl. 1. & 2.*

3. 3. Opinio. D. Thom. Ægidius. Henricus. Paludan. Capreol. Hiſpalenſ. Bañes.

Quarta, & vltima ſententia placuit *Aureolo apud Capreolum vbi ſupra art. 2. contra 3. concluſionẽ fol. 152. col. 3.* vbi cum ſecũda ſententia docet, Deum, & permanentia poſſe eadem numero reſtituere, & ſucceſsiua, præter tempus; & in hoc vltimo diſcedit à ſecunda ſententia.

4. 4. Opinio. Aureolus.

§. 2.

Præmiſsis nonnullis, ponitur vera reſolutio.

5. 1. & 2. Præmiſſ.

PRo explicatione huius difficultatis, illud primo loco præmittimus, quæſtionẽ

ſtionem iſtam non poſſe diſtinctè, & ſine confuſione explicari, niſi diſputationem ita diuidamus, vt priùs diſputemus de reproductione rerum permanẽtium in ordine ad diuinam potentiam: deinde agamus de reproductione ſucceſsiuorũ; tẽporis, inquam, & motus.

6. 3. Præmiſſ. Tertiò præmittendum eſt, tribus modis poſſe aliquod ens corrumpi. Vno modo; vt deſinat eſſe, & quoad totũ, & quoad partes: quod ſolùm fieri poteſt per veram annihilationem totius rei. Secundo modo; vt vna tantum illius pars eſſe deſinat, altera in ſuo eſſe permanente: quod fit per corruptionem rerum naturalium, in qua materia eadem numero permanẽte, forma deſinit eſſe. Tertio modo; vt neutra pars deſinat, ſed ſolum deſinat totum cõpoſitum cathegorematice, id eſt, in ſua totalitate ſumptum, in qua realiter diſtinguitur à ſingulis ſuis partibus diuiſim ſumptis: quæ corruptio in ſolo homine reperitur: etenim in ſolo illo anima ſeparata à corpore, nec anima deſinit, nec materia, ſed ſola totalitas naturæ humanæ. In hac igitur quæſtione ſolũ agemus de rebus permanentibus, quæ vel ita corrumpuntur, vt per annihilationẽ omninò eſſe deſinant (vt ſi Angelus annihiletur; vel homo quoad corpus, & animam; vel ignis, aliavè ſubſtantia naturalis, quoad materiam, & formam) vel ita, vt materia permanente, forma verè deſinat eſſe: nam de poſsibilitate reſurrectionis hominum in eadem vnitate dicemus inferiùs *art.* 3. *&* 4.

¶ His ita præmiſsis, quod attinet ad res permanentes, & ſucceſsiuas, quæ vel quoad totum ſimpliciter deſinunt, vel quoad aliquam ſubſtantialem partem, duas ſtatuimus concluſiones.

7. 1. Concluſ. Sit prima concluſio: *Non eſt negandum, poſſe Deum quamlibet rem permanentem eãdem numero reproducere, ſiue illa ſit totaliter corrupta, & ſimpliciter annihilata, ſiue ſecũdum ſolam partem.*

8. 2. Concluſ. Secunda concluſio: *Vtrùm res ſucceſſiuæ (vt motus, & tẽpus) diuina potentia poſſint eædem numero redire? res eſt ſatis dubia: vtraque pars facilè defendi poteſt: affirmatiua tamen ideo probabilior, quia cõmunior; & quia euidenti contradictione nõ conuincitur. Singulas iſtas concluſiones diligenter examinabimus.*

§. 3.

Confirmatur prima Concluſio.

PRima concluſio ſtatuit, *Rem permanentem ſemel corruptam poſſe eandem numero redire; ſiue illa per corruptionẽ totaliter deſierit; ſiue ſolùm partialiter.* Hęc concluſio ſolùm habet aduerſarios Durãdum, Marſilium, & Abulẽſem, quos pro prima opinione citauimus: at tamen Patronos, & defenſores habet authores ſecũdæ, tertiæ, & quartæ ſententiæ: D. Thomam, Aegidium, Henricum, Aureolum, Paludanum, Capreolum, Hiſpalenſem, Bañes, Thomam de Ganapo, Baſſolium, Mayronium, Conimbricenſes, Suarium, & Toletũ, quos in tribus vltimis opinionibus retulimus: addere poſſumus D. Bonauenturam in 4. diſt. 43. & Scotum ibidem quæſt. 1. vt alios omittamus. 9. Confirmat. 1. opinio. Patroni huius ſententiæ.

Hæc concluſio primo loco confirmatur communi argumento, efficaci tamen in hac materia: quoniam rem permanentem quocunque modo corrupta ſit, redire eandem numero nullam implicat contradictionem. Ergo non eſt id diuinæ potentiæ denegandum; ſed concedendum potius. Antecedens patebit ex ſolutionibus argumentorum; vbi oſtendemus, duo Durandi fundamenta nullo modo repugnantiam probare. 10. 1. Argum.

Secundò ita oſtenditur: quoniam infinita Dei potentia non minuitur ex eo, quòd res à Deo condita deſijt eſſe, vel ſecundum totum, vel ſecundũ partem: ex parte verò rei, quæ eſſe deſijt, nulla datur repugnantia: etenim illi poſt annihilationem nõ magis repugnat eſſe, quam repugnabat, antequam conderetur. Sed Deus propter infinitam ſuam potentiam potuit eam ex nihilo cõdere. Ergo eandẽ redactam in nihilum poterit ex nihilo eã iterum reproducere. 11. 2. Argum.

Confirmatur hæc ratio ex Scoto: quoniam cum res ſemel cõdita, cedit in nihil, illud nihil eſt eiuſdem rationis cum nihilo, quod erat terminus à quo creationis: ſed illud nihil, quod creationẽ præceſsit, non repugnauit, quominùs res illa crearetur à Deo. Ergo illud nihil, quod fuit terminus annihilationis, non repugnabit, quominus eadẽ res diuina potentia poſsit iterum habere eſſe. Minor eſt nota: maior probatur; quoniam mutationes oppoſitę ha- 12. Cõfirmatio.

habent eundẽ terminum; licèt modo conuerſo: quatenùs terminus à quo vnius eſt terminus ad quem alterius: creatio autem & annihilatio eiuſdem rei ſunt mutationes oppoſitæ. Habebunt igitur eundem terminum, nempe idem nihil, idemque non eſſe. Illud igitur nihil, quod res annihilata habet, habebit eandem poſsibilitatem in ordine ad potentiam diuinam, quam habebat illud nihil, quod primam rei productionem anteceſsit.

13. Solutio argum. Ad hoc argumentum concederet Durandus, potentiam Dei in nullo eſſe diminutam: rem tamen ipſam per annihilationem factam eſſe impoſsibilem, vt iterum redeat ad eſſe: quia impoſsibile eſt, vt prior actio, qua producta fuit, iterum redeat: ſicut etiã impoſsibile eſt, quòd Deꝰ habeat eadem habitudinem ad rem annihilatam, quam habuit, cum eam primò condidit: cum tamen idem numero effectus redire nequeat, niſi redeat eadem numero actio, & eadem Dei habitudo ¶ Ad confirm. Ad confirmationem etiam negaret Durandus nihil, in quod res annihilata cedit, eſſe eiuſdem rationis cum nihilo, quod res annihilata habebat, antequã crearetur: etenim illud nihil erat negatio eſſendi in re, quæ verè erat in potentia ad eſſendum: cum tamen nihil, quod eſt terminus annihilationis, ſit ſimpliciter negatio eſſendi fundata in impoſsibilitate ad eſſendũ. Quare argumentum iſtud ſecundum cũ ſua confirmatione vim non habet quandiù Durandi fundamentum non impugnatur. Quod inferiùs faciemus.

14. 3. Argum. Tertiò ita arguit Sotus: Agens naturale idcirco nõ poteſt idem numero corruptum reproducere; quia ad illud reproducendum requiruntur eædem numero diſpoſitiones: & per cõſequens per ſe requiritur, vt applicatio agentis ad paſſum fiat in eodem loco, & in eodem tempore, cum eodem motu, & actione: quæ omnia naturaliter redire non poſſunt. Sed Deus ob ſuam infinitam potentiam, nec à loco, nec à tempore dependet in agendo; imò nec à motu: nec implicat contradictionẽ eundem numero effectum, ſæpe à Deo produci per diuerſas actiones. Ergo nihil obſtat, quominùs Deus valeat idem bis, tervè producere. Hoc argumento putat Sotus rem iſtam ſatis elucidari; & verè elucidaretur, ſi Durandus propoſitiones in argumento aſſumptas admitteret: ſed cum illas neget, argumentum apertè petit principium.

15. 4. Argum. Quartò ita nonnulli argumentantur: omnes res ſunt in Deo eminenter, tanquam in prima cauſa, non ſolum ſecundum gradus ſpecificos, ſed etiam quoad indiuiduales. Ergo quodcunque indiuiduum productum à cauſa ſecunda adhuc manet in potentia actiua Dei: poterit igitur etiam ſi corruptum ſit, iterum ab eo produci. Solutio. ¶ Hoc tamen argumentum nõ ſatis vrget Durandum: negabit enim cõſequentiam, nec improbabiliter, ſi verum eſt illius fundamentum: licèt enim indiuiduum, antequam à cauſa ſecunda produceretur, pòtuerit à Deo immediatè ꝓduci; tamen vbi ſemel à cauſa ſecunda productum eſt, factum eſt impoſsibile, vt iterum habeat eſſe; quia per corruptionem factum eſt impoſsibiliter capax alicuius eſſe, ſi ſtat fundamentum Durandi. Quibus addi poteſt; quoniam ſimili argumento probari poſſet, idem indiuiduum ſemel corruptum poſſe actione agentis naturalis iterum produci: nam (vt aiunt) ponamus indiuiduũ A. potuiſſe produci à cauſa ſecunda B, imò debuiſſe produci ab eadem, niſi Deus eam præueniſſet, producendo illud ſe ſolo; quod Deus facere poteſt. Suppoſito hòc caſu non eſt negandum A. eſſe in virtute actiua B. Ergo ſi valet argumentũ, illud A. adhuc manebit in potentia ipſius B; quantũuis productum ſit à Deo. Poterit igitur naturaliter reproduci ab ipſo B. quę tamen conſequentia ideo non valet; quia & ſi præfuerit in potentia cauſæ ſecundæ, antequam à Deo produceretur: tamen poſtquã productum eſt, iam ſimpliciter deſiit eſſe in potentia illius; ex ea præciſa ratione, quia ſemel à cauſa ſecunda productum, poſt ſuam corruptionem factum eſt ſimpliciter impoſsibile ad habendum eſſe, ſi Durandi fundamentũ vim habet: quare oportebat illud impugnare.

16. 5. Argum. Quintò arguit Scotus: ponamus, quòd Deus eundem numero effectum conſeruat per tres horæ quadrantes: hoc ſuppoſito ſic argumẽtatur: exiſtentia huius rei in primo, & tertio quadrante per ſe non pendet ab exiſtentia illius in ſecũdo quadrante intermedio: aliàs non poſſet Deus illum numero effectum creare in tertio quadran-

quadrante: quod non eſt admittendum. Ergo potuit ille numero effectus exiſtere in primo, & tertio quadrante, eſtò non exiſteret in quadrante ſecundo intermedio, vt quia in illo annihilata ſit: hoc autem fieri non poteſt, niſi res illa annihilata eadem numero redeat. Igitur non implicat id, quod ſemel annihilatum eſt, redire idem numero per diuinam potentiam.

Solutio. ¶ Sed nec hæc ratio vim habet, ſi ſtat fundamentum Durandi: nam licet iſte numero effectus abſolutè non pendeat ab exiſtentia in quadrante ſecundo intermedio; tamen ſuppoſito, quod ſit in primo, & conſeruetur in tertio, neceſſariò dependet ab exiſtentia in ſecundo: nam ſi illa exiſtentia non eſſet continuata; vtiq; eſſet interrupta: interruptio autem reddit rem illam corruptam ſimpliciter impoſſibilem ad eſſendum: quod eſt Durandi fundamentum.

Impugnatur primum fundamentum Durandi.

17. Impugnatur 1. fundamentũ Durandi. ¶ Pro vera huius communis ſententiæ confirmatione, oportet explicare, & impugnare Durandi fundamenta. Aduertendum eſt igitur ex Durando duplex colligi fundamentum impoſsibilitatis, & repugnantiæ. Primum eſt vnũ numero effectum non poſſe habere duas actiones ſui productiuas, ſed vnam tantùm. Alterum eſt: quia agens, quod nõ poteſt habere eandem habitudinem ad eundem numero effectum, quam priùs ad eundem habuit, non poteſt eundẽ effectum bis producere; ſiue illud ſit agens naturale, ſiue ſupernaturale, & infinitum. Vtrunque fundamentum oportet quàm diligentiſsime impugnare.

18. 1 Præmiſſũ. Pro impugnatione primi annotandũ eſt; propoſitionem illam Durandi *idem numero effectus non poteſt habere plures actiones ſui productiuas*, duplicem poſſe habere ſenſum: vnum, vt idem numero effectus ita vendicet ſibi certam, & determinatam actionem, vt à nulla alia produci valeat, quæcunque illa ſit. Alterum verò; vt idem numero effectus non poſsit pluribus actionibus produci; ac proinde ex ſua natura habeat, vt ſemel productus ab vna, iã amplius ab altera produci nequeat quantumvis ab ea aptus fuerit produci. Propoſitionem iſtam in vtroque ſenſu eſſe falſam euidenter oſtendemus.

Quòd in priori ſenſu falſa ſit, & Durandus fatebitur, & ratio demonſtrabit: etenim non poteſt Durandus non fateri ipſum numero effectum, qui ab hac ſecũda cauſa productus eſt, potuiſſe immediatè produci à Deo: omnes enim vno ore fatentur, Deum immediatè ſe ſolo poſſe facere, quod facit mediante cauſa ſecunda. Quare hic numero ignis, qui ab hoc igne genitus eſt, potuit immediatè produci à Deo. Iam verò conſtat, generationem, qua iſte ignis genitus eſt, diſtinctam eſſe ab actione, qua Deus ſe ſolo eundem ignem potuit producere. Quare falſum eſt, iſtum numero ignem (idem dicito de quocunque alio effectu) non poſſẽ produci diſtinctis actionibus in ſeſu priori. Adde etiam; vnum numero effectum in ordine ad potentiam diuinam non ita poſtulare certam aliquam, & determinatam Dei actionem, vt ab alia eiuſdem Dei actione produci non valeat: nam conſtat, Deum qui hunc numero ignem ab hoc igne genitum producit cõcurſu generali, quo Deus, vt cauſa prima concurrit, potuiſſe eundem numero ignem ſe ſolo producere: vtraque autẽ actio diuerſa eſſet. Præterea conſtat Deum potuiſſe creare mundum, priuſquam illum creauit: actio autẽ creationis illius eſſet alia ab ea, qua illum creauit: ſiquidem actio ſingularis vendicat ſibi certam differentiam, ſaltem temporis imaginarij, ſecundùm quod ab extrinſeco actiones Dei diſtinguimus. Itaque euidenter conſtat, primum Durandi fundamentum in priori ſenſu eſſe falſum. 19. Impugnatur 1. ſenſus

20. Impugnatur 2. ſenſus Quòd verò falſũ etiam ſit in ſenſu poſteriori (in quo accipitur à Durando) ex eo primùm oſtenditur; quia Durandus nullo adducto argumẽto propoſitionem illam aſſumit: cum tamẽ omnes ferè doctores eam negent: vt patet ex Paludano *in* 4. *diſt.* 43. *q.* 3. *num.* 48. *& ex Capreolo ibidem q.* 1. *art.* 3. *ad argumenta Durandi contra* 2. *fol.* 156. *col.* 4. Quare deberet Durãdus propoſitionẽ illã aliqua ratione ſaltẽ probabili cõfirmare; maximẽ cum illi innitatur, vt deneget Deo, poſſe rẽ ſemel annihilatã reproducere: iã verò nihil Deo denegãdũ eſt, niſi ferẽ euidẽter oſtẽdatur repug-

repugnantia: at vero quod idem dupli. ci actione poſsit produci, repugnare non videtur.

21. Alia confirmatio. Præterea, omiſsis rationibus Paludani, ex eo oſtendimus, propoſitionem illam eſſe falſam; quoniam corruptio, ſeu annihilatio rei nullam ponit in re ipſa repugnantiam, vt diuina potentia eſſe nequeat, cum diuina potentia ſit infinita, & poſsit ex nihilo rem producere. Quod ex eo confirmari poteſt; quoniam corruptio, ſeu annihilatio, qua res poſt eſſe tranſit in nihil, non tranfert ipſam rem in illud nihil, ſeu in illud non ens, quod contradictoriè opponitur enti, quale eſt nō ens, quod eſt impoſsibile; ſed ſolū transfert illam in illud nihil, quod eſt priuatio actualis exiſtentiæ; quo pacto res ante mundi conſtitutionem erant nihil. Hæc concluſio quoad priorem partem ex eo videtur demonſtrari; quia eſſentiæ rerū, tàm vniuerſaliū, quàm ſingularium ſunt perpetuæ, ingenerabiles, & incorruptibiles, ac proinde ſemper manēt quoad eſſe eſſentiale, quantumuis non maneant quoad eſſe exiſtentiæ: inde eſt, vt apud Philoſophos hæ propoſitiones ſint perpetuo verę; ſcilicet homo eſt animal, eſt corpus, eſt ſubſtantia, eſt ens: ſimiliter, & iſtæ, Petrus eſt homo, eſt ſubſtantia, eſt ens, Quare quanuis hic equus, aut hic homo, ſit annihilatus; tamen ſecundùm eſſe eſſentiale, & quidditatiuum adhuc eſt ens. Quare annihilatio rē nō ita trāſtulit in nihil, vt eā trāſtulerit illa ad ſphęram non entium, quæ contradictoriè opponuntur enti, alioquin propoſitiones illæ eſſentialiter non eſſent perpetuæ. Quare ſi Petrus annihilatus adhuc eſt ens entitate eſſentiali; vtique intrinſecè habebit poſsibilitatem ad eſſendum, ſaltem in ordine ad diuinam potentiam.

22. 1. Coroll. Ex hac concluſione ita confirmata quam plurima inferuntur, quibus propoſitio Durandi ommnino euertitur. Primò loco infertur, rem illam annihilatam adhuc contineri ſub obiecto adæquato diuinæ omnipotentiæ: nam ab omnibus conceditur, quidquid habet rationem entis (quale eſt omne, quod non implicat) poſſe à Deo fieri. Cum igitur oſtenſum ſit, rem illam annihilatam non ſubterfugere rationem entis (cum quoad eſſe eſſentiale ſit perpetua, neceſſariò infertur, rem illam adhuc ſub obiecto adæquato potentiæ diuinæ cōtineri.

Secundò infertur, illud nihil, in quod res anihilata tranſit, non eſſe formaliter diſtinctum ab illo nihilo, quod eadem res habebat, antequam crearetur; etenim adhuc in ſuo eſſe eſſentiali manet ens, & per conſequens manet poſsibile; ſi non naturaliter, ſaltem ſupernaturaliter. 23.

Denique infertur falſam eſſe propoſitionem Durandi: nam ſi res annihilata poteſt iterum per recreationem redire; cum hæc neceſſariò ſit actio à priori diſtincta; vtique non repugnabit, rem duabus actionibus ſucceſsiuê produci; ita vt priùs ſemel corrumpatur, & iterum reproducatur. Et quanuis repugnet idem actione naturali bis produci: ſimpliciter tamen non repugnat, idem bis produci; vel duplici actione diuina; vel altera diuina, altera naturali. Nec eſt eadem ratio quoad hoc in agente naturali, & ſupernaturali: ſiquidem cùm iſte effectus per corruptionem tranſeat in nihil; & quodcumque nihil ſit extra obiectum agentis; res ſemel corrupta, & quæ aliquo modo tranſijt in nihil, omninò erit impoſsibilis agenti naturali; ita vt omninò exierit à potentia actiua illius, nec ampliùs in ea eminenter contineatur. Cuius oppoſitum cernitur in ordine ad Deum, vt ex dictis patet. 24.

Impugnatur ſecundum fundamentum Durandi.

¶ Deinde impugnandum eſt ſecundum Durandi fundamentum: ſcilicet, *Agens, quod non poteſt habere eandem habitudinem ad eundem numero effectum, quam priùs ad eum habuit; non poteſt illum bis producere; ſiue agens illud ſit naturale, ſiue ſupernaturale, & infinitum.* Pro huius fundamenti impugnatione, aduertimus eſſe nonnullos, qui facilè illud Durando concedunt; vt quia exiſtiment, nihil inde poſſe Durandum contra nos inferre: Deus enim, vt aiunt, nunquam habet diuerſam habitudinem ad eundem numero effectum. Sed ſemper eandem; ſi loquendum eſt de habitudine actionis, in qua ſola propoſitio Durandi poteſt verificari. Fūdamentum eſt; quia actio Dei, qua ad extra res producit, eſt ipſa Dei volitio: hæc autem 25. Contr. 2. fūdamentum Durand. 1. Impugnatio.

autem nunquam interrumpitur, ſed ſemper manet eadem: vnde Deus reſpectu cuiuſcumque effectus eandem ſemper habet habitudinem actionis: & in hoc, vt volunt, Deus diſtinguitur ab agente creato: hoc enim, cum diuerſas habeat actiones, poteſt habere ad effectum eandem; vel diuiuerſam habitudinem; quia modo habet vnam actionem, modo aliam. Hęc
Capreol. eſt ſententia Capreoli *in 4. diſt. 45. q. 1. ar. 3. ad 2. 4. & 6. Durandi contra ſecundam*: exiſtimat enim actionem creatam eſſe idem realiter cum termino, & ob id non eſſe in agente, ſed in paſſo; actionem vero increatam, qua Deus res producit, eſſetialiter diſtingui à ſuo termino; vt quia maneat in Deo, cum eo realiter identificata.

26. Cæterum, quia oppoſita ſententia eſt communis actionẽ Dei ad extra eſſe trãſeuntem, & proinde exire à potentia actiua Dei, ex qua communi ſententia infertur, etiam in Deo dari plures actiones; aliter impugnandum eſt Durandi fundamentum.
Vera impugnatio. ¶ Annotandum eſt igitur, ſolum illud agens non poſſe bis eundem effectum producere, quod vnica tantum actione aptum eſt illud producere. Cum verò talis actio ſit præterita, nec valeat iterum redire; ideo tale agens redditur impotens ad reproducendum eundem numero effectum, quem ſemel produxit. Deus autem, vt iam oſtendimus, non eſt limitatus ad producendum eundem numero effectum vnica duntaxat actione; ſed poteſt pluribus actionibùs eundem producere; cùm deſitio talis effectus, imò etiam annihilatio illius eum non reponat extra Sphæram, & ambitum obiecti adæquati diuinæ potentiæ, vt immediatè multis demonſtrauimus. Quare, licet cõcedamus, Deum non poſſe habere eandẽ habitudinem actionis, ſiue potius eandẽ numero actionẽ, quã habuit, quando primo illũ effectum produxit; adhuc poteſt alia actione eundem reproducere. Quare propoſitio à Durando aſſumpta, ſi intelligatur de quocũq; agente, etiã infinito, eſt falſa: licet vera ſit in agentibus creatis; ideo, quia limitata ſunt, vt vnica tantùm actione eũdem effectum producant.

Reditur ad confirmationem rationum adductarum.

¶ Ex his iam patet fundamẽta Durandi omninò deficere: illis autẽ expugnatis in ſuo robore manent quinque argumenta, quibus in principio huius §. tertij prima noſtra concluſio confirmabatur. 27. Corroboratio 5. arg. ſupra adducti

Illis ſexto loco addimus authoritatem Auguſtini 22. *de Ciuitat. Dei cap.* 20. vbi agens de carne nobis in reſurrectione reddenda, ita inquit: *Et ſi omnibus perijſſet modis, nec vlla eius materia in vllis naturæ latebris manſiſſet; tamen ſi vellet, eam repararet omnipotens.* Porrò ſi ex Auguſt. ſentẽtia poteſt Deus reparare eandẽ numero materiam annihilatam; vtique poterit etiam quamcunque formam annihilatam reproducere: & eadem ratione poterit reproducere quodcunque compoſitum: nec enim vlla ratio poterit aſsignari, cur materiam annihilatam poſsit reparare; non tamẽ reparare valeat annihilatam formã, & annihilatum compoſitum: nam ratio diſcriminis, quam aſsignat Durandus loco citato ad 5. falſò ſupponit, vnam materiã ratione ſui, ſuęque entitatis nõ poſſe eſſe eandem ſibi, & diſtinctam ab alijs; etenim cum materia per diuinam potentiam poſsit exiſtere ſine forma, non poteſt non eſſe idem ſecum, & realiter diſtingui à forma. Imò difficilius eſt (ſi ita dici poteſt) reparare eandem materiam annihilatam, quàm annihilatam formam: etenim forma quodãmodo manet in potentia materiæ, materia verò in alterius ſubiecti potentia manere non poteſt. 28. 6. Cõfirmatio. Auguſt.

Vltimò, opinio Durandi ex eo cõuincitur; quoniam in morte hominis entitas toti⁹ omninò perit, ſiue illa ſit realiter diſtincta à partib⁹ ſimul ſũptis, ſiue idẽ realiter cũ illis: cõſtat enim totũ eſſe realiter diſtinctũ à partibus ſeparatis, & tñ in reſurrectione per vnionẽ partiũ idẽ reproducetur: eadẽ enim numero humanitas redit, etenim eædẽ numero partes reuniuntur, quia eadẽ numero anima reunitur eidẽ numero materiæ: iã vero his numero partibus hæc ſola numero humanitas cõſtituitur, & nõ alia: nã idẽ numero homo redire debet: qui nõ poteſt eſſe idem numero, niſi habeat eandẽ numero humanitatem. Quare idẽ, quod õninò deſijt eſſe, poteſt idẽ numero redire, & idẽ numero poteſt duplici actione produci, quod euertit primum, & potiſsimum Durandi fundamentum. 29. Vltima impugnatio. Durandi.

§. 4.

Confirmatur ſecunda Concluſio.

30. Confirmatio 2. concluſionis de ſucceſsiuis. Quæſtio eſt dubia. SEcunda concluſio agit de reproductione ſucceſsiuorum, motus, inquã & temporis. Et prima illius pars aſſerit rem eſſe dubiam; & poſſe vtramque partem probabiliter defendi. Quòd quæſtio ſit dubia, euidenter patet ex varietate opinionum: nam quòd omnia ſucceſſiua diuina potentia poſsint redire eadem numero, probarunt *Thomas de Ganapo, & quidam Bernardus, Baſſolius etiam cũ Mayronio, & Toleto*: probabilem putant Conimbricenſes, & Suarius, quos omnes citauimus ſupra §. 1. in 2. ſententia. Oppoſitam opinionem defendunt omnes, quos pro prima, & tertia ſententia ibidem retulimus ſcilicet, *Durandus Marſilius, Abulẽſis, D. Thomas. Ægidius, Henricus. Paludanus. Capreolus*, *Hiſpalenſis. Bañes.* & alij ibidem citati. Mediam opinionem probauit Aureolus adductus in dicto §. 1. pro quarta ſententia: exiſtimat enim, Deum poſſe reparare eundem numero motum; non tamen idem numero tẽpus. Ex qua varietate ſatis patet, quæſtionem eſſe ſatis dubiam, Quòd vero de omnibus ſucceſiuis motu, ſcilicet, & tempore, vtraq; pars ſit probabilis, ſatis confirmabitur, ſi vtriuſque fundamenta diſſoluamus. Porrò, quòd affirmatiua ſententia ſit longè probabilor, ſtatuimus cum Conimbricẽſibus, & Suario citatis §. 1. in 2. opinione & inde ſatis ſuadetur, quia cõmunior eſt, & nulla poteſt contradictione cõuinci; quod fiet euidentius, ſi argumenta in oppoſitum diſſoluerimus.

Ganapo. Bernardus Baſſol. Mayron. Toletus. Oppoſita opinio. Media opinio.

Aſſeruntur argumenta partis negantis.

31. 1. Arg. partis negantis ¶ Pro negante parte primum, & potiſsimũ argumentũ eſt hoc: quia nihil quod contradictionem implicat, poteſt Deus facere. Sed redire idem numero tempus, quod præterijt aut eundem numero motum, qui tranſiuit, implicat contradictionem. Ergo nec tempus, nec motus poteſt etiã diuinitùs redire. Maior eſt nota; minor probatur; quia ſequeretur, quod tempus illud (v. g. tempus diei heſternæ) eſſet vnum, & non eſſet vnum: reuolutio etiam primi mobilis heſternæ diei eſſet, & non eſſet vna reuolutio. Sequela oſtenditur: quoniam & tẽpus, & motus eſſet vnus, quia hoc ſupponitur. Quòd vero tempus non eſſet vnum, nec motus eſſet vnus, ex eo euidenter oſtenditur; quia cõtinuitas durationis vtriuſque eſt interrupta iam verò de ratione vnitatis numericę motus eſt continuitas eſſendi, vt patet ex Ariſtotele *in 5. Phyſicorum text. 29.* & idem argumentum probat tempus non eſſe vnum. Hoc eſt commune fundamentum, quo vtitur D. Thomas *quodlib. 4. ar. 5. & Capreol. in 4. diſt. 43. q. 1. art. 1. concl. 8 & Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 81. & Sotus in 4. diſt. 44. q. vnica art. 1.* D. Thom. Capreol. Ferrar. Sotus.

Secundum argumentum: Deus nõ poteſt partem temporis exiſtentis retinere, ne fluat; nec poteſt retinere, aut conſeruare totum tempus huius diei, ne corrũpatur, & deſinat. Ergo multo minùs poterit partem temporis elapſam, aut totum tẽpus præteritũ in eadem numerica vnitate reuocare. Conſequentia probatur; quoniam facilius eſt retinere tempus, ne labatur, quàm tempus elapſum iterũ reuocare. Antecedens oſtẽditur, quoniam ſi pars temporis non flueret, ſed ſine fluxu a Deo conſeruaretur; iam illa pars tẽporis non eſſet tempus; ſiquidem de ratione temporis eſt, quòd fluat: aliàs eſſet ens permanens; quod naturæ temporis repugnat. Hæc eſt ratio Durãdi *in 4. diſt. 43. q. 3. n. 13. & Soti vbi ſupra.* 32. Secundum. Durand.

Tertia ratio ex Durãdo n. 15. ſi Deus eundẽ numero motum poſſet reuocare, verũ eſſet dicere, quod idem mobile vno, & eodẽ motu bis moueretur: iã verò implicat mobile aliquod bis eſſe motum, & moueri vno tantũ motu. Ergo fieri nõ poteſt, vt Deus eundẽ numero motũ iterũ reuocet. Maior eſt nota, minor probatur: quoniã illud mobile nõ poteſt dici motũ, niſi numeratione motus: alioquin oſtendatur, perquod bis fuerit motum. 33. 3. Ratio.

Quarta ratio: ſi poſſet Deus idem numero tempus reuocare; poſſet etiã reuocare idẽ numero *quando* etenim ipſũ *quãdo* eſt effectus ſeparabiliter concomitans tempus. Quare res illo numero tempore menſuratæ, neceſſariò habebunt idem quando. Quod eſſe falſum, inde patet; quoniam res illo eodem tempore priùs menſuratæ ſimul eſſent cum rebus, quæ poſtea 34. 4. Ratio.

poſtea eodem tempore menſurarentur: ſed ſicut illud tempus exiſtens prius fuit; nunc vero à Deo reparatum eſt poſteriùs; ita etiam res illę, quæ eodem numero tempore priùs menſuratæ fuerunt, priùs fuerunt, quàm iſtæ, quę eodem tempore reuocato, nunc menſurantur: hæ enim poſteriùs ſunt; illæ verò priùs fuerunt: iam vero res, quæ eodem quando menſurantur, nõ ita ſe habent, vt vna ſit prius duratione, & altera poſterius; ſed omnes ſimul ſunt duratione, vt docuit Ariſtoteles *in* 4. *Phyſ.* Quare impoſsibile eſt redire idem numero *quando*, quod præterijt. Ergo etiam erit impoſsibile redire tempus præteritum. Nam ſicut idem numero tempus menſurat quandalitatem cæterarum rerum; ita etiam formaliter eſt ſua quandalitas: at vero de natura formalis quãdalitatis eſt, quod ſit ſimul, nec admittat prius, & poſterius, vt patet. Sed ſi idem numero tempus rediret; in eo, & in ſua quandalitate daretur prius, & poſterius. Ergo eſſentialiter non eſſet vna quandalitas. Quod cùm admitti non poſsit, nec etiam admitti poterit redire idem numero tempus etiam per diuinam potentiam.

Ariſt.

Soluuntur hæc argumenta.

35. ¶ Hæc ſunt potiora argumenta, quibus probari ſolet, fieri nullo modo poſſe, etiã per diuinam potentiam, vt motus, & tempus, quę præterierunt eadem numero redire poſsint. Illa tamen non neceſſariò rem demonſtrant, quod facilè patebit, ſi ſingula expendamus.

36. Ad 1. Primum nihil concludit, vt latè aduertit Durand. loco citato *num.* 10. quanuis reclamet Paludanus *in* 4. *diſt.* 43. *q.* 3. *nu.* 21. *& cum eo Capreol. ibidem q.* 1. *art.* 3. *ad argumenta ſecundo loco contra tertiam fol.* 157. *col.* 4. quanuis Sotus affirmet, argumentum deſumi ex intrinſeca rei eſſentia. Et ratio eſt, quoniam continuitas motus, quæ ad vnitatem numericam motus requiritur, non eſt continuitas vnius totalis motus ad alium motum, quia cum ſint diſtincti motus non continuantur: nec etiam eſt continuitas totius motus ad ſe ipſum; quia totus motus non continuatur ſecum: ea enim, quæ continuantur, ita ſe habent, vt poſſint eſſe diuiſa, & diſcontinuata, totus autem motus à ſe ipſo diſcontinuari non poteſt. Quare continuitas, quæ conſtituit vnitatem motus, eſt continuitas partium, ex quibus motus conſtituitur, & integratur: etenim, vt motus ſit vnus numero, oportet vt omnes partes, ex quibus conſtat, ſint ad inuicem copulatæ, & continuatæ aliquo communi termino. Vnde, quando ſunt duo aliqua ſucceſsiua quę poſſunt inter ſe continuari, & tamẽ ſunt diſcõtinuata; illa non dicuntur vnũ numero continuum, ſed plura: & in hoc ſenſu interruptio continuitatis cõſtituit in ſucceſsiuis pluralitatem numericam: oportet enim, vt illa, quæ interrumpuntur per diſcontinuitatem, ita ſe habeãt, vt poſsint continuari; ita vt duo illa diſcontinua fiant partes vnius totius, quòd ex vtriuſq; continuatione reſultet. Igitur motus ille præteritus, qui rediret, nõ poſſet dici diſcontinuus ſecum, quia vt iam diximus, nunquã potuit ſecũ continuari. Admittimus quidem inter duas eiuſdem motus exiſtentias dari diſcontinuationẽ in hoc ſenſu; quia nõ ſimul in eodẽ tẽpore fuerũt, ſed vna fuit heri, & alia erit manè, ſi Deus manè eundem numero motũ reparet; ſed non proinde ille vnus numero motus poteſt dici plures motus.

Palud. *Capreol.* *Sotus.*

Quod exẽplo facilè explicatur: nã authores nobis contrarij nobiſcũ admittũt poſſe reparari eandẽ numero quantitatẽ, quæ eſſe deſijt; & tñ exiſtentia illius non ſemper fuit cõtinuata: quia pro tẽpore intermedio quantitas illa nõ exiſtebat: nec tamen inde benè infertur, quantitatẽ illã reparatam eſſe numero aliã, ab ea, quę deſijt, diſcontinuatio enim exiſtentię alicuius rei, quæ bis extitit, nõ infert pluralitatẽ in tali re. Quare diſcontinuatio quoad exiſtentiã illius motus, qui reparatur, ad exiſtentiã, quã prius habuit nõ facit, motũ eſſe numero diuerſũ: ſed ſola diſcontinuatio in motibus numero diſtinctis, qui continuari poſſunt. 37.

Ad argumẽtũ igitur negãda eſt minor: nulla enim datur cõtradictio, ſi idẽ numero motus, aut tẽpus reparetur. Ad probationẽ verò negamus, quòd motus ille reparatus eſſet, & non eſſet vnus numero motus. Ad probationem admittimus exiſtentiam illius numero motus fuiſſe interruptam: negamus tamen interruptam fuiſſe continuitatem partium, ex 38. Solutio in forma.

ex quibus componitur. Iam verò diſcontinuatio exiſtentiæ non infert rei pluralitatem, vt iam oſtendimns. Id verò, quod adducitur: *De ratione vnitatis numericæ alicuius motus eſſe continuitatem eſſendi*, verũ eſt de continuitate entitatiua partium, ex quibus vnus numero motus eſſentialiter conſtituitur; non verò de continuitate in exiſtendo, vt diximus. Quare inſtantia, quam adducit Paludanus arguit, eum, non ſatis percepiſſe rationem intrinſecam continuitatis, quæ requiritur ad vnitatẽ entis ſucceſsiui. Sed nec Capreol. ſatis eam percepit, dum ait, continuitatem requiſitam ad vnitatem numericam motus, nec eſſe continuitatem ipſius motus cum alio motu, vel cum ſe ipſo; ſed eſſe continuitatem temporis motum ipſum menſurãtis; quaſi nullus motus poſsit eſſe vnus numero, ſi tempus illum menſurãs non fuerit continuum: etenim hoc non ſatis eſt: quoniam id, quod ratio concludit de motu, concludit etiam de tempore: quia vnitas temporis non aliunde ſumi poteſt, niſi ab ipſius continuitate: illa autem continuitas ſola eſt continuitas partium ipſius temporis, quæ non interrumpitur, dum tempus corruptum idem numero reddit, quamuis illius exiſtentia fuerit interrupta.

Non recipitur Palud.

Nec Capreol.

39. Ad 2. Ad ſecundum neganda eſt conſequẽtia quoniam enti ſucceſiuo repugnat permanentia, & ſimultas, ob quam rationem non poteſt retineri, ne fluat: at tamen illi nõ repugnat iterata illius productio. Nec ratio probat hanc repugnantiam. Quare ad probationem conſequentiæ diceret aduerſarius falſum eſſe id, quod ſumitur: nam retinere tempus, ne fluat, eſt ſimpliciter impoſsibile; non eſt tamen impoſſibile tempus præteritum iterum reuocari.

40. Ad 3. Ad tertium neganda eſt minor, ad cuius probationem dicendum eſt, illud mobile bis eſſe motum; non quidem numeratione entitatis motus (quia ponimus motum eſſe eundem numero); ſed numeratione exercitij effectus formalis eiuſdem motus: ſiquidem idem numero motus diuerſis temporibus, ſaltem imaginarijs bis effecit, vt mobile moueretur. Vnde ſicut eadem numero albedo poteſt bis dare eſſe album eidem ſubiecto; non numeratione albedinis, ſed numeratione exercitii effectus formalis; ita dicendum eſſet in motu. Clariùs dicerem: illud mobile dici bis motum ex numeratione cauſalitatis formalis ipſius motus; non verò ex numeratione, aut motus quoad entitatem, aut effectus formalis: nam cauſalitas formæ eſt modus, quo forma concurrit ad dandum eſſe moti ipſi mobili. Vnde ſicut eadem humanitas poſt reſurrectionem bis dedit eſſe quidditatiuũ hominis in actu; non numeratione humanitatis, quia eadem numero erit humanitas: nec numeratione effectus formalis ipſius eſſe humani, quia idem eſſe humanum reſurget: ſed numeratione cauſalitatis formalis; quia bis cauſaret illum eũdem effectum formalem, quod eſt eſſe humanum: ita ſimili modo dicendum foret in motu, ſi idem numero in eodẽ mobili repararetur.

41. Ad 4. Quartum argumẽtum facilè ſoluitur, ſi dicamus, tempus eſſentialiter non eſſe ipſum *quando*, niſi prout includit, & habet ordinẽ ad durationẽ imaginariã, quæ fingitur immobilis: ſicut etiam locus nõ eſt *vbi*, nec illud relinquit in rebus locatis, niſi prout habet ordinem ad locum imaginarium, & immobilem, quem fingimus, vt communiter docetur in quarto Phyſicorum. Quare, ſicut res non dicitur habere vbi, niſi prout eſt in loco, quatenùs eſt coniunctus cum illa magnitudine imaginaria; ita etiam tempus non relinquit *quando* in rebus, quæ tempore menſurantur, niſi prout res menſurat cũ ordine ad durationem imaginariam, in qua tempus ipſum ſuo modo dicitur eſſe. Et ſicut non eſt incommodum, eandem ſuperficiem corporis continentis, prout eſt in alia, & alia magnitudine imaginaria, dare aliud, & aliud vbi: ita etiam non eſt inconueniens idem numero tẽpus, prout eſt in alia, & alia duratione imaginaria dare aliud, & aliud *quãdo*, qua ſuppoſita Philoſophia, argumentum nullam vim habet negandum eſt enim poſſe Deum reuocare idem numero *quando*, quia ipſum *quando* eſſentialem habet habitudinem ad durationem imaginariam, cui coniungitur, dum tempore menſuratur, quæ ipſa eſt immobilis: vnde fieri non poteſt, vt tempus præteritum cum eadem imaginaria duratione iterum coniungatur. Quare tempus præteritũ nõ reparatur idem nu-

mero

mero, reparabitur coniunctum cum alia imaginaria duratione; & ita cum alio *quā do* numero diſtincto: ob quam rationem res menſuratæ illo numero tempore diui nitus reſtitúto, ſicut non haberent idem numero *quando*, quod habuerunt res mē-ſuratæ eodem tempore, cum primò fuit; ita non ſimul eſſent cum illis, quamuis eo dem numero tempore menſurarentur: Ariſtoteles autem agit de rebus, quæ naturaliter menſurantur tempore.

42. Quod verò adducitur: *Tempus formaliter eſſe ſuam quandalitatem, cùm ſit formalis quandalitas rerum, quæ tempore menſurantur*; negandum eſt, ſi tempus præciſè ſumatur ſecundum ſuam entitatem: quia vt diximus, *non eſt quando*, niſi cum coniungitur cum duratione imaginaria: ſub hac autem ratione ſumptum ſecūdùm ſe, & cum abſtractione ab ordine ad duratio nem imaginariam, non eſt ipſa formalis quandalitas, quam rebus menſuratis tribuit; ita etiam in ordine ad ſe non eſt ſibi formalis quandalitas, niſi cum ordine ad imaginariam durationem: & inde eſt, vt poſsit dare ſibi diſtinctum *quando*, ſi diui na potentia ſub alia duratione imaginaria reparetur. Quod in hac materia ſummè eſt aduertendum.

Reſolutio totius Concluſionis.

43. Reſolutio totius concluſionis. ¶ Ex his patet ſententiam, quæ affirmat ſucceſsiua diuina potentia redire poſſe, eſſe longè probabiliorem: nihil enim eſt diuinę potentię denegandum, niſi vbi adeſt contradictio: hæc autem nulla aſsignatur. Porrò ſi oppoſitam ſententiam, vt probabilem cum communiori ſententia vis defendere; impugnandæ ſunt ſolutiones, quibus argumenta ſuperiora diſſoluimus: quod tamen difficilimè præſtabis.

§. 5.
Soluuntur argumenta contra primam Concluſionem.

44. Argum. in contrarium. IN prima concluſione poſita §. 2. affirmamus, *non eſſe negandum poſſe Deum quamlibet rem permanentem eandem numero reproducere, ſiue illa ſit totaliter corrupta, ſiue ſolum ſecundum vnam partem*: quam aſſertionem nobiſcum probant Patroni ſecundæ, & tertiæ ſententiæ. Contra quā

exiſtimant Durandus, Marſilius, & Abulenſis, quos pro prima opinione citauim⁹. Argumenta illorū ſunt, quæ ſequuntur.

Primum argumentum: ſi Deus ageret de neceſsitate naturæ, non poſſet reparare, quod aut totaliter deſijt, aut ſecundum aliquam ſuam partem. Sed Deus agens liberè non plus poteſt, quàm poſſet, ſi ageret ex neceſsitate naturæ. Ergo Deus liberè agens non poteſt reproducere, quod aut totaliter, aut partialiter corruptū eſt. Minor patet: quia eadem eſſet Dei potētia: libertas enim voluntatis non auget potentiam, ſed ponit modum vtendi potentia; quia ſolùm facit, vt agēs agat, quando voluerit; quem agendi modum non haberet, ſi neceſſariò ageret. Quare Ariſtoteles, & Philoſophi, qui putauerunt, Deum neceſſariò agere, non negauerunt Deo infinitam potentiam. Maior verò probatur: quia ſi Deus ageret ex neceſsitate naturæ, etiam ſi ageret per potentiam infinitam, ageret tamen modo aliorum agentium naturalium. Sed agentia naturalia non poſſunt reparare, quod corruptum eſt: ergo nec Deus tunc poſſet, quæ fuit maior. 45. 1. Arg.

Confirmatur: quoniam ſi generatio diuina, qua pater neceſſariò genuit filiū iuterrumperetu r, ſicut illa eſſet alia numero generatio; ita etiam eſſet alius numero filius. Porrò ſi hoc cernitur in Deo reſpectu diuinorum ad intra, i deo, quia agit ex neceſsitate naturæ, profectò idē dicendū eſſet, ſi Deus ad extra neceſſariò ageret. 46. Confirmatur.

Secundum argumentum: Ratio, quare agens naturale non poteſt idem indiuiduum ſemel corruptum reproducere, nō eſt alia, niſi quia non poteſt iterum habere eādem numero habitudinem ad eundē effectum, ideò, quia interrupta fuit actio, qua ſola valebat illum producere. Sed hęc ratio cernitur in Deo: nam cum corrūpitur creatura, interrumpitur actio Dei in illam. Ergo non manet eadem habitudo Dei agentis in eius reparatione, quæ fuit in prima illius productione. Hoc eſt Durandi fundamentum. 47. 2. Arg.

Tertiò; impoſsibile eſt, vt ad eandem numero formam plures actiones terminentur, ita vt per quamlibet earum forma accipiat eſſe ſimpliciter. Sed productio prim. rei corruptæ, ita ad eam fuit 48. 3. Arg.

 termi-

terminata, vt per illam res ipſa habuerit eſſe: reproduci autem non poteſt, niſi per aliquam actionem, etiã accipiat eſſe, quæ diſtincta ſit à priori. Ergo ſi impoſsibile eſt, duas actiones terminari ad eãdem nu mero rem, cui quælibet tribuat eſſe; vtiq; impoſsibile erit, Deum rem annihilatam iterum producere. Minor eſt nota, maior probatur, quia nulla dabitur inſtantia: nã ſi idem numero locus pluribus motibus acquiritur, ideo eſt, quia motus localis nõ terminatur ad locum, vt ille ſimpliciter ſit, ſed vt in illo res locetur. Præterea, ſi ad eandem formam hominis terminatur generatio, & reſurrectio; ideo eſt, quia creatio terminatur ad animam, vt ſimpliciter ſit reſurrectio verò ſolũ ad eam terminatur, vt ſit in corpore. Quare cũ nulla detur inſtantia ſimpliciter negandum erit, poſſe duas actiones terminari ad aliquam formam, vt per vtramque forma conſequatur ſimpliciter eſſe. Quare potius concedendum eſt, multiplicatis huius generis actionibus, multiplicari etiam formam productam. Maior igitur eſt vera, & per conſequẽs tota ratio, quod etiã Durandi fundamentum eſt.

49. 4. Argum. Quartò; ſi Deus Angelum annihilatum poſſet reparare, ille Angelus bis extiſteret; & per conſequens per diuerſas du rationes. Sed duratio Angeli realiter non diſtinguitur ab Angelo, & per conſequens, Angelo non multiplicato, non po teſt duratio illius multiplicari.

50. 5. Argum. Quintò; formam ita corruptam, vt eſſe deſierit, reparari, vel eſt ſimpliciter impoſsibile, vel poſsibile. Si eſt ſimpliciter poſsibile, poteſt reparari virtute naturæ; quod non eſt concedendum. Si verò eſt ſimpliciter impoſsibile, ſubterfugit rationem entis, nec per aliquam potentiam po teſt fieri.

51. 6. Argum. Sextò; quod in rebus ſucceſsiuis eſt fluxus, in rebus permanentibus eſt eſſe. Sed interruptus motus non poteſt eſſe idem numero ex Ariſtotele in 6. Phiſicorum; ob quam rationem idem numero motus, nec per diuinam potentiam reparari poteſt. Ergo interrupto eſſe rei permanentis, non poteſt res ipſa recuperare idem eſſe, & per conſequens, nec eadem numero redire poteſt.

52. Vltim. D. Thom. Poſtremò confirmatur: quia opinio illa negatiua videtur eſſe D. Thomæ *in 4. diſt. 44. q. 1. ar. 1. quodlib. 2. ad 3; & in 4. diſt. 12. quæſtione 1. artic. 2, denique 3. p. q. 77. artic. 5.*

Hæc tamen argumenta facilè ſoluuntur. Ad primum reſpondet Sotus *in 4. diſt. 44. q. vnic. art. 1. ad 1.* Durandi, negãdo minorem: quoniam, ſi Deus ageret de neceſsitate naturæ, non eſſet Deus: implicãt enim illa duo, cum tamen ſit Deus, vt eſt agens liber. Sed vera ſententia docet, duo illa non implicare, quanuis falſum ſit Deum ad extra agere naturaliter: vnde habere infinitam potentiam, & agere de neceſsitate naturæ non ſunt contradictoria, vt in Philoſophia oſtendimus. Quare eſt ſecunda ſolutio eiuſdem Soti, quòd Deus, ſi ageret de neceſsitate naturæ, adhuc poſſet ex nihilo aliquid producere propter infinitam potentiam, quam haberet. Poſſet igitur reproducere id, quod aut corruptum eſt, aut annihilatũ. Quo ſuppoſito, neganda eſt maior. Ad probationem dicendum eſt, quòd Deus in hoc ſenſu ageret ad modum aliorum agentium naturalium, quia non eſſet indifferens ad plura, ſed determinatus ad vnam ſolam partem contradictionis: in hoc tamen differret à cæteris agentibus naturalibus, quia non ageret per potentiam limitatam, & finitam, ſed per infinitam. Ob quam rationem non ſequitur; *Agens naturale non poteſt idem numero corruptum reproducere. Ergo nec Deus tunc id poſſet*: ſicut etiam non eſt bona conſequẽtia: *Deus agens liberum agit ad modum aliorum agentium liberorum; ſed agens liberum creatum non poteſt hominem mortuum reſuſcitare. Ergo nec Deus illum reſuſcitare poteſt*: Conſequens enim negat Durand. cùm fides illud neget. Quare modus ille arguendi, etiam apud Durandum debet eſſe inutilis.

53. Ad 1. Sotus.

54. Ad cõfirm. Ad confirmationem dicendum eſt: ſi generatio diuina per impoſsibile interũperetur, eundem filium generandũ fore per generationem ſubſequentem: quia in diuinis non poſſunt eſſe plures filij numero diſtincti: idem igitur tunc diceremus, quod Thomiſtæ modo dicunt de Angelo Michaële, ſi à Deo annihilatus iterum reproduceretur: nam cùm apud eos non poſsint ſub eadem ſpecie eſſe plures Angeli, ſi Deus Michaëlem annihilatũ vellet reproducere, non poſſet reproducere alium

alium numero Michaëlem, ſed illum ipſum, qui annihilatus ponitur.

55. Ad 2. Ad ſecundum dicendum eſt ad maiorem, agens naturale non ex eo non poſſe reproducere idem numero corruptum; quia nō poteſt habere habitudinem prioris actionis ad eundem effectum; ſed quia non poteſt habere habitudinem ad effectum eundem numero, niſi per vnam numero actionem, quam iam habere nō poteſt, quia eſt præterita. In hoc autem ſenſu maior admittenda eſt, & neganda minor: nam quanuis concederemus, Deum non poſſe habere eandem actionem, qua rem primò produxit, tamen cùm ſit infinita potentia, non ſolùm per illam actionem habet habitudinem ad illum numero effectum, ſed per plures alias, quas habere poteſt, vt diximus contra primum Durandi fundamentum. Eandem minorem negat Capreol. quia exiſtimat, actionem Dei ad extra nec eſſe aliam, & aliam; & proinde ſemper habere eandem habitudinem actionis ad quęcunque effectú.

56. Ad 3. Ad tertiú neganda eſt maior, quæ ſine probatione ſumitur. Vide, quæ diximus contra primum Durandi fundamentum.

57. Ad 4. Ad quartum nonnulli admittũt, quòd poſito illo caſu Angelus bis exiſteret per diuerſas numero durationes diuerſis temporibus coexiſtentes. Cōcedunt deinde, durationem Angeli (nimirum æuum) realiter non diſtingui ab Angelo; diſtingui tamen formaliter: & ideo fieri poſſe, vt Angelo non multiplicato, multiplicetur eius duratio: ſicut etiam non multiplicata forma producta, fieri poteſt, vt multiplicetur actio, ſi eandem formā Deus bis producat: quod ideo contingit, quia licet actio realiter non diſtinguatur à termino; ab eo tamen diſtinguitur formaliter. Aliter reſpondent, qui durationem Angeli, nec realiter, nec formaliter diſtinguunt ab Angelo. Volunt igitur, Angelo reparato, reparari idem numero æuum, & eandem numero durationem; & addunt, quòd Angelus tunc bis exiſteret, per eandē numero durationem, ſucceſsiuè tamen habentem plures reſpectus ad diuerſa tempora, quibus coexiſteret. Vnde ſicut modo Angeli per eandē durationem coexiſtunt diuerſis tēporibus, ita etiam tunc per eandem ſibi ipſi ſuccedentem coexiſteret tēporibus diuerſis; coexiſtentia tamen non continua, ſed interrupta: quare bis exiſteret. Circa hanc difficultatem vide Capreolum *in 2. diſt. 2. q. 2. art. 3. ad 5, & 10. D. Bonauenturā cō tra quintā fol. 53. col. 3. & fol. 64. col. 1. & Caietanum 1. p. q. 10. ar. 5. ad finem Cōmenti §. In reſponſione ad 2, & Scotum in 2. diſt. 2. q. 1. in ſolutionibus argumentorum*; qui omnes probant hanc ſucceſsionem non repugnare ſimultati ipſius æui. Capreol. D. Bonau. Caietan. Scotus.

58. Ad 5. Ad quintum dicendum eſt, poſsibile ſimpliciter, accipi poſſe duobus modis: vno modo, vt poſsibile ſimpliciter idem eſt, quod poſsibile naturaliter: altero modo prout poſsibile ſimpliciter idem eſt, quod poſsibile abſolutè, & ex terminis; quia ſcilicet termini nullam inter ſe habent repugnantiam. Si maior intelligatur de poſsibili ſimpliciter primo modo, dicendum eſt, formam eandem numero reparari, non eſſe ſimpliciter poſsibile; quia naturaliter non eſt poſsibile: ex quo tamen non ſequitur, quòd ſit impoſsibile ex terminis; quod enim eſt naturaliter impoſsibile, poteſt eſſe poſsibile ex terminis, & in ordine ad diuinam potentiam. Si vero maior intelligatur de poſsibili ſimpliciter poſteriori modo; admittimus illud eſſe ſimpliciter poſsibile; inde tamen non benè inferes, illud eſſe poſsibile viribus naturæ.

59. Ad 6. Ad ſextum facilis eſt reſponſio, ſi tempus, & motus in eadem numerica vnitate per diuinam potentiam reparari poteſt: etenim maior illa vera eſt de interruptione motus quoad continuationem partiū; falſa autem de interruptione quoad exiſtentiam, vt diximus ſupra §. 4. ad 1. argumentum. Suppoſita autem opinione oppoſita, neganda eſt maior, quam negat Sotus vbi ſupra art. 1. concl. 2: quoniam eſſe rerum permanentium etiam eſt permanens, nullum fluxum partium includens, cum tamen fluxus motus, & temporis eſſentialiter includat ſucceſsionem partium. Quare inter eſſe rei permanentis, & eſſe rei ſucceſsiuæ, non eſt omnimoda ſimilitudo; & inde eſt, vt eſſe rei permanentis per ſe non includat tempus; quod tamen includit res ſucceſsiua.

60. Ad vltim. Ad vltimum ſumptū ex loco D. Thomæ negare non poſſumus, eum in illo loco in hanc[illegible]e ſententiam: nec enim argumentum ill[illegible]s aliquid valet contra eos, qui

qui animam ſenſitiuam realiter diſtinguunt à rationali, niſi quia anima ſenſitiua corrumperetur, & ita non poſſet eadem numero redire: tamen quia oppoſitum docuit quodlib. 4. art. 5. & Opuſculo 9. cap. 82, dicendum erit, eum mutaſſe ſententiam. Quæ verò docet 3. *p. q.* 77. *art.* 5. *& in* 4. *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. *explicat Caietanus in dicta q.* 77. *art.* 5. §. *Ad rationem autem*: An benè? tu conſidera.

D. Thom. Caieta.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hominis reſurrectio naturaliter ſit poſsibilis?

§. 1.

Explicatur ſenſus quæſtionis.

1. Senſus quæſtionis.

PRo explicatione tituli quæſtionis, aduertimus hoc loco non inquiri; vtrum reſurrectio hominis, eo modo, quo de facto eſt futura, poſsit naturaliter fieri? quoniam reſurrectio hominũ futura excedit naturam, & ex parte modi, & ex parte termini: ex parte quidem termini; quia reſurget homo beatus ſecũdum animam, & ſecundum corpus glorioſus, vt ex fide inferiùs oſtẽdemus: ex parte verò modi; quia fiet in inſtanti, & ſine vllis præuijs diſpoſitionibus, atque tranſmutationibus materiæ, quæ ad generationem naturalem hominis ſunt neceſſariæ, vt etiam inferiùs monſtrabimus: iã vero eſt ſuprà omnes naturæ vires, aut reproducere hominem cum ſupernaturali gloria, tùm animæ, tùm corporis: aut nullis præcedentibus materiæ depoſitionibus, ſubſtantialibusq; mutationibus. Vnde in ſacris literis futura mortuorum reſurrectio appellatur myſterium, vt patet ex Paulo 1. Corinth. 15. *Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus; ſed nõ omnes immutabimur.* Et iterum: *Seminatur in corruptione; ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate; ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate; ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale.* Et iterùm: *In momento; in ictu oculi; in nouiſsima tuba (canet enim tuba): & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur: oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatẽ.* Paulus igitur ſatis explicat, tàm modum, quã terminum reſurrectionis futurum eſſe ſupra naturam. Quibus accedit; *quòd in reſurrectione erunt homines, ſicut Angeli Dei*: vt habetur Matthæi 22. Quare Patres communiter docent reſurrectionem futuram eſſe ſupra omnes naturæ vires, ita Dionyſius de diuinis nominibus, ita inquiens: *Quòd veteribus quidem præter naturam fortaſsè videatur; mihi verò, tibique, & veritati, & diuinum, & ſupra naturam, vt eſt, videtur.* Vide Lactantium de diuin. *inſtit. c.* 24. *Gregorium homilia* 20. *in Ezechielem; Damaſcenum lib.* 4. *de Fide cap.* 28: *Ambroſium de Fide reſurrectionis: Auguſtinum* 13. *de Trinitate, & lib.* 22. *de Ciuitate Dei cap.* 4. *cum ſequentibus: Chryſoſtomũ homil.* 8. *in primã ad Theſſalon. & homil. de Reſurrectione, & homilia* 65. *in Ioannem, & homil.* 2. *in acta Apoſtolorum*: quos omnes refert Suarius 2. *tom. in tertiam partem diſp.* 44. *ſect.* 6. *pag.* 822. *col.* 1. *&* 2; nec eſt opus in re certa de Fide, Scholaſticos referre; ſatis ſit, omnes in hoc conſentire.

1. Cor. 15. Dionyſius Lactātius. Gregor. Damaſce. Ambroſ. Auguſt. Chryſoſt. Suarius.

2. De qua reſurrectione ſit ſermo.

Quare quæſtio propoſita non intelligitur de reſurrectione, quæ futura eſt, & prout futura eſt; ſed de reſurrectione præciſè ſumpta, prout eſt reparatio eiuſdem numero hominis, qui per mortem cecidit. De hac igitur inquirimus; vtrum ſit naturaliter poſsibilis? naturaliter, inquã, id eſt, per vires naturales naturalis agẽtis.

§. 2.

Refertur ſententia affirmans.

3. Opinio affirmans.

QVòd reſurrectio hominis naturę viribus ſit poſsibilis, non poſsũt nõ affirmare Philoſophi, qui docuerunt, peractis certorum annorum periodis, omnia redire in eadem numerica vnitate, quos refert Auguſtin. 12. *de Ciuitat. Dei cap.* 13. *tom.* 5: quam opinionẽ docuiſſe Empedoclem, & Epicurum diximus ſupra q. 3. art. 1. §. 1. num. 1: etenim in illa ſua generalitate omnium rerum, etiam homines includebant; quorũ reditio, cum poſt mortem fiat, non poteſt non eſſe vera reſurrectio. Eandem opinionem à fortiori probare debent, qui παλιγγενεσίαν, id eſt hominum reſurrectionem probarunt.

4. Dubitari tamen poteſt; an hi Philoſophi

Dubitatio. plò loquuti fuerint de eiſdem numero effectibus, & de reditu animarum in eadem numero corpora: ſi enim ſuam opinionem, ſeu potiùs fabulam non intellexerunt de eodem numero corpore, non poſſunt contra noſtram adduci opinionem; cum reditio eiuſdem animæ ad aliud numero corpus non ſit vera reſurrectio; quia non eſt idem numero homo: ſicut etiam reditio effectus non in eadem vnitate numerica, ſed in alia, eiuſdem tamen ſpeciei, non probat idem numero corruptum reſtitui. *Suarius 2. tom. ad 3. p. in d. ſect. 6. pag. 821. col. 1. §. Secunda ſententia*, putat nec priores egiſſe de eiſdem numero effectibus, ſed de ſimilibus; nec poſteriores loquutos fuiſſe de regreſſu animarum ad eadem numero corpora, ſed ad diuerſa: & id confirmat authoritate Tertulliani *in lib. de Reſurrectione carnis cap. 1.* vbi de Platonicis ita ſcribit: *Sed Platonici immortalem animam reclamant: imò adhuc proximè etiam in corpora remeabilem affirmant; & ſi non in eadem: & ſi nō in humana tantummodò, & cætera.* Tertull.

5. Non recipitur. Ego hanc opinionem non recepi in 1. art. huius quæſtionis §. 1. n. 2. vbi latiorem huius dubij reſolutionem in hunc locum reſeruaui: ſed quia illius reſolutio ad noſtrum inſtitutum parùm refert, ab hoc labore ſuperſedendum eſſe conſultò exiſtimaui. Illud iterùm repeto ex Auguſtino, vbi ſuprà conſtare prædictos Philoſophos non egiſſe de effectis ſimilibus, numero tamen diuerſis; ſed de ijſdē numero, & de reditione eiuſdem numero hominis, ita enim ait: *Sicut in iſto ſæculo Plato Philoſophus in vrbe Athenienſi, in ea ſchola, quæ Academica dicta eſt, diſcipulos docuit, ita per innumera retrò ſæcula multùm prolixis quidem interuallis, ſed tamen certis, & idem Plato, & eadem ciuitas, eademq; ſchola, ijdem diſcipuli repetiti, & per innumerabilia deinde ſæcula repetendi ſint.* Quæ verba euidenter probant, Philoſophos illos de ijſdem numero effectibus, & de eodem numero Platone ſuam fabulam intellexiſſe; iam verò non poteſt eſſe vnus numero Plato, nec ijdem numero Platonis diſcipuli, niſi & anima Platonis, & ſingulæ diſcipulorum animę ad idem numero corpus redeant. Sed cum Tertullianus in citato loco expreſſè affirmet, Platonicos dixiſſe, animas non in eadem corpora redire; & idem ſæpè affirmet de Pythagoricis *in lib. de Anima c. 28. 29. 30. & 31. & alibi ſæpè*; puto illos Philoſophos ſuam fabulam ita intellexiſſe, vt dicerent animam poſſe quidem redire ad eadem numero corpora; ſed nō neceſſariò ad eadem numero redire, ſed poſſe etiam redire ad corpora numero diuerſa, cum dixerint, eam ſæpè redire ad corpora non humana: quare non negabant, ſed potiùs affirmabant, eam ad idem numero corpus aliquando redire, vt idem rediret numero homo: in quo ſenſu explicationi Patris Auguſtini locus relinquitur. Qua ſuppoſita ſatis conuincitur præcitatos Philoſophos non negaſſe, ſed aſſeruiſſe potiùs, hominis reſurrectionem viribus naturæ, non ſolùm eſſe poſsibilem, ſed de facto ſæpè dari. Sed quicquid ſit de illis Philoſophis, eādem opinionem probaſſe Democritum, teſtatur *Plinius lib. 2. de naturali hiſtoria c. 7. & lib. 7. c. 55.* vbi de Democrito ſcribit, non ſolùm eadem corpora poſſe reuiuiſcere; ſed de facto iterum victura eſſe: cum verò hoc ex reuelatione non habuerit; aſſerendum eſt, illum credidiſſe, reſurrectionem hominum viribus naturæ eſſe poſsibilem. Auguſt. Tertull. Mens philoſophorū. Democrit. Plinius.

§. 3.

Refertur ſententia veluti media.

6. Opinio veluti media. Sed quia præcitata opinio, non ſolùm, vt fabuloſa reijcienda eſt; ſed veluti fidei contraria; imò etiam ipſi naturali lumini impoſsibilis; explicanda eſt ſententia quædam, veluti media, quæ contra præcedentem aſſerit, hominis reſurrectionem ſimpliciter eſſe impoſsibilem, ſi de viribus naturæ abſolutè loquendum eſt; aliquo tamen modo admitti poſſe reſurrectionem viribus naturæ poſſe dari: ſi nimirum eadem numero materia eidem numero, vel ſpecie agēti diuinitus diſpoſita approximetur. V. g. ſi contingeret, eandem materiam ſeminis, & ſanguinis menſtrui, ex qua Petrus fuit conceptus, iterum conſtitui ſub forma ſeminis, & ſanguinis in matrice eiuſdem, vel alterius fœminæ; hoc enim poſito, vtique formaretur idem numero corpus, quod anteà in ventre matris ipſius Petri conceptum fuit: & præterea natu-

naturaliter anima vniretur eidem corpori,& ſic reſurgeret idem numero Petrus; idque viribus naturæ: non quidem ſimpliciter, & abſolutè; quia eadem materia naturaliter non potuit eiſdem numero diſpoſitionibus diſponi: ſed ſuppoſito miraculoſo reditu earundem numero diſpoſitionum, poteſt idem numero Petrus naturali virtute reſurgere. Hanc opinionem in terminis adeò expreſſè probauit
Henricus. *Henricus quodlib.* 11. *q.* 14. vt mirum ſit
Scotus. Suarium id negare. Expreſſè idem probauit *Scotus in* 4. *diſt.* 43. *q.* 3. *art.* 3. *litera*
Tartaret. *O.* §. *De tertio articulo dicitur, & litera P.* §. *Concedo concluſionem. Idem probat Tartaretus in ſuis reportatis ad eundem locum*
Baſſolius. *Scoti: & Baſſolius in d. diſt.* 43. *q.* 2. *art.* 3. §.
Ouandus. *Si quæras etiam, fol.* 124. *col.* 2. *poſt mediũ:*
Varro. *ſatis eſt de mente Ouandi ibidem propoſitio-*
Richard. *ne* 7: *refertur etiam Varro in eadem diſtinctione q.*4: *in hanc ſententiam inclinare Richardum plures referunt in* 4. *diſt.* 43. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 6. & multi volunt id ſatis eſſe de
D. Thom. mente *D. Thomæ in* 4. *diſt.* 43. *q.* 1. *artic.* 1. *quæſtiuncula* 3. *& diſt.* 44. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2.

§. 4.

Vera reſolutio.

7. 1. concluſio P Ro vera reſolutione duas ſtatuimus concluſiones. Sit prima concluſio: *Abſolutè loquendo reſurrectio eiuſdẽ numero hominis ſimpliciter eſt impoſsibilis viribus naturæ.* Hæc concluſio inter ſcholaſticos eſt vnanimo conſenſu recepta *in* 4. *diſt.* 43. *&* 44. Non poſſunt eam non recipere, qui in 1. art. docuerunt, viribus naturæ fieri non poſſe, vt idem numero corruptum redeat, quos citauimus ibidẽ §. 1. in 3. ſententia n. 7. Quin potiùs nobiſcum conſentiunt, qui ſecundam ſententiam ibidem probauerunt: licet enim aſſerant, fieri poſſe viribus naturæ, vt in aliquibus rebus idem numero corruptũ redeat; expreſſè tamen docent, fieri non poſſe, vt homo mortuus per vires agentis naturalis idem numero reſurgat: ita colliges ex Scoto, ſi benè expendatur *in* 4.
Scotus. *diſt.* 45. *q.* 3: inquirens enim in principio literę A. an ſuppoſito, quòd forma mixti (quam in homine realiter diſtinguit ab anima rationali) poſsit per vires naturę eadem numero redire; an iiſdem viribus poſsit anima rationalis illi reuniri, vt reſurgat idem homo? reſoluit in art. 2. & 3. pro parte negatiua: vnde ſimpliciter probat, reſurrectionem eiuſdem hominis naturaliter eſſe impoſsibilem, quod etiam ſatis explicat *Baſſolius ibidem q.* 1. *&* 2: & *Baſſol.* in terminis de reſurrectione id docuit *Dur. id.* *Durandus in d. diſt.* 43. *q.* 3. *& Richardus* *Richard.* *ibidem art.* 3. *q.* 1. *ad* 6. Id ipſum docuerat *D. Thom.* *D. Thomas in eodem loco q.* 1. *art.* 1. *quæſtiuncula* 3. *vbi etiam Capreolus, Hiſpalenſis, Paludanus, Sotus cum cæteris, atque Suarius* *Suarius.* *in d. diſp.* 44. *ſect.* 6. §. *Dico tertiò, pag.* 822. *col.* 2. *in fine*: ſed nobis ſatis ſit teſtimoniũ Auguſt. in libro de ſex quæſtionibus ad *Auguſt.* Deo gratia. q. 1. vbi ait: *Humanæ facultati impoſsibilẽ eſſe; diuinæ autem poteſtati facillimã,* & in lib. de verbis Domini ſerm. vltimo: *Non res incredibilis dicitur, quia de Deo, non de homine dicitur.* 8.

Hæc veriſsima reſolutio primùm probari poteſt, quoniam art. 1. huius quæ- 1. argum. ſtionis generaliter demõſtratum eſt, idẽ numero corruptum viribus naturæ redire non poſſe. Ergo nec idem numero homo viribus naturæ poterit reſurgere. Antecedens demonſtratum eſt art. 1. cõſequentia inde patet; quia omnes rationes, quibus naturalis illa impoſsibilitas demonſtratur, à fortiori locum habent in reſurrectione; in qua anima non educitur de potentia materiæ.

Sed ſpecialiter hæc impoſsibilitas in 9. reſurrectione hominis demonſtrabitur: Oſtenditur in reſurrectione hominis. etenim natura non poteſt hominem producere, niſi per generationem: ſed naturaliter eſt impoſsibile, vt homo mortuus poſsit iterum generari. Ergo naturaliter fieri non poteſt, vt homo mortuus reſurgat. Maior eſt nota, minor autem probatur: quia naturaliter fieri non poteſt, vt eadem numero materia, ex qua corpus illius hominis formatum fuit; iterum redeat, ſine qua idem numero corpus generari non poteſt: etenim materia illa per continuam tranſmutationem, & reſolutionem facilè diſsipatur, diuiditur, & cũ alia cõmiſcetur; vnde naturaliter, aut redire non poteſt, aut vix. Et quanuis fortè poſsit naturaliter accidere, vt eadem numero materia, ex qua corpus illud mortuum formatum fuit, & genitum; redeat ad matricem eiuſdem matris; tamen non poteſt naturaliter fieri, vt iiſdẽ numero diſpoſitionibus, & cum eodem nume-

numero temperamento, & organizatione diſponatur, quibus ad animam eiuſdẽ hominis in prima illius generatione fuit diſpoſita. Iam verò ſine iiſdem numero
10. diſpoſitionibus nõ poteſt illa materia determinari ad introductionẽ eiuſdem numero animæ rationalis: nam cum materia ipſa de ſe ſit indifferẽs ad diuerſas formas, & ſpecie, & numero diſtinctas: ſimiliter, & agens naturale ex ſe ſit indeterminatum ad hunc numero effectum, & ad illum; oportet, vt vtriuſque indifferẽtia ab aliquo determinetur. Determinari autem naturaliter non poteſt, niſi per has numero diſpoſitiones, & circunſtantias quibus tùm materia ad hanc numero formam, & nõ ad illam applicatur; tùm etiã agens, vt hanc, & non illam formam cum materia vniat. Nec enim illorum opinionem probo; qui volunt, his numero diſpoſitionibus ab agente in hac materia introductis adhuc dari indifferentiam ad effectus numero diuerſos; & hanc à ſolo Deo ad hunc potiùs, quàm ad illũ determinari; quæ opinio etiam non placuit Suario vbi ſuprà. Porrò ſi hæ numero diſpoſitiones, & potentiã materiæ ad recipiendam hanc numero formã, & actionem agentis ad ſolam iſtã numero producendam determinant; neceſſario concluditur non poſſe eundem hominẽ viribus naturæ ſuſcitari; ſi eædem numero diſpoſitiones, & circunſtantiæ non poſſunt naturæ viribus applicari ad vniendam hanc numero animã. Idem etiam cõcluditur, ſi
11. indifferentia materiæ diſpoſitæ ad hanc, vel illam formã; & agentis ad hunc, vel illũ effectũ à ſolo Deo determinatur: quoniã, licet Philoſophia illa fortè ſit admittenda, quando agens his numero diſpoſitionibus materiã diſponit: Deus tamẽ, vt author naturæ indifferentiã illam materiæ; & agentis nõ determinat ad eaſdem numero formas ſub his numero diſpoſitionibus, ad quas eã determinare poteſt ſub alijs numero diſtinctis: quia licet materia affecta his numero diſpoſitionibus indifferens ſit ad plures numero formas ſub eadẽ ſpecie; nõ tamen indifferens eſt ad omnes eiuſdẽ ſpeciei. Et eadẽ ratione, licet virtus actiua agentis, dũ his diſpoſitionibus ad agendũ cũ materia cõcurrit, indifferens ſit ad plures numero effectus diuina volũtate determinandos: nõ tamẽ indifferenter ſe habet ad omnes, qui ſub eadem ſpecie dari poſſunt; quam Philoſophiam, vt veriſsimam ſupponimus. Ea autem ſuppoſita, neceſſariò infertur, Deum; vt eſt author naturæ, non poſſe animam huius hominis eidem materiæ reunire, ſi non adſunt eædem numero diſpoſitiones, quibus in prima ſua generatione eidem corpori vnita fuit, quod in hac materia eſt maximè aduertendum.

Indifferẽtia naturalis à quo determinetur.

Quomodò Deus vt author naturæ determinet indifferentiam.

Secunda concluſio.

¶ Secunda concluſio: *Sed nec reſurrectio hominis eſſet naturaliter poſsibilis, quamuis daremus, eandem numero materiam eiſdẽ numero diſpoſitionibus diuinitùs diſpoſitã, quibus diſpoſita fuit, quando ille homo mortuus primò fuit conceptus, eidem naturali agenti approximari: adhuc enim ille numero homo naturaliter redire non poſſet.* Hæc concluſio ſtatuitur cõtra authores ſecundæ opinionis citatos §. 2. Facilè autem probabitur, ſi fundamenta aduerſariorum diſſoluamus: ex eorum enim ſolutione facilis erit impugnatio opinionis, quam defendunt. 12.

2. concluſ.

Quod attinet ad Henricum; ille ex eo ſumit fundamentum, quòd illæ diſpoſitiones, quamuis ſupernaturaliter eædem numero redierint; naturaliter tamen neceſsitant ad reunionem eiuſdem animæ cum illo corpore: iam verò anima rationalis ſeparata naturaliter poteſt ſe facere illi corpori præſentem, & indiſtantem ab eo: facta autem indiſtans, non poteſt illi non dare ſuum eſſe formale humanum: partibus autem eſſentialibus debitè approximatis, & mutuam in ſe ipſis cauſalitatem exercentibus, non poteſt non reſultare compoſitum. Et ſubinde non poterit non reſurgere idem numero homo. Hoc eſt vnicum, & totum Henrici fundamentum. 13.

Fundamentum Henrici.

Illud tamen non recipit Scotus *citatus* §. 2. *nec etiam illud recipit Ouandus in* 4. *diſt.* 43. *prop.* 7. & meritò; quia licet anima vnita corpori poſsit ſe ipſa corpus formaliter animare; non tamen poteſt effectiuè ſe vnire corpori, & efficienter illi dare eſſe humanum: quia ex Ariſtot. 2. Phyſicorum tex. 70. forma, & efficiẽs non coincidunt in idem numero: coinciderent autẽ, ſi anima ſe corpori vniret, D... tùm 14.

Non recipitur à Scoto. Ouand.

tùm formaliter, tùm efficienter: quia & formaliter, & efficienter daret illi eſſe humanum. Oportet igitur, vt in tali reſuſcitatione detur aliquod agens ab anima diſtinctum, quod actiuè vniat illam animam corpori, & à quo corpus illud effectiuè habeat eſſe humanum mediante illa anima. ¶ Ex hoc iam patet fundamentū, quo nititur Scotus: vult enim, illam reunitionem non poſſe efficienter fieri, aut ab anima, aut ab alio naturali agente, ſed à ſolo Deo: ſicut etiam in prima eiuſdem hominis generatione illa eadem anima à ſolo Deo fuit efficienter vnita eidē corpori naturaliter diſpoſito. Vt verò oſtendat, reunitionem illam naturaliter fieri, addit illam à Deo non fieri, vt ab agente ſupernaturali, ſed vt ab authore naturæ, qui ſtatuit, animam à ſe ſolo creatam, ſe ſolo naturaliter vnire corpori debitè organizato. Quare reunitionem illam fieri à ſolo Deo non tollit, quominùs naturaliter fiat: quia fit à Deo, vt ab authore naturæ per concurſum, & efficientiam naturæ debitam. Hæc habes ex *Scoto in 4. diſt. 43. q. 3. art. 3. litera D.*

15. Fundamentum Scoti.

Scotus.

16. Non concludit.

Sed profectò nec hoc Scoti fundamētum obtinet intentum: imò ſi principia Philoſophiæ recepta diligentiùs expendantur, potiùs concludit, illam reſurrectionem non eſſe naturalem; ſed fieri modo ſupernaturali, non ſolùm, quia illa numero materia eiſdem numero diſpoſitionibus fuit ſupernaturaliter diſpoſita; ſed etiam, quia reunitio illa facta fuit, non naturali modo, ſed ſupernaturali. Et vt id clariùs explicetur, aduertendum eſt, hominem naturaliter generari nō poſſe, niſi homo generans efficienter cōcurrat ad eſſe hominis geniti: Sol enim, & homo generant hominem, vt ait Ariſtoteles. Iam verò homo generans non poteſt efficienter concurrere ad eſſe ſubſtantiale hominis, quem generat, niſi animā à Deo creatam efficienter vniat cum corpore, vt ſupponimus. Cōcedendum eſt igitur, quòd homo, quando primò fuit genitus, nō potuit naturaliter generari, niſi patre efficienter concurrente ad vnionem animæ cum corpore: nam licet ad veram generationē viuentis non neceſſariò requiratur, quòd generans actiuè producat ipſam animam (id enim ſolùm ſi requiritur, cum anima educitur de potētia materiæ; ſecùs ſi non educatur) neceſſariò tamen requiritur, quod generans efficienter attingat vnionē animæ cū corpore; vt etiā ſupponimus. Quare, ſi poſita debita organizatione, corporis per actionē generantis, Deus impediret, ne generās ſua actione attingeret illam animæ cum corpore vnionē; ſed etiam ſe ſolo immediatè faceret; ita vt ſe ſolo immediatè, & animam crearet, & eam còrpori vniret; talis homo non diceretur naturaliter genitus ab alio homine. Eodem igitur modo, ſi in noſtro caſu Deus ſe ſolo faceret reunitionē illius animæ ad idem corpus diuinitùs organizatū, talis regeneratio, & reſurrectio non eſſet naturalis, ſed ſupernaturalis. Porrò ſi actio reunitionis illius animæ ad tale corpus eſt neceſſaria, vt illa dicatur naturalis; profectò reproductio talis hominis naturaliter non eſt poſsibilis; quia actio præterita naturaliter redire non poteſt, vt diximus in 1. art. Concludendum eſt igitur, regenerationem talis hominis nec poſſe dici naturalem ex parte Dei, vt eſt author naturæ: quia vt talis ſolùm ſtatuit concurrere ad vnionem animæ cum corpore, mediante actione hominis generantis, quæ hic dari non poteſt.

Aduertendum.

17. Homo eſſectiuè vnit animam rationalem cum corpore.

Et hinc habes ſolutionem tùm ad fundamentum Henrici, tùm Scoti: quoniam poſito illo caſu, diſpoſitiones non neceſſitarent Deum, vt eſt author naturę, ſicut diximus. Quod hoc loco eſt ſummè aduertendum. 18.

§. 5.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.

Sed adducamus, & ſoluamus argumenta, quę contra duas cōcluſiones à nobis poſitas communiter adducuntur. 19.

Contra primam ita obijci ſolet: quoniā mortuo Petro, manet in materia naturalis potentia paſſiua ad recipiendam eandem numero animam: etenim ipſa potētia materiæ eſt ipſius eſſentia: eſſentia autem rei ſemper manet cum re. Præterea in anima ſeparata manet appetitus naturalis, vt corpori vniatur, vt cum Auguſt. 12. de Geneſi ad literam c. 35. docet D. Thomas 1. part. quęſt. 76. art. 1. ad 6. quia appetitus cum realiter ſit ipſa anima, eſt etiam immutabilis, qui non eſt aliud, quam propenſio quædam, & inclinatio

Argumentum 1. contra primā.

ad informandum corpus. Sed naturalis illa materiæ potentia, naturalis item appetitus animæ omnino eſſent fruſtra, niſi in natura daretur naturalis vis, qua ad actum reducerentur. Ergo admitti debet aliqua naturalis vis, quæ animam Petri poſſet eidem corpori reunire, & reuniendo Petrum ſuſcitare.

20. Solutio. ¶ Hoc argumentum ſatis ſufficienter ſoluunt Couimbricenſes 2. de Generat. *c.11.q.1.art.4.ad 4.pag.494.* Et quod attinet ad potentiam materiæ ad recipiendam eandem numero animam, admittimus, eam eſſe naturalem; ſi naturale idẽ eſt, quod inditum à natura: Deus enim author naturæ creauit illam entitatem, quæ eſt ſubſtantialis potentia ad recipiendam omnem formam naturalem; & in hoc ſenſu talis naturalis potentia eſt immutabilis. At tamen ſi naturale idem eſt,

21. Quomodò potẽtia materiæ ad animã ſit naturalis? quod habens reſpectum ad agens naturale, cuius actione ad actum reducatur; negandum eſt potentiam materiæ eſſe naturalem ad animam Petri recipiendã; quia actione agentis naturalis iam non poteſt ad actum reduci; licet aliquando in ordine ad eandẽ animam naturalis fuerit, & de facto reducta ad actum naturalis agentis actione: hæc autem naturalitas non eſt immobilis, & perpetua ipſi materiæ; quia amittitur per ſeparationem animæ ab ea: etenim per talem ſeparationẽ, manſit cum priuatione talis animæ; iam verò à priuatione ad habitum naturaliter non eſt regreſſus, vt diximus ſuprà q.3. art.1. Quare ſicut per mortem generans iam illa non continet in naturali ſua virtute generatiua, vt latè diximus in d. q. 3. ita etiam ipſa materia iam eam non cõtinet in ſua potentia paſſiua. Quod verò

Quomodò in anima ſeparata manet appetitus naturalis ad corpus. *Conimbr.* attinet ad appetitum naturalem ad informandum corpus, qui in anima ſeparata dicitur manere; Conimbricenſes loco citato videntur illum admittere in tali anima: negant tamen, talem appetitum fruſtra in ea dari: quia ne talis appetitus dicatur fruſtra datus animæ, ſatis eſt, quòd in prima hominis generatione fuerit naturaliter reductus ad actum; tum per Deum naturæ authorem; tum per patrẽ generantem, qui naturaliter attigit vnionem illius animæ, vt ſuprà diximus.

Bañes. Solutio etiam placuit Bañes 1.*part.q.76. artic.1.dub.5.ad 4.* Quæ ſolutio eſt optima de appetitu naturali, qui ſolùm eſt naturalis ex parte termini, ſiue finis: qui ſolus reperitur in anima ſeparata, quia neceſſariò eſſentiam animæ conſequitur: vnde ſemper permanet, quanuis ex parte principij iam non ſit naturalis; de quo iterùm dicemus inferiùs in quæſtione vtrùm futura reſurrectio dicenda ſit naturalis? Vide interim Diuũ Thomam 4. contra gentes cap.81. & Ferrarienſem ibidem; atque etiam Diuum Thomam 1.*part.quæſt.76.art.1.ad 6. vbi latè Caietanus, §. Ad ea autem, quæ naturalitatem, vbi etiam Bañes dub. 5.* vt alios omittamus. Vera igitur & facilis ſolutio ſit, vt in anima ſeparata detur appetitus naturalis, vt iterum corpori vniatur, ſi ſermo ſit de appetitu naturali quoad finem, & terminum, qui appetitur: ſecus autem, ſi ſermo ſit de appetitu ſimpliciter, & abſolutè naturali; qualis eſt, qui & quoad finem, & quoad viam, ſiue quoad fieri eſt naturalis. Iſte fruſtra in ea daretur, ſi non eſſet agens, à quo poſt ſeparationem poſſet impleri: ille verò ſolùm eſſet fruſtra; ſi nunquam impleri potuiſſet; ſecus ſi ſemel impletus, iterum naturaliter impleri nequeat. 22. *D. Thom. Ferrar. Caieta. Bañes.* Facilis ſolutio.

Deinde arguunt: Anima contra naturam ſuam detinetur extra corpus: eſt enim illi naturale in corpore eſſe, cũ ex ſua natura ſit actus corporis, vt patet ex libris de Anima. Sed nullum violentum poteſt eſſe æternum, ex Ariſtotele 1. *de cœlo cap.2.text.15.& lib.2.cap.3. tex.18.* Ergo anima non poteſt ſempiterno tempore permanere in illo ſtatu ſeparato. Habebit igitur in natura aliquam naturalem vim, cuius actione debeat ad ſuum corpus redire. 23. 2. argum contra primam. *Ariſt.*

¶ Ad hoc argumentum ſatis ſufficienter reſpondent Conimbricenſes vbi ſuprà ad ſecundam probationem quarti argumenti: vbi ſimpliciter negant, ſtatum animæ extra corpus eſſe contra naturam animæ; quia ſolùm eſt præter naturam: cum enim non habeat naturalem inclinationem quoad fieri, ſed ſolùm quoad terminum; non poteſt impediri à corpore per aliquam vim extrinſecam, cui ipſa animæ inclinatio reſiſtat. Vide interpretes Diui Thomæ 1. *parte, quæſtione 89. artic.1. vbi Caietanus, Bañes cum cæteris.* 24. Solutio Conimbric.

25. 3. argum. contra primam. Tertiò obijcitur: homini conſiderato ſecundùm præciſam ſuæ naturę cõditionem debetur naturalis beatitudo: etenim cæteris omnibus rebus vltimus finis naturaliter eſt debitus. Sed homo hanc ſuã beatitudinem naturalem non poteſt obtinere in hac vita: tum; quia præſens vita mortalis pluribus eſt obnoxia miſerijs, tum etiã; quia id docet Auguſtinus 13. *de Trinitate c.8.& 20.* dum affirmat, non poſſe hominem in corpore mortali aſſequi beatitudinem. Ergo homo naturalem beatitudinem conſequi non poterit, niſi poſt hanc vitam: ſed nec eam conſequi poteſt in ſola anima ſeparata: tum; quia naturalis appetitus beatitudinis, qui datur in toto homine, tanquam appetitus totius ſpeciei, nõ poteſt in ſola anima ſeparata ſatiari: tum etiã, quia non ſola anima meruit præmiũ, ſed totus homo: vnde Sancti Patres, ideò hominum reſurrectionem probant; quia non ſola anima in via meruit, ſed totus homo, vt inferiùs dicemus. Ergo oportet, vt totus homo poſt mortem naturaliter reſurgat, vt ſuam naturalem beatitudinem aſſequatur.

August.

26.

27. Solutio Cani, & Bellomont. ¶ Ad hoc argumentum Canus, & Bellomontanus negarent homini ſecundũ ſuã naturam ſpectato competere aliquam naturalem beatitudinem: etenim negant, admittendam eſſe beatitudinem naturalem: ita *Canus 9. de locis Theol. cap. 9. pag. 521. & Bellom. 1. p. diſp. 226. c. 2. n. 34. & 1. 2. diſp. 12. c. 3. n. 1.* Sed horum ſententiam non admiſimus 1. tom. lib. 3. q. 1. ar. 3. §. 4. nec lib. 4. q. 14. in præfatione. Vnde Conimbricenſes vbi ſuprà ad quartã probationem quarti argumenti admittunt, homini ſecundùm ſuam naturam ſpectato competere beatitudinem naturalem, quæ eſt communis ſententia, vt oſtendimus in d. q. 1. art. 3. §. 3. Sed nos ibidem §. 4. reſoluimus de facto nullam naturalem beatitudinem homini deberi, eam tamen fuiſſe poſſibilem. In hoc igitur ſenſu admittimus maiorem, & eam potuiſſet homo viribus naturæ conſequi, tùm in hac vita mortali; tùm poſt hanc vitam, vt oſtendimus lib. 4. q. 1. ar. 1. n. 3. Quare neganda eſt minor, ſi abſolutè intelligatur: admittenda tamen, ſi intelligatur de beatitudine naturali in ſua ſumma perfectione, vt ibidem diximus concl. 2. n. 6. Vnde negandum eſt, quòd

Canus.

Non admittitur.

Propria ſolutio.

28.

anima ſeparata eam non poſſet conſequi: etenim Ariſt. mortuorum reſurrectionẽ non agnouit; quin potiùs eam naturæ viribus eſſe impoſsibilem, in hoc articulo oſtendimus: & tamen Ariſtot. cognouit naturalem beatitudinem poſt hanc vitam poſſe haberi ab anima ſeparata, vt diximꝰ in d. q. 4. ar. 1. n. 7. ex 1. Ethicor. c. 11. ad finem, vbi *D. Thomas lectione 16. in vltimis verbis.* Ad id, quod primo loco obijcitur, dicimus, quòd appetitus ille naturalis in homine repertus foret tunc accommodatus ad naturam beatitudinis naturalis: cum enim homo nullam aliam ſibi eſſe propoſitam beatitudinem cognoſceret, niſi naturali modo; modus autẽ naturalis dictaret, beatitudinem ſolùm eſſe debitam toti homini pro ſtatu vitæ; pro futura verò ſoli animæ; quia ductus ſolo lumine naturali reſurrectionem iudicaret eſſe impoſsibilem; vtique nec in homine daretur appetitus naturalis, vt poſt hanc vitam iterùm beatitudinem conſequeretur; nec in anima ille conſeruaretur, vt appeteret reuniri, vt totus homo rebeatificaretur. Igitur non oportet, vt appetitus naturalis totius ſpeciei ad beatificationẽ totius hominis ſatiaretur: cum nullus talis, aut in toto homine, aut in anima ſeparata vnquam repertus fuerit. Ad id, quod de merito obijcitur, admittimus, totum hominẽ in hac vita meruiſſe ſibi beatitudinem dari in præmiũ; dicimus tamen, cum hanc meruiſſe modo ſuo ſtatui accõmodato: vt ſibi toti pro præſenti vita daretur præmium naturalis beatitudinis; ſuæ verò animæ pro vita futura. Vnde ceſſat vis argumenti. Quomodò autem Patres hac ratione vtantur, inferiùs explicabimus.

D. Thom. *Ariſt.*

29. Ad 1. obiectionem.

¶ Contra ſecundam concluſionẽ, primũ obijci poteſt fundamentum Henrici, & Scoti, de quo in §. 4. præced. quoniam illæ diſpoſitionẽs, quæ diuinitùs materiã informarent, naturaliter neceſsitarent ad reunionem eiuſdẽ numero animæ. ¶ Sed ad hoc argumentum iam patet ſolutio ex ijs, quæ diximùs §. 3. pro ſecunda concl. 30. 1. arg. contra 2.

Solutio.

Deinde obijci poteſt; quia hæc videtur eſſe ſententia D. Thomæ *in 4. diſt. 43. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3.* dum ait reſurrectionem futurã, ideò eſſe miraculoſam; quia diſpoſitio corporis non fit modo naturali per virtutem ſeminis. Ergo ex mente 31. 2. argum.

D. Tho-

D.Thomæ, ſi ſupponatur applicari eandem materiam per virtutem eiuſdem ſeminis diſpoſitam, reſurrectio naturaliter fieret. Accedit; quòd idem D.Thomas in 4.*diſt.*44.*q.*1.*ar.*1.*quæſtiunc.*2.*ad* 1.dicit, ideò per generationem naturalem non redire eundem numero hominem; quia non fit ex eadem materia. Ergo ſi rediret eadem materia, ſaltem ſupernaturaliter, poſſet idem homo redire actione agentis naturalis. Deniqué Richardus contra iſtam concluſionem docet *in* 4.*diſt.*43.*art.* 3.*q.*1.*ad* 6. dum ait, facta applicatione eiuſdem materiæ eidem agenti, eundem numero hominem naturaliter redire.

D. Thom.

Richard.

32. Solutio. ¶ Ad hoc argumentum dicimus D.Thomam in 1. loco non agere de quacunque diſpoſitione, ſed de ea, quæ eſt actiuum principium naturale ad vniendam animã cum corpore debitè organizato: in hoc igitur ſenſu reſurrectio futura non erit naturalis; quia ibi non concurret naturalis virtus ſeminis, quæ illam vnionem efficienter faciat: nec talis virtus naturalis poteſt dari; etiamſi diſpoſitiones ex parte materiæ diuinitùs adſint: qualis nõ eſt virtus, quæ eſt in ſemine. Vnde in argumento ſupponitur vnum falſum, quod D.Thom. nunquam poſuit. Ad ſecundũ locum ex eodem D.Thoma dicimus, D. Thomam ibi ſolùm reddere rationẽ, cur idem numero homo communiter non redeat, non verò reddere adæquatam cauſam, cur abſolutè naturaliter redire non poſſit; quam tamen reddidit in primo loco. Richardus autem, licet doceat, regenerationem hominis, ideò naturaliter dari non poſſe; quia naturaliter non poteſt dari idem numero ſemen, nec eadem omnino ſeminis materia; non proinde exiſtimat, quòd ſi eadem numero materia, & idem numero ſemen diuinitùs darentur, poſſet redire idem numero homo: etenim tale ſemen non poſſet ſua naturali virtute effectiuè concurrere ad vnionem animæ; ſiquidem non poſſet habere eandem numero actionem, quam habuit in prima eiuſdem hominis generatione, ſine qua naturaliter cooperari non poteſt.

Explicatur D. Thom.

Explicatur Richard.

ARTICVLVS IIII.

An hominis reſurrectio per potentiam diuinam ſit poſsibilis?

PArtẽ negantẽ huius quæſtionis probaſſe cõmunem omniũ antiquorũ Philoſophorum ſcholam, teſtatur Tertullianus in lib. *de præſcrip. hæreticorũ* c.7. ita inquiens: *Vt carnis reſtitutio negetur, de vna omnium Philoſophorum ſchola ſumitur.* In eodem errore fuerunt Epicurei ſimul cum Stoicis, & illis, qui negarunt animæ immortalitatem: cum enim crederent, animam ſimul cum corpore interire, ſimul negabant, illam poſſe iterum redire ad aliquod corpus; ne dum ad idem numero: inde Epicurei, & Stoici Actorũ 17.*n.*18.*&* 38. Athenis cũ Paulo diſputantes, non ſolùm eum erridebant reſurrectionem prædicantem; ſed etiam illum appellabant verborum ſeminatorem, id eſt, ſeminatorem doctrinæ ridiculæ. Feſtum Actorũ 26. in eodem fuiſſe errore facilè colliges ex illis verbis: *Inſanis Paule;* quibus ſatis declarat, Paulum inſanire; dum reſurrectionem prædicat. In eodem errore refertur Plinius *lib.* 2. *de naturali hiſtoria c.* 7. *&* *lib.*7. *c.*55. Sadducæos in hoc errore fuiſſe apud Iudæos plures affirmant; & id probant ex Matthæo 22. & ex Marco 12: ex his tamen locis benè conſtat, eos negaſſe, futuram eſſe reſurrectionem; non tamen conſtat, quòd eam negauerint tanquam impoſsibilem: ſicut etiam non conſtat; an Marcion, alijque hæretici eam negauerint, tanquam impoſſibilem; an vero, tanquam non neceſſariã? Fundamenta huius impoſsibilitatis eadem ſunt cum illis, quæ probant, nec diuina virtute fieri poſſe, vt idem numero corruptum redeat, quæ videre eſt ſuprà art.2. §.5.

1. Qui partẽ negantem probauerint. Tertull.

Error Epicureorum, & Stoicorum.

Error Feſti

Error Sadducæorum.

2. Veritas fidei. Sed tamen reſurrectionem hominis diuina potentia eſſe poſsibilem, & fides prædicat, & ratio ſuadet: etenim, cum fides prædicet, futuram eſſe hominum reſurrectionem, vt inferiùs oſtendemus; ſimul etiam prædicat illius poſsibilitatem: etenim ab actu ad potentiam valet conſequentia.

3. Accedit etiam ratio in hac materia efficaciſsima; quia nihil eſt diuinæ potentiæ denegandum, niſi impoſsibilitas, & implicatio oſtendatur: hæc autem oſtendi nũquam poterit: ſicut etiam nunquã oſtendetur implicatio, ne idẽ numero annihilatum, ſiue corruptũ per diuinam potentiam reproducatur. Vide in d.art.2.§.5.

ARTICVLVS V.

Vtrùm poſsibilitas reſurrectionis poſsit ratione naturali demonſtrari?

1. Sotus quod non poſsit naturaliter probari.

DE hac quæſtione aliqua eſt inter Philoſophos controuerſia. Quidã non ſolùm negant, rationibus naturalibus probari poſſe, reſurrectionem eſſe poſsibilem; ſed nec poſſe eiſdem perſuaderi; poſſe tamen aliquibus naturalibus ſimilitudinibus, & exemplis oſtendi, eam non eſſe impoſsibilem: hæc eſt opinio Soti *in* 4. *diſt.*43.*q.*1.*ar.*3.*in* 3.*concl. pag.*398.*col.*2. Medina verò 3.*p.q.*53.*ar.* 1. *cum Soto exiſtimat*, poſsibilitatem reſurrectionis non poſſe rationibus naturalibus euidenter demonſtrari; poſſe tamen probabiliter ſuaderi. Primum docet *in d.art.*1.*concl.*1.*pag.*885.*col.*2. Secundum verò *ibidem in* 2.*concl.pag.*886.*col.* 1. Suarius autem 2.*tom. ad* 3.*p. diſp.* 44. *ſect.* 8.*pag.* 828. admittit, poſsibilitatem iſtam non ita poſſe euidenter demonſtrari, vt à nemine, etiam proteruo, poſſit negari: poſſe tamen dari ferè phyſicã demonſtrationem, quæ ſatis ſit ad conuincendum intellectum benè diſpoſitũ.

Opinio Medinæ.

Opinio Suarij.

2. Propria opinio.

Ego puto omnes conuenire: quoniam omnes conueniunt, dari non poſſe demõſtrationem omninò euidentem, qualis eſt Mathematica. Cõueniunt etiam dari nõ poſſe demonſtrationẽ, quam appellamus phyſicam: hoc enim non negat Suarius: quia ſolùm admittit, dari poſſe demõſtrationem ferè phyſicam: quibus verbis nõ audet admittere demonſtrationem ſimpliciter phyſicam; in quo cõueniunt Sotus, & Medina, dum dicunt non poſſe reſurrectionis poſsibilitatem rationibus naturalibus euidenter demonſtrari: nec enĩ agunt de euidentia mathematica, quæ intellectum, etiam proteruum, conuincat; ſed de euidentia phyſica, quæ principijs certis, & naturaliter indubitatis innititur. Quare omnes admittunt, hanc poſsibilitatem rationibus lumine naturali ferè notis, & ferè certis demõſtrari poſſe. In hoc tamen Sotus non eſt audiendus, quòd putat poſſe naturalibus rationibus declarari, eam non eſſe impoſsibilem; ſi ita id intelligat, vt poſsimus naturaliter oſtendere rationes in contrarium adductas impoſsibilitatem non conuincere: id enim etiam eſt dicendũ de omnibus fidei myſterijs quoad ſubſtantiam ſupernaturalibus: cum tamen reſurrectionis poſsibilitas poſitiuè ſuaderi queat aliquibus rationibus probabiliter vrgentibus. Statuim⁹ igitur poſsibilitatem reſurrectionis non ſolùm poſſe naturaliter probari oſtendẽdo, non concludere argumenta, quæ poſsibilitatem improbant; ſed probari poſſe poſitiuè oſtendendo illius poſsibilitatẽ. Quod mihi ſatis confirmat D. Gregorius 14.*moral.c.*28.*qui reſurrectionis fidem* (inquit) *ex obedientia non tenent; certè hanc tenere ex ratione debuerant.* Et D. Thomas 4.cont.gent. c.79. vbi eas rationes, quas ex natura adducit, appellat euidentes.

D. Gregorius.

Sit igitur prima ratio generalis ad poſsibilitatem efficaciter confirmandã: quoniam ratio naturalis, quæ in Deo agnoſcit infinitam potentiam, agnoſcit, Deum poſſe omne id, quod non oſtenditur impoſsibile: nam Luc.1: *Non eſt impoſsibile ad Deum omne verbum*, id eſt, omne, quod tanquam poſsibile concipi poteſt: iam verò ratio naturalis dictat eſſe poſsibile, quod non oſtenditur ſimpliciter impoſsibile. Sed ſtando in lumine naturali, nulla ratio poteſt oſtendere reſurrectionem eſſe ſimpliciter impoſsibilem. Ergo ſtando in ſolo lumine naturali ſatis probabiliter oſtenditur, reſurrectionis poſsibilitas. Poteſt quidẽ dari efficax ratio, quòd illa ſit impoſsibilis viribus naturæ, vt oſtendimus ſuprà art. 3. & de re corrupta ſupra q.2. art.1. at tamen nulla dari poteſt ratio, quæ naturaliter demonſtret impoſsibilitatem ſimpliciter. 3. 1. ratio.

Secunda etiam ratio ſatis eſt efficax: quoniam Deus ſua infinita potentia (quã in eo ratio naturalis agnoſcit) potuit hominem ſe ſolo ex nihilo producere. Ergo poteſt eundem hominem iam mortuum ſuſcitare. Antecedens ſupponitur naturaliter vel demonſtratum, vel ferè. Cõſequentia inde efficaciter oſtenditur, quia eodem lumine naturali certum eſt, maius eſſe hominem quoad vtrãque partem (animam.ſ. & corpus) ex nihilo producere; quàm eum iam mortuum ſuſcitare: etenim per mortem vtraque hominis pars realiter manet, quamuis vna ab alia maneat ſeparata: at in creatione vtraque erat nihil, & vtraque educta ex nihilo, cum altera fuit vnita ad componendũ hominem: iam verò maius eſt, duo ex nihi- 4. 2. ratio.

nihilo creata ſimul coniungere; quàm ea in eſſe permanentia, & ſeparatim exiſtẽtia iterum coniungere. Ergo ſi Deus potuit hominem ex nihilo creare, à fortiori poterit eum iam mortuum ſuſcitare.

5. Ea vtitur D. Gregor.

Quo argumento vſus eſt D. Gregor. *homil. 26. in Euangelia*, ita ſcribens: *longè minus eſt Deo reparare, quod fuit, quam creaſſe, quod non fuit: aut quid mirum, ſi hominem expuluere refecit, qui ſimul omnia ex nihilo creauit.* Eodem etiam vtitur homil. 2. in Ezechielem, vbi ita ait: *Mirari ſolent, qualiter caro reuiuiſcere poſſit expuluere? mirentur igitur altitudinem Cœli, molẽ terræ, abyſſum aquarum, omnia, quæ in mundo ſunt, ipſos quoque Angelos creatos ex nihilo: minus eſt valde aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo feciſſe.* Vide eum 14. Moral. cap. 30.

6. Eadem vtitur Auguſt.

Eodem argumento vtitur Auguſtinus ſermo. 15. de verbis Apoſtoli ita inquiens: *Te appello, quicunque fideli animo de reſurrectione dubitas, & putas nõ poſſe mortuos reſuſcitari. Quid eſt amplius ex nihilo homines facere, qui viuant; an eos, qui facti ſunt, & vixeraut, reparare poſt mortem? vtique plus eſt facere, quod nũquam fuit, quã reparare, quod fuit. Quomodo ergo impoſsibile eſſe dicis, vt Deus, qui hominem formauit ex nihilo, reformet? quomodo nos ſuſcitare non poteſt conuerſos in puluerem, qui etiamſi in nihilum rediremus, facere poterat, vt eſſemus; ſicut & fecit nos eſſe, cum antea nunquã fuiſſemus.*

Alius locus Auguſt.

Idem Auguſtinus in lib. de Catechiſmo ſermo 1. *Non fuiſtis*, inquit, *& eſtis; & non reſurgent mortui, qui fuerunt? ſi ergo potens eſt Deus facere, quod non fuit; non poteſt reparare, quod fuit? non dubitat Charitas, & ſi non apprehendit infirmitas.*

3. Locus ex eodem.

In lib. de verbis Dñi ſermone vltimo *puto, quia cùm dicitur Deus mortuos ſuſcitaturus eſt, non res incredibilis dicitur; quia de Deo non de homine dicitur: Magna res eſt, & incredibilis; ſed non ſit incredibilis; quia Deus eſt, qui facit. Ille ſuſcitabit te, qui creauit te: non eras, & es: & factus non eris? abſit, ne credas. Mirabilius aliquid fecit Deus; quando fecit, quod non erat, quàm facit reparaturus, quod fuerat.* Videndus eſt in lib. 2. de Conſolatione mortuorũ cap. 2; vbi inter alia ad noſtrum inſtitutum, ita ait: *Dubitas, quomodo poſsis reparari poſt mortem, & reſtitui poſt cineres, & oſſa conſumpta? O homo, ſi dicere velimus, quid fuiſti, antequam in matris vtero conciperes; nihil vtique. Deus ergo, qui te creauit ex nihilo, non ne faciliùs poterit reparare de aliquo? non ne faciliùs poteſt facere, quod ante iam fuit, qui potuit creare, quod non fuit?* Citari etiã ſolet in ſermone 64. de verbis Domini in fine, & Epiſtol. 49. quæſtione 1. & Epiſt. 146.

7. Eadem vtitur Cyrill. Ieroſolym.

Denique hoc argumento vtitur *Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 18. fol. 163. pag. 1.* ita inquiens: *Verum eſt maius ſtatuam, quæ nulla erat, ab initio formare; quam eam, quæ ceciderat in eandẽ rurſus formam confiare? qui ex nihilo, nos fecit Deus, nunquid iam exiſtentes, & cadentes, rurſus excitare non poterit?*

8. Cõfirmatur ex Patribus

Hæc igitur ratio, qua tot vtuntur ſancti, ſatis ſit ad ſtabiliendam, & probabiliſsimè confirmandam reſurrectionis poſsibilitatem, quam pluribus alijs rationibus à natura petitis confirmant Patres citati: maximè D. Ambroſius *in lib. de fide reſurrectionis tom. 4. pag. 322. & Cyrillus Ieroſolymitanus in d. Catecheſi* 18: plures ex illis citat Medin. vbi ſuprà: ſed ſatis ſint, quos adduximus.

Ambroſi.

Alia confirmatio.

Quæ inde magis confirmabuntur; quia ratio naturalis potentiã Dei cognoſcens, efficaciter probat, Deũ poſſe multa facere, & de facto faere, quæ ſunt ſupra naturam. Licet autem ipſum nihil, quod eſt terminꝰ corruptionis, ideo quia eſt priuatio rei corruptæ, eam tollat à potentia, tàm materię, quàm actiuitatis naturæ; non tamen illam tollit, ne ſit in potentia infinita Dei; de quo multa diximus ſupra art. 1. & 2. huius quæſtionis.

9. Soluitur quorũdam obiectio.

Nec his obſtat, ſi cum aliquibus obijcias, reſurrectionis poſsibilitatẽ eſſe dogma fidei, quod à Paulo dicitur myſteriũ diuinam reuelationem expetans: non obſtat, inquam, vt benè aduertit Suarius *in dicta diſp. 44. ſect. 8. in finè*; quoniam dogma fidei primò, & per ſe terminatur ad reſurrectionem eſſe futuram, vt patet, ex conſequenti verò, & ſecundario terminatur ad illius poſsibilitatem: nam cum ab actu ad potentiam conſequẽtia ſit neceſſaria, ſi fides docet, futuram eſſe mortuorum reſurrectionem; ex conſequenti docet, illam non eſſe impoſsibilem, ſed poſſibilem: iam verò, quæ iſto modo ſub obiecto fidei continentur, poſſunt rationibus naturalibus efficaciter probari; imò aliquando demonſtrari, ſi ſunt naturalia quoad ſubſtantiam; ſupernaturalia verò quoad modum: nam Deum creaſſe Mũ-

dum

dum non ab æterno, ſed in tempore, eſt de fide; & tamen Deum potuiſſe mundum creare, ſaltem in tempore, naturali lumine demonſtratur. Mare rubrum filijs Iſrael fuiſſe diuiſum, ita vt aquæ ſtarent, fides docet: Deum tamen potuiſſe aquas diuidere, & retinere, ne fluerent, demonſtrat naturalis ratio. Quare non valet hæc conſequentia: *de fide eſt reſurrectionem eſſe poſsibilem. Ergo poſsibilitas eius naturalibus rationibus non poteſt demonſtrari.* Vt omittamus, quòd multa ſunt de fide, quæ naturali lumine demonſtrãtur: nam fides docet, animam eſſe immortalẽ: Deũ eſſe creatorem: & tamen & immortalitas animæ naturaliter demonſtratur; & Deũ poſſe res creare.

10. Soluitur obiectio. Sed obijcit Sotus; quoniam ex Ariſtotele, ſicut res ſe habet ad eſſe; ita ad cognoſci: ſed reſurrectio naturaliter eſſe non poteſt. Ergo nec poteſt naturaliter cognoſci. Argumentum, ſi vim aliquam habet, ſolùm eam haberet de futura actuali reſurrectione; non verò de illius poſsbilitate: quia actualis futuritio illius ex ſola fide habetur: & quanuis aliquibus congruentijs à natura petitis ſuaderi valet, vt dicemus: non tamen poteſt efficaci probabilitate ſuaderi. Porrò poſsibilitas reſurrectionis ſolum eſt de fide ex conſequenti, & ſecundario, vt diximus: hæc autem, ſicut ex natura habent, quòd ſint poſsibilia; ita ex natura habent, quòd ſint naturaliter cognoſcibilia.

QVÆSTIO IIII.

De actuali futuritione reſurrectionis.

SVppoſita, imò etiam cõfirmata poſsibilitate reſurrectionis, inquirendũ eſt; an illa aliquando ſit futura? etenim à poſſe, non valebit conſequentia ad eſſe.

De hac quæſtione duo ſunt inquirenda: vnum eſt; an mortuorum generalis reſurrectio ſit futura? Alterum eſt; an omnes homines ſint reſurrecturi.

ARTICVLVS I.

Vtrùm generalis mortuorũ reſurrectio ſit futura?

§. 1.

Refertur error negans.

1. Error negans.

QVod reſurrectio mortuorum futura non ſit, plures tàm ex Philoſophis ante Chriſti aduentum, quàm ex hæreticis poſt aduentum eius affirmarunt. Eam nec probauerunt, nec probare poterãt Philoſophi, qui ante Chriſti aduentum docuerunt, reſurrectionem ſimpliciter eſſe impoſsibilem, quos citauimus quæſt. præcedente art. 4; & inter eos enumerauimus Epicureos, & Stoicos, & cum illis Plinium: hi omnes ideo negabant futuram eſſe reſurrectionem; quia putabant, eam eſſe ſimpliciter impoſſibilem. De his legi poſſunt Tertullianus *in lib. de Reſurrectione carnis, & de Præſcriptione hæretic. & Auguſtinus 12. de Ciuitate Dei cap. 13. & lib. 22. cap. 25.* *Tertull. Auguſt.*

2. Sadducæorum error. Iſtum errorem apud Iudæos placuiſſe Sadducæis, patet Matthæi 22. *Acceſſerunt* inquit, *ad eum Sadducæi, qui dicunt reſurrectionem non eſſe*, & idem habetur Marci 12. Lucæ 10. Actorum 4. 5. & 23. Hunc errorem in Eccleſia cępiſſe à temporibus Apoſtolorum, omnes docent. Primùm illius ſuſcitatorem fuiſſe Simonem Magũ teſtatur Caſtro verbo *reſurrectio hæreſi* 1. Reſurrẽtionem negaſſe Hymenæum, & Phyletum, docet Paulus 2. *ad Timotheum* 2. *num* 17: Dicebant enim, reſurrectionẽ iam eſſe factam, & ideo non iam eſſe futuram. Hanc hæreſim ſucceſſu temporis innumeros ex hæreticis probaſſe, refert Caſtro vbi ſupra: reſurrectionem enim negauerunt Cedron, Marcion, Baſilides, Appelles, Valẽtinus, & innumeri alij; inter quos enumerandus eſt Porphyrius, vt refert *D. Thomas* 1. 2. *q. 4. art. 6. ex Auguſtino 12. & 22. de Ciuitate Dei, vtrobiq; cap. 26.* Hunc errorem plures tribuunt Origeni; ſed alij eum ab hoc errore liberant. Vide *apud Caſtrum vbi ſupra, & apud Suarium 2. tom. ad 3. partem diſput. 50. ſect. 1. pag. 982. col. 1*: etenim *homil. 1. 9. & 25.* in numeros ſatis fatetur futuram reſurrectionem, dum ait, corpora reſurgentium habitura quatuor illas qualitates, de quibus agit Paul. 1. Corint. 15. Illud ferre nõ poſſum, quod colligitur ex Medina ad *3. p. q. 53. art. 1. pag. 884. col. 2. & aliquo modo ex Suario in d. tom. diſput. 44. ſectio. 6. §. Dico tertio pag. 823. col. 1. ante medium,* Diſci-

Marci. 12 Lucæ. 10. Simon. Hymenæus Philetus. Prophyri. Tribuitur. Origeni.

Diſcipulos in reſurrectione ideo non credidiſſe annũciantibus Chriſti reſurrectionem; quia putabant, reſurrectionem non eſſe futuram: nec enim tutum eſt aſſerere diſcipulos doctrina Chriſti inſtructos errorem Sadducæorũ habuiſſe: fuerunt igitur increduli, quòd Chriſtus verè reſurrexerit; non tamen ex eo, quod non crederent futuram eſſe reſurrectionem.

3. Varie errabant hæretici.

Illud aduertendum eſt hæreticos illos non eodem modo erraſſe circa articulum reſurrectionis: nam communior ferè omnium error fuit, quod nulla futura erat corporum reſurrectio. Porphyrius tamẽ eam ſimpliciter non negauit eſſe futurã; quia admiſit reſurrectionem damnatorũ, vt in ſequẽti articulo dicemus, & ſatis docet Auguſtinus 12. *de Ciuitate Dei cap. 26.* Quare ſolum negauit reſurrectionem iuſtorum; quia exiſtimauit beatitudinem cum corpore ſimul ſtare non poſſe, vel ſimpliciter, vel quia eam corpus diminuebat.

4. 1. Arg.

Pro hoc errore nulla ſuppetunt argumenta deſumpta ex Sacris literis: poſſũt tamen pro ea adduci omnia argumenta, quę contra reſurrectionis poſsibilitatem adduximus ſupra q. 3. art. 4.

5. 2. Arg.

Secundò adduci poteſt fundamentum Porphyrij, & Marcioniſtarum: quia fieri non poteſt, vt anima vnita corpori ſit beata; nam cum corruptio per ſe, & inſeparabiliter comitetur corpus, nõ poteſt animam non grauare: ſumma autem beatitudo conſtare non poteſt cum hoc malo grauaminis. Ergo ſi animæ ſeparatæ beatitudo futura eſt perpetua, vt fides admitit, non eſt admittenda corporum reſurrectio.

6. 3. Arg.

Tertiò idipſum poteſt cõfirmari, quia licet corpus omninò beatitudinem non impediat, impedit tamen, ne ſit perfecta: ſed nõ eſt conueniẽs, vt beatitudo animæ propter corpus diminuatur. Ergo nec erit conueniẽs, quòd anima corpori iterũ reuniatur.

7. 4. Arg.

Quartò confirmatur: quia ſtatus animæ ſeparatæ eſt perfectior, quàm ſtatus animæ in corpore, ergo non decet, vt iterum vniatur corpori.

Accedit quintò; quia ex Sacris literis non neceſſariò videtur conuinci reſurrectionem corporum eſſe futuram: quæ enim de ea in Sacris literis ſcribuntur, explicari poſſunt, vel de reſurrectione illorum, qui cum Chriſto ſurrexerunt Matthæi 26. quæ iam facta eſt, vt Hyminæus, & Philetus intelligebant, teſte Diuo Thoma: vel de reſurrectione animarum ex morte peccati: (hæc enim in Sacris literis etiam appellatur reſurrectio, vt patet Apocalyp. 20. *Beatus, qui habet partem in reſurrectione prima*) hęc autem animarum reſurrectio iam facta eſt; quia multi cum Chriſto à ſuis peccatis ſurrexerunt, & quotidiè reſurgunt, vt ſatis declarat Paul. ad Coloſſenſes 3. *Si cõſurrexiſtis cũ Chriſto, & cætera*; in quo ſenſu hæreticos illos ſcripturas de reſurrectione explicaſ ſe plures ex Patribus referũt. Vel tertio loco de reſurrectione animarum, quę per circulum fit: quam fuiſſe quorundam explicationem ſatis indicat Theophylactus in dicto loco Pauli; & ſatis id ſignificauit Origenes, qui illam animarum in alia, & alia corpora tranſmigrationem animarum reſurrectionem appellabat, vt de eo teſtatur *Photius Opuſcul. de ſeptem Oecumenicis Concilijs, & Theophylus Alexandrinus Epiſt. 2. Paſchali, & Auguſt. 2. de Ciuitate Dei cap. 13. & ibidem annotat Ludouicus Viues, & ſatis Methodius, atque etiam Epiphanius hæreſi 64.* Vel denique de reſurrectione per filiorum procreationem; quia Pater aliquo modo dicitur reſurgere in filio genito: in quo ſenſu Hymenæum, & Philetum intellexiſſe reſurrectionẽ iam eſſe factam, teſtantur *Theodoretus, & D. Ambroſius in eodem loco Pauli, & Epiphanius hæreſi 40: reſurrectionem*, inquit, *iam factam eſſe dicunt per liberos genitos ab vnoquoque generante.*

Varia hæreticorũ explicationes

Photius. Theophyl. Auguſt. Ludouicus Methodius Epiphan. Theodoret.

§. 2.

Confirmatur fides Catholica de futura reſurrectione.

8. Cõfirmatur ex Symbolis.

Fides tamẽ Catholica ſemper, & vbique, atque pro omni ſtatu conſtãter tenuit, & docuit futuram eſſe verã, & corporalem mortuorum reſurrectionem. Et vt à ſtatu legis Euangelicæ incipiamus, hanc fidem profitemur, tùm in Symbolo Apoſtolorum: *Credo carnis reſurrectionem*; tùm etiã in Symbolo Athanaſij, & Concilij Nyſſeni: *Et expecto reſurrectionem mortuorum.* Hanc fidẽ ex varijs teſtamẽti noui locis manifeſtè deducemus.

9. 1. Teſtimoniũ ex Matthæi 22. Primùm teſtimonium ſit Chriſti Domini, qui omnium eſt reſurrectio, & vita, poſitum Matthæi 22; vbi ſoluens argumentum Sadducæorũ ita ait: *Erratis neſcientes Scripturas, nec virtutem Dei: in reſurrectione enim, nec nubent, nec nubentur; ſed ſunt, ſicut Angeli Dei in Cœlo: de reſurrectione enim mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt à Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Idẽ habetur Marci 12. *Cum enim à mortuis reſurrexerint*, & cætera: & ſtatim: *De mortuis autem, quod reſurgent, nõ legiſtis in lib. Moyſi, &c.* Lucæ 20. *Illi vero, qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, &c.* Et ſtatim: *quia verò reſurgũt mortui, & Moyſes oſtendit, &c.* Ex quibus verbis euidenter conſtat, Chriſtum Dominum manifeſtis verbis prędicaſſe reſurrectionem ex mortuis eſſe futuram, & oſtendiſſe erraſſe Sadducæos, eam negãtes. Cõſtat autem euidenter hoc teſtimoniũ excludere omnes illos ſenſus, quibus hæretici Scripturas agentes de reſurrectione volunt explicari. Nec enim locus explicari poteſt de reſurrectione eorũ, qui cum Chriſto ſurrexerunt, quia hæc verba multo tempore, ante talem reſurrectionem dicta ſunt à Chriſto. Nec ſecundò explicari poteſt de reſurrectione per procreationem filiorũ; quia Chriſtus agit de reſurrectione ex mortuis. Nec deniq; valet explicari de reſurrectione animę à morte peccati: quia Sadducæi agebant de reſurrectione non huius ſæculi, ſed futuri: & de eadem agit Chriſtus Dominus, vt patet ex illis verbis Lucæ 20. *Filij huius ſæculi nubũt, & traduntur ad nuptias: illi vero, qui digni habebuntur, ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, &c.* Iam verò reſurrectio à peccatis ſolum fit in hoc ſæculo: nam in illo futuro, vel non dabitur reſurrectio à peccatis, quia damnati ab illis non reſurgent: vel nullum iam dabitur peccatum, à quo iuſti poſſint reſurgere.

10. 2. Teſtimonium Ioan. 5. Secundum teſtimonium ſit eiuſdem Chriſti Domini Ioannis 5. *Nolite mirari hoc: quia venit hora; in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem eius; & procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala, in reſurrectionem iudicij.* Quæ verba ab omnibus intelliguntur de reſurrectione generali, qua omnes in iudicium ſenſibile congregabuntur, vt vnuſquiſque meritorũ ſuorum præmiũ, vel pœnam recipiat: etenim in verbis pręcedentibus dixerat Dominus, ſe à Patre conſtitutum eſſe iudicem omnium hominum: quia vero Iudæi de hoc mirabantur, reddit rationem eius, quod dixerat: Deus enim ideo filium hominis conſtituit omnium hominum iudicem in fine mundi; quia ad vocẽ, & imperium illius, omnes, qui ſunt in monumentis, corporaliter reſurgent; vt meritorum præmium conſequantur: nolite igitur mirari, quod filio hominis, ideo, quia filius eſt hominis Deus iudicium dederit generale, *quia venit*, id eſt veniet hora (quæ enim futura certiſsimê veniẽt, tanquam præſentia iudicantur) *quando omnes, qui in monumentis ſunt*, id eſt, omnes mortui: *audient vocem eius*, Filij ſcilicet hominis, qui illis imperet, vt reſurgant; & ad hanc vocem: *procedent*, ſcilicet in reſurrectionem: hi, qui bona egerunt, &c.

11. 3. Teſtimoniũ ex Ioannis 6. Accedat tertium teſtimonium ejuſdẽ Chriſti Domini Ioannis 6: *Hæc eſt enim voluntas Patris mei, qui miſit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.* Et inferiùs iterũ ait: *Qui manducat meã carnem, & bibit meũ ſanguinem, habet vitam æternã: & ego reſuſcitabo eũ in nouiſsimo die.* Eccê qui credit in filiũ Dei, & manducat eius carnem, & ſanguinem bibit, vtique in hoc ſæculo, in eodem ſæculo iam in ſe habet vitam æternam: & ſubinde iam in hoc ſæculo de morte peccati reſuſcitatus habet vitam gratiæ, quæ eſt pignus æternæ vitæ: ſed poſt reſurrectionem iſtam, quæ eſt animarum à peccato, ſubſequetur alia in futuro ſæculo, atque in die illo nouiſsimo, in quo omnes iam ſunt mortui: & hęc erit corporũ reſuſcitatio.

12. 4. Teſtimoniũ Ion. 11. Quartum teſtimonium, nobis præbet Martha ſoror Lazari Ioannis 11; vbi Chriſto Lazari reſurrectionem promittẽti in illis verbis; *Reſurget frater tuus*, ita reſpõdet: *Scio; quia reſurget in reſurrectione in nouiſsimo die*; id eſt, in reſurrectione, quæ in nouiſsimo die futura eſt: vbi ſermo erat de reſurrectione mortui Lazari ſecũdum corpus.

13. 5. Ex Paulo 1. Cor. 15. Quinto loco accedant teſtimonia D. Pauli: quorum primum nulla indigẽs expoſi-

poſitione habetur 1.Corint. 15. *Ecce my-ſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus ſed non omnes immutabimur: in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur: oportet enim corruptibile hoc, & cæt.* Qui locus non poteſt explicari de reſurrectione à morte peccati: etenim reſurrectio, de qua ibi, cõmunis eſt bonis, & malis: reſurrectio autem à peccatis nõ eſt omnibus communis; quia non omnes à peccatis reſurgunt: vt omittamus, quod Paulus agit de reſurrectione corporali; ſecundũ quam nõ omnes immutabũtur.

14. 1.Theſſ.4. Optimus locus 1. ad Theſſalonicenſes 4: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut, & cæteri, qui ſpem non habent: ſi enim credimus, quod IESVS mortus eſt, & reſurrexit; ita & Deus eos; qui dormierunt per IESVM adducet cũ eo: hoc enim vobis dicimus in verbo Domini; quia nos, qui viuimus; qui reſidui ſumus, in aduentu Domini nõ præueniemus eos, qui dormierunt; quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba* Dei *deſcendet de Cœlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt reſurgent primi: deinde, nos qui viuimus, & cæ.* Quæ verba expoſitione non indigent, & euidenter excludunt reſurrectionem ex

15. 1.Cor.15. morte peccati. ¶ Ex Epiſtola 2. ad Corinh. 15. euidentia deſumuntur teſtimonia, ita enim ait: *Si Chriſtus prædicatur, quòd ſurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis; quoniam reſurrectio mortuorũ non eſt?* Et in eodẽ capite, *alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis; ſi mortui non reſurgunt?* Et rurſus: *quoniam quidem per hominem mors; & per hominem reſurrectio mortuorum.* Quæ verba cum intelligã tur de morte corporali, quæ eſt per Adã; debent etiam intelligi de corporali reſurrectione, quę eſt per Chriſtum. Vt omit-

16. 2.Timoth. 2. tamus rationes alias, quibus Paulus in eodem capite nititur confirmare articulum futuræ reſurrectionis, quas ſtatim expẽdemus. ¶ Accedant etiam eiuſdem Pauli verba 2. ad Timotheum 2. *Ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicẽtes reſurrectionem eſſe iam factã,*

Ad Philippenſ.3. *& ſubuerterunt quorundam fidem.* Eccè Paulus apertè docet ſubuertere fidẽ, qui futuram reſurrectionem negat.

¶ Optimum etiam teſtimonium habetur ad Philippenſes 3; *Ad cognoſcendũ illum, & virtutem reſurrectionis eius, ſi quomodò occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis:* ex quo loco ſatis explicatur Paul. ad Romanos 10. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſãctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Virtus enim filij Dei ſatis manifeſtatur; tùm in ſanctificandis animabus; tũ in reſuſcitandis corporibus.

¶ Denique accedat teſtimonium Pauli Actorum 24. Reddens enim rationem 17.
doctrinæ, quam prædicabat, aſſerit eã eſſe *Actor.24.*
eandem, quam credebant Iudæi, qui eum accuſabant: *ſic deſeruio*, inquit, *Patri Deo meo, credens omnibus, quæ in lege, & in Prophetis ſcripta ſunt; ſpem habens in Deum, quã & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram iuſtorum, & iniquorum.* Quæ verba explicari non poſſunt de reſurrectione à morte peccati: tùm; quia Iudæi eum de hac non accuſant: tùm etiam; quia agit de reſurrectione iuſtorum, & iniquorum. iuſti autem cùm peccato careant, non reſurgũt à morte peccati; iniqui autem cũ ſua iniquitate reſurgent. ¶ Ex his patet, in Eccleſia Chriſtiana articulum reſurrectionis futuræ, eſſe articulum fidei poſitum in omnibus Symbolis Eccleſiæ.

§. 3.

Eadem fides erat in lege veteri Iudæorum.

DVbitari tamen poteſt; an futura mortuorum reſurrectio in lege ve- 18,
teri apud Iudæos, eſſet etiam articulus fidei? rationẽ dubitandi fecit Abulenſius *tom. 2. in Matthæum cap. 17. quæſt. 24. fol. 205. col. 1. & tom. 5. cap. 22. q. 130. fol. 42. col. 1;* qui putat apud Iudæos, reſurrectionem futuram non fuiſſe articulum fidei, ſed quæſtionem fuiſſe problematicam: & ob id inter eos fuiſſe duas ſectas; vnam Phariſęorum, qui eam admittebant: alteram Sadducæorum, qui eã negabát (Sadducæos autẽ fuiſſe ex ſtirpe Iudæorum probat idem Abulenſis contra nonnullos tom. 6. in Matthæũ q. 129. fol. 41. col. 4.): & tamen Sadducæi à Iudæis non euitabantur, tanquam hæretici, non ob aliam rationem, niſi, quia ſuã opinionem non probabant, vt fidei articulum.

Quæſtio an reſurrectio apud Iudæos fuerit articulus de fide.

Negant Abul.

Ego tamen exiſtimo apud Iudæos re- 19.
Auct. aſfirmat.

ſurrectionem generalem fuiſſe articulum fidei; vt potè, quæ in lege, & Prophetis ſcripta ſit. Quod mihi manifeſtè probat Paulus in præcitatis verbis Actorū 24. *deſeruio, inquit, Patri Deo meo, credens omnibus, quæ in lege, & in Prophetis ſcripta ſunt ſpem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant reſurrectionem futuram iuſtorū, & iniquorum.* Ecce teſtatur Paulus Iudæos, à quibus accuſabatur, eandem expectare reſurrectionem, quam ipſe Paulus expectabat, credens ijs, quę in lege, & in Prophetis ſcripta ſunt. Igitur Iudæi habebāt ſpem, quæ erat in Deum, de futura reſurrectione; idque tanquam fidei articulum, vt aduertit *Lorinus in eadem verba* Verſu 15. Quod etiam ſatis explicauit Paulus *Actorum* 23. dum ſiſtens in iudicio Phariſæis obijcit, quòd iudicetur, & condēnetur propter ſpem reſurrectionis: exclamans enim in Concilio Phariſæorum, & Sadducęorum ita ait: *Viri fratres, ego Phariſæus ſum, & filius Phariſæorum; de ſpe, & reſurrectione mortuorum ego iudicor*; propter quæ verba, facta diſſentione, ſoluta eſt multitudo. Hāc ſpem Phariſæorum appellat certiſſimam, & eſſe ſpem repromiſſionis à Deo factę Patribus; ita enim ait Actorum 26: *Quoniam ſecundùm certiſſimū ſectā noſtræ religionis vixi Phariſæus & nunc in ſpe, quæ ad Patres noſtros repromiſſionis facta eſt à Deo, ſto iudicio ſubiectus: in qua duodecim tribus noſtræ nocte, ac die ſeruientes, ſperant deuenire: de qua ſpe accuſor à Iudæis, rex; quod incredibile iudicatur apud*

Probatur ex Paulo Act. 24.

Lorinus.

Actor. 23.

Acto. 26.

20. *vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat.* Ex his omnibus locis manifeſtè conſtat Paulum ſtare in iudicio, & accuſari; quia ſpem futuræ reſurrectionis prædicabat. Et apertè aſſerit, hanc à Deo fuiſſe Patribus repromiſſam; & affirmat duodecim tribus Iſrael ſperare, vt in eam deueniant. Non eſt igitur negandum inter Iudæos reſurrectionem generalem, vt articulum fidei certiſſimum, fuiſſe creditam: quod præter Lorinum vbi ſupra aduertit Tertullianus in lib. de reſurrectione carnis cap. 39. docēs, Paulum de præcipuo totius fidei articulo à Iudæis accuſari. Quare cum in d. cap. 23. Actorum ſcribitur, Phariſæos reſurrectionem confiteri; id intelligendum eſt de confeſsione fidei, non verò de confeſsione ſub opinione: nam apertiſsima ſunt Scripturæ teſtimonia, ex quibus Phariſæi hanc veritatem, vt articulum fidei poterant deducere. Quod etiam confirmatur: quia Chriſtus Dominus teſtatur, errare Sadducæos reſurrectionem negantes; & in huius veritatis confirmationem nonnullos locos ex lege veteri adducit; ita ſupponens, aſſertionem de reſurrectione futura deduci ex Sacris literis: iam verò, quod ex Sacris literis deducitur ad fidem pertinet.

Cōfeſsio reſurrectionis quomodo intelligitur

Suppoſita igitur hac opinione addu- 21.
cenda ſunt aliqua legis veteris teſtimonia, quibus hæc veritas apertiſsimè confirmatur. ¶ Primum eſt, illudque apertiſsimum, ex 2. Machabeorum cap. 12. ad finem: *Duodecim millia dracmas argenti miſit Ieroſolymam afferri pro peccato ſacrificium: benè, & religioſe de reſurrectione cogitans: (niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia cōſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem receperant, optimam haberent repoſitam gratiam.* Quæ omnia adeò ſunt aperta, vt expoſitione non indigeant: etenim illa gratia, quam cum pietate dormientes repoſitam habent, eſt repromiſsio reſurrectionis futuræ, in cuius ſpe viuunt Sanctorum animæ. 22.

1. Teſtimonium 2. Machab. 12.

Secundum teſtimonium habetur 2. Machabeorum cap. 7. *Tu quidem ſceleſtiſsime in præſenti vita nos perdis, ſed rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* Et ſtatim inferiùs: *potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitādos,* Et rurſus: *ſed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit origenem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet, & vitam.*

2. Ex 2. Machab. 7.

Tertio loco accedant duo Iob illuſtriſ- 23.
ſima teſtimonia. Primum habetur capit. 14. *Putas ne mortuus homo rurſum viuet? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.* Secundum habetur cap. 19. *Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra reſurrecturus ſum; & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum; quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* 24.

3. Teſtimoniū ex Iob. 14.

Accedat quartū ex Daniele 12. *Multi de ijs, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam; & alij in*

4. Daniel. 12.

opprobrium

opprobrium. Quod teſtimonium ad probādam futuram corporum reſurrectionē; eſſe firmum, ita vt nullam habeat dubitationem, teſtatur D. Hieronymus *in c.39.* Ezechielis. Eo etiam ad hanc veritatem Catholicam confirmandā vtuntur. Theo-
Gloſſa ord. doretus *relatus in Gloſſa Ordinaria D. Am-*
Ambroſ. *broſius ab eodem citatus in lib. de Fide reſur-*
Auguſt. *rectionis, D. Augu. 20. de Ciuitate Dei c.25.*
Rufinus. *& Rufinus in expoſitione Symboli:* vt omittamus omnes illius loci interpretes: qui omnes volunt *multi* idem eſſe, quod omnes, phraſi in Sacra Scripturis ſatis vſurpata.

25. Quinto loco adduci poteſt teſtimoniū
5. Teſtimo- ex Iſaia 26. *viuent mortui tui, interfecti*
niū ex Iſa. *mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate, qui*
26. *habitatis in puluere:* quem locum Septuaginta clariùs ita vertunt; *Surgent mortui, & reſurgent, qui ſunt in monumentis.* De quo loco vide ſcribentes ibi, & Tertullianum *de Reſurrectione carnis cap. 31. & Auguſtinū lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 21.* Cui
Iſai. 66. teſtimonio communiter adiungitur aliud ex cap. 66: *videbitis, & gaudebit cor veſtrū, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Dñi ſeruis eius, & indignabitur inimicis ſuis.* Quæ verba communis interpretum explicat de generali reſurrectione, & iudicio futuro, vt patet ex
Gloſſa. Gloſſa *interlineari, & ordinaria, & ex Theo-*
Theodore. *doreto ibidem citato, Irenæo lib. 1. contra gen-*
Irenæus. *tes cap. 15. & ex Auguſtino loco citato.*
Auguſt.

26. Vltimum teſtimoniū cōmuniter affer-
Vltim. teſti- tur ex Ezechiele 37. poſt viſionem oſſiū
moniū Eze. quæ reuixerunt: *Vaticinare; ecce ego ape-*
37. *riam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus, & inducam vos in terram Iſraël, & ſcietis, quia ego Dominus, cum aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris popule meus.* Verùm cùm hoc vaticinum non omnes ad literam explicent de generali reſurrectione mortuorum, ſed de reparatione populi Iſraëlitici (quæ fuit multorum explicatio, & videtur intentioni Prophetæ
Auguſt. magis conſentanea, vt teſtatur Auguſtin.
Hieron. *lib. 10. de Geneſi ad literam cap. 5. & conſen-*
Gloſſa. *tit Hieronymus in eodem loco cum Gloſſa or-*
Theodore. *dinaria litera D. & Theodoreto ibidem relato)* non videtur adeò vrgere; quamuis plures illud ad literam explicent de futura
Tertullia. reſurrectione generali; inter quos eſt *Ter-*
Iuſtinus. *tullianus de Reſurrectione carnis cap. 29. Iu-*

ſtinus Apologetico 2. pro Chriſtianis, Cypria-
nus lib. 3. ad Quirinum cap. 58. Cyrillus Iero- *Cyprian.*
ſolymitanus Catecheſi 18. & ſatis Auguſtin. *Cyrill. Ie-*
lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 34. quod *roſol.*
ſatis eſt, vt ad huius veritatis confirmationem meritò adducatur; maximè cū prior *Auguſt.*
explicatio hanc non excludat, vt aduertit Hieronymus vbi ſuprà cum Theodoreto in eodem loco. Hæc teſtimonia ſatis ſuperque ſint, vt Catholica iſta veritas ex veteri teſtamento euidenter confirmata maneat.

§. 4.

Expenduntur argumenta, quibus Chriſtus, & Paulus ad Reſurrectionem confirmandam vtuntur.

Explicatur argumentum Chriſti Domini Matthæi 22.

Sed iam expendamus argumenta, qui- 27.
bus & Chriſtus Dominus, & Paulus Expendi-
eandem veritatem confirmant. Et tur argum.
primo loco expendemus argumentum, Chriſti Mat. 22.
quo Chriſtus Dominus ad conuincēdos Sadducæos *adduxit Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20.* poſtquam enim dixit illos errare, quia Scripturas neſciebant, hoc contra eos vſus eſt argumento: *De reſurrectione mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt à Deo dicente vobis: Ego ſū Deus Abrahā, Deus Iſaac, & Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Contra Obijcitur.
hoc Chriſti argumentum hæc inſurgit difficultas. Quoniam, etſi nulla futura foret reſurrectio adhuc Deus diceretur Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, quia licet corpore eſſent mortui; tamen in ſuis animabus viuebant, quod ſatis eſt, vt Deus verè poſſet dici illorum Deus. Videtur igitur hoc argumento non ſatis cōcludi reſurrectio mortuorum. Hanc difficultatem, & Patres excitarunt, & interpretes Sacræ Scripturæ atque Scholaſtici. Ex Patribus eam excitarunt D. *Hie-* *Hierony.*
ronymus, D. Anſelmus, & D. Chryſoſtomus, *Anſelm.*
Euthymius, Theophylactus, & Gloſſa ordi- *Chryſoſt.*
naria ibidem, & Irenæus lib. 4. contra gen- *Theophyl.*
tes cap. nono. Ex interpretibus Sacræ Scrip- *Gloſſa.*
turæ Diuus Thomas ibidem, Caietanus cum *Irenæus.*
Abulenſi tomo ſexto in Matthæum quæſtio. *D. Thom.*
215. Ianſenio cap. 117. ſuæ concordiæ, pag. *Caietan.*
809. & 810. Barradas tomo tertio ſuæ Con- *Ianſen.*
Barradas.

cordiæ lib. 8. cap. 16. pag. 533. & 534. ex Scholaſticis *D. Thomas in 4. diſt. 43. q. 1. ar. 1. quæſtiuncula 1. ad 2. & Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 1. §. Dicendum eſt primo, pag. 582. col. 2.* vt alios omittam. Variè autem ſoluitur.

D. Thom. Suarius.

28. 1. Solutio. Prima ſolutio eſt, vt argumentũ ſimpliciter non concludat, ſed ſolum ad hominem, vt logici appellant, nimirum aduerſus Sadducæos, qui ideo reſurrectionẽ negabant, quia negabant animarum immortalitatem: vnde Phariſæi ideo reſurrectionem admittebant, quia admittebãt, animas per mortem non perire, ſed viuere. Quare apud Phariſæos, & Sadducæos quæſtio de immortalitate animarum, & de reſurrectione vna, & eadẽ erat: & proinde apud eos idem erat probare animas eſſe immortales, & dari reſurrectionem: ſicut etiam negare immortalitatẽ animæ, idem erat, quod reſurrectionem negare. Quare ſatis fuit Chriſto D. ex Scripturis conuincere, animas poſt mortem viuere; vt ex iiſdem ſimul oſtẽderet, reſurrectionem eſſe futurã. Ita rem cõponit Bellarminus *lib. 1. de Purgatorio c. 3. ad 2. argum. pag. 705*: vbi fatetur, conſequentiã argumenti abſolutè nõ valere, ſed ſolũ aduerſus Sadducæos; apud quos affirmatio immortalitatis animæ inferebat affirmationem reſurrectionis: & è conuerſo negatio vnius inferebat negationẽ alterius. Ita etiam difficultatẽ ſoluit *Abulenſis vbi ſupra cum D. Thoma, & Caietano in eodem loco.* ¶ Sed non placet, quod Chriſtus Dominus veritatem Catholicam confirmet argumento ſumpto ad hominẽ: maximè; quia ex immortalitate animę nõ neceſſariò infertur reſurrectio, ſi ſermo ſit cum Philoſophis: hi enim animæ immortalitatem naturaliter cognouerunt; qui tamen reſurrectionem eſſe futuram non potuerunt naturaliter cognoſcere.

Abulenſis D. Thom. Caietan. Non placet.

29. 2. Solutio. Quare eſt 2. ſolutio: quòd Dñs ſuo argumento directè, & immediatè velit probare animas morte corporis non perire; ſed ſeparatas viuere. Quod ideo fecit; quia inde benè inferabatur dari reſurrectionẽ: hæc enim ex immortalitate animæ benè infertur, ſi non abſolutè ſolo naturali lumine ſuppoſito; bene tñ ſuppoſitis aliquibus fidei reuelationibus. Ita difficultatem ſoluunt *Hieronymus, Anſelmus, & Gloſſa Ordinaria ibidẽ litera F. ad illa verba: Deus Habraham & cæ. & ſatis Caietanus, Ianſenius, & Barradas locis citatis, nec reijcit Abulenſis cum Suario* etenim licet immortalitas animarũ non conuincat Philoſophos; vt admittant reſurrectionem mortuorũ; conuincit tamen eos, qui perfectam beatitudinem in anima cognoſcunt, & diuinã prouidentiam ſimul cum iuſtitia: etenim nec animæ poſſent vnquam perfectã habere beatitudinem, ſi nunquam corporibus vnirentur, propter naturalem, quem ad corpus habent appetitum: nec ratio diuinæ prouidentiæ, & iuſtitiæ perfectè appareret, niſi animæ, quæ in corpore bona, & mala geſſerũt, ſimul cum corpore, vel præmiarentur pro bonis, vel pro malis punirentur. Hęc tamen ſolutio aliquibus ex eo non ſatis applaudet, quòd Habraham, Iſac, & Iacob non accipit pro perſonis, ſed pro animabus: cum tamẽ eos pro ſe ipſis perſonaliter eſſe accipiendos, probet ratio, quę Lucæ 20. adducitur: *Deus autem non eſt mortuorum, ſed viuorũ: omnes enim viuũt ei.* Quibꝰ verbis Chriſtus D. ſignificat omnes mortuos, quamuis ſimpliciter non viuant ſibi, Deo tamen ſimpliciter viuere: iam verò omnes ſecundùm ſuas animas ſimpliciter non viuunt.

Doctores qui ſupra.

Non ſatisfacit.

Luc. 20.

Eſt igitur tertia ſolutio, vt Chriſtus D. in ſuo argumẽto non ſumat illos Patres per Synodochem pro ſuis animabus, ſed perſonaliter, vt ſunt homines: oſtendit igitur eos, licet mortui ſint, viuos tamẽ eſſe, non quidem in ordine ad ſe, ſed in ordine ad Deum; vt ſit ſenſus: Deum non eſſe Deum mortuorum, ſed viuorum; quia omnes mortui, licet ſibi ſint mortui, & in ſuis perſonis ſimpliciter non viuant ſibi, nec alijs; ſimpliciter tamen viuant Deo: non ob aliam rationem, niſi quia Deus diſpoſuit eos ſuſcitare. Hanc explicationem, tanquam probabiliorem amplectitur Abulenſis *in dicta q. 215. in ſolutione*; quam etiam, vt accommodatiorem probat *Ianſenius vbi ſupra; & in terminis eam ſimpliciter probat D. Thomas in 4. diſt. 43. quæſtione 1. articul. 1. quæſtiuncula 1. ad 2*; vbi ideo probat in hoc argumento Habrahã non ſumi pro anima Habrahæ; quia anima Habrahę propriè non eſt ipſe Habraham, ſed ſolùm per Synedochem: ſatius eſt autem hoc argumentum explicare de Habrahamo, propriè ſumpto pro perſona Habrahami, quã impropriè pro anima

30. 3. Solutio.

Abulenſ. Ianſen. D. Thom.

ma ipſius. Vult igitur D. Thom. Chriſtũ ꝓbare Habrahamũ, licet mortuus ſit, eſſe tamen viuũ non ſibi, ſed Deo: quia .ſ. habebat reſurrectionis promiſsionem.

31. Irenæus, Quę explicatio probata fuit *Irenæo lib.* 4. *c.* 3. quã refert Ianſenius, ita enim ſcribit: *Si enim Deus mortuorũ non eſt, ſed viuorũ: hic autem dormientiũ Patrũ. Deus dictus eſt indubitate viuunt Deo, & non perierunt, cũ ſint filij reſurrectionis.* Patres igitur ex Irenæo, licet dormiãt (ergo de illis perſonaliter ſũptis agit: anima enim nõ dormit, ſed viuit) dicuntur viuẽtes Deo; quia ex Dei promiſsione ſunt filij reſurrectionis.

Chryſoſt. Eadem etiã explicatio ſatis confirmatur ex Chryſoſtomo in eodẽ loco: *Queadmodum,* inquit, *Adam, quamuis viueret, poſtea quam de ligno vetito comedit; ſententia tamen prolata mortuus erat: ſic profecto iſti, & ſi mortui erant, pollicitatione reſurrectionis viuebant. Quæ eadam verba ſcribunt Euthymius, & Theophylactus.* Euthym. Theophyl. Hęc igitur explicatio, vt longẽ probabilior amplectenda eſt: tùm; quia placet Patribus citatis, & D. Thomæ: tũ 2, quia verba in proprio ſenſu ſumuntur, nõ verò in improprio, & per figuram: tùm tertio; quia directè, & non per conſequentias probat mortuorũ reſurrectionẽ: quia directè, & immediatè probat, Patres illos dici viuentes propter reſurrectionis promiſsionẽ.

Expenduntur argumenta Pauli 1. Corint. 15.

32. Argumenta Pauli expenduntur. 1. Argum. ¶ D. Paulus 1. Corint. 15. pluribus argumẽtis vtitur ad probandũ articulũ reſurrectionis: duo tamen expẽdemus. Primũ ponitur in illis verbis nu. 12: *Si autẽ Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis; quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* Ita igitur argumẽtatur: Chriſtus reſurrexerit à mortuis. Ergo mortui debent reſurgere: antecedens multis probat: conſequentiam autem à deſtructione cõſequentis ad deſtructionem antecedentis, ita inquiens. n. 13. & 16. *Si autem reſurrectio mortuorum non eſt; nec Chriſtus reſurrexit.*

33. 2. Argum. Secundũ argumentum adducit Paulus in eodẽ loco n. 29. in illis verbis: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis; ſi omninò mortui non reſurgũt? vt quid & baptizantur pro illis? vt quid & nos periclitamur omni hora?* & num. 32. *Si ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi: quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? manducemus, & bibamus; cràs enim moriemur,* Quaſi ſic arguat: ſi mortui non reſurgunt, nihil proſunt illa opera, quæ refert: ſ. baptizari pro mortuis: pugnare pro fide, & cætera. Quo argumento vtitur Author lib. Machabeorũ lib. 2. cap. 12: *niſi enim eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret; ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.*

Sed cõtra primũ argumentũ ita poteſt obijci: quòd ex ſurrectione particulari Chriſti infertur vniuerſalis omniũ hominũ reſurrectio: quæ illatio, cũ à particulari affirmatiua inferat vniuerſalẽ, eſt inutilis: necenim valet. *Petrus ambulat, ergo omnes homines ambulant:* vnde Sadducæi negãtes generalẽ reſurrectionẽ, nõ negabãt reſurrectiones particulares mortuorum, quos Chriſtus ſuſcitauit. Sed nec firma eſt illius cõſequentię probatio; quia à negatione generali reſurrectionis arguit ad negationẽ reſurrectionis Chriſti: quæ cõſequentia eſt infirma: licet enim à negatiua vniuerſali benè inferatur negatiua particularis (quia benè valet null⁹ homo ambulat. Ergo Petrus nõ ambulat) tũ illa propoſitio *in die nouiſsimo non eſt futura generalis hominũ reſurrectio,* nõ ęquipollet huic *nulla vnquã eſt futura alicuius mortui reſurrectio,* ſed huic tantũ, *in die nouiſsimo nõ eſt futura hominum reſurrectio,* quæ non eſt vniuerſalis, ſed particularis, cum ſolum agat de reſurrectione illius diei. 34. Obiectio contra 1.

Cõtra ſecundũ, quo & Paulus vtitur, & Author lib. Machabeorũ, illud obijci poteſt: quia nõ videtur firma hæc conſequentiã: *Mortui non debent reſurgere. Ergo fruſtra pugnatur pro fide: baptizatur pro mortuis: oratur pro illis:* nam cũ animę ſint immortales, & in futura vita detũr præmiũ bonorũ operum, & purgatio peccatorũ, non fruſtra fient illa bona opera, quia poſſunt fieri pro aſſequendo præmio, & pro remiſsione pœnæ; quamuis nulla futura eſſet mortuorum reſurrectio. 35. Obijcitur contra 2.

Hæc facilè ſoluuntur. Ad id, quod obijcitur contra primũ argumentũ, nõnulli reſpondent, argumentũ valere à ſimili: ſicut, ſiquis ita arguat; *Petrus eſt riſibilis; ergo omnes homines riſibiles ſunt.* Ita reſpondet Hugo Cardinalis ibidem. Sed non ſatis arridet ſolutio Diuo Thomæ; & merito; quia argumentum à ſimili non va- 36. Ad 1. Solutio Hugonis.

let, niſi in materia neceſſaria: hæc autem hic non datur; nec verum eſt, quòd Chriſtus reſurrexerit, quia eſt filius Dei per gratiam, ſi ſermo eſt de gratia adoptionis: quia Chriſtus non eſt filius Dei adoptiuus. Si verò ſit ſermo de filio Dei per gratiam vnionis, ratione cuius Chriſtus ſurrexit, iam argumentum non eſt à ſimili: quia nos non ita ſumus filij Dei.

37. 3. Solutio. Dicendum eſt igitur cum D. Thoma, Caietano, & alijs, illam argumenti cõſequentiam nudè ſumptam ex vi formæ non valere; eſſe tamen optimam, ſi quæ de reſurrectione Chriſti fides docet, expendamus: ita vt reſurrectio Chriſti non ſimpliciter ſumatur, ſed iuncta cum circunſtantijs, cum quibus facta eſt: etenim fides docet, Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis ad vitam corporalem, vt eãdem, qua propter peccatum priuati ſumus, nobis cum perfecta corporis gloria, iterum reſtituat: etenim Chriſti reſurrectio eſt cauſa noſtræ reſurrectionis. Præterea docet fides, Chriſtum ſurrexiſſe præmitias dormientium, & ſimul cum poteſtate, vt inimicos hominis (peccatum, ſcilicet, & mortem) omninò diſtrueret. Quare antecedens argumenti ita eſt explicandum: Chriſtus ſurrexit à mortuis, vt ſit cauſa noſtræ reſurrectionis; tanquam præmimitię dormientium; & vt peccatum ſimul, & mortem diſtrueret. Ergo mortui debent reſurgere: ex antecedente autem ita explicato firma eſt conſequentia.

Gloſſa. D. Thom. Ita reſpondent Gloſſa *ibidem D. Thomas in eodem loco, & Caietanus ad illa verba: nũc Chriſtus ſurrexit à mortuis, præmitiæ dormientium.*

38. Confirmatur ſolutio. Quod verò in ſenſu explicato Paulus ſumat illud antecedens, primò oſtendi poteſt ex illis verbis: *Si autem Chriſtus prædicatur, quod ſurrexit à mortuis.* Paulus autem prædicauit, Chriſtum à mortuis ſurrexiſſe, ſecundùm Scripturas, vt patet ex verbis poſitis in principio: *Tradidi enim vobis; imprimis quod, & accepi; quoniã Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas: & quia ſepultus eſt, & quia ſurrexit ſecundùm Scripturas.* Iam verò ſicut Chriſtus dicitur mortuus pro peccatis ſecundùm Scripturas; ideo, quia Scripturę tradunt illum mortuum eſſe, vt deletis omnium peccatis, nos in vitam gratiæ ſecundũ animam reſtitueret: ita dicitur ſurrexiſſe à mortuis ſecundum Scripturas; quia eædem Scripturæ tradunt, eũ à mortuis ſurrexiſſe, vt nos ad vitam corporalem per peccatum amiſſam ſua reſurrectione reuocaret: quod ſatis explicauit Oſeas 6. nu. 3. vbi de Chriſto diciit: *Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos*: ſ. à morte corporis, vt ad inſtar Chriſti in die iudicij ad vitam immortalẽ reſurgamus, quę eſt illorũ verborum cõmunis explicatio. Illa igitur verba Pauli: *Si igitur Chriſtus prædicatur, quòd ſurrexit à mortuis,* ſatis explicant antecedentis ſenſum hunc eſſe; *Chriſtus ſurrexit à mortuis, vt cauſa noſtræ reſurrectionis.* Oſeas.

Eundẽ ſenſũ explicat Paulus inferiùs, dũ n. 20. ait: *Nunc autẽ Chriſtus ſurrexit à mortuis præmitiæ dormientiũ*: quibus explicat ſenſum illius antecedẽtis, *Chriſtus ſurrexit*, eſſe illũ, Chriſtus ſurrexit, tanquã præmitiæ dormientiũ: præmitiæ autẽ dicunt ordinẽ ad alios fructus. Surrexit igitus Chriſtus inter omnes primus, tanquã præmitię reſurrectionis, quia cauſa ſuę reſurrectionis cęteri debẽt reſurgere: quod ſatis expreſsit D. Thom. & clarius Caieta. 39. 2. Confirmatio

Eundẽ antecedentis ſenſum explicãt illa verba n. 21. & 22. *Quoniam quidẽ per hominẽ mors, & per hominẽ reſurrectio mortuorũ & ſicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*: illis enim voluit Paulus explicare ſenſum antecedẽtis ſui argumenti, & oſtẽdere, quòd Chriſtus ideo ſurrexit pręmitiæ dormientiũ; quia ſtatuit Deus omnia mala per hominẽ Adamũ nobis illata, per hominẽ Chriſtũ deſtruere, atq; ita hominẽ ad priſtinũ ſtatum reparare: ſed mors in hominẽ intrauit per Adamum, qua deſtructa eſt corporalis hominũ vita. voluit igitur Deꝰ per hominẽ Chriſtum reſurgentẽ reparare hominũ mortem, faciẽdo eos à mortuis reſurgere; vt ſicut Adamꝰ fuit cauſa, quòd omnes homines corporaliter moriantur, ita Chriſtus homo ſua ſurrectione ſit cauſa, quòd omnes corporaliter reſuſcitẽtur. 40. 3. Confirmatio.

Deniq; illũ eſſe ſenſum antecedẽtis aſſũpti à Paulo explicãt illa verba n. 24. *De inde finis: cũ tradiderit regnũ Deo, & Patri: cũ euacuauerit omnẽ principatũ. & poteſtatẽ, & virtutẽ: oportet autẽ illũ regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus eius: nouiſsima autem inimica deſtruetur mors: omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius.* Quibus ver- 41. Confirmatur eodem ſenſus Pauli

verbis oſtendit Paulus finem reſurrectio nis Chriſti, dicens, quòd Deus Chriſto re ſurgenti dedit poteſtatẽ in cœlo, & in ter ra, vt omnes inimicos hominis (peccatum ſcilicet, & mortem) debellaret. Sicut igitur Chriſtus ſua virtute, & reſurrectione deſtruxit peccatũ; ita etiam in vltimo die debuit deſtruere inimicam mortẽ: mors autem deſtrui non poteſt, niſi omnes ad vitam reſurgant, vt deſtructa, conſequẽter per reſurrectionem omnia ſint Chriſto ſubiecta. Ex quibus patet, Paulum in hoc ſenſu aſſumpſiſſe antecedens illud *Chriſtus reſurrexit à mortuis*, vt ſcilicet reſurrexerit cum poteſtate deſtruendi, & peccatum, & mortem: ex quo ita explicato firmiter infertur, omnes homines reſurrecturos. Quę conſequentia optimè probatur à Paulo à deſtructione conſequentis, ad deſtructionem antecedentis in ſenſu iam explicato: etenim ſi mortui non reſurgunt, nec Chriſtus reſurrexit, eo modo, quo fides illius reſurrectionem prædicat (nam eam prædicat, vt cauſam reſurrectionis mortuorum:) vtique ſi mortui non reſurgunt, nec Chriſtus reſurrexit, vt noſtram efficeret reſurrectio nem: quia ſi ita reſurrexit, vtique nõ poteſt non dari hominum reſurrectio. Porrò, ſi Chriſtus non reſurrexit, vt illius re ſurrectio ſecundùm Scripturas prædicatur: benè inferuntur omnia inconuenientia, quæ Paulus enumerat. Hæc pro explicatione primi argumenti.

42. Ad 2. prima Solutio. Ad ſecundum facilè occurri poteſt, ſi ſupponamus, Paulum arguere cõtra eos, qui negantes mortuorum reſurrectionẽ ſimul negabant animarum immortalitatem, quaſi vnum ex altero mutuò inferatũr; contra quos argumentum vim habet: perinde enim eſt, ac ſi Paulus diceret; ſi nulla eſt mortuorũ reſurrectio, & ſubinde ſi in animabus non eſt immortalitas, fruſtra homines baptizãtur pro mortuis: fruſtra periclitamur tota die: denique fruſtra Epheſi cum beſtijs pugnaui; & ita cõcludendum eſt, *edamus. & bibamus, cras enim moriemur*: Quòd argumentum Pauli procedat ſuppoſita illa opinione, docet Bellarminus *libro 1. de Purgatorio cap. 6. in fine pag. 728. D. & Suarius in dict. diſp. 50. ſect. 1. ad finem quartæ explicationis pag. 987. columna prima A. B, C, & Benedictus Iuſtinianus in eodem loco Pauli verſu* 29. *non longe ante finem pag. 646. columna 2. D. & Cornelius à Lapide in eodem loco verſu* 33. *pagina.* 363. *colum. 1. ad finem*, & ſatis eſt de mente Diui Thomæ in eodem loco lectio. 4. Obijciemus enim hæc, quę notat Paulus, non fruſtra fieri; quia anima ſeparata præmiatur, & ſubinde illa fieri poſſe in præmium animæ, quamuis nulla futura foret reſurrectio; reſpondet, quòd id (*ſcilicet animam ſeparatam præmiari*) non poſſet probari, quia ſublata reſurrectione, anima foret mortalis. Ego addo hũc ſenſum ſatis colligi ex Paulo in illis verbis num: 32. *Si mortui non reſurgunt, edamus, & bibamus; cras enim moriemur*; in quibus ex negatione reſurrectionis immediatè infert ſectãdas eſſe corporis voluptates, & delitias: *quia cras moriemur*: ita vt ſimul cũ corpore pereat anima. Hæc autem illatio nõ valeret, niſi ad negationem reſurrectionis ſequatur negatio immortalitatis animæ: Paulus enim illa verba ſumpſit ex Iſaia cap. 22. num. 13. Propheta autem ea protulit ad opinionem illorum, qui poſt mortẽ nihil homini eſſe futurũ exiſtimabãt, vt explicãt D. Ambroſius, Chryſoſtom. Theophylactus cũ cæteris in illis verbis Pauli. Ad argumentũ igitur dicendũ eſt in eo ſupponi, quod pro tẽpore D. Pauli negabatur, dari. ſ. immortalitatẽ animarũ ſi nulla futura ſit reſurrectio: tunc enim ſicut idem erat admittere immortalitatem animæ, & admittere reſurrectionem, ita etiam idem erat reſurrectionem negare, & negare animæ immortalitatem.

Margin: Bellarmin. Suarius. Benedictus Iuſtinian. Cornelius. à Lapide. D. Thom.

Secunda ſolutio afferri poteſt ex Caietano, vt Paulus arguat fruſtra fieri ea, quę ab eo annotãtur, ſi homines, nõ reſurgũt: quia licet animæ ſunt immortales; ipſi tñ homines, qui baptizãtur, & qui in ſe ipſis periclitãtur, fruſtra illa facerẽt, & paterẽtur, ſi homines nõ reſurgerent, quia licet animæ maneant, quæ præmiãtur, ipſe tñ homo in ſe ipſo imprę̃miat⁹ manet. In huius explicationis cõfirmationẽ, põderat, dixiſſe Paulũ; *Nihil mihi prodeſt*; mihi inquã homini, qui illa paſſus ſum; quamvis proſit animæ ſeparatæ. ¶ Hæc tamen ſolutio ſubtilior eſt quã vt recipi debeat vi detur enim aliena à mente Pauli quaten⁹ ex negatione reſurrectionis infert, *edam⁹ & bibamus: cras enim moriemur*; hęc enim illatio non benè inferretur, ſic tantũ eſſet 43. 2. Solutio ex Caietan. Non placet

ſermo de toto homine: quia licet illa mala pro Chriſto tollerata nihil prodeſſent toti homini, ſi reſurrectio non erat futura; prodeſſent tamen animæ ad prēmiū gloriæ; & ſubinde non eſſent fruſtra: quia licèt nō ſibi toti; tamē ſibi in ſua parte pdeſſent: nam & nunc plura de facto meremur, quæ non erunt præmia totius hominis in ſe toto, ſed in ſola anima. ¶ Quare hac ſolutione reiecta, amplectenda eſt prima ſolutio, cum ſit communis, & ad mentem Pauli, & vim argumenti optimè diſſoluat.

44. Explicatur quid ſit baptizari pro mortuis.

Hoc loco plures immorantur in explicandis illis verbis: *Qui baptizantur pro mortuis*, quorū tamen diligentior explicatio potius pertinet ad interpretes illius loci, quàm ad ſolutionē argumenti, quod volumus diſſoluere: ad hanc enim ſatis nobis eſt, Paulum ex negatione reſurrectionis mortuorum ſatis efficaciter auferre duo inconuenientia, quæ annotat, quocunque modo illa explicentur: nam ſatis etiam dubium eſt, quomodò explicari debeant illa verba: *Secundum hominē cum beſtijs Epheſi pugnaui.* Verum, ſi deſideras latam explicationem, quidnam Paulus intelligat, *per baptizari pro mortuis*; vide *Bellarminum lib. 1. de Purgatorio c. 6. per totum, Suarium in d. diſp. 50. ſectione 1. Cornelium à lapide, & Benedictum Iuſtinianum in ijſdem verbis Pauli, & ibidem Hugonem Cardinalem, D. Thomam, Carthuſianum, & Gagnæum*, apud quos ſeptem, vel octo horum verborum explicationes inuenies: quarum nonnullæ verba illa interpretantur de baptiſmo propriè ſumpto, aliæ verò de baptiſmo ſumpto metaphoricè, pro baptiſmo pœnæ, afflictionis, lachrymarum, aliorumque ſuffragiorum, vt animæ à pœnis Purgatorij liberentur: quæ videtur planior, & probabilior explicatio; vt ſit ſenſus: *quid facient, qui baptizantur pro mortuis*, id eſt, qui pro mortuis ieiunant, diſciplinas ſuſcipiunt, exercentque alia opera pœnalia, vt pro mortuis ſatisfaciant. Hæc explicatio placuit *Bellarmino vbi ſuprà*, vbi teſtatur, eam placuiſſe *Ephrem in ſuo teſtamēto, & Petro Cluniaſſenſi contra Petrobuſſianos: placuit Suario, Cornelio à Lapide, & Benedicto Iuſtiniano, nec diſplicuit Hugoni Cardinali.* Quam ego puto eſſe cæteris probabiliorem: nec enim nouum eſt in ſacris literis baptiſmū paſsim accipi pro his afflictionibus: pro illis enim accipitur Marci 10. n. 38. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? & baptiſmo, quo ego baptizor baptizari?* & Luc. 12. n. 50. *Baptiſmo habeo baptizari; & quomodò coarctor vſque dùm perficiatur? Cyprianus in ſermone de Cœna Domini lachrymarū profuſionem baptiſmū appellat: lacrymis, inquit, ſe baptizat: Nazianzenus etiam in Oratione de Epiphania agnoſcit* quintū baptiſma lachrymarum, & pœnitentiæ. Quare cum baptiſmus pœnarum, & lacrymarum, & in ſacris literis, & apud Patres dicatur baptiſmus; de hoc baptiſmo ſatis congruenter intelligetur locus iſte Pauli; dùm ait plures pro mortuis baptizari: maximè cùm ipſi mortui, dum igne Purgatorij pro peccatorū pœnis ſatisfaciunt, dicantur baptizari, vt ex Hieronymo, Baſilio, & Nazianzeno oſtendit Bellarminus vbi ſuprà. ¶ Nec obſtat, quòd iſta expoſitio nomen baptiſmi non propriè accipit, ſed metaphoricè: quoniam non poteſt hoc nouum videri, cum baptiſmo propriè accepto non ſatis accommodatè explicari poſsit, quid ſit baptizari pro mortuis, vt videre eſt apud Bellarminum, Suarium, & cæteros, qui ſatis ſufficienter impugnant cæteras expoſitiones. Quibus ego addo, quòd etiā in cęteris expoſsitionibus nomē *mortuus* nō poteſt propriè accipi, ſed metaphoricè; quod facilè patebit, ſi ſingulas perſequaris. Et hæc pro explicatione argumentorum Pauli.

Margin notes beside the paragraph above: Bellarm. Suarius. Iuſtinian. Cornelius. Hugo. D. Thom. Carthuſia. Gagnæus. — Ephrem. Cluniaſſ. — 45. — Soluitur obiectio.

§. 5.

Soluuntur argumenta adducta §. 1.

46. Ad argum.

Reliquū erat afferre rationes probabiles, & congruentias, quibus nōnulli mortuorum reſurrectionem confirmant. Cæterum, quia illæ nec difficultatem habent, & à Patribus, interpretibuſque paſsim adducuntur, conſulens breuitati, ſatius duxi ab hoc labore ſuperſedere. Vide Medinam ad 3. p. q. 53. art. 1. Quare ſoluenda ſunt argumenta, quæ pro hæreticis §. 1. adduximus.

Ad 1. Et quod attinet ad argumenta, quibus impoſsibilitas reſurrectionis confirmabatur; ea omnia adduximus, & diſſoluimus ſuprà q. 3. art. 4. Vide ibi.

47. Ad 2. Ad ſecundum negandum eſt Porphyrio, animam vnitam corpori non poſſe eſſe

eſſe beatam, de quo iam diximus in 2. tom. lib. 12. q. 3. art. 1.

48. Ad 3. Ad tertium negandum eſt etiam, corpus impedire, ne beatitudo ſit perfecta: quin potiùs poſt corporum reſurrectionem animarum beatitudinem eſſe intenſiorem, plures docuerunt, vt latè dixim⁹ in d. lib. 12. q. 6. & omnium conſenſu tūc erit maior extenſiuè. Fundamentum autem huius, & præcedentis erroris, ſolùm habet locum in corpore mortali, & corruptibili; non verò in incorruptibili, & glorioſo, in quo beati debent reſurgere, vt in hoc tomo inferiùs oſtendemus.

49. Ad 4. Ad quartum negandum eſt, ſtatū animæ ſeparatæ eſſe ipſi animæ perfectiorem, cum illi non ſit cōnaturalis, ſed preter naturam; de quo vide *D. Thomam 1. p. q. 89. art. 1. & Caietanum ibidem, Bañes cũ cæteris; & D. Thomam 2. contra gent. c. 83. & 94. vtrobique in quarta ratione, & Ferrarienſem ibidem; Abulenſem etiam tom. 6. in Matthæum cap. 22. q. 222. ad 4. pag. 73. col. 1. & Conimbricenſes de Anima ſeparata diſp. 2. art. 2. & 3*: qui omnes in hoc conueniunt, vt ſtatus ſeparationis nec ſit cōtra naturam animæ, nec ſecundum naturam, ſed præter naturam: & inde eſt, vt naturaliter appetat vniri corpori: quam reſolutionē, vt veriſsimam ſupponimus. *D. Thom. Caieta. Bañes. Ferrar. Abulenſ. Conimbr.*

50. Ad 5. Ad quintum patet ſolutio ex dictis: etenim teſtimonia ex vtroque teſtamento adducta euidenter demonſtrant, ea nō aliter poſſe explicari, quàm de reſurrectione mortuorum in nouiſsimo die. Vnde non eſt, quod ſingulas adductas explicationes expendamus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnes homines ſint reſurrecturi?

§. 1.

Pars negatiua confirmatur.

1. 1. argum. partis neg. QVòd non omnes in nouiſsimo iudicij die ſint reſurrecturi, non nulla videntur confirmare. Primum eſt; quoniam non omnes morientur. Ergo non omnes reſurgent. Conſequentia patet; quia non reſurgit, niſi qui mortuus eſt. Antecedens probatur authoritate Pauli 1. Corinth. 15. n. 51. vbi iuxta literam græcam ita habetur; *Omnes quidem non dormiemus: ſed omnes immutabimur*: quam lectionem probant ferè omnes Græci. *Iuſtinus Martyr in q. 109. ad Orthodoxos: Origenes lib. 5. contra Celſum 2. tom. pag. 481. litera E. Chryſoſtomus homil. 42. in primam ad Corint. & homil. 7. in primam ad Theſſalonicenſes: Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius in eodē Pauli loco: ex Latinis Hieronymus in Iſaiam c. 51. & in epiſt. 151. ad Mineriam. & epiſt. 14. q. 1. Auguſt. q. 3. ad Dulcitium: Gennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus c. 7. & 8. Fulgentius lib. 3. prognoſt. cap. 48. & plures alij*, vt teſtatur D. Hieronymus. ¶ Et cōfirmatur, quoniam eidem lectioni conſonant verba, quæ conſequuntur: *In momento, in ictu oculi, in nouiſsima tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur*: nos, inquam, qui tunc viui, & ſuperſtites erimus, vt exponunt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus, nam Paulus loquitur in perſona iuſtorũ, qui viui abſque morte iudicio interſunt. ¶ Quod etiam confirmat locus Pauli 1. ad Theſſalonicenſes 4: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini: quia nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt.* Quem etiam locum præcitati Patres interpretantur de ijs, qui in die iudicij viui reperientur, vt expreſſè notat Theophylactus: Auguſtinus autem ignorat, an locus iſte in alio ſenſu explicari valeat. *Iuſtinus. Origen. Chryſoſt. Theodore. Oecumen. Hieron. Auguſt. Gennadi⁹. Fulgent. 1. Theſſal. 4.*

Quæ explicatio maximè cōfirmatur ex litera græca, quæ non habet *in aduentu Domini*, ſed *in aduentum Domini*, vt ſit ſenſus: *nos qui viuimus, & reſidui ſumus, & relinquimur viui vſque ad aduentum Domini*: vnde ſtatim ait; *Mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur, & cætera*; qui viuimus, inquam, & relinquimur viuentes vſque ad aduentum Domini. Ex quibus ſatis videtur probatum, non omnes eſſe morituros, ſed aliquos ſine morte acceſſuros ad iudicium, vt immutentur. His addi poteſt, quod in Symbolo dicitur: *Qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos*, iuxta illud Pauli ad Romanos 14. *Chriſtus in hoc mortuus eſt, & reſurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur*: & clariùs Actorum 10: *Qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum.*

2. Secundum fundamentũ ſumi poteſt:

2. argum. quia damnati non debent in iudicio reſurgere. Ergo non omnes in iudicio ſunt reſurrecturi. Conſequentia eſt nota, antecedens probatur ex Pſalmo 1. *Non reſurgunt impij in iudicio: neque peccatores in concilio iuſtorum.* Et clariùs ex 2. Machabæorum c. 7. n. 13. vbi quartus ex Machabęis iudici ita reſpondit: *Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Cui etiam accedit; quia reſurrectio ſpecialiter promittitur membris Chriſti, iuxta illud Pauli ad Romanos 6: *Si complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Et 1. Corint. 15. *Eos, qui dormierunt, per Ieſum adducet cum eo.* Confirmari etiã poteſt, quia non omnes damnati mortui ſunt, nam Datan, & Abiron, & Core viui in infernũ deſcenderunt, vt patet Numerorum 16. n. 33. *Deſcenderuntque viui in infernum.*

Pſalm. 1. *2. Mach. 7.* *1. Cor. 15.*

3. 3. argum. Tertium fundamentum ſumi poteſt: quoniam infantes, qui in originali deceſſerũt, ſaltem qui abortiui ſunt, reſurgere non debent: etenim, quæ ex ſacris literis probant reſurrectionem, de adultis intelliguntur, vt patet ex Paulo 2. Corint. 5: *Oportet, omnes manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque in corpore, ſicut geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Vnde in iudicio tàm bonos, quàm malos, propter opera iudicabit Chriſtus dicens, his, qui à ſiniſtris erunt malis, *ite maledicti in ignẽ æternum, quia eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, & cætera:* bonis autem, & electis, quos à dextris collocabit, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare:* vt habetur Matthæi 25.

4. 4. argum. Poſtremum fundamentum ſumitur à Porphyrio, qui negat iuſtos fore reſurrecturos; quoniam fieri non poteſt, vt beatificentur animæ, quæ corpori ſunt vnitæ. Hæc pro parte negante afferri poſſunt.

§. 2.

Referuntur opiniones.

5. 1. opinio. DE hac quæſtione duæ ſunt principales opiniones inter ſe oppoſitæ. Prima affirmat, omnes in vniuerſum homines reſurrecturos fore, ſiue boni ſint, ſiue mali; ſiue adulti, ſiue infantes; ſiue ex vtero nati, ſiue in vtero mortui. Alij negant, omnes fore reſurrecturos: hi tamen non eodem modo ſuam ſententiam explicant, ſed varijs. Sunt, qui putant, iuſtos non eſſe reſurrecturos ſed ſolos iniquos, & damnatos, qui fuit error Porphyrij, vt inferiùs dicemus. In oppoſito errore fuerunt alij; qui in ſolis iuſtis admittebant reſurrectionem; non tamen in iniquis, & damnatis: quia putabant, reſurrectionem fieri in bonum reſurgentis, cuius damnati ſunt indigni: Ita nonnullos ſenſiſſe teſtatur Abulenſis tom. 7. in Matthæum cap. 25. q. 317. in principio; neminem tamen citat, nec ego aliquem inueni, qui iſtum probauerit errorem. 2. opinio.

6. 3. opinio. Tertia via incedunt alij, qui volunt, adultos omnes, tàm bonos, quàm iniquos reſurrecturos fore; non tamen infantes, qui ad vſum rationis non peruenerunt; maximè qui in maternis vteris obierunt. Qui iſtam opinionem abſolutè probauerit, nullum legi: videtur tamen hac de re dubius Auguſtinus in Enchyridione c. 85. ſi non de omnibus, ſaltem de abortiuis fœtibus: quamuis de omnibus dubius videatur Iuſtinus Martyr in lib. aduerſus gentes q. 13.

7. 4. opinio. Quartam viam probant, qui putant iuſtos, qui pro tempore conflagrationis viui inuenientur, nõ eſſe morituros; quod etiam admittunt de Enoch, & Elia; & ſubinde non omnes iuſtos reſurrecturos eſſe. Quare admittunt, omnes iniquos fore reſurrecturos; quia omnes morientur: non tamen omnes iuſtos; quia non omnes mortem ſubibunt, authores huius opinionis inferiùs referemus.

§. 3.

Vera reſolutio.

8. Affirmatiua vera. PRima tamen ſententia, quæ affirmat, omnes homines, ſiue iuſtos, ſiue iniquos; ſiue adultos, ſiue infantes; ſiue natos, ſiue abortiuos fore reſurrecturos, veriſsima eſt, & omnino amplectenda, vt verò illius veritas clariùs appareat, & in quo certitudinis gradu ſit tenenda, ſequentes ſtatuimus concluſiones.

Omnes eſſe morituros.

9. ¶ Prima concluſio, quæ in hac materiã, tan-

1. concl. tanquam dicendorum, fundamẽtum ponitur, ſit iſta. Simpliciter concedendum eſt, & aſſerendũ, omnes homines, id eſt omnes, qui aliquo modo vitam habuerũt humanam, eſſe morituros. Hæc concluſio eſt vnanimo ferè omnium conſenſu recepta euidenter confirmatur inſigni Pauli teſtimonio ad Romanos 5. nu. 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Accedat teſtimonium, eiuſdem Pauli 1. Corint. 15. *Quia ſicut in Adamo omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*; in quibus Paulus agit de morte, & viuificatione corporali. AdHebræos 9. n. 27: *Quemadmodũ ſtatutũ eſt hominibus ſemel mori.* 2. Regum 14. n. 14. *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur.* Eccleſiaſtici 9: *Nemo eſt, qui ſemper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam; viuentes enim ſciunt, ſe eſſe morituros.* Deniq; Sapientiæ 1. in fine. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Quæ tam generales locutiones ſatis conuincunt, neminem excipi poſſe: generalia enim ſacræ Scripturæ decreta exceptionem non recipiũt, niſi vel illa ex alio expreſſo Scripturæ loco colligatur; vel ratio ſpecialis priuilegij appareat; & inde eſt, vt illa generalis propoſitio: *per vnum hominem peccatum in mundum intrauit: in quo omnes peccauerunt*, generaliter ab omnibus intelligatur; à qua exceptio nulla fiat, niſi priuilegium ſpeciale admittatur, vt de Virgine admittit Eccleſia. Igitur illa etiam propoſitio generalis: *per peccatum mors in omnes homines pertranſijt*, generaliter debet intelligi, niſi ſpeciale oſtendatur priuilegium, vel ex ſacra Scriptura aliqui excipiantur: cum tamen nec locus aliquis oſtendi poſsit, qui aliquos à regula excipiat; nec priuilegium aliquod oſtendi poſsit; cum & Chriſtus mortuus ſit, & Virgo Deipara: vnde illa verba Pauli *Statutum eſt hominibus ſemel mori*, ita communiter explicantur, vt tale ſtatutum ſit fixum, immobile, & indiſpẽſabile: eſt enim vltimum Dei teſtamentum, vltimaq; ordinatio pro hoc mundo, vt morte moriatur, vt patet Eccleſiaſtici 14. n. 12. *Memor eſto, quoniam mors non tardat; & teſtamentum inferorum: quia demonſtratum eſt tibi: teſtamentum enim huius mundi, morte morietur.* Teſtamentum autem hoc morte teſtatoris Chriſti confirmatũ eſt, vt omnino ſit irreuocabile, & ideò indiſpenſabile: quod etiam videntur ſatis perſuadere verba Iob. 14. n. 1: *Breues dies hominis ſunt: conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Quæ verba teſtamenti, decretique diuini immutabilitatem ſatis videntur cõfirmare. Et ſatis illud Pſalmi 88: *Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem? Eruet animam ſuam de manu inferi*, quaſi dicat; nullus.

Ad Rom. 12. — *1. Cor. 15.* — *Ad Hebr. 9.* — *Sapient. 1.* — *Eccleſiaſt. 14.* — *Iob. 14.* — *Pſal. 88.*

Et hæc eſt communis, & vulgata doctrina Patrum; non ſolùm quando generaliter loquuntur de pœna mortis homini impoſita per illa verba Geneſis 3. *Terra es, & in terram ibis*: ſed quando loquũtur de illis hominibus, qui tempore conflagrationis mundi per ignem viui reperientur: maxima enim Patrum turba docet omnes ipſa ignis conflagratione morituros eſſe, vt teſtatur Gennadius *de Eccleſiaſticis dogmatibus c. 7. & 8.* Eccleſiam huic doctrinæ magis acquieſcere, teſtatur Hieronymus *tom. 3. epiſt. 152. ad Minerium pag. 445. col. 2. poſt principium. Vbi etiam pag. 446. col. 2. ferè in medio*, teſtatur hanc doctrinam veritati magis conuenire, & pag. 448. ferè ad medium affirmat, ſe contrariæ ſententiæ minimè acquieſcere; & anteà id ſignificauerat *pag. 445. col. 2. in medio*; & inde eſt, vt in explicanda lectione, quæ in nonnullis græcis codicibus reperitur, *non omnes dormiemus*, (ſi illa eſt admittenda, vt ait) maximè laboret, vt vulgatæ lectioni non repugnet, nec probet, non omnes eſſe morituros. Quare Hieronimus abſque dubio eſt pro noſtra, & communi aſſertione. Pro eadẽ multi referunt *Auguſtinum de Fide, & Symbolo cap. 6. & Epiſt. 146. ad Conſentiũ*; quatenus refert lectionem vulgatã, *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Sed cum Auguſt. *in libr. de octo quæſtionibus Dulcitij q. 3. tom. 4. pag. 284.* affirmet, ſe aliter ſenſiſſe, & dubius adhuc ibi maneat, an omnes homines morituri ſint, forſan Auguſtinus pro hac noſtra concluſione citari non poteſt, quanuis illi videatur fauere 20. *de Ciuitate cap. 20.* dùm ait in conflagratione futuram eſſe hominum perditionem. Citari etiam ſolet *D. Ambroſius in 1. ad Corint. 15. & 1. ad Theſſalonicenſes 4.* ſed non ſatis ſe explicat 10.

Gen. 3. — *Gennad.* — *Hieron.* — *Auguſt.* — *Ambroſ.*

plicat; fauere tamen videtur, dûm vulgatam noſtram latinam lectionem, *Omnes quidem reſurgemus*, ſimpliciter ſcribit. Referri etiam ſolet Rufinus in commentarijs ad Symbolum: ſed in illis nihil aliud reperio, quàm quod ille vtatur noſtra vulgata lectione, *Omnes quidē dormiemus, non omnes autem immutabimur.* Nonnulli
Machari. referunt Macharium ſeniorem *de modo precandi homil. 5. in fine tom. 2. Bibliothecæ, pag. 320. in principio*: ſed ibi ſolùm aſſerit, *Chriſtum deſcenſurum de cœlis, & ſuſcitaturum omnes filios Adæ, quicunque ab initio ſæculi dormierunt*: quæ tamen verba non omnino conuincunt: videtur tamen pro nobis ſtare: cùm ſignificat, omnes Adæ filios eſſe ſuſcitandos.

11. Sed noſtram concluſionem expreſſè
Didymus. probaſſe Didymum, teſtatur Hieronymus *in d. epiſt. 152. pag. 444. col. 2.* vbi etiā pro eadem refert Diodorum Tarſenſem. Eandem probauit Cyrillus Ieroſolymi-
Cyrillus. tanus catecheſi 4. in cap. de Reſurrectione 2. tom. Bibliothecæ pag. 79. ita enim ait: *Omnes quidem homines reſurgent; ſed nō omnium ſimilis erit reſurrectio: omnes enim æterna accipiemus corpora; ſed non omnes ſimilia*: accipere autem corpora non poſſunt, niſi qui exuti ſunt à corpore. Ful-
Fulgent. gentius expreſsiùs id ipſum docet *in lib. de fide ad Petrum c. 3*: agens enim de aduentu Chriſti ad iudicandum viuos, & mortuos, expreſſè docet, *in aduentu Domini ab illo primo hominis corpore, quod Deus de terra plaſmauerat, vſque ad omnium hominum corpora, quæ anima quandoq; viuere cœperunt; ab illo ſuſcitanda, à quo operante creata ſunt, & ſingula corpora illis ſingulis ſuis animabus in reſurrectione eſſe reddenda.* Sed clariùs id exprimit in eodem libr. c. 29. ita ſcribens: *Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites omnibus hominibus, & bonis, & malis reſurrectionē carnis in aduentu Domini futuram eſſe communem.* Eandem pro-
Anſelm. bat D. Anſelmus 1. *Corint. 15. ad illa verba: Omnes quidem reſurgemus*, vbi expreſſè id docet; *& iterum 1. ad Theſſalonicenſes 4. & in vtroque loco multis id oſtendit Beda*
Beda. *tom. 6. pag. 590. & 933. & ſatis clarè Gloſſa*
Gloſſa. *interliniaris ad illa verba Pauli: Omnes quidem reſurgemus.* Eandem etiam probat
Iulianus. *Iulianus Archiepiſcopus Toletanus libr. 3.*
Claudian. *prognoſticon c. 48. & 49. Claudianus lib. 2.*
Qu. Iulius *de ſtatu animæ*: *Quintus Iulius Hilarion in lib. de mundi duratione expreſſè docens, omnes homines igne conflagrationis fore conſumendos*: idem ſatis ſignificat *Primaſius Apocalypſis 20. Ambroſius Anſbertus lib. 9. in Apocalypſi: & in eodem lib. c. 20. Rupertus Tuitienſis, Vincentius Burgundius in ſpeculo naturalis hiſtoriæ lib. 32. cap. 102. Ludolphus Carthuſianus 2. p. de vita Chriſti c. 87. Guido Carmelita de Albanenſibus; & tandem refertur Iſidorus Peluſiota libr. 1. epiſt. 222*; ſed non ſatis id explicat. *Primaſius* *Anſbert.* *Tuitienſis* *Burgund.* *Ludolph.* *Guido.* *Peluſiota.*

¶ Ex ſacræ Scripturæ interpretibus hāc 12. *D. Thom.*
opinionem probant D. Thomas 1. *ad Corint. 15. lect. 8. ad finem, & 1. ad Theſſalonicenſes 4. lect. 1. Abulenſis tom. 6. in Matthæum c. 24. q. 185. poſt principium, & tom. 7. c. 25. q. 460. §. Circa quod conſiderandū, & §. Sin autem aget: Ambroſius Catharinus in d. cap. 15. primæ ad Corinthios ad præfata verba Pauli: Lorinus in acta Apoſtolorum cap. 10. verſ. 42. pag. 468. col. 2. ad finem, & pag. 469. col. 1. Pineda in Iob c. 14. verſ. 5. pag. 600. col. 2: Ludouicus Tena in epiſt. ad Hebræos c. 5. difficul. 26. in principio, pag. 721. Benedictus Iuſtinianus 1. Corinth. 15. verſ. 11. pag. 656. col. 2. in fine, & pag. 657. col. 1: Cornelius à Lapide in d. c. 15. verſ. 51. pag. 367. his addere poſſumus Pamelium in annotat. ad Tertullianum de reſurrect. carnis c. 42. n. 294. pag. 728.* *Abulenſ.* *Catharin.* *Lorinus.* *Pineda.* *Tena.* *Iuſtinian.* *Cornelius.* *Pamelius.*

¶ Eandem concluſionem ex noſtris ſcholaſticis, tanquam 13.
ſecuriorem, & veriorem probant ferè omnes *in 4. diſt. 43. vbi D. Thomas q. 1. ar. 4. quæſtiunc. 1. & in additionibus q. 78. art. 1. idem D. Thomas 1. 2. q. 81. art. 3. ad 1. D. Bonauentura in 4. diſt. 43. art. 1. q. 1. n. 5. & 12: Richardus ibidem art. 4. q. 1: Durandus, & Paludanus q. 4. Scotus q. 5. litera L. vbi Ouandus propoſitione 3. Sotus q. 1. ar. 4: Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 2. in 2. ſentēt. pag. 990. col. 1. & 2. Valentia tom. 4. ad 3. p. diſp. 11. q. 3. puncto 3. pag. 1939. & pag. 1940. vt innumeros alios omittamus*: eſt enim Theologorum ferè omnium, vt benè aduertit Sotus. *D. Thom.* *Bonau.* *Richard.* *Durand.* *Paludan.* *Scotus.* *Ouand.* *Sotus.* *Suarius.* *Valentia.*

In quo gradu certitudinis ſit tenenda?

¶ Sed antequam accedamus ad ſoluenda 14. In quo gradu ſit tenēda:
argumenta, quæ in contrarium adducūtur, expendendum eſt, in quonam gradu certitudinis hæc aſſertio ſit tenenda? etenim ſi Suario credimus plures volunt, eam eſſe de fide; quibus videtur conſentire

Variæ ſententiæ.

tire Richardus, dùm ait, oppoſitam aſſertionem eſſe contra ſacram Scripturam. Ambroſius Catharinus eam appellat falſam, & periculoſam; cum eo ferè conſentit Sotus: licet enim fateatur, ſententiam oppoſitam non eſſe contra fidem: agnoſcit tamen in ea nonnihil temeritatis, & audaciæ. Alij tamen volunt, temerarium eſſe, notare temeritatis opinionem, quam tot, ac tanti Patres tenuerunt, & quæ in ſacra Scriptura tam apparens habet fundamentum: maximè cum Eccleſia non magis in hanc, quàm in illam partem inclinet: vnde putant, ab omni cenſura abſtinendum eſſe, exiſtimantque noſtram aſſertionem eſſe in ſe longè probabiliorem, & ſimpliciter veram: hæc fuit opinio Suarij loco citato ad finem dictæ ſectionis ſecundæ, pag. 993. col. 1. quem in hoc probant Lorinus, & Cornelius à Lapide.

Sententia authoris.

Ego hactenus exiſtimaui, noſtram aſſertionem nec eſſe de fide, nec ita certam, vt oppoſita temeritatis poſsit condemnari; eam tamen habere certitudinē, vt omnem probabilitatem ab oppoſita excludat, & eam tanquam non ſatis ſecuram veluti condemnet: & ideò exiſtimabam defendi non poſſe: at modò diligentiùs expenſa Tridentini diffinitione, puto eam eſſe pluſquàm temerariam. Vtrumque diligentiùs explicabo.

15. Explicatur opinio. *D. Thom.*

Prius illud noſtrum iudicium eſſe ad mentem D. Thomæ, ex eo oſtendebam; quoniam D. Thomas non ſimpliciter dixit, noſtram aſſertionem eſſe probabiliorem; ſed addidit eam eſſe ſecuriorem, & conuenientiorem, adiungens, Eccleſiā eam magis acceptare: & *D. Hieronymus in d. epiſtol. 152. pag. 445. tom. 3.* affirmat Eccleſiam in ea magis conquieſcere, vt quia magis conueniat veritati; non quidem naturali, ſed diuinæ, & Catholicæ: iam verò durum eſt approbare oppoſitū eius, quod in materia fidei Eccleſia magis acceptat, & in quo magis conquieſcit. Quare oppoſitam ſententiam non damnabam alicuius formalis temeritatis in fide: non negabam tamen, eam ad temeritatem aliquo modo accedere: quod ſatis eſt, ne cuique liberum ſit pro arbitrio eam defendere. Quod eò libentiùs affirmabam, quòd viderem D. Fulgentium hanc noſtram ſententiam ſub illis verbis docere, ſub quibus docet ea, quæ ſunt fidei, vel ad fidem accedūnt. *Firmiſsimè,* inquit, *tene, & nullatenus dubites, & cætera,* ex quibus inferebam nec audiendum eſſe Suarium, dùm ſcribit, Eccleſiam non magis in vnam, quàm in alteram partem inclinare: cùm & D. Hieronymus, & D. Thomas verbis expreſsis oppoſitum doceant: quorum vnus ait, Eccleſiam magis conquieſcere in opinione, quòd omnes in die iudicij morituri ſunt: alter verò dixit, Eccleſiam hanc opinionē magis acceptare: & meritò; quia negandum non eſt, eam ſacræ Scripturæ magis eſſe conſentaneam vt Valentia affirmat.

D. Hier. *Fulgent.* 16. Non placet Suarius.

Infero deinde, neque eſſe audiendos, qui volunt hanc noſtram aſſertionem tenendam eſſe, vt probabiliorem; quaſi oppoſita noſtris his temporibus nullam temeritatis ſuſpitionem habeat. Nec etiam illos eſſe audiendos, qui liberum cuique relinquūt eligere, quam maluerit opinionem; quæ videtur eſſe ſententia *Xiſti Senenſis lib. 6. ſuæ Bibliothecæ annot. 265:* nec verum eſt, D. Hieronymum hanc liberam eligendi licentiam tribuiſſe *in d. epiſt. 152. ad Minerium*: nullum enim huius liberæ electionis verbum in eo legi; quin potiùs oppoſitum ex eo euidenter colligitur, cùm fateatur ſe oppoſitæ ſententiæ minimè acquieſcere: adeò vt ab authoribus contrarię opinionis veluti notetur, quod eorum explicationes legat, quorum dogmatibus non acquieſcit: quibus ipſe reſpondet, ſe antiquos legere, probare ſingula; retinere, quæ bona ſunt; & à fide Eccleſiæ Catholicæ non recedere: imò authores oppoſitæ ſententiæ reprehendit, quòd ſic veterum defendant perfidiam, vt perdant fidem; quæ verba non ſunt cōcedentis illis liberam electionem, ſed docentis oppoſitam non ſatis eſſe tutam: ſed ideò illam lectionem nonnullorum codicum ex græcis *non omnes dormiemus*, ita putat explicandam, vt non aduerſetur latinę lectioni *omnes reſurgemus*: ſatis igitur ſuam de hac quæſtione mentem explicauit, vt noſtra lectio latina in ſuo vniuerſali ſenſu ſit ſaluanda, etiam ſi lectionem aliquorum græcorum codicū admittamus.

17. Nec placet Xiſtus Sen. Hieronym. non dat electionem.

Explicatur Hieron.

Non negabo D. Hieronymū *in epiſtol. 148. ad Marcellā tom. 3. pag. 413.* ſentire verba illa Pauli 1. ad Theſſalonicenſes 4. de viuentibus, qui obuiam Chriſto veniēt, prę ſe ferre, quòd illi ſine morte

morte occurrent Chriſto; ſic enim ait: *Hoc ex ipſius loci continentia ſciri poteſt, quòd Sancti, qui in aduentu Saluatoris fuerint deprehenſi in corpore, in iiſdem corporibus occurrent ei.* Quæ verba ſatis ſignificant, Hieronymum ſolùm docere, quòd verba illa Pauli ſumpta ſuperficie tenus, illud ſonant: quomodò autem ſint explicanda, id non declarat; hoc autem facit in d. epiſt. 152. Quare Xiſtus Senenſis non ſatis accuratè legit D. Hieronymũ. Sed nec accuratè legit Auguſtinum *in 3. q. Dulcitij*, dùm affirmat, Auguſtinum dixiſſe, æque Catholicos eſſe, qui vnam, vel alteram opinionem ſequuntur: nullum enim de hoc in Auguſtino verbum inuenies: ſed quęſtione pro vtraque parte ex ſacris literis diſputata, doceri vult de veritate vtriuſque; ita tamen, vt in doctoribus docentibus non conſtituatur canonica authoritas: quibus verbis docet, quomodò Doctores in docendo ſe debeant habere; ne ſcilicet putent, ſuam authoritatem habendam eſſe pro canonica, quòd longè aliud eſt ab eo, quod Senenſis aſſerit. Sed nec illud ſcriptum inuenies 20. *de Ciuitate Dei c. 20*: quia ſolùm pro vtraque parte quæſtionem diſputat, & declarat hanc, quam defendimus, nullas pati anguſtias. Quare non eſt, quod Senenſis ſcribat, liberum eſſe cuique, quam voluerit opinionem ſequi: cum nec Hieronymus, nec Auguſtinus eam faciant facultatem; ſed nec D. Thomas eam concedit, cùm doceat noſtram ſententiã ſecuriorem eſſe: ſignificans his verbis oppoſitam, non ſatis habere ſecuritatis: imò nec doctiſsimus Suarius hanc facultatem facit, cùm affirmet, noſtram aſſertionem eſſe ſimpliciter veram: quod autem ſimpliciter eſt verum, ſatis concludit oppoſitum ſimpliciter eſſe falſum. Iam verò quod ſimpliciter eſt falſum, ſimpliciter non eſt probabile: & ſubindè nec ſimpliciter erit liberum illud defendere, tanquam verum. His igitur concludebam, concluſionem noſtræ oppoſitam ſimpliciter non eſſe contra fidem; nec poſſe aut periculi, aut temeritatis ſimpliciter damnari; non poſſe tamen ſimpliciter defendi; imò nec decere illam defendere; cum Eccleſia noſtræ aſſertioni magis aſſentiatur, vt D. Hieronymus, & D. Thomas teſtantur.

18. Nec Aug. id docet.

19.

Nec Diuus Thomas eã concedit.

Nec Suar.

Sed quanuis hactenus ita exiſtimauerim; re tamen meliùs conſiderata, poſt diffinitionem Concilij Tridentini de recipienda vulgata editione pro canonica; & adiuncta declaratione Cardinalium, puto noſtram aſſertionem ita eſſe veram vt oppoſita temeritatis notam non euadat: etenim ſacrum Concilium Tridentinum ſeſsione 4. in decreto de editione, & vſu ſacrorum librorum, *ſtatuit, & declarat, vt vetus, & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authẽtica habeatur: & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præſumat.* Quod clariùs expreſsit ibidem in priori decreto de canonicis ſcripturis; vbi enumeratis libris, qui in ſacra Scriptura pro canonicis ſunt habendi, ita definit: *Si quis autẽ libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit; anathema ſit.* Illa autem verba, *cum omnibus ſuis partibus* à congregatione Cardinalium ita explicantur, vt ſingulæ periodi, ſingulæ clauſulæ, & denique ſingulæ dictiones, & ſyllabæ cuiuſlibet illorũ librorum pro ſacris, & canonicis habendæ ſint: ita vt non ſolùm clauſulę; ſed nec dictiones, quæ clauſulis, & dictionibus vulgatæ editionis repugnauerint, ſint recipiendæ: ita enim habet declaratio Cardinalium ad illa verba Concilij: *Cum omnibus ſuis partibus: etiam quòd ſola periodus: ſola clauſula, vel ſola dictio, aut ſyllaba, quæ repugnaret vulgatæ linguæ latinæ editioni.* Quæ explicatio ab omnibus intelligitur de editione vulgata emendata, vt expreſsè fatetur Nicolaus Serarius *in ſuis Biblicis prologomenis c. 11. in fine*: quod tanquã certiſsimum ſupponimus. Ex quo iam patet, verſionem iſtam vulgatam eſſe approbandam, & ſequendam, vbi datur verſionum varietas; imò etiam vbi datur varietas in proprijs fontibus linguarum; vt quia illa ipſis primis Hebræis, Gręcisque fontibus abſque dubio ſit cõformis. Imò ſi aliqua diſſenſio eſſet in impreſsionibus ipſis Hebraicis, ſiue Græcis, illam cum veritate primi fontis, ſiue authoris ſacri conſentire dicemus, quæ cum noſtra vulgata conſentit: etenim authoritas, quam vulga-

20. Propria authoris ſententia.

Trident.

21. Congregatio Cardinalium.

22. Serarius.

vulgata habet ex canonizatione Concilij, in hoc eſt poſita, vt verſio vulgata cõformis ſit primò fõti, id eſt, ꝓpriæ authoris libri ſcriptioni, ſiue cõpoſitioni: etenim penes hoc attenditur ipſius editionis, ſiue verſionis vulgatæ canonizatio: quod modò ſupponimus, tanquam ab omnibus re
23. ceptiſsimũ. Quare, cũ apud Paul. 1. Cor.
1. Cor. 15. 15. Græci codices varij ſint, vt patet ex ijs, quæ D. Hieron. refert in d. epiſt. 152. (alij enim habẽt: *omnes dormiemus; ſed non omnes immutabimur*. Per oppoſitũ alij habent: *Non omnes dormiem⁹; omnes tamẽ immutabimur*: alij deniq; : *omnes non dormiemus; ſed omnes immutabimur*:) nec conſtat de vera, & prima ſacri authoris ſcriptione, ſiue cõpoſitione; ꝓfectò ex noſtra vulgata deſumi debet, qui nã codices ſint veri fœtus ſacri authoris Pauli: hoc enim priuilegiũ, & hanc excellentiã ex Cõcilij canonizatione obtinuit vulgata editio; vt vero, & primæuo fonti ſit cõformis. Vnde non poſſum non approbare illorũ opinionẽ, qui dicunt, tàm codices Hebræos, quàm Grecos cenſendos eſſe deprauatos, & corruptos, ſi noſtræ vulgatæ ita cõtradicunt, vt cum illa conciliari nequeant: quod etiam volum⁹ eſſe ſuppoſitũ. Quare illi codices græci pro primis fontibus habendi ſunt, qui habent: *omnes dormiemus, ſed non omnes immutabimur*: quoniam cum noſtra vulgata conſentiunt, quæ habet, *omnes reſurgemus*; quia ad dormitionẽ per mortem ſequitur reſurrectio.

24. An ſit canonica hæc lectio vulgata in hoc loco?

Ex his poſſet quis inferre, verſionem noſtræ vulgatæ, dũ habet, *Omnes quidẽ reſurgemus*, habendam eſſe pro canonica: & per cõſequens poſt Tridẽtini definitionẽ iam eſſe de fide, omnes homines reſurrecturos fore, nec vllos poſſe excipi; & per cõſequens iam eſſe de fide, omnes homines, qui in aduẽtu Dñi viui reperiẽtur, eſſe morituros, ſiue boni ſint, ſiue mali. Et profectò id dicendũ eſſet, ſi hæc difficultas ad fidẽ pertineret: etenim omnes conueniunt, verſionẽ vulgatæ omnino eſſe tenendã in ijs, quæ ad fidẽ, & mores pertinẽt, vt expreſſè docent *Canus lib. 2. de locis Theolog. c. 13. concl. 1. & Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 10. & 11. cũ cæteris omnib⁹, quos refert Nicol. Serarius in ſuis biblicis prologominis c. 11. quæſtiũc. 11*: verũ difficultatem iſtã ad fidẽ non pertinere ex eo patet, quòd de ea oppoſitæ ſunt Patrũ ſententiæ: quorũ alij negant, homines iuſtos illius tẽporis morituros; alij affirmant, vt patet ex ijs, quæ ſcribit *Hieron. in d. epiſt. 152. tom. 3. & Auguſt. ſatis eſt dubius, vt patet ex lib. de octo quæſtionibus Dulcitij q. 3. tom. 4. & in Enchyridione c. 55. & li. 20. de Ciuitate Dei c. 20. & epiſt. 146. ad Conſentium*: & vtranque opinionẽ ſine vlla cenſura teneri poſſe ſcribũt *Suarius, Lorinus, Cornelius, & plures alij, quos ſuprà adduximus*. Quorum opinionem ego ex eo probo; quia exceptio illorum hominum fũdamentum habet in eodẽ Paulo 1. Theſſalonicenſ. 4. n. 15. *Nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormiunt*. Et inferiùs: *Mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera*. Quæ verba quamplurimi ex Patribus ita intelligunt, vt viui illi, abſque hoc, quod moriantur, occurrentes Chriſto immutentur: & inter eos Auguſtinus putat ea verba non ſatis accommodatè poſſe aliter intelligi: Hieronymus autem *in epiſt. 148. ad Marcellam fatetur, illa verba præ ſe ferre illum ſenſum*. Cum igitur dubium ſit,
an propoſitiones illæ generales: *in omnes homines mors pertranſijt; omnes in Adamo moriuntur ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*, cum ſimilibus ſuperiùs adductis, per eundem Paulum limitentur, ne locum habeant in illis hominibus iuſtis, qui in Chriſti aduentu viui reperientur; profectò ex canonizatione editionis vulgatæ non ſatis ſufficienter cõuinci poteſt, eſſe de fide, illos homines nõ eſſe morituros: quia, vt diximus, illius editionis canonizatio ſolùm extenditur ad ea, quæ vel ad fidẽ, vel ad mores pertinẽt. Quare adhuc cum D. Thoma affirmabo, articulũ iſtũ non eſſe de fide, etiã poſt vulgatę editionis canonizationẽ: ea tamẽ ſuppoſita, nõ dubito, tutũ non eſſe aliquẽ ab illa generali regula excipere: etenim ſi aliqui non moriantur, vniuerſaliter verum nõ erit, *omnes reſurgemus*: quam propoſitionem in ſua generalitate, & vocis proprietate non aliter poſſumus intelligere, niſi omnis vera mors pręcedat: quia cõſentiente Auguſtino cũ cæteris Patribus, qui in oppoſitũ citantur, vera reſurrectio dari non poteſt, niſi in eo, in quo vera mors prçceſſit. Porrò, ſi non eſt ſatis tutũ propoſitiones 25.

Canus. Bellarm. Serarius.

Non pertinet ad fidẽ.

Probatur authorit.

1. Theſſal. 4.

Auguſt.

Hieron.

nes ſacræ Scripturæ in ſenſu improprio explicare, quando neceſsitas nõ cogit; nõ erit ſatis tutum defendere, non omnes homines eſſe morituros. Vnde ex canonizatione vulgatæ editionis ego infero, canonizatã eſſe lectionem græcam, quæ habet, *omnes dormiemus.* Et cũ Eccleſia ante Concilium Tridentinũ lectionem illam magis acceptauerit, vt ex D. Hieronym. & D. Thoma iam diximus; profectò maiori cũ ratione eã firmius acceptabit, poſt editionem vulgatam in Concilio Tridẽt. canonizatam: maximè cum locus Pauli 1. Theſſalonicenſ. 4. non ſatis vrgeat, vt dicamus, viuos illos homines, de quibus agit, non eſſe morituros, vt ſtatim dicemus. Nec mihi obijciat Suarius, temerarium eſſe, Auguſtinũ, & tot alios Patres temeritatis notare; quoniam ſicut Patres hęreſeos notari non poſſunt, quòd aliquã probauerint opinionem, quam Eccleſia poſtea, vt hæreticam damnauit; ita non poſſunt alicuius temeritatis notari, ſi alicui opinioni adhæſerunt, quæ ex aliqua Eccleſiæ diffinitione ſuperueniente iam nõ poteſt ſine aliqua nota defendi. ¶ Sed iam explicemus, quæ pro contraria opinione obijciuntur.

26. *Soluuntur argumenta in contrarium.*

1. argum. ¶ Sed ſoluenda iam ſunt argumenta, quę contra noſtram primã aſſertionem obijciuntur. Primum ſumitur; quia plures ex Patribus docuerunt, nõ omnes homines morituros fore: nam Enoch, & Elias ſine morte corporaliter ſunt in cœlum rapti, & æterna iam fruũtur beatitudine. Quod
Auguſt. ſatis videtur inſinuare *Auguſt. in d. lib. 8. quæſt. ad Dulcitium q. 3. tom. 4. pag. 284. B. 2. & clariùs refert ex Didymo D. Hier.*
Hieron. *in d. Epiſt. 152. ad Minerium paulò poſt principium tom. 3. pag. 444. vbi ita ait: Enoch enim, & Elias mortis neceſsitate ſuperata, ita vt erant in corporibus, de terrena cõuerſatione ad cœleſtia regna tranſlati ſunt:* & inferiùs idem repetit ex Diodoro. Eos etiam qui in aduentu Domini viui reperientur morituros non eſſe affirmarunt *Theodorus Heraclienſis in ſuis in Paulum commentariolis: & Diodorus Tarſenſis in d. epiſt. 1. ad Corint. & in eadem Apollinaris, quos refert D. Hierony. in d. epiſt. 152. idem ſenſit Chryſoſtom. homil. 42. in eandem epiſtolam: & cum Chryſoſtomo idem ſentiunt Theophylactus, Oecumenius, & Theodoretus: Augu-*

Enoch, & Elias an iã ſint in cœlo ſine morte?
Theodor.
Diodorus.
Apollina.
Chryſoſt.
Theophyl.
Oecumen.
Theodor.

ſtinus etiam dubius eſt in dicta q. 3. libri octo quæſt. ad Dulcitium, & in locis ſupra citatis. 27.

2. argum. Secundũ argumentũ ſumitur ex quibuſdam codicibus græcis, qui ita habent: *Non omnes quidem dormiemus; omnes autẽ immutabimur*: quam lectionem amplectũtur ferè omnes Græci; imò eam non reijciunt plures ex Latinis Patribus. Quin potiùs teſte Hieronymo aliqui codices Græci habent: *Omnes quidem non dormiemus; omnes autem immutabimur.* 28.

3. argum. Tertium argumentũ ſumitur ex verbis Pauli 1. Theſſalonicenſ. 4: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini: quia nos, qui viuimus, & qui reſidui ſumus, in aduẽtu Domini nõ præueniemus eos, qui dormierũt: quoniã ipſe Dñs in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgẽt primi; deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cũ illis in nubibus obuiã Chriſto in aera.* Quę verba præ ſe ferre iſtos homines non eſſe morituros; ſed ſine morte eſſe immutandos, *D. Hier.* teſtatur *Hieron. in d. epiſt. 148. ad Marcellam:* & ea aliter intelligi non poſſe, teſtatur *Auguſtinus in d. q. 3. libri octo quæſtionum ad Dulcitium,* *Auguſt.* & omnes Græci ſuprà citati ita eum interpretantur. 29.

4. argum. Quartum argumentum ſumitur ex illis verbis Actorũ 10: *Ipſe eſt, qui cõſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Et ex verbis Pauli ad Romanos 4. *Chriſtus in hoc mortuus eſt, & reſurrexit, vt viuorũ, & mortuorum dominetur.* Ex quibus locis deſumpta eſt regula fidei, quam in Symbolo profitemur: *Venturus eſt iudicare viuos, & mortuos,* quæ regula non melius poterit explicari, quàm ſi dicamus, Chriſtum iudicaturum eſſe, & eos, quos in ſuo ad iudiciũ aduentu inuenerit viuentes: & prętereà eos, quos iam mortuos reperiet, vt aduertit Aug. *in d. q. 3. libri octo quæſtionũ Dulcitij, pag. 284. B. 2. in fine tom. 4.* 30.

5. argum. Quinto loco obijci poteſt: quoniã negandum nõ eſt, quòd tempore aduentus Chriſti ad iudicium plures inueniẽtur viui: id enim Paulus teſtatur in citatis locis. At credibile non eſt, quòd omnes tunc ordinaria, & communi morte morietur: ſed nec credibile eſt, quòd omnes tunc violentam mortem ſubibunt: cur enim iuſti (plures enim tũc inuenientur) interficiẽtur violẽter? etenim vel cõburẽdi ſũt igne cõflagrationis; vel alio modo interſi-

interficiendi. Nō eſt credendū quòd Deus velit, iuſtos igne cōburere; maximè, quia plures exiſtimant, cōflagrationem ignis poſt iudicium eſſe futuram. Nec videtur veriſimile, quod iuſti in ipſo raptu, quo Chriſto obuiam in aere occurrent, ſimul moriantur, & reſuſcitētur. Denique nulla naturalis cauſa poteſt cū probabilitate aſsignari ſubitæ mortis tot hominū. Videtur igitur dicendum, non omnes homines, qui tunc viui reperientur, eſſe morituros; ſed ſolos peccatores, qui digni ſūt vt morte violenta interficiantur, vel per ignē, vel per nimium ſignorū terrorem,

32. 6. argum. Sextò arguunt nonnulli: quia naturale, & commune totius humanæ ſpeciei deſiderium non poteſt in tota natura humana ita eſſe inane, vt in aliquibus non impleatur. Sed naturale deſiderium mortalium eſt, nolle ſuo corpore per mortē ſpoliari; ſed ſine ſpoliatione ſuperueſtiri, vt docet *Paul. 2. Corint. 4. in illis verbis: eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri.* (2. Cor. 4.) Ergo decet, vt tale deſiderium in aliquibus adimpleatur: non poteſt autem melius, & commodiùs adimpleri, quàm in illis hominibus, qui in Chriſti aduentu viuentes reperientur.

33. 7. argum. Septimo, & poſtremo ita argui poteſt: quia ex Paulo ad Romanos 5. *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit, & gratia.* Non poteſt autē quoad pœnam mortis per peccatum impoſitam gratia commodiùs ſuperabundare, quàm ſi aliqui homines, qui ob peccatū morti ſunt ſubiecti, ab illa ſubiectione per Chriſti gratiam liberentur. Ergo decet id exiſtimare de illis iuſtis, qui in fine mundi viuentes erūt.

34. Solutio 1. argum. Hæc argumenta facilem habent ſolutionem. Ad primū admittendū eſt, plures ex Patribus ſenſiſſe, nō omnes homines eſſe corporaliter morituros: nam de Enoch, & Elia plures id affirmant; & de ijs, qui tempore iudicij inuenientur viui, id ipſum docent illi, quos in argumento retulimus. Sed cum maior, aut ferè tota turba Patrum, & Theologorum oppoſitùm doceat; argumentum vim non habet. Vtrumque expendemus, & primum de Enoch, & Elia; deinde de alijs.

Quid de Enoch, & Elia?

35. Quod Enoch, & Elias nō ſint mortui. ¶ Quod attinet ad Enoch, & Eliam, negandum non eſt, Theodorum Eracleotā, & Diodorū Tarſenſem ſenſiſſe, eos mortuos non eſſe, ſed viuos in cœleſtem patriam aſcendiſſe, & ad iudicium cum eiſdem corporibus venturos eſſe: id enim ſatis de illis doctoribus explicat *Hieronymus in d. epiſt. 152. poſt principium col. 1. in fine.* An iſtam opinionem probet Hieronymus? dubitari poteſt. Affirmat Sotus *in 4. diſt. 43. q. 2. art. 3. ad 3. in fine articuli:* nec ſine fundamento ſanè: nam *in d. epiſt. 152. pag. 446. col. 2.* agens de morte, & reſurrectione corporali, affirmat, *exceptis Enoch, & Elia nulli contigiſſe ſine morte corporali in perpetuum viuere.* Quibus verbis ſatis ſignificat Enoch, & Eliam ſine corporali morte iam habere vitam ſempiternam: & Sotus hoc nixus teſtimonio idē videtur approbaſſe. Ego opinionem non probo: ſatis tamen credo eam D. Hieronymo placuiſſe: etenī apud Hieronymū inuenio vtrūque illum viuum fuiſſe trāſlatum in cœlum: vtrumque eſſe paradiſi colonos: vtrumque cęleſti pane ſatiari: denique vtrumque non vidiſſe mortem: hæc omnia inuenies *epiſt. 61. ad Pamachium c. 10. tom. 2. pag. 220. col. 1. & lib. 3. aduerſus Pelagianos cap. 4:* at tamen, quod ante iudicium morituri ſint; nunquam expreſſè in eo legi: nam locus ex epiſtola 148. ad Marcellam, qui pro illorū morte affertur, non ſatis id probat: imò ideò ſentit oppoſitum, quia non vult diſputare, an ex lib. Apocalypſis colligatur, eos venturos eſſe ad prædicandum fidem tēpore Antechriſti, & ab eo eſſe interficiēdos: putat enim librum Apocalypſis non eſſe carnaliter; id eſt corporaliter, ſed ſpiritualiter explicandum. Quare magis inclino Hieronymum illius fuiſſe opinionis, vt Enoch, & Elias viuentes in paradiſum cœleſtem iam aſcenderint, & ſubinde nec mortuos eſſe, nec morituros. Niſi dicamus, Hieronymum Matthęi 11. & 17. admiſiſſe Eliam iterum venturum eſſe ad prędicandū tempore Antechriſti.

Quid de illis ſentit Hieronymus. *Sotus.* — 36. Non recipitur. — Opinio authoris.

37. Enoch, & Elias morientur. Sed quidquid ſit de mente Hieronymi; oppoſita ſententia eſt omnino probanda: ſcilicet Enoch, & Eliam viuentes abſque corporali morte fuiſſe in cœlum aereum raptos, & adhuc viuere; venturos tamen eſſe, vt ſint præcurſores ſecundi aduentus Chriſti, & vt Antechriſto reſiſtant, & ab eo eſſe interficiendos. Hanc opinionem aut eſſe de fide, aut eſſe proximam fidei optimè aduertit doctiſsimus Suarius probatur.

Suarius pro batur. Suarius 2. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 55. *ſect.* 2. *concl.* 1. *pag.* 1128. *col.* 2: & meritò; quoniam ex ſacris literis ſatis efficaciter probatur Eliã futurum eſſe præcurſorem ſecundi aduẽtus Chriſti in iudicium: non quidem in ſpiritu; quaſi alius, qui ſpiritum habeat Eliæ, venturus ſit; ſed in propria perſona. Hoc enim efficaciter colligitur, ſi diligẽter ex pendantur, quę de eo ſcribunt, tam Ecclesiaſticus cap. 48. quàm Malachias cap. 4. quàm denique Chriſtus Matthæi 11. & 17: etenim Eccleſiaſticus cap. 48. de illius perſona cum eo loquens, ita ſcribit: *Qui receptus es in turbine ignis, in turbine equorum igneorum: qui inſcriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini: conciliare cor Patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* Perſona igitur Eliæ inſcripta eſt, id eſt deſtinata, & deſignata: ſiue

Probatur ex Eccleſiaſ. 48.

38. potiùs vt Prophetarum vaticinijs ſcripta, vt in iudicijs temporum, id eſt, in tempore à Deo diſpoſito, & præfinito, vt munera illa ſubeat, nimirum vt furorem Dei placet; & corda filiorum cum Patribus conciliet, vt ſcilicet de Deo idem ſentiãt, quod Patres eorum ſenſerunt; & hoc modo reſtituat filios Iacob ad veram patrũ ſuorum fidem. Quæ verba ſatis euidenter ſignificant, Eliam non in altera perſona, quæ ſpiritum eius habeat; ſed in perſona propria à Deo eſſe deſtinatum ad explicata munera obeunda. Etenim Eccleſiaſticus loquitur cum ipſa Eliæ perſona, & enumerat omnia, quæ in propria perſona operatus eſt, & tamen explicat, quæ de illius perſona ſunt à Deo ordinata: imò vaticinio Prophetarũ de eo ſcripta. Inde infertur Eccleſiaſticum alludere ad vaticinium poſitum Malachiæ 4: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*: & profectò ſi Eccleſiaſticus loquitur de perſona propria Eliæ (vt verè loquitur) neceſſariò conuincitur, vaticinium Malachiæ explicari non poſſe, niſi de propria Eliæ perſona. De qua etiam loquitur Chriſtus, dùm dicit, Eliam eſſe venturũ: nam cum Matthæi 11. dicat de Ioanne, *ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*; non poteſt eſſe ſenſus: ipſe Ioannes in ſpiritu eſt Elias, qui in ſpiritu venturus eſt; ſed qui venturus eſt in perſona. Et eodem modo intelligenda ſunt

Malac. 4.

verba Chriſti Matthæi 17: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia: dico autem vobis, quia Elias iam venit*: Elias, inquam, iam venit in ſpiritu; venturus autem eſt in perſona. Hæc eſt literalis, & vera illius loci explicatio; quam ferè omnes Patres & interpretes ſacræ Scripturæ probant, quos refert Suarius in d. diſp. 55. ſect. 2. pag. 1129. col. 2. Matt. 17.

39. Ex quo infertur locum *Apocalyp.* 11. de duobus teſtibus, qui ab Antichriſto ſunt interficiendi, & poſt tres dies ſuſcitandi, & aſcenſuri in cœlum ante generale iudicium, non poſſe non intelligi de Enoch, & Elia. Et quamuis plerique hanc interpretationem non recipiant; imò etiã impugnent, vt latè ſcribit Ludouicus Alcaſar in Apocalyp. c. 11. verſ. 3. in com. literæ, pag. 578: ea tñ eſt recipienda: quia hęc eſt ferè cõmuni conſenſu recepta expoſitio: imò totius Eccleſiæ vnanima ferè credulitas, vt ibidem teſtatur Aretas: quæ ſatis eſt, vt non ſatis tutum ſit id negare. Quod latiùs oſtendere non eſt huius loci: ſatis nobis modo ſint, quæ pro hac opinione doctiſsimè ſcribit Suarius in d. diſp. 55. ſect. 2. Et quidem explicatio iſta ſatis conuincitur, ſi ſemel admittatur (admittendum autem eſſe iam oſtẽdimus) Eliam ex vaticinio Malachiæ, & ex teſtimonio Eccleſiaſtici à Deo deſtinatum eſſe, atque reſeruatum, vt contra Antichriſtum veniat. Quod ſi de Elia id admittitur; idem admittendum eſt de Enoch. Quare aſſerendum eſt, eos non dũ eſſe beatos; ſed eſſe à Deo in certo aliquo loco nobis ignoto reſeruatos, vt tempore Antichriſti pro fide martyrium ſuſtineant, vt in illis verum ſit illud Pauli: *Et ita in omnes homines mors pertranſijt.*

Apocal. 11. explicatur.

De viuis, qui inuenientur in aduentu Chriſti ad iudicium.

40. ¶ Quod verò attinet ad eos, qui in Chriſti Domini aduentu viui reperientur; an ſcilicet ſint morituri; an verò viuentes in corpore immutandi? Fateor inter Patres fuiſſe controuerſiam: & plures eorum docuiſſe, eos non eſſe morituros; ſed nulla morte præuia eſſe in corpore immutãdos: ita docuiſſe *Theodorum Hieracliensem, & Diodorum Tarſenſem, teſtatur D. Hieronymus in d. Epiſt.* 152: *pro qua opinione etiã fuit*

An qui in Chriſti aduentu fuerint viui debeãt mori?

Theodorus Diodorus.

Apollin. fuit Appollinaris in commentarijs ad Epiſt.
Chryſoſt. primam Pauli ad Corinthios. Eandem proba-
Theodoret. uit Chryſoſtom. homil. 42. in eandem epiſto-
Theophyl. lam, quem ibidem ſequuti ſunt Theodoretus,
Oecumen. Theophylactus, & Oecumenius. Iuſtinus
Iuſtinus. Martyr q. 109. ad Orthodoxos: & idem abſq;
Origen. dubio ſenſit Origenes lib. 2. contra Celſum, pag. 442. col. 2. litera V. & lib. 5. pag. 471. non bene citatur à Xiſto Senenſi pro oppoſita ſententia *lib. 6. anno. 266.* nec liber ille Origenis, quem citat, reperitur: & in eo contrarium nō docet, cum in loco à
Tertull. nobis citato ad eum ſe referat. Ex Latinis idem probauit Tertullianus *de Reſurrectione carnis c. 41.* vbi agens de deſiderio, quo deſideramus non exui à corpore, ſed ſuperueſtiri, ita ait: *Huius enim gratiæ priuilegium illos manet, qui ab aduentu Domini deprehendentur in carne; & propter duritiem temporum Antichriſti merebuntur cōpendio mortis p demutationē expūctæ concurrere cum reſurgentibus.* Addere poſſumus *Au-*
Auguſt. *guſtinum 2. de peccatorum meritis c. 31.* Eā-
Caietan. dem etiam opinionem ex Latinis probauit *Caietanus, tùm 1. Corinth. 15. tùm 1. ad Theſſalonicenſes 4. & idem defendit Pame-*
Pamelius. *lius in annotationibus ad Tertullianum loco citato cap. 42. n. 294.*

41\. Oppoſitæ ſententiæ Authores. ¶ Sed quamuis præcitati Patres eam opinionem habuerint; oppoſitam tamen ſententiam maxima turba Patrum proba-
Gennadius uit, vt teſtatur Gennadius, & inter recentiores Catholicos, vno excepto Caietano, & altero Pamelio, vnanimo conſenſu illa eſt receptiſsima, non ſolùm, vt probabilior, ſed vt ſimpliciter certa; & adeò certa, vt oppoſita ſine aliqua nota iam defendi non poſsit, vt latè oſtendimus ſuprà; vbi ex Patribus pro noſtra aſſertione citauimus *Didymum Alexandrinum, Hieronymum, Fulgentium, Cyrillum Ieroſolymitanum, Anſelmum, Bedam, Gloſſam interlinearem, Gennadium, Iulianum, Claudianum, Iulium, Hilariorem, Primaſium, Anſbertum, Tutienſem, Vincentium, Lodolphum, Guidonem Carmelitam, Iſidorum Peluſiotam, & nonnullos alios.* Nunc citamus
Acatius. *Acatium Cæſarienſem in lib. 4. ſelectarum*
Hugo de S. Victore. *quæſtionum, Hugonem de Sancto Victore in quæſtionibus ad primam Pauli Epiſtolam ad*
Philo Carp. *Theſſalonicenſes q. 12. & Philonem Carpathium in Cantica Canticorum*: pro eadem ſententia citatur Origenes à Xiſto Senēſi lib. 6. annot. 266. in 3[illegible]plum. Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes: ſed hunc librū apud Origenem non inuenio; quin potiùs iam oſtendimus Origenem pro contraria opi-
nione ſtare. Huic opinioni maximè fauet *Quid de Origene.*
Ambroſius, quamuis non ſatis eam explicet; & licet Auguſtinus anceps, ac du-
bius ſit *in d. q. 3. ad Dulcitium*; in noſtram *Ambroſ.*
tamen ſatis inclinat libr. 20. de Ciuitate *Auguſt.*
Dei cap. 20. atque etiam fatetur in d. q. 3. nullas anguſtias paſſurū, qui dixerit, iuſtos viuentes in ipſo raptu, quo fiet Chriſto obuiā, mortē obituros. Pro hac ſentētia, vt diximꝰ, ſtat vnanimis Theologorū conſenſus, vno excepto Caietano, & altero Pamelio. Et eadem ſentētia inde vel maximè probari debet; quia lectio illa græca, *non omnes dormiemus*, quæ nobis opponitur, accommodatè explicari poteſt, vt nec vulgatæ, nec noſtræ aſſertioni cōtradicat, vt ad 2. arg. iam diximus.

Solutio aliorum argumentorum.

¶ Secundum argumentū petit; an poſsit
recipi verſio aliquorum codicū græcorū, 42.
quæ habet, *non omnes dormiemus*: aut illa; Ad 2. arg. Agitur de verſione græca, *Omnes non dormiemꝰ.*
omnes non dormiemus, quarū vtraque à pleriſque Patrum recipitur. Et, antequam illi reſpondeamus, aduerto, hanc poſteriorem verſionem, *omnes non dormiemus*, ſeruato rigore logico, facere hūc ſenſum; *nulli dormiemus*; quæ in his terminis propoſita, ſi ſimpliciter intelligatur de morte corporali, vt ſit ſenſus; nulli corporali morte moriemur, neceſſariò eſt improbanda, vt contraria tùm quotidianæ experientiæ; tùm doctrinę fidei, quæ ſtatuit vnicuique homini ſemel mori; & in hoc ſenſu illam reijcit *Catharinus in eodem lo-*
co Pauli. Porrò, ſi intelligatur nō de mor *Catharin.*
te nudè ſumpta; ſed de morte cum addito, nimirum perpetua, & diuturna, vt ſit ſenſus, *nulli perpetuò dormiemus*; per omnia conſentit cum noſtra vulgata, *omnes reſurgemus*: ideò enim perpetuò non dormiemus, quia per reſurrectionē corporalem tandem excitabimur à ſomno mor-
tis. Quare in hoc ſenſu ſumi non poteſt 43.
ab ijs, qui per eam probabant, non omnes eſſe morituros. Quare propoſitio iſta; *Omnes non dormiemus*, nec ſecundū phraſim græcam poteſt æquipollere huic; *non omnes dormiemus*, quidquid Suarius oppoſitum ſentiat, nam regulæ logicæ etiā

apud Græcos vim habent. Si verò illud *non* idem ſit, quod *non tantùm*, vt plures volunt, & cum illis Suarius: adhuc cum noſtra vulgata in ſenſu conueniet: faciet enim hunc ſenſum: *Omnes non tantùm dormiemus, ſed etiam immutabimur de morte ad vitam*: quod perinde eſt, ac ſi dicat, *omnes de morte ad vitam reſurgemus.* Quare nec in hoc ſenſu accipiebatur à Patribus, qui ex ea probabant, non omnes morituros fore. In quo igitur ſẽſu illam acceperint? planè non video: video tamen, quod in alio eam accipere non poterant; niſi in hoc, *omnes non dormiemus*, quia aliqui non dormient: in quo ſenſu negatiua *non*, non eſt adiungenda cum verbo *dormiemus*, ne iuxta dialecticorum regulas faciat vniuerſalem negatiuam; ſed adiungenda eſt cum voce *omnes*, vt perinde ſit *omnes non* quod *non omnes*; & in hoc ſenſu æquipollet priori verſioni, *non omnes dormiemus.*

44. Agitur de verſione, *Nõ omnes dormiem⁹*. Qui eam legant.

De hac igitur agentes, & de poſteriori in ſenſu explicato, fatemur, verſionem illam approbaſſe Chryſoſtomum, Theodoretum, Theophylactum, & Oecumenium; & ex D. Hieronymo eandem probarunt *Theodorus Heracleota*, *Diodorus Tarſenſis, & Apollinaris; imò etiam Iuſtinus Martyr q. 109. ad Orthodoxos: Origenes lib. 5. contra Celſum pag. 481. litera D. Hieronymus in Iſaiam c. 51: nec eam omnino reijcit in d. q. 152. ad Minerium.* ¶ Sed tamen noſtram vulgatam verſionem: *omnes quidem reſurgemus*: & illam aliam græcam, *Omnes quidem dormiemus* plures ex Patribus ſequuntur: ita enim legunt ferè omnes Latini, *Ambroſius in eodem loco Pauli, Anſelmus, Beda ibidem cum cæteris, & cum illis Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei ca. 20. & in d. q. 3. libri octo quæſtionũ ad Dulcitium*, falsò pro alia lectione citatus à Benedicto Iuſtiniano, vbi atiam pro alio falsò citat Fulgentium, cum de fide *ad Petrum c. 29. noſtram vulgatam legat*: librum autem illum prognoſticõ, quem citat ex Fulgentio inter opera Fulgentij non inuenio. Eandem verſionem legit *Didymus Alexandrinus, & Acatius Cæſarienſis, teſte D. Hieronymo*, qui affirmat ſe apud plures codices ita legiſſe. Eodem etiam modo legere Cyrillum plures teſtantur, ſed locum non citant. Eandem legit Tertullianus *in lib. de Reſurrectione carnis c. 41. & 42.* quanuis ſententiam noſtræ oppoſitã ibi defendat: quam etiam non reijcit Oecumenius in d. loco Pauli, quãuis noſtræ ſententiæ repugnet. Denique hanc lectionem, & verſionem iam non poſſe nõ recipi, ex eo patet, quia Eccleſia ſemper illi magis acquieuit, vt ex *D. Hieronymo; & D. Thoma ſuprà diximus*; & quia iam canonizata eſt per Tridentinum in noſtra verſione vulgata: & ex conſequenti ſuo modo canonizata manet verſio græca, quæ habet; *Omnes quidem dormiemus.*

Qui Patres probant noſtram verſionem.

Ambr. Anſelm. Beda. Auguſt.

Fulgent. Didymus. Acatius.

Tertull.

Noſtra vulgata neceſſariò eſt amplectenda.

45. Lectio græca in quo ſẽſu ſit amplectenda.

Ex quibus patet, verſionem illam *non omnes dormiemus*, recipiendam non fore, ſi non poteſt cum noſtra vulgata aliquo modo conſentire. Admittenda eſt tamẽ, ſi ita explicetur, vt vulgatæ non contradicat: & inde eſt, vt *D. Hieronymus in d. Epiſt. 152.* in eo maximè laboret, vt verſionem illam ita explicet vt vulgatæ non repugnet. Vnde illam explicat non de morte corporali, ſed de ſpirituali; quæ tamen explicatio ad Pauli inſtitutum non ſatis eſt accommodata. Accommodatior erit, quam probat Oecumenius, vt verba illa intelligantur quidem de morte corporis; non tamen ſimpliciter, & abſolutè ſumpta; ſed morte diuturna, qua corpus in terram, puluerem vè conuerſum eſt: in quo ſenſu non ſimpliciter negatur omnes eſſe morituros; ſed negatur, omnes ita eſſe morituros, vt omnes in puluerem reuertantur: nec enim, qui tempore iudicij viui reperientur, iſto modo dormient; quia mortui ſtatim reſurgent: ob quam rationem dici poſſunt non dormiiſſe. In hoc igitur ſenſu admitti poteſt illa verſio, *non omnes dormiemus*, quia in eo noſtræ vulgatæ non repugnat.

Hieronym. explicat verſionem græcam.

Explicatio Oecumenij.

46. Ad 3. arg.

Tertium argumentum ſumptum ex verbis Pauli 1. ad Theſſalonicenſes 4. negotium faceſſit Auguſtino in d. *lib. octo quæſtionum ad Dulcitium q. 3*: apertè enim ibi fatetur, ſe in illis verbis nullum alium ſenſum inuenire potuiſſe, niſi, quòd homines illi tunc viuentes non ſunt morituri; ſed viui cum mortuis, qui ſurrexerunt, in aera ſunt rapiendi, vt fiant obuiã Chriſto, ita enim ait: *Neque enim aliquid aliud mihi viſum eſt, quoties de his verbis volui cogitare.* Et inferiùs: *Si autem in his verbis Apoſtoli nullus alius ſenſus poterit reperiri; & hoc eum intelligi voluiſſe claruerit, quod videntur ipſa verba clamare.* Quod etiam fuit iudicium illorum Patrũ, quos

pro

pro contraria nobis opinione citauimus. At tamen ſi verba Pauli cum illius mente diligentiùs expendantur, non omnino conuincunt, viuentes illos non eſſe morituros, antequam cum cæteris mortuis rapiantur in aera. Adducemus eas, quæ afferri ſolent, ſolutiones.

47. 1. ſolutio. Prima ſolutio ſumi poteſt ex S. Methodio apud Theophylactum, & Oecumenium; vt Paulus per viuentes intelligat non ipſos homines, ſed illorum animas, quia hæ ſemper vixerunt: per dormientes verò intelligat corpora, quæ verè ſunt mortua: vt ſit ſenſus: *Nos, qui viuimus in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormierunt,* id eſt, animæ noſtræ non peruenient corpora, vt priùs rapiantur; ſed corpus ſimul cum anima ad vocẽ Archangeli reſurget, & ſimul cum corpore rapietur in aera. Cui explicationi fortè conſentit Iſidorus Peluſiota, vt dicemus ad 4. arg. Sed quanuis nec Theophylactus, nec Oecumenius hanc explicationem non reijciant; eſt tamen reijcienda; quia nec menti, nec verbis Pauli accommodari poteſt: Paulus enim agit de viuentibus, & mortuis, qui rapiendi ſunt in aera.

48. 2. ſolutio. Secunda ſolutio probata eſt Auguſtino, quæ docet, homines, qui in aduentu Chriſti viui reperientur, viuos rapiendos fore in aera: in ipſo tamen raptu morituros eſſe, & ſtatim reſurrecturos, cum immutatione glorioſa corporis, vt in aere Chriſto præſentes fiant: ita enim ait *lib.*
Auguſt. 20. *de Ciuitate Dei cap.* 20. *Ad hunc autem ſenſum, quo exiſtimemus, etiam illos, quos hic viuos inuenturus eſt Dominus, in ipſo paruo ſpatio, & paſſuros mortem, & accepturos immortalitatem.* Hoc enim non eſſe impoſſibile antea dixerat in illis verbis: *Nec enim dicendum eſt, fieri non poſſe, vt dùm per aera in ſublimẽ portantur, in illo ſpatio, & moriantur, & reuiuiſcant.* Hunc ſenſum confirmat ex eo, quòd docet Paulus, omnes in Chriſto eſſe viuificandos: viuificari autem nemo poteſt, niſi priùs moriatur. Hanc expoſitionem cum Auguſtino approbarunt *Anſelmus, & Beda in d. loco Pauli cum nonnullis alijs.* Eam tamẽ non ſatis probat *D. Thomas in eodem loco.* Ob eam rationem, quia hac opinione ſuppoſita, reſurrectio omnium non fiet ſimul; ſed priùs reſurgent, qui ante Chriſti

Anſelm. Beda. Non recipitur à Diuo Thoma.

aduentum fuerunt mortui; & poſteriùs viui illi, qui cum mortuis ſuſcitatis ſimul rapti ſunt in aera, & in ipſo raptu moriũtur, atque reſuſcitantur. Nec eam recipit *Sotus in 4. diſt. 43. q. 2. art. 4. §. Illud verò, quod ait Auguſtinus, pag. 423. col. 1. Suarius verò in d. diſp. 50. ſect. 2. pag. 991. col. 2. §. Ad fundamenta ergo,* non ſolùm non recipit hanc expoſitionem; ſed etiam eã appellat extraneam, inutilem, & ſine fũdamento confictam. Sed cum expoſitio ſit Auguſtini, Anſelmi, & Bedæ, poſſet ab illis verbis abſtinere: etenim verba Pauli adeò vrgent pro oppoſita ſententia, vt ſolutio data ad vim argumenti tollendam non careat fundamento. Cum verò Auguſtinus admittat, viuos illos ſimul recipi in aera cum ſuſcitatis, non ſine fũdamento admittit, corpora illa non ſua propria virtute rapi, nec in aere propria virtute ſuſtineri. Quare potiùs non eſſet
admittendum Auguſtino, viuentes illos 49.
ante mortem rapi in cœlum, quam poſt raptum reputare abſurdum corpora illa in aere ſuſtineri. Quod verò addit Paulũ apertè loqui de raptu corporum in aera per glorioſam immutationem, id erat probandum: licet enim hæc opinio ſit melior; non tamen ea ex Paulo apertẽ deducitur. Denique quod addit, viuentes iſtos cum mortuis ſuſcitatis ſimul rapi in aera; fatemur: id enim apertè conſtat ex illis verbis: *ſimul rapiemur cum illis in nubibus*: negamus tamen ex illis neceſſariò inferri, viuentes iſtos ante raptũ, & mortuos, & reſuſcitatos eſſe: quia apud nonnullos inter mortuorum reſurrectionẽ, & reſurrectionem horum viuentium datur priùs, & poſterius: & licet hæc opinio non ſatis ſit probabilis; non tamen eſt omnino improbabilis: qua ſuppoſita, Auguſtini ſolutio dici non poteſt conficta.

Nec à Soto Nec à Suario.

Excedit Suarius cõtra Auguſtinũ.

Eſt igitur tertia ſolutio, vt iſti, qui vi-
ui in Chriſti aduentu inuenti fuerint, 50. 3. ſolutio.
exiſtentes in terra ante raptum moriantur; & mortui ſimul cum alijs mortuis reſurgant, & cum illis ſimul immutati rapiantur in aera: quia tamen breuiſsimo tempore ſub morte fuerunt, ideò à Paũlo appellantur viuentes, & diſtinguũtur ab illis mortuis, qui diù fuerunt ſub mortis poteſtate. Vtrùm autem viuentes iſti, etiam ſi, qui erunt iuſti, per mortem ita ſint corrupti, vt in terram, ſiue in puluerẽ redic-

redierint? alterius eſt quæſtionis, de qua inferiùs: vbi etiam explicabimus; vtrùm viuentes illi, tàm iuſti, quàm peccatores ipſo conflagrationis igne ſint mortui? an verò per nimium ſignorũ terrorẽ, & maximè per ſonum tubæ, qui erit ſatis horribilis? nunc ſatis ſit locum iſtum Pauli nõ neceſſariò cõuincere homines illius temporis non eſſe morituros.

52. Explicãtur verba Pauli. Ita igitur ſunt explicanda verba Pauli: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini; quia nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus, non præueniemus eos, qui dormiunt.* Id eſt homines, qui in tempore aduẽtus Chriſti vixerint, & reſidui fuerint, in ipſa reſurrectione non præuenient eos, qui ante illud tempus iam fuerint mortui; ſed in eodem omnes ſuſcitabuntur: & ideo nõ eſt quòd de ſuis mortuis contriſtentur. *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo*, id eſt, deſcendet in ſua tuba, & in voce Archangeli; quos ante ſuum deſcẽſum mittet ad exequendam reſurrectionem: *& mortui, qui in Chriſto ſunt*, id eſt, omnes mortui, qui in fide Chriſti à principio mũdi, vſque ad illud tempus deceſſerunt: *reſurgent primi*, id eſt, priùs, quàm rapiantur: *deinde nos, qui viuimus*, id eſt, qui cõparatione illorum viui reputamur, & nũquam mortui; quia ſtatim reſurreximus: *ſimul rapiemur cum illis in nubibus*: quia ſimul cum illis reſuſcitati, & immutati per gloriam corporis, cũ illis ſimul rapiemur. Hæc eſt explicatio *D. Thomæ in iiſdem verbis lect. 2. in fine; quã plerīq; tribuũt Oecumenio: ſed in eo nihil reperio: eam probauit Suarius in dicta diſp. 50. ſect. 2. pag. 992. col. 1. A. B. & Cornelius à Lapide in eodem loco pag. 738. colum. 2. C. D. & Lorinus in acta Apoſtolorum cap. 10. verſ. 42. ad illa verba: viuorum, & mortuorum pag. 468. col. 2. in fine. Vide Sotum in dicta q. 2. art. 4. §. Ad alium igitur locum Pauli pag. 421. colum. 2. in fine.*

D. Thom. *Suarius.* *Cornelius.* *Lorinus.* *Sotus.*

53. Ad 4. 1. Explicatio. Ad quartum argument. reſpondet Iſidorus Peluſiota lib. 15. Epiſtolarum, Epiſtol. 222. Chriſtum iudicaturum eſſe *viuos, & mortuos*, id eſt, animam, quæ ſemper vixit, & corpus, quod mortuum fuit: & placuit Rufino in Symbolo, & placeret S. Methodio, quem ad tertium argument. citauimus, quatenùs per viuos intelligit animas; per mortuos vero, corpus. Sed hæc ſolutio cæteris non placet. ¶ Secunda ſolutio eſt, vt *per viuos, & mortuos*, intelligamus bonos, & malos; quę placuit Chryſoſtomo homil. 1. de Symbolo, & Auguſtino in lib. de Fide, & Symbolo cap. 8. & in Enchyridione c. 51. & Gloſſę interliniari ad cap. 10 Actorũ ad illa verba: *Conſtitutus iudex à Deo, viuorũ, & mortuorum.* 2. Explic. ¶ Sed vera, & facilis ſolutio eſt, vt Chriſtus iudicaturus ſit, tùm eos, quos pro tempore ſui aduentus inuenerit mortuos; tùm eos, quos tũc viuos repererit, qui tamen antequam ad iudicium veniãt morientur, & ſuſcitabũtur: in hõc enim ſenſu concluditur, Chriſtũ omnes in vniuerſum homines iudicaturum fore, quæ eſt mens illius articuli: nam præter illos homines, qui pro tempore iudicij reperientur viui, & præter mortuos à principio mundi vſque ad tempus iudicij, nulli alij erunt homines: vnde ſi, & mortuos vſque ad illud tempus, & viuos pro illo tempore iudicauerit, vniuerſos homines iudicabit. Vide Sotum, & Suarium locis citatis. 54. Vera explicatio.

55. Ad 5. *Sotus.* Ad quintum ſatis optimè reſpondet *Sotus in dicto art. 4. §. Hinc ergo dicitur pag. 423. col. 2.* cũ enĩ certũ ſit, õnes homines qui pro tempore iudicij inuenientur viui, eſſe morituros; non eſt noſtrum præſcrutari, quomodo omnes morientur. Satis id ſignificat Ioannes in Apocalypſi: agẽs enim de illo iudicij tempore multa dicit de ſeptem ſignaculis, ex quorum apertione ſatis oſtenditur, quomodo omnibus hominibus mors inferenda ſit: etenim (vt habetur *cap. 6. data eſt poteſtas morti ſuper quatuor poteſtates terræ, interficere fame gladio, & cætera; & cap. 8. & 9.* data ſunt ſeptem Angelis ſeptem tubæ, quarum ſonitu, & clangore interfecerunt infinitam hominum multitudinem. Denique morientur fame, peſte, nimio timore ob cœlorum, & elementorum perturbationem: *erit enim* (vt dicitur Lucæ 21.) *in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum; areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperueniet vniuerſo Orbi*: nec enim omnes ſimul morientur, ſed iuxta diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem, alij tardius, alij citius: & tandem deſcendet ignis conflagrationis, qui omnes, quos viuos inuenerit, comburet, maiori, vel minori [illegible]ſione, & dolore iuxta *Apoc. 6.* *Luc. 21.*

ta cuiuſque meritum: nec enim abſurdũ eſt, ſi iuſti morte violenta interficiantur; cum id diuina poſcat, & iuſtitia, & prouidentia. Si verò ignis conflagrationis poſt iudicium venturus ſit, vt plures putant; ſatis erit horribilis ſonus tubarum, maximè eius, quæ nouiſsima futura eſt, vt omnibus mortem inferat.

56. Ad 6. *Sotus.*

Ad ſextum reſpondet *Sotus in d. art. 4. ad 2. pag. 424. col. 1.* illud deſiderium naturale, quo quiſque non vult ſpoliari, nõ eſſe abſolutum, ſed conditionatum: vnde non oportet illud adimpleri. Meliùs reſpondebis, in omnibus dari appetitum innatum ad eſſe; naturæ tamen cuiuſque accommodatum: cum verò res inferiores ex ſua natura ſunt corruptibiles, non oportet, vt talis appetitus ſemper eſſendi naturaliter impleatur. Appetitus verò elicitus, quo quiſque iuſtorum appetit non ſpoliari, ſed ſuperueſtiri, non eſt abſolutus, ſed conditionatus, ſi id poſsibile eſſet, & Deo placuiſſet: vnde quia per fidem cognoſcimus diuina prouidẽtia poſt peccatum abſolutè ſtatutũ eſſe, *vt ſinguli moriantur, ideò audemus, & magis volumus peregrinari à corpore, vt præſentes ſimus ad Dominum,* vt idem Paulus ſcribit 2. Corint. 5. n. 8.

2. *Cor.* 5.

57. Ad 7. *Sotus.*

Ad ſeptimum optimè reſpondet Sotus *in d. art. 4. ad 3. in fine articuli,* quod illud Pauli ad Romanos 5. *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia,* intelligendum eſt de ſuperabundantia gratiæ ſupra delictum Adami; non verò ſupra pœnam delicto impoſitam: etenim peccatum Adami fuit nobis originale, præter quod habemus plura actualia; gratia autem Chriſti non ſolùm deleuit originale, ſed etiam actualia, quæ cõmiſimus: nec Dei iuſtitia voluit, vt gratia ſuperabundaret pœnam in hoc ſenſu, vt aliqui debitum illius non ſoluerent: nam cum Chriſtus mortuus ſit propter peccatum; nec cum matre voluerit diſpenſare, ne pœnam mortis ſolueret; noluit cum aliquo alio diſpenſare.

Hæc diximus de prima concluſione, quæ docet, omnes homines eſſe morituros; ex qua infertur omnes homines reſurrecturos fore: enim omnium mortuorum reſurrectionem fides prædicat.

§. 4.

Quòd omnes iniqui reſurgent.

58. De reſurrectione iniquorum.

CVm in §. præcedente conſtitutum ſit, omnes iuſtos, & morituros eſſe, & reſurrecturos; expendẽdum eſt, an omnes iniqui, & damnati debeant reſurgere? Cui quæſtioni nonnulli hæretici negatiuè reſpõdent; admittentes enim omnium iuſtorum reſurrectionem, eam in damnatis non admittebant. Qui iſtum errorem ita generaliter docuerint; inueni neminem: aliquos tamen illum tenuiſſe, refert *Abulenſis tom. 7. in Matthæum c. 25. q. 317. in principio.* Huius erroris fundamenta iecimus ſupra §. 1. in 2. ſentent. quibus illud addunt; quia putant, reſurrectionem fieri in bonum reſurgentis; damnati verò tali bono ſunt indigni.

Quidam negant. *Abulenſ.*

59. Fides affirmat.

Fides tamen Catholica generaliter docet, damnatos ad gehænnam in generali reſurrectione eſſe ſuſcitandos. Hæc inter Catholicos ſemper fuit per fidem indubitata, quæ habetur in multis Scripturæ locis. Primus habetur Ioannis 5: *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei: & procedens, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Quæ verba expreſſè intelliguntur de mortuis, qui corporaliter ſunt reſurrecturi: hi enim audient vocem filij Dei, & procedent de monumentis, & ſepulchris ſuis: *audient,* inquam, *auribus, & procedent, pedibus,* vt ait Hieronymus *Epiſt. 61. c. 12. tom. 2. pag. 221. col. 1.* Procedent, inquàm, tàm boni, quàm mali: & vtrique in reſurrectionem: quia vtrique ex ſuis exibunt monumentis: ſed boni procedent in reſurrectionem vitæ; quia vitam conſequentur beatam: mali autem in reſurrectionem iudicij; quia reſurgent, vt condemnentur.

Primus locus ex Ioan. 5. *D. Hier.*

60. 2. locus ex 2. Cor. 5.

Secundus locus habetur apud Paul. 2. Corint. 5. n. 10: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria coporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Quod etiam ſcribit ad Romanos 14: *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti:* & ſtatim; *itaque vnuſquiſq; noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.* Sed clarius teſtimonium habetur Actorum 24. num. 15. vbi Paul. ad iudicem, coram quo ſtabat, ita ait: *Spem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram iuſtorum, & iniquorum,* Daniel. 12. *Multi*

Act. 24. *Dan.* 12.

de

de ijs, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam; & alij in opprobrium. Denique Apocalyp. 20. num. 13. *Mors, & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant; & iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum: & infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.*

Apoc. 20.

61. *Symbolo Athanaſ.* Ex quibus locis Athanaſius in Symbolo ita ſcribit: *Ad cuius aduentum omnes reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis proprijs rationem; & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.* Et in Concilio Lateranenſi relato in cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate, ita definitū eſt: *Venturus eſt in fine ſæculi iudicaturus viuos, & mortuos, redditurus ſinguli ſecundum opera ſua, tàm reprobis, quàm electis; qui omnes cū ſuis proprijs reſurgent corporibus, quæ nunc geſtant, vt recipiant ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint, ſiue mala.* Et quoniam fides iſta eſt ſatis nota, non eſt, quòd in ea confirmanda diutius immoremur, adducentes S. Patrum teſtimonia.

Concilium Lateranēſ.

62. *An omnes reprobi ſint reſurrecturi* Illud tamen inquiri poteſt; an omnes iniqui, & reprobi verè ſint reſurrecturi? Rationem dubitandi facere poteſt locus Numer. 16. num. 30. & 31. vbi de Dathan, & Abiron ita ſcribitur: *Cōfeſtim igitur vt ceſſauit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: deſcenderuntq; viui in infernum.* Porrò ſi viui in infernum deſcenderunt, cum mortui non fuerint, vtique in vltimo die non reſurgent, ſed vt ſunt, ad iudicium venient. ¶ Dicendum tamē eſt, omnes reprobos vere ruſurrecturos fore; quia omnes verè corpore perierunt: vnde infernus in die iudicij reddet mortuos ſuos, vt ex cap. 20. Apocalyp. diximus; quia ſcilicet omnes, qui pro illo die in inferno ſunt, verè mortui ſunt: iam verò omnes reprobi tempore iudicij in inferno erunt, & mors ab inferno eos reddet: quare omnes reprobi, tanquam verè mortui reſurgent.

Num. 16.

Affirmatio vera.

63. Quod verò obijcitur de Dathan, & Abiron, facilè diſſoluitur: quia verba adducta non ſunt intelligenda de inferno damnatorum; quaſi illi viuentes nullam corporalem paſſi mortem in damnatorū infernum deſcenderint; ſed quia adhuc viuentes, & nondum mortui ſepulti ſunt in loco terræ inferno, id eſt, ſatis profundo, in quo operti terra corporaliter perierunt. Hæc eſt communis, & indubitata illius loci explicatio *Lyræ, Dionyſij, Caietani, & cæterorum interpretū*, & docet *Abulenſis in dicto cap. 16. q. 20.* Quæ expoſitio ſatis cōfirmatur ex verbis immediatè ſequentibus: *deſcenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis:* iam verò humo operti non poterant non mori: nec enim credendum eſt, terram apertam eſſe vſque ad infernū damnatorum. Igitur deſcenderunt in infernum, id eſt, in locum terræ maximè profundū, in quem tabernacula eorum, & omnis eorum ſubſtantia etiam deſcenderunt: cum tamen res iſtæ inanimes ad damnatorum locū non deſcenderint: vnde additur: *Et perierunt de medio multitudinis;* id eſt; iſto modo ſtantes in medio populi, fuerunt mortui: nam iſtos, de quibus dictum eſt, quòd viuentes in infernum deſcenderunt, Moyſes ſtatim appellat mortuos in illis verbis: *Quoniam ſanctificata ſunt in mortibus peccatorum,* & inferius: *Dicitur percuſſa fuiſſe quatuordecim millia hominum abſque his, qui perierunt in ſeditione.* Percuſſa, inquam, id eſt mortua, & intelligamus verba illa *Abſque his, qui perierunt in ſeditione eorum,* intelligenda eſſe de morte illorum. Vnde Eccleſiaſticus cap. 25. num. 24. Eos, qui in congregatione Coræ, Dathan, & Abiron perierunt, vocat conſumptos igne. Cui etiam fauet opinio eorum, qui volunt, non eſſe certum, omnes illos, qui viui in infernū deſcenderunt, æternaliter perijſſe, quam uis violenta ſit contra eos præſumptio, quòd æternaliter perierint; quorum opinionem, tanquam probabilem ſequitur *Abulenſis in dicto cap. 16. q. 21.* Concludēdum eſt igitur Dathan, & Abiron in profunda terræ concauitate verê fuiſſe ſepultos, atque mortuos: & ideo ex verbis allatis, nullum poſſe ſumi argumentum cōtra ſtatutam de Fide reſolutionem. Nec puto admittendā eſſe opinionē quòd corpore & anima iam ſint in inferno, licet id admittat Suarius 3. *p. q. 53. ars. 3. in fine Commenti.*

Lyra. Diony. Abulenſis Caiet.

Abulenſ.

Supereſt igitur explicare, quę pro iſto errore in principio huius paragraphi obijciuntur, Ad primum ex Pſalmo 1. *non reſurgent. &c.* varijs modis reſpondetur, 64. *Ad 1.*

vt

vt refert Suarius in d. diſp. 50. ſect. 3. ad 1. teſtimonium pag. 994 col. 2. Inter omnes ſolutiones eam, tanquam magis literalem probat, quam probauere Ianſenius Gagneus, Flaminius, & Genebrardus, vt idem ſit, *non reſurgere in iudicio, concilio vè iuſtorum*, quòd non erigere caput, nec ſubſiſtere: ſenſus ergo eſt: *non reſurgunt impij in iudicio, nec peccatores in concilio iuſtorum*, id eſt; impij, & peccatores in iudicio, & concilio iuſtorum non ſubſiſtunt, nec caput erigunt, vt audiantur. Quæ explicatio mihi placet. Non ſunt tamen aſpernendæ aliæ, quas adduxit: vide illas.

65. Ad 2. Locus verò ex 2. Machabæorum 7. ſe ipſum explicat: *Tibi reſurrectio ad vitam non erit*; ſcilicet ad gloriam; benè tamen ad iudiciũ, vt ait Chriſtus D. & ad opprobrium, vt ait Daniel. In eodem ſenſu explicanda ſunt verba Pauli ad Romanos 6. *Si complãtati ſumus ſimilitudini mortis eius; ſimul & reſurrectionis erimus*: quia ſcilicet cum eo reſurgemus ad gloriam. Nec dicit Paul. ſolos complantatos ſimilitudini mortis Chriſti eſſe ſuſcitandos; ſed ſolos illos ſuſcitandos eſſe, vt cum Chriſto regnent. Simili etiam modo explicabis verba 1. Ioannis. 13. Nec enim vult Ioannes omnes qui dormierunt, eſſe per Ieſum adducendos; ſed eos, qui cum Ieſu dormierunt.

66. Ad 3. *Dan.* 12. Nec aliquis cum fundamento pro hoc errore poterit adducere illud Daniel. 12. *Multi ex ijs, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt*: etenim *multi* in ſacris literis ſæpiſsimè ſumitur, vt idem ſit, quòd *omnes*: ita enim ſumitur à Paulo ad Romanos 5. *Vnius delicto multi mortui ſunt*: multi, inquã, id eſt omnes, vt ſatis docet Paulus 1. Corint. 15: *Sicut in Adam omnes moriuntur*, Matthæi etiã 26. dicitur: *Qui ꝓ vobis, & pro multis effundetur*, id eſt, pro omnibus; nam alibi dicitur: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*. Eodẽ igitur modo apud Danielem: *Multi*, id eſt omnes, *euigilabunt*; iuxta illud Pauli 1. Corint. 15: *Omnes reſurgemus*. (*Ad Rom.* 5.)

67. Ad 4. Ratio verò, qua error ille confirmatur vim non habet; quia negandum eſt, reſurrectionem abſolutè fieri in bonum reſurgentis: quia ſola reſurrectio, quæ eſt ad vitam, cedit in bonum eius, qui reſurgit: reſurrectio verò, quæ eſt ad iudicium, nõ eſt in bonum eius; quin eſt in pœnam eorum malorum, quæ in vita geſsit, vt ait Chriſtus: & ideò erit in opprobrium ipſius reſurgentis, vt ait Daniel. Reſurrectio igitur ideò à Deo decreta eſt, *vt vnuſquiſque referat propria corporis, quæ geſsit*, vt ait Paulus 2. *Corint.* 5. quod pertinet ad generalem Dei prouidentiam, & iuſtitiam.

§. 5.

Quod infantes etiam reſurgent.

68. De reſurrectione infãtium. TAndem explicandum eſt; an ſoli adulti reſurgent; an verò etiam infantes? Rationem dubitandi fecerunt Iuſtinus Martyr, & Auguſtinus: nam *Iuſtinus in q. 13. ad Gent.* hanc excitans quæſtionem ſolùm dicit eſſe poſsibile, & decens credere infantium reſurrectionem: agit autem tàm de infantibus iam natis, quàm de ijs, qui in vtero matrũ obierunt, vt patet ex titulo quæſtionis. Auguſtinus verò 22. *de Ciuitate Dei c.* 13. nec audet affirmare, nec negare, an fœtus abortiui ſint reſurrecturi? de quo etiam dubitat *in Enchyridione cap. 85. tom. 4.* (*Iuſtinus. Auguſt.*)

Altera ratio dubitãdi. Inde etiam ſumi poteſt ratio dubitandi; quia reſurrectio ideò fit, *vt vnuſquiſq; in corpore referat, ſicut geſsit, ſiue bonum, ſiue malum*, vt ait Paulus 2. *Corint.* 5. *& vt pro ſe rationem reddat*, vt dicitur Romanorum 14. Vnde vnuſquiſque mortuorum procedet ex ſuo monumento, vt eat in vitam æternam; ſi benè egit; ſi verò malè in æternum ignem, vt habetur Ioannis 5. Vnde propter bona, vel mala, quæ geſſit, vnuſquiſque reſurgentium iudicabitur Matthæi. 25. Quibus accedit, quòd in iiſdem Scripturæ locis duo tantùm loci deſignantur; cœlum. ſ. & infernus.

69. Vera opin. His tamen non obſtantibus, pro indubitato haberi debet, & tanquam certiſsimum; infantes omnes, etiam qui nati nõ ſunt, ſed in vtero matrum perierunt, reſurrecturos fore: denique omnes fœtus, etiam abortiuos, qui animam rationalem habuerunt. Hæc opinio apud omnes iam eſt certa, & indubitata; eam docent omnes Theologi *in 4. diſt. 43. vbi D. Thomas q. 1. art. 1. quæſtiunc. 4. ad 5. & diſt. 47. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 3. D. Bonauentura in 4. diſt. 43. art. 1. q. 1. & 2. vbi Richardus art. 2. q. 3. Scotus q. 1. Sotus q. 1. art. 2. ad 3. in fine cum cæteris omnibus. Suarius 2. tom.* (*D. Thom. D. Bonau. Richard. Scotus. Sotus. Suarius.*)

ad

ad 3. partem in diſput. 50. ſect. 3. pag. 944. col. 1. Lorinus. Otto. *Lorinus in acta cap. 10. verſ. 42. pag. 469. col. 2. §. De pueris: eam etiam ſcribit Otto Friſingenſis lib. 8. Cronicorũ cap. 13.* Et quãuis de fætibus abortiuis Auguſtinus dubitauerit lib. 22. de Ciuitate Dei c. 13. August. tamen in hanc ſemper propendit ſententiam; & tandem reſoluit, vt de iſtis idẽ dicatur, quòd dicitur de infantib⁹ iam natis: Iam verò de his abſolutè concedit, fore reſurrecturos, vt patet *in Echyridione cap. 84.* ita ſcribens: *Reſurrecturam carnem omnium, quicunque nati ſunt hominum, atque naſcentur: & mortui ſunt, & morientur; nullo modo dubitare debet Chriſtianus.*

70. Vnde, quanuis *in dicto lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 13.* dubius fuerit de abortiuis; tamen in cap. 15. abſque dubio affirmat, infantes iam natos ad reſurrectionem pertinere; imò ego putarem Auguſtinum ſolum dubitare de illis fætibus, de quibus dubium eſt, an habuerint animam rationalem: ſed quidquid de hoc ſit negandũ non eſt Auguſtinum, etiam in ipſis abortiuis fætibus in noſtram ſemper propendiſſe ſententiam, tanquam veriſsimam. Vnde eos ad reſurrectionem pertinere ſupponit lib. 1. de peccatorum meritis c. 18. & lib. 3. de libero arbitrio capit. 23. Quod etiã ſupponit D. Gregor. 9. moralium cap. 16. Iustinus. Iuſtinus autem in dicta q. 13. ad gentes, quamuis dicat, decens eſſe credere, infantium reſurrectionem; tamẽ illã eſſe futuram indubitanter tenet. Nec puto illum dubitaſſe de reſurrectione innocentium, qui ab Herode ſunt interfecti; ſed quia ſupponit de illis dubitari nõ poſſe; proinde ex illis ſumit argumentũ ad cæteros.

71. Resolutio. Sit igitur indubitatum; imò etiam certiſsimum in fide, non ſolum infantes iam natos; ſed etiam fætus anima rationali informatos, qui in vtero mortui ſunt, ad reſurrectionem pertinere: etenim ſi ſecundum certam fidem ſumptam ex *Paulo 1. Corinth. 15.* iſti in Adamo propter peccatum corporaliter ſunt mortui (nam fides docet hos etiam abortiuos fætus in Adã peccaſſe, & peccatum originale contraxiſſe, per quod ad illos mors pertranſijt) vtique ſecundum certam fidem in Chriſto viuificabuntur; & ideo corporaliter reſurgent. Et inde eſt, quòd in iſtis infantibus, tàm natis, quàm non natis peccatũ originale ſit radix merendi mortẽ; quod ſatis eſt, vt in iudicio ſiſtantur: ſicut etiã gratia, quam vel in vtero nonnulli conſequuti ſunt, vel nati per ipſum baptiſmũ, cum illis ſit radix merendi, ſatis eſt, vt in iudicio ſe ſiſtant ad præmium, vt benè aduertit Richardus vbi ſupra ad ſecundum. Porrò ſi in ſe ipſis iam habent ſufficiẽtem cauſam, vt ſiſtantur in iudicio generali, vt fides docet; vtique in ſe ipſis etiam habebunt cauſam, vt reſurgant, vt ſuo modo de ſe rationem reddant. Denique cum vere ſint homines nati ex Adamo, nec in illis dari poſsit, aut excogitari cauſa, cur nõ reſurgant, vt etiam fatetur Auguſtinus; non video, quo fundamento illis reſurrectio ſit neganda.

Quod in contrarium adducitur longiorem poſtulabat diſputationem: inquirit enim, an paruuli iſti debeant in iudicio ſiſti? & quomodo? nunc dicimus nõ eſſe ſatis probabilem opinionem, quæ negat, infantes iſtos eſſe in iudicio comparituros, quæ fuit opinio *Alberti à Carthuſiano relati in 4. diſt. 47. q. 1.* Porrò ſi perſonaliter comparituri ſunt in iudicio; vtique reſurgunt quia in iudicio non comparebunt animæ mortuorum, ſed mortui ipſi in ſuis corporibus, cum iudiciũ illud corporale ſit futurum, & ſenſibile: idque ſiue compareant, non vt iudicentur, ſed vt videant gloriam iudicis; quæ eſt opinio *D. Thomæ in 4. diſt. 47. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. ad 3.* ſiue compareant, vt iudicentur ſolo iudicio approbationis vt non nulli volunt, ſiue etiam iudicio diſcutionis, vt alij malunt. Nec obſtat, quod Ioannis 5. & pluribus alijs in locis homines iudicãtur ex bonis, vel malis operibus, quę in corpore geſſerunt; quoniam intentum Chriſti non fuit, omnia proponere, quæ in iudicio fient; ſed ſolum inſigniora, & ad incutiendum terrorem hominibus magis accommodata.

(Margin: 72. Ad cõtraria. — Albertus. — D. Thom.)

ARTICVLVS III.

Vtrùm vltima reſurrectio in aliquibus iam ſit completa?

§. 1.

73. SVpereſt explicandum, an vltima reſurrectio in aliquibus iam ſit completa? In qua quæſtione aduertendum eſt

Explicatur titulus. ſt non inquiri hoc loco, an aliqui ſurrexerint: cõſtat enim ex Scripturis plures, tùm à Chriſto, tùm à Sanctis fuiſſe à morte ad vitam ſuſcitatos: nam Chriſtus ſuſcitauit Lazarum Ioannis 11. filiam Archiſinagogi Marci 5. & Luc. 8: filium viduæ Lucæ 7: & cum Chriſto plura corpora Sanctorum ſurrexerũt Matth. 27. & Eliſæus ſuſcitauit filium Sunamitidis 4. Regum 4: ſed hæ reſurrectiones non fuerũt vltimæ; quia illi iterum fuerunt mortui, & in die nouiſsimo iterùm reſurgent. Agimus igitur de reſurrectione vltima, & completa, quam nec mors ſequutura eſt, nec altera reſurrectio; qualis eſſe debet reſurrectio generalis futura in die nouiſsimo. Quare inquirimus; vtrùm aliqui homines ex ſpeciali priuilegio iam reſurrexerint reſurrectione vltima, & perfecta.

2. Ratio dubitandi. Rationem dubitandi faciunt propoſitiones vniuerſales, quæ ſignificant in nouiſsimo die futuram eſſe generalem omnium hominum reſurrectionẽ: nam Paulus *1. Cor. 15.* *1. Corint. 15. agens de die iudicij ait. Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus*: & Chriſtus *Ioan. 6.* *Ioannis 6. de credentibus in ſe, & de manducantibus ſuam carnem abſolutè aſſerit: Et ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die*. Omnes igitur, qui mortui ſunt, ſunt reſuſcitandi in die vltimo; & per conſequens nulli adhuc contigit vltima reſurrectio.

Dicendum tamen eſt; nonnullos ex ſpeciali priuilegio iam aſſecutos eſſe vltimam reſurrectionem; & ideò venientes ad iudicium non reſurgent. Solum ſupereſt expendere, quibus nam hoc priuilegium ſit conceſſum?

§. 2.

Virgo Deipara iam perfectè reſurrexit.

3. Virgo perfectè reſurrexit. *Suar.* QVòd Virgo mater verè fuerit mortua, dubitandum non eſt: ita enim ſentit vniuerſa Eccleſia, & docet cõmunis Patrum doctrina, de quo vide *Suarium 2. tom. ad 3. p. diſp. 21. ſect. 1. pag. 342.* Sicut etiam dubitari nõ poteſt, quòd illa glorioſa iam ſurrexerit, & in proprio, & immortali corpore complectam, & vltimatam iam habeat beatitudinem. Ita ſentit tota Eccleſia, quæ ex antiquiſsimorum Patrum traditione id acce-

cepit. Pro qua veritate confirmanda quã plurimos Patres adduxit *Suarius in dicta diſp. 21. ſect. 2. per totam*; vbi habes teſtimonia *Athanaſij, Hieronymi, Auguſtini, Sophronij, Damaſceni, Andreæ Cretenſis, Iuuenalis Ieroſolymitani, Bernardi, Anſelmi, Laurentij Iuſtiniani, Ruperti, Richardi de Sancto Victore, Hugonis Victorini, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Victorini, Gerſonis, & aliorum plurimorum. Apud Nicephorum lib. 4. hiſtoriæ c. 23. ex Iuuenali Ieroſolymitano videbis*, quomodò omnes Apoſtoli ad mortem Virginis diuinitus conuenerint, vno dempto Thoma, qui funeri illius nõ interfuit: quod ſine diuina prouidentia non contigit, vt eo poſt triduum aduenìente, & ſacro tumulo reſerato, omnes viderent, iam in eo non eſſe ſanctiſsimũ corpus: ſola enim reperta fuerunt linteamina aptè compoſita, vt in ſepulchro Chriſti Magdalenæ contigit: ita enim inquit Nicephorus: *Quæ & ipſe Thomas, & qui cum eo aderant cum veneratione exoſculati, incredibilique voluptate, odoriſque ſuauitate repleti, ſepulchrum quidem ad priſtinum conformant modum, miraculumque ipſum, quaſi per manus poſteris traditum, ad nos quoque tranſmiſerunt*. Hoc Virginis ſepulchrum multis illuſtratum fuiſſe miraculis referunt *Damaſcenus, & Andræas Cretenſis in orationibus de Aſſumptione Virginis, & Simon Metaphraſtres in libro de Vita, & educatione Virginis*. Vnde Eccleſia ſumma cum celebritate Virginis Aſſumptionem ſingulis annis celebrat, ſub nomine aſſumptionis, vt ita explicet eam iam reſuſcitatam in corpore, & anima aſſumptam fuiſſe; cum tamen cæterorum ſanctorum migrationem ſub nomine aſſumptionis non celebret. Accedit, quia id Virgo ipſa reuelauit S. Brigittæ lib. 7. c. 26. Congruentias porrò huius mirabilis reſurrectionis plures referunt Patres; potiores vide apud *Suarium in d. diſp. 21. ſect. 2. pag. 346. col. 2. & 347. col. 1. vide latiſsimè apud Salmer. tom. 11. tract. 39.*

Qui Patres id aſſerant.

Nicephor.

Damaſc. Metaphraſtes.

In quo gradu certitudinis hæc veritas tenenda ſit? dubitari poteſt. *Catharinus in tract. de Conceptione Virginis & lib. 4. contra Caietanum* putat, eam eſſe de fide: ſed in hoc à cæteris non recipitur; & meritò; quia nec diffinita eſt ab Eccleſia, nec ex ſacris literis efficaciter deducitur, nec ſufficiẽti, & canonica traditione eſt accepta. 4. In quo gradu certitudinis. Variæ ſententiæ.

Abulenſis tom. 6. in Matthæũ c. 22. q. 230. vult opinionem ſolùm eſſe probabiliorem, & inſinuat oppoſitum teneri poſſe: ſed in hoc non eſt audiendus. Opinionẽ eſſe piam docet *Caietanus in opuſculo de cõceptione, quem ſequitur Sotus in 4. diſt. 43. q. 2. art. 1. §. De ſacratiſsima verò Virgine, pag. 409. col. 2. & id non negat Author libri de Aſſumptione Virginis, qui nomine Hieronymi circumfertur: nec id negat Auguſt. ſerm. 14. de Sanctis; nec etiam author ſermonis de aſſumptione, qui inter opera Auguſtini tom. 9. refertur.* Dicendum tamen eſt

Vera ſententia.

cum *Cano 12. de locis theologicis c. 11.* hãc veritatem non ſolùm eſſe piam; ſed ita certam, vt oppoſita ſine ingenti temeritate defendi non poſſit: quod etiam probauit *Corduba lib. 1. quæſtionarij q. 17. & poſteà Suarius in d. diſp. 21. ſect. 2. pag. 347. col. 2. A. B. §. Sed re vera.*

5. Quanto tẽpore Virgo fuit mortua?

Quanto autem tempore Virgo poſt mortem ſurrexerit? variè reſoluitur, vt videre eſt apud *Suarium in d. pag. 347. col. 2. §. Ex his colligere licet*: quidam enim putant, eam ſurrexiſſe eodẽ die, quo obijt: quia Eccleſia in eodẽ die, & reſurrectionem celebrat, & aſſumptionem. Alij vo-

Variæ ſententiæ.

luerunt, eam ſurrexiſſe quadraginta diebus poſt mortem, cui opinioni videtur adhærere Beda, dùm in ſuo Martyrolog. aſſumptionem ſolius animæ in cœlum ponit 18. Kalend. Septembris, id eſt 15. die Auguſti: aſſumptionem verò in corpore ponit 9. Kalend. Octobris, id eſt 23. die Septembris; ſed non ſatis id eſt probabile, cum Eccleſia ſimul vtramque aſſũptionem celebret. Quare probabilior opi-

Probabilior opinio.

nio habet, quod triduo poſt mortem aſſumpta ſit; id enim cõſentit cum hiſtoria à Nicephoro ſuperiùs relata: docet enim Apoſtolos per totum triduum ad ſepulchrum Virginis perſeueraſſe; poſt diem autem tertium, adueniente Thoma, aperuiſſe ſepulchrum, & in eo ſola linteamina inueniſſe; ſicut etiam poſt triduum, aperto Chriſti ſepulchro, corpus eius non inuenerunt, ſed ſola linteamina, *Ioannis 20.* Ex his patet non eſſe admit-

Iuſtinus nõ admittitur.

tendam Iuſtini Martyris opinionem q. 85. ad Orthodoxos: *Ad immortalem & incorruptibilem vitam nullius adhuc factam eſſe reſurrectionem, præter quã Chriſti ſeruatoris*: oppoſitum reuelatum eſt Brigittæ lib. 7. cap. 26.

§. 3.

Quid de ijs, qui cum Chriſto ſurrexerunt?

6. De illis, qui cum Chriſto ſurrexerunt.

QVæſtio eſt, & inter Patres, & inter Theologos controuerſa; an qui cũ Chriſto ſurrexerunt *Matthæi. 27.* ſurrexerint ad vitam mortalem iterum morituri; an verò ad immortalẽ, & glorioſam, qualis in nouiſsimo die iuſtis reſuſcitatis promittitur? pro vtraque parte ferè ab omnibus proponitur, vt ꝓbabilis: mihi longè probabilior cenſetur, quod & anima, & corpore glorioſi ſurrexerint, & ita in cœlũ aſcẽderint. Vtriuſq; partis, & authores, & rationes afferemus.

7. 1. opinio quod ſurrexerint mortales.

Quod nõ ſurrexerint corpore immortales, & glorioſi, ſed mortales potiùs, & iterum morituri, ex Patribus latè probat *Auguſt. epiſt. 99. ad Euodium tom. 2. citari ſolet Hieronymus in c. 27. Matthæi ad illa verba: & multa corpora Sanctorum, & epiſt. 150. ad Hedibiam q. 8. an benè citetur? inferiùs dicemus. Chryſoſtomus homil. 89. in Matthæum, Theophylactus in d. c. 27. Matthæi, vbi etiam Euthymius c. 67. Proſper in lib. de promiſsionibus, & prædictionibus part. 3. c. 29. ſatis probat D. Thomas 3. p. q. 53. art. 3. ad 2. tanquam longè probabiliorem amplectitur Sotus in 4. diſt. 43. q. 2. art. 1. §. Verũ verò reſurgentes illi, pag. 408. col. 1. in eadẽ eſt ſententia Barradas tom. 4. ſuæ Concordiæ lib. 7. c. 21. ad illa verba Matth. 27: Multa corpora Sanctorũ, pag. 370. col. 2. & Ludou. Tena ad Hebræos c. 11. difficul. 28. ſect. 5. ad finem, pag. 147. col. 1. §. Primò reſpondetur.*

Auguſt. Hieron. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Proſper. D. Thom. Sotus. Barradas. Tena.

8. 1. ratio. *Actor. 2.*

Primum fundamentum ſumit Auguſtinus ex verbis Petri, Actorum 2. vbi Petrus inde oſtẽdit verba illa Pſalmi 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, non eſſe intelligenda de Dauid, ſed de Chriſto; *quia Dauid mortuus eſt, & ſepultus, & ſepulchrum eius apud nos eſt, vſq; ad hodiernam diem*: id eſt, oſſa illius ſunt in ſepulchro, etiã poſt Chriſti reſurrectionem: inde enim infert Auguſtinus, illos, qui cũ Chriſto ſurrexerunt, iterũ obijſſe: nam cum inter eos Dauid ſit enumerandus; non poſſent oſſa illius eſſe in ſepulchro, niſi Dauid iterùm obijſſet.

9. 2. ratio.

Secundò inde probatur: quoniam Sãcti illi ſurrexerunt, antequam Chriſtus ſurrexerit. Ergo non ſurrexerunt in vitam immortalem, ſed in mortalem, vt iterùm mortui in iudicio ſuſcitentur.

Conſe-

Conſequentia ex eo probatur; quia ſi in vitam immortalem ſuſcitarentur, Chriſtus non eſſet primogenitus mortuorũ contra doctrinam Pauli; hi enim ad vitã immortalem priùs forent ſuſcitati. Ergo dici non poteſt, iſtos ad vitam immortalem reſurrexiſſe, quæ fuit conſequentia. Antecedens verò ex eo probant, quòd ex Matthæo 27. iſti ſurrexerunt tempore paſsionis; nam Matthæus illorum reſurrectionem inter cætera paſsionis ſigna enumerat: ex quo loco id docent *Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymus.*

10. 3. ratio. Tertium argumentũ ſumitur ex verbis Pauli ad Hebræos 11: agens enim Paulus de Patribus antiquis, ita ſcribit: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſsionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſumarentur.* Iam verò ſi hi cum Chriſto ad vitam immortalem ſurrexerunt; iam ſunt ſine nobis conſummati.

Quarta. Quartò argui poteſt; quoniam iſti ideò reſurrexerunt, vt teſtimonium redderẽt reſurrectionis Chriſti: ad hoc autem ſatis eſt reſurrectio ad vitam etiam mortalem.

Quinta. Quintò ex eo præcipuè mouetur Sotus: quoniam ſi ſurrexiſſent ad vitam immortalem; non manſiſſent in terris; ſed in cœlum aſcendiſſent: quod tamen non eſt aſſerendum, quia Euangeliſtæ huius aſcenſionis mentionem feciſſent.

11. Sexta. Sextò arguit Sotus: quia Moyſes in transfiguratione Domini reſurrexit, vt verior habet opinio cum Hieronymo in cap. 17. Matthæi: & tamen non dubitatur eum reſurrexiſſe in vitam mortalem; alioquin immortalem, & glorioſam vitam corporis priùs habuiſſet, quàm Chriſtus; & ita Chriſtus non eſſet primogenitus mortuorum.

Septima. Septimò ex eodem Soto: quia ſequeretur reſurrectionem nouiſsimi diei non eſſe ſimpliciter vniuerſalem: quia quam plurimi iam reſurrexiſſent.

Octaua. Octauò; quia piè creditur, Iob fuiſſe vnum ex illis, qui ſurrexerunt; etenim ille, quaſi quidam Euangeliſta, & Chriſti reſurrectionem, & omnium vniuerſalem decantauit: & tamen ille de ſe ipſo dicit, quod in vltimo die ſurrecturus ſit. Cui etiam fauet, quia pium eſt credere, Baptiſtam cum illis Sanctis reſurrexiſſe: fuit enim præcurſor Chriſti: & tamen non reſurrexit in vitam immortalem; cum illius caput apud nos ſit.

Poſtremò ita arguitur; quoniam lex generalis eſt ex pluribus Scripturæ locis collecta, ne corpora gloriam, & immortalitatem conſequantur ante magnum iudicij diem. Sed à generali Scripturæ regula non licet aliquem excipere, ſine ſufficienti fundamento, aut Scripturæ, aut Eccleſiæ. Iam verò nihil habemus in Scriptura, ex quo fundamentum ſumamus: ſolùm enim dicit iſtos ſanctos ſurrexiſſe, nihil agens, aut de immortalitate illorũ, aut de gloria. Nec id colligi poteſt ex fine, propter quem reſurrexerunt: quia ſatis erat reſurrectio ad vitam mortalem, vt reſurrectionis Chriſti teſtes fierent. Denique nihil habemus ex Eccleſia, vnde hoc ſpeciale priuilegium ſumamus. Vltima.

Quòd ſurrexerint immortales.

¶ Quòd iſti Sancti ad vitam immortalẽ ſurrexerint, communior eſt recentiorũ ſententia: eam latè probat *Suarius 2. tom. ad 3. p. q. 53. art. 3. in com. pag. 867. col. 2. §. Poſterior ſententia. Ante eum illam probauit Caietanus 3. p. in d. q. 53. art. 3. & in d. c. 27. Matthæi ad illa verba; Multa corpora Sanctorum. Ianſenius in ſua Cõcordia c. 143. Pineda in c. 19. Iob. Maldonatus in præcitata Matthæi verba, pag. 682. col. 1. Frater Angelus de la Paz lib. 6. in Symbolum c. 27. pag. 224. col. 2. in fine: ex antiquioribus D. Thomas in 4. diſt. 43. q. 1. ar. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. & in commentarijs ad præcitata verba Matthæi. 27. & Carthuſianus in d. diſt. 43. q. 6. & plures alij tùm in d. diſt. 43. tùm in 3. diſt. 22. tùm demũ ad 3. p. q. 53. art. 3. vide ibidem Medinã ad 2. D. Thomæ, & ſatis probat Lorinus Act. 2. verſ. 29. pag. 133. col. 1.* 12. Quod ſurrexerint immortales. Suarius. Caiet. Ianſenius. Angelus. Pineda. Maldona. D. Thom. Carthuſianus. Lorinus.

Hæc opinio plurimorum Patrum teſtimonijs confirmatur. Eam abſque dubio probauit Origenes ad illa verba Romanorum 1. *ex reſurrectione Ieſu Chriſti D. N.* vbi poſtquam docuit, Chriſtum habuiſſe aliquos participes in primatu ſuæ reſurrectionis, ita ſcribit: *Sicut illi fuerũt, qui cum illo reſuſcitati eſſe dicuntur, cum monumenta aperta ſunt, & multa Sanctorũ corpora, qui dormierant, ſurrexerũt; & de his talibus fortaſſe dicit Apoſtolus, eſſe Eccleſiã illam primitiuorũ, quam aſcriptam memorat in cœlis:* & ſatis idem explicat tract. 35. in Mat- 13. Origenes.

Matthæum ad præcitata verba 2. tomo, pag. 131. col. 1. B. vbi in hæc verba: *Multa corpora Sanctorum quidem dormientium ſurgunt, & egrediuntur de monumentis: poſt reſurrectionem tamen eius in eis, qui mortuus eſt pro nobis; & ſequuntur eum, qui ſurrexerunt, & in nouitate vitæ ambulant cum eo.*

Epiphan. Epiphanius hæreſi 75. in fine idem ſentit: docens enim reliquias Sanctorum eſſe in terra, addit: *exceptis iis, qui ſurrexerunt, & ingreſſi ſunt ſanctam ciuitatem*: non ſolùm terreſtrem, ſed etiam cœleſtem, vt ibidem explicat. *Euſebius.* Expreſſè idem docet Euſebius lib. 4. de demonſtrat. euangelica cap. 12. ita ſcribens: *Chriſti corpus mortuum excitatum eſt: & multa corpora eorũ, qui dormierant, ſanctorum, ſurrexerunt, vnaque cum ipſo in ſanctam, ac verè cœleſtem ciuitatem ingreſſi ſunt.* *Nyſſenus.* In eadem eſt ſententia Gregorius Nyſſenus in lib. de cognitione Dei in cap. de reſurrectione Chriſti; vbi teſtatur illa verba Oſeæ 6. *Sanabit nos poſt duos dies, & in die tertio ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius,* dicta eſſe de illis Sanctis, qui cum Chriſto ſurrexerunt, ita inquiens. *Hæc autem dicta ſunt ex perſona eorum, qui dormierant, quorum corpora cum Chriſto ſurrexerunt tertia die, qua ſurrexit ipſe.* Iam verò verba illa Oſeæ ab omnibus intelliguntur de reſurrectione ad vitam immortalem. Quare abſque dubio Nyſſenus hanc habuit opinionem, vt benè aduertit Suarius vbi ſuprà.

14. *Ambroſ.* Eandem ſententiam ſatis probat Diuus Ambroſius in Pſalmo primo ad finem, ita ſcribens: *Sunt, qui ſurrexerunt in paſſione Chriſti; & iſti plane beati; quia acceperunt Chriſti gratiam, & audierunt vocem eius, de qua ſcriptum eſt; venit hora, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent, & ingreſſi ſunt ſanctam Ciuitatem; puto, quod magis ſignificet illam ſupernam, quam iſtam Hieruſalem.* Multi pro eadem ſententia adducunt eundem Ambroſium lib. 4. de Fide cap. primo, quatenus docet, *Moyſem non fuiſſe in gloria cœleſti, niſi poſtquam Dominus reſurrectionis ſuæ pignore vincula ſoluit inferni*: ſed eum in hoc loco non poſſe pro hac adduci ſententia, benè aduertit *Suarius vbi ſuprà pagina 867. columna 2. litera C.*

Sophroni⁹. Adduci etiam ſolet Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus in Epiſtola ſynodali probata in ſexta generali Synodo ſectione 11. in illis verbis: *Chriſtus triduanus reſurgens de ſepulchro progreditur, & vna ſecum cunctos mortuos ſuſcitat ex ſepulchro, ex corruptione ad immortalitatem eos perducens per ſuam reſurrectionem ex mortuis.* Sed cum dicat, Chriſtum cunctos mortuos ſuſcitaſſe, intelligi non poteſt de illis, qui cum Chriſto ſurrexerunt. Quod verò addit Chriſtum reſurgentem vna ſecum cunctos mortuos ſuſcitaſſe; non eſt intelligendum de actuali ſuſcitatione, ſed de merito, & iure ſuſcitationis: quia reſurgendo omnibus reſurrectionẽ meruit; facit etiam pro hac ſententia (quamuis non ſatis efficaciter) Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum ante medium, dùm ait, *Corpora eorum, qui cum Chriſto ſurrexerunt, in meliorem ordinem eſſe tranſlata.* *Clem. Alexandrinus* Fauet etiam Athanaſius in homilia de ſemente, dùm inquit, *Chriſtum in inferno non ſolùm ſe liberum oſtendiſſe; ſed etiam mortuorum liberatorem, iuxta illud, multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* *Ruffinus.* Iuuat adhuc Rufinus apud Cyprianum in expoſitione Symboli, quatenus verba illa Matthæi 27. *Et ingreſſi ſunt ſanctam ciuitatem,* explicat de Ciuitate, de qua Apoſtolus ad Galatas 4. ait: *Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.*

15. *Remigius.* Sed efficaciùs hanc opinionem cõfirmat Remigius relatus à Diuo Thoma in Catena, vbi hac quęſtione in vtranque partem diſputata, ita concludit: *Incunctãter ergo credere debemus; quia, qui reſurgente à mortuis Domino reſurrexerunt: aſcendente eo ad cœlos, & ipſi pariter aſcenderunt.* *Anſelm. Beda.* Quòd Beda docuerit, Sanctos iſtos cum Chriſto in cœlum aſcendiſſe, teſtatur D. Anſelmus in dicto cap. 27. Matthæi ita ſcribens: *Qui enim reſurgente Domino reſurrexerunt, Beda teſtante, etiam cum illo aſcendente ſimul aſcendiſſe, credendi ſunt.* Quin potiùs idem Anſelmus adiungit: *Nec vlla ratione illorum temeritati Fides accommodanda eſt, qui illos poſteà reuerſos in cineres dicunt.* Et quamuis Beda in præcitatis verbis Matthæi id non ſatis declaret; credendum eſt tamen, eum in hac fuiſſe ſententia, cum Diuus Anſelmus id affirmet. *Iuſtinus.* Nec vllus dubitauerit Iuſtinum Martyrem in eadem fuiſſe ſententia quæſt. 85. ad Orthodoxos; expreſſè enim docet, *iſtos iterum non obiiſſe,*

ſed

ſed manere in immortalitate. Nec obſtat, quòd ibidem aſſerit, *eos expectare æternã vitam, quæ virtute reſurrectionis Chriſti fiet immutatione, qua, vt ait diuinus Apoſtolus, omnes immutabimur*: etenim Iuſtinus in ea fuit opinione, vt nullus vitam æternam diuinæ viſionis ſit habiturus, ante generalem reſurrectionem. Quare putat, iſtos Sanctos cum alijs eſſe in paradiſo terreſtri, in corpore immortali; & ideò iam habere reſurrectionem perfectam, quæ poſita eſt in vnione animæ ad ſuum corpus; quamuis non dùm habeant glorioſam corporis immutationem. Sed Iuſtinum cum nonnullis alijs in hac opinione
16. erraſſe, iam oſtendimus in 2. tomo libr. 12: nunc ſolùm obtinemus Iuſtinũ pro hac facere opinione. Pro ea abſque dubio eſt D. Hieronymus epiſtol. 150. ad
Hieron. Ebidiam q. 8. vbi in hæc verba: *Monumẽta quoque, de quibus ſcriptum eſt; vos eſtis ſepulchra extrinſecus dealbata, quæ intus plena ſunt oſsibus mortuorum: ideò ſunt aperta, vt egrederentur de ijs, qui priùs in infidelitate mortui erant; & cum reſurgente Christo, atque viuente, viuerent, atque ingrederentur cœleſtem Hieruſalem, & haberent municipatum, nequaquam in terra, ſed in cœlo morienteſque cum terreno Adam, reſurgerent cum Adam ſupercæleſti.* Quæ verba ſatis explicant, quæ fuerit Hieronymi ſententia: non negabo tamen D. Hieronymum in dicto cap. 27. Matthæi ad præcitata verba non ſatis mentem ſuã explicuiſſe, cum liberam concedat facultatem, vt per ciuitatem Hieruſalem, quam Sancti iſti ſuſcitati intrarunt, aut cœleſtem Hieruſalem intelligamus, aut terrenam. In ſermone verò de aſſumptione (qui potiùs eſt Sophronij) quanuis neutram partem determinet; in hanc tamen magis inclinat. Quare non eſt, quod Hieronymus pro parte oppoſita determinatè citetur: nam quamuis dicat, *quòd ſicut Lazarus ſurrexit, ita & multa corpora Sanctorum ſurrexerunt*, & his verbis videatur ſignificare, quòd ſurrexerint ad vitam mortalem, ſicut ad eam Lazarus ſurrexit: tamen ſtatim id relinquit ſub dubio, dùm inſinuat, per Hieruſalem intelligi poſſe, aut terrenam, aut cœleſtem.

17. 1. ratio. Primum huius opinionis fundamentum ſumitur ex verbis Petri Actorum 2. ſuppoſita opinione, quòd Dauid cum illis ſurrexit: ſolùm enim ait, *& ſepulchrum eius apud nos eſt, vſque in hodiernam diem*: non dixit corpus, ſed ſepulchrum, quaſi ſignificans, corpus Dauidis in eo non eſſe, cum in eo non inueniatur, & inde inferunt, illud iam eſſe glorioſè ſuſcitatum.

Secundum ſumitur ex verbis Matth. 18.
27. *Et ingreſsi ſunt ciuitatem, & apparuerũt multis*: inde enim inferunt, illorum corpora iam eſſe glorificata: niſi eſſent talia, non apparuiſſent multis, ſed omnibus; quia ſe ſe occultare non poſſent: glorioſa verò in ſua habent poteſtate, vt his appareant, & non illis. Et volunt hunc ſenſum ſatis ſignificaſſe Hieronymum; dùm ait, *Apparuerunt non omnibus, ſed ijs, qui cernere merebantur.* Quibus verbis ſatis innuit; illorum corpora fuiſſe glorioſa. Id ipſum ſatis declarat D. Thomas in eiſdẽ Matthæi verbis, ita inquiens: *Et apparuerunt multis: ſicut enim Chriſtus poteſtatem habet manifeſtandi ſe, quibus vult, ita eſt intelligendum de corporibus glorificatis*: ſupponens, illorum corpora iam eſſe in gloria.
(2. ratio. — *D. Hier.* — *D. Thom.*)

Tertia ratio: quia niſi in corporibus glorificatis ſurrexiſſent, non eſſent idonei teſtes, & omni exceptione maiores ad probandum Chriſti reſurrectionem, immortalem, & glorioſam; ſiquidem iſto modo non ſurrexerint. 19. 3. ratio.

Quarta ratio: quia his Sanctis reſurrectio cederet in pœnam; quia maior illis fuiſſet pœna iterùm mori, quàm fuerit gaudium è mortuis reſurgere. 4. ratio.

Quinta; quia cùm in inferno ſint aliqui corpore, & anima ſepulti, vt de Dathan, & Abiron dicitur; diuinam decebat miſericordiam, atque copioſam Chriſti redemptionem, vt aliqui in cœlo eſſent anima, & corpore beati. Quinta.

Sexta ratio; quia decuit, vt Chriſtus Dominus anima, & corpore iam glorioſus ſecum haberet aliquos glorioſos, & anima, & corpore. Sexta.

Septima ratio: quoniam ſi non ſurgerent corpore glorioſi, eſſent viatores; vnde, & mereri, & demereri poſſent; & ſub inde poſſent condemnari. Quod non eſt dicendum. 20. Septima.

Octaua ratio: quia id cedit in maiorem Chriſti gloriam: cùm enim verè ſit homo, verè eſt animal ſociale; cuius felicitas Octaua.

erit perfectior, ſi ſocios habeat, non ſolũ anima, ſed etiam corpore beatos.

Vltima. Nona, & vltima ratio ex eo ſumitur; quoniam animæ illorum iam erant beatæ, vt probant illa verba, *multa corpora Sanctorum*: iam verò animæ beatæ connaturale eſt, ſuam beatitudinem corpori communicare, & vniri corpori glorioſo, & oppoſitum eſſet miraculum, ſicùt fuit in Chriſto in via. Iam verò nihil cogit, vt in hac reſurrectione miraculum admittamus. Hæc ſunt huius opinionis fũdamenta.

Reſoluitur pro immortalitate iſtorum reſurgentium.

21. Vera reſolutio. ¶ Ego puto longè eſſe probabiliorem ſententiam, quæ defendit, iſtos ſanctos ſurrexiſſe in corporibus glorioſis amplius non morituros; & ita anima, & corpore glorioſos in cœlum aſcendiſſe. Quã opinionem probabiliorem facit, quia Inter Patres eſt communior. inter Patres eſt longè communior: nam pro prima opinione tres tantùm Patres inuenio, qui ſimpliciter eam aſſerant; nẽpè Chryſoſtomum, Theophylactum, & Prosper nõ eſt pro contraria. Euthymium: nam Proſper in d. c. 29. nõ agit de mortuis, qui cum Chriſto reſurrexerunt; ſed de illis, quos Chriſtus in vita ſuſcitauit, & Elias, atque Eliſæus: ita enim habet: *Quæritur hic, quomodò Chriſtus primitiæ dicatur, cũ & ipſe ſuſcitauerit mortuos, & Elias, atque Eliſæus à mortuis excitauerunt? Reſpondetur, quod hi, qui ſuſcitati ſunt, dennò mortui requieſcunt*: iam verò longè diuerſa eſt ratio de his, & de il- Nec Hieronym. lis. Quod Hieronymus noſtram aſſeruerit ſententiam iam oſtendimus, cui determinatè nunquam contradixit. Diuus au- Nec D. Th. tem Thomas *in 3. p. q. 53. artic. 3. ad 2.* ſolùm dicit, rationes, quæ Auguſtinum dubium fecerunt, fortiores eſſe: ex quo non benè infertur, eum cum Auguſtino ſenſiſſe maximè, cum alijs in locis noſtram ſententiam in terminis doceat. Auguſti- Auguſt. diſſerendo aſſerit. nus autem in d. *Epiſt. 99.* diſſerendo potiùs procedit, quàm definiendo, cum cõtra noſtram ſententiam, dubitando arguit. Quare ſententia contraria tres tantùm ex Patribus pro ſe habet: noſtra au- Qui Patres ſint pro nobis. tem pro ſe habet Origenem, Epiphaniũ, Euſebium, Nyſſenum, Ambroſium, Rufinum, Remigium, Bedam, Anſelmum, Iuſtinum, Hieronymum, & D. Thomã, qui determinatè eam definiunt; vt omittamus Sophronium, Clementem Alex. & Athanaſium, qui licet hanc noſtram ſententiam in terminis non ſcribant, illi tamen maximè fauent. Quin potiùs pro noſtra ſententia ita videtur ſtare Anſelmus, vt dicat, oppoſitum aſſerere eſſe temeritatem non recipiendam; vnde incũctanter & indubitatè noſtram ſententiã recepit. Quare negandum non eſt, eam illorum teſtimonijs longè melius confirmari.

22. Noſtra ſententia melius confirmatur. Quòd illa melioribus etiam nitatur fũdamentis, ex eo patet; quoniam vltima ratio à nobis adducta in hac materia eſt ſatis efficax; cum ab aduerſarijs nec ſoluatur, nec ſolui valeat, niſi poſito miraculo: iam verò apud Theologos, qui ad miraculum ſine neceſsitate recurrit; non eſt audiendus; maximè quando legem ordinariam obſeruari maximè cedit ad extollendam diuinam munificentiam. Quod verò nihil cogat ad miraculum recurrere, facilè oſtenditur, ſi aduerſariorũ argumenta ſoluuntur.

23. Ad 1. arg. Ad primum igitur, quòd Auguſtinus diſſerendo ſumit ex verbis Petri Actorum 2. facilis eſt ſolutio, ſi negemus Dauidem fuiſſe ex ijs, qui cum Chriſto ſurrexerunt: id enim non eſt certum, vt ait Suarius. *Suarius in d. q. 53. art. 3. in ſolutione ſecundi fundamenti, pag. 865. col. 2.* Quin potiùs, ſi diligentiùs attendamus illa verba Matthæi, *Venerunt in ſanctam ciuitatem & apparuerunt multis*, ſatis ſignificant, eos, qui ſurrexerunt, fuiſſe ex ijs, qui ante paucos annos obiere; & qui cogniti erant illis, quibus apparuerunt, vt benè aduertit Barradas. *Barradas in d. lib. 7. c. 21. pag. 370. col. 2. §. Vtraque quæſtionis pars.* Vnde inter alios ſurrexiſſe duos Simonis iuſti filios, & in templo præſentibus ſacerdotibus teſtimonium pro Chriſto tuliſſe ex Nicodemo refert Hieronymus, & hiſtoriale Vincentij, teſte *Angelo de la Paz in d. libr. 6. Symboli c. 27. pag. 230. col. 1. B:* cum enim Angelus. ideò ſurrexerunt, vt ſua ipſorum reſurrectione probarent, Chriſtum reſurrexiſſe, debebant eſſe noti his, quibus apparebant. Quæ opinio placuit *Epiphanio in Ancorato, quem refert, & probat Lorinus Epiphan. in d. c. 2. Actorum, verſ. 29. pag. 133. col. 1.* Lorinus. *A. & ſatis probat Barradas vbi ſuprà*: nec enim

enim opus eſt, vt extraordinaria priuilegia dentur, vel propter maiorẽ ſanctitatẽ, vel propter maiora merita, ſi illa ad maiorem oſtendendam ſanctitatem non pertinent: ſed nec dantur propter ſingularẽ alicuius virtutis prærogatiuam, ſi illa ad eam oſtendendam parum cõducunt: iam verò ad confirmandam glorioſam Chriſti reſurrectionem hæc parum valebant; cum tamen plurimum valeret authoritas, & ſanctitas eorum, qui in vita fuerũt noti, & familiares his, quibus facta eſt apparitio: ſed nec oportet, vt apparitio fiat ijs, qui ob ſanctitatem magni ſunt meriti. Benè tamen ijs, qui ad reſurrectionem Dominicam confirmandam, atque populo perſuadẽdam valere poterant. Vnde & determinatio reſurgentium, & eorum, quibus apparitiones fieri debebant; hoc ex beneplacito diuinæ volũtatis colligendum eſt, in ordine ad confirmationem diuinæ reſurrectionis. Iam verò quid opus eſt, vt Dauid vnus fuerit reſurgentium? aut Adam, aut Noe? quare argumentum nititur fundamento non ſatis certo.

24. Alia ſolut. ¶ Sed nec multum vrget, etiam ſi admittamus, Dauid vnum è reſurgentibus fuiſſe: adhuc enim ex verbis Petri efficaciter non colligitur Dauid ſurrexiſſe ad vitã mortalem; ſicut nec inde benè colligitur, eum ad immortalem eſſe ſuſcitatum: etenim Petrus vult probare, verba illa Pſalmi: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, intelligi non poſſe de ipſo Dauide, ſed de Chriſto: id ex eo probat, quia Dauid vidit corruptionem poſt ſuam mortem; quia ſepultus eſt, & ſepulchrũ eius à tempore ſuæ mortis vſque ad hodiernam diẽ ſemper apud nos fuit: quod arguit, corpus Dauid, tam longo tempore poſitum in ſepulchro non potuiſſe nõ corrumpi: quod ſatis erat, vt Petrus probaret, verba præcitata intelligi non poſſe de Dauid, ſed de Chriſto, qui poſitus in ſepulchro in triduo reſurrexit, & ideò corruptionem non vidit. Quare ad rem parum facit, quòd Dauid cum Chriſto ſurgens, ſit, vel non ſit in ſepulchro: ſiquidem verba Pſalmi non intelliguntur de corruptione poſt reſurrectionem factam tempore Chriſti; ſed de corruptione, quæ in Dauid facta fuit poſt mortem, antequam cũ Chriſto reſurrexerit. Quã ſolutionem doctè explicauit Lorinus loco citato, & ſatis eam inſinuauit Suarius vbi ſuprà.

Secundum argumentũ parum vrget, vt etiam Auguſtinus fatetur: quia verba illa; *Multa corpora Sanctorum ſurrexerunt*, poſita fuerunt à Matthæo ante Chriſti mortem per anticipationem, quòd ſæpè in ſacris literis contingit. Et ratio ſatis id oſtendit; quoniam Sancti illi non exierunt è monumentis ante reſurrectionem Chriſti, vt Matthæus ſtatim ſubdit, dicens: *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem*: exire autem de monumentis, idem eſt, quòd reſuſcitari: nec enim credendũ eſt, Sanctos illos tempore paſsionis ſuſcitatos tanto tempore in monumentis viuos manſiſſe. Quare tempore paſsionis monumenta aperta ſunt: corpora tamen Sanctorum in illis exiſtentia non ſurrexerunt, niſi poſt Chriſti reſurrectionẽ, & poſt eam apparuerunt, & teſtimoniũ reſurrectionis Chriſti reddiderunt. 25. Ad 2.

Ad tertium prima ſolutio ſit, Paulum in illo loco non agere de reſurrectione corporum, ſed de gloria animarum, quã antiqui Patres ante Chriſti mortem, legemque Euangelicam non acceperunt, vt latè diximus in 2. tom. lib. 12. quæ ſolutio placet *D. Thomæ in eodem loco Pauli, & eſt prima ſolutio Caietani*. Et quanuis ageret de reſurrectione corporum, argumentum non vrgeret; quia regula generalis non excludit ſpeciale priuilegium: quæ etiam ſolutio placuit *& D. Thomæ, & Caietano*: *& vtraque placuit Suario vbi ſuprà pag. 866. col. 1.* 26. Ad 3. D. Thom. Caiet. Suarius.

Ad quartum negandum eſt, ſatis eſſe reſurrectionem ad vitam mortalem, vt teſtimonium illud eſſet omni exceptione maius: quod eſt noſtræ opinionis fundamentum. 27. Ad 4.

Ad quintum reſpondetur, ſanctos illos, qui cum Chriſto ſurrexerũt, ſimul cum Chriſto aſcendiſſe in cœlum, vt ait Remigius relatus à D. Thoma in Catena in verbis citatis, & ex Beda docet D. Anſelmus vbi ſuprà: nec oportebat, vt huius mentio fieret ab Euangeliſtis, quia non omnia ſunt ſcripta. Ad 5.

Ad ſextum, vel negandum eſt, Moyſem tunc ſurrexiſſe, quia de hoc non cõſtat: vel ſi id admittatur (eſt enim id probabile) 28. Ad 6.

babile) ſimul admittendum eſt Moyſem iterum obijſſe, ſed inde non benè infertur, iterū mortuos eſſe ſanctos illos, qui cum Chriſto ſurrexerunt: diſpar enim ratio eſt vnius, & alterius reſurrectionis: quia Moyſes non ſurrexit, vt teſtimoniū daret reſurrectionis, aut Chriſti, aut aliorum: cum tamen ad hoc reſurrexerint hi, de quibus agimus.

29. Ad 7. Septimum argumentum parum vrget quoniam concedendum eſt reſurrectionem nouiſsimi diei nōn ita futuram eſſe vniuerſalem, vt omnes ad iudicium venientes tunc reſurgant: virgo enim Deipara præſens erit in iudicio, nec tamen tūc reſurget; cum certum ſit, eam iam reſurrexiſſe, quare ab illa regula generali exci piendi ſunt, qui ex priuilegio ſpeciali iam glorioſè in corpore reſurrexerunt.

30. Ad. 8. Ad octauum negandum eſt id, quod ſumitur: vide, quæ diximus in ſolutione primi argumenti.

31. Ad vltim. Ad argumentum vltimum ex dictis iam patet reſponſio: quoniam à regulis generalibus fieri poteſt aliqua exceptio, quando adeſt ſufficiens illius fundamentum. Iam vero quòd ſancti, de quibus agimus, ex ſpeciale priuilegio in corporibus glorioſis iam perfectè reſurrexerint, licet Scriptura ſatis nō conuincat; magnū tamen præbet fundamentum, vt illos à regula excipiamus: nam cum ex Scriptura habeamus iſtos cū Chriſto ſurrexiſſe, & certum ſit, eas in Limbo poſt Chriſti præſentiam fuiſſe beatas; non poſſunt ſine ſpeciali miraculo ſuam beatitudinem corpori non communicare. Quod fundamentum ſatis ſufficiens eſt, vt dicamus, eos in corporibus glorioſis reſurrexiſſe: miracula enim ſine neceſsitate admittenda non ſunt. Quod eſt noſtræ opinionis firmiſsimum fundamentum.

Defenditur alia ſententia.

32. Pro alia ſententia. ¶ Cum oppoſita ſententia Chryſoſtomo placuerit, Theophylacto, & Euthymio; & pro ea multis arguat Auguſtinus; non debet reijci, vt improbabilis; maximè cū illa confirmari poſsit reuelationibus B.

S. Brigitta Brigittæ lib. 6. c. 96. vbi ſcribitur Virginē Deiparam hæc illi verba dixiſſe: *Animæ Sanctorum, qui ſurrexerunt, aſcenderunt cum filio meo: ſed corpora expectant reſurrectionem.* Et lib. 7. cap. 26. *Scias, quòd nullū corpus humanum in cœlo eſt, niſi corpus glorioſum filij mei, & corpus meum.* Quare diſſoluemus ea, quæ pro noſtra ſentētia ſunt adducta.

Ad primum patet ſolutio ex ſolutione primi argumenti oppoſitæ ſententiæ: nec enim certum eſt Dauidem cum illis Sanctis ſurrexiſſe: nec ſi ſurrexit, inde argumentum ſumi poteſt, eum reſurrexiſſe in corpore immortali. Vide, quæ ibi diximus. 33. Ad 1.

Ad ſecundum reſpondetur primò, ex eo, quòd multis apparuerint, non benè inferri, eos habere corpora glorioſa: nam Moyſes in transfiguratione apparuit Diſcipulis: & tamen ſurrexit non in corpore glorioſo, ſed in mortali, vt plures putant. Reſpondetur ſecundo; quòd poterāt reſurgere in corpore glorioſo ꝓ breui tempore: nam & viſio diuinæ eſſentiæ poteſt viatori pro breui tempore cōmunicari, & de facto communicata eſt Moyſi, & Paulo in via, iuxta veriorem ſententiam. Reſpondetur tertio; quoniā poterant reſurgere in corpore mortali quidem; ſed tamen habente virtutem ſe occultandi, & manifeſtandi pro libito, vt Chriſtus in via habuit. *Vide Suarium in d. q. 53. art 3. pag. 878. col. 2. litera C.* 34. Ad 2. Suar.

Ad tertium ſatis reſpondet idem Suarius ibidem in tertia coniectura: quoniam cum gloria corporis non poſſet ſenſibiliter percipi ab ijs, quibus apparebant, nihil hoc conducebat ad teſtimonium reſurrectionis Chriſti, quod reddebāt: nec enim gloriam ſui corporis crederent, niſi teſtimonio ab illis reddito de ſua gloria. Sed profecto non eſt negandum, claritatem corporis glorioſi poſſe aliquo modo ſenſibiliter percipi, vt in hoc libro dicemus. At ſi hoc concedatur; nō eſt negandum, manifeſtationem iſtam gloriȩ plurimum conducere ad confirmandum teſtimoniū quod de Chriſto reddebant: etenim, quò certius crederentur Sancti, eò firmius, dato teſtimonio eos vidētes adhærerēt. Quare ad argumentū dicendum eſt, potuiſſe illos in gloria apparere, quam non permanenter, ſed tranſeunter haberent, qua, tanquam ſupernaturaliter data poſſent, & fidem, & beneuolentiam ſibi conciliare. Vel ſi reſurrexerunt in corpori mortali, nulla ſibi dote ſupernaturali conceſſa; cū 35. Ad 3.

noti

noti eſſent, poterant multis alijs argumẽtis, & vijs fidem ſibi conciliare.

36. Ad 4.

Quarta ratio, quamuis ſit Remigij non ſatis vrget, vt bene aduertit *Suarius vbi ſuprà pag.869.col.1.in 4.coniectura*: nam cũ ſcirent, ſe ad eum finem ſolùm ſurrexiſſe, vt Dominicæ reſurrectionis teſtes fierẽt; nihil illis pęnę eſſet, quòd functo officio, corpora mortalia iterum relinquerent: nam cum eſſent ſancti, in omnibus diuinæ prouidentiæ libentiſsimè ſubiacerẽt; maximè cum ſine vllo dolore corpora relinquerent: vnde Moyſes, ſi in traſfiguratione Chriſti ſurrexit, ſine vlla pæna iterato reliquit corpus.

37. Ad 5.

Ad quintum negandum eſt, Dathan, & Abiron anima, & corpore viuos ad dãnatorum Infernũ deſcendiſſe, quidquid Suarius loco citato id admittat, oppoſitũ enim oſtendimus ſupra art. 2. §.4. num. 63. Deinde, quamuis id admitteremus, non proinde congruentia ſuaderet, vt iſti corpore, & anima in Cœlo eſſent beati; quia ſatis eſſet Virgo Mater: maximè, ſi verum eſt, ſolum cũ Chriſto ſurrexiſſe, qui non multò ante tempore mortui plurimis erant noti; ita enim fieret, vt iſti ſancti non eſſent ex inſignioribus.

38. Ad 6.

Ad ſextum dicimus, ad illam decentiam ſatis, ſuperq; eſſe Virginẽ Deiparã.

Ad 7.

Septima ratio ſatis eſt infirma: quia illi propriè non dicerentur viatores, cum comprehenſores eſſent ſecundùm animam: quòd ſi illos appelles viatores; non poſſent demereri, quia ſecũdùm animam eſſent beati.

39. Ad 8.

Ad octauum iam reſpondimus in ſolutione ad ſextum.

Ad vltim.

Ad vltimum communiter reſpondetur, non eſſe abſurdum, ſi admittatur miraculum, ne beatitudo animæ in corpus redundet, Dici etiam poteſt ſanctis illis per ſpeciale priuilegiũ conceſſam fuiſſe gloriam corporis ad tempus. Vnde quoad animam permanenter forent beati; quoad corpus autem ſolùm tranſeunter.

¶ Sed quia, ſiue hoc, ſiue illo modo dicatur, ſemper recurrendum eſt ad miraculum, ſpecialemque diſpenſationem; ideo probabilius iudico, iſtis ſanctis glorioſam reſurrectionẽ, liberam ab omni mortis dominio concedere; quàm concedere corpus mortale, & paſsibile animæ glorioſæ. Et hæc de iſtis ſanctis dicta ſint.

§. 4.

An præter Virginem, & Sanctos, qui cum Chriſto ſurrexerũt, alij iam complete ſurrexerint?

40. Baptiſta nõdum ſurrexit.

INquirendum eſt conſequẽter, an præter Virginem, & Sanctos, qui conſurrexerunt cum Chriſto, alij iam reſurrexerint? De ſolis tribus poteſt eſſe dubitatio, nempe de Moyſi, Ioanne Baptiſta, & Ioanne Euangeliſta. Et de Ioanne Baptiſta, licet aliqui dixerint, illum ſurrexiſſe cum alijs, qui cum Chriſto ſurrexerunt Matthæi 27. horum tamen opinio non eſt probabilis; quoniam eius caput vſque in hanc diem Romæ in magna habetur vene ratione.

De Moyſi.

41. Quod iã ſurrexit Moyſes.

¶ De Moyſi poteſt eſſe dubitatio ex duplici capite: ex primo: quia nonnulli ſcripſerunt Moyſem quidem mortuum eſſe; at tamen poſt mortem ſtatim ſurrexiſſe. Ita *ſcripſit Rabbi Samuel in libr. de aduentu Miſſiæ cap.*13. vbi in confirmationem adducit, quòd nemo ſepulchrum illius agnouit. Ex ſecundo vero capite poteſt eſſe dubitatio; quia plurimorum habet ſentẽtia, Moyſem in ſuo vero corpore per veram animę proprię informationẽ in Chriſti tranfiguratione apparuiſſe: & per conſequens vere ſurrexiſſe ita docet *Hieronymus in cap. 17. Matthæi*, dum ait, *Moyſem ab inferis reſurrexiſſe*: & idem *ſentit Auguſtin.lib.3.de Mirabilibus Sacræ Scripturæ cap.10. & expreſſe Hilarius in dicto cap.17. Matthæi* dum ait, *ideo Chriſtum ſuæ transfigurationis teſtem adhibuiſſe Moſem, vt illo reſuſcitato, reſurrectionis fides confirmaretur. Damaſcenus etiam id ſignificat in oratione de transfiguratione, & probat Sotus in 4.diſt.43.q.2.art.1.in 3.ratio. pag.409.col.1.§. Accedit in confirmationẽ. & magis probat Suarius 1.tom.ad 3.p. diſp. 32.ſect.2.in 2.ſentent.pag.558.col.2.in principio.* Suppoſita hac opinione, dicet aliquis, illum iam ſurrexiſſe amplius non moriturum. Fundamentum inde ſumet, quod Moyſes ſurrexit in corpore glorioſo [illegible]am, vt dicitur Lucæ 9.n.28. Moyſes viſus eſt in maieſtate, ſiue in gloria, vt alij vertunt; quia nomen Gręcum δόξα, idẽ eſt, quod gloria. Et id ſatis docent *Tertullianus contra Martionem cap. 22. Origenes*

Rabbi. Samuel. — Moyſes in transfiguratione Chriſti ſurrexit. — Hierony. — Auguſt. — Damaſce. — Hilarius. — Sotus. — Suarius. — Tertull. — Origenes.

homil.

Damaſc. Epiphan. *homil. 12. in Exodum, Damaſcenus in d. oratione de Transfiguratione, & Epiphanius hæreſi. 42.* quorum verba refert Suarius vbi ſuprà, §. *Vnde Tertullianus*: iam verò corpus glorioſum eſt immortale; & proinde ſurrexit reſurrectione perpetua.

42. Neutra recipitur. Sed hæc opinio nec in primo, nec in ſecundo ſenſu defendi poteſt, ſi ita intelligatur, vt aut ſtatim poſt mortem, aut poſt Chriſti transfigurationem ſurrexerit verè beatus; quia ante Chriſti mortem cœlum clauſum erat, & ideò nullus diuinam eſſentiam vidit permanenter, vt fides docet: nec ante Chriſti reſurrectionem aliquis perfectè reſurrexit iterum non moriturus; quia Chriſtus eſt primitiæ dormientium 1. *Corint.* 15. *& primogenitus mortuorum, ad Coloſſenſes* 1. *& Apocalypſis* 1. quia primus omnium iam non moriturus reſurrexit. Vnde opinio Rabbi Samuelis, vt verè erronea, imò hæretica reijcienda eſt. Vide Suarium in dicta diſp. 32. ſect. 2. §. *Poſterior ſententia. pag.* 558. *col.* 1. Opinio verò, quæ admittit Moyſem in Chriſti transfiguratione ſurrexiſſe, non admittit eum ſurrexiſſe iam non moriturum; imò docet poſt transfiguratione͂, ſtatim obijſſe: vt omittamus plures negare, eum in proprio corpore ſurrexiſſe: id enim negat *D. Thomas* 3. *p. q.* 45. *art.* 3. *ad* 2. *& poſt eum Abulenſis* 4. *tom. in Matthæum c.* 17. *q.* 54. *&* 55. *& cu͂ eo Lyra in d. cap.* 17. *Matthæi*: & hanc opinionem non negat eſſe probabilem Suarius vbi ſuprà, quanuis oppoſitam dicat eſſe probabiliorem. Quare Moyſes, aut verè non ſurrexit, ſed apparuit in corpore aereo, vt volunt *D. Thomas, Lyra, Abulenſis. & alij*: aut ſi ſurrexit, ſurrexit iterum moriturus. Cui no͂ obſtat, quòd ſurrexerit in maieſtate, & gloria, vt ex *Origene, Damaſceno, & Epiphanio vetulimus*: quoniam vel illa gloria claritatis non fuit ex beatitudine animæ (quia illa non dum erat beata) ſed ex conſortio Chriſti Domini, vt ſatis docet Tertullianus in d. lib. contra Marcionem c. 22. & probat Suarius vbi ſuprà: vel fuit illi corpori conceſſa ex ſpeciali priuilegio, non permanenter, ſed ad breue tempus.

1. Cor. 15. Ad Coloſſ. 1. Apoc. 1.

Moyſes in Transfiguratio͂ne non ſurrexit glorioſus.

Quomodò ſurrexerit in maieſtate.

De Ioanne Euangeliſta.

43. ¶ De Ioanne Euangeliſta etiam poteſt eſſe dubitatio: quia nonnulli putant, eum non ſolùm anima, ſed etiam corpore iam eſſe beatum; & per conſequens verè, & propriè iam ſurrexiſſe. Hæc fuit opinio *Nicephori lib.* 1. *hiſtoria c.* 35. *& lib.* 2. *cap.* 42. quam ſententiam referunt, & non reijciunt, *D. Ambroſius ſerm.* 20. *in Pſalmum* 118. *& D. Hieronymus* (*ſiue potiùs Sophronius*) *in ſermone de aſſumptione, & D. Thomas in c.* 21. *Ioannis, lect.* 5. Quæ opinio à nonnullis confirmatur, tùm ex verbis Chriſti; tùm ex coniectura. Ex verbis quidem Chriſti, Ioannis 21. *Sic eum volo manere, donec veniam*, cum enim conſtet Ioannem eſſe mortuum; ſemper tamen dicitur manere in vita, quia poſt mortem ſtatim ſurrexit: nam qui in ſecundo Chriſti aduentu viui reperientur, ideò dicuntur viui à Paulo 1. ad Theſſalonic. 4. quia licet mori debeant, tame͂ ſemper cenſentur viui, quia ſtatim reſurgent. Ex coniectura etiam id confirmatur: quia cum verè fuerit mortuus, vt ſupponimus, tanquam longè probabilius (de quo vide Suarium vbi diſp. 55. ſect. 3. pag. 1133. col. 2. §. *Nihilominus probabilius*) ſi eius reliquiæ non apparent; id maximo eſt argumento, eum iam corpore glorioſum in cœlis manere: nec enim Deus permitteret, eum in ſuis reliquijs ab Eccleſia non coli.

Qui putent Ioannem Euangeliſtam iam ſurrexiſſe. Niceph*or*.

Confirmatio.

Dicendum tamen eſt Ioannem Euangeliſtam verè fuiſſe mortuum (quamuis plures id negent, & velint eum cum Enoch, & Elia venturum eſſe; & cum illis interficiendum; vt volunt *Hypolitus in orat. de conſummatione mundi, Damaſcenus in orat. de Transfiguratione: D. Ambroſius lib.* 7. *in Lucam in principio: Simon Metaphraſtes in vita Ioannis. Sabellicus lib.* 1. *de memorabilibus factis, & dictis c.* 8: *D. Antoninus* 4. *p. tit.* 13. *c.* 4. §. 3. *vbi pro eadem ſententia refert Theophylum, & Ioannem Dominicum; tanquam probabilem referunt Theophylactus Ioannis vltimo, & Euthymius in Matthæum c.* 43: *denique eam probat Catharinus Geneſis c.* 2:) at tamen nunquam fuiſſe corporaliter reſuſcitatum: animam tamen ſine corpore in cœlo eſſe beatam. Huius opinionis maximum fundamentum eſt; quoniam reliquias eius in terris manere, expreſſè teſtatur Cæleſtinus Papa in Epiſt. ad Synodum Epheſinam, ita ſcribens: *Ante omnia vos præcipuè conſi-* 44.

Ioannes verè mortuus.

Hypol. Damaſc. Ambr. Metaphr. Antonin. Theophyl. Euthym. Catharin.

Ioannis reliquiæ extant.

conſiderare iterum, atque iterum recolere decet, quibus Ioãnes Apoſtolus prædicauit, cuiꝰ reliquias præſẽtes honoratis. Idẽ etiã aſſeritur in ſeptima Synodo actione quinta ad finem, vbi nonnulla miracula de ipſis reliquijs enarrantur, & in Concilio Ephiſino tom. 3. cap. 6. ita ſcribit ur: *Sacras ſanctorum, triumphatorumque Martyrum; maximè verò beatiſsimi Ioannis Theologi, & Euangeliſtæ reliquias videndi, easque amplectendi deſiderio flagrant* Chryſoſtomus etiã Epiſtol. ad Hebræos homil. 26. ita habet: *Apoſtolorum plurimorum oſſa neſcimus, vbi iaceant: Petri tamen: & Pauli, Ioannis, & Thomæ manifeſta ſunt ſepulchra.* Ex quibus patet, ſine vllo fundamento dici, Ioannẽ Euangeliſtam iam corporaliter ſurrexiſſe. Quòd non ſurrexerit, tanquam certiſsimum ſcribit *Abulenſis tom. 6. in Matthæum cap. 22. q. 230. fol 81. col. 3. in fine:* & oppoſitum ſine fundamento dici teſtatur *Suarius in dicta diſp. 55. ſect. 3. pag.* 1135. *col. 1. A*; quare non recipit id, quod *docuit diſp. 21. ſect. 2. pag. 347. col. 1. B*; vbi aſſeruit oppoſitam ſententiam eſſe probabilem. Nam quod in cõtrarium adducitur, eius reliquias non apparere, vim non habet, cum eas in terris fuiſſe ſatis comprobetur teſtimonio Cæleſtini Papæ, Cõcilij Epheſini, & D. Chryſoſtomi: ex quibus habemus eas abſque dubio Epheſi fuiſſe. Quod verò ibi iam non ſint, & vbi illæ ſint, certò nõ appareat, ſolùm infert, eas aliquo caſu perijſſe, aut in alium locũ nobis ignotum eſſe tranſlatas.

Cõcil. Epheſin. — *Chryſoſt.* — Quod non ſurrexerit. — *Abul.* — *Suarius.*

QVÆSTIO V.

De Cauſa reſurrectionis.

1\. Continuatio cũ præcedentibus.

IVXTA ordinem poſitũ in præfatione huius libri. quinto loco agendum eſt de cauſa reſurructionis. Cũ verò quatuor ſint cauſarũ genera: de materiali, & formali (corpore. ſ. & anima; ex quibus componitur, qui reſurgit) nihil agendum eſt; quia de illis latè agemus in ſecundo libro cum ſequentibus. Quare agendum eſt de cauſis extrinſecis, efficienti, ſcilicet, & finali, quibus adiungemus cauſam exemplarẽ; cum verò cauſa efficiens ſit multiplex; quia vna eſt principalis, alia inſtrumentalis; vna eſt phyſica, alia moralis, qualis eſt cauſa meritoria, & impetratoria; de omnibus his cauſis efficientibus agendũ eſt. Cum verò plura ſint, quæ in reſurrectione poſtulent efficientem cauſam (nam ad eam congregabuntur cineres mortuorum: diſponentur corpora debitis diſpoſitionibus, vt à ſuis animabus informentur; & tandem fiat vnio ſubſtantialis animarum cum ſuis corporibus, ex quarum vnione mortui reſurgent) de horum ſingulorum cauſis efficientibus ſpecialiter dicemus. Quibus explicatis, diſputabimꝰ de cauſa exemplari, ad cuius exemplar mortui reſurgent; & conſequenter dicemus de cauſa meritoria, & impetratoria reſurrectionis. Et tandem agemus de cauſa finali illius.

Plures igitur in hac quæſtione excitabuntur articuli. Primus inquiret, an ſolus Deus ad reſurrectionem ſe ſolo, & immediatè concurrat? Secundus indagabit effectum tubæ, & vocis, quam mortui audient. Tertius explicabit, à quonã colligantur cineres corporum, ex quibus mortuis ſint reſurrecturi? Quartus, à quonam corpora reſurrectura, & efformentur, & diſponantur ad animas? Quintus; à quo efficienter fiat vnio animarum cum ſuis corporibus? In ſexto diſputabimus de cauſa exemplari reſurrectionis. In ſeptimo; de cauſa meritoria, & impetratoria illius. In vltimo tandem dicemus de cauſa finali totius reſurrectionis.

Articuli excitandi.

ARTICVLVS I.

An ſolus Deus ad reſurrectionem ſe ſolo immediatè concurrat? an verò ſimul cum eo concurrant Chriſtus Dominus; Angeli, & alia?

IN hac quæſtione præmittendum eſt in ea ſolum inquiri de cauſa efficiente phyſica etenim cauſa meritoria, atque impetratoria non poteſt conuenire Deo: phyſicam autem poteſt Deus exercere, aut immediatè ſe ipſo; aut mediãte aliqua cauſa ſecunda, principali, vel inſtrumẽtali. Inquiritur igitur, an Deus reſurrectionem ſe ipſo immediatè ſit effecturus, an verò mediante aliqua cauſa ſecunda principali, vel inſtrumentali?

1\. De qua cauſa inquiratur.

Ra-

Ratio dubitandi. Rationem dubitandi facit; quia plures Theologi ſimpliciter docent, ad mortuorum reſurrectionem ſolum Deum immediatè concurrere, & nullum aliud agens cum eo. Ita ſimpliciter ſcribit *Abulenſis tom.7.in Matthæum c.25.q.612.pag.211. col.4.* Alij tamen oppoſitum docent, affirmantes, & Chriſtum Dominum ad reſurrectionem efficienter eſſe concurſurum, & Angelos, & nonnulla alia inſtrumenta. *Abulenſis*

2. Præmiſſ. Pro reſolutione præmittendum eſt, reſurrectionem ſumi poſſe, vel propriè, vel latè. Propriè ſumitur pro ipſa mortui viuificatione; quæ fiet per vnionem animæ cum proprio corpore, ex qua mortuus reſultat viuus. Latè verò ſumitur pro omnibus, quę ipſam corporis animationem præcedunt, vt benè aduertit *Abulenſis tom.6.in Matthæum c.22.q.233.fol.86.col.2.§.Dicendum.* *Abulenſ.* Quæſtio igitur propoſita duobus modis intelligi poteſt: vno modo, de reſurrectione propriè ſumpta, & in hoc ſenſu de ea agemus in 5. articulo. Altero modo poteſt intelligi de reſurrectione, prout includit omnia, quæ corporis, & hominis viuificationem præcedunt; & de ea in hoc ſenſu agemus in art. 2.3.& 4. Nunc aliquas ſtatuemus generales concluſiones.

3. In quo ſenſu agitur in hac quæſt. 1.concl. Sit prima concluſio: *Si ſermo ſit de reſurrectione ſumpta pro omnibus, quæ hominis viuificationem, eſſentialemque reſurrectionem præcedunt; non ſolus Deus immediatè efficiet reſurrectionem: etenim ad plura eorum concurret Chriſtus Dominus, & concurrent Angeli ſimul cum voce, & tuba, vt ſtatim videbimus.*

4. 2.concl. Secunda concluſio; *An Deus ad aliquid reſurrectionis immediatè concurret? poteſt eſſe quæſtio.* Probatur; quia in articulo 5. videbimus, controuerſum eſſe, an vnionem animæ cum corpore, & ipſam hominis reſurgẽtis viuificationem ſolus Deus ſe ipſo immediatè efficiat? an verò ad eã etiam concurrat Chriſtus, vt homo? nam ad eam nec Angelos concurrere, nec tubam, aut vocem communis docet opinio, vt oſtendemus in d.art. 5.

5. 3.concl. Tertia concluſio: *Omnino concedendum eſt, Chriſtum Dominum eſſe cauſam efficientem reſurrectionis noſtræ: an verò ad omnia efficienter debeat concurrere? controuerſum eſt.* Hæc poſterior pars aſſertionis, diſcutietur in 5. art: prior autem pars ab omnibus recipitur: omnes enim docent, Chriſtum Dominum, tùm ſua virtute, tùm miniſterio Angelorum aliquid in reſurrectione effecturum. Ita *Theologi in 3.d.21.agentes de reſurrectione Chriſti; & in 4.diſt.43.dum agunt de generali reſurrectione: docet D.Thomas 3.p.q.56.art.2.vbi Caietanus, & Medina concl.3: idem D.Thomas in 4.in d.diſt.43.q.1.art.2. quæſtiunc.1.& in 4.contra gentes cap.78.vbi Ferrarienſis. Docent Theologi communiter in 4. diſt.43. vbi D.Bonauentura art.1.q.6. Sotus q.1.art.4. Abulenſis tom.6.in Matthæum c.22.q.225.fol.76.col.2. Suarius 2.tom. ad 3.p. diſp.50.ſect.4.pag.596.col.1.§.Principio igitur, & Valentia tom.4.diſp.11.q.4.puncto 2.pag.1935.* vt innumeros alios omittamus. Vtrùm verò Chriſtus Dominus ſit cauſa principalis in ſuo genere; an verò ſolum inſtrumentalis? dicemus in 5. art: quòd verò in ordine ad aliquos effectus immediatè non concurrat, ſed miniſterio Angelorũ; dicemus art.2.3.& 4.

D. Thom. Caietan. Medina. Ferrar. D.Bonau. Sotus. Abulenſis Suarius. Valentia.

6. 4. concl. Quarta concluſio: *Certum eſt Angelos ad plura miniſterialiter concurſuros fore.* De hac latiùs agemus in art. 2. 3. & 4: nunc ſatis ſit teſtimonium Pauli 1. ad Theſſal. 4: *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo.*

7. 5.concl. Quinta concluſio: *Ad reſurrectionem, vocem, & tubam aliquid eſſe operatura; dubitari non poteſt.* Sed de hoc latiùs dicemus in ſequente articulo.

8. Vltima concluſio. Sexta, & vltima concluſio: *Vtrùm præter explicatas cauſas ennumerandum etiam ſit ſacratiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum? non immeritò inquiri poteſt.* Fundamẽtum eſt; quia nonnulli Patrum hanc etiam cauſam ad alias adiungunt, quos refert, & probat *Valentia in d. puncto 2. vbi ſuprà:* *Valentia.* etenim *Irenæus lib.5.cap.2. expreſsè affirmat, quod ſicut lignum vitis depoſitum in terra ſuo fructificat tempore; & granum tritici decidens in terram, & diſſolutum multiplex ſurgit; ſic & noſtra corpora ſanctiſsima Euchariſtia nutrita, & repoſita in terram. verbo Dei reſurrectionem eis donantem in gloriam Dei Patris.* *Irenæus.* Iuuant, quæ ſcribunt, tùm Nyſſenus in orat. Catechetica c. 37. *Nyſſenus.* tùm etiam Cyrillus Alexand. lib. 10. in Ioannem c. 13. *Cyrillus.* Et ſatis id videntur confirmare verba Chriſti Ioannis 7: *Qui mã-*

ducat

ducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Quæ verba ſatis explicant, Chriſtum Dominum ſpeciali modo ſuſcitaturũ eos, qui ſanctam ſumpſerunt Euchariſtiam: ſed ſumentes eam ideo in ſe habere vitam, quia habent promiſionem æternæ vitæ in reſurrectione corpori reddendæ. Pia eſt concluſio: ſed hæc cauſa non omnibus erit generalis, ſed ſolis fidelibus adultis. Et fortè non omnibus; ſed ijs ſolis, qui ſacram Euchariſtiam ſpeciali deuotione, & feruore frequentant.

ARTICVLVS II.

Quinam futurus ſit effectus tubæ, & vocis, quam mortui audient?

1. Audienda eſt vox Xpi Domini. *Ioan. 5.*

QVòd in die futuræ reſurrectionis audiẽda ſit vox Chriſti Domini, expreſſe ſcribitur Ioan. 5: *Amẽ, amen dico vobis; quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocẽ filij Dei.* Et ſtatim: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumẽtis ſunt audient vocẽ eius.* Quos locos de voce audiẽda in die iudicij omnes explicãt; ſaltem ſecũdum locũ, in quo generaliter agitur de omnibus mortuis: vbi vel præteritũ ponitur ꝓ futuro; vel in eo agitur non de tẽpore præſenti, ſed de præſenti ętate mũdi, quæ eſt extrema. Paulus etiã vocis meminit 1. ad Theſſalon. 4: *Quoniã ipſe Dominus in voce, & in iuſſu Archãgeli.* *1. Theſſ. 4.* Vocis etiam mentio fit Matt. 24: *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna.* *Matt. 24.* Ex quo etiam loco colligitur, in eodem die audiendam eſſe tubam, de qua etiam *1. Cor. 15.* Paulus 1. Corinth. 15: *In nouiſſima tuba: canet enim tuba*: & 1. ad Theſſalonicenſ. 4. *Quoniam ipſe Dominus in voce, & in iuſſu Archangeli, & in tuba Dei.*

§. 1.

An vox filij Dei: vox Archangeli: & tuba Dei pro eodem ſumantur?

2. Quæſtio. An voces ſint diſtinctæ?

DVbitari tamen poteſt; an vox filij Dei, de qua Ioannis 5: & vox Archangeli, de qua 1. ad Theſſal. 4. & tuba, de qua Matt. 24. & 1. Corint. 15. & 1. ad Theſſalon. 4. ſint vnum, & idem? an verò vox filij Dei ſit alia à voce Archangeli, & à voce tubę? Voces iſtas eſſe alias, & alias nonnulli docuerunt: inter quos *Valentia,* eſt *Valentia in d. punct. 2. pag. 1926. lit. D.* *§. Et ſi non deſint*: probabile id putat *Sotus in 4. diſt. 43. q. 1. art. 4. pag. 404. col. 1. §. Et ideò reſpondendum eſt.* *Sotus.*

3. Quod vox ſit vna.

Cõmunior tamen explicatio omnes iſtas voces putat eſſe vnam vocem: quam opinionem ex recentioribus probarunt *Suar. in d. diſp. 50. ſect. 4. pag. 996. col. 1.* *Suarius.* *Cornelius à Lapide in 1. ad Theſſal. 4. verſ. 16.* *Cornelius.* *ad illa verba: In voce Archangeli, & in tuba Dei, pag. 736. col. 2. ſatis Tolet. in c. 5. Ioãn.* *Toletus.* *ad illa verba, nolite mirari, p. 236. col. 1. Et ſatis conſentit D. Thom. ibidẽ lect. 5. & 1. ad Corint. 15. lect. 8. & 1. ad Theſſal. 4. lect. 2.* *D. Thom.* *& Abul. tom. 6. in Matth. c. 22. quæſt. 226. pag. 77. col. 2.* *Abulenſ.* *nec diſplicet Soto vbi ſuprà pag. 404. col. 2. in princ.* Et eſt cõmunior explicatio inter interpretes: ita explicãt *Cyrillus lib. 2. in Ioan. c. 145.* *Cyrillus.* *Rupertus Abbas lib. 5. in Ioan. in præcitata Chriſti verba:* *Rupertus.* *& Euthymius in eadem c. 7.* *Euthym.* *Ambroſius, & Anſelmus in præcitatis Pauli locis: in quibus etiam ſatis inſinuant Chryſoſt. Theodoretus, & Oecumenius citati à Suario*: *Ambr. Anſelm. Chryſoſt.* pro qua etiã poteſt citari *Hieronymus epiſt. 152. ad Minerium*, dum explicat, vnam, & eandem vocem appellari tubam, clamorem, & vocem filij Dei. Pro hac ſententia non ſine probabilitate expendit Suarius; quoniam ſicut vox filij Dei (de qua Ioãnis 5.) ponitur, vt illius efficacia mortui ſuſcitentur; ita etiam Paulus ad eoſdẽ ſuſcitandos ponit tubam, & vocem Archangeli. *Fundamentum.* At non eſt veriſimile, quòd duæ, aut plures voces ſimul ponantur ad vnum, & eundem effectum, ad quem quælibet illarum eſt ſatis. Ergo vox, de qua loquitur Chriſtus, & de qua agit Paulus, eſt una, & eadem.

§. 2.

An voces illæ futuræ ſint ſenſibiles?

4. 1. opinio.

DVbitari etiam poteſt; an voces illæ, atque tubæ debeant eſſe ſenſibiles? plures volunt, hæc omnia nõ eſſe accipienda in ſenſu proprio, & literali, ſed per metaphorã, vt idem ſit, Chriſtum in voce, & in tuba deſcendere ad iudicium, quòd ſe ipſum, ſuamque præſentiam, & efficaciam mundo demonſtrare. Quam explicationem refert, & non improbat *D. Thomas 1. ad Corint. 15. lect. 8. & in 4. diſt. 43. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2.* *D. Thom.* vbi eam confirmat ex verbis Gregorij aſſerentis, *tubam in illis locis nihil aliud deſignare, quàm præſentiam Chriſti mundo manifeſta-* *D. Greg.*

feſtatam; quæ dicitur tuba; quia ſua maieſtate, & efficacia omnibus erit manifeſta: nam in hoc etiam ſenſu accipitur tuba Matt. 6. *cum dicitur; Quando facis eleemoſynam noli tuba canere*; id eſt, noli eam manifeſtare, vt omnibus innoteſcat. Quare authores huius explicationis negant, aut Chriſtũ, aut Paulum agere de voce, ac tuba ſenſibili. ¶ Alij volunt vocem, & tubam nõ accipi pro voce, aut tuba ſenſibili; ſed pro voce ſpirituali: in quo ſenſu vox, & tuba aliquo modo ſumũtur metaphoricè: quã explicationem etiam refert *D. Thomas in locis citatis*, nec eã improbat. Dupliciter autem probant, nec vocem, nec tubam ſumi pro ſenſibili tuba, aut voce. Primò; quia Chriſtus docet, quod mortui audiẽt vocem filij Dei, vt patet Ioannis 5: iam verò mortui non poſſunt vocem ſenſibilem audire; benè tamen vocem ſpiritualem. Deindè; quia vox ſenſibilis non poteſt audiri in vniuerſo mundo: cum tamen vox de qua Chriſtus, & Paulus in vniuerſo orbe audietur.

Matt. 6.

5. Quod futura ſit ſenſibilis.

At tamen quòd illa vox futura ſit ſenſibilis, ſimiliter & tuba, affirmãt ferè omnes illorum locorum interpretes: imò *Sotus in d. q. 2. art. 4. §. Haud tamen inter interpretes* putat non eſſe de hac opinione ambigendũ. Illam eſſe certam exiſtimat *Suarius in d. ſect. 4. pag. 996. col. 2. §. Nihilominus, quod dixi; & eandem probat Ianſenius in d. c. 36. ſuæ Concordiæ ad illa verba, Nolite mirari, pag. 236. col. 2. in principio, & Cornelius à Lapide loco citato in d. verſ. 16. n. 32. Eandem ſententiam probat Abulenſis in d. tom. 6. ad c. 22. Matthæi q. 226. pag. 77. col. 3. G. & ſine dubio potiùs placuit D. Thomæ 1. ad Corint. 15. lect. 8. & in Ioannem c. 5. lect. 5.* Et hæc explicatio Patribus ſimpliciter placet: ita *Hieronymus epiſtol. 61. ad Pamachium, dum ait, audient auribus, & procedent pedibus*: ſatis Chryſoſt. homil. 38. in Ioannem, dum ait, *orbem terrarum Chriſti voce reſurrecturum*: & ſatis *Gregor. lib. 17. Moralium cap. 21.*

Sotus. Suarius. Ianſen. Cornelius. Abulenſ. D. Thom. D. Hier. Chryſoſt. D. Greg.

6. Fundamentum.

In illius confirmationem plura adduci poſſunt: præcipuum tamen fundamentum eſt; quia verba Scripturæ ſunt accipienda in propria ſignificatione, ſi nihil obſtat: iam verò tantùm abeſt, vt aliquid obſtet, ea verba accipi pro voce, & tuba ſenſibili, vt ferè omnia ſuadeãt, vt ita accipiantur: nam Chriſtus venturus eſt viſibilis; ad homines viſibiles: & ad iudiciũ ſenſibile, vt patet. Cur igitur ſigna, & inſtrumẽta talis iudicij nõ erunt ſenſibilia? maximè cum illa ſuas operationes exercere debeant circa ſenſibilia; nimirum ad cõgregandos cineres; ad excitandos homines, ad illos deterrendos; deniq; ad intimandum illis Dei imperiũ: cum tamen non omnes poſt reſurrectionẽ valeant intelligere independenter à corpore, vt de damnatis ſuo loco dicemus. Quare cũ hęc omnia ſuadeant, has voces, & tubas futuras eſſe ſenſibiles, non eſt, quod illæ, aut metaphoricè accipiãtur, aut ſpiritualiter. His accedit, quoniam cætera loca ſacræ Scripturæ, quæ de vltimo iudicio agunt, ſenſibiliter explicantur: illud enim Mat. 25. *Media nocte clamor factus eſt; ecce ſponſus venit, exite obuiam ei*, ſicut de tempore ſenſibili intelligitur, & de ſenſibili aduentu ſponſi, ita etiam intelligendum eſt de clamore ſenſibili, quo virgines dormientes excitabuntur. Illud etiam Iob. 26. *Quis poterit tonitruũ magnitudinis illius intueri?* de tonitruo, ſonoque ſenſibili intelligit D. Gregor. vbi ſuprà: ſicut etiam de ſenſibili clangore, & tuba intelligit illud Sophoniæ 1. *Iuxta eſt dies Domini, dies tubæ, & clangoris*: & illud Pſalmi 49. *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit*; quæ verba explicat de Chriſto ad iudiciũ veniente: qui ſicut veniet corporaliter manifeſtus; ita etiã non ſilebit, ſed vocem ſenſibilẽ emittet, tùm proferendo ſententiam, tùm Angelorũ miniſterio imperãdo iudiciũ. Denique pro hac ſententia facit, quòd Chriſtus eos, quos ſuſcitauit, ſuſcitauit emiſſa voce ſenſibili: Lucæ. 7. *Adoleſcens tibi dico, ſurge*: Marci. 5. *Puella tibi dico, ſurge*: Ioãn. 11. *Lazare veni foras*. Prætereà Matthæi. 8. emiſſa voce ventis imperauit, & ſæpiſsimè Dœmonib⁹, vt è corporibus exirent. Quę omnia ſuadent, tubam, & voces, de quibus agimus, futuras eſſe non ſpirituales, ſed ſenſibiles. Vt omittamus, quòd verba Pauli, nullo modo accõmodari poſſunt, vt ſignificẽt pręſentiæ Chriſti manifeſtationẽ: quod ſatis oſtendunt verba illa 1. *Corint.* 15. *In momento; in ictu oculi, in nouiſsima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent*: etenim illa verba, *in nouiſsima tuba*, denotant præceſſiſſe alias tubas, & voces, per quas non ſatis accommodatè intelliges, ipſorũ Ange-

Matt. 25. Iob. 26. Sophon. 1. Pſal. 49. Luc. 7. Marc. 5. Ioan. 11.

7. *1. Cor. 15.*

Angelorum præſentias: illa etiam parentheſis *Canet enim tuba*, habet emphaſim longè alienam à præſentia Chriſti: quis enim dubitauit de præſentia Chriſti, ſi non dubitauit de aduentu eius ad iudicium? quare illa repetitio cantus tubæ aliquid habet myſterij ad confirmandum Chriſti aduentum. Illa etiam verba 1. ad
1. *Theſſ.* 4. Theſſalon. 4: *quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo*, ſatis conuincunt, per iuſſum vocem, & tubam accipi non poſſe Chriſti præſentiam: etenim vox illa dicitur eſſe Archangeli. Quare ſi vox ibi ſignificat præſentiam; vtique nullam aliã ſignificabit, niſi ipſius Archangeli. Quæ
Confirmatio. omnia euidenter confirmantur, ſi mortuorum reſurrectio, & eorum iam viuentium congregatio in valle Ioſaphat debet præcedere deſcenſum Chriſti de cœlo ad iudicium: hoc enim ſuppoſito manifeſtè conuincitur, verba citata non ſignificare præſentiam Chriſti, eiuſque manifeſtationem: etenim per illam vocem, & tubã imperabitur mortuis, vt reſurgant, vt ſtatim dicemus: fiet igitur illa vox, & tuba ante corporalẽ Chriſti deſcenſum. Quomodò igitur illa erit ipſa manifeſtatio corporalis Chriſti præſentiæ?

8. Ad 1. Quæ verò obijciuntur, facilè explicãtur. Ad 1. inferius explicabimus, quomodò mortui vocem illam audituri ſunt. Ad
Ad 2. 2. dicimus, cineres mortuorũ ex omnib⁹ orbis partibus adducendos eſſe ad locum iudicij, id eſt ad vallem Ioſaphat. Adducẽtur autem ad illum locum, non quidẽ virtute vocis, ſed miniſterio Angelorum; & ad eos iam ibi congregatos dirigetur vox illa reſurrectionis imperatiuæ, vnde non eſt opus, vt in toto orbe audiatur, ſed in ſolo loco iudicij: nec eſſet impoſsibile eã in vniuerſo orbe audiri; cum non propria virtute ad totum orbem extenderetur, ſed diuina.

§. 3.
Vtrùm illa vna vox ſit ore Chriſti proferenda?

9. An proferẽda ſit à Chriſto data? INquiri etiã poteſt, an illa vna vox, quã admittimus, futura ſit vox à Chriſto immediatè prolata? an verò ab Archangelo? eſt enim de hoc nõnulla cõtrouerſia. Quidã volunt, eam ab ore Chriſti Dñi immediatè proferẽdã: ita ſignificat *Abul.* tom. 6. *in Matt. c.* 22. *q.* 226. *pag.* 77. *col.* 3. vbi aſſerit, ita nõnullos ſenſiſſe: & ita tenentur dicere, qui vocẽ filij Dei Ioan. 5. diſtinguũt à voce Archãgeli: ita exiſtimauit *Valẽt. to.* 4. *diſp.* 11. *q.* 3. *pũct.* 2. *p.* 1936. §. *Quæ Chriſti vox, & Angel. de la Paz lib.* 9. *in Symbol. ar.* 7. *c.* 32. *pag.* 676. *col.* 2. *D. E.*
Quod ſi ta ab illo proferẽda. Abul. Valent. Angelus.

10. Alia opinio. Quod tamen vox illa nõ ſit ex Chriſti ore ꝓmenda; ſed ab Archangelo iuſſu, & imperio Chriſti formanda, probãt cæteri omnes. *Ita Sotus in* 4. *diſt.* 43. *q.* 1. *art.* 4. §. *Vtrũ verò vocẽ, pag.* 403. *col.* 2. & *Suar.* 2. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 50. *ſect.* 4. §. *Ex quo vlteriùs, pag.* 998. *col.* 2. *in princip. conſentiunt Toletus in c.* 5. *Ioannis ad illa verba*: *Nolite mirari, pag.* 483. *in com. Ianſenius c.* 36. *ſuæ concordiæ ad eadẽ verba, pag.* 236. *col.* 1. *ad finẽ*: *Cornelius à Lapide* 1. *ad Theſſ.* 4: *verſ.* 16. *n.* 32. *pag.* 737. *col.* 1. §. *Nota quartò*, Sotus. Suar. Toletus. Ianſen. Cornelius.
Fundamentum. quod ex eo probatur, quia non congruit cũ Chriſti maieſtate, vt per ſe ipſum talẽ vocẽ edat; cũ id potiùs ad præconem, miniſtrumq; ſpectet, quã ad Dominũ: deinde id colligitur ex verbis Matt. 24. *Mittet filius hominis Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos.* Iam Matt. 24. verò vnica tantùm vox admittitur, imperans reſurrectionem; cum in illis verbis Angeli mittendi ſint à Chriſto cũ tuba, vt ipſa voce tubæ electos cõgregent; profectò vox illa nõ poteſt eſſe immediatè à Chriſto prolata. Quod etiã cõuincitur; ſi
Aliud fundamentũ. Chriſtus nõ eſt è cœlo deſcẽſurus, niſi ſuſcitatis mortuis, & in vnũ ad iudicium cõgregatis, quod ſatis indicãt prçcitata Matthæi verba, & inferiùs dicemus: namiſto modo idem ordo ſeruabitur in ſecundo Chriſti aduentu, qui ſeruatus fuit in primo: quare cũ in primo præmiſerit Ioãnẽ Baptiſtam, tanquam tubã ad præparãdos homines ad gratiã; ita in ſecũdo præmittentur Angeli ad ſuſcitandos, & congregandos homines ad iudiciũ. Deniq; Paulus 1. *ad Theſſal.* 4. teſtatur, vocem illam 1. *Theſſal.* 4. eſſe vocẽ Archangeli: iam verò licet vox Archangeli dici poſsit vox Dei, & Chriſti; quia illam profert ad iuſſum Chriſti, & Dei; non tamen vox propria Chriſti dici poteſt vox Archangeli. Quare admiſſa vna tantũm voce; non poteſt cum probabilitate dici vocem illã ab ore Chriſti promendam eſſe: dici autem vocem filij Dei; quia iuſſu illius fit per Archangelum, tanquam per miniſtrum.

§. 4.

An præter illam nouiſsimam vocem, & tubam aliæ ſint admittendæ?

11. De ſeptem tubis Apoc. 8.& 9.
SEptem tubas dandas eſſe ſeptem Angelis ſcribitur Apocalypſis 8. & 9: ſex priores antecedent ipſum iudicium: quia illis plagæ magnæ toti terrarũ orbi inducentur: ſeptima autem tuba canet in ipſo iudicio: vnde tuba illa conſumabitur mundi finis, vt dicitur *Apocalypſis 10.n.7. ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tuba canere, conſumabitur myſterium Dei*; quia omnes reſuſcitabuntur, vt iudicentur, & vt Chriſtus traddat regnum Patri. Vnde tuba ſeptimi Angeli dicitur nouiſsima 1. *Corint.* 15. Quare

(Tuba 7. Angeli eſt nouiſsima.)

1.Cor.15. in die iudicij vna tantùm erit vox, & vna tuba; ad cuius ſonum omnia miniſteria fient; quia ad illam congregabuntur cineres in loco iudicij, & fient cætera, quæ facienda ſunt, quod etiam ſentit *Suar. in d. ſect.4.pag.999.col.2. §. Rurſus verò.*

12.
Si inquiras, vtrùm vox illa debeat eſſe dearticulata, & ſignificatiua? affirmatiuè reſponderi ſolet cũ *Soto in d.art.4.p.403. col.2.§. Hinc maximè: probat Suarius in d. diſp.50.ſect.3.pag.997.col.1.§. Vnde vlterius.* Id ſatis cõfirmatur authoritate Chryſoſtomi 1. *ad Theſſal.homil.8.& Theophylacti ibidem ad illa verba capitis quarti: in iuſſu, & in voce Archangeli*: quorum ille ſcribit, vocem illam futuram eſſe hanc: *reſurgant mortui*: iſte verò iſtã ponit: *Apparate vos omnes; iudex enim præſtò eſt.* Quidquid de hoc ſit; illud certum eſt, hãc vocem eſſe ſignificaturam imperiũ Chriſti, vt mortui reſurgant, & ad iudicium veniant: quę erit iſta: *Surgite mortui; venite ad iudicium.* Quod ſatis colligi põteſt

(Sotus. Suarius. Chryſoſt. Theophyl.)

Ioan.5. ex verbis Chriſti Domini Ioãnis 5: *Mortui audient vocem Filij Dei*: iam verò vox filij Dei Chriſti hominis non debet eſſe tantùm ſonus per aerem emiſſus, ſed erit dearticulatus, & ſignificatiuus ipſius iuſſionis, & imperij: & ideò Paul. 1. *ad Theſ-*

1.Theſſ.4. *ſalon.4. dixit: In iuſſu, & in voce Archangeli*: quia vox illa erit ſignificatiua eius, quod videtur: nam ipſa ſignificatione virtutem habebit ad producendum effectũ, qui fieri iubetur; ſicut verba ſacramentorum nouæ legis ratione ſignificationis habent virtutem producẽdi gratiam, quã ſignificant. Non negarem tamen (ſicut nec Sotus negat vbi ſuprà pag. 404. col. 1.§. *Et ideò reſpondendum*) ex illa voce relinqui in aere ſonitum vehementem, & ſtrepitum terribilem ad incutiẽdum terrorem ijs, qui ſuſcitantur. 13. Alia quæſt.

Si rurſus inquiras; vtrùm Archangelus voces illas dearticulatas emittat, mediante tuba, tanquam inſtrumento? an verò ipſa dicatur tuba? Reſpondebo vtrũq; dici poſſe: nam quòd ipſa vox ab Archan- 1. opinio.
gelo emiſſa dicatur tuba; ſatis ſignificat *D.Thomas in d.cap.4. 1. ad Theſſalonicenſ. & ſatis innuunt Anſelmus, & Oecumenius in eodem loco*, & eſt communis explicatio. Sed accommodatiſsimè dicet; qui cũ Anſelmo in ſuo Elucidario dixerit, Archangelum in corpore aereo aſſumpto vſurũ eſſe inſtrumento corporeo ad modum tubæ ex aere confecto; quam ſentẽtiam, vt probabilem ſequitur *Suarius in d. diſp.50.ſect.4.pag.997.col.2. in fine*, & mihi admodum placet; hoc enim modo ſeruabitur vſus communis inter homines etiã in lege veteri obſeruatus: ſolet enim tuba anteire imperatorem in ſignum regiæ maieſtatis, maximè cum ad bellum exit: tùm ad cõuocandos milites; tùm ad mouenda caſtra; tùm denique in ſolennitatibus: eodem igitur modo Archangelus Michael tuba ex aere formata præibit, imperium, & iuſſum Chriſti omnibus denuntians: etenim Chriſtus Dominus veniet veluti ad bellum; quia prælium erit contra inſenſatos, vt dicitur Sapient. 5. veniet ad conſilium iudicij, vt patet: deniq; veniet ad ſolennitatẽ vitę ęternę, Luc.14.
Lucæ 14. & 22. & 22.

(Alia opinio melior.)

§. 5.

De effectu huius vocis per tubam emiſſæ.

SVpereſt explicare, quomodò hæc 14. Opinio quorundam.
vox Archãgeli Michaelis ad reſurrectionẽ concurret? nec enim de hoc inuenio omnes conſentientes. Quidã volunt, vocẽ tubæ propriè loquendo ad reſurrectionẽ nihil agere: quia cum illa ſit miraculoſa, nõ poteſt fieri, niſi immediatè à Deo: agere tamen ad eam nomine actionis largè ſumpto: quia. ſ. tuba illa deſeruiet ad quẽdam reſurrectionis apparatũ, & ſolennitatem. Ita *Abulenſis 6. tom. in* Abulenſ.
Matthæum cap.22.q.226. poſt princip. pag. 77. col.2. ad finem, & col.4. litera H.

Sed profectò negari non poteſt huic 15. Alia opin.
voci aliqua efficientia; non ſolùm moralis, quatenus ad eius poſitionem ſequitur effe-

effectus (quam Abulenſis illi non negat) ſed etiam phyſica, de qua agimus: id enim & Patres docent; & verba Chriſti. & Pauli ſatis inſinuant. Quòd id inſinuent verba Chriſti, & Pauli, facilè quis colliget ex illis verbis Ioannis 5. *Mortui audient vocem filij Dei, & procedent in reſurrectionem vitæ*: & ex verbis Pauli 1. Corinth. 15: *Canet enim tuba, & mortui reſurgent.* Quod verò id doceant Patres, conſtat ex *Diuo Hieronymo in regula monachali cap. de timore vltimi iudicij: ex Hypolito in oratione de conſummatione mundi: ex Origene apud Euſebium in apologia pro eo: ex Chryſoſtomo homil. 8. in epiſt. 1. ad Theſſalonicenſes: ex Euthymio in Matthæum cap. 13. & 24. & in Ioannem cap. 7. Ex Theologis ita Toletus in Ioannem cap. 5. ad illa verba: & mortui, qui in monumentis ſunt, &c. Suarius in d. diſp. 50. ſect. 4. pag. 1002. col. 1. vt alios omittamus; cum quibus eſt. D. Thomas in 4. diſt. 43. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2: quæ opinio latiùs cõfirmabitur ex dicendis inferiùs art. 4. & 5.*

Ioan. 5. Hieron. Hypol. Chryſoſt. Euthym. Tolet. Suarius. D. Thom.

ARTICVLVS III.

A quonam colligentur cineres mortuorum?

1. A quo colligentur cineres?

Collectionem cinerum mortuorũ præcedere illorum reſurrectionẽ, indubitatum eſt; ſiue mortui omnes ſuſcitandi ſint in valle Ioſophat, ſiue in eodem loco, vbi ſepulti fuerunt; ſiue denique in eo loco, vbi maior, & præcipua pars cinerum cuiuſque iacuerit: de quo diſputabimus inferiùs q. 7: etenim in quocunque loco ſurrexerint; in eo prius cineres cuiuſque cõgregandi ſunt, quàm quiſque illorum reſurgat: nam cineres ſingulorum non in vno erunt loco, ſed in diuerſis. Opus eſt igitur, vt cineres cuiuſque prius colligantur, & reponantur in eo loco, vbi quiſque eſt ſurrecturus. Quarè meritò inquiritur, à quonam illi cineres ſint colligendi?

2. Vnica concluſio.

Ad hanc quæſtionem vnica cõcluſione reſpondendum eſt: *Congregatio cinerũ fiet quidem Chriſti Domini imperio; miniſterio tamen Angelorum.* Hæc apud omnes eſt indubitata. Eam in terminis ponit *Suarius in d. diſp. 50. ſect. 4. §. Dico ergo ſecũdo, pag. 999. col. 1. Valentia 4. p. diſp. 11. q. 3. puncto 2. pag. 1937. A. B. C. Sotus in 4. diſt. 43. q. 1. art. 4. paulò ante finem, §. Quo autẽ Angelorum: Abulenſis tom. 6. in Matthæũ c. 22. q. 227. col. 3. in principio, latiſsimè id probat ibidem q. 233. fol. 86. col. 1. & 2: eã ponit D. Thomas in terminis in 1. ad Theſſal. 4. lect. 2. §. Vt autem oſtendat*: & quia res eſt indubitata ab aliorum citatione ſuperſedemus. Aduertimus tamen Suarium citare Auguſtinum, Greg. & alios Patres, quaſi id doceant de collectione cinerum: cum tamen de ea nihil dicant: ſed ſolùm doceant, Deum hæc inferiora per ſuperiora, ſpiritusque Angelicos adminiſtrare: id enim docet *Auguſt. 3. de Trinit. c. 4. & Greg. lib. 4. Dialogorum c. 5.* Ex quo poteſt ſumi argumentum, quod in operanda reſurrectione mortuorum, etiam vtetur Angelorum miniſterio: quod in his terminis docent *Chryſoſt. homil. 8. in 1. ad Theſſal. & Theophylactus, atque Oecumenius, & alij Græci in eadem epiſt. c. 4.* ad illa verba, *in iuſſu, & voce Archangeli.*

Suarius. Valentia. Sotus. Abulenſis D. Thom. Auguſt. Gregor.

Ex qua doctrina benè poteſt inferri, Angelos in colligendis his cineribus Deo eſſe adminiſtraturos: & teſte Valẽtia ſatis id confirmari poteſt ex verbis Domini Matthæi 24: *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum*: nam ſi electi ab omnibus mundi partibus miniſterio Angelorum congregandi ſunt: congregari autem nequeunt, niſi prius congregentur eorum cineres; profectò etiam illi miniſterio eorum congregabuntur. Quod magis confirmabitur, ſi electi ſuſcitandi ſunt in valle Ioſaphat; non vero in locis, vbi iacent eorũ pulueres: hac enim opinione poſita non poſſunt electi Angelorum miniſterio ab omnibus mundi partibus congregari, niſi ratione ſuorum cinerum. 3. Confirmatur ex Mat. 24.

Si inquiras; an omnium mortuorum, iuſtorum, & iniquorum cineres à ſanctis Angelis ſint colligendi? dubitari poteſt: rationẽ dubitandi faciunt præcitata verba, *& congregabunt electos.* Ob quæ verba nõnulli non putant eſſe improbabile dãnatorum cineres non à bonis Angelis colligendos eſſe, ſed à malis. Ita ſcribunt Sotus in d. art. 4. ad finem, & Suarius in d. ſect. 4. §. *Dico ergo ſecundo, pag. 999. col. 2. poſt principiũ*: etenim nõ eſt improbabile, quod ſeparatio malorũ de medio iuſtorũ de qua *Matth. 13.* ita fiat, vt boni Angeli ſepa-

4. Optima quæſt. Ratio dubi. Soti opini.

Oppoſitũ placet. ſeparent electos ad manũ dextram; mali verò iniquos ponant ad ſiniſtram. Ego tamen oppoſitum puto eſſe dicendũ; quòd eſſe veriſimilius, teſtatur *Suarius; & pro* Suar. *nobis adeſt Ianſenius in cap. 23. ſuæ Concor-* Ianſen. *diæ ad præcitata verba Matthæi 24. & latè* Abul. *Abul. tom. ſexto ad cap. 24. Matth. q. 186.* Et confirmatur authoritate Euthymij ad eadem verba Matthæi cap. 57. in ſuo ordine. Fundamentum ſumo ex eo, quòd longè probabilius puto, Angelos inſtrumentaliter cõcurrere, tùm ad diſpoſitiones neceſſarias, vt anima corpus informet: tùm ad ipſam animæ cum corpore vnionem, ſiue reſurrectionem, de quo dicemus inferiùs. Iam verò non eſt veriſimile, quod dœmones ſumantur à Deo, vt inſtrumenta ad malos ſuſcitandos.

5. Porrò ſi dœmones, nec ad vnionem animæ cum corpore, nec ad corporis diſpoſitionem, & organizationem debent, vt Dei inſtrumenta cooperari; profectò, nec etiam cooperabuntur ad collectionẽ cinerum: maximè, quia illa ſine ſupernaturali virtute fieri non poterit, vt ſtatim patebit. ¶ Nec huic reſolutioni obſtant Ad obiectionem. verba adducta ex cap. 24. Matthæi; quia ibi agit cum electis, ſuadẽs illis, ne timeãt: cum ab Angelis honorificè ſint congregandi, vt habes ex Abulenſi vbi ſuprà: vide etiam Ianſeniũ *vbi ſuprà p. 849. col. 1. in principio.* Ad illud verò, quod Sotus adducit de ſegregatione malorum de medio Segregatio malorum à bonis à quo fiet? bonorum, dicimus oppoſitum colligere *Euthymium vbi ſuprà ex verbis Chriſti, Mat-* Euthym. thæi 13. *Mittet Dominus Angelos ſuos,* Ianſen. *& colligent de regno ſuo omnia ſcandala:* & Abulenſ. ibidem iterum idem docet Euthymius c. 24. iuxta ſuum ordinem, & docet Ianſenius vbi ſuprà, & latè probat Abulenſis loco citato. Si verò quis obijciat, non decere, vt boni Angeli malos ſuſcitatos ex vltimis finibus terræ portent ad locum iudicij; facilis eſt reſponſio, ſi ſoli cineres ad locum iudicij ſunt deferendi: porrò ſi oppoſitum ſentis, dicam nihil eſſe abſurdi, ſi mali iuſſu & imperio Chriſti à bonis Angelis deportentur: etenim hæc actio bona eſt & boni finis gratia: ob quam rationem non conuenit Angelis malis; quibus ſola torſio committitur, vide Abulenſem.

Si rurſus inquiras; quis nam ſit iſte
6. Anchangelus, qui tuba canet? plures reſpondent hoc eſſe incertum, & hæc fuit Suarij ſententia in d. ſect. 4. pag. 998. col. 2. ad finem. Sed communior ſententia affirmat, hunc Archangelum eſſe Michae- Quis ſit Archangelus. lem, quod tanquam probabilius docet *Sotus in d. art. 4. in fine, & Valentia in dicto* Sotus. *puncto ſecundo, pag. 1937. §. In hoc toto mi-* Valent. *niſterio: quod etiam ſentit Abulenſis in dicto* Abulenſ. *tom. 6. q. 225. ad cap. 22. Matthæi ad 2. arg.* D. Thom. *pag. 78. col. 3. & ſatis explicat D. Thomas in 4. diſt. 43. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 2. & eſt cõmunis Theologorum:* etenim Michael eſt princeps militiæ cœleſtis, quæ expugnauit Luciferum cum toto ſuo exercitu; cuius victoriæ præcipuus effectus non ſolùm poſitus eſt in vltima malorum expugnatione cum Lucifero deſcendentium in infernum, ſed etiam in victoria bonorum contra Luciferum reportata in via. Vnde Michael fuit princeps Michael princeps ſynagogæ, & Eccleſiæ. ſynagogæ, *Iſaiæ. 10. & Daniel. 12.* & eſt princeps Eccleſię Catholicæ: vnde exiſtimatur dux Angelorum, qui animas cuſtodiunt, quorum miniſterio cineres congregabuntur: Gabriel autem licet fuerit nuntius primi aduentus; non proinde erit ſecundi, cum ſecundus ad præmium, coronamque victoriæ inſtituatur; fiet enim, vt vnuſquiſque referat, prout geſſit in corpore ſuo.

7. A quibus Angelis colligentur cineres. Si iterum quæras; vtrùm cineres à ſolo Archangelo, qui tuba canet, ſint colligẽdi? an verò illorum collectio miniſterio aliorum Angelorum ſit facienda? cõmunis ſolutio eſt, quod fiet miniſterio inferiorum Angelorum, quibus Archangelus à Chriſto Domino dux eſt conſtitutus. Quare, Archangelo imperante, mediante tubæ ſonitu, inferiores Angeli ad congregandos cineres per vniuerſum orbem diſpergentur, atque diſcurrent: ita communiter Theologi, inter quos eſt *Sotus in d. art. 4. in fine, & poſt eum Suarius* Sotus. *in d. ſect. 4. pag. 999. col. 2. §. Rurſus verò* Suarius. *inquiri poteſt.* Et ex eo etiam confirmabitur; quia Matthęi 24: *Dominus mittet An-* Matt. 24. *gelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos;* igitur plures erunt Angeli in hac cinerum collectione miniſtraturi. Cum verò miniſtrent ad vocem tubæ; & vna tantùm ſit tuba, qua Michael vtetur; vtique ad vocem Michaelis Angeli inferiores diſpergentur ad colligendos cineres: quod etiam docet Anſelmus in

8. in ſuo Elucidario. ¶ Addunt nonnulli, ſatis eſſe veriſimile, quòd Angeli cuſtodes hominũ hanc collectionem faciant; ita vt ſinguli colligant cineres eorum, quorum curam geſſerunt; quod placuit *D. Thomæ vbi ſuprà, & Abulẽſi vbi ſuprà, & docet Suarius in dicta ſectione quarta, pag.* 1000. *col. 2. poſt principium,* quanuis Abulenſis ad c. 24. q. 185. putet ex omnibus ordinib⁹, qui ſolẽt mitti in aliquod miniſteriũ, aliquos eſſe mittendos. Addit Anſelmus in loco citato, Angelos, qui ad congregandos cineres diſpergentur, ſuas etiam geſtaturos tubas, & vocibus aclamaturos. Sed hoc non ſatis eſt certum, vt aduertit Suarius in d. pag. 999. col. 2. lit. C. quia Paulus vnius tantùm tubæ in hoc iudicij die mentionem facit 1. Corinth. 15. & 1. ad Theſſal. 4. accedit etiam, quia Matthæi 24. Angeli cum vna tuba ad cõgregandos electos mittuntur. Et quanuis plures præceſſerunt tubæ Apocalypſis 8. & 9. in die tamen iudicij vna tantũ futura eſt ſeptimi Angeli; quod ſatis colliges ex Chryſoſtomo homil. 8. in 1. ad Theſſalonicenſes: ex Oecumenio 1. Corint. 15: & ex Origene apud Euſebium in apologia pro eo.

Quod fiet ab Angelis Cuſtodib.

An iſti Angeli deferẽt tubas?

9. Poteſt adhuc quæri; quanam virtute Angeli miſſi cineres congregabunt, nam Anſelmus in ſuo Elucidario, & 1. ad Theſſalonic. 4. ſcribit, eos in hoc miniſterio virtute ſupernaturali fore operaturos. Oppoſitum ſcribit *Suarius vbi ſuprà in d. pag. 999. col. 2. litera C.* affirmans hanc collectionem non eſſe efficiendam, aut per ſonum tubæ, aut per efficientiam vocis, aliamvè ſupernaturalem actionem; ſed per naturalem virtutem Angeli, qua poteſt cineres illos de loco ad locum mutare, & congregatos ad locum iudicij deferre. At tamen, ſicut Anſelmus non negat, in illorum cinerum collectione aliquid fieri naturali Angelorum virtute; ita nec doctiſsimus Suarius negat, ibi dandam fore aliquam ſupernaturalem actionem. Quare ſi ſermo ſit de ſola translatione cinerum de loco ad locum, nulla erit neceſſaria virtus ſupernaturalis, & miraculoſa; quia ad id ſatis eſt virtus motiua naturalis Angeli: nec enim admittendum eſt, Angelos, qui ad colligendos cineres mittuntur, eos colligere per vocem tubæ (hoc enim modo non poteſt non admitti virtus ſupernaturalis in illo tubæ ſonitu ad transferendos localiter cineres) ſed eos colligere, & mutare per propriam, & naturalem motiuam virtutem.

Qua virtute congregabunt. Anſelmi opinio. Alia Suarij

Authoris ſententia.

10. Porrò ſi ſermo ſit de cognitione ipſorum cinerum, & qui nam proprij ſint cuique corpori; negari non poteſt, neceſſariam eſſe ſupernaturalem reuelationẽ: etenim Angeli naturaliter ſcire non poſſunt, vbi ſint omnes mortuorum cineres; nec ſub qua forma exiſtant: ſicut etiam naturaliter non poſſunt cognoſcere, qui nam cineres ſint huius hominis, & qui illius: indigent igitur ſupernaturali reuelatione: licet enim nonnulli ex illis fortè naturaliter poſsint cognoſcere hos cineres fuiſſe ſub anima huius hominis, & illos eſſe in tali loco, vt Suarius aduertit: id tamen non eſt omnibus Angelis concedendum; ſic vt nec omnibus concedendũ eſt, quòd omnium cineres naturaliter diſcernant: quare & ad hoc reuelatione ſupernaturali indigent: ſicut etiam non eſt admittendum, Deum in illorum arbitrio relinquere, vt materiam, quę diuerſorum hominum fuit, tribuant, cui voluerint: ſicut etiam non eſt illorum arbitrio relictum, vt quando materia, quæ fuit in vno homine non eſt ſufficiens ad formandũ corpus in ea quantitate, in qua eſt excitandum, eam ſuppleant, vnde voluerint: quare ad vtrumque indigent reuelatione diuinæ voluntatis. Concludendum eſt igitur in collectione cinerum, quædam fieri virtute naturali ipſorum Angelorũ, quædam verò indigere diuina virtute in ſenſu explicato.

Ad quæ ſit neceſſaria reuelatio.

11. Illud aduertendum eſt cum Abulenſi *in Matthæum c. 22. q. 233. tom. 6. fol. 87. col. 1. in principio;* quod Angeli non ſolùm colligent cineres, ſed eos diuident, & reſoluent: nam cum aliquæ partes de corporibus humanis ſint in corporibus aliarum rerum, & in eiſdem ſint mixtæ cum alijs partibus, quę in aliquo humano corpore nunquam fuerunt; oportet, quod Angeli reſoluant illa corpora, vt inde accipiant, illos tantùm cineres, qui fuerunt de corpore illius hominis, cuius cineres colligunt: facta autem hac reuelatione, quòd illi cineres ad tale corpus pertineant, Angeli ipſi propria ſibi virtute reſolutionem illam efficient.

Aduertẽtia ex Abulenſi.

12. Supereſt explicare; vtrùm hæc cinerũ

collectio fiat in inſtanti; an verò in tempore? rationem dubitandi facit Paul. 1. Corinth. 15. *in momento, in ictu oculi: in*
Vera opinio *nouiſsima tuba, & mortui reſurgent.* Dicendum tamen eſt, collectionem cinerum, cum debeat fieri per motum localem, nō poſſe non fieri in tempore; quia vel motus localis, nec per diuinam potentiā poteſt fieri in inſtanti, vt verior habet opinio: vel ſi poteſt; cum talis motus non poſsit in inſtāti fieri, niſi per miraculum; ad miraculum autem non ſit recurrendū, vbi nulla vrget neceſsitas; non eſt, quòd dicamus hanc cinerum collectionem fieri in inſtanti; cum ad id nulla vrgeat neceſsitas. Vnde hæc eſt recepta omnium ſententia, de qua latiùs agemus in nona quæ-
Abulenſ. ſtione, vbi explicabimus verba *Pauli citata* in oppoſitum; vide interim *Abulenſem in dicto quæſt.* 233 *fol.* 86. *col.* 4. §. *De iſta collectione.*

ARTICVLVS IIII.

A quonam corpora reſurrectura efformētur, & diſponantur ad ſuas animas recipiendas.

1. Diſpoſitiò cinerum. COllectis Angelorum miniſterio cineribus, in illis efformanda ſunt corpora ſingulorum mortuorum, & diſponenda, vt cū ſuis animabus vniri poſsint: diſponuntur autem cum ex illis cineribus ita efformatur partium diſsimilariū organizatio, vt ex his cineribus fiat caro, ex illis autē oſſa, ex alijs verò nerui, & ſic de cæteris, & denique, vt omnes, iſtæ partes debito, & naturali ordine inter ſe connectantur, vſque dū detur perfecta corporis organizatio, quę ſit vltima diſpoſitio ad introductionem animę. De hac igitur completa, & vltima corporis diſpoſitione, inquirimus, à quonam fiat?

Plura ſunt inquirenda. In qua quæſtione plura ſunt inquirēda. Primum eſt, an hæc corporis organizatio, & efformatio fieri poſsit aliqua naturali virtute? Secundum eſt; ſuppoſito, quòd neceſſaria ſit virtus ſupernaturalis, an illa â ſolo Deo immediatè fiat? an mediante aliquo inſtrumento? Tertio loco inquiri poteſt, vtrum Chriſtus Dominus tanquam Dei inſtrumentum efficienter concurrat ad hāc organizationē? Quartò adhuc dubitari poteſt; an Angeli ad eam inſtrumentaliter concurrant? Vltimum dubium erit; quomodò, & quo ordine fiat iſta organizatio?

§. 1.

Hæc corporis organizatio virtute naturali fieri non poteſt.

QVòd ex collectis cineribus, virtute naturali nullo modo poſsit fieri talis corporis organizatio; indubitatum eſt: etenim nec fieri poteſt actione alicuius hominis, alteriusve corporei agentis: nec alicuius Angeli. Non quidem actione hominis, alteriusve agentis corporei; quia nec homo, nec aliud corporale agens poteſt naturaliter organizare corpus, vt recipiat animam rationalē, niſi mediante ſemine humano poſito in matrice fœminę, vt patet: hæc autem organizatio fiet immediatè à cineribus, in quos corpus reſolutum eſt, abſque vllo humano ſemine, & vlla fœminæ matrice. Et eadem ratione non poteſt fieri ab aliquo Angelo: quia Angelus in his inferioribus nihil poteſt facere, niſi applicando actiua naturalia naturalibus paſsiuis: iam verò nullum datur actiuum naturale huius organizationis, niſi humanū ſemen, nec datur naturale paſsiuum illius, niſi materia ſub forma ſeminis ſub anima vegetatiua; & tandem ſub anima ſenſitiua. In illis autē cineribus nullū datur humanum ſemen, vt diximus. Quare Angeli virtute ſua naturali non poterunt materiam illorum cinerum organizare, vt apta ſit, & vltimatè diſpoſita ad recipiendam animam. Illa igitur organizatio, & efformatio corporis humani ex illis cineribus fieri non poterit, niſi virtute ſupernaturali, & diuina. In quo omnes conſentiunt. Vide *Richardū in* 4. *diſt.* 43. *art.* 5. *q.* 2. *Scotum q.* 5. *litera B. Durand.* *q.* 4. *n.* 6. *Sotū q.* 2 *ar.* 3. §. *Congregatis illis particulis.* *Richard. Durand. Sotus.*

2. Non poteſt fieri virtute naturali.

§. 2.

Organizatio illa non fiet immediatè à Deo; ſed mediante aliquo inſtrumento.

QVòd illa corporum organizatio poſsit fieri immediatè à ſolo Deo, nullus vnquam, aut dubitauit, aut dubitare poterit; cum id nullā inuoluat contradictionem: vnde ſicut Deus

3. Poteſt immediatè fieri à Deo.

Deus ex terra potuit Adam formare, & ex oſſe Euam, quæ efformatio ſine organizatione corporis fieri non poteſt; cum anima ex ſua natura ſit actus corporis organici ex Ariſtotele in libris de Anima; ita etiam ex cineribus poterit hominem reformare, cuius reformatio corporis organizationem prærequirit.

4. In quo eſt difficultas. Tota dubitatio eſt; an Deus organizationem iſtam faciet immediatè ſe ipſo; an mediante aliquo inſtrumento? Rationē dubitandi fecit *Abulenſis tom. 7. in Matth. ad cap. 25. q. 612. pag. 211. col. 4. F.* vbi ſcribit ad reſurrectionem mortuorum nullū aliud agens cum Deo concurrere, ſed Deū immediatè ſe ipſo eam operari: *& idem ſentit tom. 6. in Matthæum cap. 22. q. 226. poſt principium pag. 77. col. 2. D.* vbi generaliter ſcribit; reſurrectionem, quia miraculoſa eſt, non poſſe immediatè fieri, niſi à ſolo Deo: idem igitur dicet de formatione corporis, cum & illa miraculoſa ſit: & in terminis de corporis organizatione idem ſcribit *ad dictum cap. 22. q. 233. §. Secundū erat formatio. f. 87. col. 1. B. vbi in hæc verba: Cineribus collectis, ſequitur formatio corporis: & iſta fit in inſtanti; quia à Deo immediatè fit.* Cum Abulenſi conſentit *Scotus in 4. diſt. 43. q. 5. §. De ſecundo dico litera B.* vbi ſimpliciter affirmat hanc efformationē corporis immediatè fieri à Deo. Huius opinionis fundamentum nullum aliud ponit Abulenſis, niſi quia hæc corporis efformatio eſt miraculoſa: miracula autem immediatè fiunt à Deo, *ita in d. q. 226. pag. 77. col. 2. D.*

Opinio Abulenſis. Scotus.

5. Non admittitur hæc opinio. Hæc tamen opinio non eſt admittenda: tùm; quia fundamentū nihil habet efficaciæ; quia opera miraculoſa poſſunt fieri à Deo mediante inſtrumento: nam gratiā producit mediante ſacramento, vt cauſa illius inſtrumentaria, vt ex Tridentino Concilio ſupponimus: tùm etiam; quia negandum nō eſt Chriſtum Dominum, vt homo eſt, operaturum eſſe reſurrectionem generalem humanitate ad eam concurrente, vt inſtrumento diuinitatis, vt contra eundem Abulenſem in ſequenti articulo latius dicemus, vbi illius mentē diligentius, & explicabimus, & impugnabimus. Quare ſi Chriſtus vt homo ad ipſā formalem reſurrectionem, vnionem ſcilicet animæ ad corpus acti[illegible] eſt cooperaturus, vt inſtrumentum Dei principalis agentis; vtique ad corporis efformationem, & organizationem actiuè etiam cooperabitur: & per conſequens Deus eam non faciet immediatè ſe ſolo, quæ eſt reſolutio tertij dubij.

§. 3.

Archangelum tuba canentem ad corporis organizationem inſtrumentaliter concurrere, eſt probabile.

Tota difficultas eſt; an Archangelus, qui tuba canet, ad corporum organizationem, & efformationem cum Deo inſtrumentaliter concurrat? Quòd nullus Angelus, vt inſtrumentum ad eam concurrat, in terminis ſcribit *Suarius in dicta diſp. 50. ſect. 4. pag. 1000. col. 2. §. Dico tertio*, vbi aſſerit, voluntariè, & ſine fundamento dici, quòd Angelus, vt inſtrumentum eleuabitur ad iſtam corporum organizationem. Fundamentum ex eo ſumit: quia alioquin Angelus, vt inſtrumētum Dei etiam efficeret ipſam reſurrectionem; eadem enim eſt vtriuſque ratio: hoc autem putat eſſe abſurdum. 6. Optima q[illegible] Opinio Suarij. Fundamēt.

Deinde ita argumentatur: vel Angeli efficiunt totam organizationem vſq; ad vltimam diſpoſitionem neceſſariam ad vnionem animæ; vel eorum actio ceſſat paulò ante diſpoſitionem vltimam. Si primum dicatur; ſequitur eos efficere reſurrectionem hominis; ſicut homo generat hominem diſponendo materiam. Secundum verò perſe eſt improbabile; & voluntarium: cur enim illa peruenit ad talem terminum, & non vltra progreſſa eſt? aut vnde hoc conſtat? cū tota actio à principio in ſuo modo ſit ſupernaturalis. 7. 2. Ratio.

Confirmari etiam poteſt, quia omnes Theologi negant, Angelos concurrere ad hanc corporis efformationem: ita colliges ex *Richardo in 4. diſt. 43. art. 5. q. 2. & clariùs ex Scoto ibidem quæſtione 9. litera B. §. De ſecundo dico; & Durando q. 4. num. 6. Soto q. 2. art. 5. §. Congregatis illis particulis pag. 416. col. 1. & ex Abulenſi in dicta q. 233. pag. 87. col. 1. §. Secundum erat formatio corporum.* 8. Confirmat. *Richard. Scotus. Derand. Abulenſ.*

Ego tamen puto non ſine fundamento dici poſſe Archangelum, qui tuba canet (quem eſſe Michaelem iam diximus) ad corporum organizationem cōcurrere 9. *Authoris ſent.*

tan-

tanquam Dei miniſtrum, idque mediante illa voce; *ſurgite mortui, venite ad iudicium*: etenim non ſine fundamento dicitur, hunc Archangelum mediante illa voce inſtrumentaliter concurrere ad vnionem animæ cum corpore, & ſubinde ad eſſentialem reſurrectionem. Cuius opinionis fundamentum in ſequenti articulo latiùs explicabimus. Hoc autem ſuppoſito fundamento, argumenta Suarij nullam habent vim: nam primum ſumit, tanquam abſurdum, quod ſatis eſt probabile, vt in ſequenti articulo oſtendemus.

Ad argu. Suarij. Ad 1.

Ad ſecundum verò dicendum eſt, Archãgelum iſtum tuba canentem, & reſurrectionem imperantem inſtrumẽtaliter efficere totam organizationem, vſque ad vltimam diſpoſitionem, neceſsitantem ad introductionem animæ; & ſubinde inſtrumentaliter efficere ipſam reſurrectionẽ: & in hoc diſtingui ab homine generante: homo enim generans illam vltimam diſpoſitionem efficit, vt cauſa in ſuo ordine principalis; cum tamen Archangelus illam efficiat, vt cauſa inſtrumentalis.

10. Ad confirmationẽ.

Nec contra iſtam opinionem docent Richardus cum cæteris, quos in confirmatione adduximus: quoniam illi ſolũ negant, Angelos virtute ſua naturali efficere hanc corporis organizationẽ, ſicut naturaliter efficiunt collectionem cinerũ: id, quod nos etiam negamus; vnde nõ negant Angelos ad illam organizationem inſtrumentaliter concurrere: exceptis tamen Scoto, & Abulenſi, qui cum velint, ſolum Deum ad eam immediatè concurrere, ex conſequenti negant, Angelum aliquem concurrere, vt inſtrumentum.

11. Quid de alijs Angelis.

Quod dicimus de Archangelo tuba canente, dicemus etiam de alijs Angelis, ſi cum Anſelmo ſinguli cũ tubis ad colligẽdos cineres mittuntur, vt in illis, ad quas mittuntur, Mundi partibus, tubæ clangore imperent reſurrectionem. Sed ſuperius diximus in illo iudicij die vnam tantum futuram eſſe tubam ſeptimi Angeli: hac enim ſuppoſita opinione (quæ verior eſt) Angeli, qui ad colligendos cineres mittuntur, in ſola cinerum collectione miniſtrabunt, non vero in corporum efformatione.

§. 4.

Quomodo; & quo ordine fiet hæc corporum organizatio, & efformatio.

IN hac quæſtione vnum reſtat dubium haud facilis explicationis: quomodo; & quo ordine fiet hæc corporum organizatio, & efformatio? pro explicatione præmittendum eſt, in naturali hominis generatione hunc ordinem ſeruari: quia materia ſub forma ſeminis primũ defertur ad vterum fœminæ, & ibi alteratur, & diſponitur condenſatione, rarefactione, & alijs modis, vt apta ſit organizari, & diſtingui per partes eterogenias, & diſsimilares; & ita efformari, vt ſubſtantialiter ſit corpus, quod eſt altera pars viuentis. 13. Dubiũ difficile.

Quomodo autẽ efformetur in corpus eſt controuerſũ inter Doctores; quidã volũt, alterationẽ iſtam, & organizationẽ immediatè terminari ad formã corporeitatis quã ponũt in viuẽte realiter diſtinctã ab anima & ad hãc primò, & immediatè terminari alterationẽ ſeminis, qua materia ſubſtantialiter organizatur, & fit corpus aptum, vt anima vegetatiua actuetur; & hęc eſt opinio Scoti, & plurimum aliorum. *Quomodo corpus efformatur varię opinionem.*

14. Alij non admittunt hanc corporeitatis formam; ſed ponunt in viuente plures formas ſubſtantiales, partiales tamen; quas appellant mixtas, & tot eas ponunt, quot ad animam ſunt neceſſariæ; voluntque per has materiam organizari, & fieri corpus immediatè ſuſceptiuũ animæ: vnde docent alterationem ſeminis immediatè terminari ad iſtas partiales formas. Porrò, qui vnam tantum ſubſtãtialem formam admittunt, volunt materiam formaliter organizari per ipſam animam vegetatiuam, vt eſt forma coporis, & per eam efformari in corpus, & ita fieri immediatè copacem animæ vegetatiuæ. Vnde alteratio illius, quatenùs erat ſub forma ſeminis immediatè terminatur ad animam vegetatiuam ſecundum gradum corporeitatis ſubſtantialis. Genito embrione ſub forma viuentis, materia illa vlterius diſponitur, & perfectius organizatur, donec organizatio fiat vltima diſpoſitio ad recipiendam animam ſenſitiuã: genito verò embrione ſenſitiuo materia affecta anima ſenſitiua vlterius adhuc diſponitur meliori, & perfectiori organizatione: quæ cum peruenerit, vt ſit vltima diſpoſitio ad recipiendam animam rationalem, generatur homo.

15. His ita præmiſsis inquirendum eſt; an iſte ordo ſeruãdus ſit in reſurrectione hominum

minum ex cineribus? In quo illud eſt certum per formationem corporis corrumpi formam cineris; ſicut in naturali generatione per organizationem corporis corrumpitur forma ſeminis. Deinde certiſsimum eſt, collectionem cinerum ad locum, in quo homo eſt reſurrecturus, antecedere organizationem, & efformationem corporis ex cineribus. Vnde ſicut in generatione naturali delatio ſeminis ad vterũ matris neceſſariò debet præcedere, tùm alterationem ſeminis, tùm organizationem, & efformationem corporis; ita etiam delatio cinerum ad locú, in quo futura eſt reſurrectio, neceſſariò præcedet organizationem, & efformationem ipſorum corporum. Tertio loco certiſsimum eſt, in illa corporum organizatione illum ordinem ſeruandum eſſe, qui in generatione naturali hominis ſeruatur; ita vt organizatio corporis (ſub quacũq; illa fiat forma) præcedat animationem vegetatiuam: organizatio vero ad animã ſenſitiuam præcedat ſenſitiuam animationem. Denique organizatio ad animam rationalem præcedet vnionem illius animæ cum ſuo corpore.

Quæ certa ſit.

16. Dubitari tamen poteſt; an hæ prioritates ſolum ſint naturæ; an temporis? ita vt ſicut in generatione naturali hominis illa omnia fiunt in tempore per varias generationes, & corruptiones; ita etiam in reſurrectione hæ prioritates ſint temporis, & non ſolius naturæ. Ratio dubitandi eſſe poteſt; quoniam eodem modo facienda eſt hæc efformatio corporum in generali hominum reſurrectione, quo facta eſt efformatio corporis primi hominis: nam ſicut hæc facta eſt ex puluere terræ; ita etiam reformatio facienda eſt cinere eiuſdem terræ. Iam vero prima hominis formatio habuit temporis prioritates. Ergo & reformatio per reſurrectionem eaſdem habebit. Maior eſt nota, minor probatur: quoniam Auguſtinus facilè admittit, Angelos ad formationem primi hominis aliquod præſtitiſſe miniſterium, *vt patet ex lib. 9. de Geneſi ad literam cap. 15.* & quanuis ibi affirmare non audeat, quale nam fuerit illud miniſterium; nonnulli tamen docuerũt, eos collegiſſe puluerem; compegiſſe materiam eamque in ſpeciem, & ſimilitudinem humani corporis conformaſſe, atque figuraſſe; & tandem Deum eam ita diſpoſitã & figuratam viuificaſſe inſpirando in eã inſpiraculũ vitæ, animam ſcilicet rationalem. Nonnullos ita docuiſſe refert *Benedictus Pereira lib. 4. in Geneſin q. 2. ante finem: vbi q. 4.* refert nonnullos Patres, qui putant corpus primi hominis priùs tempore formatum eſſe, quàm anima illi fuerit infuſa: cum vero non ita ſint exponẽdi, vt prius tẽpore fuerit perfectè efformatum, & vltima diſpoſitione diſpoſitum (quia hæc ſimul eſt cú anima, vt vera docet philoſophia) in eo ſenſu explicabuntur, vt ideo dicatur priùs tempore efformatum; quia illius efformatio facta eſt in tempore: vnde idem *Benedictus Pereira in dicta q. 4. pag. 418.* non prohibet opinari, corpus primi hominis ſecundum aliquas diſpoſitiones fuiſſe prius tempore formatum, quàm animatum; & deinceps ita obſeruatum eſſe in naturali cuiuslibet hominis generatione. Porrò ſi formatio corporis primi hominis facta eſt in tempore; cur in tempore non fiet eiuſdem corporis reformatio? vnde nonnulli (vt Suarius refert) docuerunt prius cineres ab Angelis congregandos eſſe; deinde formanda oſſa ex illis, & interſe coniũgẽda: tertio loco connectenda eſſe per neruos, & carne, & cuti cooperienda; & tandem vniendam eſſe animam. Confirmari poteſt hæc opinio; quia nihil cogit, vt dicamus, corporis efformationem, & organizationem futuram eſſe in inſtanti: nam illa verba Pauli 1. Corint. 15: *In momento, in ictu oculi, &c.* optimè explicantur de tempore breuiſsimo, & ferè imperceptibili, vt inferiùs dicemus: & ſatis conuincunt illa verba: *in ictu oculi*: ictus enim oculi non fit in inſtanti; ſed in tempore imperceptibili; vnde optimè declarãt præcedentia illa verba *in momento*, non eſſe explicanda de inſtanti indiuiſibili, ſed de tempore imperceptibili.

In qua eſt dubitatio.

Ratio dubitandi.

Quorundã opinio.

Pereira.

17.

Non improbatur corporis diſpoſitiones prius etiã fuiſſe.

Confirmatio.

18. His tamen non obſtantibus, dicendum eſt, in vltima reſurrectione, efformationem, & organizationem cuiuſque corporis futuram eſſe in inſtanti indiuiſibili; & ſubinde prioritates illas, quas aſsignauimus futuras eſſe naturæ, & non temporis: licet enim Deus poſſet illas omnes generationes facere in tempore; vt anima vegetatiua materiam cinerum priùs informaret; deinde vegetatiua, & tandem rationa-

Oppoſitum eſt verius.

rationalis, qua homo reſurgeret; non tamen decuit, vt hanc hominis reſurrectionem ita faceret: & ratio eſt; quia productio hominis; quæ ex ſubiecto non viuente in inſtanti fit, ex ſuo producendi modo eſt perfectior, quia arguit ipſum agẽs ſua virtute actiua vincere totam reſiſtentiam ſubiecti, ex quo producendus eſt homo: & ex conſequenti arguit, poſſe tale agens immediatè producere vltimam diſpoſitionem primò incompoſsibilem cum forma contraria corrumpenda: & ex conſequenti arguit, poſſe agens illud ex tali ſubiecto hominem in inſtanti producere; quod enim nullo reſiſtente fit, in inſtanti fit: nam ex defectu huius virtutis agens naturale non poteſt ex ſemine, etiam poſito in matrice mulieris immediatè generare hominem: imò nec etiam poteſt immediatè generare embrionem viuentem vita vegetatiua; quia ſcilicet nõ poteſt ſua actiua virtute totaliter vincere totam reſiſtentiam, quæ eſt in forma ſeminis, ne expellatur à materia, quam informat: & ideò indiget, vt alteratione ſucceſsiua per ſuam qualitatem illi contrariam ſucceſsiuè vincat reſiſtentiam contrariæ qualitatis, qua forma ſeminis in materia conſeruatur, donec poſsit in talẽ materiam introducere ſuam qualitatem in gradu primo incompoſsibili cum forma ſeminis, & primo neceſsitante ad animam vegetatiuam. Ex eodem virtutis defectu non poteſt ex ſemine immediatè producere hominem, niſi mediante generatione embrionis cum anima vegetatiua; & ideò ex ſemine immediatè non poteſt generare; niſi viuens vegetatiuum; quia diſpoſitiones, quæ primò ſunt incõpoſsibiles cum forma ſeminis, non ſatis ſunt ad introducendam animã rationalẽ; imò nec ſenſitiuam; ſed ſolam vegetatiuã.

Ratio cur non decuit hæc fieri in tempore.

Cur agens naturale nõ poſsit in inſtanti generare.

19. Ex eiuſdem virtutis defectu habet, quod ex embrione vegetatiuo non poſſit immediatè generare ſenſitiuum; quia, ſ. ſua virtute generatiua ſenſitiui non poteſt vincere totam reſiſtẽtiam animę vegetatiuæ, ne expellatur à materia: & ideò indiget, vt alterando, & ſua virtute organizando materiam ad recipiendam animam ſenſitiuam, ſucceſsiuè vincat reſiſtentiam vegetatiuæ, quouſque poſsit producere organizationem primò incõpoſsibilem cum anima vegetatiua, & primo connaturalem animæ ſenſitiuæ: & quia talis organizatio non ſatis eſt ad animam rationalem, ſed ſoli animæ ſenſitiuæ eſt connaturalis: nec poſsit ſimul vincere illius reſiſtentiam; ideò indiget tertia alteratione, qua ſucceſsiuè talem reſiſtentiam vincat, dònec poſsit introducere organizationem primò incompoſsibilem cum anima ſenſitiua, & primò connaturalem cum intellectiua. Ex quibus patet, hominem ex eo non poſſe alium hominem immediatè generare ex forma ſeminis; quia habet virtutem inſufficientem ad vincendam totam reſiſtentiam, tùm ſeminis, tùm animæ vegetatiuę, tùm denique ſenſitiuæ: nam ſi haberet virtutem, qua totam reſiſtentiam ad introductionem rationalis animæ poſſet ſimul vincere, profectò poſſet in inſtanti abſq; prædictis alterationibus præcedentibus hominem immediatè generare ex ſemine: nam ob hanc rationem in vltimo alterationis inſtãti hominem generat; quia in illo inſtanti nullam iam inuenit reſiſtentiam, quam non ſuperet; & ob hanc rationem poteſt in inſtanti producere diſpoſitionem primò incompoſsibilem cum forma contraria corrumpenda; & primò connaturalem cum anima rationali introducenda.

Ex qua veriſsima Philoſophia iam infertur ratio, cur Deus ex quocunq; ſubſtantiali ſubiecto poſsit aliam quamcunq; ſubſtantiã in inſtanti, & immediatè producere: ratio enim eſt, quoniam cum virtus infinita Dei omnem cuiuſcunque cõtrarij reſiſtentiam vincat, poteſt in inſtãti, & abſque vlla præuia alteratione producere vltimam diſpoſitionem, primò incompoſsibilem cum forma corrumpenda; & primò connaturalem cum forma, quam vult producere. Cum verò hic producendi modus ſit perfectiſsimus, ideò Deus eo vtitur in producendis ſubſtantijs, quas immediatè ſe ſolo vult producere: eo enim vſus eſt in productione primi hominis, quem ex puluere produxit: etenim cum non in tempore produxit, ſed in inſtanti, vt dicemus in ſolutione rationis dubitdi. ã Et eodẽ modo vſus eſt in formatione Euæ ex oſſe: & denique in formatione corporis Chriſti ex puris Virginis ſanguinibus, vt in materia de Incarnatione latiùs oſtendimus. Quare eodem

20. Ratio cur Deus poteſt in inſtanti ſubſtãtiã producere.

eodem productionis modo vtetur, in productione, & organizatione corporũ ex cineribus in generali reſurrectione, in qua Deus vult ſuam oſtendere omnipotentiam.

21. Deus poteſt ſ. cineres in inſtant.

Dicimus igitur Deum in illa efformatione corporum, quæ futura eſt in reſurrectione, ſua infinita virtute poſſe immediatè producere in materiam cinerum vltimam diſpoſitionem ad animam rationalem; quæ ipſa ita eſt primò connaturalis ipſi animę, & ad eam neceſsitans, vt ſit primò incompoſsibilis, non ſolùm cum forma illorum cinerum; ſed etiam cum anima, aut vegetatiua, aut ſenſitiua, ſi quælibet illarũ in tali materia præfuiſſet. Vnde producendo hanc organizationem, & effectiuè vnit animam corpori, & effectiuè corrumpit formam cinerum: nam iſto modo in vtero Virginis efformauit corpus Chriſti Domini corrũpendo formam ſanguinum, vt in materia de Incarnatione diximus: & eodem modo corpus Adami formauit ex terra; in qua efformatione nulla prior tempore præceſsit alteratio; ſed ipſa perfecta organizatio (quæ erat vltima diſpoſitio ad animam rationalem primò incompoſsibilis cum forma pulueris) in inſtãti fuit à Deo producta, & facta vnio animæ cum corpore. Quæ eſt cõmunis ferè omnium Theologorũ ſentẽtia, vt ſupponimus; quam probauit *Pereira in d. lib. 4. in Geneſim q. 4. & pro ea refert Nyſſenum in lib. de homine cap. 29. & 30. & Damaſcenum lib. 2. de Fide c. 12. & Auguſtinum in lib. de Geneſi contra Manichæos c. 8. & D. Thomam 1. p. q. 91. & eam nititur deducere ex verbis Geneſis 2. n. 8. formauit Deus hominem ex limo terræ;* quæ ſatis arguunt, corpus hominis non prius tempore formatum eſſe, quàm eſſet anima rationali informatum.

Pereira. Nyſſenus. Damaſc. Auguſt. D. Thom.

22. Ad rationẽ dubitandi.

Quare in ratione dubitandi ſuperiùs adducta, ſumitur id, quod eſt negandum. Quomodò autem ſint explicandi illi Patres, qui in contrarium adducuntur, non eſt huius loci explicare: nunc ſatis ſit, quod ideò corpus ab illis dicitur prius formatum, quàm anima: quia prius natura in genere cauſæ materialis formatum eſt corpus, quàm anima ſit illi infuſa: Ad id verò, quod adducitur in confirmationem, dicimus, verba Pauli verè non cogere, vt dicamus, formationem corporis

Ad confirmationem.

futuram eſſe in inſtanti; ad id tamen cogit, quòd Deus illam corporum efformationẽ faciet productione perfectiſsima, qualis eſt illa, qua tota paſsi reſiſtentia totaliter vincitur. Quod verò attinet ad opinionem, quam refert Suarius, cum eodẽ dicimus, authores illius multis modis errare: errant enim, dum ſentiunt, Angelos omnia illa facere virtute ſua naturali, quod ſuperiùs impugnauimus: deinde errabunt, ſi velint, Deum Angelos in inſtrumenta aſſumpturum ad illa operanda, modò ab eis explicato; quia talis operatio commentitia eſt, & omnino fictitia, vt benè aduertit Suarius.

Quædam opinio con ficta.

23. Quod nam ſit illud inſtans?

Si inquiras, vtrùm illud inſtans organizationis, & efformationis corporum ex cineribus, ſit inſtans terminatiuum temporis, in quo cineres ſunt delati ad locum reſurrectionis? ita vt primum non eſſe talis motus, ſit primum eſſe organizationis, & efformationis? nonnulli affirmatiuè reſpondent. Alij generalius loquuntur, qui volunt, eam fieri in inſtanti terminatiuo miniſterij Angelici, quod latiùs patet, quàm collectio cinerum: nam & tuba Angelorum miniſterio canet. Igitur corporis efformatio fiet in inſtanti terminatiuo vocis tubæ, qua præcipiet, vt ſurgant omnes mortui. Igitur corporum organizatio fiet in tempore terminatiuo illius vocis; quia in eo terminabitur omne Angelorum miniſteriũ. Hæc fuit opinio *D. Thomæ in 4. diſt. 43. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. in principio corporis, & ad tertium; & ita ſentit Sotus ita explicandus ibidem quæſt. 1. artic. 3. §. Diximus autem in ſecunda parte, & fuit opinio Abulenſis tom. 6. in cap. 22. Matthæi q. 233. fol. 86. col. 2.* Ex quo intelliges, hãc corporũ organizationẽ nõ eſſe futurã in termino tẽporis collectionis cinerũ: etenim poſt cõpletam illam collectionẽ cinerum incipiet vox tubæ, qua reſurrectio ex illis cineribus imperabitur. Cum vero ſonus ille futurus ſit in tempore; vtiq; inter inſtans terminatiuũ motus, quo cineres ſũt collecti, & ipſam corporũ organizationẽ mediabit tẽpus. Quin potiùs non video, cur poſt motum collectionis immediatè incipiat vox tubæ; ita vt idẽ inſtans ſit primũ nõ eſſe collectionis cinerũ, & vltimũ non eſſe vocis tubę: vnde nõ prohibemur opinari inter deſitionẽ motus collectionis,

D. Thom. Sotus.

Abulenſ.

nis,& inceptionē vocis tubæ aliquod futurū tempus interiectum , ſed vt demus nullum futurum eſſe intermedium;ſemper habemus inter deſitionē motus collectionis cinerum , & efformationem corporum mediare aliquod tempus , nempe tempus ipſius vocis:quia admittendū eſt, Angelum ſono tubæ imperantem mortuorū reſurrectionem vocem dirigere ad cineres collectos, ex quibus mortui ſunt reſurrecturi.

25. Admittendæ ſunt prioritates naturæ.

Si adhuc aliquis inquirat, vtrùm in hac corporum organizatione facta in vno tēporis inſtanti,admittendę ſint prioritates naturæ,ita vt actio illa prius natura terminetur ad organizationē debitā animę vegetatiuæ: deinde ad eam, quæ requiritur ad animam ſenſitiuam; & vltimo ad organizationē animę rationali connaturalem? affirmatiuè reſpondendum eſt:nam ſicut anima rationalis prius natura informat corpus ſecundum gradum vegetatiuum; deinde ſecundum ſenſitiuum; & tandem ſecundum intellectiuum: ita etiam organizatio primò & adæquatè connaturalis animæ rationali, ideò quia virtute continet organizationem ad cæteras animas, prius natura organizabit materiam, vt capax ſit animationis vegetatiuę;deinde,vt ſit capax ſenſitiuæ;tandē vt apta ſit informari anima rationali. Quæ omnia ſatis cōſentiunt cū principijs veræ Philoſophiæ.

26. Quæſtio difficilis.

Sed maiorem difficultatem petes,ſi inquiras, quomodò Deus hac vltimata organizatione effectiuè corrumpat formā cinerū, & actiuè vniat animam rationalē cum ſuo corpore ?

Ratio dubitandi.

Ratio dubitandi in eo eſt poſita ; quia vltima diſpoſitio non antecedit,ſed conſequitur formam,vt multorum habet Philoſophia : & inde eſt, vt non cōcurrat efficienter ad introductionem formæ, vt docent *Conimbricenſes lib. 1. de Generatione c. 4. q. 18. art. 1. in primo pronunciato, pag. 134. ex Caietano in c. 7. de Ente, & eſſentia q. 17. & Hiſpalenſi in 2. diſt. 13. q. 1. art. 2. & ex alijs.* Ergo agens per eam nec poteſt actiuè formam producere, & vnire cum materia: nec actiuè corrumpere formam contrariam. Ergo Deus per hanc organizationem (quæ eſt vltima diſpoſitio ad animam intellectiuam) nec poteſt actiuè corrumpere formam cinerum ; nec actiuè vnire animam cum corpore.

Conimbr. Caiet. Hiſpalen.

27. 1. explicatio.

Hæc difficultas iuxta varias opiniones, variè diſſolui poteſt. Qui probauerit præcitatam opinionem (in qua ſupponitur in corruptione fieri reſolutionem vſque ad materiam primam) dicet, Deum ſe ipſo immediatè corrupturum formam cinerum , atque vniturum animam cum corpore: cum enim organizatio illa ſit vltima diſpoſitio, conſequetur formam, vt hi Philoſophi ſupponunt;& ideò non poteſt effectiuè concurrere vel ad corruptionem formæ cinerum, vel ad vnionem corporis cum anima;& ideò Deus ſe ſolo vtrumque efficiet.

28. Vltima diſpoſitio concurrit actiuè ad formam.

Illa tamen Philoſophia pluribus diſplicet , & mihi diſplicuit , cum libros de Generatione interpretarer, vbi cum non nullis docui , generans ipſa vltima diſpoſitione,& effectiuè corrumpere formam contrariam ; & generandam producere eam effectiuè educendo de potentia materiæ;&tandem eam eductam cū materia vnire : cum enim verior ſit opinio, quòd generatio eſt vera actio diſtincta ab alteratione,quæ in toto tempore immediatè præceſsit:agens autem creatum agere nō poſsit , niſi mediante ſua actiua potentia, atque etiam actione ab ea elicita ; negari non poteſt, generans ipſa generationis actione actiuè corrumpere formam contrariam, idque mediante qualitate cōtraria à ſe producta:& actiuè producere formam , & eam vnire cum materia. Cum verò eam nec producere,nec vnire poſsit, mediantibus diſpoſitionibus, quæ fuerūt in toto tempore immediatè præcedente (etenim illarum actiua productio non eſt actio generationis , ſed alterationis , qua materia in toto tempore præcedente diſponebatur, vt ſupponimus) vtique illam producet,& vniet mediāte qualitate,quę eſt vltima diſpoſitio; quæ ideò eſt qualitas contraria primò incompoſsibilis cum qualitate,qua forma corrumpenda in materia cōſeruabatur.

29. Generans effectiuè ꝓducit formam, & eā vnit mediante vltima diſpoſitione.

Quare ſi generans actiuè expellit à materia formam corrumpendam;cum illam non poſsit expellere, niſi producendo qualitatem contrariam primo incompoſsibilem cum tali forma, & cū qualitatibus illius conſeruatiuis;neceſſariò admittendum eſt , generans pro illo inſtanti generationis actiuè ꝓducere ipſam vltimā diſpoſitionē; & ꝑ cōſequēs negandū eſt,eam actiuè produci à forma genita

genita recepta in materia: & oppoſitum formatis principijs Philoſophiæ, nunquã intellexi. Et inde eſt, vt in genere cauſæ efficientis prius natura ſit, formam corrũpendam expelli à materia, quàm formam generandam in ea recipi. Cum verò effectiuè expelli nequeat, niſi mediante forma, & qualitate contraria (quia vnũ contrarium effectiuè non corrumpitur, niſi à contrario) vtique in genere cauſæ efficientis prius natura erit vltimam diſpoſitionem ſimul cum forma generandi à generante actiuè produci, quàm corrumpi formam corrupti ſimul cum diſpoſitionibus, ſub quibus à materia conſeruabatur.

Forma corrupti prius natura expellitur à materia quã forma genita in ea recipiatur.

30. Si verò inquiras, cuiuſnam productio natura ſit prior? an ipſius formæ generãdæ; an verò ipſius vltimæ diſpoſitionis? Reſpondebo prius natura produci vltimam diſpoſitionem, quam formam. Fundamentum eſt; quia non poteſt non concedi formam generandam actiuè produci à generãte: id enim ex terminis patet: cum verò generans nihil producat, niſi mediante ſua actiua potentia, & actione ab ea elicita, vt vera etiam docet Philoſophia; profectò ſi generans eam immediatè producit per actionem generationis; non poteſt non admitti prius natura produci qualitatem, quæ eſt vltima diſpoſitio, quam producatur ipſa forma generanda: quia actio generationis nihil eſt aliud, quàm forma generanda; vt eſt ab agente, mediante qualitate, quæ eſt vltima diſpoſitio, per quam generans agit, q̃dquid agit, ſiue alterãdo, ſiue generãdo.

Vltima diſpoſitio prius natura producitur quàm forma.

31. Sed quãuis in genere cauſæ efficientis prius ſit vltimam diſpoſitionẽ produci, quàm produci formã generandam; tamẽ in genere cauſæ materialis prius forma genita recipitur in materia, quàm in ea recipiatur vltima diſpoſitio: & ratio eſt, quia forma accidentalis non recipitur in materia, niſi actuata per formam ſubſtantialẽ. Ita igitur eſt philoſophandum, vt generans in genere cauſæ efficientis priùs actiuè producat vltimã diſpoſitionẽ, quàm formam generandã; quia per ipſam vltimam diſpoſitionẽ producit ipſam formã: at tamen prius vnit cũ materia ipſam formam, quàm cũ ea vniat vltimam diſpoſitionem; & ratio eſt; quia prius natura eſt materiã actuari actu ſubſtãtiali, quàm accidentali: cũ verò pro illo inſtanti generationis materia primo non habeat formã corruptam (quia deſijt per primum ſui non eſſe) prius recipit formam genitam, qua fiat v. g. ignis, qui generatur, quam recipiat calorem, vt quinque (quam ſupponimus eſſe vltimam diſpoſitionẽ) quo fiat calidũ, vt quinque. Neq; hoc eſt mirũ: nam cùm forma ignis geniti in genere cauſæ efficientis ſit verus effectus ipſius caloris, vt quinque; ita eſt cõcipiendus, vt poſt illum forma eat ad materiam, cũ quà ab eodem calore effectiuè vnitur: vnde ad materiam prius natura accedit forma, vt in ea recipiatur; quam ad eam accedat ipſe calor, vt quinque.

In genere cauſæ materialis prius forma recipitur, quã vltima diſpoſitio.

Hæc hoc loco per ſupererogationem diximus, vt explicemus, poſſe Deum organizationem illam cinerum efficere, & ea mediante animam corpori actiuè vnire, ſicut enim generans naturale in genere cauſę efficientis prius producit vltimã diſpoſitionem, quam animã actiuè vniat corpori; & inde efficit, vt anima in genere cauſæ materialis prius corp⁹ actuet, & in ea recipiatur, quam illud actuet vltima diſpoſitio organizationis; ita etiam Deus in genere cauſæ efficientis poteſt ſe ipſo immediatè producere illam organatizionem, & ea mediante actiuè vnire animam corpori; ita vt in genere cauſæ materialis anima prius vniatur cum corpore, illudq; actuet, quàm illud actuet organizatio. Quare Deus in genere cauſæ efficientis prius natura efficiet vltimam illam diſpoſitionem organizationis; quàm formam cinerum expellat à materia illorum; quia in genere cauſæ efficientis prius eſt produci vltimam diſpoſitionem, quæ eſt primò incompoſſibilis cum forma cinerũ, quàm formam cinerũ expelli à materia. 32.

Concluſio ex dictis.

Hæc diximus, ſuppoſita opinione, quę admittit, in corruptione fieri reſolutionem vſque ad materiam primã; nam ſuppoſita opinione contraria, difficultas nullam habebat difficultatem: illa enim opinione ſuppoſita, vltima diſpoſitio nec in genere cauſæ efficientis, nec cauſæ materialis cõſequitur formam introducendã: imò in vtroque genere eam antecedit: in genere quidẽ cauſæ efficientis: quia prius natura eam producit, actiue à materia expellẽdo formam corrũpendam, & per eam producit formam, & eam vnit cum mate- 33.

Quid ſi reſolutio non fit vſque ad materiam primam.

materia. In genere verò cauſæ materialis eam antecedit; quia prius natura recipitur in materia, quàm in ea recipiatur forma. Quare, ſuppoſita illa opinione Deus in efformando corpore, & in vniendo animam ita procedet; vt in genere cauſæ efficientis prius natura producat organizationem, tanquam vltimam diſpoſitionem primò incompoſsibilem cum forma cineris; deinde per eam effectiuè corrumpat formam cineris, & materiam ipſam perfectè organizet; tertio loco per eam actiuè vniat animam cũ corpore. ¶ Hæc tam latè ſint dicta, vt difficultatem non facilem facilè explicemus.

ARTICVLVS V.

A quo efficienter fiat vnio animarum cum corporibus reſurgentium?

SVpereſt agere de tertio, & vltimò effectu ad reſurrectionem neceſſariò, qui poſitus eſt in vnione animarum cum ſuis corporibus, quæ eſt ſubſtantialis reſurrectio: quia ad illam immediatè conſequitur humanitas, & ſuppoſitatio illius cum propria perſona mortui.

Quæ ſunt inquirenda. In hac quæſtione eadem ferè ſunt inquirenda, quæ in articulo præcedente inquiſita fuerunt. Primum igitur explicandum eſt; an hæc vnio fieri poſsit virtute alicuius agentis naturalis? & ſuppoſito, quòd neceſſaria ſit virtus ſupernaturalis, ſecundo loco inquirendum eſt; an hæc vnio à ſolo Deo immediatè facienda ſit? ſuppoſita autem opinione, quòd facienda ſit mediante aliqua cauſa ſecunda, tertio loco inquiremus; an Chriſtus Dominus, quatenus eſt homo, ad hanc vnionem debeat concurrere, vt cauſa in ſuo ordine principalis; an verò ſolũ, vt inſtrumentalis? poſtremò; an Angeli ad eam inſtrumentaliter debeant concurrere?

§. I.

Hæc vnio nullius agentis naturalis virtute fieri poteſt.

1. Continuatio ad præcedentia. EFformatis, ac debitè organizatis corporibus ex collectis cineribus, immediatè conſequetur vnio cuiuſque animæ cum proprio corpore: etenim ſicut in generatione naturali hominis poſita perfecta organizatione corporis humani, neceſſariò conſequitur vnio animæ rationalis cum corpore; quia vltima diſpoſitio naturaliter neceſsitat ad vnionem formæ cum materia: ita ſuppoſita perfecta organizatione, & efformatione illorum corporum neceſsitate naturali conſequitur eorum vnio cum ſuis animabus. Inquirendũ eſt igitur, an hæc vnio poſsit fieri virtute alicuius agentis naturalis? quæ quæſtio ſub duplici ſenſu poteſt inquiri: primus; an abſolutè loquẽdo hæc vnio naturaliter ſit poſsibilis? ſecundus eſt; an ſuppoſita organizatione ſupernaturaliter facta, vnio iſta fieri poſſit aliqua naturali virtute? In primo ſenſu abſolutè negandum eſt, hanc vnionem poſſe naturaliter fieri: quod abſolutè eſt indubitatum: nam cum nulla virtute naturali cineres illi poſsint debitè organizari, diſponique vltima diſpoſitione ad vnionem animæ cum corpore, ſine qua diſpoſitione vnio iſta naturaliter dari nõ poteſt; ex conſequenti nulla virtute naturali hæc vnio poterit fieri. Vide, quæ diximus in §. 1. præcedentis articuli. Vnde etiam illi, qui dixerũt, organizationẽ corporum faciendam eſſe opera Angelorum (hoc autem nonnullos dixiſſe ſupponit *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 4. pag. 1000. col. 2. B.*) non auſi ſunt hanc vnionem naturali Angelorum virtuti ſubijcere. An facta illa ſuppoſitione iſti philoſophicè loquantur? alij iudicẽt: ego puto, eos in hoc turpiter erraſſe: nam qui ſua naturali actiuitate vltimam diſpoſitionẽ ad formam actiuè producit; non poteſt eadem actiuitate actiuè non facere ipſam formæ cum materia vnionem: etenim vltima diſpoſitio naturaliter neceſsitat ad eam: & inde eſt, vt homo generans ſua actiua virtute vniat animam à Deo creatam cum corpore; quia ſua virtute producit vltimam diſpoſitionẽ ad ipſam animã.

Duplex ſenſus quæſtionis.

Explicatur primus ſenſus.

2\. In quo eſt difficultas. Tota difficultas poſita eſt in ſecundo quæſtionis ſenſu; an ſcil. organizatione iſta ſupernaturaliter ſuppoſita, poſſet aliquod agens naturale ſua propria virtute hanc animarum ad ſua corpora vnionem facere? Cui difficultati ferè omnes reſpõdent negatiuè; & docent, hanc vnionem à ſolo Deo poſſe actiuè fieri. Sed nullus, quẽ viderim, huius veriſsimę reſolutionis rationẽ reddit; cum tamen nõ deſit vrgẽs ratio dubitandi: etenim negandum non eſt,

Negant ferè omnes, ſed non reddunt rationem.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

eſt, animam poſſe naturali virtute fieri præſentem corpori organizato; imò etiã fieri indiſtantem ab eo: iam verò anima indiſtans à ſuo corpore cur non poterit ſua naturali virtute exercere erga illud ſuam formalem cauſalitatem? Porrò ſi ſua naturali virtute poteſt corpus illud actuare; non poteſt ex tali actuatione naturaliter non reſultare ipſe homo, qui fuit mortuus. Quid igitur obſtat, facta illa ſuppoſitione, poſſe animam virtute alicuius agentis naturalis vniri tali corpori? ſit igitur hoc argumentum: anima illa viribus naturæ poteſt fieri præſens, & indiſtans ab illo corpore: etenim non ſolũ Angelus poteſt facere illam animam ſuo corpori eſſe realiter præſentem, & ab eo indiſtantem; ſed etiam ipſamet anima poteſt ſe ipſam ponere in eodem loco cum ſuo corpore: quis hoc negabit? ſed anima indiſtans à corpore naturaliter poteſt illud actuare, & informare. Ergo poteſt naturaliter fieri talis vnio; & ex conſequenti poteſt homo ille naturaliter reſurgere.

Cui opinioni fortè adhærebunt, qui
3. putant, poſitis (ſaltem ſupernaturaliter) eadem numero materia, & iiſdem numero diſpoſitionibus, quibus illa primò fuit informata, poſſe virtute naturali eundem numero hominem reſurgere: quam opinionem probarunt *Henricus, Scotus, Tartaretus, Baſſolius, & nonnulli alij, quos retulimus q.3. huius libri art.3. §.3.* Et in proprijs terminis nonnulli voluerunt, hanc (de qua agimus) vnionem poſſe fieri virtute naturali ipſius animæ; quia poteſt ſe præſentem exhibere ſuo corpori iam debitè diſpoſito: quam opinionem eſſe probabilem putat *Richardus in 4. diſtinct. 43. art.3. q.2.* vbi pro ea ſoluit argumenta in contrarium: & eandem opinionem ſequutus eſt *Henricus quodlib. 11. q. 14.*

Qui illam opinionem probent.

Richard.

Henric.

4. Huic difficultati, qui in terminis reſponderet, inueni neminem, cum tamen digna ſit explicatione: nam quamuis omnes ferè vno ore doceant, hanc vnionem naturali virtute fieri non poſſe; ſed à ſolo Deo eſſe faciendam: huius tamen doctrinæ fundamentum, quo allata difficultas reſoluatur, non explicant.

5. Ego, re iſta diligentiùs expenſa; pro veriſſima reſolutione ab omnibus poſita rationem ferè à priori ex eo deduco; quia licet admittam, animam virtute naturali fieri poſſe localiter præſentem, atque indiſtantem ab illo corpore ſupernaturaliter organizato; & ex conſequenti, licet admittendum ſit, animam illam virtute naturali vniri poſſe ſuo corpori vnione localis indiſtantiæ (quæ potiùs eſt ſimultas localis, quàm vnio) non tamen admittam, eam virtute naturali vniri poſſe vnione cauſali, atque formali, quæ poſita eſt in actuali informatione illius corporis, & dicitur vnio actus cum potentia; nec enim ad hanc cauſalem vnionem ſatis eſt vnio localis indiſtantiæ; etenim vnio iſta reperiri poteſt non ſolùm in Angelo, qui eſt illi corpori indiſtans abſque vnione cauſali (quia Angelus non eſt actus corporis) ſed etiam in anima ſeparata, quæ licet ſit actus corporis, poteſt abſque vlla illius actuatione eſſe illi localiter indiſtans, & localiter cum eo vnita.

Ponitur ratio à priori.

Negatur vnio cauſalis naturali virtuti.

Si verò inquiras; quid nam ſit neceſſarium ad vnionem cauſalem? quæ eſt vnio actus cum potentia: reſpondebo neceſſarium eſſe, vt fiat actione, quæ terminata ad formam, tanquam ad terminum, vt *quo*, per ſe, & directè terminetur ad productionem totius compoſiti, tanquam ad terminum, vt *quod*: vnde opus eſt actiuè fiat ab agente, quod ſua actione actiuè producat totum compoſitum: nam cum agens mediante forma, quam actiuè producit in materia, actiuè producat compoſitum; ex ipſa actione productiua compoſiti habet forma, quod poſſit materiã actuare. Oportet igitur, vt vnio iſta cauſalis fiat actione agentis producentis per eam totum compoſitum. 6.

Quid ſit neceſſariũ ad vnionẽ cauſalem?

Ex qua Philoſophia iam infertur ratio à priori, cur nullum agens naturale ſua virtute poſſit vnire animam illi corpori organizato: quia ſcilicet nullum poteſt dari naturale agens, quod poſſit naturali ſua actione actiuè producere hominem, qui ſemel fuit mortuus, vt oſtendimus ſuprà q.3. art.3. §.4. concl.1. Quod facilè etiam patebit, ſi percurramus virtutem naturalẽ hominis, & Angeli: nam homo naturaliter non poteſt hominem producere, niſi ex ſemine humano in matrice mulieris recepto, vt patet: iam verò in illa cinerum diſpoſitione, & organizatione non inuenitur virtus ſeminis huma- 7.

Ratio à priori.

ni. Angelus autem cum non poſsit ſubſtantiam producere, niſi iungendo actiua paſsiuis; naturale autem productiuū hominis ſolum ſit humanum ſemen, quod ibi non reperitur; non poterit Angelus naturali ſua virtute facere illam vnionē. Anima verò ſeparata, licet habeat virtutem actiuam, vt ſe ſe faciat indiſtantem ab illo corpore; non tamen habet virtutē actiuam ad producendum hominem, ſecundum totalitatem ſuam cathegorematicè ſumptam: nam cauſa efficiens. & formalis non coincidunt, vt docet Ariſtot. 2. Phyſic. tex. 71: quod principium non ſolum verum eſt in forma corruptibili; ſed etiam in incorruptibili, vt ex Philoſophia ſupponimus, quidquid Richardus ſine vllo fundamento oppoſitum doceat.

§. 2.

Hæc vnio à ſolo Deo immediatè non eſt facienda.

8. Quæſtio optima. CVm ex §. 1. iam conſtet, hanc animæ cum corpore vnionem fieri non poſſe ab aliquo agente naturali; ſed neceſſariò faciendam eſſe à Deo agente ſupernaturali; merito inquiri poteſt; an illa à ſolo Deo abſque vlla cauſa ſecunda media ſit facienda? In qua quæſtione ſupponimus id, quod apud omnes eſt indubitatum, poſſe Deum ſe ſolo, & immediatè facere hanc vnionem: etenim quidquid Deus poteſt facere mediante cauſa ſecunda, poteſt facere ſe ſolo: in hac igitur quæſtione non omnes conſentiūt: Sunt qui velint ad reſurrectionem mortuorum nullum aliud agens eſſe aſſumendum: ſed Deum immediatè ſe ipſo, eam eſſe operaturum. Ita in terminis ſcribit *Abulenſis tom. 7. ad cap. 25. Matthæi q. 612 pag. 211. col. 4. F. & tom. 6. ad cap. 22. eiuſdem Matthæi q. 226. poſt principium, pag. 77. col. 2. D. Cum Abulenſi conſentit Scotus in 4. diſt. 43. q. 5. §. De ſecundo dico, liter. B. in eadem eſt Sotus in 4. diſt. 43. q. 1. art. 4. ante finem, §. Quo autem Angelorum.* Huius opinionis fundamentum non aliud inuenio, niſi quod ponit Abulenſis; quia hæc vnio animæ cum corpore, ex qua reſultat hominis reſurrectio, eſt miraculoſa: miracula autem immediatè fiunt à Deo, vt explicat in d. q. 226, fol. 77. col. 2. B.

Opin. quod ſit à ſolo Deo.

Abulenſ.

Scotus.

Sotus.

Hæc tamen opinio nullo modo recipienda eſt: quia neceſſariò admittendum eſt, Chriſtum Dominum ad reſurrectionem concurrere, non ſolùm, vt eſt Deus; ſed vt eſt homo, vt ſtatim oſtendemus. Et mihi probabiliſsimum eſt, Archangelum ad eandem debere concurrere, vt inſtrumentum Dei, vt dicemus. Fundamētum autem nullam habet vim: quia Deus miracula poteſt facere, & de facto plura facit mediante inſtrumento.

9. Non recipitur.

Hac igitur omiſſa opinione, expendamus, quænam inſtrumenta ſit Deus aſſumpturus, vt in die iudicij vnionem animæ cum corpore operetur, & ipſam ſubſtantialem reſurrectionem. Et primum agemus de Chriſto homine; deinde de Archangelo.

10. Quæ ſunt inquirēda.

§. 3.

Chriſtum Dominum ad hanc vnionem ſimul cum Deo concurrere.

AN Chriſtus Dominus, vt homo eſt, ad hanc vnionem ſimul cum Deo concurrat? non omnes conſentiūt. Ouandus ſtatim citandus aſſerit, D. Bonauenturam, & Richardum negare, eum efficienter concurrere ad talem vnionē; ſed in hoc fallitur, vt videbimus. Quare pro parte negante citari poſſunt Abulenſis, & Scotus, qui expreſſè docent, Deū hanc vnionem, & reſurrectionem facere ſe ſolo, nulla alia mediante cauſa ſecunda.

11. Qui negāt

Dicendum tamen eſt, Chriſtum hominem vnionem illam, & reſurrectionem efficienter operaturū: an vt cauſam principalem; an verò, vt inſtrumentalem? ſtatim expendemus. Quòd abſolutè Chriſtus homo operaturus ſit vnionem, & reſurrectionem, eſt communis Theologorum ſententia *in 4. diſt. 43. vbi D. Thomas q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1: expreſſè enim docet,* Chriſtum, quatenus eſt Deus, & homo ratione humanæ naturæ eſſe cauſam noſtræ reſurrectionis; ita vt Deus ſit cauſa prima, & principalis: Chriſtus verò ſit cauſa proxima, etiam vniuoca; & ad 3. expreſſè ait, *Deum operari reſurrectionem, mediante Chriſti humanitate; quod etiam habetur in additionibus ad 3. p. q. 76. ar. 1. vbi latè Seraphinus Porrecta. Eandem ſententiam ſcribit Alenſis 3. p. q. 20. mēb. 2. art. 1. vbi in §. Ad aliud, quod quæritur,* ſcribit, quòd Chriſtus reſurgens, eſt cauſa reſurrectio-

12. Chriſtus D. hanc vnionem operabitur.

D. Thom.

Porrecta.

Alenſis.

rectionis, in genere cauſæ efficientis: ita vt cauſa prima reſurrectionis ſit Deus; cauſa media ſit ipſa humanitas, ſeu verbũ humanatum. Idem docet D.Bonauentura *in 4.diſt.43.art.1,q.6.num.32.ita inquiens: Dicendum; quòd in Chriſto eſt aſſignare noſtræ reſurrectionis duplicem cauſam: efficientem, & finalem, vt primũ efficiẽs principale ſit Chriſtus ſecundũ diuinitatẽ, & tota Trinitas: efficiens ſicut inſtrumentũ ſit vox Chriſti, ad cuius prolationem, & vocationem mortui reſurgunt.*

D.Bonau.

13. Ouãdus nõ legit Bonauent.

Quare Ouandus non legit D. Bonauẽturam, dum affirmat, eum negare, Chriſtum in genere cauſæ efficientis ad reſurrectionem concurrere: ſicut etiam non vidit Richardum, dum ait, eum idem negaſſe: etenim Richardus in 4.diſt.43.art.3.q.3. expreſsè docet, vocem tubæ, quã putat eſſe vocem Chriſti, non eſſe cauſam efficientem principalem reſurrectionis corporalis, eſſe tamen inſtrumentalem, eo modo, quo Sacramentum pœnitentiæ eſt cauſa reſurrectionis ſpiritualis: iam verò Sacramentum eſt cauſa efficiens inſtrumentalis, tàm gratiæ, quàm iuſtificationis, qua ſpiritualiter reſurgimus. *In eadem ſententia eſt Sotus in 4.diſt.43.q.1.art.4.concl.2.pag.401.col.1. Suarius 2.tom.ad 3.p.diſput.50.ſect.4. §.Dico quarto, pagina 1001.col.1.Valentia 4.p.diſp.11.q.3.puncto 2.pag. 1935.& eam iam dixerat diſp.2.q.5.puncto 1.in fine. In eãdem inclinat Ouãdus in 4.diſt.43.propoſitione 8.quamuis omnia confundat.* Denique hanc ſententiam, vel ſupponunt, vt certam, vel in terminis probant, ferè omnes Scripturæ interpretes, inter quos *eſt Lyra in Ioannem cap. 5. ad illa verba; Quia venit hora, & Angelus de La paz in expoſitione Symboli lib.7.ad ar.5.cap.39.pag.407. col.2.& latiùs lib.9.ad 7.articulum cap.32.*

Nec Richard.

Sotus. Suarius. Val[illegible]tia.

Lyra. Angelus de Lapaz.

14. Probatur ex Patribus Gloſſa Auguſtin.

Hanc probaſſe Gloſſam Ordinariam & Sanctos, ſcribit Alenſis vbi ſuprà: nam Gloſſa Auguſtini ad illa verba Ioannis quinto: *Venit hora, & nunc eſt*; ita ait: *per verbum enim Filium Dei fit animarum reſurrectio: per verbum factum in carne filium hominis fit corporum reſutrectio.* Alia Gloſ. in eodem cap.5.ad eadem verba litera K. agens de Chriſto homine ita ait: *Sicut ſuprà eſt Author de reſurre[illegible]ne mentis in vitam æternam: ita etiam hic eſt Author de reſurrectione carnis.* Idem ſatis colliges: ex *Auguſtino tractat.21.in Ioannem*, dum illa verba: *ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & cætera*, intelligit de Chriſto homine, & de generali mortuorum reſurrectione, quibus ſatis exprimit, Chriſtum hominem noſtram reſurrectionem actiuè operaturum. Clarius id docet *tract.9. in Ioannem pag.83.B.2.reſurget*, inquit, *vtrunque, anima ſcilicet, & corpus: per quid ergo anima, niſi per Deum Chriſtum? per quid corpus, niſi per hominem Chriſtum*, & inferiùs: *reſurgit anima tua ab iniquitate, per id, quod Deus eſt; reſurget corpus tuum à putredine per id, quod homo eſt.* Et ſtatim: *Iam dixi: anima per quid reſurgit? per ſubſtantiam Dei: Corpus per quid reſurget? per diſpenſationem humanam Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et ibidem pag.85.C.D.2. *Reſurrectio animarum fit per ſubſtantiam Patris, & Filij æternam, & incommutabilem: reſurrectio verò corporum fit per diſpenſationem humanitatis Filij temporalem.* Et in eodem tractatu ad finem ſatis explicat Patrem dediſſe poteſtatem filio homini facere iudicium, tàm circa reſurrectionem animarum, quàm corporũ: & ſtatim aſſerit; Patrem reſurrectionem corporum facere per filium. Denique idem Auguſtinus *Pſalmo 65.pag.274.C.2.* agens de vltima reſurrectione, quæ eſt in vitam æternam, & explicans ea, quæ Chriſtus per carnem ſuam faciebat, verbis expreſsis docet, *Chriſtum multa eorum quæ per carnem ſuam faciebat, etiam feciſſe per carnem ſuorũ ſeruorum: at tamen per carnem illorum nunquam feciſſe, quòd mortuus reſurgeret in vitam æternam.* Quare nõ eſt dubitandum, Auguſtinum docuiſſe, Chriſtum hominem per ſuam humanitatem operaturum eſſe generalem vniuerſorum hominum reſurrectionem.

Alia Gloſſa.

Auguſt.

Pro eadem ſententia à Suario, & Toleto refertur Athanaſius in ſermone 4.cõtra Arianos ita inquiens: *Sicut Chriſtus ſuſcitauit Lazarũ per humanitatem; ita in nouiſsimo die per eandem omnes reſuſcitabit.* Sed hæc verba apud eum inuenire nõ potui: ſolum inueni pag.278.D. quod quæ ſunt propria verbi (qualia ſunt mortuos ſuſcitare, cæcis viſum reponere) ea faciebat corporis miniſterio; ita vt caro ſuo miniſterio inſeruiret operandis diuinitatis operibus, ita vt Chriſtus ea in carne, & per carnem faceret. Poteſt tamen ea ſententia colligi ex eo, quod ſcribit in *lib.de* 15. Athanaſi.

Incarnatione Verbi, pag. 52. *D.* Verbum Dei ideò carnem ſumpſiſſe, vt mortem tàm ſuam, quàm noſtram conſummaret, & conficeret: & oratione ſecunda contra Arrianos, pag. 160. D. ſatis explicat, Patrem Chriſto donaſſe poteſtatem faciendi reſurrectionem.

16. Probatur ex Scriptura. Primus locus ex c. 6. Ioan.

Hæc ſententia ſufficienter conuincitur pluribus ſacræ Scripturæ locis. Primus, & apertiſsimus habetur Ioannis 6: *Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me Patris; vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo; ſed reſuſcitem illud in nouiſsimo die.* Quòd verba hæc intelligantur de Chriſto homine, nullus poteſt dubitare: in illis enim ſermo eſt de perſona Verbi, quæ miſſa à Patre deſcendit de cœlo; & quæ habet voluntatem aliam à voluntate Patris; & cui Pater electos ſuos tradidit, vt eos ſaluaret, vt conſtat ex verbis antecedentibus: *quia deſcendi de cœlo, non vt facerem voluntatem meam, ſed voluntatem Patris, qui miſit me.* Et ex illis: *vt omne, quod dedit mihi, non perdam.* Chriſtus igitur, vt homo eſt, de ſe affirmat, quod in nouiſsimo die reſuſcitabit eos, quos Pater ſibi dedit. Quod expreſsis verbis docet inferiùs: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum: & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.* Ex quo loco infero, verba illa Domini ad Martham Ioannis 11: *Ego ſum reſurrectio, & vita* (quæ omnium conſenſu explicant, Chriſtum eſſe cauſam reſurrectionis futuræ) accõmodatiſsimè intelligi poſſe de Chriſto homine; vt ſcilicet ipſe, vt homo, cauſa ſit reſurrectionis: non quidem prima, & ſuprema; quia hoc modo ſolùm eſt cauſa, quatenus eſt Deus; ſed cauſa ſecunda, & proxima, quæ reſurrectionem eſt operatura; in quo etiam omnes conueniunt.

17. 2. locus ex c. 14. ad Roman.

Secundus locus mihi expreſſus habetur apud Paulum ad Roman. 14. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & viuorum, & mortuorum dominetur:* ſenſus eſt; Chriſtus hac de cauſa mortuus eſt & reſurrexit, vt dominium ſuum exerceret, tàm in viuos, eos iuſtificãdo; quàm in mortuos, eos reſuſcitando; quæ eſt omnium interpretum explicatio. Dominiũ autem idem eſt, quòd poteſtas; hanc autẽ licet Chriſtus habuerit à principio incarnationis; per mortem tamen, & reſurrectionem obtinuit, vt eam actu exerceret.

Igitur concedendum eſt, Chriſtum hominem ad reſurrectionem generalem eſſe concurſurum ſimul cum Deo; idque concurſu illius operatiuo.

18. 3. ex 1. ad Theſſal. 4.

Accedat & locus Pauli 1. ad Theſſal. 4. n. 13: *Si enim credimus, quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo.* Illa verba *per Ieſum*, non ita ſunt explicanda, vt coniungantur cum verbo *dormierunt*, quaſi ſit ſenſus, *qui dormierunt in IESV*: etenim præpoſitio *per* nõ idem eſt, quod *in*: coniungenda igitur ſunt cum verbo *adducet*; vt per ipſum Ieſum eos reſuſcitet, vt cum eo ſemper ſint. Et in hoc ſenſu non denotant mediationem, aut meritum, ſed cauſam efficientem; vt ſit ſenſus *per Ieſum*, id eſt, Ieſu ſimul cooperante, eos adducat ad vitam: quem ſenſum ſatis indicat Paulus; dum ſtatim addit: *quoniã ipſe Dominus in iuſſu, & cætera.*

19. 4. ex Ioan. cap. 5. Quod locus iſte intelligatur de filio hominis. August. Cyprian. Cyrillus. Beda. Maldon. Toletus. Suarius.

Accedat adhuc locus apud Ioannem cap. 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic & filius, quos vult viuificat.* Quæ verba ſatis rem conuincunt, ſi intelligantur de filio hominis: in quo ſenſu ea neceſſario eſſe intelligenda, affirmat *Aug. lib. 1. de Trinit. cap.* 13. *& in eodem ea intelligit tract. 21. in Ioannem, & in lib. quinquaginta homiliarum homil. 22. cum Auguſtino conſentiunt Cyprianus lib. 2. contra Iudæos c. 28. & lib. 3. c. 33. & Cyrillus lib. 2. in Ioannem c. 140. & Beda in iiſdem verbis*, & hanc explicationem eſſe veram, teſtatur *Maldonatus in eodem loco verſ. 22. pag. 1480. A. B. probabilem dicit Toletus ibidem annot. 19. in fine, & probat Suarius in d. ſect. 4. pag. 1001. col. 1. B. C:* & quamuis plures ex Patribus hæc verba intelligant de Chriſto, vt Deus eſt; ſcilicet *Hilarius lib. 7. de Trinit. Ambroſius lib. 2. de fide c. 45. & Chryſoſt. homil. 38. in Ioãnem:* tamen quòd illa ſint intelligenda de Chriſto homine maximè vrgent verba immediatè ſequentia: *Nec enim Pater iudicat quenquam; ſed omne iudicium dedit filio*, vt doctè aduertit *Auguſtinus in dicto cap.* 13:

Fundamentum illius explicationis.

etenim in illis verbis non eſt ſermo de prima, & principali poteſtate ad faciendum iudicium generale, quæ eſt in Trinitate; ſed de poteſtate ad iudicandum, tanquam iudex ab omnibus corporaliter videndus: in quo ſenſu omnem iudicandi poteſtatem Pater non dedit filio Deo,

ſed

ſed filio hōmini, quem conſtituit iudicem viuorum & mortuorū: & hoc modo Pater nō iudicat quemquam, ſed ſolus filius,
20. quatenus eſt homo. Hæc autem verba illo modo explicata efficaciter conuincunt illa alia præcedentia, *Sic filius, quos vult viuificat*, non poſſe non intelligi de filio hominis per carnem operante viuificationem: niſi enim ita intelligantur, in illis, quæ ſequuntur, non redderetur cauſa, & ratio ſufficiens præcedentium: quā cauſam reddi in illis ſatis probat aduerbiū *enim*: etenim non ideo filius, vt Deus, viuificandi poteſtatem habet, quia Pater dedit filio homini poteſtatem, vt viſibiliter homines iudicaret: cum tamen verā per ſe cauſam contineant, cur filius, vt homo viuificet, quos vult, & eos faciat reſurgere in vitam æternam: etenim ex eo, quod filius homo à Patre habet poteſtatem iudicandi homines iudicio ſenſibili, infertur, eum habere poteſtatem, viuificandi, & ſuſcitandi mortuos: iudex enim ex eo, quod habet poteſtatem iudicandi, ex conſequenti habet poteſtatem faciendi ea, ſine quibus iudiciū fieri non poteſt: iam vero iudicium ſenſibile in mortuos exerceri non poteſt, niſi illi reſurgant. Senſus igitur verborum, ex quibus argumentamur, eſt iſte: ſicut Pater mortuos ſuſcitat, & viuificat in vitam æternam (de hac enim vita eſt ſermo) idque tanquam prima cauſa, & principalis reſurrectionis: ſic & filius homo per ſuam humanitatem viuificat, quos vult: Pater enim omnia dedit in manus eius, vt habetur *Ioannis*
Ioan. 13. 13. *num.* 3. & quamuis Pater illi dederit, & deſignauerit electos, pro quorum ſalute, & vita erat moriturus: tamē Chriſtus homo eos voluntariè acceptauit, ne aliquem illorum perderet. Ad hunc ſenſū filius homo viuificat, quos vult: nam & Pater, quos voluit eligit, & prædeſtinauit. Quòd verò hanc habeat poteſtatem, ex eo probat: quia Pater neminem iudicat; ſed omnem iudicium dedit filio: ex qua iudicandi poteſtate neceſſariò infertur poteſtas reſuſcitandi, & viuificandi in vitam æternam. Hæc eſt facillima horū verborū expoſitio, ex qua efficaciter infertur, Chriſtum hominem actiuè operaturum hominum reſurrectionem.

21. Ratio 1. cōgruentię. Sed & rationibus congruentibus hæc veritas ſuadetur: Prima ſumitur ex eo, quòd Chriſtus Dominus mortuos, quos in vita ſuſcitauit, actiuè reſuſcitauit per ſuam carnem, & vocem ſenſibileque imperium. Ergo reſurrectionem vniuerſalem ſua actiua virtute, & poteſtate operabitur. Antecedens probatur: quia ad filium viduæ Lucæ 2. num. 14. dixit: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*: & ad Lazarū Ioannis 11. num. 47. ait: *Lazare veni foras*: & *Ioan.* 11.
puellæ filiæ Archiſinagogi Marci 5. nu. *Marc.* 5.
42. *Puella, tibi dico, Surge*. Quę verba denotant imperium efficax, & operatiuum reſurrectionis: vnde Chriſtum Dominum per ſuam carnem Lazarum ſuſcitaſſe, & Auguſtinus docet, & Athanaſius cū alijs pluribus. Quare verum eſt antecedēs. Cōſequentia vero ex eo deducitur; quia ex horum reſurrectione voluit Chriſtus oſtendere, ſe habere poteſtatem ſuſcitandi mortuos in iudicio.

Secunda congruentia ſumitur ex eo, 22.
quia Chriſtus, vt homo, eſt cauſa operati- 2. Ratio.
ua noſtræ ſalutis ſpiritualis, quæ eſt ſpiritualis reſuſcitatio. Ergo erit etiam cauſa operatiua ſalutis corporalis, quę poſita eſt in mortuorum reſuſcitatione: antecedēs ſuppono ex materia de Incarnatione; cōſequentiam inde probo: quia Chriſtus venit ad deſtruendam vtranque mortem; cum venerit ad deſtruendum peccatum, quo vtraque mors in mundum introiuit: quare ſi ſalutem ſpiritualem ad deſtruendam mortem animæ, vt homo actiuè operatur; vtique actiuè operabitur ſalutem corporalem, operando reſurrectionem, qua mors perfectè deſtruitur.

Tertia ratio congruentiæ ſumitur ex 23.
eo, quia Verbum Diuinum aſſumpſit na- 3. Ratio.
turam humanam ad inſtauranda omnia, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt, vt ait Paulus: ergo aſſumpſit naturam humanam vt ea, tanquam inſtrumento vteretur ad omnes miraculoſas immutationes faciendas, ordinabiles ad explicatū Incarnationis finem: vt ait *D. Thom.* 3. *p.* *q.* 13. *art.* 2. etenim hæc omnia operari ſtatuit non per ſe ipſum immediatè, ſed per filium hominem, & per illius humanitatem, diuinitati vnitam. Sed ad perfectam omnium inſtaurationē pertinet mortuorum reſurrectio; qua omnes peccati effectus cōplete deſtruūtur; iuxta illud Pauli 1. Cor. 15. *Nouiſsima autē inimica deſtruetur mors*. Ergo Deus per filium hominem

nem mortuorum reſurrectionem operabitur.

24. Conſtituendum eſt igitur, Chriſtum hominem per ſuam carnem actiuè cooperaturum cum Deo vniuerſalem hominúm reſurrectionem: iſte enim modus, & poſsibilis eſt, & maximè decet Chriſti dignitatem. Fundamentum autem aduerſariæ ſententiæ nullam vim habet, vt ſæpe diximus: quia Deus ad miracula facienda ſæpe vtitur medio inſtrumento.

§. 4.

Chriſtum Dominum hanc vnionem, & reſurrectionem operari, vt cauſā inſtrumentariam.

25. 1. Ratio. SEd iam inquiri poteſt, an Chriſtus vt homo ad hanc vnionem, & reſurrectionem actiuè concurrat, vt cauſa in ſuo genere principalis? an verò ſolum, vt inſtrumentaria, In hac quæſtione inueni neminem, qui dicat, Chriſtum concurrere, vt cauſam principalem. Sed fortè non deerit, cui hæc placeat opinio: nec enim deſunt (ſi credendum eſt Suariō 1. *tomo. ad* 3. *p. diſput.* 31. *ſect.* 4. *paulò poſt principium*) qui aſſerant. Chriſtum hominem efficere gratiam per humanitatem, vt cauſam principalem. Cur igitur non dicet, eum, etiam vt cauſam principalem operaturum reſurrectionem? & hoc ſit huius opinionis fundamentum. Authores illius ita probare poſsunt antecedens: quia Ioannis primo dicitur: *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*: & ad Epheſios 1. *Gratificauit nos in dilecto filio ſuo*. Et inde eſt, vt D. *Thom. in* 4. *diſt.* 5. *q.* 2. *ar.* 2. *quæſtiūc.* 2. *ad* 1. *doceat*, Chriſtū cōcurrere ad gratiā cū ſacramētis, vt agēs principale. Conſequentia vero inde probabitur; quia nulla ratio diſcriminis aſsignari poteſt. *D. Thom.*

26. 2. Ratio. Secundò ita argui poteſt: quoniam Archangelus tuba canens, eſt inſtrumētum Chriſti Domini in operāda mortuorum reſurrectione: etenim probabile eſt Archangelū ad eā actiue concurrere nō aliter, quam vt inſtrumentum Chriſti Domini, cuius iuſſu tuba canet. Ergo Chriſtus homo ad hoc opus concurret vt cauſa principalis: nam inſtrumenti nō datur inſtrumentum.

27. 3. Ratio. Tertio, quia ſi Chriſtus vt homo concurreret vt inſtrumētum reſurrectionis, haberet reſurrectionē modo minus perfecto, quàm ſit reſurrectio aliorum hominum, quod non eſt dicendum, cum Chriſtus ſit primogenitus mortuorum. Sequela probatur; quia cauſa inſtrumentaria, nec formaliter, nec eminenter continet formam, quàm effectui communicat, & ita eam habet minus perfectè.

28. Vlt. Ratio. Poſtremo: quod eſt primum in vnoquoque genere, per ſe eſt tale, & ideò per ſe eſt cauſa aliorum eiuſdem generis, vt ex Ariſtotele Philoſophi docent. Sed Chriſtus reſurgens eſt primus in genere reſurgentium: quia eſt primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum. Ergo per ſe eſt cauſa reſurrectionis aliorum. Iam verò, quod per ſe eſt cauſa effectus, non eſt cauſa illius, tanquam inſtrumentum: & inde eſt, vt D. *Thomas in* 4. *diſt.* 43. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *dicat*, Chriſtum Dominum eſſe cauſam efficientem vniuocā reſurrectionis aliorum hominum: cauſa autem vniuoca non eſt cauſa inſtrumentalis. *D. Thom.*

29. Chriſtus eſt inſtrumētū Dei ad reſurrectionem. Dicendum tamen eſt, Chriſtum hominem ad vnionem animarum cum corporibus, & ad reſurrectionem illorum actiuè non concurrere, niſi vt inſtrumentum diuinitatis. Et quamuis hanc ſententiam in his terminis non omnes explicent; eſt tamen de mente omnium, qui admittunt, Chriſtum hominem ad illa opera actiuè cōcurrere. Pro hac opinione citari ſolet D. *Thomas. in* 4. *loco citato ad finem corporis*. Sed ibi ſolum dicit, reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam, quaſi inſtrumentalem noſtræ reſurrectionis quod non excludit, eum mediante vt cauſam principalem; nam homo eſt cauſa principalis motiua baculi, & tamen baculum mouet, mediante manu inſtrumētaliter mouente baculum. Quare D. Thomas non ſatis expreſſe mentem ſuam in hac quæſtione explicat. Et eadem ratione nec ſuam mentem explicat. *D. Bonauentura in* 4. *diſt.* 43. *art.* 1. *q.* 6. *n.* 32. *& Richardus ibidem art.* 3. *q.* 3. quia ſolum docent vocem Chriſti eſſe inſtrumentum: quod benè ſtat cum cauſalitate principali Chriſti hominis. Sed nec mentem ſuam ſatis declarauit *Alenſis* 3. *p. q.* 20. *membro* 2. *art.* 1. §. *Ad aliud, quod quæritur* quia ibi ſolum docuit, *Verbum humanatum eſſe cauſam*

Non bene citatur D. Thom.

Nec Bona. Nec Rich.

Nec Aleſ.

ſam mediam; humanitatem verò eſſe cauſam proximam; an verò ſit cauſa media principalis; an verò inſtrumentalis? non explicat: Sed quamuis hi Authores non ſatis mentem ſuam explicent: ſatis tamen ſignificant Chriſtum hominem per ſuam humanitatem non operari reſurrectionem; niſi per modum inſtrumenti: quod ſatis explicat Suarius *in dicta diſp. 50: ſect. 4. in dicto 4. p. 1001. col. 1. ante finem: & idem expreſſè probat Sotus in 4. diſt. 43. q. 1. art. 4. §. Quod ſi rurſus ſciſcitando iuſtes, p. 401. col. 2. in fine & 402. col. 1. in principio.*

Suarius. Sotus.

30. Confirmatur Dama. Hæc ſententia primo confirmari poteſt ex doctrina Damaſceni lib. 3. de Fide: quod operationes miraculoſæ aguntur à Chriſto homine mediātè ſua carne, vt organo diuinitatis. Ergo Chriſtus Dominus hanc miraculoſam hominum reſurrectionem efficit media ſua carne, vt diuinitatis inſtrumento.

31: 2. Cōfirma. Deinde ex eo; quod humanitas Chriſti Domini non habet virtutem faciendi reſurrectionem ſpiritualem animæ, quæ fit per gratiam, & iuſtificationem, tanquam cauſa principalis, ſed tāquam principale inſtrumentum. Ergo non habet virtutem faciendi reſurrectionem corporis, tanquam cauſa principalis, ſed tanquā inſtrumentalis. Antecedens eſt ſententia omnium *Theologorum, vt cum D. Thoma, Driedone, & alijs tenet Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 4. in 2. dicto pag. 583. col. 1.* vbi eam eleganter deducit ex Trindentino ſeſsione 6. de iuſtific. cap. 7. dum cauſam efficientem noſtræ iuſtificationis ponit, eſſe Deum: cum verò ſimul cum hac Dei efficientia admittat efficientiam inſtrumentalem Sacramentorum; vtique excludit omnem cauſam efficientē principalem, vt ſolus Deus ſit cauſa propria, & principalis illius: nam in ſacris literis *in hoc ſenſu proprium eſt Dei remittere peccata*, vt colligitur ex verbis Iob capit. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? niſi tu, qui ſolus es?* Et ſatis apud Iudæos id erat notum, vt patet Marci 2. num 8: *Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus?* vnde, quando Iſaiæ 43. n, 25: Deus ait: *Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates*, ita ſibi appropriat poteſtatem delendi peccata, vt dicat hoc nulli alij conueni-re: non quidem in eo ſe[illegible]u, vt ſoli ſibi cōueniat eſſe primā cauſam huius effectus: nam Deus omnium effectuum naturaliū, & ſupernaturalium eſt prima cauſa: & tamen non ſoli ſibi appropriat eſſe cauſam principalem ad omnem effectum, ſolam inſtrumentalem admittendo.

Suarius.

In quò ſenſu propriū ſit Dei remittere peccata.

Quare cum ſoli ſibi appropriet demittere peccata, in hoc ſenſu illud appropriat ſibi, vt ſolus ille ſit illius effectus cauſa, non ſolum prima, ſed etiam principalis. Quare cum Tridentinum diffinit, proprium eſſe Dei eſſe cauſam efficientem iuſtificationis; ſatis ſignificat ſolum Deū eſſe cauſam illius, non ſolum primam, ſed etiam principalem; ita vt ad illum effectū nulla cauſa efficiens admittatur, niſi inſtumentaria. Veriſsimum eſt igitur antecedens. Cōſequentia vero ex eo patet; quia eadem eſt vtriuſque reſurrectionis ratio, & in ſacris literis Chriſtus vtriuſq; dicitur Author. 32. 3. Cōnfirm.

Ratione etiam facilè id poteſt demonſtrari: quoniam ſi Chriſtus vt homo, ad reſurrectionem cōcurreret, vt cauſa principalis, mediante ſua humanitate; ad eam concurret per aliquam virtutem propriā ſibi, & inſitam à natura, quæ ipſi humanitati eſſet, vel tota, & completa virtus ad operandam reſurrectionem, indigens ſolo generali Dei concurſu: vel incompleta, & radicalis, quæ ſolum indigeat ſupernaturali eleuatione. Sed humanitas Chriſti Domini nullam habet virtutē ſibi propriam, & à natura ſibi inſitam, quæ in ordine ad ruſurrectionem mortui ſit completa, indigens ſolo generali Dei concurſu: aut incompleta, quæ eleuatione ſuper naturali indigeat (qualis datur in intellectu in ordine ad viſionem beatam, vt diximus in 2. tom. lib. 10.) ergo humanitas Chriſti non poteſt eſſe cauſa principalis, ſed ſolum inſtrumentalis ad reſurrectionem. Conſequentia patet; minor vero quoad vtramque partem ex eo oſtenditur; quia nulla talis virtus reperitur in humanitate aliorum hominum; cum tamen humanitas Chriſti in naturalibus cū alijs conueniat. Maior verò inde probatur; quoniam nulla virtus agentis poteſt eſſe principalis ad aliquem effectum, niſi ad illum habeat propriam, & intrinſecam habitudinem, & cauſalitatem, aut completè aut incōpletè: nam vt omittamus, nullam contra hoc dari poſſe inſtantiam; inde etiam probatur: quia ſi in agente ad talem

talem effectum non datur aliqua propria virtus completa, vel incompleta inſita à natura; agens ad illum effectum ſolum erit in pura obedientiali potentia, quæ omnem naturalē excludit: iam verò potentia obedientialis omninò pura nō poteſt reperiri in agēte principali, ſed in ſolo inſtrumentali, aut late oſtendimus in 2. tom. lib. 9.

34. Ad arg. 1. Nec huic veriſsimæ reſolutioni obſtāt quæ initio huius §. adduximus. Ad primum argumentum negandū eſt id, quod ſumitur; illa enim opinio non ſolum eſt falſa, ſed etiam aliquam includit temeritatem, vt benè aduertit doctiſsimus Suarius in argumento citatus. Ad cōfirm. Ad ea, quæ in confirmationem adducūtur, dicimus, in cap. 1. Ioannis, gratiam non ſumi pro gratia gratum faciente, ſed pro dono gratis dato. Vide Caietanum, Maldonatū, & alios. Quòd ſi gratia ibi ſumatur pro gratia iuſtificante (quæ eſt aliquorum explicatio) dicimus Chriſtum nobis gratiam feciſſe, idem eſſe, quod gratiam nobis meruiſſe. Quod ſi vis ſermonem ibi eſſe de cauſa efficiente, reſpondebo. Chriſtū quidem facere gratiam in nobis; non tamen, *Suarius.* vt cauſam principalem, ſed vt inſtrumentalem, ita reſpondet Suarius *in dicta diſp. 31. ſect. 4. in ſolutione primi argumenti pag.* *Ad verba Pauli 1. ad* *584. col. 1: A, B.* Quòd verò adducitur ex capite primo ad Epheſios, hunc habet ſenſum: *Deus gratificauit nos,* id eſt, gratos, & ſibi acceptos fecit, *in dilecto filio ſuo,* id eſt propter merita filij ſui. Si vis vt iſta verba, *in dilecto Filio ſuo* denotent efficientiam gratificationis (quod non ſatis quadrat literæ) dicam illa non arguere efficientiam principalem; quia ad id ſatis eſt inſtrumentalis.

35. *Ad teſtimoniū D. Th.* Ad id verò, quod ex D. Thoma *adducitur in 4. diſt. 5.* dicendum eſt, Diuum Thomam, ibi non agere de agente principali propriè ſumpto; ſed de eo, quod dicitur principale in ordine ad inſtrumenta ſeparata; qualia ſunt ſacramenta, & ſacerdotes miniſtri: quorum cōparatione Chriſtus Dominus, dicitur agens principale, quamuis verè ſit inſtrumentale; quia eſt inſtrumentum diuinitati coniunctum: ſacerdotes verò, & ſacramenta ſunt inſtrumenta ſeparata: etenim poteſtas demittendi peccata apud D. Thomam in diuina natura eſt per authoritatē: in humana autem natura Chriſti inſtrumentaliter, & per miniſterium, vt ſcribit D. Thomas 3. *p. q. 16. art. 11. ad 2.* *D. Thom.*

36. Ad 2. arg. Ad ſecundum dicimus, argumentum vim non habere, ſi illa vox Archāgeli eſt vox Chriſti, vt plures volunt: ſed nec vim habet: ſi vox illa eſt vox Archangeli: nam licet Archangelus ille ſit miniſter, & inſtrumentum Chriſti; eſt tamen inſtrumentum ſeparatum: iam verò inſtrumentum ſeparatum, poteſt eſſe inſtrumentum inſtrumenti coniuncti: etenim baculus in iactu lapidis eſt inſtrumentū manus, quæ homini eſt coniunctum inſtrumentum. Vnde falſum eſt, non poſſe dari inſtrumentum inſtrumenti.

37. Ad 3. Ad tertium neganda eſt ſequela: ad probationem dicendum eſt, nullum inſtrumentum continere formam, quam inſtrumentaliter cauſat, aut formaliter, aut eminenter: at tamen opus non eſſe, vt forma, quæ tanquam inſtrumentum eleuatur, in ſe ipſa ſit minus perfecta.

38. Ad 4. Ad quartum reſpondendum eſt, maiorem non eſſe vniuerſaliter veram, ſed indigere multiplici explicatione: quare vniuerſaliter prolata neganda eſt, & ſolum intelligenda in illis, quę ex ſua natura ſūt in tali genere: iam vero humanitas Chriſti ex ſua natura non habet reſurrectionem, ſed ex virtute naturæ diuinæ, cui in perſona Chriſti eſt coniuncta.

§. 5.

Reſurrectionem Chriſti actiuè non concurrere ad noſtram reſurrectionem.

39. Quod concurrat vt inſtrumentū. DVbitari ſolet; an reſurrectio Chriſti ad noſtram reſurrectionem actiuè concurrat? quòd cōcurrat vt inſtrumentum humanitatis Chriſti cōmuniter doceri ſolet; ita expreſſè Diuus Thomas 3. *p. q. 56. art. 1. vbi omnes illius interpretes: idem docet in 4. contra gentes c.* *D. Thom.* *78. & de veritate q. 27. art. 3, ad 7. & in 4. diſt. 43. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. in corpore, & habetur in additionibus ad 3. p. q. 76. art. 1. vbi affirmat, reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam efficientem noſtræ reſurrectionis. D. Thomam ad literam ſequitur Abulenſis tom.* *Abulenſis* *6. in Matthæum ad cap. 22. q. 225. probat Sotus in 4. diſt. 43. q. 1. art. 4. concluſione 2.* *Sotus.* *pag. 401. colum. 1. vbi ita ſcribit: Reſurrectio Chriſti eſt, futuraque eſt cauſa noſtræ reſurrectionis, & inferiùs eam declarat de cauſa efficiente; idem late probat Medina 3. parte quæſtione 48. articulo. 6. concluſio. 4.* *Medina.*

per

Valentia. Porrecta. Alenſis. Ouandus. per totũ cõment.&q.56.ar.2.cõcl.6 Valẽt. 4.p.diſp.11.q.3.punct.2.pag.1935.in fine Seraphim à Porrecta in addtionib.ad 3.p.loco cit.fuit etiã opinio Alẽſ.3.p.q.20.mẽb.2.§.Ad aliud,quod quæritur fo.62.col.4.Et tãdem Ouandus in 4.diſt.43.propoſi.8.

40. Oppoſita ſententia. Oppoſitã tamen ſententiã probarunt nonnulli,vt refert Alenſis vbi ſuprà; quã etiam probauit Suarius 2.tom.ad 3.p.diſp. 50.ſect.4.§.Duo tamen hic inquiri poſſunt pag.1001.col.2.& 1.tom.diſp.31.ſect.8. paulò ante finẽ pag.624.col.1.in princ. Suarius.

Auctoris reſolutio. &hãc opinionem puto eſſe veriſsimã,ſi reſurrectio ſumatur formaliter pro ipſa actione: qua anima Chriſti Dñi actiuè vnita eſt ſuo corpori:nã ſi ſumatur,pro termino actionis,qui eſt Chriſti humanitas ex vnione animæ,& corporis reſultans,nõ poſſumus nõ admittere reſurrectionẽ Chriſti eſſe cauſam actiuã noſtræ; ſiquidẽ ſuperius diximus,Chriſtũ,vt hominẽ eſſe cauſam inſtrumentalẽ noſtræ reſurrectionis, quam operatur,tanquã agens,vt *quod* per ſuã humanitatem, tanquã per principiũ,

1. Fũdamẽtum. vt *quo*.Hæc poſterior pars noſtræ reſolutionis iam patet *ex dictis* §.3.& 4. prior pars ex eo mihi efficaciter probatur;quia actio formaliter ſumpta nõ poteſt eſſe actio,niſi ſui intrinſeci termini: nã cũ actio, vt actio eſt,realiter nõ diſtinguatur à ſuo termino,iuxta veriſsimã Philoſophiam; fieri nullo modo poteſt,etiã per diuinã potentiã, vt ſit actio productiua eorũ, quæ realiter diſtinguũtur:alioqui eadem res

41. realiter diſtingueretur, & nõ diſtingueretur à ſe, quod implicat. ¶ Quare fieri nõ poteſt, vt illa numero actio reſurrectionis, qua anima Chriſti Dñi actiuè vnita eſt ſuo corpori, & qua actiuè reſultauit homo Chriſtus,ſit formalis actio,qua animæ mortuorũ actiuè vniantur ſuis corporibus,& actiuè producantur,& reſurgant mortui : nã illa formalis actio, qua actiuè homo Chriſtus ſurrexit,& eius humanitas,realiter identificatur cũ ipſo Chriſto homine: & ſi illa ipſa actiuè reſurgerent alij homines.realiter identificaretur cum ſingulis: cum verè ſinguli realiter diſtinguantur,& inter ſe,& à Chriſto homine, vt patet; vtique illa actio à ſe ipſa realiter diſtingueretur , & non diſtingueretur, quæ eſt aperta implicatio.Quare fieri nõ poteſt, vt illa actio, qua Chriſtus actiuè reſurrexit ſumatur,vt inſtrumentũ,vt ſit actio hominum reſurgentiũ. Fieri quidẽ poteſt,vt termin⁹ alicuius actionis eleuetur à Deo ad producendã formã realiter diſtinctã;quia eleuatur,vt eſt forma actiua alterius formæ,quã producit per actionem à ſe inſtrumentaliter elicitã: at verò quod actio formalis vnius formæ eleuetur,vt ſit actio alterius formę realiter diſtinctæ,id nec per potentiã diuinã fieri poteſt. Exẽplo res iſta fiet euidentior: fieri poteſt,vt calor,quẽ ignis Inferni in loco Inferni producit,inſtrumentaliter à Deo eleuetur ad torquendos ſpiritus, at verò fieri nullo modo poteſt, vt formalis calefactio,qua calor in loco Inferni producitur,eleuetur,vt ſit formalis actio torquẽs ſpiritus:quia vt diximus,realiter à ſe ipſa diſtingueretur,& non diſtingueretur.

Nonnulli ex eo etiam probant noſtrã 42. reſolutionẽ;quia actio illa, ſiue motio re- 2.Fundam. ſurrectionis Chriſti iam præterijt,&ideò ꝓ illo iudicij tẽpore nõ erit;iã verò,quod fuit,& nõ eſt, nõ poteſt aliquid actiuè operari,nec enim admittendum eſt id, quod fuit,quanuis non ſit,poſſe ſumi, vt inſtrumentũ ad operandũ,vt benè aduertit *Suarius in d.diſp.50.pag.1001.col.2.B.& latiùs 1.tom.diſp.31.ſect.8.in princ.pag.622. col.1.& pag.623.col.1.&* 2.vbi hanc opinionem ſatis ſufficienter impugnat: Suarius. exiſtentia enim realis ſimpliciter eſt neceſſaria in agente, tùm principali,tùm inſtrumẽtario: nam agens inſtrumentarium, ſi eſt verum,& phyſicum inſtrumentum,vera & reali actione producit effectum, ita vt effectus, verè & realiter ab ipſo dependeat, quam Philoſophiam ſupponimus, tanquam veriſsimam.

Ex qua infertur, non ſatis eſſe ex- 43. iſtentiam in principali agente ; quoniam inſtrumentum ipſum realiter agit in effectum , & realiter illi tribuit eſſe: quod verò non habet eſſe reale, quomodo poterit in alio efficere eſſe reale? maximè, ſi vera eſt opinio,quod inſtrumentum agere non poteſt, niſi per virtutem realiter in ſe receptam ab agente principali: etenim, quod non eſt, nihil reale poteſt in ſe recipere. Nec ſatis ad hoc eſt, quod aliquando habuit eſſe; quia præteritio rei, quæ fuit, nihil reale illi ſupperaddit; ſed ſolam relationem quandam rationis,& vt plurimum valorem quendam, atque meritum in diuina accepta-

acceptatione, hoc autem licet ſatis ſit, vt res, quæ fuit, & non eſt, concurrat, vt cauſa meritoria; non tamen ſatis eſt, vt concurrat, vt cauſa efficiens, aut principalis, aut inſtrumentalis. Quare actionem reſurrectionis Chriſti Domini iam fuiſſe, licet ſatis ſit, vt concurrat per modũ cauſæ meritoriæ ad reſurrectionem aliorum ho minum; non tamen ſatis eſt, vt cõcurrat per modum cauſæ efficientis.

44. Impugnatur quædã ſolutio. Si verò quis reſpondeat, actionem, qua Chriſtus reſurrexit, non præterijſſe, ſed ſemper permanere, vt quia per eam Chriſti humanitas conſeruetur; vim argumenti non tollit: quoniam ſi illa actio facta fuit à Deo mediante anima, & corpore, tanquam inſtrumentis Dei (quæ fuit aliquorum opinio, quam probabilem putat *Suarius 2. tom. diſput. 45. ſect. 2. pag. 841. in fine, & diſput. 50. ſect. 4. pag. 1001 col. 2.* ſine fundamento dicitur, illam actionem adhuc permanere: quia humanitas Chriſti modo non conſeruatur per talem actionem; quia ſolum conſeruatur à Deo actione connaturali: nam, & hoc modo conſeruabit omnes homines poſt generalem reſurrectionẽ: illa igitur actio reſurrectionis Chriſti ab anima, & corpore inſtrumentaliter facta non permanet, ſed præterijt: vnde locus datur allatæ difficultati. Porrò ſi actio immediatè facta fuit à Deo abſque vllo medio inſtrumẽto (quæ eſt communior, & verior ſententia) admittimus, actionẽ illam permanere: quia ſicut Deus per actionem creatiuam continuatam conſeruat rem creatam; ita etiã per actionem, qua Chriſti humanitatem produxit, conſeruat eandem humanitatem: at tamen per illam actionem cõcurrere non poteſt ad reſurrectionem noſtram; quia nos reſuſcitabit mediante humanitate Chriſti, vt inſtrumento; cum tamen humanitatem Chiſti ſuſcitauerit actione immediatè à ſe producta: vnde non poteſt non eſſe alia actio: nam ſicut alia eſſet actio, qua Deus mediante cauſa ſecunda rem producit, ab ea, qua eam, ſicut poterat, immediatè produceret: ita actio reſuſcitatiua, quæ eſt à ſolo Deo, erit actio diſtincta ab ea, quæ fit mediante aliquo inſtrumento.

Suarius.

45. Vis argum. Quare hoc etiam argumẽtum pro noſtra ſententia maximè vrget: quoniam illa actio, qua Chriſtus ſurrexit, vel eſt præterita: vel adhuc permanet: ſi eſt præterita; non poteſt actiuè cõcurrere ad noſtram reſurrectionem; quia quod non eſt, nec per diuinam potentiam poteſt aliquid efficienter agere: ſi adhuc permanet; cum illa facta ſit à Deo immediatè, (nam aliàs præterijſſet, vt diximus) non poteſt non eſſe alia ab ea, qua Deus mediante Chriſto homine nos ſuſcitabit.

Plura alia argumenta pro hac opinione adducuntur, quæ refert Abulenſis in dicta quæſtione 225. quæ ideo omittuntur, quia vim non habent. Satis igitur ſint duo fundamenta, quæ adduximus; quæ vel non ſoluũtur, vel non ſatis ſufficiẽter. 46. Ad argumẽta.

Supereſt diſſoluere argumenta, quæ fiunt pro oppoſita ſententia: quæ facilè ſoluentur, ſi aduertamus, Deum per actionem reſurrectionis ipſam Chriſti humanitatem determinare ad opus miraculoſum noſtræ reſurrectionis, & ſubinde ex hoc, quod Chriſtus reſurrexerit per quãdam appropriationẽ cõmunicauit illi virtutem reſuſcitatiuam mortuorum. 47. Præmiſſã.

Quã Theologiam *ſcribit Caieta. 3. parte q. 56. articulo 1. & eam probat Suarius 1. tomo in dict, diſput. 31. ſect. 8. ad finem pag. 624. colum. 1. in principio, Nec in hoc reijcio Medina 3. parte quæſt. 48. artic. 6. pag. 779. col. 1.* Etenim licet humanitas Chriſti, ideò, quia eſt organum cõiunctum verbo Dei, habeat quòd ſit vniuerſale Dei inſtrumẽtum ad omne opus miraculoſum, quod in ordine ad redemptionem noſtram operabitur; tamen ad hoc, vel illud miraculum faciendum determinatur per aliquam cõditionem, ſiue accõmodationem: etenim quia propter noſtrã redemptionẽ paſſus eſt Chriſtus D. ideò ex ipſa paſsione determinata eſt eius humanitas, vt ſit inſtrumentũ iuſtificationis: quia verò ad deſtruendam mortem reſurrexit; ideo ex reſurrectione determinatam virtutem habuit ad mortuorum reſurrectionẽ. Admittã igitur reſurrectionẽ Chriſti in hoc ſenſu eſſe cauſam noſtrę reſurrectionis, quia per ipſam actualem reſurrectionẽ humatas Chriſti conſtituta eſt inſtrumentum efficax ad reſuſcitandos homines, vt ſatis explicat Caietanus vbi ſuprà: at tamen non admittam humanitatem Chriſti per eandem actionẽm, qua actiuè reſurrexit, actiuè concurrere ad noſtram reſurrectionem; ſed per aliam diſtinſtam, 48. Nota Theologiam.

quæ

quæ realiter identificetur cum homine per eam reſuſcitato. Itaque ipſa actio, qua Chriſtus reſurrexit, vt formaliter eſt talis actio, non eſt actio, qua mortui reſurgent; ſed eſt ratio, cur Deus humanitati Chriſti communicauit virtutem reſuſcitatiuam aliorum hominum.

49. Ad 1. arg. His præmiſsis, adducamus, & ſoluamus argumenta, quæ in contrarium adducuntur. Primum argumentum ſumi poteſt: quia Diuus Thomas in locis ſuperius citatis expreſsè docet, reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam efficientem noſtræ reſurrectionis, vt inſtrumentum diuinitatis.

Explicatur D. Thomas. *Suarius.* ¶ Huic argumento reſpondendum eſt, Diuum Thomam noſtræ ſententiæ non aduerſari, in ſenſu à nobis explicato, vt aduertit Suarius *in dicta diſputatione* 31. *ſectione* 8. *pagin.* 623. *columna ſecunda in fine*: etenim in eo ſenſu docet reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam noſtræ reſurrectionis, quatenus manens in ipſa humanitate, quæ ſurrexit, eſt veluti ratio determinatiua, & conſtitutiua illius in eſſe inſtrumenti virtuoſi ad operandum noſtram reſurrectionem: in hoc enim ſenſu *Caietanus loco citato explicat Diuum Thomam, dum ibi ad* 3. *Caietan.* & in pluribus alijs locis aſſerit, reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam efficientem noſtræ reſurrectionis, cum quo conſentit Suarius vbi ſuprà. Vnde in eodem ſenſu explicandus eſt, dum ibidem quæſtione 48. articulo ſexto, ait, actiones, & paſsiones Chriſti inſtrumentaliter operari, quæ pertinent ad ſalutem hominum. *Fundamentum ex D. Thom.* *Ex quo loco, & ex q.* 49. *articulo primo* ego ſumo argumentum pro explicato ſenſu: etenim non ſolum ait, actiones Chriſti inſtrumentaliter operari, quæ ad redemptionem pertinent; ſed etiam paſsiones: cum tamen paſsio, vt paſsio eſt, non poſsit eſſe actio formalis, qua aliquid actiue fiat; imò nec poteſt eſſe forma operatiua, ſi vera eſt opinio, quam in ſecundo tomo libr. 9. probauimus, potentiam obedientialem non poſſe reperiri, niſi in forma, quæ ex ſe eſt actiua.

50. Quare paſsio Chriſti in hoc ſenſu dici debet cauſa inſtrumentalis efficiens iuſtificationis; quia eſt cõditio, & ratio, cur Deus humanitati Chriſti communicauit efficientiam inſtrumentalem ad operandum noſtram iuſtificationem. Et profectò ſi diligentius expendantur, *quæ Diuus Thomas ſcribit in quarto diſtinctione* 43. *quæſt.* 1. *articulo ſecundo, quæſtiuncula prima*, illa ſatis explicant ipſam actionem reſurrectionis Chriſti actiuè per modum actionis nõ operari noſtram reſurrectionem: etenim docet reſurrectionem Chriſti non ſe habere, ad noſtram, vt formam, quæ eſt actio, vel principium actionis, ſicut calor eſt principium calefaciendi; ſed vt formam, quæ ex ſe non eſt actionis principium: dici tamen operari eam; quia principiũ actiuũ reſurrectionis noſtræ (nẽpe virtus diuina) eſt in ipſo Chriſto homine, qui nos reſuſcitabit. Vnde addit, ipſam reſurrectionem Chriſti eodem modo ſe habere ad noſtram reſurrectionem, vt ſe habet albedo in homine albo ad generationem hominis albi: albedo enim, vt ait, non generat hominem album, tanquam principium actiuum generationis hominis albi, ſed quia principium, quod in ipſo generante cauſat albedinem, eſt principium actiuum generationis hominis albi. Vnde ad finem corporis ita concludit: *Et per hunc modum reſurrectio Chriſti eſt cauſa noſtræ reſurrectionis; quia illud, quod facit reſurrectionem Chriſti, qui eſt cauſa efficiens vniuoca noſtræ reſurrectionis agit ad noſtrã reſurrectionem, ſcilicet virtus diuinitatis ipſius Chriſti. Et ad* 2. *verbis expreſsis docet reſurrectionem Chriſti, non in eo ſenſu dici cauſã noſtræ reſurrectionis, quod ipſa in eã agat.* D. Thom.

Quare D. Thomas ſatis explicauit, actionem reſurrectionis Chriſti nõ ideò dici cauſam noſtræ, quaſi ſit actiuum illius principium; ſed quia eſt ratio, cur homini Chriſto, & humanitati illius cõueniat virtus diuina, qua in eſſe inſtrumenti conſtituitur. Et ob hanc rationẽ D. Thomas ſolum dixit, reſurrectionem Chriſti Domini eſſe cauſam, quaſi inſtrumentalẽ reſurrectionis noſtrę, vt patet *ex dicta q.* 56, *ar.* 1. *ad* 3. *& clariùs in* 4. *loco citato.* 51.

Secundo obijci poteſt; quia in Sacra Scriptura reſurrectioni Chriſti tribuitur, quòd ſit cauſa noſtræ reſurrectionis: ad Epheſ. 2. n. 5. *Conuiuificauit nos Chriſto, & conreſuſcitauit*: ſed reſurrectio Chriſto nõ eſt cauſa meritoria noſtrę reſurrectionis, vt omnes docẽt; quia poſt mortẽ nihil meruit. Ergo erit cauſa efficiẽs: nõ principalis; ergo inſtrumẽtalis. ¶ Ad hoc argum. reſpon- 52. 2. Argum.

reſponderi poteſt, quod ſolum probat Deum nos reſuſcitare per Chriſtum, tanquam per inſtrumentum agens, vt quod; per humanitatem verò, tanquam per principium, vt quo. Ex quo non benè infertur, Deum nos reſuſcitare per ipſam actionem reſurrectionis Chriſti, niſi in ſenſu explicato, quatenus, ſcilicet ipſa reſurrectionis actio eſt ratio, cur Chriſto homini, & humanitati eius communicetur virtus reſuſcitandi alios. Vel in hoc ſenſu; quia ipſa reſurrectio terminatur ad Chriſtum hominem, qui, vt reſuſcitatus, eſt cauſa efficiens noſtræ reſurrectionis: quæ explicatio in idem redit cum priori: nam ſi Chriſtus homo, ideo quia reſuſcitatus, habet virtutem reſuſcitandi alios: vtique ratione ſuæ reſurrectionis eſt illi communicata talis virtus.

53. 3. Arg. Tertio obijcitur: quia humanitas Chriſti propter vnionem ad verbum aſſecuta eſt virtutem reſuſcitandi alios. Ergo eam communicauit ſuæ reſurrectioni: antecedens patet, Conſequentia probatur; quia ex eo, quòd Chriſti humanitas eſt inſtrumentum diuinitatis, ex conſequẽti omnes ſuæ actiones inſtrumentaliter operantur in virtute eiuſdem diuinitatis, vt docet Diuus Thomas 3. *parte quæſtione* 48. *articulo ſexto.* D. Thom. ¶ Ad hoc argumentum admittimus ſequelam, ſi conſequẽs intelligatur de actionibus ab ipſa humanitate inſtrumentaliter elicitis: etenim ex eo, quod humanitas Chriſti, vt diuinitati vnita, habet virtutem in actu primo ad reſuſcitandum mortuos in virtute diuinitatis; benè infertur, actionem, quæ, tanquam actus ſecundus reſurrectionem operatur, eam operari in virtute eiuſdem diuinitatis, eam inſtrumentaliter eleuantis: neganda eſt tamen ſequela, ſi conſequens intelligatur de actione, qua ipſa humanitas actiuè fuit reſuſcitata: hæc enim non eſt actus ſecundus virtutis reſuſcitatiuæ aliorum; & ideò vigorem non habet ex tali virtute; ſed immediatè ex virtute diuina, quæ tali actione humanitatem Chriſti reſuſcitauit. Nos autem de hac agimus, non de alia: Vnde Doctrina Diui Thomæ in dicto articulo 6. noſtræ reſolutioni non obſtat. Solutio.

54. 4. Arg. Quarto obijcitur: quoniam primum in quolibet genere eſt cauſa eorum, quæ ſunt poſt in eodem genere, vt ait Ariſtoteles in *ſecundo Metaphyſicæ capite ſecundo text. quarto.* Sed reſurrectio Chriſti fuit primum in genere noſtræ reſurrectionis; eſt enim primogenitus mortuorum, & primitię dormientium. Ergo reſurrectio Chriſti eſt cauſa noſtræ reſurrectionis. Argumentum eſt Diui Thomæ 3. parte quæſtione 56. articul. 1. in principio corporis.

55. Confirmat. Confirmatur ex eodem Thoma ibidem: quoniam naturalis ordo diuinitus inſtitutus habet, vt quælibet cauſa primò operetur in id, quod ſibi eſt propinquius, & per illud operetur in alia magis remota: ignis enim primo calefacit aerem, & per aerem calefacit corpora diſtantia: Deus etiam primo illuminat ſubſtantias ſibi propinquas, & per eas illuminat magis remotas, vt docet Dionyſius de Cœleſti Hierarchia capite 13. Dionyſi. Sed verbum Dei eſt principium, & prima cauſa viuificationis, & reſurrectionis humanę, iuxta illud Pſalmi 35. *Apud te eſt fons vitæ:* & Ioannis quinto: *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic & filius, quos vult, viuificat.* Ergo verbum Dei primo reſuſcitat corpus Chriſti mortuum ſibi vnitum; & per illud operatur reſurrectionem in alijs.

56. Solutio 4. argum. Ad hoc argumentũ dicimus maiorem in terminis, in quibus proponitur nõ eſſe Ariſtotelis in loco citato: ex eo enim ſolum deſumitur hoc axioma: *Quod cauſa eſt, vt cætera ſint talia, ex ſe eſt maxime tale,* quod coincidit cum illo alio primi poſteriorum capite ſecundo: *propter quod vnũquodq; eſt tale, illud magis eſt tale,* vt videre eſt apud Fonſecam, *in eodem loco* Fonſeca. *Metaphyſicæ; & apud Suarium in Indice* Suarius. *ad eam poſito ad finem primi tomi in Annotation. ad ſecundum librũ Metaphyſicæ capite primo numero ſexto.* Ex hoc autem axiomatè in rigore nullum contra nos ſumi poteſt argumentum: quia intelligitur de his, quæ ex ſe, & per ſe habent, quod ſint cæterorum cauſæ, vt ex verbis Ariſtotelis euidenter colliges. Iam verò, nec actio reſurrectionis, qua Chriſtus reſurrexit, ex ſe habet, quòd ſit cauſa reſurrectionis aliorum; nec humanitas Chriſti: nam virtutem reſucitandi alios habent, non ex ſe: ſed ex ſola virtute diuina, ex Diuo Thoma *tertia* D. Thom. *parte quæſtione* 13. *articul. ſecundo, &* 3. *&*

alijs

alijs in locis: vndè ex illo axiomate nullum argumentum poteſt deſumi.

57. Sed nec ex eo ſumi poterit, ſi ita proponatur: *Quod eſt maximè tale cæteris eſt cauſa, vt ſint talia*: quod ex illo loco Ariſtotelis deſumit Diuus Thomas *prima parte quæſtio. 2. articul. 3. & quæſtio. 44. artic. primo, & 1. contra gentes cap. 13. & in ijſdem locis Caietanus, & Ferrarienſis, & ante eos Capreolus in primo diſtinct. 3. quæſt. prima, & in ſecundo diſtinct. 14. quæſtione prima artic. primo in fine*: ex quo axiomate fortè deduci poteſt illud, quod ex eodem loco Ariſtotelis ſumit Diuus Thomas *in dicta quæſtione 56. artic. 1. primum in quolibet genere eſt cauſa aliorum, quæ ſunt in eodem genere*: etenim quòd eſt maximè tale, eſt primum in tali genere. At verò cum axioma ſumptum in prioribus terminis non ſit verum, niſi de eo, quod ex ſe, & per ſe eſt maximè tale, vt diximus; nec etiam verum erit, ſi in terminis poſterioribus proponatur, niſi in eodem ſenſu. Iam verò nec actio reſurrectionis, qua Chriſtus homo reſurrexit, ex ſua natura habet, quòd ſit primum in genere actionis reſurrectiuę, nec Chriſtus homo ex ſe, & per ſe habet, quod ſit primus reſurgentium cum immortalitate: nam licet de facto fuerit primus, qui ad vitam iterum non moriturus reſurrexerit; ex ſe tamen hanc primitatem non habet: quia poterat Deus alium hominem reſuſcitare ad immortalem vitam, antequam Chriſtus reſurgeret.

Caiet. Ferrar, Capreol.

D. Thom.

58. Quare ex illo Ariſtotelis proloquio, quocumque modo illud proponatur, nullum poteſt ſumi argumentum, vt virtutem cauſatiuam reſurrectionis aliorum tribuamus, aut actioni reſurrectionis Chriſti, aut ipſi Chriſto reſuſcitato. Decuit tamen vt Deus illam virtutem concederet, & CHRISTO & humanitati, propter vnionem cum diuina virtute, quæ ex ſe, & per ſe eſt prima, & principalis cauſa omnis reſurrectionis: illam tamen cõcedere non poterat actioni, qua Chriſtus reſurrexit, in ordine ad reſurrectionem aliorum: quia implicat, vt iam diximus, illam eſſe formalem actionem, qua alij homines actiuè reſurgant. ¶ Ex quo i[illegible] patet ſolutio ad confirmationem: ſolum enim cõcludit de Chriſto homine, & de eius humanitate; non verò de actione reſurrectionis Chriſti formaliter ſumpta, propter rationem immediatè aſsignatam.

59. Vltim. argumen. ex Ambroſ. Vltimo obijcitur Ambroſius in Pſalmo 36, vbi explicans illa verba Ioannis primo: *Quod factum eſt in ipſo vita erat*, ita ſcribit: *Caro facta eſt; in ipſo vita erat: mors facta eſt; in ipſo vita eſt: reſurrectio facta eſt; in ipſo vita eſt.* Et tandem concludit: *Vide quanta in ipſo facta ſunt, quibus vitæ noſtræ conuerſio facta eſt, vt quæ perierat, redderetur.* Hæc verba ex Ambroſio contra noſtram reſurrectionem adducit Medina 3. p. quæſt. 48. articul. 6. concluſione 5. pagin. 779. columna prima in fine. ¶ Sed non video, quomodo verba iſta nobis contradicant: fateor enim reſurrectionem Chriſti in verbo eſſe vitam: fateor etiam illam factam eſſe, vt nobis vita corporalis per mortem amiſſa redderetur. Sed inquiro; quomodo inde inferatur, reſurrectionem, vt eſt formalis actio, eſſe actionem, qua nos debemus ſuſcitari? etenim reſurrectio Chriſti fecit, vt virtus inſtrumentalis ſuſcitandi tribueretur Chriſto homini, & humanitati illius, vt iam diximus: & hoc ſatis eſt, vt illa dicatur facta, vt nobis vita per reſurrectionem reddatur.

Solutio.

§. 6.

Chriſtum Dominum noſtram reſurrectionem operaturum, & per actum imperij, & per vocem Archangeli.

60. Quorundã opinio. INquirunt Doctores; quomodo Chriſtus Dominus operaturus ſit vnionem animæ cum corpore, noſtramque reſurrectionem? quidam volunt eum hæc eſſe operaturum per ſolam ſuam voluntatem; ita nonnullos docuiſſe teſtatur Suarius *ſecundo tomo in dicta diſputatione 50. ſectione quarta pagin. 1001. colum. 1. in fine; vbi pagin. 1002. column. 1. in principio dixit probabile eſſe, quod ita fiet.* Hi autho res fundamentum ſumẽt ex verbis Chriſti Ioannis quinto: *Sic & filius, quos vult, viuificat*, & ex verbis Damaſceni libr. 4. de Fide cap. 28. *Crede reſurrectionem futuram diuina voluntate, virtute, & nutu.* Id eſt, imperio diuinæ voluntatis, ſe ſolo efficaci, vt ad nutum ſibi obediatur. Si verò

Suarius.

Ioan. 5. Damaſc.

rò illis obijcias, in ſacris literis mentionem fieri non ſolum iuſſus, & imperij; ſed etiam vocis, & tubæ: reſpondent vocem, & tubam in illis locis non ſumi propriè, ſed metaphoricè, vt denotent realem Chriſti præſentiam ſe ſe corporaliter demõſtrantem: etenim ex Diuo Gregorio, *tubam ſonare nihil aliud eſt, quàm mundo filium Dei, vt iudicem demonſtrare* Hanc opinionem nonnullos tenuiſſe, teſtatur Sotus *in 4. diſtinctio. 43. quæſtione prima articulo quarto. §. Haud tamen inter interpretes pagin. 402. columna ſecunda ad finem*: apud quos ſola præſentia Chriſti ſenſibiliter apparebit in iudicio abſq; vlla ſenſibili voce: vnde ipſe Chriſtus mortuorum reſurrectionem faciet ſolo interno voluntatis iuſſu, & imperio abſque vlla interna voce, aut ſonitu; ſicut Deus ſolo iuſſu, & imperio ſuæ volũtatis abſq; vlla voce media mundum condidit.

D. Grego.

Sotus.

61. Aliorũ opinio.

Alij volunt noſtram reſurrectionem faciendam eſſe non ſolum per imperium voluntatis Chriſti: ſed etiam per vocem ipſius Chriſti propriam & ſenſibilem, quę efficaciter præcipiet, vt mortui reſurgant. Hanc opinionem forte probabunt, qui volunt Archangelum, de quo Paul. 1. ad Theſſalonicenſes 4. *in iuſſu & in voce Archangeli*, eſſe ipſum Chriſtum Dominum. *Ipſe igitur Dominus* (ex Paulo vbi ſupra) *in iuſſu*, id eſt in imperio ſuæ voluntatis: *& in voce Archangeli*, id eſt in voce ſui ipſius, qui nomine Archangeli intelligitur: *& in tuba Dei*, id eſt in voce ſua propria; quæ ad modũ tubæ ſonabit: *deſcendet de Cœlo*, in ſua propria perſona incarnata, *& mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent & cætera*. Hoc eſt, inde conſequetur mortuorum reſurrectio. In eodem ſenſu intelligenda ſunt verba Pauli 1. *Corint. 15. In nouiſsima tuba, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti*, id eſt in nouiſsima voce ipſius Chriſti, quæ ad modum tubæ ſonabit, mortui reſurgent incorrupti. Fauent huinc ſententiæ verba Ioannis 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij eius, & procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Hæc opinio nonnullis fuit probata: plures enim voluerunt, vel nullam aliam futuram eſſe vocem ſenſibilem, niſi ſolius Chriſti Domini imperantis reſurrectionem; aut ſi admittendæ ſunt aliæ voces, Archangeli, & aliorum Angelorum; illę non ſunt admittendæ; vt inſtrumenta actiua, aut vnionis animæ cum corpore; aut reſurrectionis; ſed ſolũ ad colligendos cineres, & ad conuocandos homines iam reſuſcitatos, vt ad vnum iudicij locum conueniant. Itaque Chriſtus Dominus, & imperio ſuæ voluntatis, & voce ex illo virtuoſa, vniet animas cum ſuis corporibus, & vniendo faciet omnium reſurrectionem. Hanc opinionem abſque dubio probauit Valentia *quarta parte diſput. 11. quæſt. 3. puncto 2. pag. 1936. §. Tertia cauſa B.C.D.*

1. Ad Theſal. 4.

Valentia.

Ego puto Chriſtum Dominum, & ad vninonem, & ad reſurrectionem concurrere, & imperio ſuæ voluntatis; vt inſtrumento coniuncto; & voce Archangeli, tanquam inſtrumento ſeparato: etenim exiſtimo, Archangelum voce ſuæ tubæ eſſe inſtrumentum, & Dei, & Chriſti hominis, & ad vnionem animarum, & ad mortuorum reſurrectionem. Pro cuius explicatione duas ſtatuo concluſiones. 62. Authoris opinio.

Prima Concluſio: *Chriſtus homo reſurrectionem non operabitur ſolo interno ſuæ voluntatis iuſſu: ſed mediante voce ſenſibili, qua reſurrectio mortuorum efficaciter operabitur.* Statuitur contra primam opinionẽ; efficaciter ex eo probatur; quia cum iudicium futurum ſit ſenſibile, non poteſt non eſſe ſenſibile imperium Chriſti iudicis, quo imperentur, quæ ad iudicium ſunt neceſſaria: talis autem eſt reſurrectio mortuorum: vnde per vocẽ ſenſibilem imperabitur; nimirum per illam: *Surgite mortui, & venite ad iudicium*, vt diximus ſuprà art. 2. §. 4. ex Chryſoſtomo, & Theophylacto; & id collegimus ex iiſdem verbis Pauli: *In iuſſu, & in voce*, quæ ſatis declarant, voce illa exprimi iuſsionem, & imperium Chriſti iubentis fieri reſurrectionem: & eandem audient mortui, Ioannis. 5. Quod ſatis declarauit Euthymius in Ioannem c. 7. de Chriſto ita ſcribens: *Virtute arcana coaptabit, animabit, ac excitabit mortuos voce ſua, ſiue iuſſu, quo tunc per Angelum clamabit.* Et ſatis id explicauit Chryſoſtomus *homil. 8. in primam Epiſtolam ad Theſſalon.* his verbis: *Reſurgent mortui, & fiet opus non An-* 63. 1. Concluſ.

Chryſoſt.

gelorum

gelorum ad hoc quidquam valentiū, ſed verbi ipſius: tanquam ſi rege quopiam imperante, ac iubente egrederentur concluſi, & captiui, & miniſtri eos educerent: non illi poſteà propria virtute, ſed ex voce illa hoc facerent Quare illi voci (cuiuſcunque illa ſit) non eſt neganda phyſica efficientia in reſurrectionem, vt oſtendimus ſupra art. 2.§.5.ex Hieronymo, Hypolito, Origene, Chryſoſtomo, & Euthymio; addo nūc Gloſſam ad illa verba Pſalmi 67: *Dabit voci ſuæ vocem virtutis*: vbi ita ait: *Id eſt in virtutem ſuſcitandi corpora*. Idem docue-
64. runt plures; ex ſcholaſticis: *D.Thomas in* Gloſſ. ord. *4.diſt.43.q.1.art.2.quæſtiunc. 2. ad 2. vbi* D. Thom. *ita ait: Illa vox habebit efficaciam inſtrumē* Sotus. *talem ad reſuſcitandum. Idem docet Richar-* Richard. *dus ibidem art.3.q.3. Bonauentura art.1.q.* Bonau. *6.n.32. Sotus q.1. artic.4. §. Arguis fortè,* Suarius. *psg.403. col.2. Suarius 2.tom. ad 3.p. diſp.* Valentia. *50.ſect.4, pag.1002. col.1. Valentia 4.part.* Toletus. *diſp. 11. q.3. puncto 2. pag.1936. §. Tertio cauſa inſtrumentalis, & ſatis explicat Toletus ad illa verba Ioannis 5. Audient vocem filij Dei*, affirmans vocem illam eſſe inſtrumentum diuinæ potentiæ.

65. Confirmat. In confirmationē huius doctrinæ expendi poſſunt tùm verba Chriſti Ioannis 5. tùm Pauli 1.*Corint.*15.& 1.*ad Theſſal.* 4. Nam apud Ioannem ad auditionem vocis filij Dei ſequitur ipſa proceſsio mortuorum in reſurrectionem: ita enim habetur: *Qui in monumentis ſunt, audient* Ioan.5. *vocem filij Dei, & qui bona egerunt, procedent in reſurrectionem vitæ: qui verò mala, in reſurrectionem iudicij.* Apud Paulū verò in vtroque loco ad vocem tubæ conſequitur mortuorum reſurrectio, ita enim habetur 1. Corint.15: *Canet enim tuba, &* 1.Cor.15. *mortui reſurgent incorrupti:* & 1. ad Theſ- 1.ad Theſ. 4. ſalonicen.4: *In voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent, & cætera.* Quæ immediata conſecutio arguit virtutem quandā in illa voce reſuſcitatiuam mortuorum. Quod ex eo etiam poteſt cōfirmari; quia ſicut vox Dei iuſsiua alicuius effectus, ex eo, quòd eſt vox habentis poteſtatem ad illum effectum, eſt virtuoſa ad illius productionem, iuxta illud, ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt, ita etiam vox Chriſti Domini propter poteſtatem excellentiæ quam habet ad operanda miracula, maximè ad ea, quę ad finem Incarnationis pertinent, vt habes ex *D.Thoma 3.p.q.13.art.2.* ex ipſo Chriſti imperio virtuoſa eſt, & efficax ad operandum, quod à Chriſto imperatur: vnde D.Thom. vox illius, qua Lazarum, & alios mortuos ſuſcitauit, efficaciter operata eſt illorum reſurrectionē, vt omnes agnoſcunt: verba item Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, &c.* in cœna dicta ex eadem excellentiæ poteſtate virtutem habuit ad faciendam trāſſubſtantiationem panis in ſuum corpus. Eodem igitur modo, cum Chriſtus Dominus habeat poteſtatem excellentię ad mortuos ſuſcitandos; vtique vox illius habebit virtutē reſuſcitatiuam mortuorum. Quare cum contra præcitatam primam ſententiam admittendum ſit Chriſtum Dominum voluntatem ſuam reſur- 66.
rectionis imperatiuā ſenſibiliter expreſſurum: vtique per vocem ipſam operabitur reſurrectionem; non verò ſolo interno imperio voluntatis. Nec contra hoc aliquid efficiunt verba Ioannis 5. *Sic & filius, quos vult viuificat*; quia illa non denotant, filium ſolo interno imperio eos viuificare, ſed imperio ſenſibiliter expreſſo. Et eodem modo explicandus eſt Damaſcenus pro prima opinione adductus: Damaſc. nec enim negat, voluntatem diuinam exteriùs per verba eſſe explicandam; cum iudicium illud futurum ſit ſenſibile. Vnde illi opinioni non eſt admittendum in futuro iudicio ſolam Chriſti præſentiam futuram eſſe ſenſibilem abſque vllis vocibus, ſignisque externis, ac ſenſibilibus; cum certum ſit ſententiam voce ſenſibili à Chriſto eſſe proferēdam; nec D.Greg. oppoſitum docuit; imò admittit, ſonum tubæ ſenſibilem.

67. 2.propoſit. Secunda propoſitio: *Licet probabile ſit, quòd vnio animarum cum corporibus, & mortuorum reſurrectio ſola Chriſti Domini voce ſit operanda; mihi probabilius eſt, eam ſolum operandam fore voce Archangeli, tanquam externo quodam inſtrumento.* Prior pars Probatur 1. pars. ex eo probatur, quia placuit viris doctiſſimis: & probabilis eſt opinio, quòd in illo iudicio admittenda ſit vox Chriſti Domini; qua reſurrectionem imperet: admiſſa autem hac voce; vel nullæ aliæ voces admittendæ ſunt, vt nonnulli volunt; vel ſi admittantur, non ſunt admittendæ, vt operatiuæ reſurrectionis; quia ad eam ſatis eſt vox Chriſti. Poſterior verò pars ex

Probatur 2.pars. ex eo mihi probatur, quia longè probabilius iudico, Archangelum tuba canentem ſua voce ad imperium Chriſti prolata per modum inſtrumenti operaturũ eſſe,& vnionem,& reſurrectionem. Hac autem opinione ſuppoſita, neceſſariò admittendum eſt, Chriſtum Dominum nõ eſſe operaturum reſurrectionem noſtrã voce ſua propria; ſed eam operaturũ mediante voce Archangeli, tanquam inſtrumento ſeparato; ex poteſtate à Chriſto Domino illi delegata per poteſtatem excellentiæ, quam ad hoc habet: etenim nõ ſolùm poteſt ſuam delegare poteſtatem, ſed etiam committere efficaciam operatiuam reſurrectionis: ſicut ſacerdotibus propter eandem excellentiæ poteſtatem dedit efficaciam, vt per verba conſecrationis tranſubſtantiarent ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Chriſti:&per eandem poteſtatem excellentiæ eiſdem dedit poteſtatem, vt per verba Sacramẽtorum miniſterialiter actiuè gratiam cõferrent. Plura de hoc dicemus in vltimo §. huius articuli.

§. 7.

Chriſtum Dominum operaturum reſurrectionem non ſolùm bonorum, ſed etiam malorum.

68. Ratio dubitandi. ILla etiam dubitatio in hoc articulo excitari ſolet; an Chriſtus Dominus, vt inſtrumentum coniunctum diuinitatis effecturus ſit ſolam reſurrectionẽ bonorum; an etiam malorum? Ratio dubitandi ſumitur ex verbis Matthæi 24. n. 31. *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna; & congregabunt electos eius à quatuor ventis, & cætera.* Quæ verba intelliguntur de congregatione, quæ præuia reſurrectione facienda eſt à Chriſto. Ergo Chriſtus tantùm faciet reſurrectionem electorum: mali autem iuſſu,& imperio ſolius Dei immediatè ſuſcitabũtur. (Matt. 24.)

69. 2. ratio. Deinde ex eo ſumi poteſt dubitandi ratio; quoniam reſurrectio malorum nihil videtur habere ſimile cum Chriſti reſurrectione: quia corpora eorum dotes non habebunt: iam vero cauſa ſemper relinquit in effectu aliquid ſibi ſimile.

70. 3. ratio. Tertio; quia per reſurrectionem conformabimur Chriſto reſurgenti, vt ſignificat Paul. 1. Corinth. 15. dum ait; *Si Chriſtus reſurrexit: & nos reſurgemus.* Iam vero ſoli illi debent Chriſto conformari, qui portant illius imaginem; quam tamẽ mali non portant, ſed ſoli boni.

Dicimus tamen apud omnes eſſe indubitatum, Chriſtum Dominum; etiam reſurrectionem malorum operaturum eſſe: quod omnes Theologi, tanquam certum ſupponunt, vt patet ex *D. Thoma in 4. diſt. 43. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. in terminis ita reſpondent Sotus in 4. diſt. 43. q. 1. art. 4. §. Redarguitur etiam, pag. 402. col. 1. & Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 4. in fine*, vt alios omittamus. Quæ veritas ex eo probatur; quia fides docet, omnes etiam damnatos eſſe reſurrecturos, vt oſtendimus q. 4. art. 2. §. 4. omnes etiam reſurgent, vt à Chriſto iudicentur: *omnes enim nos* (ex Paulo 2. Corint. 5.) *manifeſtari oportet, ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Iam verò Ioãnis 5. *Pater omne iudicium dedit Filio*: ex quo infertur ſimul filio datam eſſe poteſtatẽ reſuſcitandi omnes, quos iudicaturus eſt. Satis etiam id probant verba Chriſti in d. cap. 5. Ioannis: *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei; & procedẽt, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala, in reſurrectionem iudicij.* Ex quibus verbis patet, tàm bonos, quàm malos ſurrecturos eſſe ex imperio,& efficacia vocis Chriſti Domini. Ergo tam boni, quàm mali operatione Chriſti ſunt reſurrecturi. Accedat etiam Paulus 1. Corint. 15: *Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur*: mortui, inquam, tàm boni, quàm mali reſurgent incorrupti: ſoli autem boni immutabuntur, per gloriam corporis: vtrique tamen reſurgent virtute tubæ, quæ à Chriſto virtutem reſuſcitatiuam accepit, vt ſæpè diximus. Accedat etiam illud Pauli: *Sicut in Adam omnes moriũtur* (morte ſcilicet naturali) *ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*, recuperando naturalem vitam. (71. Affirmatiua eſt vera. D. Thom. Sotus. Suarius. 2. Cor. 5. Ioan. 5. 1. Cor. 15.)

72. Ad 1. obiectionem. Quod verò obijcitur ex verbis Matthæi 24. nihil obſtat: quia verba illa non intelliguntur de voce reſuſcitatiua mortuorum: hæc enim fiet ante corporalem Chriſti deſcenſum ad iudicium; ſed de voce, quæ ante Chriſti deſcenſum congregabit in vnum locum omnes reſuſcitatos.

catos. Et quamuis illa vox congregabit ad iudicium, etiam damnatos, ſpecialiter tamen dicitur congregare omnes electos, ob rationes, quas explicauimus in d. art. 2. §. 4.

73. Ad 2. & 3. Ad ſecundam, & tertiam obiectionem reſpondetur cum D. Thoma vbi ſuprà ad 3. & Soto loco citato, Chriſtum Dominũ eſſe cauſam reparationis totius naturæ, non ſolùm quoad ea, quæ pertinẽt ad gratiam; ſed etiam quoad ea, quæ pertinent ad naturam: nam cum ſit deſtructurus peccatum, non ſolũ illud deſtruet, quatenus eſt priuatio gratiæ, ſed quatenus eſt priuatio vitæ perpetuæ; vnde ex Paulo 1. Corinth. 15. *Nouiſsima deſtruetur inimica mors.* Quoad reſtaurationem naturæ in ordine ad vitam, eſt cauſa vniuerſalis tàm in bonis, quàm in malis: at verò quoad deſtructionem gratiæ, ſolum erit cauſa in bonis. Itaque, vt ait D. Thomas, omnes tàm boni, quàm mali Chriſto Domino conformabuntur in reparatione vitæ naturalis: ſoli boni in reparatione gratiæ. Itaque Chriſtus in omnibus bonis, & malis relinquet ſimilitudinem ſuæ vitæ naturalis, quam in ſe ipſo per reſurrectionem reſtaurauit: at tamen in ſolis bonis relinquet ſui ſimilitudinem in ordine ad dotes ſupernaturales corporis.

§. 8.

Quænam in Chriſto homine ſit hæc virtus inſtrumentalis, qua ad operandum reſurrectionem eleuatur?

74. Quænam ſit virtus. SI quis inquirat, quænam ſit hæc virtus inſtrumentalis, qua Chriſtus homo, eiuſque humanitas eleuatur ad actionem mortuorum ſuſcitatiuã? quæſtio eſt ſatis controuerſa. Communis tamen non ſoli Chriſto, ſed omnibus creaturis, quæ eleuantur ad opera miraculoſa: de qua quæſtione latiſsimè egimus in 2. tom. lib. 10. q. 2. per totam: vide ibi art. 15. & iuxta ea hanc difficultatem explicabis.

§. 9. & vltimus.

Archangelum tuba canentem concurrere ad reſurrectionem, vt inſtrumentum.

75. Quæſtio. SVpereſt explicare; an præter Chriſtum hominem aliud inſtrumentũ concurrat, tùm ad vnionem animæ cum corpore; tùm ad mortuorum reſurrectionem? Partem negantem probari ſe- Pars negãs. rè ab omnibus forte quis arbitrabitur: quia ferè omnes ſimpliciter negant vnionem animæ cum corpore efficiendã eſſe miniſterio Angelorum, vt patet ex *Scoto in 4. diſt. 43. q. 5. litera B. §. De ſecundo dico*, vbi ſimpliciter docet, Angelum non Scotus. poſſe illam formam ſubſtantialem inducere in materiam: & idem videtur tenere *Richardus ibidem art. 5. q. 2.* vbi miniſteriũ Richard. Angelorum ſolùm admittit ad collectionem cinerum; non autẽ ad vnionem corporum cum ſuis animabus: idem etiam docet *Durandus ibidem q. 4. n. 6.* affirmans Durand. Angelum nõ poſſe inducere formam in Sotus. materia: & ſatis *Sotus ibidem q. 1. art. 4. §. Congregatis illis particulis cum ſequentibus, pag. 416. col. 1. & 2.* Sed hi authores non loquuntur in terminis noſtræ quæſtionis; ſed agunt de Angelis ſua naturali virtute miniſtrantibus: vnde ſolùm negant, hanc vnionem animarum cum corporibus poſſe fieri virtute naturali Angelorum; vtrùm verò Angeli ad eam aſſumãtur à Deo, tanquam inſtrumenta? nihil determinant; & ideò in noſtris terminis non poſſunt citari pro parte negatiua. Quare in terminis propoſitis, qui negantem ſententiam probaret, vnum inueni 76. Suarius pro negante. Suarium 2. *tom. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 4. pag.* 1000. *col. 2. §. Dico tertio, litera C.* vbi reputat fictitium, & abſurdum, Angelum concurrere ad reſurrectionem, vt inſtrumentum Dei: & id tanquam certiſsimũ abſque vllo allato fundamento ſupponit. Fateor poſſe illius ſententiam corroborari opinione Abulenſis *tom. 7. in Matth.* Abulenſis etiam. *c. 25. q. 612. pag. 211. col. 4. F.* quatenus docet, ſuſcitationem mortuorũ eſſe operationem Dei nulla alia ſubſtantia cum eo concurrente, vnde ibidem docet, eam non fieri mediantibus Angelis. Pro illo etiam facit idem *Abulenſis tom. 6. in Matthæum c. 22. q. 226. pag. 77. col. 2. D. E.* vbi docet, reunitionem iſtam, & reſurrectionem ideò non fieri mediante voce, de qua *Ioannis 5. & 1. Corint. 15. & 1. ad Theſſal. 4.* quia eſt operatio miraculoſa, quæ à Deo fit immediatè, nullo ſcilicet medio inſtrumento. Et eadem ratione pro hac negante opinione facit *Sotus in 4. diſt. 43. q. 1. art. 4. §. Quo autem Angelorũ, pag. 405. col. 1.* vbi expreſſè ait, animarum vnionẽ Sotus quoque. cum

cum corporibus à ſolo Deo immediatè fieri, abſque vllo creato miniſterio, ſicut fit animarum creatio. Adduci etiam poſ- ſunt pro hac opinione Scotus, & Durandus locis citatis, quatenus docent, hanc animarum vnionem efficiendam eſſe â Deo immediatè. Quamuis intelligi poſ- ſunt de immediatione, quę negat, mediationem cauſæ ſecundę in ſuo genere principalis, quam admittit infuſio animæ, cũ primò à Deo creatur: licet enim creatio illius immediatè fiat à ſolo Deo; vnio tamen eius cum corpore fit mediante generante, qui ſua actione ad illam concurrit. Quare pro hac negante ſententia in noſtris terminis ſolùm habemus Suariũ, & Sotum, & ſuo modo Abulenſem.

Non ſunt pro ea Scotus, & Durand.

77. Auctoris opinio.

Ego tamen puto, probabiliſsium eſſe Archangelum tuba canentem, de quo Paulus 1. Corint. 15. ad vnionem animarum cum corporibus, & ad mortuorum reſurrectionem concurrere, vt inſtrumẽtum ſeparatum Dei, & Chriſti. Fundamentum ſumo ex opinione, quam idem Suarius ſimpliciter probat *in d. ſect. 4. §. Tertiò vt hæc amplius, pag. 997. col. 2. in fine*, & nos inferiùs approbabimus: ſcilicet reſurrectionem mortuorum prius tempore eſſe futuram, quam Chriſtus Dominus è cœlo deſcendat: decet enim regiam Chriſti maieſtatem, iudiciariamq; illius poteſtatem, vt homines iudicandi Chriſti iudicis præſtolentur aduentum, quàm Chriſtum ipſum homines iudicãdos expectare. Hac autem opinione ſuppoſita, dici non poteſt, mortuos ſurrecturos ad vocem Chriſti. Et vt id fiat euidẽtius; ſuppono authores, qui volunt reſurrectionem efficiendam eſſe virtute, & efficacia vocis Chriſti in eo conuenire, vt vox iſta ſit ab ore Chriſti efformata per linguam, cæteraque organa ad loquendũ inſtituta: nam de hac voce intelliguntur verba Chriſti Ioannis 5: *Qui in monumentis ſunt, audient vocem filij eius*, id eſt, vocem naturaliter ab ore filij incarnati prolatam. Porrò ſi reſurrectio mortuorum futura eſt, antequam Chriſtus è cœlo deſcendat; profectò ſi mortui ad naturalem Chriſti vocem debent reſurgere; Chriſtus in cœlo, & è cœlo vocem illam edet. Cum verò in terris audiri debeat non poteſt non eſſe edita à Chriſto cum ingenti, & deformi oris rictu, & larga diſtorſione: iam verò Chriſti Domini maieſtatem non decet loquendo hiſcere, fatiſcereque. Nec ſatis eſt, ſi dicas, vocem illã naturalem ſine vllo oris rictu, & diſtorſione editam poſſe diuina virtute vbique diſtinctè audiri: quia ad miraculum non eſt recurrendum, quando ad id nulla cogit neceſsitas. Nec cum aliquibus recurrendum eſt ad vocem, quam Chriſtus exiſtens in cœlo abſque linguæ, oriſque miniſterio diuina virtute poteſt efformare in aere nobis propinquo: quoniã vox illa non eſſet vox Chriſti, nec humana; quod authores illius opinionis nec admittunt; nec eſt admittendum: quoniam regiam Chriſti maieſtatem magis decet nõ per ſe ipſum, ſed per ſuos miniſtros efficere, quæ ad iudicium ſunt neceſſaria. Iam verò Chriſtus per poteſtatem excellentiæ, quam à Deo habet ad ea, quæ ad iudicium pertinent, poteſt ſuis miniſtris dare virtutem reſuſcitandi; ſicut ſacerdotibus dat virtutem tranſubſtantiãdi panem, & vinum in corpus, & ſanguinem ipſius, & producendi gratiam iuſtificantem, vt fides docet. Quare præcitata opinione ſuppoſita, longè eſt probabilius, & decentius, vt reſurrectio mortuorum fiat, non voce ex ore Chriſti prolata, ſed voce miniſtri ex imperio Chriſti reſurrectionem imperantis. Nec ſolùm id eſt probabilius, ſi reſurrectio facienda eſt, prius quàm Chriſtus de cœlo deſcendat; ſed etiam ſi illa futura ſit Chriſto iam in terris præſente: quia ad principem, ſupremumque iudicem ſpectat facere per miniſtrum, quæ iudicium, & ſententiam antecedunt. Quare probabilius, & veriſimilius eſſe iudico, vocem imperatiuam, & executiuam reſurrectionis fieri ex imperio Chriſti, vel adhuc exiſtentis in cœlo, vel iam præſentis in terra; miniſterio tamen Angelorum; non quidem nudo, ſed virtuoſo, virtute illis à Chriſto collata. Quod etiam ſatis confirmatur ex Paulo 1. ad Theſſalonicen. 4. *in iuſſu, & in voce Archangeli*: nec enim probabiliter dicitur ibi per Archangelum intelligi Chriſtum Dominum: etenim vox illa ſemper dicitur tuba; ideò, quia per quandam tubam ex aere formatam ad modum ſonitus tubæ edenda eſt, ad terrorem incutiẽdum. Iam verò indecens eſt, vt Chriſtus per inſtrumentum ad modum tubæ loquatur:

Suarius.

Ioan. 5.

78. Non admittitur quorundam opinio.

79.

80. Vox illa fit ex imperio Chriſti, miniſterio Angelorum.

quatur.

quatur. Quod adhuc confirmatur ex verbis Euthymij cap. 7. in Ioannem: *Virtute, inquit, arcana coaptabit, animabit, & excitabit mortuos voce ſua, ſiue iuſſu, quo tunc per Angelum clamabit.* *Euthym.*

81. Suppoſita autem hac probabiliſsima ſententia, quod vox illa imperans mortuorum reſurrectionem, non eſt ore Chriſti edenda, ſed miniſterio Angelorum (quam opinionnm eſſe probabilem idem Suarius admittit *in d. ſect. 4. pagina 1002. col. 1. in fine*) tantùm abeſt, vt abſurdum ſit, Archangelum aſſumi à Deo, & à Chriſto, vt inſtrumentum ad reſurrectionem operãdam; vt ſit longè probabilius, ſi res iſta diligentius expendatur: etenim negandum non eſt, Chriſtum hominem ex poteſtate excellentiæ, quam à Patre habet ad mortuorũ reſurrectionem, poſſe alicui Angelo, vt miniſtro, & inſtrumento ſeparato dare virtutem miniſterialem ad reſuſcitandum mortuos. Nec puto id poſſe negari: nam ſi ex eadem excellentiæ poteſtate data ſibi in ordine ad gratiam ſacramentalem potuit dare virtutem ſacerdotibus, cęteriſque miniſtris, tùm ad producendam gratiam, tùm ad faciendam tranſubſtantiationẽ; cur ex eadem poteſtate excellentiæ non poterit dare virtutem actiuam ad reſuſcitandum mortuos? Quod verò de facto eam dederit, ex eo probatur; quoniam & Patres, & Theologi hanc virtutem admittunt in voce, quæ dicit; *Surgite mortui*, vt latè oſtendimus ſuprà art. 2. §. 5. & latiùs in hoc artic. §. 6. concl. 1. vbi hanc efficientiam deduximus, tùm ex verbis Chriſti *Ioannis 5; tùm ex Paulo 1. Corinth. 15. & 1. ad Theſſalon. 4.* Quare ſi verba illa ab Archãgelo proferantur, tanquam à miniſtro Chriſti ex illius imperio reſurrectionem imperante; profectò Archangelus eandẽ habebit poteſtatem, & virtutem: nam ſi verba prolata ſunt cauſa reſurrectionis; vtique ipſe etiam miniſter ea proferens, erit illius cauſa: nam ex eo, quod ſacramẽta à Chriſto inſtituta ſunt cauſa gratiæ, benè infertur, ipſum etiam miniſtrum eiuſdem gratiæ eſſe cauſam, vt latè oſtendimus in materia de Sacramentis in genere, & admittit *Suarius 3. tom. ad 3. p. q. 64. art. 1. in commentario literæ.*

Suarius. / Chriſtus dedit Archangelo poteſtatem reſuſcitandi. / *Ioan. 5. 1. Cor. 15.*

82. Nec vim argumenti elides, ſi dicas Archangelum nihil aliud facere, quàm ipſam vocem; & Chriſtum eum ſolum eligere, vt miniſtrum, ad ipſam faciendam: hoc enim & falſum eſt, & contra præcitata verba Pauli, *in iuſſu, & in voce Archãgeli*; ex quibus manifeſtè colligitur, Archangelum ita vocem illam efformare, vt per illam iubeat reſurrectionem, quam verba ſonant: ita enim ſunt intelligenda, *in iuſſu*, ſcilicet Archangeli, *& in voce Archangeli.* Porrò ſi Archangelus per vocẽ à ſe formatam iubet fieri reſurrectionẽ; vtique illã iubet ex poteſtate ſibi à Chriſto commiſſa: qua ſuppoſita, negari non poteſt, ipſum Archangeli iuſſum habere efficaciam miniſterialem, & inſtrumentalem in reſurrectionem; & per cõſequẽs nec negabitur, ipſum Archangelum, vt Chriſti miniſtrum reſurrectionem efficere iuſſu Chriſti eam imperando. Quod eſſe probabile expreſſè admittit idem Suarius *loco citato, pag. 1002. col. 1. ad finẽ*; & id confirmat verbis Euthymij. Vnde mirum eſt, quod ibidem pag. 1000. col. 2. §. *Dico tertiò, litera C.* putet eſſe abſurdũ, Archangelum ad reſurrectionẽ concurrere, vt miniſtrum Dei, & Chriſti.

Occurritur obiectioni. / Archangeli iuſſus habet efficaciam. / *Suarius.*

Si aliquis inquirat; quiſnam ſit ille Archangelus? iam ſuprà diximus eſſe Michaelem. Si rurſus inquiras; an ſolus ille Archangelus ad reſurrectionem, vt inſtrumentum concurrat? quæſtio indiget diſtinctione. Affirmatiuè reſpondendũ erit, ſi omnes mortuorum cineres ad vallem Ioſaphat Angelorum miniſterio ſũt deducendi, vt in eo fiat mortuorum reſurrectio, quæ eſt probabilior opinio, vt inferiùs dicemus: nam tunc ſolus Archãgelus illa nouiſsima tuba reſurrectionem imperabit. At verò res erit dubia, ſi ſinguli mortuorum in illis locis ſunt reſurrecturi, in quibus ſunt ſepulti, & indè cõgregandi ad vallem Ioſaphat: hac enim poſita opinione plures exiſtimant, ſingulos ſua propria tuba imperaturos reſurrectionem eorum, quorum cineres collegerunt: nec enim probabile eſt, quod vna tantùm vox Archangeli ad loca maximè diſtantia pertingat. Ego priorem dicendi modum puto eſſe probabiliorẽ, & ſatis ad mentem Pauli, dum ait, mortuos reſurrecturos eſſe in iuſſu, & in voce nouiſsima Archangeli. Cui accedit, quòd Ioan. 5. omnes mortui ad vnam vocem filij Dei procedent in reſurrectionẽ: quæ

83. / Archangelus ille eſt Michael. / An ille ſolus concurrat? / 84. Opinio auctoris.

quæ in ipſa vox, vt ſupponimus, eſt vox Archangeli: dicitur autem vox filij Dei; quia fiet ad illius imperium. Et inde infero probabiliorem eſſe opinionem, quod omnium reſurrectio facienda eſt in valle Ioſaphat. Si verò oppoſitum potius probes; admittendum tibi eſt, vocem illam Archangeli virtute diuina ad omnes orbis partes pertingere, in quibus mortuorum cineres miniſterio aliorum Angelorum ſunt congregati. Et hæc dicta ſint de cauſa efficiente reſurrectionis.

ARTICVLVS VI.

De cauſa exemplari reſurrectionis.

SEcundum ordinem poſitum in præfatione huius quintæ quæſtionis, diſputatio de cauſa exemplari ſextum obtinet locum. Pro cuius explicatione præmittimus, cauſam exemplarem (quam eſſe dandam ex Philoſophia ſupponimus, ſiue illa ad cauſam efficientem reuocetur, ſiue ad formalem) eſſe illam, quæ agenti repræſentatur, vt ad eius ſimilitudinem operetur. Inquirimus igitur; vtrùm in operanda noſtra reſurrectione Deus, & homo Chriſtus habeant aliquod exemplar, ad cuius ſimilitudinẽ noſtram reſurrectionem efficiẽt? In hoc igitur ſenſu inquirimus; vtrùm noſtra reſurrectio habeat aliquam cauſam exemplarem?

§. I.

Chriſtum Dominum eiuſque reſurrectionem eſſe noſtræ reſurrectionis cauſam exemplarem.

1. Chriſtus eſt cauſa exemplaris.

IN hac quæſtione certiſsimum eſt, & ipſum Chriſtum, & ipſius reſurrectionem eſſe cauſam exemplarem reſurrectionis noſtræ: id enim vno ore docent omnes Theologi; & euidenter deducitur ex ſacra Scriptura: etenim Paulus ad Philippenſes 3. n. 21. ita ait: *Saluatorem expectamus D. N. Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*: vt ſcilicet, ſit illi conforme, & aſsimilatum, ex Gloſſa interliniari, & ordinaria, ex Chryſoſtomo, cæteriſque expoſitoribus. Quod ſatis declarat litera græca, quæ ita habet: *vt fiat conforme corpori ſuo*, verſio etiam Syra ita tranſtulit: *vt fiat in ſimilitudinem corporis claritatis ſuæ*. Accedat Paulus ad Romanos 6. n. 5: *Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis eius; ſimul & reſurrectionis erimus*, id eſt, ſimul etiam complantati erimus ſimilitudini reſurrectionis illius: *Cõplantati*, inquam, *ſimilitudini reſurrectionis eius*, id eſt ad ſimilitudinem, atque conformationem reſurrectionis illius; vt ſcilicet ſimilem habeamus reſurrectionem; quia eodem modo reſurgemus, quo & ille reſurrexit: Optimus locus apud Paulum 1. Corint. 15. n. 48. & 49. *Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cæleſtis; tales & cæleſtes: igitur ſicut portauimus imaginem terreni; portemus, & imaginem cæleſtis.* Senſus eſt: vt ſicut Chriſtus per reſurrectionem adeptus eſt corpus cœleſte; nimirum immortale, & glorioſum; ita etiã nos cœleſtes ad inſtar illius aſſequamur corpus glorioſum, & immortale.

Ad Philippenſ. 3. *Gloſſa.* *Ad Rom. 6.* *1. Cor. 15.*

Quare ſicut per imaginẽ Adami terreni facti ſumus illi ſimiles; ita etiã portemus imaginem cæleſtis Adami Chriſti, vt ad ſimilitudinem illius in reſurrectione gloriam corporis obtineamus. Conſtat igitur ex Paulo Chriſti corpus per reſurrectionem glorioſum eſſe exemplar, ad cuius ſimilitudinem, & conformitatem omnes reſurgemus: & merito, quia Chriſtus reſurgens ex mortuis eſt primitiæ dormentium, & mortuorum primogenitus; cui ideò, quia erat Deus, non ſolùm collata eſt gloria corporis, ſed gloria, quaſi vnigeniti à Patre, in quo omnes eramus viuificandi. Iam verò, quod in vnoquoque genere eſt primum, ex ſe vendicat, vt ſit cæteris exemplar, regula, & menſura. Merito igitur in hoc conueniunt omnes Theologi, vt reſurrectio Chriſti ſit noſtræ reſurrectionis cauſa exemplaris: ita *Scholaſtici in 4. diſt. 43. vbi D. Thomas q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. habetur in additionib. q. 76. art. 1. idem docuit 3. p. q. 56. art. 1. ad 3. Idem docuerunt Alenſis 3. p. q. 20. memb. 2. art. 1. in principio, & in fine, Richardus in 4. diſt. 43. art. 3. q. 3. ad 3. D. Bonauent. art. 1. q. 6. n. 32. & in fine articuli, Sotus q. 1. ar. 4. §. Eſt tamen dubium, pag. 401. col. 2. Abulenſis tom. 6. in Matthæum c. 22. q. 235. ad 1. arg. fol. 89. col. 2. B. Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 5. poſt principium, pag. 1002. col. 2. in fine, & pag. 1003. col. 1. per totam, tanquam notum docet Salmeronius tom. 11.*

2.

D. Thom. Alenſis. Richard. D. Bonau. Sotus. Abulenſis Suarius. Salmer.

ſuæ Euangelicæ hiſtoriæ tract. 6. poſt princip. pag. 38. col. 1. vt alios in re notiſsima omittamus: ſatis ſit authoritas Auguſtini in libris de Trinitate, quem refert D. Bonau. vbi ſuprà in hæc verba: *Talia erunt corpora noſtra, quale Chriſtus ſua reſurrectione mõſtrauit.*

Auguſt. D. Bonau.

§. 2.

In quo poſitus ſit effectus exemplaritatis noſtræ reſurrectionis ad reſurrectionem Chriſti.

3. In quo poſitus ſit effectus exemplaris. SEd vt hæc cauſalitas exemplaris reſurrectionis Chriſti ad reſurrectionem noſtram melius explicetur, & faciliùs intelligatur, in quo nam poſitus ſit illius effectus, tria ſunt annotanda. Primum eſt, ad hoc, vt res aliqua ſit exemplar alterius, non ſatis eſſe, quòd illæ res ſint inter ſe ſimiles, & cõformes; ſed oportet, vt altera ad imitationem alterius efformetur, ita vt fiat ſub habitudine repræſentationis, & imitationis alterius: inde enim eſt, vt cauſalitas cauſæ exemplaris nihil aliud ſit, quàm ipſum efformari rei ad imitationem ipſius exemplaris: effectus verò ſit ipſam rem eſſe efformatam ſub habitudine imitationis alterius; quę omnia ex Philoſophia ſupponimus, & facilè colliges *ex Suario in d. diſput. 50. ſect. 5. §. Ex his ergo ſatis conſtat, pag. 1006 col. 1. & ex Conimbricenſibus 2. Phyſicorũ c. 7. q. 4. art. 1. §. Ad ea igitur argumenta, pag. 270. & q. 8. art. 1. in fine.* Quare reſurrectionem Chriſti, ſiue potiùs Chriſtum reſurgentem eſſe cauſam exemplarem noſtræ reſurrectionis nõ eſt aliud, quàm noſtram reſurrectionem fieri ad ſimilitudinem, & expreſsionem reſurrectionis Chriſti; ita vt ad inſtar illius in ipſa reſurrectione efformemur: & per conſequens nos eſſe exemplatos à Chriſto, tanquam à cauſa exemplari, nihil eſt aliud, quàm nos ad illius ſimilitudinẽ eſſe efformatos.

Suarius. Conimbr.

4. Notandum 2. Notandum ſecundò, perfectam rationem cauſæ exemplaris non requirere, vt exemplatum efformetur, exempleturq; ad omnimodam exemplaris æqualitatẽ; ita vt exemplatum in omnibus ſit æquale ipſi exemplari; ſed requirere æqualitatem ſecundum proportionem debitam ipſi exemplato. Oportet igitur, vt exemplatum habeat omnes perfectiones exẽplaris; modò tamẽ ſibi debito: in quo omnes conſentiunt, & benè aduertit *Suar. in d. ſec. 5. §. Secũdo cõſtet, p. 1003. col. 2. in fin.*

Suar.

5. 3. notab. Tertiò aduertendũ eſt, hoc loco agi de cauſa exẽplari inter duas actiones, ſ. inter reſurrectionem Chriſti, & noſtram: cum verò actiones, & mutationes ſortiantur rationes ſuas, tùm ex termino ad quem; tùm ex termino à quo; meritò inquiri poteſt; vtrùm reſurrectio Chriſti ſit noſtræ exẽplar quoad vtrũq; terminũ, ita vt noſtra cõformetur reſurrectioni Chriſti, tã in termino ad quẽ, quoad perfectiones ꝑ ſuam reſurrectionem aſſecutas; quàm in termino à quo facta eſt illius reſurrectio, qui eſt mors? Nõnulli reſpõdent, rationẽ cauſæ exẽplaris ꝓpriè non reperiri in reſurrectione Chriſti quoad terminum à quo; ſed ſolũ quoad terminũ ad quẽ: inter quos eſt *Suar. in d. diſp. 50. ſect. 6. poſt princ. pag. 1008. col. 1. A, & fuit opinio D. Thomæ in 4. d. 43. q. 1. art. 4. q. 2. & ſatis ibidẽ q. 2. ar. 5.* Fundamentũ eſt, quia cęteri nõ tàm moriũtur, vt Chriſto cõformentur; quàm in pœnã peccati. Id etiã confirmant, quia Chriſtus in mortalitate ſe nobis conformauit, iuxta illud Pauli ad Hebr. 2: *Quia pueri cõmunicauerunt carni, & ſanguini, & filius Dei participauit eiſdẽ*: Carni, inquam, & ſanguini, id eſt mortalitati. Dicendum tamen eſt rationẽ exẽplaris perfectius, & principalius cõuenire reſurrectioni Chriſti quoad terminũ ad quẽ; propriè tamen etiã illi conuenire quoad terminũ à quo: nõ quòd mors noſtra fiat ad exẽplar mortis Chriſti; ſed quòd reſurrectio noſtra fiat à morte, tanquã à termino à quo ad exemplar reſurrectionis Chriſti: etenim mors, quæ in pœnã peccati eſt impoſita, nunquã foret termin⁹ à quo reſurrectionis, niſi eandẽ termini rationẽ haberet in Chriſti reſurrectione. Quam conformitatẽ inter mortẽ noſtram, & reſurrectionem ſignificat immerſio in aquã, & emerſio ex aqua, quæ fit in baptiſmo: in quo per immerſionem cõſepelimur, non ſimpliciter, & nudè, ſed cum ſpe, & habitudine ad reſurrectionem: nam hoc modo caro Chriſti per mortem in ſpe requieuit in ſepulchro, iuxta illud Pſalmi 15. n. 9. *Caro mea requieuit in ſpe*: itaque nos abſolutè non morimur, vt Chriſto conformemur: benè tamen, quando morimur cum ſpe reſurgendi. Quare vtrãque exemplarem conformitatem explicabimus in ordine ad vtrumque terminum.

Suarius. D. Thom.

6. Propria opinio.

Pſal. 15.

§. 3.

Reſurrectio Chriſti ſolis iuſtis erit cauſa exẽplaris glorioſæ immutationis.

7. Chriſtus eſt exempla immutatio nir glorioſæ.

HIs præmiſsis, explicanda eſt conformitas exemplaris in ordine ad terminũ ad quem: & prius agemus de cauſa exemplari illius ad immutationem corporũ, quæ fiet per gloriam: deinde in ordine ad perfectiones naturales, in quibus omnes reſurgẽt. Quod attinet ad glorioſam immutationem; certum eſt, ſolos iuſtos eſſe per gloriam corporis immutandos: iuxta illud Pauli 1. Cor. 15: *Omnes quidem reſurgemus; ſed non omnes immutabimur.* Omnes, inquam, reſurgemus; tàm boni, quàm mali: non omnes tamen immutabimur; quia mali non immutabuntur, ſed ſoli boni. Quare Chriſti reſurrectio quoad hanc immutationem non erit cauſa exemplaris reſurrectionis malorũ, quia immutationẽ nõ habebunt. (1.Cor.15.)

8. In bonis tamen verè, & propriè erit cauſa exemplaris; quia illorũ reſurrectio verè fiet ſub habitudine immutationis ad glorioſam Chriſti reſurrectionem; ita vt immutabilitas ſupernaturalis corporis iuſtorum verè, & propriè efformata ſit ad inſtar reſurrectionis corporis Chriſti: iuxta illud ad Philippenſ. 3: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*; ita vt iuſti verè complantẽtur, & efformentur ad ſimilitudinem reſurrectionis eius ad Roman. 6. n. 5. Et verè portent imaginem Adami cœleſtis 1. Cor. 15: in quo formaliter poſita eſt exẽplaritas, & conformitas cauſæ exemplaris, vt diximus §. 1. notabili 1. Efformabimur autem non ad omnimodam æqualitatẽ gloriæ corporis Chriſti; ſed ad proportionem cuique debitam ratione meritorum; vnde nec gloria corporis noſtri erit ſimpliciter æqualis gloriæ corporis Chriſti; quia illa eſt gloria quaſi vnigeniti à Patre: nec omnes in hac corporis gloria erunt æquales, vt dicemus lib. 5. huius tomi tertij. (1.Cor.15.)

§. 4.

Reſurrectio Chriſti in iuſtis erit vera cauſa exemplaris quoad omnes naturales humani corporis perfectiones.

9. Erit iuſtis cauſa exemplaris quoad perfectiones naturales.

QVòd vero attinet ad perfectiones naturales corporis humani, indubitatum eſt, Chriſti reſurrectionem in iuſtis verã eſſe cauſam exemplarem omnium corporis humani naturaliũ perfectionum. Id facilè oſtendetur, ſi ſingulas perfectiones percurramus. Quòd illa ſit cauſa exemplaris vitæ ſubſtantialis, quæ eſt primum, & ſubſtantiale reſurrectionis fundamentum, ex eo probatur; quia conformabimur reſurrectioni Chriſti: ſicut enim anima Chriſti in illa fuit ſubſtantialiter vnita proprio corpori; ita & anima cuiuſque iuſti proprio corpori ſubſtantialiter vnietur: & reſultabit idem numero homo, qui cecidit: ſicut & Chriſtus reſurrexit idem numero, qui fuit mortuus: id, quod ſignificat Paulus 1. Corint. 15: *Sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*; vita. ſ. naturali, & humana: de qua viuificatione etiam intelligi poſſunt illa verba ad Roman. 8. *Qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, viuificabit mortalia corpora veſtra.* Erit etiam reſurrectio Chriſti cauſa exemplaris naturalis integritatis corporis humani: in ea enim omnes iuſti reſurgent; tùm; quia vt ait Paulus ad Epheſios 4. n. 13: *Occurremus omnes in virum perfectum*: tùm ſecundò; quia Chriſtus Dominus in ea reſurrexit: tùm tertiò; quia illa pertinet ad perfectam peccati deſtructionem: defectus enim corporis ſunt pœna peccati: Deus enim primum hominem cum perfecta ſubſtantiali integritate creauit; peccatum verò, ſicut fuit cauſa mortis in pœnam; ita etiam fuit cauſa omnium corporalium defectuum; tùm denique; quia anima, cum ex ſe ſit forma corporis naturalis, & perfecta; ex ſua natura appetit informare corpus perfectum, & integrum. Nec ſolùm Chriſti reſurrectio erit cauſa exemplaris integritatis ſubſtãtialis corporis humani; ſed etiam accidentalis omnium naturalium perfectionum, quæ naturam humanam comitantur: nam ſicut Deus creauit hominem, & ſubſtantialiter, & accidentaliter perfectum: ita etiam illum vtroque modo perfectũ recreabit: in quo etiam ſenſu intelligenda ſunt verba Pauli in d. c. 4. ad Epheſios: *Donec occurramus in virum perfectum*, perfectione ſcilicet ſubſtantiali, & accidentali, quia vtraque ad naturalem hominis perfectionem ſpectat. Vnde procul ab illis erunt omnes defectus ex indebita partium, humorum, & qualitatum diſpoſitione; & ideò aberit omnis ratio monſtruoſitatis, & deordinationis, quæ debi- (1.Cor.15. — Ad Rom. 8. — Ad Epheſ. 4. — 10. — 11. — 12.)

debitæ; ac naturali diſpoſitioni contrariabitur. Erit igitur cauſa exemplaris plenitudinis ætatis, in qua reſurgent iuſti; iuxta illud Pauli in d. c. 4. ad Epheſios: *Donec occurramus in virũ perfectũ, in menſurã ætatis plenitudinis Chriſti*: & per conſequens erit exẽplar quantitatis, & magnitudinis debitæ cuique: quia vnuſquiſq; reſurget in menſura, & quantitate debita plenitudini ætatis, in qua Chriſtus reſurrexit: etenim mẽſura plenitudinis ætatis nihil aliud dicit, quàm augmentũ, & magnitudinem perfectam, quã in plenitudine ætatis Chriſti per naturales animæ vires nõ impeditas, ſed perfectè operantes vnuſquiſq; aut cõparauit, aut debuit cõparare. In quo augmẽto includũtur integræ vires corporis & pfectũ temperamẽtum animæ maximè accõmodatum. Sed quia de his omnibus in ſequentibus libris latiùs ſumus dicturi, hæc de his dixiſſe ſit ſatis: quod ad præſens inſtitutũ pertinet, ex dictis habemus, quòd in iuſtis reſurgẽtibus hæc omnia reſtituẽtur ad ſimilitudinem Chriſti reſurgentis: quia in his perfectionib⁹ ideò reſurgemus; quoniam ad ſimilitudinem, & conformitatem Chriſti reſurgẽtis ſumus reſurrecturi: in quo poſita eſt ratio cauſæ exemplaris.

§. 5.

Reſurrectio Chriſti licet in aliquibus ſit cauſa exemplaris reſurrectionis malorum, non tamen in omnibus.

13. Eſt cauſa exemplaris ipſis reprobis in aliquibus.

IN hac quæſtione priùs breuiter explicabimus terminũ ad quẽ reſurrectionis damnatorũ: deinde inquiremus; an reſurrectio Chriſti propriè ſit cauſa exemplaris reſurrectionis eorum. Tertio loco; ſuppoſito quòd eſt cauſa; explicabimus; an in omnibus talis ſit? an verò ſolùm in aliquibus? Agemus autem primũ de damnatis adultis; deinde de infantibus, qui in originali deceſſerunt.

14. Quæ ſint certa.

Quod attinet ad primum; certiſsimũ eſt, damnatos eſſe ſurrecturos: id enim docet fides, vt oſtendimus ſupra q. 4. art. 2. §. 4. Certiſsimum etiam eſt, in reſurrectione illorũ animas eſſe ſuis corporibus ſubſtantialiter vniendas: & per cõſequẽs damnatos ſurrecturos fore ad vitã naturalem, cũ omnibus, quæ ad eſſentiam hominis pertinent, & cũ naturalibus ꝓprietatibus; potentiis. ſ. tàm intellectiuis, quã ſenſitiuis, & cũ cæteris, quę naturã humanam naturaliter comitantur. Quod ſatis colligitur ex Paulo 1. Cor. 15. *Omnes qui dẽ reſurgemus: nõ tamẽ omnes immutabimur.* 1. Cor. 15. Et ſtatim, *Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* In quibus verbis ſatis declaratur, tàm bonos, quàm malos reſurrecturos eſſe incorruptos; quia iterũ morituri nõ ſunt. Reſurrectio autẽ hominis dari nõ poteſt ſine vera hominis natura eſſentialiter integra. Certiſsimũ etiam eſt in corporibus damnatorum manſuros fore defectus corpori humano naturales, vt ſunt grauitas, opacitas, paſsibilitas, & alij huius generis: etenim hi defectus non tolluntur, niſi per dotes gloriæ, quibus damnati carent.

15. De integritate corporea damnatorum.

Dubiũ tamen eſt, vtrũ damnatorũ corpora ſurrectura ſint integra quoad omnia mẽbra, omniaq; organa facultatũ? Quidã negant, ſi in vita illa mẽbra nõ habuerũt. Pro qua ſentẽtia cõmuniter refertur *D. Bonau. in 4. diſt. 44. 1. p. ar. 3. q. 2.* ſed oppoſitũ expreſſè ſcribit ibidẽ *ad vltimũ n. 30*: Bonauent. eam tamẽ probat *Durand. ibidem q. 2. n. 6*: Durand. ſed oppoſitũ probat *D. Thomas ibid. q. 3. ar. 1. quæſtiũc. 1. Richardus cũ pluribus alijs*, D. Thom. Richard. quæ opinio lõgè eſt probabilior, vt alibi oſtendimus; vide interim *Suariũ in d. diſp. 50. ſect. 5. §. Dico tertiò, pa. 1005. col. 2.* Suarius. vbi pro ea citat Auguſt. epiſt. 146. *ad Conſentiũ in hæc verba: Iuſti immutabũtur in illam incorruptelã, cui nulla poſsit nocere corruptio: qui autẽ in eam non commutabuntur; incorrupti quidẽ reſurgent integritate membrorum; ſed tamen corrumpendi dolore pœnarũ.* Auguſt.

16. An mali reſurgant cũ defectibus, quos habuerint?

Similiter etiam dubiũ eſt; an damnati reſurrecturi ſint cũ defectibus corporũ, qui ex indebita partium, aut humorum, qualitatum vè cõpoſitione, proportione, aut diſpoſitione inſunt? vt ſunt ęgritudo, debilitas virium, gibboſitas, ingens capitis magnitudo cum ſimilibus. De hac quęſt. dubius eſt *Auguſtinus in Enchyridione c. 92.* Partem tamen affirmantem plerique probant, damnatos. ſ. cum illis defectibus eſſe reſurrecturos, inter quos ſunt *D. Bonauẽt. & Durandus locis citatis.* Negantẽ tamen partem alij putant eſſe veriſimiliorem, inter quos eſt Suarius vbi ſupra cũ *D. Thoma, Richardo, & Paludano, quos citat.* Quænam iſtarum opinionum ſit vera? ſuo loco expendemus: neutrius enim reſolutio ad noſtrũ conducit inſtitutũ.

17. An malis ſit cauſa exemplaris? His ita ſuppoſitis expendendũ eſt, an reſurrectio Chriſti ſit etiã cauſa exemplaris reſurrectionis damnatorũ in ordine ad terminũ ad quẽ? pro parte affirmatiua facit, quoniã reſurrectio Chriſti ratione humanitatis veram habet efficientiam in reſurrectionem malorũ, vt diximus in præcedente art. §.7: cur igitur in eam non habebit cauſalitatem exemplarem. Pro parte tamen negante facit; quoniam damnati reſurgent cum pluribus defectibus: ſ. cum grauitate, paſsibilitate, & opacitate: imò etiam cum defectibus diminutionis in membrorum integritate: atque etiam cum illis, qui oriuntur ex indebita compoſitione partium, aut humorum, vt probabilis docet opinio. Igitur non fit ad ſimilitudinem Chriſti reſurgentis, in quo nullus defectus reperitur.

Pro vtraq; parte.

18. Opinio negans. Huic dubitationi reſpondet D. Thomas, cauſalitatẽ exemplarem reſurrectionis Chriſti, ſi propriè loquendum eſt, nõ ſe extendere ad reſurrectionem malorũ, ſed bonorũ tantùm; *ita docet 3. p. q. 56. ar. 1. ad 3.* & idem videtur ſentire *D. Bonau. in 4. diſt. 43. art. 1. q. 6. ad 3. n. 35.* vbi affirmat, reſurrectionẽ Chriſti non perfectè aſsimilari reſurrectioni malorum, & ideò malos reſurgentes non eſſe perfectè exẽplata Chriſti reſurgentis: in eadem opinione eſt *Suarius in d. diſp. 50. ſect. 5. pag. 1006. col. 1. in principio*: etenim malorum reſurrectio, vt ait, non videtur fieri, vt mali Chriſtum repræſentent, aut ſint ei ſimiles, & conformes, ſed propter alias cauſas: nec enim Chriſtus, aut Deus (ſi propriè loquendum eſt) dum malorum reſurrectionem efficiunt, attendunt ad reſurrectionem Chriſti, vt velint eos cũ Chriſto conformari.

D. Thom.
D. Bonau.
Suarius.

19. Oppoſita ſententia probatur. Hanc opinionem aliquando probaui; re tamen diligentiùs expenſa, non puto, abſolutè negandum eſſe reſurrectionem Chriſti aliquam cauſalitatem exemplarẽ habere in reſurrectionem damnatorum. Hoc igitur modo puto hanc controuerſiam eſſe reſoluendã; vt reſurrectio Chriſti non in omnibus ſit cauſa exẽplaris reſurrectionis reproborũ; benè tamen in aliquibus. Prima pars eſt nota; quia notum eſt, reſurrectionẽ Chriſti eſſe non poſſe exemplar defectuũ, cum quibus reprobi reſurgunt; cũ in ea nulli defectus reperiãtur. Secunda pars ex eo mihi videtur probabilis; quia negari non poteſt, in Chriſti reſurrectione dari aliquam cauſalitatem exemplarẽ in ordine ad vnionem animæ cũ corpore, & reſtaurationem vitæ ſubſtantialis: etenim negandũ non eſt, damnatos in Chriſto viuificari vita naturali: nam ex Paulo 1. Cor. 15: *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabũtur*: quæ verba cõmuniter intelligũtur de morte, & viuificatione naturalis vitæ. Viuificari autẽ in Chriſto propriè loquendo nõ eſt viuificari per efficientiã Chriſti; nec per meritũ Chriſti; ſed idem eſt, quòd viuificari in Chriſto, tanquã in vitæ exẽplari. Accedit; quia nõ video, cur Chriſtus, dum reprobos viuificat, nõ intendat eos ſibi conformari; vt ſicut ille vita naturali viuit; ita & illi viuant. Vnde *D. Thomas in 4. diſt. 43. q. 1. ar. 2. quæſtiũc. 1. ad 4.* admittit, reſurrectionem, etiã reproborum habere aliquid de ſimilitudine reſurrectionis Chriſti, nimirum id, quod pertinet ad vitam naturæ, ſecundũ quam omnes Chriſto ſunt cõformes. Et D. Bonauent. nõ omnino negat, reſurrectionẽ Chriſti eſſe cauſam exemplarem reſurrectionis malorum: quia, vt ait, illos facit natura integros, ſicut Chriſtus in natura integra ſurrexit.

1. Cor. 15.

Quid de infantibus damnatis.

20. Idem de infantibus dãnatis. ¶ De infantibus, qui in originali deceſſerunt, idem dicendũ eſſe, quòd de damnatis, mihi eſt probabiliſsimũ: etenim illos inter reprobos, & damnatos enumerandos eſſe, dubitari non poteſt. Quare cũ admittamus, reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam exemplarem reſurrectionis adultorũ in ordine ad integritatem eſſentialem, & naturalẽ corporis humani; idẽ admittemus in iſtis infãtibus; verè enim reſurgent in integris corporibꝰ perfectis naturalibus perfectionibus, tẽperamenti, ſanitatis, roboris, imò etiã quantitatis, & magnitudinis debitæ plenitudini ætatis Chriſti, in qua reſurgent, vt in ſequẽtibꝰ libris dicemus: in his igitur omnibus eorum reſurrectio exemplabitur, & cõformabitur cum Chriſti reſurrectione, quæ ſicut erit cauſa efficiens reſurrectionis eorum; ita erit exemplaris, ad cuius ſimilitudinem efformabitur. Quæ opinio nõ poteſt nõ admitti ab his, qui in illis admittũt perfectiones aliquas naturaliter non debitas; quales ſunt beatitudo naturalis, quam

quã plerią; illis cõcedũt; vita delectabilior, quàm in vita præſēti haberi poſsit: ordinata, & plena corporis ſubiectio ad ſpiritũ, abſque vlla rebellione, & pugna carnis: plenior, & perfectior cognitio de Deo, quam Philoſophi habuerunt: imò etiam cognitio Chriſti Domini; quem tanquam omnium, & principem, ac ſuum benefactorem venerabuntur. Quæ omnia ſi vera ſunt (an autem ſint vera, alibi expendimus) dubitari non poteſt, hæc illis donata eſſe à Chriſto: vnde in illis verè Chriſto erunt conformes conformitate exemplata ab eodem Chriſto, tanquã ab exemplari. Vide *Suarium in d. diſp.* 50. *ſect.* 5. *in* 2. *dicto, pag.* 1004. 1005. *&* 1006.

§. 6.

De Cauſalitate exemplari termini à quo.

21. OStendimus ſuprà §. 2. rationē cauſæ exemplaris etiam reperiri in Chriſti reſurrectione reſpectu noſtræ penes terminum à quo: etenim niſi Chriſtus reſurrexiſſet, mors q̃ data eſt in pęnã peccati, non haberet rationē termini à quo reſurrectionis noſtræ: quia non reſurgerem⁹. Igitur reſurrectio noſtrã habet, quòd ſit à morte, tanquam à termino à quo, vt cõformetur Chriſti reſurrectioni, cuius terminus à quo fuit mors. Hac igitur opinione ſuppoſita, iã inquirim⁹; quomodò inter Chriſti reſurrectionē, & noſtram cauſalitas exẽplaris exerceatur?

Quæſtio de termino à quo.

22. Pro explicatione pręmittimus duplicem diſtingui poſſe terminum à quo reſurrectionis: vnum proximum, & per ſe neceſſariũ, qui eſt mors. Alterũ remotũ, & accidentariũ, qualis eſt reſolutio corporis in cineres, quæ eſt priuatio organizationis corporis humani. Sit prima concluſio: *Reſurrectio Chriſti Domini eſt vera cauſa exemplaris noſtræ reſurrectionis, quoad terminum à quo proximum, & eſſentialem.* Hęc eſt indubitata: licet enim reſurrectio Chriſti non ſit cauſa exemplaris, quoad reſurrectionem eſſe à morte, vt à termino à quo; quia ipſa reſurrectio hoc eſſentialiter ſibi vendicat: tamen quòd actualiter fiat à morte, & quòd mors actualiter ſit terminus reſurrectionis noſtræ, id habet à reſurrectione Chriſti, vt à cauſa exẽplari: nam ſicut ab actuali morte de facto reſurgemus; quia Chriſtus à morte actualiter reſurrexit (niſi enim ille reſurrexiſſet, nos actu non reſurgeremus) ita etiam actu à morte reſurgemus, vt Chriſto reſurgenti cõformemur. Et in hoc ſenſu valet illa Pauli cõſequentia 1. Corin. 15. n. 14: *Si mortui non reſurgunt, nec Chriſtus reſurrexit:* quoniã Chriſtus eſt cauſa & efficiens, & exẽplaris noſtræ reſurrectionis: ſublato autē effectu, auferatur cauſalitas, neceſſe eſt: vnde Paul. ibidem n. 20. ait: *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*: quia non ſolum eſt cauſa efficiens reſurrectionis noſtræ, ſed etiam exemplaris: quia ſicut ille à mortuis ſurrexit; ita & nos à morte reſurgemus, vt in hoc illi conformemur.

Duplex eſt terminus à quo. — 1. cõncl. — 1. Cor. 15.

23. Secunda concluſio: *Reſurrectio Chriſti non eſt cauſa exemplaris noſtræ quoad terminum à quo remotum, & accidentariũ.* Hæc etiam eſt omnino certa: quia certiſsimũ eſt, reſurrectionem Chriſti immediatè factam eſſe ex cadauere humano debitè organizato, quod ipſum nullam aliam paſſum eſt corruptionem, niſi ſeparationem animæ à corpore, iuxta illud Pſalmi 15. n. 10: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: cum tamen aliorum hominũ corpora ſecluſo priuilegio corrumpantur, & diſſoluantur in cineres. Quare terminus à quo remotus noſtrę reſurrectionis non eſt exemplatus à termino à quo reſurrectionis Chriſti. ¶ Vtrùm verò, ſecluſo priuilegio hominum reſurrectio futura ſit à cineribus? altera eſt quæſtio ad præſens inſtitutum non pertinens, de qua dicemus in ſequenti quæſtione.

2. concl. — Pſal. 15.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm reſurrectio Chriſti ſit cauſa meritoria noſtræ reſurrectionis?

1. SEptimum locum obtinet diſputatio de cauſa meritoria noſtræ reſurrectionis. In qua duo inquiri poſſunt; primum eſt, an Chriſtus Dominus noſtram reſurrectionem meruerit? Secũdũ eſt, per quam actionem illam meruerit?

2. Quòd Chriſtus noſtram reſurrectionē meruerit indubitatũ eſt: quoniã Chriſtus meruit noſtram redemptionē, & perfectã deſtructionē peccati: cũ verò peccatũ fuerit cauſa priuationis, tùm vitę ſpiritualis, quæ eſt gratia; tũ vitæ corporalis p morte, iuxta illud ad Rom. 5: *per vnum hominē peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors*: mors autē per reſurrectionē hominum

Chriſtus meruit noſtram reſurrectionem. — Ad Rom. 5.

minum in ipſis hominibus deſtruatur, ex eodem Paulo 1. Corint. 15: *Nouiſsima autem inimica deſtruetur mors*: vtique Chriſt⁹ Dominus ſua paſsione hominum reſurrectionem meruit, non ſolum iuſtorũ, ſed etiam malorũ: nam licet reſurrectio malorum, quatenus eſt ad vindictam, & pœnam, non cadat ſub meritis Chriſti; ſed potius ſit effectus demeritorum ipſorũ malorum: tamen prout illa terminatur ad vitam, quæ de ſe bona eſt, & nõ poteſt, niſi ſupernaturaliter reparari, & fuit per peccatũ introducta: abſque dubio poteſt cadere ſub meritis Chriſti: quia ſub meritis eius cadit, vt natura humana in ſua naturali perfectione, & integritate creata, & per mortem deſtructa, per Chriſtum in omnibus integraliter reparetur, iuxta illud 1. Cor. 15: *Sicut in Adam omnes moriũtur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*: & rurſus: *per hominem mors, & per hominẽ reſurrectio mortuorum*. Quare ſicut per meritum Adami peccantis omnes homines mortui ſunt; ita per meritum Chriſti omnes homines per reſurrectionem viuificentur. Quod optimè annotauit *Suarius in d. diſp. 50. ſect. 4. pag. 995. col. 2. in fine, ex Cyrillo lib. 4. in Ioannem c. 51. & ex Tertulliano de reſurrectione carnis, quos citat*. Et quidem quòd reſurrectio iuſtorũ ſit ex meritis Chriſti, res eſt indubitata: quia Chriſtus ſua paſsione meruit nobis gloriam, non ſolum animæ, ſed etiam corporis, in qua poſita eſt completa iuſtorum redemptio.

1. Cor. 15. — Suarius. — Cyrill. — Tertull.

3. *An per ſuã reſurrectionem meruerit noſtrã?*

Quòd verò ad ſecundum attinet, non poteſt eſſe dubiũ, quin Chriſtus ſua paſsione ſibi, & nobis reſurrectionẽ meruerit: dubitari tamen poteſt; an per ſuam reſurrectionem meruerit noſtram? Negãt omnes, qui de hac quæſtione ſcribunt: ita *D. Thomas 3. p. q. 56. art. 1. ad 3. vbi aſſerit, reſurrectionem Chriſti propriè loquendo non eſſe cauſam meritoriam noſtræ reſurrectionis. Idem aſſerit Alenſis 3. p. q. 20. membr. 2. ar. 1. in principio, expreſſit idipſum Medina in d. q. 56. D. Thomæ art. 1. concl. 5. pag. 931. col. 2. & Salmer. tom. 11. Euangelicæ hiſtoriæ tract. 6. pag. 40. col. 1. in fine*. Fundamẽtum eſt; quia Chriſtus, quando reſurrexit, iam non erat in ſtatu merendi.

D. Thom. — Alenſis. — Medina. — Salmer.

4. *Iuſti eam merentur. — Suar.*

Nec ſolùm Chriſtus noſtram meruit reſurrectionem; ſed etiam quilibet iuſtus eam ſibi merebit, vt benè aduertit *Suari⁹ in d. ſect. 4. pag. 995. col. 2. B*: etenim cum quilibet mereatur ſibi gloriam, tâm animæ, quàm corporis, quilibet etiam ſuam merebitur reſurrectionem, quæ eſt fundamentum corporalis gloriæ. Vnde animæ beatæ ſuorum corporum reſurrectionem petunt cap. 6. Apocalypſis.

ARTICVLVS VIII. & Vltimus.

De cauſa finali noſtræ reſurrectionis.

1. *De cauſa finali.*

SVpereſt dicamus de cauſa finali noſtræ reſurrectionis: in cuius explicatione nõ eſt immorandũ: quia plures poſſunt dari fines, quorum gratia fiat reſurrectio. Dicimus ergo, primariũ, & vltimum finem illius eſſe Deũ: Deus enim omnia propter ſe ipſum operatur. Poſt Deũ proximus finis eſt Chriſtus, vt homo: etenim omnis gloria hominum, maximè quæ ad ſuã pertinet redemptionẽ, ordinatur ad Chriſti gloriam. Quod verò in illius gloriam cedat reſurrectio malorũ inde ꝓbatur; quia per eam manifeſtatur Chriſti iuſtitia, & efficacia. Poſt hos fines primus, & principalis eſt, meritorũ remuneratio, ſiue præmij, ſiue ſupplicij, quod ex Paul. 1. Cor. 15. ſatis deducitur, *Si mortui non reſurgunt; vt quid baptizantur pro illis? vt quid & nos periclitamur omni hora? ſi ſecundũ hominẽ ad beſtias pugnaui Epheſi; quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? mãducemus, & bibamus: cras enim moriemur*. Quæ verba ſatis indicant, reſurrectionem fieri, vt boni laborũ ſuorũ prę mia cõſequantur; & vt mali pro ſuis peccatis ſupplicia recipiant: nam cum in corpore bona, vel mala facta ſint; oportet, vt in corpore viuentibus, vel præmia decernantur, vel ſupplicia. Accedat etiam perfectio vniuerſi, & complementum naturalis appetitus, quo anima corporis ſui informationem, & adminiſtrationem deſiderat: etenim niſi fiat reſurrectio, vniuerſum eſſet naturaliter imperfectũ; quia illi deficeret præcipua ſpecies corporea, qualis eſt ſpecies humana: nec enim anima ſeparata eſt homo; nec corpus non informatũ anima. Vnde animæ deſiderium ad conſtituendũ hominem nullo modo poſſet compleri. Vide de hoc *Abulenſem to. 6. in Matth. c. 22. q. 222. ad 3. arg. fol. 72. col.*

Deus eſt. — Chriſtus etiam. — 1. Cor. 15. — 2. — Abulenſ.

col.2.D.& tom.7.ad c.25.q.763.fol.274. col.2.& Suarium in d.diſp.50.ſect.4.§.Altera cauſa, pag.995.B. Et hæc ſufficiant de cauſa reſurrectionis.

Suarius.

QVÆSTIO VI.

De ordine, quo reſurrectio fiet.

Articuli explicandi.

IVXTA ordinem poſitũ in præfatione ad iſtum tertium tomum poſt diſputationem de cauſa reſurrectionis, ſequitur diſputatio de ordine, quo illa fieri debet. In qua duplex ordo poteſt diſtingui. Primus, inter ipſam reſurrectionem, & terminum à quo fit. Secundus inter ipſos reſurgentes. In hac igitur quæſtione ſequentes excitabimus articulos. Primus eſt; vtrũ reſurrectio debeat fieri ex cineribus, in quos corpora mortua reſoluuntur? Secundus; vtrùm prius tempore electi reſurrecturi ſint, quàm reprobi? Tertius; an prius reſurrecturi ſint iuſti, qui ante iudicij diem mortui ſunt; quàm hi, qui tempore iudicij viui reperientur? Quartus denique; an reſurrectio bonorum priùs ſit futura, quam raptus eorum in aera?

ARTICVLVS I.

An omnium reſurrectio fiat ex cineribus?

§. I.

Explicatur titulus quæſtionis.

1. 1. Premiſſ.

PRo explicatione queſtionis aduertimus, quæſtionem non excitari de illis, qui ex ſpeciali priuilegio à Deo habuerunt, vt abſque corporis reſolutione in elemẽta ſurrexerint. Si inquiras; an hoc priuilegiũ alicui ſit cõceſſum? Reſpondebimus, illud abſque dubio fuiſſe conceſſum Virgini Deiparæ; cuius corpus ad immitationem ſui filij ad vitam reſurrexit, abſque vlla illius reſolutione. An alijs id conceſſum ſit? dubitari poteſt Sotus *in 4. diſt. 43. q. 2. art. 5. in 2. arg. pro prima concluſ. pag. 425. col.* 1. putat, hoc priuilegiũ etiã conceſſum fuiſſe Enoch; & Eliæ. Sed in ſuperioribus non admiſimus duos iſtos Patres iam ad gloriam ſurrexiſſe. Et quanuis admiſerimus, eos, qui cum Chriſto ſurrexerunt, verè iam ad gloriam ſurrexiſſe, & cum Chriſto in Cœlum aſcendiſſe, non admittimus tamen eorum corpora in cineres non fuiſſe reſoluta. Quare hoc priuilegium in ſola Virgine admittimus, ſed ad noſtrum inſtitutum parum refert, an illud alicui alteri fuerit conceſſum; quia agimus de illis, qui abſque hoc priuilegio, vel ſurrexerũt vel in die nouiſsimo reſurgent.

Quibus cõceſſum ſit non reſolui in cineres.

2. Quid per cineres intelligatur.

Deinde aduertimus, communem opinionem nomine cinerũ non ſolùm intelligere terram, in quam pleræque corporis Patres reſoluuntur; ſed etiam cætera omnia elementa: quia in omnia cadauer humanum tandem reſoluitur, tanquam in prima principia componentia. Ita docet D. Thomas cum cæteris, quos pro parte affirmante ſtatim citabimus. Quare perinde eſt inquirere, vtrùm omnium reſurrectio fiat ex cineribus, atque inquirere, an illa fiat ex quatuor elementis, in quæ humanum corpus ſit reſolutũ. Cur autem omnia quatuor elementa generaliter appellentur cineres, à quibus reſurrectio fiat? D. Thomas, & alij plures cauſas aſsignant: duæ tamen ſunt potiores. Prima eſt; quia olim omnium cadauera igne comburebantur, & reſoluebantur, in cineres: ob quam rationem ſepulchra, in quibus iſti cineres reponebantur, dicebantur buſta. Secunda eſt; quia maior pars cadaueris reſoluitur in terræ puluueres: ob quam rationem ſæpe ſcriptura cõmemorat hominem per mortem reſoluẽdum eſſe in terram, id eſt in terræ puluerem, vt patet Geneſis 3. num. 19. *donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris.* Cùm verò inter puluerem terræ, & cinerem maxima ſit ſimilitudo, vſus in ſacris literis frequens eſt, vt puluis, & cinis pro eodem ſumantur: vnde Geneſis 18. Abraham ad Deum ait: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis.* Et Eccleſiaſtici 10. *Quid ſuperbis terra & cinis?* & alibi ſæpè. Ob hanc igitur rationem omnes reliquiæ, quæ remanẽt humano corpore reſoluto, dicuntur cineres: cum tamen non in ſolam terram corpus reſoluatur; ſed in cætera etiam elementa, ex quibus componitur.

Geneſ. 3.

Geneſ. 18.

Eccleſ. 10

3. Quid inquiratur. Ex quo iam patet ſenſus quæſtionis: inquirimus enim; vtrùm omnium hominum reſurrectio futura ſit ex quatuor elementis, in quæ cadauer humanum reſolutum ſit? An verò aliqua fieri debeat, vel ex cadauere integro non dum quoad aliquam partem reſoluto; vel ex reſoluto quoad aliquas, non tamen quoad omnes; vt quia ſaltem aliqua oſſa non dum ſint reſoluta, ſed maneant ſub forma oſsis, ſub qua fuit in cadauere?

§. 2.

Refertur pars affirmans.

4. Opinio affirmans. QVòd ſecundum legem ordinariã omnium hominum reſurrectio in die iudicij facienda ſit ex cineribus, hoc eſt ex quatuor elementis, in quæ cadauer humanum quoad omnes. & ſingulas ſuas partes reſolutum ſit probauit ferè concors Theologorum ſentẽtia. Ita ſcribentes *in 4. diſt. 43. vbi D. Thomas q. 1. art. 4. quæſtiuncul. 2. (habetur in additionibus q. 78. art. 2.) D. Bonauentu. ibidem art. 1. q. 5. num. 31. Richardus art. 4. q. 2. Sotus q. 2. artic. 5. concl. 1. Abulenſis tom. 6. in Matthæum cap. 22. q. 235. fol. 88. col. 4. cũ pleriſque alijs.* D. Thom. D. Bonau. Sotus. Abulenſ.

5. 1. Arg. Primum huius opinionis fundamentũ ſumitur: quia non ſola mors eſt homini inflicta in pœnam; ſed etiam corporis reſolutio in terram, iuxta illud Geneſis 3. num. 19. *Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ergo ſicut in pœnam omnes morimur; ita in pœnam omnium corpora in cineres totaliter reſoluẽtur: etenim ſecluſa iuſtitia originali, ſicut mors omnibus erat naturalis; ita & naturalis erat cõpleta corporis reſolutio in cineres.

6. 2. Arg. Secundum fundamentum: quoniam illud Pſalmi 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* ex D. Petro Actorũ 2. non intelligitur de Dauide, ſed de ſolo Chriſto. Ibi autem nomine corruptionis non intelligitur mors, id eſt ſeparatio animæ à corpore; ſed intelligitur corporis reſolutio in cineres, & in elemẽta: etenim Chriſtus mortuus eſt; corpus tamẽ eius nullam corruptionem reſolutionis pertulit. Ergo cæteri homines (niſi adſit ſpeciale priuilegium) in cineres reſoluentur.

Tertium fundamentum: quoniã Chriſtus Dominus non ſolum eſt hominem à morte reſuſcitaturus, vt configuratus morti eius, illi occurrat ad reſurrectionẽ; ſed etiam reformabit hominis corpus, vt homo corpore reformatus configuretur corpori claritatis ſuæ, vt docet Paulus ad Philippenſes 3. vbi num. 10 *Ad cognoſcẽdum virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionis illius; configuratus morti: eius ſi quomodo occurram ad reſurrectionẽ, quæ eſt ex mortuis.* Et inferiùs num. 21. ad finem capitis: *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Ex prioribus verbis colligitur, Chriſtum ipſum totum hominem reſuſcitaturũ, qui per ſeparationem animæ à corpore mortuus fuit: ex poſterioribus verò; eum ita hominem reſuſcitaturum, vt etiam corpus eius ſit reformaturus. Sed ſicut homo non poteſt ſuſcitari, niſi à morte; ita corpus illius non poterit reformari, niſi à corruptione reſolutionis: nam ſi corpus non eſt reſolutum, ſed manet integrum abſque vlla corruptione, ſolum ad vitam ſuſcitabitur, nõ verò reformabitur: etenim reformatio non eſt aliud, quàm ex primis principijs reintegratio. 7. 3. Arg. Ad Phil. 3.

Quarto loco probatur ratione naturali: quoniam compoſitio miſti ex elemẽtis ſit, & conſeruatur cœlorum lationibus. Ergo quieſcentibus cœlis omnia miſta reſoluentur in elementa, & per conſequẽs, neceſſe eſt, vt omnia miſta poſt diem iudicij reſoluantur. Igitur corpora humana, etiam ſi vſque ad illam diem non ſint totaliter reſoluta; in illo die per ipſam cælorum quietem, in elementa reſoluentur. 8. 4. Arg.

Vltima ratio: quoniam in corporibus humanis nõnulla erunt, quę non ſunt de veritate illorũ, vt ſunt tumores aliqui in carne, caro excreſcens, & id, quod præter intentionẽ naturæ cum corpore natum eſt: hæc, cum nõ ſint de veritate humanæ naturæ, non reſurgent cum corpore reſurgente. Ergo ſunt ab eo ſeparanda: ſeparari autem non poſſunt, niſi ipſa corpora in cineres reſoluantur. 9. Vlt. arg.

His argumentis mouentur huius opinionis Authores, vt dicãt, ad reſurrectionem non ſolum corpus ſoluendum eſſe ab 10. Opinionis ſenſus.

ab anima per mortem; ſed etiam ſoluendam eſſe miſtionem ipſius, & partium, ita vt ſicut per reſurrectionem reſurgit homo nouus, corpus nouum, oſſa etiam ipſa, nerui, cutis, & cætera membra reſurgant innouata. Quod arguit omnium illarum partium factam fuiſſe reſolutionē in elementa. Hanc ſententiam putat Sotus ita eſſe certam, vt indecens ſit eam negare; licet nec ſit in ſacris literis expreſſa, nec ab Eccleſia diffinita.

§. 3.

Refertur pars negans.

11. Oppoſita ſententia. *Suarius.* *Valentia.* OPpoſitam tamen ſententiam eſſe probabilem ſcribit *Suarius in dicta diſput.* 50. *ſect.* 5. §. *Quidquid ſit de huius ſententiæ veritate pag.* 1008. *col.* 2. *&* §. *Hæc omnia pag.* 1010. *col.* 2. *Eam eſſe veriorem affirmat Valentia* 4. *p. diſp.* 11. *q.* 3. *punct.* 2. *pag.* 1938. §. *Alij autem.* Qui putant in die nouiſsimo non omnium futuram eſſe incinerationem, reſolutionemq; corporis, & omnium partium in quatuor elementa, Admittunt igitur hi Authores ſecluſo priuilegio ſecūdum ordinem ordinarium plurimorum corpora in elemēta reſoluta eſſe: non tamen neceſſe eſſe, vt in die nouiſsimo omnium detur incineratio; quia nec dabitur in illis, qui breui tempore ante reſurrectionem mortui fuerint; nec etiam in illis, qui longiſsimo tempore ante illam obierunt: quia plures partes corporis in eadem figura, denſitate, & quantitate remanebunt.

12. 1. Ratio. Hanc ſententiam primò confirmant; quoniam homines, qui in die iudicij viui inuenientur, non incinerabuntur; quia poſt mortem ſtatim reſurgent, & ideò in cineres non reſoluentur: idque propter temporis breuitatem, & ideò à Paulo 1. Theſſalonicenſes 4. dicuntur viuentes, vt ſuperius diximus 4. *q. art.* 2. §. 3. *in explicatione illius loci Pauli.* (1. *Theſſal.* 4.)

13. 2. Ratio. Secundò id cōfirmant; quia in illo die inuenientur penè infinita cadauera mortuorum, qui in illis diebus propter preſſuram obierunt: imò etiam inuenientur infinita oſſa eorum, qui iam à longo tempore, imò à multis ſeculis mortui fuerūt, ſicut modo apud nos inueniuntur.

14. 3. Ratio. Tertiò id confirmant ex ſacris literis: & primum ex Ezechiele cap. 37. vbi reſurrectio fit ex oſsibus aridis: quo ſignificatur oſſa arida debere iterū corporibus iūgi, & reſurgere. Deinde ex verbis Chriſti Ioannis 5. *Venit hora in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei & procedent in reſurrectionem.* Iam verò in monumentis ſunt oſſa mortuorum. Satis igitur ſignificat Chriſtus, reſurrectionē etiam futuram eſſe ex oſsibus. (*Ioan.* 5.)

15. 1. Ratio *Auguſt.* Quartò pro eadem ſententia adducunt nonnulla Auguſtini teſtimonia: præcipuum eſt ex Enchiridione cap. 88. in hęc verba: *Non periit Deo terrena materia de qua mortalium creatur caro: ſed in quemlibet cinerem, puluerem ve ſoluatur: in quoslibet habitus, aures ve defugiat; in quālibet aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcunque animaliū, & hominum cibum cadat, carnéque mutetur; illi animæ humanæ puncto temporis reddetur, quo illam primitus animauit.* Satis igitur his verbis ſignificat Auguſtinus in reſurrectione non omnia corpora humana reſoluenda eſſe in elementa; ſed in quacūq; forma etiam miſta inueniatur eorum materia, ex illa faciēdam eſſe ruſurrectionē. Idem etiam Auguſtinus cum nonnullis ſcribit, homines, qui in die iudicij viui inuenientur, vel non eſſe morituros; vel ſolùm in raptu, in quo etiam reſurgent. Cū verò in illa tàm breui mora nō poſsint in cineres reſolui; ſatis ſignificat, non omnes, qui in die iudicij ſurrecturi ſunt, prius eſſe incinerandos.

Vltima tio. Denique ex eo ſuam opinionem confirmant; quia fundamenta oppoſitæ non ſatis ſunt firma: vnde ſingula diſſoluunt.

§. 4.

Propria opinio.

16. Vera reſolutio. EGo hanc difficultatem ita puto eſſe diſſoluendam: *Vt opinio affirmans ſit veriſsima, ſi ignis conflagrationis debet præcedere reſurrectionem: negatiua autem verior ſit; ſi ignis ille poſt iudiciū ſit venturus.* Pro quo aduertimus, varias eſſe opiniones, quando ignis ille venturus ſit. Nō nulli putant, eum venturum non eſſe, niſi poſt peractum iudicium, ſententiamque prolatam. Hanc ſententiam eſſe probabiliorem putat *Suarius* 2. *tomo. ad* 3. *partem diſp.* 57. *ſect.* 1. §. *Nihilominus pagin.* 1157. *col.* 2. vbi pro ea citat Auguſtinū *libr.* 20. (1. Opinio) (2. Opinio. *Suarius.*)

de

de Ciuitate Dei cap. 30. in fine, Iulianum Pomerium lib. 3. Prognoſticon cap. 46. cum ſequentibus, Anſelmum in Elucidario, & Proſperum in dimidio temporis capit. 19. & 20. Alij oppoſitam ſentētiam docent; ignem ſcilicet venturum eſſe non ſolum ante iudicium; ſed etiam ante generalem reſurrectionem. Quæ eſt communior ſententia. Ita *Magiſter in dicta diſtin. 47. vbi D. Thomas q. 2. art. 3. Durādus q. 3. Paludanus q. 1. Richardus art. 2. q. 4. & 5. Maior q. 2. Supplementum Gabrielis q. 2. art. 3. Sotus ibidem diſt. 48. q. 1. art. 2. in concluſione articuli, & inferiùs §. Primum igitur argumentum & ſatis Valentia quarta parte diſp. 11. q. 2. puncto 3. & ſatis confirmatur authoritate Bedæ in lib. de ratione temporum cap. 69. & Lactantij lib. 7. cap. 19.* Mediam ſentētiam probauerunt alij; qui volunt, ignem iſtū futurum eſſe poſt reſurrectionem, ſed ante aduentum iudicis: quam ſentētiam refert Suarius vbi ſuprà in 4. ſentent. pag. 1160.

D. Thom. Durand. Paludan. Maior. Valentia. Beda. Lactant.

17\. 1. Concluſ. His præmiſsis, duas ſtatuo concluſiones. Prima concluſio: *Si ignis conflagrationis generalem reſurrectionem præcedit; veriſsima eſt ſententia affirmans.* Fundamentum eſt, quia ignis ille ſua efficacia, quæ maxima erit, non ſolùm reſoluet in cineres, & in elemēta oſſa, quæ ſub forma oſſis inuenerit; ſed etiam corpora viuorū, quæ interimet, & comburet. Quod eſt fūdamentum D. Thomæ *in 4. diſt. 43. q. 1. art. 4. quæſtiuncul. 1. ad tertium.* Et profectò ſi ignis ille reſurrectionem præcedit (quod eſſe probabile fatetur Suarius) nō eſt quòd idem dicat, hoc fundamentum eſſe voluntariè confictum, niſi volūtariè fingat ignem illum habiturum non eſſe efficaciam reſoluendi, aut Deum illā efficaciam miraculoſè impedire.

Fundamētum.

18\. Ad 1. in oppoſitum. Ex quo fundamento patet, argumenta negantis ſententiæ nullam vim habere. Ad primum reſpōdet D. Thomas vbi ſuprà, ignem illum habere virtutem, vt in breuiſsimo tempore comburat, & in cineres redigat eos, quos viuos inuenerit: nam & omnia miſta ſua efficacia reſoluet in præiacentem materiam: nec hoc tollit, quomin⁹ à Paulo homines illi dici poſsint viuentes; quoniam cum illa incineratio breui tempore facienda ſit; breui etiam ſuſcitabuntur.

19\. Ad 2. Et eodem modo ſoluitur ſecūdum argumentum. Ad tertium facilè reſpondetur: nam quod ex Ezechiele adducitur, vim non habet; quoniam illa viſio fuit parabolica. Sed min⁹ habet efficaciæ, quod adducitur ex c. 5. Ioannis: quoniā in monumentis, licet pro aliquo tempore ſint oſſa mortuorum, tandem in illis ſoli erūt cineres, ratione quorum mortui dicētur eſſe in monumentis. Ad 3.

20\. Ad 4. Ad quartum dicimus, Auguſtinū diſputando illa ſcripſiſſe; nam diſputando etiam aſſeruit, ignem illum vēturum eſſe poſt iudicium; imò etiam poſt reſurrectionem; qua ſuppoſita opinione, locus datur his, quæ ſcribit.

21\. Ad vltim. Ad poſtremum dicimus, firmiſsimū eſſe noſtrum fundamentum, data ſuppoſitione concluſionis: quoniam firmiſsimū eſt vim illius ignis tantam futurā eſſe, vt in breuiſsimo temporis ſpatio poſsit corpora, & omnia oſſa in cineres reſoluere.

22\. 2. Concl. Secunda concluſio: *Si ignis conflagrationis poſt reſurrectionem eſt venturus; veriorem puto ſententiam negantem.* Fundamentum eſt; quia argumenta partis affirmantis non conuincunt omnia cadauera reſurgentium quoad omnes ſuas partes fuiſſe in cineres, elementaque reſoluta: experientia enim docet, oſſa mortuorū in ſua figura, duritie, & magnitudine permanere: etenim apud nos reperitur caput Ioānis Baptiſtæ, & pleraque oſſa Apoſtolorū, & aliorum Sanctorum, qui tot ſæculis nos præceſſerūt. Quid igitur obſtat, quominus plurimorum hominum oſſa tunc inueniantur? non ſolum eorum, qui in die illo nouiſsimo, viui inuenientur, qui paulo ante fuerunt mortui, ſed etiam aliquorum, qui non longo ante tempore obierunt; imò etiam eorum, qui multis ante ſæculis ſunt ſepulti. Quæ, ſublato igne, non poterunt tàm breui tempore naturaliter incinerari.

23\. Ad 1. opinionis affirmantis. Nec argumenta partis affirmantis illam vrgent. Ad primum ſatis reſpondent Suarius, & Valētia: quoniā in Sacra Scriptura, *redire in terram, & in cinerem reuerti,* nihil eſt aliud, quàm mori; quæ eſt cōmunis Patrum expoſitio, *Chryſoſtomi homil. 17. in Geneſim, Theodoreti q. 37. in Geneſim, Hieronymi in Abacu cap. 3. & in Pſalmo 51. Tertulliani de reſurrectione carnis c. 7. & 18. Cypriani de bono patientiæ, Ruffini in Symbol. Apoſtolorum, Proſperi de prædictionibus*

Reuerti in terram idē eſt quod mori apud Patres.

ctionibus, & promiſſionibus Dei p. 1. cap. 5. Gregorij 25. moral. cap. 2. & 13. Eucherij in Geneſim, denique Auguſtini 13. de Ciuitate Dei cap. 15. & lib. 20. cap. 20. & in 13. de Trinitate cap. 12. & lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 2. & 3. quorum omnium verba refert Suarius vbi ſuprà. Et hunc eſſe verum illorum verborum ſenſum conuincunt verba illa Geneſis 3. *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es*: etenim, vt doctè aduertit Suarius, homo non veſcetur pane vſque ad reſolutionem corporis in elementa, ſed vſque ad mortem: vnde illorum verborũ ſenſus non poteſt eſſe alius, niſi in ſudore vultus veſceris pane, donec moriaris.

24. Ad 2. Ad ſecundũ dicendum eſt, in illis verbis nomine corruptionis non ſolùm intelligi ſeparationem animæ à corpore; ſed etiam aliquam cadaueris reſolutionẽ, vt benè probat argumentum: & inde eſt, vt D. Petrus optimè conuincat, illa non poſſe intelligi de Dauide, cuius corpus corruptionem vidit; ſed de Chriſto, qui nullam in ſuo corpore reſolutionem habuit. At tamen non video, quomodo inde inferatur, omnia corpora ſecluſo priuilegio eſſe in cineres reſoluenda: nec enim valet hæc conſequentia: corpus Dauid vidit corruptionem. Ergo omnia corpora debent corruptionem videre: ſicut etiam non valet: corpus Dauid vidit corruptionem; Chriſti autem minimè. Ergo non videre corruptionem ſoli Chriſto competit. Quare ex illo loco Sotus nõ ſatis ſufficienter argumentatur. Accedit; quoniã licet ex argumento D. Petri colligatur, corpus Dauid aliquam vidiſſe corruptionem; non tamen colligitur pro illo tempore iam corruptionẽ vidiſſe quoad omnes ſuas partes: etenim forma cadaueris corrupta eſt, nõ tamen opus eſt oſſa corruptionem vidiſſe: Iam verò Diuo Petro ſatis erat, corpus Dauidis aliquam vidiſſe corruptionem, quamuis non totalẽ, vt conuinceret illa verba Pſalmi intelligi non poſſe de Dauide; ſed de Chriſto.

25. Ad 3. Ad tertium reſpondet Valentia, Paulum ibi agere de reformatione corporis, non quoad perfectionem naturalem, ſed quoad glorioſam, vt euincunt verba Pauli: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ cõfiguratum corpori claritatis ſuæ.* Secundo reſpondetur, ad reformationem corporis non neceſſe eſſe, præcedat ipſius incineratio, ſed ſatis eſſe, ſi præcedat eius deformatio per mortem: in quo ſenſu corpus Chriſti Domini per reſurrectionem reformatum eſt. Sit tertia ſolutio ex Suario: quoniam corpus in cineres non reſolutum varijs modis poteſt reformari: vel reintegrando illud in materia, & magnitudine, quæ in illo nõ fuit, quomodo reformabuntur pueri, & Pygæi, homineſque puſillæ ſtaturæ, qui ad plenitudinem magnitudinis ætatis Chriſti non peruenerunt: vel ſeparando partes ſuperfluas, & deformes; quomodo reformabuntur gigantes, & homines monſtruoſæ magnitudinis, & illi, qui monſtruoſas partes habuerunt: vel denique diſponendo, & perficiendo partes non reſolutas adhibitis qualitatibus debitis; quomodo reformabuntur oſſa arida, quæ nondum fuerunt in cineres reſoluta. Hæc autem omnia fieri poſſunt in corporibus, quãuis in cineres reſoluta non ſint. Quare argumentum falſam continet minorem.

26. Ad 4. Ad quartum optimè reſpõdet Suarius *vbi ſuprà pag. 1010. col. 1. in principio*, in illo ſupponi id, quod in Philoſophia eſt falſum: nec enim omnia miſta ſimpliciter, & abſolutè pendent à motu cœli in eſſe, & conſeruari: quod ex Philoſophia ſupponitur.

27. Ad vltim. Ad vltimum patet ſolutio ex ſolutione ad tertium: admittimus enim illa omnia ſeparanda eſſe: negamus tamen ea nõ poſſe ſeparari, niſi omnes corporis partes in cineres redigantur. Ex quibus patet non eſſe audiendum Sotum, dum ait, indecens eſſe opinionem affirmantem negare; in quo benè notatur à Suario.

ARTICVLVS II.

Vtrùm prius tempore electi reſurrecturi ſint, quam reprobi?

§. 1.

Referũtur diuerſæ opiniones.

1. Opinio. IN hac quæſtione diuerſæ fuerunt opiniones. Prima, & ſatis vetus opinio (ſiue potius error) fuit Chiliaſtarum, qui dixerunt, reſurrectionem iuſtorum futuram

futuram mille annis, ante generale iudicium; reſurrecturos autem eſſe nō in corpore glorioſo; ſed in animali, immortali tamen: malos autem, & reprobos fore reſurrecturos in die iudicij mille annos poſt iuſtorum reſurrectionem.

2. Tertia. Secunda ſententia fuit quorundam Catholicorum, qui volunt ante diem iudicij nullam futuram eſſe generalem iuſtorum reſurrectionem; ſed omnes tàm iuſtos, quàm reprobos in eodem die iudicij eſſe reſurrecturos; prius tamen tempore electos, quàm reprobos.

Secunda. Tertia ſententia, eaque ferè omnibus probata docet, omnes tàm bonos, quàm reprobos ſimul in vno, eodemque temporis momento reſurrecturos. Quę opinio, vt veriſsima, eſt à nobis & probanda, & confirmanda. In cuius confirmatione primò loco referemus errorem Chiliaſtarum, & illum impugnabimus. Deinde confirmabimus noſtram ſententiam, & diſſoluemus fundamenta oppoſitæ.

§. 2.

Refertur error Chiliaſtarum.

3. Opinio mille annorū. PRo intelligentia erroris Chiliaſtarū præmittimus Chiliaſtas Græcè idē eſſe, quod millenarios, qui ita dicti ſunt, quoniam authores fuerunt erroris, quòd Chriſtus Dominus in terra per mille annos eſt cum iuſtis regnaturus. Inter eos tamen non cōuenit, quando futurū ſit hoc regnum mille annornm. Quidam Duobus modis explicatur. voluerunt illud futurum eſſe poſt generalem bonorum, & reproborum reſurrectionem, generaleque iudicium: alij verò illud poſuerunt, & ante generale iudiciū, & ante reſurrectionem vniuerſalem. Error priorum ad præſens noſtrum inſtitutum non pertinet: quia ad eos nihil attinet, quod electi pri⁹ tēpore reſurgāt, quā reprobi: ſiue enī ſimul, ſiue pri⁹ reſurgāt, cōſtare poteſt regnum millenariū, quod poſt vniuerſalem reſurrectionem ſtatuunt. Quare ad noſtrum inſtitutum ſolū pertinet error poſteriorum: hi enim ad ſuum regnum ſtabiliendum fingunt bonorum reſurrectionem prius mille annis futuram eſſe, ante reſurrectionem malorum, quæ in die iudicij futura eſt. Qui Qui priorē ſenſū ſequātur. priorem errorem ſecuti fuerint latè explicauimus in 2. tom. lib. 12. q. 4. artic. 1. poſteriorem errorem docuiſſe Cerinthū cum ſuis teſtatur *Suarius in dicta diſp. 50. ſectio. 8. in principio*; pro quo citat Euſebium lib. 3. ſuæ hiſtoriæ cap. 22. & lib. 7. cap. 20; & Nicephorum lib. 3. cap. 14. Pamelium, Staphilum, Lindanum, & Prateolum, idem etiam teſtatur Maluēda lib. 3. de AnteChriſto cap. 3. Sed Cerinthū, millenarium poſuiſſe poſt reſurrectionē ſcilicet generalem ex Caio vetuſtiſsimo authore referunt Euſebius, & Nicephorus locis citatis. Non eſt igitur, quod Cerinthū cū ſuis pro hoc errore referamus; & per conſequens nec eius diſcipulos, & fautores Appollinarem, & Nepotem epiſcopum, & quendam Deodorum, vt in dicto libro 12. loco citato iam aduertimus.

Sed quidquid de hoc ſit, dubitandum non eſt plures etiā ex Patribus admiſiſſe, iuſtorum reſurrectionem mille annis ante reſurrectionem malorum in die iudicij futuram. Vnde duas admiſerunt reſurrectiones: primam iuſtorum per mille annos ante generale iudicium: ſecundā malorum in ipſo iudicij die futuram: ita deplerīſque teſtatur *Gennadius in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 6. & 55.* vbi eam tribuit Nepoti Epiſcopo; ſed nepos iſte hoc millenarium regnum non admiſit, niſi poſt iudicium, & vniuerſalem reſurrectionem: nec Euſebius *lib. 7. hiſtoriæ cap. 21.* illud affirmat; ſed ſolum aſſerit Nepotem iſtum aſſeruiſſe, Sāctos in terra mille annis regnaturos; vtrùm verò regnum iſtud futurum ſit ante vel poſt iudiciū, non declarat, nec de reſurrectione iuſtorum ibi aliquid ſcribit: nec de iſto Nepotis errore aliud ſcribit *Nicephorus lib. 6. hiſtoriæ cap. 21.* 4. Pluresex Patribus priorem ſenſum admittunt. *Gennadius* *Euſebius.* *Nicephor.*

Hunc tamen errorem probaſſe Iuſtinum Martyrem, ego non dubito; etenim in Dialogo contra Triphonem folio mihi 116. pag. 1. ad finem expreſſè ſcribit: *Ionnem in Apocalypſi prophetaſſe mille annis habitaturos Ieroſolymæ quotquot Chriſto crediderunt: ac mox ſecuturam vniuerſalē; & æternam reſurrectionem ſimul omniū, atque iudicium.* Ex quibus verbis ſatis cōſtat, regnū illud millenarium apud Iuſtinum futurum eſſe ante vniuerſalem reſurrectionem, quæ fiet in die iudicij. Et ibi nullum verbum facit de reſurrectione iuſtorum, qui mille annis cum Chriſto ſunt habitaturi Ieroſolyma; id tamen 5. *Fuit Iuſtini Martyris.*

ſatis

ſatis ex eo videtur colligi; tùm; quia dicit, per illos mille annos cum Chriſto regnaturos, quotquot in eo crediderunt: cū verò innumeri Chriſtiani ſint mortui, non poterunt cum Chriſto corporaliter regnare, niſi reſurgant. Tum etiam; quoniā cum referat Ioannis Prophetiam; & ille loquatur de prima reſurrectione, non poteſt eam non admittere: vnde Pamelius in Paradoxo 24. ante opera Tertulliani hanc ſententiam Iuſtino tribuit, & cū eo
Suarius. *Suarius in dicta ſectio. 8. pagin.* 1014 *col.* 1. *C.*

6. Irenæus. Apertiùs eam probauit Irenæus lib. 5. aduerſus hæreſes: ita enim ſcribit c. 32. in principio: *Oportet iuſtos primos in conditione hac, quæ renouatur ad apparitionē Dei reſurgentes recipere promiſsionem hæreditatis. & regnare in ea: poſt deinde fieri iudiciū.* Ecce admittit reſurrectionem iuſtorum, vt in hæreditate terrena ſibi promiſſa cū Chriſto in terra regnēt. Quod rurſus repetit in eodem cap. ita inquiens: *Sic ergo huic promiſit Deus hæreditatem terræ; non accepit autem in omni ſuo incolatu: oportet eum accipere cum ſemine ſuo, id eſt, qui timēt Deum, & credunt in eum in reſurrectione iuſtorum:* Et in fine capitis: *Nec Abraham, nec ſemen eius, id eſt, qui ex fide iuſtificantur nunc ſumunt in ea hæreditatem; accipient au-*
7. *tem eam in reſurrectione iuſtorum.* Quòd autem hi iuſti, qui cū Chriſto in terra regnabunt, debeant eſſe in carne, in qua reſurrexerunt, ſatis explicat ibidem c. 33. explicans enim illa verba Chriſti Domini Lucæ 22. nu. 18. *Amodo non bibam de generatione vitis huius, vſque in diem illum, quando illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei,* ita ſcribit; *Vtique hæreditatem terræ ipſe nouabit, & reintegrabit myſterium gloriæ filiorum, quemadmodum Dauid ait: Qui renouabit faciem terræ. Promiſit bibere de generatione vitis: & carnalem reſurrectionem Diſcipulorum eius: quæ enim noua reſurgit, caro ipſa eſt; & quæ nouum percipit poculum: nec autem ſurſum in ſuper cœleſti loco conſtitutus cum ſuis, poteſt intelligi bibens vitis generationem: nec rurſus ſine carne ſunt, qui bibunt illud, & cætera.* Ex quibus patet Irenæum agere de regno terreno, in quo Diſcipuli: & alij iuſti corpore reſuſcitati cum Chriſto in terra regnabūt id eſt, in Ieruſalem terrena, vt ſæpe declarat.

Quod verò hoc regnum, & hæc bonorum reſurrectio futura ſit ante generalē reſurrectionem, & iudicium, expreſſè colliges ex c. 35. vbi poſtquam multis oſtendit, promiſsiones per Iſaiam factas intelligi de iſto regno terreno, ita ſcribit: *Poſt enim regni tempora, inquit Ioannes, vidi thronum album magnum, & ſedentem in eo, cuius a facie fugit terra, & cœlum, & locus non eſt in eis: & ita quæ ſunt generalis reſurrectionis, & iudicij, exponit vidiſſe, docens, mortuos magnos, & minores: dedit mare mortuos, quos in ſe habebat; & mors, & infernus dederunt mortuos, quos in ſe habuerūt & libri aperti ſunt; ſed & vitæ, ait, apertus eſt liber, & iudicati ſunt mortui.* Deinde deſcribit Ieruſalem nouam deſcendentē de cœlo, per quam intelligit ſupernā beatitudinem. Ecce igitur in prioribus verbis, poſt regnum mille annorum, & bonorum reſurrectionem, vt in terris regnēt, ſequitur iudiciū: in poſterioribus autem poſt regni tempora ſequitur, tū generalis reſurrectio; tū iudicium vniuerſale: & tādem dānatio iniquorū, & gloria electorū, Quare nō eſt, quòd Feuardentius in præfaciuncula ad Irenæū poſita ante cap. 32. libri quinti doceat, Irenæum hoc regnū millenarium poſuiſſe poſt generalem reſurrectionem, & iudicium. 8.

Hanc etiā opinionē de bonorum reſurrectione mille annis ante reſurrectionem malorū ſatis expreſsit Tertullianus: nam in lib. de reſurrectione carnis c. 25. n. 203 *Diabolo, inquit, in abyſſum interim relegato primæ reſurrectionis prærogatiua de ſolijs ordinetur: dehinc, & igni dato, vniuerſalis reſurrectionis cēſura de libris iudicetur.* Ex quibus verbis patet, Tertullianū duas reſurrectiones admiſiſſe: vnā ad ſoliū, regnūq; terrenum: alteram generalē, vt omnes iudicentur, & boni gloriā ſuperinduentes in cœlū transferantur. Quod etiā expreſſit lib. 3. aduerſus Marcionē c. 24. n. 192, vbi nō ſolū cōfitetur, nobis in terra repromiſsū eſſe regnū ante cœlū; ſed etiā poſt mille annos facta mundi deſtructione, & iudicij cōflagratione iuſtos demutādos eſſe in Angelicā ſubſtantiā, dono īmortalitatis corpori donato, & trasferēdos in regnū cœleſte: ita enim ait: *Nā & cōfitemur in terra regnū nobis repromiſſum, ſed ante cœlū: ſed alio ſtatu, vt pote poſt reſurrectionē in mille annos in ciuitate diuini operis Ieruſalē cœ-* 9. Tertullia.

lo delata. Et inferiùs affirmat, *hāc ciuitatē à Deo eſſe proſpectam excipiendis reſurrectione ſanctis, & refouendis omnium bonorū ſpiritualium copia in compenſationem eorū, quæ in ſæculo, vel deſpeximus, vel amiſimus: ſiquidem, & iuſtū, & Deo dignum illicquoq; exultare famulos eius, vbi ſunt, & afflicti in nomine ipſius.* Et tandem addit hæc verba: *Poſt cuius mille annos, intra quam ætatem concluditur Sanctorū reſurrectio, pro meritis maturius, vel tardius reſurgentium; tunc & mundi deſtructione, & iudicij cōflagratione cōmiſſa, demutati in atomo in Angelicam ſubſtantiam ſ. per illud incorruptelæ ſuper indumentum transferemur in cæleſte regnum.*

10. Dubitari igitur nō poteſt, Tertullianū aſſeruiſſe, dandā eſſe iuſtorū reſurrectionē ad regnū illud millenariū, ante reſurrectionē vniuerſalē, in qua homines mali, & reprobi in iudicū reſurgent. In hoc tamē à cæteris Chiliaſtis differt; quòd cæteri volunt, iuſtos poſt deuictū Antechriſtū, Diabolumq; in Inferno religatum ſimul eſſe reſurrecturos, vt ſimul cū Chriſtō regnēt. Tertullianus autē admittit, in illo millenarii tempore, ex iuſtis alios citius, alios tardius eſſe ſurrecturos; idq; pro meritorū diuerſitate: id enim expreſſè ſcribit in præcitatis verbis: quod aduertit Suarius *in d. diſp. 50. ſect. 8. pag. 1014. col. 1. B. ex Pamelio in tract. Paradoxorum Tertulliani in principio operū illius poſito Paradoxo 24. pag. 59. & tom. 4. in fragmento operis de ſpe fidelium pag. 1113.*

11. *Lactant.* In eodē etiā errore fuiſſe Lactantiū nullus dubitabit, qui eū legerit lib. 7. maximè c. 14. 24. & 26. vbi regnū illud millenariū admittit, & iuſtorum reſurrectionē per mille annos reſurrectionē reproborū antecedere: cuius verba ad longū trāſcribit Maluenda lib. 10. de Antechriſto. c. 5. Lactantius ita ait: *Veniet igitur ſummi, atque Maximi Dei filius, vt viuos, & mortuos iudicet. Verū ille cum deleuerit iniuſtitiam, iudiciūq; maximum fecerit, ac iuſtos, qui à principio fuerunt, ad vitam reſtaurauerit, mille annis inter homines verſabitur, eóſq; iuſtiſsimo imperio reget.* Deinde oſtendit iuſtos, qui tunc inuenientur viui non morituros: qui verò fuerint mortui, rèſurrecturos. Et multis aniliter, & fabuloſè explicatis, docet impios in nouiſsima Dei ira morituros. Et tandem agēs de nouiſsimo die hæc ſcribit: *Eodem tempore fiet ſecunda illa, & publica omniū reſurrectio, in qua excitabuntur iniuſti ad cruciatus ſempiternos.* Denique iſtam ſententiam regni millenarij Chriſti Domini cum iuſtis reſuſcitatis ante vniuerſale iudiciū, & impiorum reſurrectionem Maluenda in d. c. 5. ad finē, & plures alij tribuūt Quinto Tulio Hilarioni, Seuerō Sulpitio, Comodiano, Tyconio Affro, & Appolinari. An verò hi poſuerint regnū iſtud ante iudiciū, & admiſerint iuſtorū reſurrectionē mille annis ante reſurrectionē impiorū? mihi nō conſtat, cū illos nō viderim. Non dubito tamen Magnū P. Auguſtinū hāc opnionem aliquando habuiſſe: Scio tamen, eā poſtea, tanquā anilem, & fabuloſam relegaſſe, vt oſtendimus 2. tom. lib. 12. q. 5. art. 2. §. 4. etenim lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 7. vbi refert millenarios admiſiſſe primam, & corporalem Sanctorum reſurrectionem, & regnū, Sabbatiſmūq; per mille annos ante generale iudicium, & ſecundam aliorū reſurrectionē, de qua ita ſcribit: *quæ opinio eſſet vtcumque tolerabilis, ſi aliquæ deliciæ ſpirituales in illo Sabbato affuturæ Sanctis per Dñi præſentiam crederentur: nam etiam nos hoc opinati ſumus aliquādo.* *Auguſt.* Non eſt igitur dubitandum, quin Auguſtinus duplicem reſurrectionem admiſerit; ita vt reſurrectio iuſtorum per mille annos antecederet reſurrectionem impiorum.

Impugnatur præcitatus error.

12. ¶ Hæc ſententia in ſenſu explicato, quatenꝰ docet, reſurrectionē iuſtorū tam diuturno tēpore futurā eſſe ante reproborū reſurrectionē: eſſe in fide erroneā, nō putō eſſe negādum: quare doctiſsimus Suarius *Suarius* meritò ſcripſit oppoſitā ſententiam eſſe de fide, & hāc dānandā eſſe, tanquam verè hæreticā, *vt patet ex d. diſp. 50. ſect. 8. §. Dicendū eſt p. 1015. col. 1. vbi refert Epiphan. hæreſi 77. ad fin. fol. mihi 457. pag. 2. & fol. 458, pag. 1. eam de hæreſi damnaſſe: affirmat etiam, eam dānaſſe, vt erroneā Euſebiū lib. 3. ſuæ hiſtoriæ c. 21. 22. & 33. & lib. 7. cap. 31. & D. Hieronym. Epiſt. 150. ad Hedibiā illā appellare iudaicā fabulam,* *Epiph. Euſebius. Hierony.* deniq; aſſerit, Theologos, & poſteriores ſcriptores hāc ſententiā inter hæreſes enumerare. At tamē præcitati authores ideò damnant ſententiam regni millenarij Chriſti

Chriſti cum ſanctis; quia re vera plura cõtinet hæretica: ſupponit enim Sanctos illos reſurgentes nõ eſſe viſuros diuinam eſſentiã: quod eſſe hæreticum latè oſtendimus in 2.tom.lib. 12. Docet præterea in regno futuras eſſe corporales delicias, nuptias, & plura alia huius generis, quæ verè ſũt hæretica, vt in d.lib.12, latè oſtẽdimus. Nullus tamen eorum ſcribit, ſentẽtiam illã hæreticam eſſe, quia affirmat, iuſtorum reſurrectionẽ tam lõgo tempore præceſsuram fore reſurrectionẽ impiorũ, & generale iudiciũ contra quẽ articulũ modo diſputamus: ſed quidquid ſit de illis ſatis mihi eſt doctiſsimi Theologi authoritas, vt hunc articulũ in prçcitata ſententia, tanquam contra fidem condemnẽ: nec ſane ſine fundamẽto; quia verè cõtradicit, & ſacris literis, & principijs fidei.

14. 1. *Argu. ex cap. 6. Ioannis.* Hoc euidenter oſtenditur ex doctrina Chriſti D. qua aſſerit ſe bonos, de quibus agit, reſuſcitaturum in nouiſsimo die, atque iudicio vniuerſali, ita enim ait Ioannis 6. *Hæc eſt voluntas eius, qui me miſit, Patris; vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo; ſed reſuſcitem illud in nouiſsimo die; & addit, Hæc eſt autem voluntas Patris mei; qui miſit me, vt omnis qui videt filiũ, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.* Et iterum, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum; ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.* Accedat & illud Marthæ *Ioan. 11.* Ioan. 11. *Scio; quia reſurget in reſurrectione in nouiſsimo die.* Vbi nouiſsimus dies dicitũ, qa poſt illũ vltra tẽpus nõ erit, vt dicitur Apocalyp. 10. n. 7: *Quia tempus non erit amplius*: nimirum poſt tubam nouiſsimam, quæ in die iudicij canet 1. Corinth. 15. ille igitur vltimus dies erit dies iudicij, in quo Chriſtus omnes iudicabit: vnde in illo reſuſcitabit eos, quos Pater ei dedit, & ad filium traxit, & in filiũ credent. Quomodo igitur danda eſt reſurrectio iuſtorum mille annis ante iudicium. Cui argumento addimus verba Iob 19. *Scio; quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra reſurrecturus ſum.* At quis negabit Iob inter Sanctos eſſe enumerandum?

15. 2. *Argum. ex Daniel. 12.* Deinde id manifeſtè probatur; quoniã ex ſacra Scriptura euidenter probatur, reſurrectionem bonorum, & malorum, futuram eſſe in tempore moraliter eodem. Id ſatis explicat Prophetia Danielis 12. num. 1. *Veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt, vſque ad illud.* Quod tempus erit idem de quo agit Chriſtus Matthæi 24. quod ipſum tempus de quo agit Daniel eſt tempus iudicij. Addit Daniel: *Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro.* Ecce tẽpus iudicij: *Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt; alij in vitam æternam; & alij in opprobrium; vt videant ſemper.* Ecce ergo in eodem iudicij tempore erit bonorum, & malorum reſurrectio. Imò in eadem hora vtramque futuram conuincunt verba Chriſti Ioannis 5. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient, vocem Filij Dei: & procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala, in reſurrectionem iudicij.* Ecce vtrorũque reſurrectio in eadem fiet hora: nã tàm boni, quàm mali ad eãdem vocem filij Dei ſunt reſurrecturi. Quin potius non ſolum in vna, & eadem hora vtrique reſurgent; ſed etiam in eodem veluti momento, id eſt, in tempore breuiſsimo, vt ictus oculi ſignificat, vt ex Paulo euidenter colliges 1. Corint. 15. n. 53. *Omnes quidẽ reſurgemus, ſed non omnes immutabimur: in momento, in ictu oculi, in nouiſsima tuba; & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Quibus verbis explicat bonorum, & malorum reſurrectionem; & quando vtraque ſit futura, & præterea, quænam inter bonos, & malos erit differentia. *Omnes*, inquit, *reſurgent*, ſcilicet tàm boni, quàm mali: *Sed non omnes immutabuntur*: quia boni reſurgent in corpore glorioſo; non tamen mali. Reſurgent omnes *in Momento, & in ictu oculi*, id eſt, in quodam tempore breuiſsimo, & imperceptibili. Denique omnes reſurgent *in nouiſsima tuba*, quam omnes audient, cum ad illius efficaciam omnes reſurgent. Quomodo igitur iuſti prius mille annis, quàm reprobi ſunt reſurrecturi?

Ex cap. 5. Ioan.

Ex 1. Cor.

16. 3. *argum. ex 1. Theſſal. 4.* Idem etiam conuincitur ex Paulo 1. ad Theſſalonicenſes 4. num. 14. *Si enim credimus, quod IESVS mortuus eſt & reſurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo: hoc enim vobis dicimus in verbo Dñi; quia nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus, in aduentu Dñi nõ præueniemus eos, qui dormierũt: quoniã ipſe Dñs in iuſſu, & in voce Archãgeli, & in tuba Dei deſcen-*

ſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſűt, reſurgent, & cæt. Quæ verba intelligenda ſunt de aduentu Chriſti ad iudicium: nec enim deſcenſus Chriſti ad ſuſcitãdos mortuos, cum quibus per mille annos regnet, fiet in iuſſu, aut in voce, aut in tuba; ſed apparatus iſte reſeruatur ad deſcenſum cum maieſtate, qualem iudicium requirit de quo etiam Matth. 24. Porrò ſi de aduẽtu in iudicio intelligantur, manifeſtè cõuincunt mortuos, qui in Chriſto ſunt, nõ eſſe reſurrecturos ante Chriſti aduentum ad iudicium.

17. 4. Arg. quod duo tãtum ſunt aduẽtus Chriſti. *Symbolum* Accedit his; quoniã ſi diuinas literas cõſulamus, duos tantũ Chriſti aduentus in terrã Eccleſia agnoſcit: vnũ primum, quo verbũ ad ſumendã noſtram carnẽ factum homo ad nos deſcendit iuxta, illud Symboli, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutẽ deſcendit de cælis, & incarnatus eſt, & cæt.* Alterum ſecundum ad iudiciũ, iuxta illud eiuſdẽ Symboli: *Aſcẽdit in cœlum, & ſedet ad dexterã Patris: & inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.* Duos igitur tantũ Chriſti deſcenſus in terras agnouit Eccleſia. Nõ eſt igitur admittẽdus ille deſcẽnſus ad regnũ millenariũ. ¶ Sed obijcies ex ſacris literis cõſtare, Chriſtũ poſt aſcentionẽ ſæpè ad terras deſcendiſſe: nã Actor. 9. apparuit Paulo eunti in Damaſcũ cõtra Chriſtianos: *Subito circũfulſit eum lux de cælo, & cadens de cœlo audiuit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? qui dixit, quis es Dñe? & ille; Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.* Ex quo loco ferẽ omnes colligũnt, Chriſtũ perſonaliter ad Paulũ deſcendiſſe, & ab eo corporaliter viſum fuiſſe. Quin potius ipſe Paulus teſtatur, ſe aliquãdo Chriſtũ vidiſſe poſt illius aſcentionẽ in cęlũ, vt patet 1. Corint. 9. n. 1. *Non ne Chriſtũ Ieſum Dñm noſtrum vidi* Et c. 15. n. 8, poſtquàm dixit, Chriſtũ ab Apoſtolis ſæpe viſum eſſe, addit: *Nouiſſime autẽ omniũ tãquã abortiuo viſ⁹ eſt & mihi.* Imò viſum eſſe B. Petro Romæ cum è fuga ad martyrium eum reuocauit dicens: eum venio crucifigi, vt Exheſippus narrat lib. 3. de excidio Ieroſolymitano cap. 2. & ferè omnes docent, Chriſtum ad matrẽ in die aſſumptionis corporaliter deſcendiſſe.

Actor. 1. *1. Cor. 9.*

18. Solutio. Hoc argumentum vim non habet apud eos, qui dicunt, apparitiones Chriſti, quæ vel in ſacris literis, vel in hiſtorijs legũtur factas eſſe abſq; reali, & viſibili illius præſentia in terris; ſed aut per ſolã viſionem imaginariã; aut per extrinſecam repræſẽtationem factã in aere, aut per viſionẽ realem ipſius exiſtentis in cœlo, eo modo, quo Stephanus eũ vidit, dũ dixit, *Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei:* vel denique per Angelũ, per quẽ Paulo apparuiſſe, teſtatur Haymon Apocalypſis 2. 1. Opinio

19. 2. Opinio. Nec etiã vim habet, ſi cũ alijs dicamus, Chriſtum realiter in terris apparuiſſe, ſed nõ deſeruiſſe locũ cęli; ſed ſe ipſum diuina virtute in pluribus locis poſuiſſe. Cui⁹ opinionis fuit Maior in 4. diſt. 10, q. 4, & id eſſe probabile ſentit *Suarius. 2. tom. ad 3. p. diſp. 51. ſect. 4. pag. 1060. col. 1. quẽ non reijcit Lorinus actorũ 3. verſ. 5. pag. 433. col. 2. §. Obſtare videtur. & probat Cornel. à Lapide 1. Corint. 15. verſu 9. num. 8. pag. 357.* etenim talis deſcenſus verè non eſt deſcẽſus, ſed collocatio ſui in pluribus locis. *Maior. Suarius. Lorinus.*

20. 3. Et verior opinio. Sed nec vim habebit, ſi cũ veriori, & cõmuniori ſententia dicamus, in his apparitionibus Chriſtum verè è cęlo deſcẽdiſſe; ita vt pro illo tẽpore à cęlo abfuerit; quod probauit D. Thomas 3. *p. q. 57. art. 6. ad 3. & conſtanter ibidem defendit Caietan. probabilem dicit Suarius vbi ſuprà pag. 1059. col. 2. §. Secundus dicendi modus. & ad finẽ eiuſdem ſectionis, conſentit Lorinus vbi ſuprà, & in c. 1. actorum verſu 11. ad fin. pag. 38. col. 1. & c. 3. verſu 21. §. Ad hunc locum pagin. 184. col. 2. C. & latè Valentia 4. p. diſput. 6. q. 3. puncto. 1. n. 24. pag. 876. C. D. E,* quam ego opinionem puto eſſe longè probabiliorem: quia probiliſsimum puto, Chriſtũ non ſolum corporaliter, ſed verò deſcenſu relicto cęlo ad Virginẽ Matrem in die Aſſumptionis deſcẽdiſſe. Sed quãuis hos deſcenſus in ſenſu explicato admittã, nõ proinde tollitur vis argumenti; quoniam non agimus de quocumque aduentu, ſiue deſcenſu in terram, ſed de ſolemni cum maieſtate, & in conſpectu omnium: hunc autem Eccleſia non admittit, niſi ad generale iudicium, quem vult eſſe ſecundum aduentum Chriſti. *D. Thom. Caietan. Suarius. Lorinus. Valẽtia.*

21. Quod ex ſacris literis efficaciter deducitur: nã id nõ obſcurè colligitur ex c. 1. Actorũ poſtquã enim Chriſtus aſcẽdens in cęlũ ſublatus eſt ab oculis diſcipulorũ, duo viri ſtolis albis amicti ad diſcipulos dixerũt: *viri Galilei q̃d ſtatis aſpiciẽtes in cœlũ*

Hic

Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à nobis in cœlum ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum: in quibus verbis vnicus tantum Chriſti aduentus in terras, cũ ea maieſtate, qua in cœlum aſcendit, denunciatur; qualis erit deſcenſus in iudicium. vt omnes Patres intelligunt.

22. Idem probatur ex Petro actor. 3

Et hæc veritas expreſſè docetur à D. Petro Actorũ 3, vbi poſt lõgã orationem ad populũ ita concludit. *Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra, vt cũ venerint tẽpora refrigerij à cõſpectu Dñi; & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis Ieſum Chriſtũ: quem oportet quidem cœlum ſuſcipere vſque ad tẽpora reſtitutionis omniũ, & cætera.* Quæ verba ſi ſingula expendãtur, ſatis euincunt, vnicũ tantũ futurum eſſe Chriſti aduentũ ad iuſtorum refrigeriũ. *Pœnitemini*, inquit, *vt cũ venerint tẽpora refrigerij à conſpectu Dñi*, id eſt, vt cũ venerit tẽpus, quo iuſti ipſo Chriſti conſpectu debeãt refrigerari, atq; in corpore glorificari: *& cũ miſerit*. ſ. ad terras *eũ, qui prædicatus eſt vobis, Ieſum Chriſtũ*, ad iudiciũ ſ. quia poſt illud cõſequetur omnium cõpleta glorificatio, *quẽ*, ſ. Chriſtũ *oportet cœlũ ſuſcipere vſq; ad tempora reſtitutionis omnium*, quæ ipſa, cõſentientibus Chliliaſtis, nõ fiet in aduentu ad regnũ millenarium; quia in illo nõ dabitur malorũ reſtitutio, nec õnimoda iuſtorũ redeintegratio: fiet igitur in ſolo aduẽtu Chriſti ad iudiciũ generale, vt ipſimet Chiliaſtę, velint, nolint,

Optima verba D. Petri.

cõcedent. Hoc ſuppoſito expẽdamus illa verba: *Quẽ oportet cœlũ ſuſcipere, vſq; ad tẽpora reſtitutionis omniũ.* Quid eſt oportet, vt cęlũ Chriſtum ſuſcipiat vſq; ad tẽpora reſtitutionis omniũ; niſi oportet, vt Chriſt⁹ ſit cęlorum incola, & habitator vſq; ad illa tẽpora? Ita vt cęlum ſit ipſius Chriſti regia, palatiumq;, in quo reſideat? quomodo igitur ante reſtitutionẽ generalẽ, quæ in magno iudicij die futura eſt, per mille annos terrã habitabit? quare hæc D. Petri doctrina erroris dãnat deſcenſũ Chriſti ad terras, vt in illas per mille annos veras incola moretur. Cui tñ cęleſti incolatui vſq; ad iudiciũ non repugnat, quod ad terras aliquãdo breui tẽpore, & veluti per tranſitum deſcendat, vt omnes interpretes aduertunt, & expreſſè *D. Thom. in d. q. 57. art. 6. ad 3. & Lorinus in d. c. 3. Actorũ verſ. 21. pag. 184. col.* [illegible]*. Ad hunc locũ*: etenim ſimiles deſcenſus non impediunt

D. Thom. Lorinus.

fixam Chriſti ſedem eſſe in cœlis: etenim apud Iuriſtas domicilium nõ requirit continuã habitationem in eodẽ loco; ſed ſtat cum aliqua breui abſentia, vt vltra alios ſcribit Romanus Conſilio 264. Ex text. in l. 2. de incolis lib. 10. vbi pater domicilium nõ mutat, qui ad filiũ alibi degentẽ frequentiùs commeat, Ex hoc igitur loco conuincitur, Chriſtũ in cœlo, tãquam in ꝓpria regia permanenter habitaturũ, nec è cęlo cum maieſtate in terras aduenturũ, niſi ad iudicium. Vnde Eccleſia hunc ad iudicium aduentum appellat aduentũ ſecundum, vt patet in hymno laudũ aduentus; *Secundo, vt cum fulſerit, Mundũq; horror cinxerit.* Non eſt igitur admittendus aduentus in regnũ millenarium, nec reſurrectio iuſtorum ad tale regnum: ſed illa ſolum reſurrectio admittenda eſt in die nouiſsimo iudicij. 23. Concluditur argum.

Poſtremò pro releganda prima illa iuſtorum reſurrectione ad regnum millenarium ante iudicium Ribera Apocalypſis 20. num. 47, pagina 292. expendit literam eiuſdem capitis: Conſummatis enim mille annis, de quibus in præcedentibus facta fuerat mentio; & ſoluto Satana è carcere, deuoratisque per ignem ijs, qui contra Sanctos bellabant, ponitur generalis iuſtorum, & iniuſtorũ reſurrectio: *Vidi*, inquit, *mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Throni.* Vidi, inquam, mortuos tunc ſuſcitatos, & in iudicium adductos. Quòd verò mortui illi non ſolum fuerint reprobi, ſed etiam iuſti; ſatis explicant illa verba immediatè poſita: *Et libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt. qui eſt vitæ: & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* Et inferiùs: *Et qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Igitur liber vitæ ideô apertus eſt, vt appareret, qui in illo ſcripti eſſent, & vt qui in eo non eſſent ſcripti, in ignem mitterentur: qui verò ſcripti in eo inuenirentur, mitterẽtur in gloriam. 24. *Vltimus locus Apocal. 20.*

Hæc ex ſacris literis adduximus pro expugnando ſuperiori errore, vt ex illis euidẽter appareat, illam primam iuſtorũ reſurrectionem millè annis ante generale iudicium Sacræ Scripturæ expreſſè contradicere, & ex conſequenti verè eſſe hæreticam. Nec Auguſtinus in hoc ſenſu illam dixit eſſe tolerabilẽ, ſed qua- 25. Concluſio diſputationis.

tenus in illorũ regno non admittebat delitias corporales, ſed ſolas ſpirituales: nã quoad hoc eſſet illa opinio tolerabilis, nullotamen modo, ſi admitteret obſcęnas delitias. ¶ Poſſent in huius veritatis cõfirmationem adduci quàm plurimæ congruentiæ, vt omnium reſurrectio in ſolo die iudicij fieret: ſed de illis agemus inferiùs quæſt. 8.

Soluuntur argumenta præcitati erroris.

26. Ad argumẽta. ¶ Authores huius erroris in illius confirmationem multa adducunt; & latiſsimè Irenæus in d. lib. 5. aduerſus hæreſes à c. 32. cũ ſequentibus; quæ longum eſſet referre: ferè omnia ſumuntur ex locis Prophetarum de promiſsionibus factis Habrahæ, & ſemini illius: de inſtauranda Ieruſalem: de bonorum affluẽtia, & de alijs huius generis: quas Iræneus in d. cap. 32. poſt principium hac etiam ratione confirmat: quia oportet iuſtos reſurgentes recipere repromiſsionẽ hæreditatis in ipſa conditione corporis, in qua labores perpeſsi ſunt. Verũ hęc omnia vim nõ habẽt quia illa, vel intelligenda ſunt moraliter; vel allegoricè: vel deniq; ſpiritualiter, vt benè aduerterunt *Suarius in d. diſp. 50. ſect. 8. §. Ad fundamentum tamen pag. 1016. col. 2; & Lorinus in acta cap. 1. verſu 6. pag. 18. col. 2. §. Quæ in ſacris literis,* vbi pro ea citat Porchetum, Finum, Galatinum, Leonem Caſtro in Iſaiam: & omnino eſt videndus Feuardentius ad Irenæum d. cap. 32. cum ſequentibus; latè etiam id explicat idẽ *Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 1. ſect. 4.*

27. Ad rationẽ Irenæi. Rationem verò, qua Irenæus id confirmat, parum habere probabilitatis ipſemet in cœlis euidenter cognoſcit: fatemur decere diuinam bonitatem, vt Sancti hæreditatem gloriæ recipiant, etiam in corpore, in quo labores perpeſsi ſunt: eam tamen non decet, vt aliam hæreditatem in corpore obtineãt, niſi glorioſam; ſicut enĩ decet, vt corpus, quod in morte ſeminatur mortale, reſurgẽs ſtatim ſurgat immortale; ita etiã decet, vt quod ſeminatur in ignobilitate, ſtatim ſurgat in gloria; & quod ſeminatur in infirmitate, ſtatim ſurgat in virtute, & quod ſeminatur animale ſtatim ſurgat ſpirituale; vt ait Paulus primæ Corinth. 15. & præterea decet, vt ſicut primus homo fuit de terra terren⁹; ſecundus verò de cœlo cœleſtis; ita cœleſtes reſurgant cœleſtes: nam cum negandum non ſit, reſurrectionem illam iuſtorum, quam aduerſarij agnoſcunt, fieri à Chriſto homine de cœlo cœleſti; negandum etiam non eſt, reſurrectionem, quæ eſt per Chriſtum, ita fieri, vt homo reſurgens reſurgat non terrenus, ſed cœleſtis, & ipſo etiam corpore glorioſus. Quomodo igitur decet, vt iſti per Chriſtum reſurgentes reſurgant terreni?

Arguunt etiã ex verbis Chriſti Luc. 22. nu. 18: *Non bibam de generatione vitis huius donec regnũ Dei veniat.* Iam verò Chriſtus de genimine vitis cũ ſuis diſcipulis nõ poteſt in cęlis bibere, vt patet: ſed nec illud bibere poteſt, niſi in regno aliquo terreno. Ita arguit Irenęus vbi ſuprà c. 35. in princ. ¶ Sed profectò ex verbis Matth. 26. n. 26. *Nõ bibã de hoc genimine vitis, vſq; in diem illum, cum illud bibam vobiſcũ nouũ in regno Patris mei,* ſatis infertur, Chriſtum D. loqui de regno beatitudinis, vt optimè aduertit Maldonatus in eodẽ loco pa. 606. B. etenim, vt ibi aduertit, in ſacris literis regnũ Patris ſemper accipitur pro regno cœlorũ, vitaq; beata. Cui accedit ex eodẽ Maldonato; quoniã vbicumque ſcriptura mentionẽ facit eſus, & potus regni cœlorum, regnũ ſemper accipitur pro vita beata: ita Pſalmo 11. *Satiabor, cũ apparuerit gloria tua,* nimirũ gloria cœleſtis beatitudinis. Matth. 18. n. 10. *Et recumbẽt cum Habrahã, Iſaac; & Iacob, in regno cœlorũ,* id eſt in beatitudine cęleſti: & c. 14. n. 15. *Beatus qui manducabit in regno Dei,* id eſt in beatitudine. Lucæ 22. n. 25. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater, regnũ, vt edatis. & bibatis ſuper menſam meã in regno meo,* id eſt in regno beatitudinis. Apocalyp. 19. n. 9. *Beati, qui ad cœnam nuptiarũ agni vocati ſunt,* id eſt, ad beatitudinem cœleſtem. Quare cum Chriſtus in præcitatis locis Matthæi, & Lucæ agat de potu vini in regno Patris, & Dei; vtique de regno cœleſtis beatitudinis loquitur; vt ſit ſẽſus: Nõ bibã & cæt. donec bibam illud in regno ſupernaturalis beatitudinis. Quem etiam ſenſum ſatis denotat illud verbum *nouũ,* quod idem eſt, atque præſtãtiſsimũ, & ſuauiſsimum, quale eſt nectar, & ambroſia apud Philoſophos antiquos: Hæc eſt optima horũn verborum explicatio quam teſte Maldonato probarunt Origenes

[Right margin: 28. 2. argumẽt ex verbis Luc. 22. — Solutio. — Pſalm. 11 Matth. 18 — Apoc. 15. — 29.]

nes,& Beda in eadem verba Matthæi, atque etiam Nazianzenus in 2. orat. Paſchæ.

Alia ſolut.

Quare ex iſto loco non benè colligitur regnum millenarium Chiliaſtarū. Sicut etiam non colligetur, ſi per vinum nouum intelligas Chriſti ſanguinem,quē Chriſtus cum Apoſtolis bibit in regno Patris, id eſt, in initio noui teſtamenti, quod in vltima Chriſti cœna incepit,quę explicatio nonnullis placuit: vel in regno Patris,id eſt,in Eccleſia, vt explicant Hieronymus, & Beda: nec denique ex his verbis pro Chiliaſtis poteſt ſumi argumentum,etiamſi vinum ibi propriè ſumatur pro naturali vino: quia Chriſtus poſt illam cœnam non bibit vinum cum Apoſtolis, donec reſurrexit, quod tempus appellat Patris regnum: quæ fuit explicatio Chryſoſtomi, Theophylacti, & Euthymij in eodem loco.

Inſtantia.

30. Cæterum prima explicatio eſt omnium optima. Cui non obſtat, quòd verba Chriſti allata videntur nō poſſe aliter intelligi,quàm de vero vino: etenim de illo intelliguntur priora illa verba, *non bibam de hoc geminine vitis*: cum verò poſteriora, *donec illud bibam vobiſcum* contineant relatiuū *illud*, de eodem naturali vino ſunt explicanda:

Solutio.

non obſtat, inquàm, quoniam, vt doctè aduertit Maldonatus vbi ſuprà pagina 606. E. & 607. A. Chriſtus Dominus ſæpè in eadem oratione ambiguè vtitur vno,& eodem verbo,vt patet in illis, *ſinite mortuos ſepelire mortuos ſuos*, vbi in priori loco verbum *mortuos* ſumitur metaphoricè pro peccatoribus peccato mortuis; in poſteriori verò ſumitur propriè pro mortuo corporaliter. Ioannis 14. n. 13.& 14. *Qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternū*; vbi nomen *aqua* æquiuocè ſumitur pro aqua naturali, & pro aqua gratiæ.

Ioan. 14.

Eodem igitur modo genimen vitis ambiguè ſumitur, vt in priori periodo propriè ſumatur; in poſteriori autem metaphoricè,nam & metaphoricê ſumitur illud Pſalm.35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vnde pronomen *illud* refert totum genus, quod aut propriè, aut metaphoricè dicitur vinum, vt benè aduertit *Maldonatus vbi ſuprà.*

Pſal. 35.

31. Tertium, & præcipuū fundamentū ſumitur ex cap.20.Apocalypſis:vbi poſt ligationem Satanæ ita ſcribitur: *Et vidi ſedes; & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis; & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei: & qui non adorauerunt beſtiam; nec imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus ſuis: & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis: cæteri verò mortuorum non vixerunt, donec conſummarentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.*

3. argum. aduerſariorum ex ca. 20. Apoc.

Quem locum tanquam apertiſsimum pro ſuo errore adducunt Chiliaſtę: quin potiùs plerique ex illis,qui eos non recipiunt, eo conuicti reiecerunt librum Apocalypſis, nō ſolùm vt Apochryphū, ſed vt à Cerintho hæretico conſcriptum, vt teſtatur Euſebius lib.7. hiſtoriæ c.19.

Apocalypſis à quibus reijciatur.

Sed cum liber Apocalypſis iam ſit ab Eccleſia receptus,vt verè canonicus,relegāda eſt horum opinio. Oportebat igitur, vt locus iſte pro defendenda Catholica veritate,diligenter explicaretur, & oſtēderetur ex eo, nec colligi poſſe primam reſurrectionem corporalem ſanctorum ante reſurrectionem futuram in iudicio; nec regnum terrenum mille annorum

32. Chriſti cum ſanctis. Verum,quia hoc lōgum poſtulabat tractatum, propter plura difficillima,quæ continet,ab hoc labore ſuperſedendum duxi:nam cum ſolùm intendamus, nullam dari corporalem reſurrectionem bonorum mille annis ante malorum reſurrectionem,imò nec per breue tempus,vt ſtatim dicemus;ſatis nobis ſit aduertere Ioannem in illis verbis non agere de corporali bonorum reſurrectione,ſed ſolùm de ſpirituali, vt volūt omnes tùm Patres, tùm ſacræ Scripturæ interpretes:

Explicatio loci Ioan.

quanuis non conueniat, de qua nam ſpirituali reſurrectione verba illa ſint intelligenda: quidam enim illa interpretantur de reſurrectione de peccato ad gratiam, vt *Auguſt. lib.20. de Ciuitate Dei c.9. & homil.17. in Apocalypſi, Primaſius item, Beda, Rupertus, Anſbertus, & Haymon, teſte Ribera in eodem loco n.16.*

Variæ explicationes

Auguſt.

Alij ea intelligunt de reſurrectione quidē à peccatis; non tamen ſolùm ad gratiam,ſed etiam ad gloriam,vt placet *Suario in d. diſp.50. ſect.8. pag.1017. col.2.* Alij de reſurrectione ad ſolam gloriam, & beatitudinem, vt *Ribera in d. c.20. n.49. & Veiga ibidem com. 1. ſect.2. n.15.* Denique alij volunt in illis ſermonem eſſe

de reſurrectione myſtica, qua ſanctitas, & doctrina Euangelica reuixit, quando à Romana ciuitate expulſa eſt idololatria: quæ eſt noua quædam explicatio *Ludouici de Alcacar in d. c. 20. pag. 890. litera B. §. Vt ergo meam.* Quæ nam iſtarū

33. explicationum accommodatior ſit? ad noſtrum inſtitutum parum refert: ex quacumque enim illarum ſemper obtinebo in illis verbis non agi de corporali reſurrectione; quo ſuppoſito ex illo capite nullum poteſt ſumi argumentū pro præcitato errore. Quòd verò illa verba non ſint intelligenda de reſurrectione corporali, ſed de ſpirituali, ſatis videtur conuincere argumentum vltimum, quod in confirmationem noſtræ veritatis adduximus ſuprà n. 24: etenim ex eodem c. 20. colligitur poſt ſolutionem Satanæ è carcere, & poſt deſcenſum ignis plurimos Sanctorum in die iudicij ſurrexiſſe, & ſimul cum malis iudicatos eſſe. Quod etiam ex eo confirmatur; quoniam non eſt probabile in illo prælio, quòd Satanas cum ſuis iniuit contra Sanctos, nullum pro fidei defenſione occubuiſſe: nam hoc prælium initum à Satana iam è vinculis ſoluto, idē eſt cum eo, de quo Apocalypſis 11. ex quo habes multos ſanctorum perijſſe, & plurimos eorum, qui partes ſequebantur Antichriſti, viſis ſignis, pœnitentiam egiſſe. Quæ latiùs non oſtendimus breuitati conſulentes.

Quod Ioannis verba nō intelligantur de reſurrection. corporali.

Confirmatio.

34. Accedit etiam; quoniam ſicut duæ mortes, de quibus in d. cap. 20. ita ſe habent, vt ſola prima ſit corporalis; ſecunda verò, damnatio ſcilicet æterna, ſuo modo ſit ſpiritualis: quoniam damnati, dùm in infernum mittuntur, corporaliter non moriuntur, ſed corporaliter viui morte æterna damnantur: ita etiā duæ reſurrectiones, quarum in eo capite ſit mentio, ita ſe habent, vt ſola ſecunda ſit corporalis, qua mortui corporaliter reſurgunt; prima autem ſit ſpiritualis. Et hæc de iſtis dixiſſe ſit ſatis.

Alia confirmatio.

§. 3.

Bonos ſimul tempore cum malis eſſe reſurrecturos.

35. IMpugnato errore Chiliaſtarum, expendenda eſt ſecunda ſententia §. 1. allata, quæ docet, ſanctos reſurrecturos quidē eſſe prius tēpore, quàm malos. Quā ſententiam expreſſè ſcribit *Theodoretus* 1. *ad Theſſalonic.* 4. vbi expreſſè docet, omnes iuſtos, ſiue legis naturæ, ſiue veteris, ſiue gratię reſurrecturos eſſe ſimul; ſed ante reprobos. Quam etiam opinionem probauit *Caietanus* 1. *Corinth.* 15. & tanquam probabilem defendit *Richardus in 4. diſt. 43. art. 5. q. 1*: pro qua etiam referuntur *Primaſius, Theophylactus, & Oecumenius* 1. *ad Theſſalonicenſ.* 4. imò etiam refertur *Chryſoſtomus ibidem homil. 7. & 8. & in quadam homil. de Aſcenſione Chriſti.*

Expeditur 2. opinio.

Theodor. Caiet. Richard. Primaſius Theophyl. Oecumen. Chryſoſt.

36. Pro hac opinione referuntur verba Pauli 1. ad Theſſalonic. 4: *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* Et ex verbis eiuſdem Pauli 1. Corinth. 15: *In Chriſto omnes viuificabuntur: vnuſquiſque in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus; deinde ij, qui ſunt Chriſti; deinde finis.* Quæ verba apertè denotant ordinem temporis.

Confirmatur ex Paulo 1. Theſſ. 4. 1. Cor. 15.

37. Ex congruentijs nonnulli ita arguūt. Et primò; quia iuſti ituri ſunt obuiam Chriſto in aëra. Oportet igitur, vt priùs reſurgant, quàm reprobi: hi enim in terra Chriſti aduentum expectabunt. Secūda congruentia; quia decet, vt Deus ſe oſtendat promptiorem ad redendum præmium, quàm pœnam. Tertia denique; quia iſto modo oſtenditur obedientia iuſtorum, dùm citiùs obediunt voci Dei eos ad vitam reuocantis.

Arguūt ex congruentijs.

38. Oppoſitam tamen ſententiam probauimus ſuprà §. 1. Dicimus igitur inter bonorum, & malorum reſurrectionem, nullam futuram eſſe temporis prioritatē; etiam breuiſsimam. Quæ ſententia inter Theologos eſt communior. Eam abſolutè probat *Sotus in 4. diſt. 43. q. 2. art. 4. concl. 2. pag. 422. col. 2. Eſſe ſententiam probabiliorem teſtatur Paludanus ibidem q. 4. art. 3. n. 17. in fine, & n. 19.* Eandem eſſe meliorem, & ſecuriorem teſtatur *Richardus vbi ſuprà ad finem corporis.* Eam tanquam abſolutè probabiliorem defendit *Suarius in d. diſp. 50. ſect. 9. in tertia ſententia, pag. 1019. col. 2.* ſimpliciter eam probat *Benedictus Iuſtinianus in 1. Corint. 15. verſu 22.* Quidam pro ea volunt ſtare D. Thomā *in 4. diſt. 43. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3*: etenim ſimpliciter aſſerit, reſurrectionem fieri in inſtanti terminatiuo vocis tubæ; ex quo benè infertur, omnes in eodem inſtanti

Oppoſita ſentētia eſt vera.

Sotus. Palud. Richard. Suarius. Iuſtinian. D. Thom.

ſtanti ſimul ſurrecturos fore, vt ſtatim oſtendemus.

39. 1. argum. ex Auguſt. & alijs. Hæc ſententia primò confirmatur authoritate libri de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 6. apud Auguſtinum, qui tribuitur Gennadio, vbi ita ſcribitur: *Erit reſurrectio mortuorum omnium hominũ; ſed vna, & inſimul, & ſemel: non prima iuſtorum, & ſecunda peccatorum, vt fabula eſt ſomniatorum, ſed vna omnium.* Pro eadem refertur *Hyppolytus Martyr in lib. de conſummatione mundi non longè à fine, & Methodius de reſurrectione.* Satis eam videtur docere *Euthymius ad illa verba Ioannis 5: Omnes, qui in monumentis ſunt, & cætera,* vbi ita ait: *Simul omnes repente, ac virtute arcana coaptabit, animabit, & excitabit voce ſua, ſiue iuſſu.* *Hyppol. Method. Euthym.*

40. 2. argum. ex Scriptura. Deinde confirmatur; quia ſatis videtur eſſe conſentanea ſacris literis: maximè enim conſentit cum verbis Pauli 1. Corint. 15: *Omnes quidem reſurgemus: in momento, in ictu oculi, in nouiſsima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti:* ideò enim dixit in momento, inquit Richardus, vt ſignificaret, nullum dari ordinem temporis inter reſurrectionem electorum, & reproborum. *1. Cor. 15.*

41. Quod efficaciùs confirmari poteſt ex verbis Chriſti Domini, & Pauli: nam Chriſtus Ioannis 5. dicit: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei; & procedēt. qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.* Boni igitur, & mali reſurgent ad vnam, & eandem vocem filij Dei. Paulus etiam 1. Corint. 15. ait: *In nouiſsima tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Omnes igitur ex Paulo, tàm qui immutabuntur, quàm qui non immutabuntur (hoc eſt, tàm boni, quàm mali) reſurgent in nouiſsima tuba. Quare omnes tàm boni, quàm mali reſurgent ad vnam vocem, vnumque iuſſum, ſiue imperium filij Dei. Omnes ergo ſimul reſurgent. Hanc conſequentiam expreſsit Euthymius in verbis ſuprà citatis: & ſatis ſignificant Cyrillus, Chryſoſtomus, & Rupertus in citatis verbis Ioannis 5. Quorum ponderatio maiorem habebit efficaciam, ſi vox illa vna ſignificatiua imperij operabitur in vltimo inſtanti illius terminatiuo, vt vult D. Thomas ab alijs receptus: etenim ſi ad efficaciam illius vocis pro vltimo inſtanti omnes ſunt reſurrecturi; vtique omnes ſimul reſurgent, cum illud inſtans ſit indiuiſibile. *Ioan. 5. 1. Cor. 15. Euthym. Cyrill. Chryſoſt. Rupert. D. Thom.*

Nec ea, quæ ex Paulo adducũtur vim habent. Nam primum teſtimonium 1. ad Theſſalonic. 4. non comparat iuſtos cum reprobis, vt patet ex verbis immediatè ſequentibus: *Deinde nos, qui viuimus:* qui erunt iuſti. Vtrùm verò in ordine ad iuſtos vim habeant verba Pauli, expendemus in art. 3. ſequenti. 42. Ad 1. arg.

Ad ſecundum varij variè reſpondent, vt patet ex ijs, quæ ſcribunt *Suarius in d. ſect. 9. pag. 1021. col. 1. ad 2. teſtimonium; & Cornelius à Lapide in eodem loco Pauli verſu 23. pag. 360. col. 2. & Benedictus Iuſtinianus ibidem verſu 23. pag. 641. col. 1. cum plerisque alijs.* Quidam volunt in illis verbis non agi de ordine temporis; ſed vel de ordine dignitatis, ſiue meritorum (quod placuit *Authori Commentariorum ad Epiſtolas Pauli, qui D. Hieronymo tribuuntur, & Tertulliano de reſurrectione carnis c. 38. Sedulio, & D. Thomæ:*) vel de ordine ſtatus cuiuſque; ita vt martyr reſurgat in ordine martyrum; Virgo in ordine virginum: coniugatus in ordine coniugatorum: & ſacerdos in ordine ſacerdotum, vt vult *Anſelmus in eodē loco Pauli:* vel de ordine iuſtorum, & impiorum; ita vt iuſtus reſurgat in ordine iuſtorum; impius verò in ordine impiorum; vt teſte Cornelio de Lapide, volunt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus. Qua ſuppoſita expoſitione, nullus argumento locus datur. 43. Ad 2. variè reſpondetur. *Suarius. Cornelius. Iuſtinian. Author Cōmenti. Tertull. Sedulius. D. Thom. Anſelm.*

¶ At tamen quia aduerbium *deinde* bis poſitum ordinem tēporis videtur denotare; ideò plures ex noſtris admittunt, in illis verbis agi de ordine temporis: ſed docent Paulum in illis non agere de reſurrectione impiorũ, ſed de ſola bonorum: vnde ſenſus eſt: *Omnes in Chriſto viuificabuntur; vnuſquiſq; in ſuo ordine,* id eſt, ſeruato ordine temporis; quia ſcilicet nullus ante Chriſtum ſurrexit, ſed primus omnium Chriſtus, tanquam reſurgentiũ primitiæ, cum illius reſurrectio cæterarum omnium ſit cauſa. *Deinde ij, qui ſunt Chriſti,* illi ſcilicet, *qui in aduentu eius crediderunt.* Et addit, *deinde finis.* id eſt, facta autem iuſtorum reſurrectione ſequetur finis, atque conſummatio omnium, quæ Chriſtus nobis meruit: quia facto iudicio aſcendens cum 44. In illis agi de ordine tēporis qui dicunt.

ſuis

ſuis in cœlum tradet regnum Deo, & Patri. Hæc eſt communis horum verborũ explicatio, quam latè perſequitur *Suarius in d. ſect. 9. pag. 1021. col. 1. & 2.* vbi eam confirmat; quia Paulus in toto illo capite ante illa verba; *ecce myſterium vobis dico*, non egit de reſurrectione impiorũ. Quod tamen valde diſplicet *Benedicto Iuſtiniano vbi ſuprà*; & meritò: quia pleraq; à Paulo dicta ſunt, quæ & iuſtorum, & impiorum reſurrectioni conueniunt; cũ in illis agat contra eos, qui reſurrectionẽ mortuorum abſolutè negabant. Sed vt demus, in præcedentibus multa dixiſſe de reſurrectione bonis, & malis communi; hoc non impedit, quominùs in verbis nobis obiectis ſolùm agat de reſurrectione bonorum: nam inferiùs plura ſcribit, quæ ſoli bonorum reſurrectioni accommodantur, quæ facilè oſtenderemus, niſi ad vlteriora progrederemur. Vnde & ipſe Iuſtinianus communem explicationẽ, vt veriſimilem ſtatim amplectitur.

Suar.

45. Ad rationes congruentiæ. Sed nec rationes congruentiæ aliquid efficiunt; quas omnes diſſoluit *Suarius vbi ſuprà pag. 1021. col. 2. §. Ad primam coniecturam.* Et quod attinet ad primam;

Ad 1. quid abſurdi eſt, ſi bonis, & malis ſimul reſurgentibus, mali in terra maneant; boni autem in aera Chriſto obuiam occurrant?

Ad 2. Ad ſecundam dicimus, maiorẽ Dei pronitatem ad præmium, quàm ad pœnã in alijs manifeſtari. Imò congruum eſt, vt in hoc malos puniat, vt ſimul cum bonis reſurgentes videant illorum gloriam, dùm ſe in aera obuiam Chriſto faciunt, illis in terra manentibus, vt ſtatim, atque reſurgunt, verè dicant; *nos inſenſati vitam iſtorum exiſtimabamus inſaniam: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.*

Ad 3. Tertiæ rationi locus daretur, ſi impij voluntariè obedirent efficaciæ vocis, qua illis præcipitur, vt reſurgant: iam verò non voluntariè, ſed neceſſariò obedient.

ARTICVLVS III.

An in reſurrectione iuſtorum inter ſe detur aliqua temporis prioritas?

1. CONſequenter inquirendum eſt; an inter iuſtos reſurgentes danda ſit aliqua temporis prioritas? In hac quæſtione duo poſſunt inquiri. Primum eſt; an iuſti, qui Verbi incarnationẽ præceſſerunt, priùs tempore ſint reſurrecturi, quàm illi, qui fuerunt in lege gratiæ? Alterum eſt; an illi, qui ante diem iudicij fuerunt mortui, priùs debeant reſurgere, quàm illi, qui tunc viui reperiētur?

Quid de ijs, qui ante Christi incarnationem fuerunt mortui?

¶ Quod attinet ad primum ſolum inueni Suarium, qui hoc dubium excitarit: quin potiùs ipſe fatetur, ſe neminem legiſſe, qui de hoc aliquid dubitauerit, vt patet ex *d. diſp. 50. ſect. 9. pag. 1019. col. 2. in principio, & pag. 1020. col. 1. litera B*: & meritò nullus vnquam de hoc dubitauit: quia nulla ratio eſt, ob quam reſurrectio eorum, qui ante legem gratiæ fuerunt, antecedat: nam ſi illorum beatifica conſummatio noſtram conſummationẽ præcedere non debet, ſed ſimul nobiſcum cõſumandi ſunt, vt ait Paulus ad Hebræos 11. in fine: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummentur*; nec etiam illorum reſurrectio noſtram antecedet, ne gloria corporis ſine nobis conſummentur: etenim, vt benè Suarius aduertit, hæc eſt legis nouæ prærogatiua, vt ſicut beatitudo animæ ſine nobis communicata illis non fuerit, ita etiam ſine nobis illis non communicetur gloria corporis. Accedit; quia ita fieret, vt boni illius temporis priùs reſurgerent, quàm mali eiuſdem tempeſtatis; contra quod iam ſtatuimus in præcedente articulo. Denique, quæ argumenta concludunt, reſurrectionem bonorum non antecedere malorum; illa etiam concludunt, reſurrectionem iuſtorum, qui Chriſtum anteceſſerunt, ſimul futuram eſſe cum reſurrectione iuſtorum legis Euangelicæ. Quod dicimus de iuſtis, qui fuerunt in lege veteri reſpectu iuſtorum legis nouæ, dicendum etiam eſt de iuſtis legis naturæ, ſi cum iuſtis legis veteris cõferantur.

2. Non prius reſurgẽt, q fuerunt in lege veteri. Suarius.

Hebr. 11.

Alia confirmatio.

Quid de ijs, qui ante diem iudicij obierunt; reſpectu viuorum, qui tunc erunt?

¶ Maior dubitatio eſt de illis, qui mortui ſunt ante diem iudicij; an illorum reſurrectio priùs tempore fieri debeat, quã eorum

3. Quid de mortuis ante diem iudicij?

eorum, qui in illo die viui reperientur? Ex verbis Pauli 1. *ad Theſſal.* 4. certum eſt viuos, qui tunc erunt, & morientur, Viui in die iudicij non prius reſurgent. non priùs reſurrecturos fore, quàm illos, qui ante illum diem obierunt: ita enim ait Paulus: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus, non præueniemus eos, qui dormierũt.* Quod dixit Paulus, ne fideles contriſtarentur, exiſtimantes difficiliorem eſſe reſurrectionem eorum, qui à multo tempore ante diem iudicij obierunt, non ob aliam rationem, niſi quia longiſsimo tempore ſub mortis dominio fuerunt: huic errori occurrit, oſtendens, quod qui in die iudicij mortui fuerint, in reſurrectione non præuenient eos, qui à tempore longiſsimo fuerunt mortui: cum enim vtrorumque reſurrectio diuina virtute ſit facienda, æquè facilis erit horum, & illorum reſurrectio.

Quare tota difficultas poſita eſt; an mortui ante diem iudicij priùs tempore 4. In quo ſit difficultas. ſint reſurrecturi, quàm illi, qui in illo eodem die obierunt? Rationem dubitandi faciunt verba Pauli, quę ad præcitata cõſequuntur. Ratio dubitandi. *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcẽdet de cœlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt reſurgent primi; deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus.* Sunt enim, qui ea intelligant de prioritate temporis, vt ſcilicet, qui pro illo die iam ſunt mortui, priùs tempore reſurgant, quàm illi, qui tũc viui fuerint. Qui ſenſus magis corroboratur ex opinione *Auguſtini 20. de Ciuitate Dei c. 20. & Anſelmi in illis verbis Pauli,* qui volũt, Confirmatur ex Aug. & Anſelm. viuos illos, aut non eſſe morituros, aut morituros fore, poſtquam ſimul cũ mortuis iam reſuſcitatis rapti fuerint, in ipſo raptu morituri, atque reſurrecturi: hac enim ſuppoſita opinione, neceſſariò infertur, reſurrectionem eorum, qui ante iudicium fuerunt mortui, tempore antecedere, tùm mortem, tùm reſurrectionẽ eorum, qui adhuc viui ſimul cum illis rapientur: quam opinionem abſolutè pro- Auctores huius opinionis. barunt *Scotus in 4. diſt. 43. q. 5. art. 3. litera E. & Durandus ibidem q. 4. art. 2. n. 14. &* Scotus. *ſatis Richardus ibidem art. 5. q. 1. vt patet* Durand. *ex corpore, & ad 1. & Valentia 4. p. diſput.* Richard. *11. q. 3. puncto 2. ad finem, Fiet autem re-* Valentia. *ſurrectio, pag. 1939. B.*

Huius opinionis fundamentum ſumitur ex illis verbis; *& mortui, qui in Chriſto ſunt reſurgent primi; deinde nos, qui viuim⁹:* 5. Fundamentum opinionis. quæ verba denotant ordinem ſecundum prius, & poſterius in tempore: etenim verba illa, *reſurgent primi*, non poſſunt explicari de primitate dignitatis apud Deum, quia multi illorum viuorum erũt maioris dignitatis apud Deum, quam aliqui eorum, qui priùs fuerunt mortui: nec poſſunt intelligi de primitate naturæ; quia, vt ait Durandus, in indiuiduis eiuſdem ſpeciei non eſt ordo naturæ: oportet igitur intelligantur de primitate temporis. Accedit; quia comparat iſtorum reſurrectionem cum raptu in aera, vt ſatis patet ex illis verbis: *Deinde nos, qui viuimus, ſimul rapiemur:* iam verò inter mortuorum reſurrectionem, & raptum intercedet tempus, vt dicemus in ſequenti articulo. Denique ſupponit Paulus, homines illos adhuc viuere, quando mortui reſurgunt. Hoc eſt huius opinionis fundamentum: quod haud dubiè conuincet, ſi admittatur opinio Auguſtini, & Anſelmi, ſcilicet viuos poſt raptum in ipſo raptu, & morituros eſſe, & ſtatim reſurrecturos: vnde hæc opinio non poteſt non habere patronos, & Auguſtinum, & Anſelmum.

Oppoſita tamen opinio, & communior eſt inter Theologos, & abſque dubio tenenda, ſuppoſita opinione, quòd viui illi, & morituri ſunt, & reſurrecturi, vt 6. Oppoſita ſentẽtia eſt tenenda. latè oſtendimus ſuprà q. 4. art. 2. §. 3. ad 3. arg. Dicendum eſt igitur illos, qui in aduentu Chriſti viui inuenientur, morituros, antequam reſurgant alij mortui; & ſimul cum illis reſurrecturos. Quam opinionem ſimpliciter probat *Sotus in 4. d.* Sotus. *43. q. 2. art. 4. concl. 2. pag. 422. col. 2. in fin. & poſt eum, vt probabiliorem abſolutè probat Suarius in d. diſp. 50. ſect. 9. in 3. ſenten-* Suarius. *tia, pag. 1019. col. 2. & pag. 1020. col. 1. B. C. Eam probat Benedictus Iuſtinianus in d. epiſt. ad Theſſal. loco citato, & 1. ad Corint.* Iuſtinian. *15. verſ. 23. pag. 641. col. 2. in fine. Pro hac ſententia referri ſolet Paludanus in 4. diſt. 43. q. 4. art. 3. n. 17:* ſed ille non ſatis ſe explicat: licet enim poſt relatam ſententiam oppoſitam, dicat probabilius eſſe, quòd omnes ſimul reſurgant; tamen ſtatim ad primum docet, viuos illos in ipſo raptu morituros, & reſurrecturos, quod neceſſariò

ſariò arguit, aliorum reſurrectionem ante raptum factam eſſe priorem tempore. Refertur etiam Richardus vbi ſuprà, tanquam problematicè vtramque opinionẽ defendens: at amen ſi benè expendatur, oppoſitam probat ſententiam, vt patet ex ſolutione ad primum. Non negabo D. Thomam *in 4. diſt. 43. q. 1. artic. 3. quæſtiunc. 3.* in noſtram ſententiam inclinare, dùm ait, reſurrectionem fieri in vltimo inſtanti prolationis verborum, quibus imperatur: quo ſuppoſito, non poteſt non concedi, omnes ſimul, & in eodem inſtanti reſurrecturos forè, clariùs tamen poteſt citari in d. c. 4. 1. ad Theſſalonicenſ. lectione 2. ad propria Pauli verba, vbi expreſſè noſtram ſententiam probat.

D. Thomas pro nobis facit.

7. 1. arg. Hęc ſententia iiſdem modis confirmari poteſt, quibus in præcedente articulo §. 3. confirmauimus, bonos ſimul reſurgere cum malis: nam *Gennadius ibidem relatus in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus c. 6.* abſolutè docet, reſurrectionem mortuorum futuram eſſe inſimul: quod etiam aſſerunt Hyppolitus Martyr in lib. de cõſummatione mundi ante finem, & Methodius de reſurrectione: quod etiam ſatis probant verba Euthymij, quæ ibi adduximus.

Gennad.

8. 2. argum. Deinde; quia omnes mortui reſurgent ad vnam, & eandem vocem filij Dei per tubam Archangeli, & ad eundem iuſſum mortuorum denuntiatum per vnam, & eandem vocem, vt patet ex verbis Chriſti Ioannis 5. & Pauli 1. Corint. 15. atque etiam ex ipſis verbis primę ad Theſſal. 4. Iam verò ex vno, & eodem iuſſu optimè infertur, omnes ſimul reſurgere, vt ibidẽ monſtrauimus cum Euthymio, Cyrillo, & Ruperto ibidem: etenim cum illa vox, ideò quia ſignificatiua diuini iuſſus, & imperij habeat vim ad faciendam reſurrectionem; vtique eam non habebit, niſi in vltimo inſtanti prolationis; quia tunc diuinus iuſſus eſt perfectè ſignificatus, & intimatus, vt ex D. Thoma ibidem diximus: nam ob hanc rationem verba ſacramentorum operantur in vltimo inſtanti prolationis, quia ſcilicet ſignificando operantur. Admiſſa autem hac ſententia, neceſſariò admittendum eſt omnes ſimul reſurrecturos.

9. Accedit etiam; quia nulla datur probabilis ratio, cur mortui illi priùs reſurgãt, quàm viui, poſtquam mortui fuerint: etenim non eſt admittenda opinio, quòd iſti viui in ipſo raptu, & moriantur, & reſurgant; ſed dicendum eſt, illos, quos Paulus appellat viuentes, viuos non dici, quaſi antea mortui non fuerint; quia verè mortem obierunt; ſed quia non diù ſub morte fuerunt, vt latè oſtendimus ſuprà q. 4. art. 2. §. 3. ad 3. in fine. Si verò quæras; quando fuerint mortui? dicam, illos mortuos fuiſſe ante reſurrectionem aliorum mortuorum; vel in ipſa conflagratione ignis, quæ verior eſt opinio; vel ob nimium terrorem ſignorum; vel in ipſa motus cœleſtis ceſſatione, vt vult Richardus, quamuis non ſatis philoſophicè; vel denique alio modo nobis ignoto, Deo tamen poſsibili. Hac autem facta ſuppoſitione, nulla dabitur ratio, cur mortui illi priùs reſurgant; quin potiùs vrget ratio, vt omnes reſurgant ſimul; ſiquidem omnes reſurgunt ad vnum Chriſti imperiũ per vocem Archangeli ſibi intimatum. 3. argum.

10. Ad fundamentum aduerſariorũ. Nec aduerſus nos vrget fundamentũ ſumptum ex verbis Pauli: *Et mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos, qui viuimus, rapiemur, & cætera.* Nam omiſsis alijs explicationibus, quæ ad inſtitutum Pauli non ſatis accommodantur; admittimus ibi ſermonem eſſe de prioritate temporis, vt declarat aduerbium gręcum πρῶτον, quod idem eſt, quod noſtrũ aduerbium *primùm*, cui reſpondet aduerbium *deinde*: at tamen dicimus ibi non poni ordinem inter reſurgentes; aut inter reſurrectiones, vt vna tempore ſit prior, & alia poſterior; ſed ſolùm poni ordinem reſurrectionis iuſtorum ad raptum, & occurſum ad Chriſtum; ita vt omnes, qui ſunt Chriſti, primùm reſurgant, deinde rapiantur in occurſum Chriſti; quæ eſt explicatio *D. Thomæ in eodem loco, Soti, Suarij, & cæterorum, quos citauimus, & probat Cornelius à Lapide in eodem loco Pauli verſu 16. & 17. n. 35.* & erit facilior, ſi cũ litera græca ita legamus: *Et mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primùm*: erit enim ſenſus, mortui, qui iam obierunt, primũ reſurgent: deinde nos, qui viui reputamur, ideò, quia mortui ſtatim reſurreximus, cum illis ſimul rapiemur, & cætera. Vt verò hæc explicatio accommodata appareat, aduertimus, Paulum cõfirmare eos,

D. Thom. Sotus. Suarius. Cornelius.

eos, qui contriſtabantur de ſuis mortuis, vt patet ex illis verbis ſuperiùs adductis: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Eos autem ex eo confirmat; quia Deus eos, qui dormierunt per Ieſum, qui mortuus eſt, & reſurrexit, adducet cum eo in gloriam reſurrectionis: & in huius confirmationem addit: *Hoc autem vobis dicimus in verbo Domini, quòd*
II. *nos, qui viuimus* (aſſumit perſonam eorũ, qui pro tempore iudicij inuenientur viui) *non præueniemus eos, qui dormierunt,* nimirum in aſſecutione gloriæ, & reſurrectionis corporalis: quaſi dicat, non priùs, quàm illi reſurgemus in gloria, vt cum Ieſu reſurgente glorioſi ſimus; ſed cum illis ſimul reſurgemus, & id probat; quia mortui illi primùm reſurgent, antequam cum Chriſto ſint: deinde nos, qui ſimul cum illis ſurreximus, ſimul cũ illis rapiemur obuiã Chriſto in aera, & ſic omnes, tàm illi, quàm nos ſemper cum Domino erimus. Hæc eſt optima, & facilis horum verborum explicatio; maximè, ſi aduertamus, fideles illos non ex eo de mortuis contriſtari, quaſi de reſurrectione illorũ ob temporis longitudinem dubitarent: etenim reſurrectionis articulũ credebãt, vt patet ex illis verbis: *Sicut cæteri, qui ſpẽ non habent*: ſed ideò contriſtabantur, quia putabant, eos priùs mortuos tardiùs eſſe ad gloriam ſuſcitandos. Et ad hanc tollendam opinionem, affirmat viuentes non eſſe in gloria reſurrectionis præuenturos eos, qui dormierunt; ſed ſimul cum illis: & in huius confirmationem adducit verba ſequentia: quia ſcilicet in aduẽtu Chriſti mortui in Chriſto primùm debebant reſurgere; deinde cum viuentibus ſimul eſſe in aera rapiendos, vt cum Chriſto ſemper maneant. Et de his ſatis.

Vera explicatio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm reſurrectio bonorum priùs tempore futura ſit, quàm illi in aera rapiantur?

1. Ratio dubitandi.

SI quis inquirat; an reſurrectio bonorum priùs tempore ſit futura, quàm raptus eorum in aera, vt Chriſto obuiam fiant? Reſpondendũ eſt, quæſtionẽ poſſe eſſe dubiam. Ratio dubitandi eſt; quia raptus ille duobꝰ modis poteſt fieri: vno modo; immediatè poſt inſtans reſurrectionis; ita vt primum eſſe reſurrectionis, ſit vltimũ non eſſe raptus: altero modo; vt nõ fiat immediatè poſt inſtans reſurrectionis; ſed interiecto medio aliquo tẽpore. Poterit igitur quis dubitare, quonam horum modorum fiet talis raptus? Ego puto aliquod mediũ tempus, breuiſſimum tamen, dandum eſſe inter reſurrectionem, & raptũ. Quam ſententiã probat *D. Thomas in 1. ad Theſſal. 4. lect. 2. ad illa verba: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi*: quam eandem probare tenentur, qui volũt in illis verbis denotari ordinem tẽporis inter reſurrectionem, & raptum. Fundamentũ huius reſolutionis ego inde ſumerem; quia decet, vt boni ſe ipſos rapiant in aera: nec enim cõgruum eſt, vt ab aliquo Angelo ad hoc moueantur; cũ ipſi iam habeant dotem agilitatis, vt poſsint ſe ipſos voluntariè mouere. Quare motus ille raptus, fiet à principio intrinſeco ex volũtatis imperio. Iam verò fieri nõ poteſt, vt voluntas in inſtanti reſurrectionis effectiuè moueat ſuas potẽtias loco motiuas; nam licet Sol in primo inſtanti ſuæ creationis lucem emittat; animal tamen in primo inſtanti ſuæ generationis non poteſt ſe ipſum localiter mouere, vt primum eſſe generationis ſit vltimum non eſſe motus: ſed de hoc latiùs diſputare ad Philoſophos pertinet. Et hæc de iſta quæſtione ſexta.

2. Auctoris opinio.

D. Thom.

QVÆSTIO VII.

De loco, in quo fiet generalis reſurrectio.

EXplicatis cauſis generalis reſurrectionis; & ordine, quo omnes ſuſcitabuntur: iuxta ea, quæ diximꝰ in præfatione totius operis, ſeptimo loco agendum eſt de loco, in quo illa fiet: in qua quæſtione vnicum tantùm articulum excitabimus.

ARTICVLVS VNICVS.

In quonam loco fiet generalis reſurrectio?

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

DE loco, in quo generalis hominũ reſurrectio fiet, non conſentiunt Theologi. De quo tres inuenio opiniones. Prima aſſerit reſurrectionem 1. Prima ſententia.

in vno loco terræ eſſe faciendam; in illo ſcilicet, in quo faciendum eſt iudicium: quod iuxta cõmuniorem ſententiam fiet in valle Ioſaphat. Hanc ſententiam latè confirmat *Abulenſis tom. 6. in Matthæum c. 22. q. 233. fol. 86. col. 3. §. De primo. Eam vt magis probabilem probat Sotus in 4. diſt. 43. q. 2. art. 5. ad finem, §. Nihilominus profectò: eandem magis probat Valentia 4. p. diſp. 11. q. 3. puncto 2. pag. 1937. litera C.*

Abulen. *Sotus.* *Valentia.*

2. 2. ſententia

Secunda ſententia non admittit, omnes in vno loco reſurrecturos fore, ſed in diuerſis. In quibus autẽ ſint reſurrecturi? non omnes huius opinionis conueniunt.

Varij ſunt.

Quidam volunt, ſingulos reſurrecturos eſſe in eo loco, in quo quiſq; mortuꝰ fuit, vel ſtatim poſt mortẽ ſepultus. Qui hanc ſententiam probauerit; nullum inueni; communiter tamen refertur.

3. Alij docẽt, vnumquenque ibi ſurrecturum, vbi corpus illius vel totum, vel penè totum inuentum fuerit: quod ſi diſperſum fuerit in varios locos, in eo reſurrecturum iri, in quo plus erit materiæ ſui cadaueris; aut ſaltem præcipuæ partis. Quæ opinio probata fuit *Richardo in 4. diſt. 43. art. 5. q. 3. eam, vt veriſimiliorem probat Suarius in d. diſp. 56. ſect. 7. §. Vera enim, & abſoluta, pag. 1012. col. 2.*

Richard. *Suarius.*

§. 2.

Reſolutio quæſtionis.

4. Præmiſſũ 1.

Pro reſolutione quæſtionis illud cũ Soto præmittimus, quod licet certiſsimum ſit, reſurrectionem in eo loco eſſe faciendam, in quo Deus ſua admirabili prouidentiâ diſpoſuerit; non eſt tamen Theologi hoc diuinæ voluntati ſimpliciter relinquere; ſed inquirendam eſſe rationem diuinæ voluntatis ex coniecturis. Hoc ſuppoſito, ego cum prima ſententia, tanquam longè probabiliori puto eſſe dicendum: ſcilicet omnium hominum reſurrectionem in vno iudicij loco faciendam eſſe; quæ opinio *Abulenſi magis placuit, Soto, & Valentiæ.*

5. Notabile.

Pro illius confirmatione præmittendum puto, neceſſariò concedendum eſſe iudicium generale futurum eſſe in terra, & in aliquo determinato illius loco: quæſtionem tamen eſſe, in quanam parte terræ futurum ſit? De hoc enim variè opinantur Theologi, vt patet ex ijs, quæ ſcribunt *Abulenſis tom. 7. in Matthæum c. 25. q. 331. & Scholaſtici in 4. diſtin. 47. & 48.*

Locus iudicij apud nõnullos eſt incertus,

Quidam volunt, hoc incertum eſſe, vt *Magiſter in d. diſt. 48. & Alenſis 3. p. q. 23. memb. 2. cum gloſſa ordinaria ad illa verba Ioelis. 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Ioſaphat, cum Anſelmo in Elucidario:* qui interpretantur verba illa: *deducam eos in vallem Ioſaphat* in locũ iudicij, vt *vallis* idem ſit, quòd terra, ſiue locus; & *Ioſaphat* idem, quòd iudicium: hæc enim eſt illius nominis ſignificatio.

Abulenſ. *Magiſter.* *Alenſis.* *Anſelm.*

Alij volunt eſſe vallem Ioſaphat.

Alij certum locum deſignant; alium tamen, & alium. Communior tamen certior, & magis pia ſententia vult, iudicium faciendum eſſe in loco, qui iacet ad pedẽ montis olíueti verſus Hieruſalem, qui appellatur vallis Ioſaphat. Ita *D. Thomas in 4. diſt. 48. q. 1. artic. 4. quæſtiuncula 4. & quodlib. 10. art. 2. & opuſculo 60. c. vltimo, Albertus in d. diſt. 48. art. 8. Paludanus in 4. diſt. 47. q. 1. art. 1. Sotus q. 1. art. 4. Carthuſianus ibidem cum cæteris, D. Antoninus 4. p. titulo 14. c. 11. §. 5. Suarius in 2. tom. ad 3. p. diſp. 53. ſect. 3. cum Abulenſi vbi ſuprà.*

D. Thom. *Albert.* *Palud.* *Sotus.* *Carthuſiã.* *Antonin.* *Suarius.* *Abulenſ.*

6. Fundamẽt.

Hac ſuppoſita opinione, tanquam ab omnibus recepta, ego puto longè eſſe probabilius, reſurrectionem faciendam eſſe in prædicto valle Ioſaphat, cum longè probabilius ſit iudicium vniuerſale in ea fututum eſſe. Et præter rationes congruentiæ, quas Abulenſis, Sotus, & Valentia adducunt, illa mihi videtur vrgentior; quoniam reſurrectio facienda eſt virtute vocis filij Dei *Ioannis 5.* quæ eſt vox Archangeli, de qua *primæ Corinth. 15. & primæ Theſſalonicenſ. 4.* iam verò in ſuperioribus oſtendimus, longè eſſe probabiliorem ſententiam, quæ vult, vnam tantùm futuram eſſe vocem, & tubam Archangeli, per quam imperium Dei, & Chriſti mortuis intimabitur: vox autem huius tubæ abſque vllo miraculo ab omnibus audietur, ſi omnium cineres miniſterio aliorum Angelorum ad locum iudicij deferantur. Nec enim aliquid cogit, vt ad miraculum recurramus, ſine quo illa vna vox in vniuerſo orbe audiri non poteſt. Quare ſi vna tantùm futura eſt tuba, qua mortuis reſurrectio intimetur (nam ad alia munera non negabo plures tubas ibi eſſe futuras) longe facilior erit iſte dicendi mòdus: vt omittamus, ad ſingulos alios modos

Ad alios modos ſequuntur abſurda dos dicendi plura conſequi, quæ non videntur admittenda: nam contra eos, qui dicunt, mortuos ſingulos ibi eſſe ſurrecturos, vbi mortui ſunt, & ſepulti, faciunt abſurda, quæ contra illum adducit *Suar. in d.diſp.50.ſect.7.in ſecundo modo dicendi.* Contra tertium, quem probat Suarius, ſatis mihi eſt illud, quod libenter admittit in d.loco, §.*Solum poteſt relinqui.*

§. 3.

Soluuntur obiecta.

7. Ad 1. obiectionem. IAm verò contra noſtrum modum dicendi nihil obijci poteſt, quod vel difficultatem habeat, vel indecentiã: nam ad id, quod Suarius obijcit, quòd noſter dicendi modus nullum habeat, aut in ſacra Scriptura, aut in Patribus fundamentum, dicimus, noſtrum modũ dicẽdi pro ſe habere ſcripturam, quod omniũ reſurrectio facienda eſt ad vnam vocem tubæ Archangeli imperantẽ, vt mortui reſurgant: quæ, licet quoad virtutem ad reſuſcitandum ſit ſupernaturalis; tamẽ quoad ipſum ſonum vocis, qua imperium ſignificatur, ſit naturali Archangeli virtute, & naturaliter peruenire poteſt ad ſingulos cineres iam collectos, & inter ſe ſeparatos aliorum Angelorum miniſterio. Vnde iſte modus dicendi ſatis fundatur in doctrina illorum Patrum, qui vnam tantũ tubã cũ virtute ad reſuſcitãdũ admittũt.

8. Ad 2. Quod verò addit oportere, vt omnes cineres, totaq; materia, ex qua vnũquodq; corpꝰ formandũ eſt, ſit impermixta & in ꝓprio, ac ſeparato loco tota cõiuncta, libẽtiſsimẽ admittimus: id enim factũ eſt, Angelorum miniſterio, qui omniũ cineres ex diuerſis mundi partibus collegerunt: ſinguli enim Angeli ſingulorum cineres, & collegerunt, & ſepararunt. Nec enim admittimus pro illo die dari aliquorum oſſa non dum reſoluta, ſi ante iam præceſſit ignis conflagrationis: hoc enim ſuppoſito, omnium reſurrectio fiet à cineribus, elementiſvè, in quæ omniũ corpora fuerunt vltimatè reſoluta, vt diximus in prçcedente quæſt. art. 1. Porrò ſi ignis conflagrationis iudicium non præcedet, admittimus poſſe inueniri aliqua oſſa adducta ab Angelis ſimul cum alijs cineribus in locum iudicij, vt loco citato diximus; non admittimus tamen illa oſſa iterum eſſe comburenda: quia ſuppoſita illa opinione, non oportet, vt omnium reſurrectio fiat à cineribus omniũ partiũ. Quare corpus cuiuſque formabitur ex illis oſsibus, atque ex cineribus aliarum partium.

9. Ad teſtimonium Scripturæ. Nec aliquid obſtant Scripturç teſtimonia aſſerentia, qui in ſepulchris ſunt, audituros vocem filij Dei, & mortuos ex tumulis eſſe educẽdos: etenim ſenſus eſt: *qui in ſepulchris ſunt*, ideſt, qui mortui ſũt: *ex tumulis educentur*, id eſt à morte reuocabuntur: etenim mortui deſcribuntur per ea, quæ communiter in mortuis fiũt: communiter autem qui moriuntur, in ſepulchris reponuntur.

10. Ad 3. Quòd verò ij, qui iam ſurrexerũt, omnes de ſepulchris ſurrexerint, in quibus conditi fuerint, nihil facit, vt inde inferamus, omnes excitandos eſſe ex ſuis ſepulchris, in quibus ſunt eorum cineres.

11. Ad teſtimonia Patrũ. Quæ verò adducuntur ex *Chryſoſtomo homil.32.in epiſtolã ad Romanos, & homil. 7. in 1. ad Theſſal. & ex Oecumenio, Theophylacto, Origene, & alijs,* vel probant, eos in illa fuiſſe opinione, vel ita poſſe explicari, vt dicantur ex illis locis reſurgere, in quibus illorum reliquiæ reſeruantur; quia reliquiæ eorum ex illis locis in locum iudicij transferendæ ſunt.

12. Ad vltimũ. Denique, quod additur, tertium dicendi modum eſſe omnium facillimum, & alias omnes mutationes eſſe ſuperuacaneas, ac liberè cõfictas, liberè dictum eſt: quoniam tertius ille modus nõ facilè explicat, quomodò vna illa vox Archangeli ſine miraculo in omnibus mundi partibus naturaliter ſit audienda. Porrò ſi ad miraculum non eſt recurrẽdum, niſi vbi neceſsitas vrget; profectò non eſt ſuperuacanea, nec conficta hæc cinerum tranſlatio in locum iudicij: vt omittamus, non ſatis cõſentaneè dici, malos à dœmonibus eſſe ad iudicium cõgregandos; ſiquidem melior eſt opinio, quòd & boni, & mali ad iudiciũ ſunt cõgregandi, & ab inuicem ſeparandi miniſterio Angelorum bonorum, vt iam ſuprà oſtendimus. Et hæc de iſta difficultate, & quæſtione.

QVÆSTIO VIII.

De tempore, in quo fiet generalis reſurrectio.

DE tempore, in quo futura eſt vniuerſalis reſurrectio, duo inquiri poſſunt: vnum eſt; de determinatione temporis; quando ſcilicet futura ſit?

ſit? Alterum eſt; de qualitate temporis; vtrum nè fiet die, an nocte? duos igitur in hac quęſtione articulos excitabimus. Primus eſt; vtrùm dies, & hora generalis reſurrectionis ſit hominibus, vel Angelis nota? ſecundus eſt; an reſurrectio fiet die, vel nocte?

ARTICVLVS I.

Vtrùm dies, & hora vniuerſalis reſurrectionis aut hominibus, aut Angelis ſit nota?

1. Præmiſſũ. PRo explicatione pręmittendum eſt cum *Abulenſi 6. tom. in Matthæum cap. 22. q. 231.* diem reſurrectionis, diem iudicij, & finem ſæculi pro eodem ſumi: & proinde qui nouit, quando futura ſit generalis reſurrectio, nouit etiam quando futurum ſit vniuerſale iudiciũ, & quando erit mundi finis: hæc enim omnia in eadem die fient. Quare quę doctores ſcribunt de notitia generalis iudicij, & finis ſæculi, ſcribuntur etiam de notitia reſurrectionis generalis: De hac materia diſputant ſcholaſtici *in 4. diſt. 43. 47 & 48. D. Thomas diſt. 43. q. 1. art. 3. quæ-* D. Thom. *ſtiunc. 1, vbi latè Sotus q. 2. art. 1. & 2. Sua-* Sotus. *rius 2. tom. in 3. p. diſp. 53. ſect. 4. & ante eos* Suarius. *Abulenſis vbi ſuprà q. 230. & 231.* Quæ Abulenſ. ad inſtitutum pertinent, nonnullis ſubiunctis concluſionibus explicabimus.

§. 1.

Prima concluſio.

2. 1. concluſ. CIrca ea, quæ de tempore generalis reſurrectionis cognoſcimus, ſit prima concluſio. *Certiſsimè nouimus, generalem reſurrectionem futuram eſſe in die nouiſsimo ſæculi.* Hæc concluſio eſt de fide, vt quæ ex ſacris literis expreſſè colli-
Iob. 19: gatur: nam Iob. 19. dicitur: *Scio, quòd redemptor meus viuit; & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum:* viuit, inquam; quia à morte, qua me redemit, reſurrexit, & ideò viuit vita corporali: ego autem mortuus in vltimo ſęculi die ſum reſurrecturus. Ioannis. 11. n. 23. Martha ad Ieſum
Ioan: 11. ait: *Scio, quia reſurget in reſurrectione in nouiſsimo die,* id eſt in reſurrectione, quæ futura eſt in die vltimo ſæculi. Ioan. 12. n.
Ioan. 12. 48. ait Ieſus ad Iudæos: *Sermo, quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſsimo die.* Iudicium autem, & reſurrectio generalis in codẽ fient die, vt diximus, Satis id explicant diſcipuli Matthæi 24. dum Chriſtum interrogant: *quòd ſignũ aduentus tui, & conſummationis ſæculi:* quibus verbis ſatis ſupponunt ſecundum aduentum Chriſti ad iudicium (cum quo reſurrectio generalis eſt coniuncta) futurum eſſe in cõſummatione ſæculi, id eſt, in die nouiſsimo, quo ſæculum conſummabitur. Chriſtus autem, explicatis nonnullis ſignis, dicit: *Et tunc veniet conſummatio;* ſ. ſæculi, & proinde reſurrectio, vt ſatis colliges ex verbis inferiùs poſitis: *Et tunc apparebit filius hominis in cœlo, & mittet Angelos ſuos, & congregabũt electos:* electos, inquã; qui ſuſcitati ſunt: vt intelligamus finem mundi, iudicium, & carnis reſurrectionẽ in eandem diem, & horam incidere: Chriſtus etiam id explicauit Matthæi 13: exponens enim parabolam zizaniorum, inquit, meſſem colligendam eſſe ſæculi cõſummationem; in qua filius hominis mittet Angelos ſuos, & cætera. Vnde in ſacris literis dies iudicij, & reſurrectionis appellantur dies nouiſsimi *primæ ad Timotheum 4. ſecundæ Timothæum 3. Iacobi 5. primæ Petri. 1. & ſecundæ Petri. 3. Deniq́ Iob. 14. dicitur: Homo, dum dormierit non reſurget, donec atteratur cœlum,* id eſt, quouſque cœlum à ſuo motu ceſſet, quod fiet in die nouiſsimo mundi.

Eandem veritatem nonnullis rationibus confirmant *Abulenſis in d. q. 230. &* 3. Abulen. *Sotus in d. q. 2. art. 1. §. Nec verò rationes, pag. 406. col. 3.* Prima ratio: quia in reſur- 1. ratio. rectione omnes reſurgent immortales, ſicut Chriſtus noſtræ reſurrectionis exemplar immortalis reſurrexit, iuxta illud ad Romanos 6. *Chriſtus reſurgens ex* Rom. 6. *mortuis iam non moritur.* Ergo congruum eſt, vt reſurrectio generalis in illud tempus differatur, in quo iam nulla ſit cauſa mortalitatis, quæ in generatione, & corruptione poſita eſt, Cum verò cauſa mortalitatis ſit motus corporum cœleſtium, quo hæc inferiora gubernantur ex *Ariſtotele libr. 1. Metheororum, & Auguſtino* Ariſt. *lib. 3. de Trinitate.* Satis congruum eſt, vt August. generalis reſurrectio defferatur vſque ad diem vltimum, in quo motus cœli ceſſabit: tunc enim ex parte corporum cœleſtium nihil inuenietur, quod obſtet corporum incorruptibilitati, vt immortalitas corporibus ſuſcitatis, ſaltem in reprobis, naturaliter fiat, vt benè aduertit Abulen-

Abulenſis vbi ſuprà: nulli enim iam variabili menſuræ ſubiacebunt, qualis eſt menſura motus cœli, & temporis.

4. 2. ratio. Secunda ratio ab eo ſumitur, à quo ſumitur ratio ſimultatis in reſurgendo: ſicut enim congruum eſt, vt omnes ſimul reſurgant, vt ſingulorum gaudium ſit maius; ita etiam congruum eſt, vt omnes reſurgant in vltimo ſæculi die. Vide *Abulenſem in d.q.230.in 2.rat.fol.81.col.1.A.* *Abulen.*

5. Soli Chiliaſtæ repugnant. ¶ Contra hanc Catholicam veritatem ſolùm referri poſſunt illi Chiliaſtæ, ſiue millenarij, qui reſurrectionem iuſtorum ponunt mille annis ante diem iudicij, & docent ſolam reſurrectionem malorum fieri in die nouiſsimo: hi enim noſtram concluſionem in ſua generalitate non recipiunt; cum non admittant omnium hominum reſurrectionem in vltimum diē eſſe differendam. Eandem etiam veritatem non recipiunt Chiliaſtæ illi, qui volunt electos poſt generalem reſurrectionem mille annis cum Chriſto in terra regnaturos, & ſubinde non admittunt reſurrectionem generalem futuram eſſe in nouiſsimo ſæculi die. Sed de his hæreticis modò non curamus, cū illos iam impugnauerimus, tùm 2.tom. lib. 12. tùm ſuprà in hoc tomo q. 5. Quare nunc explicabimus nonnulla argumenta, quæ noſtram Catholicam concluſionem videntur impugnare.

6. 1. argum. contra concluſionem. Primum eſt; quoniam Chriſtus Dominus ſuam reſurrectionem nec diſtulit, nec differri decebat in vltimum ſæculi diem. Ergo nec decet aliorum reſurrectionem in vltimum diem differri. Antecedens patet; quia Chriſtus tertia die ſurrexit. Conſequentia probatur: quia congruum eſt, vt membra ſuo capiti conformentur. ¶ Ad hoc argumentum admittimus antecedens, de quo vide *D.Thomā 3.p.q.53.art.1.& ibi interpretes, & Abulenſem in d.q.230.ad 1.arg. & Sotum in 4. diſt.43.q.2.art.1.ad 1. vt alios omittamus.*

7. Solutio. *D. Thom. Abulenſ. Sotus.* Admiſſo antecedente, neganda eſt conſequentia propter varias rationes diſparitatis, quæ reperiuntur inter Chriſtum, & cæteros homines: nec enim oportet, vt membra in omnibus capiti conformentur: ſiquidem caput eſt cauſa membrorū in omnia influens; membra autem ſunt effectus capitis, inter quæ non datur influxus: vide Abulenſem, & Sotum vbi ſuprà: apud quos habes plures rationes, cur non ſolùm decens fuit, ſed etiam neceſſarium, vt Chriſtus ſtatim reſurgeret. Ad noſtrum inſtitutum illa eſt pręcipua; quia reſurrectio Chriſti futura erat cauſa exemplaris noſtræ reſurrectionis, vt in ſuperioribus oſtendimus: iam verò cauſa ex ſua natura antecedit effectum: & in Chriſto oportuit, vt non ſolùm, eius reſurrectio noſtram natura antecederet; ſed etiam per omne tempus, in quo daretur generationum, & corruptionum ſucceſſio, vſque ad vltimū diem: oportuit enim, vt ſua reſurrectione in nobis omnibus cō firmaret ſpem reſurgendi.

Secundum argumentum: Reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis membrorum. Ergo oportet, vt ſaltem in aliqua membra ſucceſsiuè influat, quia cauſa debet influere in aliquem effectum. Ergo non omnium reſurrectio debet differri in nouiſsimum diem. Conſequentia patet; antecedēs probatur; quia reſurrectio Chriſti ſtatim influxit in reſurrectionē eorum, qui cum Chriſto ſurrexerunt: deinde in quædam membra illuſtria, quorum reſurrectio iam eſt completa: influxit enim in reſurrectionem Virginis Matris ob maximam ad Chriſtum propinquitatem, atque in reſurrectionem Ioannis Euangeliſtæ, vt plures volunt. Decet igitur, vt in reliquos ita fiat, iuxta maiorem, vel minorem propinquitatem per gratiam ad Chriſtum caput reſurgentiū. 8. 2. argum.

¶ Ad hoc argumentum reſpondent *Abulenſis in d.q.230.ad 2.fol.81.col.3. & Sotus in d.q.2.art.1.ad 2.pag.*407.*col.*2. Facilius reſpondebis, ſi neges reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam efficientem noſtræ reſurrectionis, vt diximus q.6. Et quamuis admitteremus cum cōmuni ſententia, illa ſolùm eſſet cauſa inſtrumentaria; ſicut & Chriſtus ad noſtram reſurrectionem concurrit, tanquam diuinitatis inſtrumentum. Iam verò propriū eſt inſtrumenti nō agere, niſi ad modū agentis principalis, & ad eos ſolos effect⁹, ad quos à principali agente aſſumitur: principale autē agens noſtræ reſurrectionis eſt De⁹, qui pro arbitrio ſuæ voluntatis ante vniuerſale iudiciū reſuſcitat, quos vult, quos vult nō reſuſcitat. Vnde nec Chriſt⁹, nec eius reſurrectio ad noſtram cōcurrit, niſi prout iuxta Dei prouidentiam volun- Solutio. *Abulenſ. Sotus.*

tariè aſſumitur ad eos, quos Deus liberè vult reſuſcitare. Aſſumuntur autem ad reſurrectionem illorum ex ſpeciali gratia, & priuilegio; non verò ex maiori, vel minori propinquitate, & conformitate, ratione ſanctitatis, vt aduertit *D. Thomas in d. art. 3. quæstiuncula 1. ad 2. & ex illo idem annotarunt Abulenſis, & Sotus locis citatis.*

D. Thom. Abulenſ. Sotus.

9. 3. argum. Tertium argumentum: quoniam poſt reſurrectionem omnium cõnumerandi ſunt mille anni, antequam electi in cœlũ aſcendant, vt patet ex Apocalypſi c. 20. vbi animæ ſanctæ regnabunt cum Christo mille annis. Iam verò poſt vltimum mundi diem nullus dabitur, aut annorũ, aut dierum numerus. ¶ Reſpondetur, quoſdã ex Chiliaſtis admiſiſſe, regnũ millenarium Chriſti in terris cum iuſtis poſt iudicium: apud quos, vt ſuprà diximus, reſurrectio fiet tempore iudicij vniuerſalis; non tamen in vltimo die ſæculi. Hunc errorem, ſiue hæreſim ſumpſerũt ex præcitatis verbis Ioannis in Apocalypſi. Sed contra eos facit, quòd mille illi anni ſunt ante vniuerſale iudicium, & per conſequens ante vniuerſalem reſurrectionem, poſt reſurrectionem primam. Quare locus iſte potiùs faceret pro alijs Chiliaſtis, qui regnum millenarium ponebant poſt primam iuſtorum reſurrectionem. Sed vtrũque errorem, ſiue hæreſim iam impugnauimus: priorem quidem in 2. tom. lib. 12. poſteriorem autem in hoc 3. tomo q. 6. art. 2. vbi oſtendimus, quomodò Ioannis verba, tùm de regno millenario; tùm de prima reſurrectione ſunt intelligenda.

Solutio.

§. 2.
Secunda concluſio.

10. 2. concl. Sit ſecunda concluſio: *Dies, & hora, in qua generalis mortuorum reſurrectio futura eſt omni puræ creaturæ occulta eſt, & prorſus ignota.* Huius aſſertionis author eſt Chriſtus Dominus Matth. 24. vbi n. 4. interrogantibus diſcipulis de ſignis conſummationis ſæculi, reſpondit n. 36. *De die autem illa, & hora nemo ſcit; nec Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater.* Eadem verba ſcribuntur Marci 13. n. 32. vbi additur: *Nemo ſcit, nec filius, niſi Pater.* Quæ verba licet agant de ſeculi conſummatione, etiam intelliguntur de die reſurrectionis, quia & reſurrectio, & iudicium futura ſunt in nouiſsimo ſæculi die. Addim⁹ verba Zachariæ 14. n. 7. vbi agens de die, in qua Dominus cum Sanctis veniet, ita ait: *Et erit dies vna, quæ nota eſt Domino*: in quibus verbis ad literam loquitur Propheta de die iudicij, & affirmat, hanc ſoli Deo eſſe cognitam. Cõfirmari etiam poteſt; quoniam dies illa, & hora, nec poteſt ratione natu rali cognoſci; nec ex Scripturis colligi; nec alicui vnquam reuelanda eſt. Ergo talis dies, & hora omni puræ creaturæ ſemper erit occulta, & ignota. Hoc autem hominibus maximè conuenire, ſtatim oſtendemus.

Matt. 24. Marc. 13. Zach. 14. Cõfirmatur.

11. Dicimus *puræ creaturæ*, quia Chriſtus Dominus nõ ſolum, vt Deus eſt; ſed etiã vt homo eſt; diem illam, & horam certò cognoſcit. Et quidem, quòd Chriſtus, vt eſt Deus certò cognoſcat diem illam, & horam; nullus, niſi Arrianus negare poteſt; cum vna, & eadem ſcientia, & cognitio tribus perſonis ſit communis. Nec eſt, quòd Arriani obijciant, quod Chriſtus dixerit, *nemo ſcit, niſi ſolus Pater*, quæ excluſiua excludit filium, vt patet ex verbis Marci 13: *Nemo ſcit, nec filius, niſi pater*, omiſſa enim eorum ſolutione, qui putant, vtrumque locum eſſe vitiatum, vt *D. Hieronymus in d. c. 24. Matthæi, & D. Ambroſius lib. 5. de Fide c.* 8. Dicendũ eſt, excluſiuam illam apud Matthæum nõ excludere alias perſonas diuinas à Patre, vt eſt Catholica expoſitio. Quod verò Marci 13. additur, *nec filius*, non explicatur de filio Deo, ſed de filio homine: niſi dicas *cum Maldonato in d. c. 24. Matth. verſu 36. in fine*, vt nec filius, vt Deus eſt, de illa die, & hora ſciat, ſed ſolus Pater; quia diſpoſitio, & rerum prouidentia (ad quam pertinet determinatio tùm iudicij, tùm nouiſsimi diei ſæculi, tum denique reſurrectionis vniuerſalis) ſoli Patri appropriatur; ſicut etiam ſoli Patri appropriatur diſtributio ſedum in gloria, iuxta illud *Matthæi 20. n. 23*: *ſedere autem à dextris, vel ſiniſtris, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quæ expoſitio ſubtilis quidem eſt, ſed ad inſtitutum non ſatis accommodata: quia licet prouidere, atque diſponere diẽ certum ad iudicium, & reſurrectionem approprietur Patri: ſcire tamen talem diſ poſitionem pertinet ad ſapientiam, quæ appropriatur filio. Quare communis explica-

Chriſtus vt Deus diem illum nouit. Ad argum. Arianorũ. Ad cap. 13. Marci. Non placet explicatio Maldonati.

plicatio potius placet, vt nec excluſiua apud Matthæum excludat alias diuinas perſonas; nec negatio apud Marcum intelligatur de filio Deo, ſed de filio homine.

12. Eum etiã nouit Chriſtus homo. Sed nec filio homini abſolutè negãda eſt hæc notitia: quamuis Origenes tract. 20 in Matthæũ eam Chriſto neget, quãdiu fuit in via, & ſolum eam illi concedat poſt reſurrectionem, cum iam conſtitutus ſit iudex viuorum, & mortuorum: quoniam ſtatim à principio ſuæ conceptionis, *in eo fuerunt omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ abſcondita*, ad Collocenſes 2. num. 3. & docent Theologi in materia de Sciencia Chriſti. Vnde hanc doctrinã in terminis docent D. Thom. de potentia q. 5. artic. 6. Cui non obſtant verba ex Matthæo, & Marco adducta: quoniam omiſsis alijs explicationibus (quas latè refert Lorinus vbi ſuprà, & Ianſenius in ſua Concordia cap. 123. ad præcitata verba Matthæi pag. 852. col. 1. & 2.) illa eſt facilis, vt Chriſtus, quaten⁹ homo, ex ſua naturali virtute cognoſcendi, diem illum neſciat; benè tamen per ſcientiam inditã. Et quamuis illius diei ſcientiam habeat: non ita eam habet, vt debeat Apoſtolis eam reuelare. Idem autem, quod illis dixit Ioannis 11: *Quia omnia quæcumque audiui à Patre, nota feci vobis*, ita intelligendum eſt, vt illis cõmunicauerit, quæ pertinent ad fidem, & ad prædicationẽ Euãgelij, iam verò reuelatio huius diei ad bonum fidelium regimen non ſpectat, iuxta illud Actorum 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*: hæc enim pertinent ad ſcientiam abſconditam, quam Pater filio homini communicauit: imò ad illam ſcientiam, quam reuelari non conuenit, vt dicemus concluſione 5. Itaque de die illa, & hora nec filius homo ſcit, vt illius notitiã vobis communicet.

D. Thom. — Ad Locos Matth. & Marc. — *Ioan. 11.* — *Actor. 1.*

§. 3.
Concluſio tertia.

13. 3. Concluſ. SIt tertia Concluſio: *Dies, & hora reſurrectionis naturaliter ſciri non poteſt.* Hæc concluſio ſtatuitur à D. Thoma *de potentia quæſt. 5. artic. 6. in principio corporis, & à Soto in 4. diſt. 43. q. 2. art. 1, in corpor. poſt principium, Abulenſi tom. 6. in Matthæum cap. 22. q. 230. fol. 81. columna 3. & tom. 7. cap. 25. q. 319. fol. 86. colum. 3. & q. 468. & 469. fol. 141. colu. 1. & 2.* Conuincitur tùm ex ijs, quæ diximus, tùm naturali ratione. Conuincitur ex dictis; quoniam quæ Deus in ſua poſuit poteſtate, & pendent ex libera illius voluntate, nõ poſſunt naturaliter cognoſci: nec enim pertinent ad ſcientiam abſcõditam Dei, vt colliges ad Collocenſe 2. ſed quãdo iudicium ſit futurum; & quando futurus ſit finis ſæculi, & denique quando futura ſit vniuerſalis reſurrectio, pertinẽt ad ea, quæ Pater poſuit in ſua libera poteſtate, vt patet ex verbis Actor. 1. *Nõ eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*; ergo naturaliter cognoſci non poteſt dies, & hora futura reſurrectionis. Accedit; quoniam ſi iſta naturaliter ſciri poſſunt; iam nõ ſolus Pater ea ſciret; contra id, quod Dominus dixit Matthæi 24. & Marci 13. In quibus etiam locis Dominus aſſerit, nec Angelos hoc ſcire: Angeli autem ſciunt omnia, quæ naturaliter ſciri poſſunt. Probatur. *Actor. 1.*

D. Thom. — *Abulenſ.* — *Sotus.*

14. Probatur ratione. Hoc etiam naturali ratione demõſtratur: etenim naturaliter ſcire non poſſumus, quando futurus ſit finis motus cœlorum. Sed vniuerſalis reſurrectio futura eſt in fine mundi, quando cœleſtis motus ceſſabit. Ergo ſi naturaliter ſciri non poteſt, quando ceſſabit motus cœli; nec etiam naturaliter ſciri poterit, quando futura ſit reſurrectio. Minor patet ex prima concluſione: maior probatur: quia finis motus cœli eſt ipſa ceſſatio motus, finis enim motus eſt quies: ſed naturaliter ſcire non poſſumus, quando ceſſabit motus cœli, etenim ceſſatio motus ſciri non poteſt, niſi vel ratione ſubiecti; quia ſcilicet ſubiectum eſt corruptibile, vel ratione ſpatij, quod eſt percurrendum; quia. ſ. habet finem: vel denique ratione motoris ideò, quia non habet vires ad mouendum, niſi per certum aliquod tempus. Sed ceſſatio motus cœli non poteſt ſciri ratione ſubiecti, quia corpora cęleſtia ſunt incorruptibilia, & perpetua; vnde ex ſua natura vendicant ſibi perpetuò durare. Nec etiam ſciri poteſt ratione ſpatij; quia cum ſit motus circularis, nec principium habet, nec finem: vnde cœlũ perpetuo circulo poteſt circumuolui: nec denique ratione motoris; quia cœlum mouetur ab intelli-

intelligentia, quæ cum ſit ſpiritualis, & perpetua mouendo non laſſatur, & ideò poteſt perpetuò mouere.

15. 3. Ratio. Accedit, quoniam permanētia motus cœli ſumi non poteſt ex natura aliqua cęleſtis corporis; nec etiam ex conditione ſpatij, per quod mouetur. Ergo debet ſumi ex ipſo motore. Sed ex ipſo motore non poteſt naturaliter cognoſci finis, & ceſſatio motus cœleſtis. Ergo naturaliter ſciri non poteſt, quando ceſſabit motus cæli, & per conſequēs, nec quando erit reſurrectio. Antecedens quoad ſecundam partem eſt euidēs; quoniam circulus, per quem cœlum mouetur, nec principium habet, nec finem ratione ſpatij. Ergo fieri nō poteſt, vt ex natura ſpatij, per quod mouetur cœlum, poſſit quis cognoſcere motum cœli poſſe ceſſare; ne dum, quādo ceſſabit. Prima autem pars antecedentis oſtenditur; quoniam natura nūquam inclinat ad motum, propter ipſum motū; quia motus ex ſe eſt quid imperfectum, & ſemper difforme, nō habens ſe eodem modo; obquam rationem eſt veluti multiplex: natura autē ex ſe inclinat ad vnū vniformiter ſe habens. Quare natura ſolùm inclinat ad motum, quia inclinat ad aliquid determinatum, quod per motum cōſequitur, vt patet in natura grauis, quæ ex ſe inclinat ad locū in medio, in quo naturaliter conſeruatur; & ideo naturaliter inclinat ad motum deorſum, vt per eum perueniat ad locum inferum. Idem dicendum eſt de natura ignis; hæc enim naturaliter inclinat ad locum ſuperum; ad motū verò ſurſum non inclinat, niſi quia per illum peruenit ad ſuperum locum.

16. At verò natura cœli ex ſe non habet aliquid, ad quod naturaliter inclinet conſequendum per motum circularem: vnde non inclinat ad aliquod certum, & determinatum vbi loci circularis, in quo mouetur. Patet igitur, naturam cœli in ſe ipſa nihil habere, ex quo vendicet ſibi permanentiam in ſuo motu. Quin potiùs ex ſua natura, nec motum ſibi vēdicat, nec quietem, ſi verā huius rei, Philoſophiam expendamus; ſed ex ſe indifferens eſt ad moueri, & ad ceſſare à motū, vt ſatis aduertit Suarius *in 2. tom. ad 3. p. diſp. 58. ſect. 3. pag. 1201. col. 2. in principio, & clarius Conimbricenſes in 1. de Cœlo cap. 2. q. 3. art. 4. pag. 32. in fine; & id ſatis ſignificat D. Thomas de potentia q. 5. artic. 5. ad 12, & in 4. diſt. 48. q. 2. art. 2, & in additionibus q. 91. articul. 2.* Suarius. Conimbri. D. Thom.

Oportet igitur, vt permanentia motus cęleſtis ſumatur ab ipſo motore, vt concludit D. Thomas *in dicta q. 5. art. 5. in corpore cum Abulenſi, & Soto in locis citatis.* Abulenſ. Sotus. Cū verò omne agens agat propter finem, vtique intelligentia mouens cœlum illud propter aliquem finem mouebit, conſequendum per ipſum motum cœleſtem. Finis autem iſte, propter quem Deus corpora cæleſtia motui ſubiecit, & ad quem conſequendum intelligentia mouendo attendit, naturaliter cognoſci non poteſt, vt ſtatim dicemus. Ergo duratio certæ, & determinatæ permanentię motus cęli naturaliter cognoſci nequit: & per conſequens nec poterit naturaliter cognoſci dies aut hora reſurrectionis.

Quin potius tantum abeſt, vt dies iſta, & hora naturaliter cognoſci valeat, vt niſi natura motus cęli, & ipſius corporis cęleſtis benè cōſideretur; naturalis ratio potiùs videatur conuincere motum cęli eſſe perpetuum, & per conſequens ceſſare nō poſſe, niſi violenter, & contra naturalem illius inclinationem: etenim communis Philoſophorum ſententia docet motum circularem eſſe naturalē cęlo, & eſſe perfectionē naturaliter illi debitam: ita docuerunt nobiliores Philoſophorū, quos referunt, & probant *Conimbricenſes in 1. de Cœlo cap. 2. q. 3. artic. 2. concluſ. 1. & 2.* 17. Ratio naturalis oppoſitum potius ſuadet. Conimbri. vbi ex antiquis Philoſophis referūt Porphyrium, Philoponum, Simpliciū, Auerroem, & Plotinum: ex Theologis verò D. Thomā, D. Bonauent. Ægidium, Argent. Gabrielem, Capreolum, Soncinatē, & alios: & inde motus fuit Ariſtotel. cū nonnullis alijs, vt poneret non ſolùm motum cęli fuiſſe ab æterno; ſed in æternū futurum eſſe. Vnde Ariſt. ſumpſit occaſionē errandi. Poteſt adhuc hæc difficultas confirmari; quia finis motus cęleſtis eſt aſsimilari in cauſando diuinę bonitati; vt ſicut Deus eſt cauſa rerum; ita cęlum ſit cauſa horum inferiorum, quam perfectionem cęlum participat per motū, quia per eum eſt cauſa horum inferiorū: quæ opinio aliquibus Philoſophis placuit, eandē poſſe rationabiliter ſuſtineri affirmat D. Thomas de potentia q. 5. art. 5. in corpore poſt medium. Iam verò non decet, vt res priuetur naturali fine, ne dicatur fruſtra manere. Quare naturalis ratio potius

pôtius videtur ſuadere motum cęli futurum eſſe perpetuum,quàm habiturũ eſſe finem: vnde naturaliter ſciri non poteſt, qui nam dies futurus ſit nouiſsimus, & qui futurus ſit reſurrectionis.

18. Cœlũ ex ſe eſt indifferens ad motum, aut quietem.

Porrò ſi dicas,Ariſtotelem deceptum fuiſſe,dum exiſtimauit,cęlum ſua natura li inclinatione ſolum vendicare ſibi motum; & cum vera aliorum Philoſophia ſentias,cęlum ex ſua propria natura indifferenter ſe habere ad moueri, & ad ceſſare à motu, ita vt vtrumque (motum.ſ.& quietem) naturaliter admittat, iam oportet explicare; vnde nam cęlum naturaliter determinet ſibi aut motum, aut quietem? Ad quæſtionem reſpondebo cum D.Thoma vbi ſuprà id dependere ex libera Dei volũtate,& ex fine propter quẽ cęlum motui ſubiecit, vt colliges ex D. Thoma *in dicta q.5.art.5. de Potentia, & in 4.diſt.48.q.2.art.1.& 2. & in additionibus q.91.art.1.&2.* Pro cuius explicatione aduertendum eſt id, quod doctiſsimè aduertit Suarius *in d. diſp.58.ſect.3.pagin.* 1201. licet enim ex veriſsima Philoſophia,quam explicauimus, cęlum propria ſua natura non magis poſtulet motum, quàm quietem; tamen in ordine ad naturam vniuerſalem,& ad generalem mundi gubernationẽ (qui eſt finis, propter quẽ cęlum eſt conditum) naturalitas aut motus, aut quietis ſumenda eſt ex ſtatu, & gubernatione,qua Deus vult vniuerſum gubernare:etenim hæc generalis vniuerſi gubernatio eſt finis,gratia cuius Deus cęlum,aut motui ſubijcit, aut quieti.

D. Thom. — Suarius.

19. Quare motus tunc dicetur naturalis cęlo, cum ille ad mundi ſtatum fuerit accõmodatus; ſecus ſi non fuerit: & eodem modo quies tũc erit cœlo naturalis, cum illa mundi ſtatui fuerit cõſentanea. Cum verò finis vltimus, propter quem Deus vniuerſum condidit,ſint electi,& prædeſtinati (vt latè docet D.Thomas *de Potẽtia q.5.art.5.in Cor.ante finem,& Abulenſ. tom.1.in Matthæum in præfatione q.* 12. & ſatis colligitur ex Paulo ad Romanos 8. dum ait: *Nam expectatio creaturæ reuelationem Dei expectat: vanitati enim creatura ſubiecta eſt,non volens,ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe,quia & ipſa creatura liberabitur,a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Cui ſuo modo concinit Ariſtot.2.phyſ.dum ait: omnia aliquo modo eſſe propter hominem (tanquã ꝑpter finem) hinc infertur,Deum corpus cœli ſubieciſſe motui,vt eſſet cauſa nõ ſolum generationis omnium inferiorũ,quę à Deo propter hominem facta ſunt; ſed etiam generationis hominum, vt numerus electorum impleatur,iuxta illud Apocalypſis 6.num.11. *Et dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleatur numerus conſeruorum.* Voluit igitur Deus, vt donec completur numerus electorum,ſtatus mundi generationibus gubernaretur mediãte motu cœli.Obtento autem hoc fine (hoc eſt,completo electorum numero) ceſſabit motus, & cõſequetur quies, tanquam conſentanea ſtatui futuri ſæculi, in quo nullæ iam dabuntur mutationes; vnde licet quies iſta non ſit cęlo naturalis, tanquam adueniat, & acquiratur actione alicuius naturalis agentis; eſt tamen naturalis in hoc ſenſu, quia eſt accommodata ſtatui illius ſęculi, cui connaturalis eſt immobilitas rerũ inferiorum. Et in hoc corpus cœleſte nobilius aſsimilatur Deo, quàm aſsimilabatur per motũ,vt aſſerit D.Thomas *in 4. diſt. 48.q.2.art.2. ad vltimum.*

D. Thom. Abulenſ. Ad Rom. 8. — Apoc.6.

Ex qua Philoſophia noſtra concluſio ita confirmatur: determinatio permanẽtiæ motus cæleſtis nõ eſt ſumenda ex natura cæleſtis corporis; quia hæc indifferens eſt,tùm ad motum,tùm ad quietem; ſed ſumenda eſt cõſentaneè ad ſtatum, & gubernationem totius vniuerſi,pendentẽ ex diuina, & libera voluntate Dei, Sed libera Dei voluntas non poteſt homini, aut Angelo naturaliter innoteſcere, ergo nec poteſt naturaliter ſciri, quãdo debeat ceſſare motus cæli; & per conſequens naturaliter ſciri non poteſt,in qua nam die, & hora futura ſit generalis reſurrectio. 20. Confirmatur concl.

§. 4.
Quarta Concluſio.

Sit quarta Concluſio: *Dies, & hora generalis reſurrectionis ex ſacris literis certò conſtare non poteſt.* Hæc concluſio in terminis eſt, *Abulẽſis 6.tom.in Matthæum cap.22.q.233.§.De ſecundo fol.82. col.4.in fine, & tom.7.capit.25.q.319.fol. 86.col.4.litera I, K.eam ſtatuit Sotus in 4. diſt.43.q.2.art.2.in ſecunda parte concluſio. pag.*411.col. 2. Fundamentum eſt, quia nec 21. 4.Concluſ. Abulenſ. Sotus. Fundamẽt.

nec id determinate poſſumus cognoſce- re ex veteri teſtamento, nec ex nouo. Quòd eã ex veteri teſtamẽto cognoſcere non valeamus, ex eo patet; quia ſi dies illa ex veteri teſtamento cõſtare poſſet; Apoſtoli de ea Dominum non interrogarent. Quod nec ex nouo teſtamento illa poſsit conſtare, ex eo patet; quia in eo ſola ea nobis conſtant, quæ Chriſtus Apoſtolis, & Eccleſiæ voluit reuelare. Sed Chriſtus hanc diem, nec ante reſurrectionem, nec poſt eam Apoſtolis reuelauit. Etenim in

Matth. 24 vita noluiſſe eam reuelare patet Matth.
Marc. 13. 24. *& Marci* 13. *de die illa, & hora nemo ſcit, nec filius, niſi ſolus Pater*: quòd non reuelauerit poſt reſurrectionẽ patet Acto-
Actor. rum 1. vbi Apoſtolis hanc reuelationem petentibus, reſpondit; *Non eſt veſtrũ noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Ex quo infertur, huius diei, & horæ notitiam nec ad fidem pertinere; nec ad bonum regimẽ Eccleſiæ: Chriſtus enim omnia, quę audiuit à Patre, nota fecit Apoſtolis Ioannis 11. omnia inquam, quæ pertinent ad Fidem, & ad prędicationem Euangelij. Denique aſſertio ex eo confirmatur; quia nullus dabitur ſacræ ſcripturæ locus, ex quo determinata dies aut hora efficaciter colligatur, vt ex dicẽdis patebit.

22. 1. arg. contra 4. concl. ¶ Contra hanc aſſertionem primo obijcitur locus ex cap. 12. Apocalypſis nu. 14. vbi mulier de qua ibi, per quam ſignificatur Eccleſia, *alitur in deſerto per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, id eſt, diebus mille ducentis, & ſexaginta, vt in eòdem capite dicitur. Ergo per tantum tẽpus Eccleſia durabit, & poſt illud ſtatim futura eſt reſurrectio.

23. 2. Arg. Secundò obijcitur locus ex Daniele c. 12. vbi finis mundi ponitur futurus poſt dies mille ducentos ſexaginta à tempore, quo ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita abominatio.

Arg. Tertiò obijcitur; quoniam cuius principium notum eſt, eius etiam finis poteſt innoteſcere: quoniã ex Ariſtotel. in 2. de generat. cuncta certa menſurantur periodo. Sed principium mundi ex ſacris literis nobis innoteſcit. Ergo ex illis innoteſcet finis eius.

24. Poſtremũ. Poſtremò, nouum teſtamentum fuit præfiguratum in veteri: ſed determinatè ſcimus, quantũ durauerit vetus teſtamentum: quia à datione legis Moyſi vſque ad natiuitatem Chriſti ſecundùm vnam computationem tranſacti ſunt anni mille quingenti quadraginta quinque: ſecundum alteram verò mille quingenti & decem. Ergo poſſumus determinatè ſcire durationem noui teſtamenti, & determinatam horam reſurrectionis.

Hæc parum vrgent. Ad primum dicẽ- 25. Ad 1. ex loco Apocal. 12.
dum, in illo loco Ioannis per mille ducentos, & ſexaginta annos non ſignificari determinatum tempus, quo Chriſti Eccleſia eſt duratura; ita vt amplius duratura non ſit: conſtat enim, eam poſt mille ducentos, & ſexaginta annos duraſſe trecẽtis quinquaginta quinque, cum inceptus iam ſit annus milleſsimus ſexcẽteſsimus decimus quintus. Duobus autem modis 1. Explicatio.
explicatur ille locus: vno modo; vt ibi ſermo ſit de duratione Eccleſiæ à Chriſto vſque ad finem ſæculi: vt vult D. Thom. *D. Thom.*
in 4. diſt. 43. q. 1. art. 3. quæſtiuncul. 2. ad 2: & Sotus ibidem q. 2. art. 2. ad principale argumentum pag. 414. col. 2. & Abulenſis 6. tom. in Matthæum capit. 22. q. 251. ad 2. fol. 84. col. 4. in fine, idem probat D. Thomas in dicto cap. 12. Apocalypſis ad illa verba diebus mille ducentis ſexaginta. Vnde ibi *Sotus. Abulenſis*
ponitur tempus non determinatum, ſed indeterminatum durationis Eccleſiæ: ſignificatur autem indeterminatè per illos annos; quia pro toto illo indeterminato tempore, Eccleſia paſcitur ex virtute doctrinæ, quam Chriſtus prædicauit diebus mille ducentis ſexaginta, id eſt, tribus annis cum dimidio, qui anni intelliguntur per illa verba inferiùs poſita: *per tempus,* 26.
per tempora, & per dimidium temporis. Altera illius loci explicatio eſt communis, vt 2. Explicatio.
in eo ſermo ſit de tempore perſecutionis Antichriſti, in quo Eccleſia fugiens in deſertum paſcetur diebus, & temporibus enumeratis, id eſt annis tribus cum dimidio, donec Antichriſtus occidatur: ita *D. Thomas in eodem loco, & magis probat Sotus vbi ſuprà, & eſt recepta explicatio, vt per Riberam ibidem verſu 6. pag. 178. col. 1. & verſu 14. pag. 182. col. 1 & probat Gloſſa Ordinaria ex Andrea Cretenſi.* Omittimus *D. Thom. Sotus. Ribera. Gloſſa ord.*
tertiam explicationem Lyrę, qui locum 3. Explica. ex Lyra.
explicat de duratione perſecutionis, qua Coſdroas cũ nonnullis Tyrannis Eccleſiam eſt perſecutus.

Ad ſecundum ex Daniele eodẽ modo 27.
reſpon-

reſpondetur: quoniam illo loco non agitur de annis, quibus Eccleſia durabit, nec etiam de annis ab aduentu Chriſti vſque ad Antichriſtum; & quamuis nonnulli locum illum ita explicauerint; exceſſus tamen annorum, quibus durat Eccleſia poſt annos à Daniele deſignatos, arguit, authores illos eſſe mendaces, vt benè aduertit Abulenſis *in dicta q.231. ad.2. arg. fol.85. col.1. D.* vbi docet: locum illũ intelligendum eſſe de duratione Antichriſti, quæ à tempore, quo ablatum fuerit iuge ſacrificium Chriſti Domini; & fuerit poſita abominatio eiuſdem Antichriſti (*de qua Matthæi 24. num. 16.*) current dies mille ducenti nonaginta, in quibus

D. Thom. perpetuo durabit, donec ille occidatur,
Sotus. Quæ explicatio fuit *Soti vbi ſuprà, & D. Thomæ in d. art.3. q.2. ad 2.*

28. Ad 3. Ad tertium reſpondetur, maiorem ſolum eſſe veram in ijs, quorum menſura cognoſcitur: ſi enim ego cognoſco menſuram magnitudinis alicuius rei, cognito illius initio poſſum ſcire, vbi finietur: vnde ſi ego cognoſco, quantum Deus alicui dederit vitæ, ſi ſcio diem natiuitatis, potero ſcire diem mortis: ſecus dicendum eſt in ijs, quorum mẽſura ignoratur: iam verò diuina voluntas, (quæ eſt menſura motus cœli) naturaliter eſt nobis ignota: vnde quamuis ſciamus initium talis motus, non poſſumus ſcire finem. *D. Thom. Abulenſis, & Sotus locis citatis.*

D. Thom. Abulenſ. Sotus.

29. Ad 4. Quartum argumentum ſolutione indigebat tempore D. Thomę, & Abulenſis, in quo duratio Eccleſiæ nõdum peruenerat ad durationem Synagogæ: nunc autem vim non habet: cum tempus Eccleſiæ iam ſuperet tempus illius: etenim Synagogæ ſecundũ vnam cõputationẽ fuerunt anni mille quingenti, & decẽ; ſecundũ verò aliã mille quingenti quadraginta quinque, cum duratio Eccleſiæ iam peruenerit ad annum milleſsimum ſexageſſimum decimum quintum: vnde excedit durationem Synagogæ annis ſeptuaginta. Quare iam cõſtat, ex hoc, quòd nouũ teſtamentũ in veteri fuerit præfiguratũ: non benè inferri nouum teſtamentũ tanto tempore eſſe duraturum, quarto vetus durauit: nec enim oportet, vt ſingula teſtamenti noui reſpõdeãt ſingulis veteris teſtamenti, vt aduertit *D. Thomas in dicta quæſtiuncul. ſecunda ad tertium, & Abulenſis loco citato ad tertium; & ſatis eſt de mente Auguſtini lib.18. de Ciuitate Dei, quem citat Diuus Thomas.*

D. Thom. Abulenſ. *Auguſt.*

§. 5.
Concluſio quinta.

30. Concl. 1. QVinta in ordine concluſio: *Diem & horam certam reſurrectionis nulli adhuc eſſe reuelatam, certum eſt: nec alicui reuelandam fore, fortè etiam eſt certum* Hæc concluſio exprimitur à D. Thoma *in 4. diſt. 43. q. 2. art. 3. quæſtiuncul. ſecunda; in additionibus q. 77. art. 2. de potentia q. 5. artic. 6. in corp. & ad 4. Abulenſis tom. 6. in Matthæũ c. 22. q. 131. §. De tertio fol. 83. col. 1. Sotus in dicta diſt. 43. q. 2. articul. 2. §. Vtrùm verò ſingulariter pag. 413. col. 1.* Prima pars ex eo patet; quia Chriſtus noluit hanc diẽ Apoſtolis reuelare, vt patet Matthæi 24, Marci 13. Actorum 1. ſi tamẽ id aliquibus reuelandum foret, vtique Apoſtolis reuelaretur, quibus Chriſtus *omnia nota fecit, quæ didicit à Patre, Ioannis 11.* non ob aliam cauſam, niſi quia ad illos, & ad illorum officium hoc non pertinebat, vt ſatis declarauit illis verbis Actorum 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta; quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

D. Thom. Abulenſ. Sotus.

31. Confirmatur. Ex quibus verbis efficaciter colligitur confirmatio ſecundæ partis, ſi rectè expẽdantur, quę in illorum explicatione ſcribit Abulenſis *loco citato §. Tertium principale fol. 84. col. 2.* etenim in illis Chriſtus reddit cauſam, cur ad Apoſtolos non pertineret illa notitia; quia ſcilicet *Pater illã poſuit in ſua poteſtate*; nam cũ omnia ſint in Patris poteſtate, & nihilominus plura illorum reuelentur; non eſt ſenſus, ideò ad Apoſtolos nõ pertinere talem notitiã, quia facere ea, de quibus interrõgabatur, poſitum erat in poteſtate Patris: ſed ſenſus eſt; quia illorum notitiam Pater penes ſe poſuit in ſecreto ſuæ poteſtatis, & ſcientiæ nulli communicandam. Vnde ſicut talis notitia, nec Apoſtolis, nec Angelis à Deo eſt communicata, ita nec alicui alij de facto communicabitur. Quod expreſſè docuit *Auguſtinus 18. de Ciuitate Dei cap. 53. ita ſcribens: quod enim Apoſtolis Chriſtus id ſciſcitantibus non dixit, nulli reuelabit.* Concludendũ eſt igitur poſſe quidem Deum id reuelare; de facto tamen nulli eſt reuelaturus.

Abulenſ. *Auguſt.*

32. Alia confirmatio.

Quibus accedit; quoniam noſſe tempus illud non modo non fuit Eccleſiæ neceſſarium; ſed etiã maximè expedit illud ignorare: primum expreſsit Dominus in in illis verbis: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, & cætera*; non eſt veſtrũ, inquam; quia ad vos, & ad Eccleſiam, quam eſtis plantaturi, talis notitia nõ eſt neceſſaria: ſi enim neceſſaria foret; vtique ego illam vobis notam facerem: *Quæcumque enim didici à Patre* ad Eccleſiam, ſcilicet neceſſaria, *ea nota feci vobis*. Quod verò ignorare illud tempus ſit expediens, omnes ex eo deducunt; quia expedit; vt omnes ſint parati ad occurrendum Chriſto in ſecundo aduentu; & vt ſimiliter omnes ſint ſoliciti: fierent enim omnes ſegniores, & ad officia virtutum vecordes. Vide parabolam Virginum Matthæi 25, & illud Luc. 12. *Sint lumbi veſtri præcincti, & cætera*. Et vt alia omittamus; ſatis ſit reuelationes diuinas non fieri, niſi ob aliquam vtilitatem, vt patet ex Paulo 1. Corinth. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatẽ.* Iam verò tantum abeſt, vt huius reuelationis detur vtilitas, vt illa potiùs cedat in damnum.

33. Argum. ex cap. 3. Amos.

Contra hanc reſolutionem poteſt obijci illud Amos 3. num. 7. *Non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretũ ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.* ¶ Ad hoc dupliciter reſpondet *Abulẽſis in d. q. 231. fol. 83. col. 2. in fin.* 1. Solutio ex Abulen. Prima ſolutio, quòd illa verba non ſunt intelligenda generaliter; quia multa fecit Deus, quæ nulli reuelauit: vnde debent intelligi de illis, quę ad ſtatum omnium pertinent: iam verò ſcire certũ tempus reſurrectionis nõ pertinet ad ſtatum Eccleſiæ. 2. Solutio. Secunda ſolutio; vt verba illa intelligantur de re, quę debet fieri; nõ verò de tempore, quod fieri debet: Deus autem reuelauit futuram eſſe omniũ reſurrectionem; quia id ad ſtatum hominũ pertinebat, vt ad bonum allicerentur, & auerterentur à malo. Tempus autem determinatum noluit reuelare; quia expedit illud ignorari.

34. Alia obiectio.

Si cum nonnullis obijcias; quòd non fuerit expediens hoc tẽpus reuelari Apoſtolis, & illis, à quibus tempus iudicij lõgè diſtabat; fuit tamen maximè conueniens alijs id reuelari. Solutio. ¶ Huic obiectioni latè reſpondet Abulenſis vbi ſuprà, ſed argumentum tam longa doctrina nõ indiget; ſatis enim eſt negare, noſſe tempus certum reſurrectionis aliquibus pro aliquo tempore expedire: quia pro quocumque tempore expedit vigilare.

§. 6.
Vltima Concluſio.

35. Vlt. concl.

SIt ſexta, & vltima concluſio: *Reprehendendi ſunt, qui aut ratione naturali, aut ex ſacris literis, aut ex quibuſcũque humanis coniecturis certum, & determinatũ annorum numerum vſque ad generale iudiciũ generalemque mortuorum reſurrectionẽ præfiniunt: quin potiùs, nec ex ſignis, quæ mundi finem, aut præceſſerunt, aut præcedent, poteſt certò colligi finem mundi generalemque reſurrectionem appropinquare.* Prima huius aſſertionis pars expreſſè eſt Auguſtini 18. de Ciuitate Dei cap. 53. vbi redarguit omnes, qui annos durationis mundi computare, aut diffinire conantur; ita enim ſcribit: *Hic quæri ſolet, quãdo illud erit? importunè omnino: ſi enim hoc nobis noſſe prodeſſet, à quo melius quã ipſo Deo magiſtro interrogantibus diſcipulis diceretur: non enim ſiluerunt inde apud eum, ſed à præſente quæſierunt, dicentes, Domine, ſi in hoc tempore repræſentabis regnum Iſrael? at ille: non eſt, inquit, veſtrum noſſe tempora, quæ Pater in ſua poſuit poteſtate: Non vtique illi de hora, vel die, vel anno, ſed de tempore interrogauerunt, quando illud accepere reſponſum. Fruſtra igitur annos, qui huic ſæculo remanent, computare, ac definire conamur, cum hæc ſcire non eſſe noſtrum ex ore veritatis audiamus quos tamen alij quadringentos, alij quingentos, alij etiam mille ab Aſcenſione Domini vſque ad eius vltimum aduentum compleri poſſe dixerunt. Quemadmodum autem quiſq; eorum aſtruat opinionem ſuam, longum eſt demonſtrare, & non neceſſarium: coniecturiſq; vtuntur humanis: non ab eis certum aliquid de Scripturæ canonicæ authoritate profertur: omnium verò hac de re calculantium digitos reſoluit, & quieſcere iubet ille, qui dicit, non eſt veſtrum ſcire tempora, quæ Pater in ſua poſuit poteſtate.* Porò ſi Chriſtus iubet calculantium digitos reſoluere, & omnino ab hac quæſtione quieſcere, vt ait Auguſtinus, profectò non ſolum importunum erit, atque fruſtaneũ tempora iſta calculare; ſed etiam reprehenſione dignũ. De quo etiam videndus eſt idem Auguſtinꝰ *in Pſal. 6. in principio, & in Pſal. 89. ad illa*

Auguſt. *Auguſti.*

verba

verba: *Quoniam mille anni, & cætera, & Epiſt. 78. & 80.*

36. *Cyrill. Ieroſolym.* Hanc inquiſitionem, tanquam curioſam improbat Cyrillus Ieroſolym Catecheſi 15. in hæc verba: *Tempus nemo curioſe inquirat: non eſt enim noſtrum ſcire tempora, quæ Deus poſuit in poteſtate ſua; nec audeas determinare, quando hæc fient.* Ecce diffinire hæc tempora non ſolùm appellat *Chryſoſt.* curioſam diffinitionem; ſed etiam audacem. Eandē prohibet Chryſoſtomus homil. 9. in primam ad Theſſalonicenſes cū *Beda.* Authore imperfecti homil. 50. Beda etiā in lib. de ratione temporum cap. 60. 64. & 66. improbat eandem diſquiſitionem, vt friuolam, ita ſcribens: *Cunctis in communi ſuademus, vt ſiue quis ex Hebraica veritate, ſiue ex ſeptuaginta interpretum tranſlatione, ſiue ex vtriſque commixto opere codicibus, vt ſibi viſum fuerit, temporum curſum notauerit, & ſiue prolixiora, ſiue breuiora tranſacti tempora ſignauerit, aut ſignata repererit; nullatenus tamen ex hoc longiora; vel breuiora, quæ reſtant ſæcula, tempora putet; memor ſemper dominicæ ſententiæ, de die illa nemo ſcit.* Ex his igitur Patribus ſatis confirmata manet prior pars noſtræ aſſertionis,

37. Quæ etiam manifeſte deducitur, tùm ex verbis Chriſti; tùm ex verbis Pauli. Nam Chriſtus Actorum primo Diſcipulis hac de re ſciſcitantibus, expreſſè reſpondet: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Paulus autem primæ ad Theſſalonicenſes quarto, ita ait: *De temporibus autem non opus habetis, vt vobis ſcribam: ipſi namque ſcitis diem Domini, vt furem in nocte; ita venturum.* De temporibus, inquam, ſæculi, vt omnes interpretantur, de quibus non eſt opus inquirere cùm certiſsimum ſit, diem Domini omnibus eſſe ignotum.

38. Alia confirmatio. Id etiā ex eo poteſt cōfirmari; quoniā qui tempus ſæculi computare voluerunt, vel decepti ſunt, vel poſſumus exiſtimare eſſe deceptos. Quòd decepti fuerint, qui tradiderunt ſæculū poſt Chriſti Aſcēſionem, duraturum annis, aut quadringētis, aut quingentis, aut etiā mille (quorū ſententiā refert Auguſtinus) euidēter oſtēdit Eccleſiæ permanētia, quæ ſuprà annos mille addit pluſquam ſexcentos, cum iam inceptus ſit annus à Chriſti natiuitate milleſsim⁹ ſexcēteſsimus decim⁹ quint⁹.

Sed agamus cum illis, qui durationi totius vniuerſi certum annorum numerum præfixerunt. Prima opinio, vt teſtatur *Lactantius lib. 7. diuinarum inſtitutionum cap. 14.* fuit Ethnicorum, Platonis inquam, & aliorum, qui voluerunt, ante ſua tempora multa ſæculorum millia iam fluxiſſe: & Chaldæi, teſte Cicerone in primo de Diuinat. teſtātur, ante eos quadringēta ſeptuaginta millia annorum ſuis momentis eſſe comprehenſa. Sed hoc tāquam dilirium reijciendum eſt. 39. Variæ opiniones de duratione ſæculi. 1. Opinio eorum inepta.

Communior ſentētia habet mundum duraturum eſſe ſex mille annis. Ita ſenſiſſe Hebræos, vno Salomone Rabino, & altero Iſaac demptis, referunt Galātinus libro 4. cap. 20. & Picus Mirandula lib. ſeptimo Heptaphi cap. quarto. Id autem confirmabant quodam Eliæ oraculo, quod habetur in Thalmud. cuius verba referunt: quod tamen Happochriphū eſſe nullus dubitabit. Quam ſententiam pleriquè patrum, ſi non probant, ſaltem non improbant. Inter quos refertur Hilarius Can. 17. & D. Hierony. Epiſt. 199. ad Cyprianum tom. 3. pagin. 390. col. 2. in principio in hæc verba. *Ego arbitror ex hoc loco* (ſ. Pſalmo 39.) *& ex Epiſtola, quæ nomine Petri inſcribitur, mille annos pro vna die ſolitos appellari; vt. ſ. quia mundus in ſex diebus fabricatus eſt, ſex millibus annorum tantum credatur ſubſiſtere: & poſtea venire ſeptuanarium numerum, & octonarium, in quo verus exercetur Sabbatiſmus.* Quod ſatis etiam ſupponit in capite quarto, Micheæ in principio ita ſcribens: *In ſex millibus enim annis, ſi quingenti anni per horas diei ſingulas diuidantur, nouiſsima hora conſequenter dicetur tempus fidei gentium.* In qua etiam opinione eſt Gaudētius Brixenſis tractatu decimo; qui in Exodum eſt octauus. Eandem refert *Diuus Auguſtinus 20. de Ciuitate Dei cap. ſeptimo, ita ſcribens: Mille autem anni duobus modis poſſunt, quantum mihi occurrit, intelligi: aut quia in vltimis annis mille iſta res agitur.* (Loquitur de alligatione Diaboli Apocalypſis 20.) *id eſt, ſexto annorum millenario, tanquam ſexto die, cui⁹ nūc ſpatia poſteriora voluuntur: ſecuturo deinde Sabbato, quod nō habet veſperam requies. ſ. Sanctorum, quæ non habet finē.* Ex quibus verbis ſatis patet Auguſtinū hanc opinionem cū ſecunda, quā ſtatim refert, tan-

40. 2 Opinio quod durabit ſex annis.

Hilarius. *Hierony.* *Gaudent.* *Auguſt.*

tanquam probabilem admiſiſſe: vnde ad finem capitis ita ait: *Donec finiantur mille anni, id eſt, aut quòd remanet de ſexto die, qui conſtat ex mille annis, aut omnes anni, quibus deinceps hoc ſæculum peragendum eſt.*

41. 3. Opinio Germani ¶ Tertia ſententia fuit Germani Conſtantinopolitani in theoria rerum Eccleſiaſticarum parum à medio: Is enim ſex millibus annorum addit annos quingentos: & pro hac opinione citat Chryſoſtomum, & Cyrillum in Opuſculo de Antichriſto, & Hippolytum in oratione de Conſumatione mundi; ſed vt benè aduertit Suarius Opuſcula illa apud Chryſoſtomum, & Cyrillum non inueniuntur: Hippolytus autem nullum hac de re facit verbum.

42. 4. Opinio Chiliaſtarum. ¶ Quarta, & vltima ſententia eſt Chiliaſtarum, qui putant, mundum ſeptem mille annis duraturum; diuerſo tamen fundamento: nam qui putant, regnum millenarium Chriſti cum Sanctis in terris futurum eſſe poſt vniuerſalem reſurrectionem, & generale iudicium, ponunt vtrumque futurum eſſe completis ſex mille annis; & his addunt ſeptimum millenarium poſt iudicium: quo expleto, mundi finis, & ceſſatio motus cœleſtis adueniet; quæ fuit opinio Cerinthi, & Papiæ. At verò, qui regnum millenarium aſsignant ante iudicium, & reſurrectionem generalem, volunt à mũdi creatione vſque ad primam iuſtorum reſurrectionem, & principium regni millenarij complendos eſſe ſex mille annos; & tranſactis mille annis eiuſdem regni, factaque generali malorum reſurrectione, finiendum eſſe mundum. Hæc eſt expreſſa ſententia Lactantij in dicto lib. ſeptimo capite 14. & 24. ſi, quæ ſcribit, attentè legantur. Et hanc opinionem nonnullis Sybillarum oraculis nititur cõfirmare: & in eodem ſenſu loquitur Iuſtinus Martyr quæſtione 71. ad gentes, & Irenæus libro quinto contra hæreſes capite 28. Loquuntur enim de tempore præſentis Eccleſiæ ante primam reſurrectionem, quam fingunt, vt apud illos videre eſt.

43. 1. Opinio delirat. Ex his opinionibus prima verè delirat, vt bene aduertit Lactant. in d. c. 14. Authores verò cæterarũ deceptos eſſe, euidenter oſtendit duratio vniuerſi iuxta computationem, quam ex ſeptuaginta interpretibus authôres illarum approbarunt: etenim iuxta hanc computationem Chriſtus natus eſt currente iam ſexto millenario à Creatione Mundi: hoc autem ſuppoſito manifeſtum eſt, mundi durationem excedere pluſquam mille ſexcentis annis, cum iam inceperit annus milleſsimus ſexcenteſsimus decimus quintus. Quo argumento Diuus Ambroſius libro ſeptimo in Lucam in principio impugnat ſecundam ſententiam, quæ mundo ſex mille annos præfiniuit: & eodem etiam videtur vti Cyprianus in Præfatione libri de exhortatione Martyrum ad Fortunatum. Eodem etiam argumento conuincitur falſitatis tertia opinio Germani: imò etiam quarta Chiliaſtarum, quocumque modo illa explicetur: ſemper enim habemus tranſactos eſſe pluſquam ſeptem mille annos à mundi conſtitutione: & tamen, necdum aduenit iudicium, nec regnum Chriſti in terris, quod hæreticè confinxerunt.

Porrò ſi computationem ſeptuaginta non probas, ſed illam, quæ iuxta veritatem Hebraicam iam communiter probatur; libenter admittam non dum completos eſſe ſex mille annos à creatione mundi: Chriſtus enim natus eſt circa annum quatermilleſsimum, & nunc agitur annus quinquemilleſsimus ſexcenteſsimus decimus quintus. Vnde adhuc reſtant quadringenti anni, vel circa. Sed quamuis ſuppoſita hac computatione non poſſimus præcitatas opiniones conuincere, cum in iſtis quadringentis annis, qui deſunt, vt ſex mille anni à creatione mundi compleantur, omnia poſſint impleri, quæ in ſacra Scriptura prædicta ſunt futura ante diem iudicij, vt benè aduertit Suarius *in dicta diſputatione 53. ſectione quarta, pag. 1099. columna prima*, adhuc tamen opiniones illæ à reprehenſione liberari non poſſunt; cum in re incerta, & ſoli ſcientiæ Dei reſeruata iubente illo digitos non diſſoluerunt, & à calculatione non ceſſauerunt. Et hæc de prima aſſertionis parte. 44. Impugnatur ex computatione hebraica. Suarius.

Quod verò attinet ad ſecundam partem; ſcio quod propter ſigna iudicij, quæ iam præceſſerunt ab initio ferè naſcentis Eccleſiæ, orta fuit exiſtimatio, quod dies 45.

dies Domini inſtaret, nam, vt Theſſalonicenſes omittamus, de quibus Paulus ſecundæ Epiſtolæ ad eoſdem cap. ſecūdo, vt etiam omittamus Iudam Illuſtrem, & Catholicum ſcriptorem, qui teſte Hieronymo in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis dixit circa ſua tempora futurum eſſe iudicium: video ferè omnes Patres ſcribere diē iudicij appropinquare, vt videre eſt apud eos, quos refert Suarius in dicta ſectione quarta pag. 1101. columna ſecunda B, & 1102. columna prima, per totam: vbi refert Tertullianum lib. de fuga in perſecutione cap. 12, Cyprianum Epiſtola 56. 58. & 63. Hieronymum Epiſtola 11. ad Ageruchiam, Baſilium Epiſtola 71. Chryſoſtomum Homilia 31. in Ioannem verſus finem, Ambroſium in Oratione in Satyrum fratrem ante medium, Gregor. lib. quarto Epiſtola 38, cap. quarto, & homil. 1. in Euangelia, Bernardum ſermone 6. in Pſalm. 90. *(Patres ſentiunt mundi finem appropinquare.)*

46, His tamen non obſtantibus poſteriorem aſſertionis partem putamus eſſe veram, cum Suario vbi ſuprà pagina 1101. columna ſecunda: etenim ſigna, quæ impleata, aut legimus, aut vidimus, ſunt valde generalia, & communia, & quæ in omni tempore fuerunt in Eccleſia: quare ſi ea ſigna, quæ fuerunt ante mille annos, non ſatisfuerūt, vt eſſe ꝓpinquū; illis oſtēderent mortuorū reſurrectionē; vtique, quæ nunc ſunt, ſatis etiam erunt inſufficientia; vt certò ſciamus, iudicium eſſe propinquum. Sancti verò Patres, & Prædicatores illa, & prædicarunt, & cripſerunt, vt peccatoribus terrorem inijcerent, & omnes de ſua ſalute ſolicitos redderent. Non eſt tamen negandum ſigna ſpecialia, de quibus Matthæi 24. cum aduenerint, ſatis eſſe, vt tunc viuentes de iudicij approximatione certos reddant; quamuis non ſatis ſint, vt certam horam, aut diem, aut annū oſtendant. Et de his hactenus. *(Vera eſt poſterior pars aſſertionis.)*

ARTICVLVS II.

Vtrùm reſurrectio futura ſit tempore nocturno, an diurno?

§. 1.

Referuntur opiniones.

SVPEREST, inquiramus de qualitate temporis, in quo futura eſt reſurrectio: an ſcilicet futura ſit tempore nocturno; an diurno? Res eſt incerta. Quidam putant, eam futuram eſſe in tempeſta nocte: ita ſentit *Diodorus relatus à Diuo Hieronymo Epiſtola* 152. *ad Minerium, & Alexandrum, cum quo conſentit idem Diuus Hieronymus ad illa verba Matthæi* 25. *media nocte clamor factus eſt, Chryſoſtomus Homilia* 79. *in Matthæum, D. Auguſtinus in libro* 8. *octoaginta trium quæſtionum, quæſtione* 57. *Ambroſius libro octauo in Lucam ad illa verba Capitis* 17. *in illa nocte erunt duo, Lactantius libro ſeptimo capite* 19. *& Caſſiodorus Pſalmo* 108. *ad illa verba: media nocte ſurgebam*, quam opinionem eſſe congruentem ſcribit, *Magiſter in* 4. *diſt.* 43. §. *Media autem nocte.* *(1. 1. Opinio. Diodorus. Hieroym. Chryſoſt. Auguſt. Lactant. Caſſiodor.)*

Secunda opinio docet reſurrectionem futuram eſſe hora matutina, dum aurora incipit clareſcere, & ſubinde in crepuſculo diei. Quæ opinio inter Scholaſticos eſt communior, & probatur *Diuo Thomæ in quart. diſtinctione* 43. *quæſtione prima articulo* 3. *quæſtiuncula quarta (in additionibus quæſtione* 77. *articulo tertio) Durandus ibidem quæſtione quarta num.* 16. *Sotus quæſtione* 2. *articulo* 3. *concluſione* 2. *pagina* 418. *columna ſecunda, Ouandus propoſitione* 10, *Paludanus in quart. diſtinctio.* 47. *quæſtione prima articulo primo num.* 10. *Diuus Antoninus quarta parte titul.* 14. *cap.* 11. §. *quarto; Suarius* 2. *tom. ad tertiam partem diſputat.* 50. *ſectione* 10. §. *Alter dicendi modus, pagina* 1022. *col.* 2. *Valentia* 4. *p. diſput.* 11. *quæſt.* 3. *puncto* 2. §. *Quoad tertium pag.* 1938. *Abulenſis tom.* 6. *in Matthæum cap.* 22. *q.* 232. *fol.* 85. *columna* 2. *in fine, & col.* 3. *litera G. quam etiam probauit D. Anſelmus in ſuo Elucidario.* *(2. 2. Opinio. D. Thom. Durandus. Ouandus. Paludan. D. Anton. Suarius. Valentia. Abulenſ. D. Anſel-)*

Tertia opinio putat, quorundam reſurrectionem futuram eſſe in crepuſculo diei, quorundam verò in nocte; nimirum illorum, qui non in Oriente, & iuxta locum, in quo futurum eſt iudicium; ſed in Occidente ſunt reſurrecturi. Ita *Richardus in quarto diſtinctione* 43. *articul.* 6. *quæſtione ſecunda*. Fundamentum eſt; quia non omnes in eodem loco ſunt reſurrecturi: quidam enim reſurgent in *(3. 3. Opinio. Richardus.)*

partibus Orientis; quidam verò in partibus Occidentis. Cum verò in Oriente Sol citius oriatur, quam in Occidente; fieri non poteſt, vt omnes, aut nocte, aut in diei crepuſculo reſurgant. Admittunt igitur, iudicium futurum eſſe in crepuſculo diei comparatione ad ſitum vallis Ioſaphat: reſurrectionem tamen omnium non eſſe futuram in eodem crepuſculo; ſed ſolùm eorum, qui in illo ſitu reſurgent: aliorum verò erit ante diei crepuſculum, tardius, vel citius ſecundum gradum loci, in quo reſurgent.

4. 4. Opinio. Quarta, & vltima opinio negat, reſurrectionem futuram eſſe, aut nocturno tempore, aut diurno. Hanc opinionem refert Abulenſis *in dicta quæſtione 232. in principio.* Fundamentum eſt; quia ſurrectio fieri debet, nullo iam exiſtente cœli motu; ſine quo nec dies datur, nec nox.

§. 2.

Reſolutio quæſtionis.

5. 4. Opinio reiicitur. Ex his opinionibus hæc vltima eſt omninò reijcienda: tum; quia non eſt certum; an tempore reſurrectionis, & iudicij iã motus ceſſauerit: nec enim ceſſare debet, ſi ignis conflagrationis venturus eſt peracto iudicio: nam cũ mundi renouatio per ignem fieri debeat, vt ſupponimus; ignis autem agere non poſsit ſine motu cœli, à quo dependet; neceſſariò admittendum eſt, motum cœli nõ ceſſaturũ, niſi peracta mundi innouatione, quæ erit poſt reſurrectionem, & iudicium. Tum etiam; quia ſi admittamus motum cœli in ipſa reſurrectione ceſſare, adhuc, & dabitur nox, & dies: dies; in locis, ad quos lux ſolis peruenerit; nox autem, in illis, ad quos non attigerit. Vnde in vno Orizonte erit dies perpetu⁹; in alio verò perpetua nox. Vel dicito cum Abulenſi vbi ſuprà ad primã rationẽ; quòd licet tunc, nec dies erit, nec nox; tamen in hoc ſenſu inquirimus, an reſurrectio futura ſit in die, vel in nocte, vt inquiramus, qualis nam tunc erit habitudo Solis ad Orientem Vallis Ioſaphat. Inquirimus igitur, in qua nam habitudine Solis ad illam Vallem fiet reſurrectio? An in habitudine alicuius horę nocturnæ; an vero diurnæ?

6. Reſolutio ſub diſtinctione. Quæ verò aliarum trium opinionum ſit tenenda; reſoluendum erit adhibita diſtinctione; nam ſi reſurrectio futura eſt in diuerſis locis (quæ fuit plurimorum opinio, vt diximus ſuprà quæſt. 5.) amplectenda eſt tertia opinio, quæ placuit Richardo: id enim, ſuppoſita illa ſententia, euidenter conuincitur. Porrò ſi omnium reſurrectio futura eſt in Valle Ioſaphat (quæ eſt probabilior opinio, vt in d. q. 5, oſtẽdimus) opinio ſecunda eſt lõgè veriſimilior: etenim cum Chriſtus ſit exemplar noſtræ reſurrectionis, probabiliſsimum ſit, vt eo tempore omnes reſurgamus, quo ille reſurrexit: Chriſtus autem reſurrexit ſummo mane.

7. Confirmatur. Cui accedit; quoniam hoc cedit in maiorem gloriam iuſtorum: ſicut enim loci circunſtantia cedit in illorum gloriam; quia reſurgent iuxta locum in quo Chriſtus reſurrexit: ita etiam circunſtantia temporis cedet in illorum gloriã; quia, ſcilicet reſurgent, quando reſurrexit Chriſtus. Nonnulli in confirmationem expendunt, quod tempus lucis eſt magis accommodatum, tùm ad iudicium; quod ſtatim poſt reſurrectionem ſequetur; tùm etiam, vt omnes naturali modo, & ſine vllo miraculo alios videre poſsint: hoc enim bonis cedet in gloriam, malis autem in maiorem pudorem ſuæ deformitatis. Sed ratio iſta non ſatis intentum probat: quia lux crepuſculi diurni non ſatis eſt, vt omnia naturaliter videantur: quare ad hoc neceſſaria erat claritas corporis Chriſti, & Sanctorum, vt annotauit Ambroſius lib. 8. in Lucam.

8. Ad 1. argu. aliarũ opinionum. Quæ in confirmationem primæ ſententiæ adducuntur, parum vrgent. Fundamentũ ſumunt ex verbis Chriſti Matthæi 25. & Lucæ 17. *Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, & cætera.* Ex quibus verbis (vt ait Diodorus apud Hieronymum vbi ſuprà) *conſtat, medio noctis ſecuris omnibus conſumationem Mundi eſſe futuram.* Et ex iiſdem id colligit Chryſoſtomus *dicta Homilia 79. in Matthæum, dum ait: Aut id dici in parabola; quia dormiebant: aut per id oſtendi reſurrectionem in nocte eſſe futuram.* *Matth. 25* *Chryſoſt.*

Solutio ex Chryſoſt. ¶ Sed idẽ Chryſoſtom⁹ in illis verbis argumenti

menti ſolutionem dedit, dum ait, verba illa dicta eſſe in parabola; qua Chriſtus voluit oſtendere generale iudicium eo tempore futurum eſſe; quo erunt homines ſecuriores. Et idem annotauit D. Auguſtinus *in dicta quæſtione* 57. *Theophylactus, & Anſelmus in iiſdem verbis Matthæi* 25. nam ſicut, qui media nocte dormiunt, ſecuri dormiunt, ita homines pro illo tempore nihil de iudicio, & mundi conſummatione cogitabunt; ſed vtrumque ſubito, & inſperatè veniet. Quod etiam ſignificauit Paulus primæ ad Theſſalonicenſes 5. dum ait, *Dies Domini ſicut fur in nocte, ipſa veniet,* Hæc dicta ſint iuxta ſententiam, quæ verba illa intelligit de conſummatione ſæculi: nam ſi intelligantur de aduentu mortis, quæ videtur litteralis explicatio; nihil nobis officiunt,

Auguſt. Anſelm.

1. Theſſal. 5.

9. *Ad 2. Exodi.* Quod verò adducunt ex 12. Exodi, vbi Angelus media nocte omnem Primogenitum percuſſit; populus Hebræorum media nocte ab Aegypto egreſſus eſt; nō tantum ad rem facit, quantum Chriſti reſurrectio, vt benè aduertit Sotus in dicto articulo tertio, §. *Et per hoc verba Pauli* pag. 419. col. 1.

QÆSTIO IX.

De menſura durationis ipſius reſurrectionis

Annotatio ad Quæſtionem.

1. *Annotatio* IN hac quæſtione agimus de menſura durationis ipſius reſurrectionis: an ſcilicet illa fiet in tempore; an in inſtanti? pro quo aduertimus, hoc loco non inquiri de ſimultate reſurrectionum: an ſcilicet omnes ſimul reſurrecturi ſint? hæc enim quæſtio pertinet ad ordinem reſurgentium, de quo diximus ſuprà quæſtione ſexta. Inquirimus igitur de menſura durationis futuræ reſurrectionis. Cum verò controuerſum ſit; vtrùm omnes in eadem temporis menſura ſint reſurrecturi? iuxta vnam, & alteram partem quæſtionem explicabimus. Nam ſuppoſita veriori opinione, quòd ſimul in eodem tēpore omnes reſurgemus: ſenſus quæſtionis erit; an generalis reſurrectio futura ſit in inſtanti; an verò ſucceſsiuè in aliqua breui temporis mora? ſi verò ſupponamus, alios priùs tempore reſurrecturos, & alios poſterius, neceſſariò admittendum eſt, generalem omnium reſurrectionem futuram eſſe non in inſtanti, ſed in tempore: cum quo tamen poteſt inquiri; an cuiuſque reſurrectio futura ſit in tempore ſucceſsiuè; an verò indiuiſibiliter in inſtanti?

Aduertendum eſt deinde in quæſtione propoſita, (ſiue in vno, ſiue in altero ſenſu proponatur) reſurrectionem dupliciter ſumi poſſe; vno modo eſſentialiter, pro reſurrectione ſumpta pro vnione animæ cum corpore. Altero modo pro omnibus, quæ ad reſurrectionem concurrunt: ad eam enim concurret collectio cinerum; illorum translatio ad locum, in quo futura eſt reſurrectio: organizatio, & efformatio corporis: denique ipſa animæ vnio cum corpore. 2.

Deinde aduertendum eſt; in hac quæſtione ſupponendum eſſe, omnes in eodem tempore ſimul reſurrecturos: hæc enim eſt verior opinio. Solum igitur inquiremus; vtrùm omnium reſurrectio futura ſit in tempore; an verò in inſtanti? inde enim facilè patebit; an admiſſo ordine temporis ſecundum priùs, & poſterius inter reſurrecturos, ſingulorum reſurrectio futura ſit in inſtanti? Duos igitur articulos in hac quæſtione ponemus. Primus inquiret id, quod proponitur. Suppoſito autem, quòd fiet in inſtanti; ſecundus articulus inquiret; cuiuſnam temporis inſtans illud erit terminus? 3. 2. Aduertēcia.

ARTICVLVS I.

Vtrùm generalis reſurrectio fiat in tempore, an in inſtanti?

DE hac quæſtione diſputāt Theologi *in 4. diſt. 43. vbi D. Thom. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. (in additionib. q. 77. ar. 4.) vbi Paludanus. q. 4. art. 1. num. 4. Richardus art. 6. q. 1. Sotus q. 2. art. 3. Scotus q. 5. Durandus q. 4. cum alijs: Abulēſis tom. 6. in* Qui de quęſtione diſputent.

6.in Matthæum cap.22.q.233. Suarius 2. tom.ad 3.p.diſp.44.ſectio.4.vt alios omittamus. In ea non omnes conſentiunt. Quidam enim volunt, teſte Abulenſi, reſurrectionem futuram eſſe in tempore: alij volunt, eam futuram eſſe in inſtanti. Vtraque conciliari poteſt, ſi aduertamus, reſurrectionē, vel ſumi poſſe pro omnibus, quę ad eam concurrent: vel pro ipſa reſurrectionis eſſentia, quę poſita eſt in vnione animæ cum corpore, ex qua reſultat homo, qui reſurgit.

2. 1.Concl. Sit igitur prima concluſio: *Si reſurrectio ſumatur primò modo: non poteſt fieri in inſtanti, ſed in tempore.* Hæc & probatur ab omnibus, & facilè demonſtratur; quia vt reſurrectio fiat, neceſſariò colligendi ſunt omnium mortuorum cineres: imò ex omnibus mundi partibus adducendi ſunt ad locum iudicij iuxta veriorem ſẽtentiam: idque miniſterio Angelorum, vt ſuperiùs oſtendimus: iam verò motus localis non poteſt fieri in inſtanti, ſaltem virtute naturali Angelorum. Nec enim ſine neceſsitate ad miraculum recurrendum eſt. Et in hoc ſenſu vera eſt opinio, quæ negat, reſurrectionem futuram eſſe in inſtanti, & argumenta, quibus confirmatur, adducta ab Abulenſi hoc ſolũ probant.

3, 2.Concl. Secunda concluſio. *Cineribus miniſterio Angelorum collectis, reſurrectio omnium ſubitò, & in inſtanti fiet.* Hanc concluſionem non eſſe omnino certam ſcribit Suarius *vbi ſuprà §. In præſenti ergo pag. 817. columna 1. B.* putat tamen eam eſſe probabilem: ego verò puto, eam non omnibus modis certam eſſe; quia ex ſcripturis efficaciter non colligitur: at tamen puto eam eſſe probabiliſsimam. Primò; quia eſt inter Theologos communiſsima, quam probant omnes, quos ſupra citauimus, & cum illis *Conimbricenſes primo de generatione cap.4.quæſt.14.artic.2. §. Poſterior pars pagina 110. & Valentia 4.parte diſput.11.quæſt.3.puncto 2. in fine pagina 1939.B.C. & Suarius in dicta diſput. 50. ſectio.9.pag.1019.concluſione 2.* Deinde; quia plurimorum Patrũ authoritate confirmatur. Eam aſſerit Auguſtinus Epiſt. *49.q.1.& 3.de Trinit.cap.4.Gregor.4.Dialogorum cap.5. Hieronymus Epiſt. 152. ad Minerium ità inquiens: non in breui ſpatio, ſed in atomo, & in puncto temporis atque momento; Chryſoſt.homil. 8.in Epiſt.ad Theſſalonicenſ. Theodoretus Oecumenius, Anſelm. & alij in 1.ad Corint.15.& primæ ad Theſſalonic.4.& Nyſſenus orat.3.de reſurrectione.*

Conimbr. Valentia Suarius. Probatur ex Patribus.

Tertiò facile oſtenditur ex ijs, quæ in ſuperioribus diximus: etenim ſolus Deus vt ſupernaturalis Author operaturus eſt, tũ corporũ efformationē, tũ animarũ vnionē cũ illis. ſed Deus, ſiue imediatè ſe ſolo hæc efficiat, ſiue mediatè aliquo inſtrumtẽo, poteſt hæc operari in inſtanti; & decet, vt in inſtanti illa operetur. Ergo reſurrectio iſto modo ſumpta in inſtãti fiet. Maior ex dictis ſuponitur veriſsima. Minor verò, quod attinet ad vnionem animarũ cum ſuis corporibus, ſuppoſita perfecta corporum organizatione, eſt veriſsima: quia vltima diſpoſitio ſimul, & in eodem inſtanti eſt cum forma. Probatur ratione.

Tota difficultas poſita eſt, in ipſa corporis organizatione, & efformatione; vtrùm illa virtute diuina in inſtanti ſit cõplenda? quam difficultatem iam reſoluimus ſuprà quæſtione 5. articulo.4. §. 4. vbi oſtendimus, poſſe Deum organizationem illam facere in inſtanti; cum ſua infinita virtute vincat omnem paſsi reſiſtentiam; & ideò poſsit illam totam ſimul, & in inſtanti introducere. Quod verò deceat: vt eam in inſtanti operetur, ex eo ibidem oſtendimus; quia iſte operandi modus eſt perfectiſsimus; & eo vſus eſt, tùm in formatione primi hominis, tùm & in efformatione corporis Chriſti in vtero Virginis. Vide, quæ ibi diximus. Addimus, ipſam reſurrectionis celeritatem, qua debent fieri ea, quæ alioquin in longo tempore facienda erant, ſuadere, vt Deus perfectiſsimo operandi modo ea vtatur: nam, ſi Deus ſtatuit, vt omnia, quæ aliorum miniſterio debent fieri, tunc fiant in momento, & in ictu ocluli, id eſt, ſumma, & extraordinaria celeritate, vt ait Paul. primæ Theſſalonicenſes quarto: profectò decens eſt, vt ea, quæ ipſe virtute ſua infinita facturus eſt, faciat ſumma cum celeritate, qualis eſt momentanea: maximè cum iſte operandi modus ſit omnium perfectiſsimus. 4. In quo eſt difficultas. Opinio propria.

Huic reſolutioni obſtat argumentum, quòd in hac materia Sotus, & alij moleſtiſsimum iactant; quoniam illa corporis efformatio fieri non poteſt ſine motu 5. Obiectio difficilis.

ad

ad locum aut maiorem,aut minorem:motus autem localis fieri non poteſt in inſtanti.Quòd illa efformatio,& organizatio ſine motu ad locum aut maiorem, aut minorem fieri nequeat, ex eo oſtẽditur: quia cineres illi aut occupabunt maiorẽ locum, quàm corpus ex illis efformandũ ſit occupaturum;aut minorem, aut æqualem. Si maiorem, aut minorem;efformatio fieri non poterit ſine motu,vel ad minorem locum, ſi corpus futurum eſt minoris quantitatis, aut ad maiorem,ſi corpus in maiori quantitate efformabitur. Idem dicendum eſt, ſi cineres æqualem locum occupant: tùm; quia ferè omnes partes corporis erunt denſiores, & craſſiores,quàm partes cinerum;vt patet: oſſa enim & nerui duriora ſunt, & craſsiora;imò etiam & tota caro;fieri igitur non poteſt talis efformatio, quin partes cinerum ad minorem locum contrahantur. Tùm etiam, quia corpus efformandum non poteſt non eſſe alterius figuræ; cum ſit corpus humanum: neceſſe eſt igitur, vt partes ipſæ cinerum, & in maiorem locum abeant, & in minorem.

6. Solutio. *Scotus. Durand. Sotus. Abulenſis*

Pro ſolutione multa ſcribunt *Scotus in 4.diſt.43.q.5.Durandus q.4.Sotus q.2.art. 3.§.Scotus hic,pag.417.& Abulenſis in d. q.233.fol.87.col.2.§.Dicendum.* Difficultas latiorem petebat diſputationem, imò etiam tractatum: à quo ſuperſedendum duxi. Satis nunc ſit iſtam efformationem fieri virtute diuina; non per motum, ſed per mutationem: nec repugnare,vt quãtitas aliqua tota ſimul acquiratur, aut tota ſimul deperdatur:maximè quãdo mobile non mutat locum, ſed in eodem aut dilatatur, aut contrahitur: nam id plures admittunt in naturali augmentatione, quam volunt non eſſe continuã, ſed fieri per minima. Sed quidquid de hoc ſit, nõ eſt, cur potentiæ diuinæ denegemus,poſſe in inſtanti facere hanc quantitatis augmentationem, aut diminutionem, vt alibi oſtendimus, & de motu locali docet *Suar.2.tom.ad 3.p.diſp.11.ſect.1.pag.195. col.2.§.Dicendum autem, vide,quæ ibidem ſect.2. ad finem docet* de formatione corporis Chriſti in ventre Virginis.

ARTICVLVS II.

Cuiuſnam temporis inſtans reſurrectionis ſit terminus.

DE hac quæſtione nonnulla eſt inter doctores varietas.Quidam volunt,inſtans reſurrectionis eſſe inſtans terminatiuum temporis,quòd menſurauit motum collectionis cinerum, & translationis eorum ad locum iudicij; ita vt primum non eſſe illius motus ſit primum eſſe reſurrectionis. Sed verior opinio habet,inſtans illud eſſe terminum tẽporis menſurantis vocem tubæ, qua mortuis reſurrectio imperatur. Quæ opinio placuit *D. Thomæ, Abulenſi, & Soto, de qua diximus ſuprà q.5.art.4. vbi vide.* 1. Controuerſum eſt. Vera reſolutio.

2. In quo ſenſu eſt vera.

Quæ diximus vera ſunt,ſuppoſita opinione,quod omnes in eodem loco ad vocem tubæ Archangeli ſunt reſurrecturi: nam ſi reſurrectio futura eſt in varijs locis, vt plerique putant, inſtans reſurrectionis terminabit non tempus menſurans collectionem cinerum ad locum iudicij; ſed tempus menſurans vocem tubę,qua quiſque Angelorum reſurrectionem imperabit illis,quorum cineres colligit. Sed hæc opinio nonnullas patitur difficultates:ex ea enim ſequitur,nõ omnes in eodem inſtanti eſſe reſurrecturos: cum nec omnes Angeli in eodem tempore finient cinerum collectionem, nec omnes in eodem inſtanti tuba canent: etenim Angeli,qui cineres in Oriente colligent, ſcire non poterunt,quando Angeli in occidente cineres collegerunt; & ita naturaliter fieri non poterit,vt omnes in eodem inſtanti incipiant canere. Quare veriorem putamus opinionem, quod omnes in eodem loco reſurgent.

QVÆSTIO X.
& Vltima.

An reſurrectio ſit mutatio ſupernaturalis eſſentialiter diſtincta à mutatione phyſica?

DE hac quæſtione antiquiores nihil ſcripſerunt: ex nouioribus de illa ſolùm ſcribunt *Suarius 2.tom.ad 3.p.diſp. 54.ſect. 5.& Conimbricenſes lib.1.de Gener.c.4. q. 14.* Rem obſcuram reddiderunt tres dicendi modi à Suario rem iſtam ſpeculãte excogitati. Quorum vnus abſolutè aſſerit, reſurrectionem eſſe mutationem ſubſtantialem ſpecie diuerſam à generatione. 1. Qui de hoc ſcripſerunt.

tione. Secundus huic oppoſitus docet, reſurrectionem cum generatione eſſentialiter conuenire. Tertius eſt medius, aſſmatque reſurrectionem, quatenus dicit reſurrectionem paſsiuam ex parte corporis eſſe eiuſdẽ rationis cũ generatione: diuerſè autem; quatenus dicit actionem, qua homo reſurgit.

2. Reſolutio. Reſolutio ſit pro ſecundo modo; quem & Suarius probat in d. ſect. 5. pag. 820. & Conimbricenſes in d. q. 14. art. 2. §. *Poſterior pars.* Sit igitur hæc aſſertio: *Reſurrectio eſt mutatio ſubſtantialis eiuſdem ſpecificæ rationis cum generatione hominis, ab ea ſolùm accidentaliter differens.* Et quanuis Suarius ad finem dictæ ſectionis hanc aſſertionem ſolùm probet, vt veriſimiliorem; ego puto eſſe veriſsimam, quæ etiã fuit ſententia Conimbricenſium. Pro ea Suarius citat *Scotum in 4. diſt.* 43. q. 3. *Marſilium q. vlt. art. 1. Henricum quodlib.* 11. q. 14. *ſed nihil apud ipſos inuenio: eam tamen videtur admittere Capreolus in 1. diſtin. 5. q. 1. art. 2.*

3. Probatur 1. pars. Sed quidquid de hoc ſit, prior pars euidenter demonſtratur: quoniam ratio mutationis ſubſtantialis, vt eſt quædam actio, eſſentialiter eſt poſita in vnitione formæ ſubſtantialis cum materia, vt communis docet Philoſophia, de qua Conimbricenſes *vbi ſuprà q. 13. artic. 1. & q. 14. art. 2.* Sed hæc vnitio, quæ fit in reſurrectione, eiuſdem eſt rationis cum vnitione, quæ fit in generatione. *Conimbr.*

4. Confirmatio. Confirmatur; quoniam reſurrectio habet eundem ſpecie terminum, quem habet hominis generatio: vtraque enim terminatur ad animam, & vtraque eam vnit corpori: actiones verò iuxta communem Philoſophiam ex terminis ſpecificantur. Et inde eſt, vt reſurrectio ſit actio naturalis ſecundum ſuam ſubſtantiam, vt cũ communi admittit *Suarius vbi ſuprà in tertio dicendi modo.* *Suarius.* Et euidenter demonſtratur ex eo; quia realiter identificatur cum anima, quam vnit corpori: actiones enim realiter identificantur cum ſuis terminis, vt communis docet Philoſophia, & in noſtris terminis docent Conimbricenſes *in d. quæſt. 13. art. 2. ad tertium.* *Conimbr.* Solùm igitur differt à communi generatione; quia eſt ſupernaturalis quoad modum, vt omnes agnoſcunt: ſupernaturalitas autem modalis non eſt ſatis ad faciendum diſcrimen eſſentiale, ſed ſolum accidentale.

5. Probatio 2. partis. Ex quo iam patet confirmatio poſterioris partis aſſertionis: quia reſurrectio ſolùm differt à communi generatione; quia non fit à naturali agente, nec modo naturali in ordine ad diſpoſitionem vltimam, qua materia diſponitur: quia in generatione communi diſpoſitiones ſucceſſiuè introducuntur, & per veram alterationem; cum tamen in reſurrectione, & producantur à Deo authore ſupernaturali; & modo ſupernaturali; ſiquidem introducuntur in inſtanti.

6. Et hæc de iſta quæſtione ſatis dicta ſint. Contra duos alios dicendi modos videndus eſt *Suarius vbi ſuprà.* Argumenta autem, quæ contra noſtram reſolutionem poſſunt fieri, ſatis diſſoluunt *Conimbricenſes vbi ſupra art. 2. pag. 111. poſt principium.* ¶ Et ita impoſitus eſt finis huic primo libro.

Finis libri primi.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM LIBRI SECVNDI.

¶ *Præfatio ad totum librum.*

QVÆSTIO PRIMA.

¶ *De qualitate generica corporis glorioſi.*

Articulus vnicus; An iuſti reſurrecturi ſint in corpore materiali, an in ſpirituali?

QVÆSTIO SECVNDA.

¶ *De qualitate ſpecifica corporis glorioſi.*

Articulus vnicus: An iuſti reſurgent in corpore verè carneo, & humano?

§.1. *In quibus poſita ſit perfectio eſſentialis corporis glorioſi?*

§.2. *Referuntur varij errores, & eorum fundamenta.*

§.3. *Explicatur, & confirmatur veritas Catholica.*

§.4. *Soluuntur argumenta hæreticorum.*

QVAESTIO TERTIA.

¶ *De materia, in qua corpora debent reſurgere.*

Articulus I. Vtrùm cum eadem numero materia, quam viuentes habuimus ſimus reſurrecturi?

§.1. *Refertur pars negans cum ſuis fundamentis.*

§.2. *Aſſeritur pars affirmans.*

§.3. *Illa omnino eſt tenenda in reſurrectione futura.*

§.4. *Soluuntur argumenta.*

Articulus II. Vtrùm ad veram reſurrectionem ſimpliciter ſit neceſſarium, vt quis reſurgat in eadem numero materia, quam habuit.

Articulus III. Vtrùm ad vnitatem numericam materiæ ſatis ſit vnitas formæ?

§.1. *Refertur opinio Durandi.*

§.2. *Impugnatur.*

§.3. *Soluuntur illius argumenta.*

Articulus IIII. Quæ nam ſit materia primigenia? & de ijs, quæ ad eam ſpectant.

§.1. *An materia primogenia à parentibus accepta fuerit in Adamo?*

§.2. *An illa vſque ad mortem nobiſcum permaneat?*

§.3. *An ſola illa pertineat ad veritatem naturæ humanæ?*

§.4. *An illa ſola purius, & perfectiùs participet naturam humanæ ſpeciei?*

Articulus V. Vtrùm materia nutrimentalis addita nobis per nutritionem pertineat ad veritatem naturæ humanæ?

Articulus VI. Vtrùm omnes debeant reſurgere cum materia primigenia?

§.1. *Opinio affirmans cum ſuis fundamentis.*

§.2. *Sententia negans eſt amplectenda.*

§.3. *Soluuntur argumenta.*

Articulus VII. An omnes cum ſola materia primigenia reſurgent?

Articulus VIII. Vtrùm in reſurrectione debeant reſtitui omnes partes materiæ, quæ aliquando fuerunt de veritate naturæ humanæ?

§.1. *Pars affirmans.*

§.2. *Pars negans approbatur.*

§.3. *Soluuntur fundamenta aduerſaria.*

Articu-

Articulus IX. Vtrùm reſurgere debeamus in illa materia, quam tempore mortis habebamus?
§.1. *Explicatur, & confirmatur vera opinio.*
§.2. *Adducuntur opiniones contrariæ, & refelluntur.*
Articulus X. Vtrùm reſurgemus in tota illa materia, quam tempore mortis habebamus?
§.1. *Ponitur reſolutio.*
§.2. *Ponitur difficultas; & adducuntur variæ ad illam reſponſiones.*
§.3. *Ponitur vera illius reſolutio.*
Articulus XI. Vnde ſumenda ſit materia, quando ea, quæ fuit in vita, non ſatis eſt ad ſtaturam in qua iuſtus eſt reſurrecturus?

QVÆSTIO QVARTA.

De forma ſubſtantiali, in qua ſumus reſurrecturi.

Articulus I. Vtrùm omnes reſurgent in eadem numero anima rationali, quam in vita habuerunt?
Articulus II. Vtrùm ſuppoſita pluralitate formarum ad veram reſurrectionem neceſſe ſit, vt omnes reſurgant cum iiſdem numero formis ab anima rationali diſtinctis?
§.1. *Refertur opinio, quæ negat.*
§.2. *Opinio affirmans eſt amplectenda.*
§.3. *Solutio argumentorum in oppoſitum.*

QVÆSTIO QVINTA.

De natura humana, & toto compoſito.

Articulus I. Vtrùm omnes reſurgemus in eadem numero humanitate; & in eodem numero ſuppoſito?
6. §.1. *Sententia affirmans probatur, & expenduntur illius fundamenta.*
§.2. *Adducitur argumentum in contrarium, & diſſoluitur.*
Articulus II. Vtrùm in reſurrectione redeat eadem numero vnio animæ, & corporis?
§.1. *Referuntur diuerſæ opiniones.*
§.2. *Reſoluitur quæſtio adhibitis nonnullis concluſionibus.*
Articulus III. Vtrùm reditura ſit eadem numero exiſtentia?
§.1. *Ponitur ratio dubitandi pro parte negante.*
§.2. *Reſoluitur pro parte affirmante, & expenduntur vera illius fundamenta.*
§.3. *Soluuntur, quæ rationem dubitandi faciebant.*

QVAESTIO SEXTA.

De integritate membrorum corporis glorioſi.

Articulus I. Vtrùm iuſti ſint reſurrecturi cum perfecta membrorum integritate?
§.1. *Quid intelligendum ſit nomine membri?*
§.2. *Affirmatio neceſſariò eſt probanda.*
Articulus II. Vtrùm reſurgemus cum capillis, & vngibus?
§.1. *Ponitur ratio dubitandi.*
§.2. *Reſoluitur affirmatiuè.*
Articulus III. Vtrùm in reſurrectione detur ſexuum diuerſitas?
§.1. *Primus error, quòd nullus ibi ſit ſexus.*
§.2. *Alius error, quòd ſolùm erit ſexus virilis.*
§.3. *Vnuſquiſque reſurget in proprio ſexu, quem in vita habuit.*
§.4. *Soluuntur argumenta primi erroris.*
§.5. *Soluuntur argumenta erroris ſecundi.*
Articulus IIII. Vtrùm membra reditura ſint cum eadem numero materia, & forma?

QVAE-

QVAESTIO SEPTIMA.

¶ *De humoribus primarijs corporis humani.*

Articulus I. Vtrùm in reſurrectione reſtituendi ſint quatuor humani corporis humores?
§.1. *Qui nam ſint iſti quatuor humores primarij?*
§.2. *Ponuntur argumenta pro parte negante.*
§.3. *Reſoluitur pro parte affirmante.*
Articulus II. *Vtrùm cum ſanguine reſurgemus?*
§.1. *Ponitur ratio dubitandi.*
§.2. *Eligitur affirmatio.*
Articulus III. Vtrùm omnis ſanguis in reſurrectione ſit reſtituendus?
§.1. *Variæ ſanguinis diuiſiones.*
§.2. *Reſolutio difficultatis.*
Articulus IIII. Vtrùm reſurgemus cum pituita, bili, & Melancholia?

QVÆSTIO OCTAVA.

¶ *De humoribus ſecundarijs.*

Articulus vnicus. Vtrùm reſurgemus cum his humoribus?
§.1. *De diuiſione horum humorum.*
§.2. *Ponitur vera reſolutio.*
§.3. *Explicantur obiectiones.*

QVAESTIO NONA, ET VLTIMA.

De ſpiritibus.

Articulus vnicus: Vtrùm reſtituendi ſint nobis ſpiritus?
§.1. *De diuiſione ſpirituum.*
§.2. *Reſoluitur pars affirmatiua.*
§.3. *Vtrùm ijdem numero ſpiritus ſint reſtituendi?*

FINIS.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE PERFECTIONE SVBSTANTIALI CORPORIS GLORIOSI.

PRAEFATIO.

1. Ordo dicẽdorum. CONSTITVIMVS lib. 1. in corpore glorioſo dari aliquas perfectiones, tàm naturales, quàm ſupernaturales: conſequenter agendum erit de ſingulis illius perfectionibus. Cum verò in illo reperiantur perfectiones tàm ordinis naturalis, quàm ſupernaturalis; & ordo naturæ poſtulet, vt priùs agamus de perfectionibus ordinis naturalis, vt in præfatione ad iſtum tertium tomum iam oſtẽdimus; ideò ab hoc ſecundo libro ineunda eſt diſputatio de perfectionibus, quæ ſunt ordinis naturalis, quam lib. 2. 3. & 4. abſoluemus; vt tandem in vltimo lib. de ſupernaturalibus perfectionibus diſputemus.

2. Multiplex ꝑfectio corporis. Cum verò multiplex ſit perfectio naturalis, quæ in corpore glorioſo reperitur; quia aliæ perfectiones ſunt ſubſtantiales; & aliæ accidentariæ; priùs diſputãdum erit de ijs, quæ ſunt ſubſtantiales: deinde de illis, quæ ſunt accidentariæ. Et de perfectione ſubſtantiali diſputabimus in hoc 2. libro; de accidentaria verò dicemus lib. 3. & 4.

3. Ordo in 2. libro. Diſputaturi in hoc 2. libro de perfectione ſubſtantiali ordinis naturalis; vt diſtinctẽ procedamus, aduertimus duplicem reperiri in quolibet corpore ſubſtãtialem compoſitionem: vnam eſſentialẽ; qualis eſt compoſitio materiæ, & formę: alteram integralem; quæ eſt ex partibus integrantibus; vel homogeneis; qualis reperitur in corpore ſimplici: vel etherogeneis, quales reperiuntur in corpore viuente, animalibusque perfectis. In hoc igitur libro agemus de vtraque corporis compoſitione: cum verò partes eſſentiales corporis humani priores ſint, quàm integrales; priùs de illis agemus: deinde de integrantibus. Et eadem ratione priùs agemus de materia, in qua corpora glorioſa ſunt reſurrectura: deinde dicemus de forma ſubſtantiali, in qua debent reſurgere: etenim materia ſupponitur ad formam.

Sed ante triplicem iſtam diſputationem, duas quæſtiones præmittemus, quę 4.
ad cæteras omnes præſupponũtur. Quarum prima inquiret; an iuſti ſint reſurrecturi in corpore ſpirituali? an in verè corporeo? Secunda autem perquiret, in quali nam corpore reſurgent? an ſcilicet reſurgent in corpore verè carneo, & humano? explicatis autem his duabus quęſtionibus, explicabimus eas, quæ agunt de partibus corporis tàm eſſentialibus, quàm integrantibus.

QVÆSTIO PRIMA.

An iuſti reſurrecturi ſint in corpore materiali; an verò in ſpirituali?

ARTI.

ARTICVLVS VNICVS.
De eadem quæſtione.

1. Varij errores. DE hac quęſtione iam egimus in 1. tom. lib. 4. de formali beatitudine q. 5. art. 2. §. 2. per totum: vbi diximus, fuiſſe nonnullos, qui docuerunt, iuſtos reſurrecturos in ipſis quidem corporibus, quæ in vita habuerunt; illis non manentibus intra ſpeciem corporis, ſed in aliam ſubſtantiam commutatis. Hi auctores non cōueniunt in modo huius cō-
Primus error. mutationis, vt in varijs D. Auguſtini locis ibidem collegimus; quidam enim dixerunt, in reſurrectione carnem iuſtorū conuertendam eſſe in Dei ſubſtantiam: ita nonnullos exiſtimaſſe refert *D. Auguſt. epiſt. 6. cuius verba adduximus in d. §.*
2. error. 2. n. 29. Alij docuerunt, carnem noſtram conuertendam quidem eſſe in aliquam ſubſtantiam ſpiritualem; non tamen in diuinam; ſed in ſubſtantiam quandam ſpiritualem, qualis eſt ſubſtantia mentis noſtræ. Hanc ſententiā nonnullis placuiſſe, refert idem *P. Auguſt. epiſt. 111. & 112.*
Fundamentum. *c. 21.* cuius verba adduximus in d. *n.* 29. & 30. Vtriuſque huius erroris fundamē tum ſumitur ex verbis Pauli 1. Corinth. 15. n. 45: *Seminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale.*

2. Vtraque opinio erronea. Sed vtramque opinionem continere errorem contra fidem iam oſtendimus in d. §. 2. n. 31. cum ſequentibus; & contra vtrūque adduximus ſymbolū fidei, diffinitionem Clementis Papæ, Concilium Toletanum quartum, & vndecimum; Concilium etiam Lateranenſe ſub Innocentio tertio, & verba Iob. 19. P. Auguſtinum: imò etiam euidentem rationem, qua vterque error euidenter impugnatur. Vide quæ ibi diximus.

3. Ad locum Pauli 1. Corinc. 15. Verba autem Pauli in contrarium adducta nihil obſtant: imò catholicam ſententiam confirmant; dum aſſerunt, ſurrecturum fore corpus, ſpirituale tamen. Non dicitur autem ſpirituale, quaſi ſubſtantialiter tranſierit in ſpiritum: ita enim fieret, vt iam non eſſet corpus; cum tamē Paulus illud corpus appellet. Paulus igitur ibi duplex diſtinguit corpus: vnum animale; alterum ſpirituale; vt patet ex verbis immediatè ſequentibus: *ſi eſt corpus animale; eſt & corpus ſpirituale.* Corpus autem animale (vt Paulus ibidē explicat) ideò dicitur animale; quia à primo Adamo productum eſt, & genitum cum anima viuente; vita ſcil. naturali: ſpirituale verò; quia à ſecundo Adamo (ſcilicet à Chriſto Domino) regeneratum eſt in ſpiritu viuificante: ita enim addit: *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem:* Quid corpus animale? vita. ſ. naturali, & mortali: *Nouiſsimus autem Adam in ſpiritum viuificantem.* Corpus igitur ex Paulo dicitur animale; quatenus pertinet ad Adamum, qui à Deo Quid ſpirituale. factus eſt in vitam naturalem: ſpirituale verò dicitur; quatenus factum eſt à ſecūdo Adamo, qui ſpiritu omnia viuificat. Hæc eſt literalis illorum verborum explicatio à Paulo intenta. Ad quam reduci debent cæteræ explicationes, quæ à Patribus, & interpretibus ſacræ Scripturæ communiter adducuntur. Inter quas optima eſt explicatio Patris Auguſtini in d. epiſt. 111. vt corpus reſurgens dicatur ſpirituale propter ineffabilem quandam facilitatem, ſeruans tamen ſubſtantiam corporalem. Vel quia in omnibus ſpiritui ſubditur, nec iam corporali cibo; & ſubſtentatione vtitur, vt ait Gloſſa. Vel denique; quia ſubtile erit, & leue, vt cōmuniter refertur ex *Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio, Photio; Ambroſio, Anſelmo. & pluribus alijs.*

QVÆSTIO II.

An iuſti reſurgent in corpore verè carneo, & humano?

ARTICVLVS VNICVS.
De eadem quæſtione.

§. 1.
In quibus ſit poſita perfectio eſſentialis corporis glorioſi?

VT in hac perobſcura quæſtione clariùs procedamus, aduertendū eſt, perfectionē ſubſtantialem cor- 1. De perfectionibus eſſentialibus corporis glorioſi. poris glorioſi poſitam eſſe in omnib⁹ ijs, quæ ex parte corporis ſunt per ſe neceſſaria, vt beatus reſurgens nō ſolùm ſit homo; & itē ille ipſe homo, qui fuit mortu⁹, ſed etiā, vt ſit is ipſe homo ſubſtantialiter pfect⁹: agimus enim de hominib⁹, qui ex mortuis ad vitā beatā glorioſi reſurgent;

Contra 3. quorũ reſurrectio non ſolùm debet eſſe vera(quòd beatis cõmune erit cum damnatis) ſed etiam debet eſſe omnibus numeris perfecta. Hoc poſterius ſatis colligitur ex Paulo 1.*Corint.*15: agens enim de iuſtorum reſurrectione docet, quod iuſti immutabuntur,& reſurgent in gloria: hæc autem immutatio omnem corporis perfectionem, ſecluſo quocunque defectu, includit. Illud verò prius inde patet; quia vt hominis reſurrectio ſit vera; opus eſt, vt qui reſurgit, prius fuerit mortuus; & reſurgat idem ipſe,qui mortuus fuit: quod tanquam in fide certiſsimum, ſupponimus. Quare ea ſunt de eſſẽtiali perfectione corporis glorioſi,quæ requiruntur ex parte corporis, tùm vt reſurgens ſit homo; tùm vt ſit ipſè homo, qui mortuus eſt;tùm denique, vt ſit perfectus homo.

2. In his omnibus cõueniunt etiam hæretici,qui perfectam iuſtorum reſurrectionem agnoſcũt,vt omittamus eos,qui putant, homines non reſurrecturos, niſi in eadem mortalitate,quam habuerũt: quorum ſententia nec digna eſt, quæ impugnetur; cum apertiſsimè repugnet verbis Pauli 1.Corint.15. & ſæpè alibi.

3. Quæ partes exigantur vt reſurgens ſit verè homo.

Eſt tamen contentio non parua, quænam partes corporis per ſe exigantur, vt reſurgẽs ſit verè homo, & is ipſe,qui fuit in mortuis. Nam qui hæretici cum Origene exiſtimant, beatorum corpora nequaquam futura eſſe carnea, ſed longè alterius rationis ab ijs,quæ mortales habuerunt; putant ad id ſatis eſſe quamcunque materiam,cuiuſcunque illa ſit rationis: ſiue illa ſit materia cœleſtis, ſiue originaria, & primordialis quatuor elementorũ, in quam corpus per mortem fuit reſolutum.

Satis eſſe quantamq; materiã dicunt hæretici.

4. Aliorum opinio.

Ex Catholicis verò, qui ſecundùm fidem docent,beatorum corpora futura eſſe verè humana; quidam putant ad identitatem numericam reſurgentis minimè eſſe neceſſarium,vt in eadem numero materia reſurgat, in qua moriendo cecidit; quæ eſt aliquorum ſententia. Alij addũt (ſi credendum eſt Suario 2.tom.diſp.44. ſect.1.in principio) nec etiam eſſe neceſſarium, vt reſurgens reſurgat in eadem numero forma ſubſtantiali,totali,vel partiali, excepta anima rationali; ſi præter eam,aut plures animæ,aut plure ſubſtantiales formæ, totales, aut partiales in eodem compoſito admittantur. Porrò cõmunis & vera ſententia firmiter docet, vt reſurgens ſit ipſe idem numero, qui per mortem cecidit,non ſolùm habiturũ eſſe eandem numero rationalem animã, ſed eandem numero materiam,quam habuit in vita, & eaſdem numero ſubſtantiales formas, ſi plures in ſubſtantiali cõpoſito admitti debent. Et hanc ſententiam putamus eſſe veriſsimam: ex qua inferimus, de perfectione eſſentiali corporis glorioſi eſſe, vt conſtet ex eadem numero materia, actuata eadem numero forma,quam habuit in vita.

Variæ opiniones quænam materia requiratur.

Vera ſolutio.

5. Contra opiniones præcitatas.

Sed vt hæc omnia fiant euidentiora; primò oſtendemus contra hæreticos,beatum reſurgentem, niſi in corpore verè humano, & carneo reſurgat, non ſolùm non eſſe futurum ipſum, qui cecidit; ſed nec etiam hominem. Deinde contra Durandum, & quoſdam alios mõſtrabimus, vt quis is ipſe reſurgât,qui fuit mortuus, omnino eſſe neceſſarium,vt in eadem numero materia, formaque reſurgat, in qua vixit. Poſtremò;opus eſſe,vt reſurrectio ſit perfecta,quod beatus reſurgat in perfectiſsima naturæ humanæ ſubſtantiali integritate.

§. 2.

Referuntur varij errores, & eorum fundamenta.

6. Varij errores.

EXplicaturi igitur,in quonam poſita ſit eſſentialis perfectio corporis glorioſi; primo loco agemus contra eos hæreticos,qui volunt corpora iuſtorum reſurgentium, futura non eſſe carnea,aut humana;ſed longè alterius rationis, & naturæ ab ijs, quæ morte ceciderunt. Quare negant eſſe de eſſentiali perfectione corporis beati eſſe corpus hũmanum,& carneum.Licet autem in propoſito errore generaliter conueniant; nõ tamen ſatis conſentiunt in explicandis corporibus in quibus volunt, iuſtos reſurrecturos fore. Singulorum errores referemus.

7. 1.error Valentini. *Epiphan.*

Primus error fuit Valentini, & ſequacium: is enim, teſte Epiphanio *hæreſi* 5.*fol.*77.*pagina* 1. in hoc ſenſu negabat reſurrectionem; quia exiſtimabat, non omnes mortuos eſſe reſurrecturos: tres enim hominum ordines ponebat; ſpiritua-

ritualium. ſcil. animalium, & carnalium. Carnales dicebat perituros fore ſimul cũ corpore, & anima, vtraque corporis ſubſtantia reſoluta in prima principia, vnde erat. Animales autem, ſi non carnaliter vixiſſent, corpora nunquam reſumpturos; & tradendos eſſe Angelis in ſponſas. Spirituales verò reſurrecturos quidem; in quodam tamen corpore ſpirituali, à priori (quod fuit in vita) longè diuerſo: Hæc Epiphanius.

8. 2. error Origen. Secundus error fuit Origenis; qui in pleriſque ſuæ doctrinæ locis; & maximè lib. 4 de reſurrectione, & in commentarijs ad 1. Pſalmum, exiſtimauit, beatos eſſe quidem reſurrecturos; ſed non in corporibus carneis; ſed naturæ æthereæ, ſeu aereæ, ita de Origene refert *Proclus, & ex Proclo Methodius, & ex vtroque Epiphanius hæreſi 64: de Proclo quidem fol. 250. pag. 2. de Methodio verò fol. 230: ipſe verò Epiphanius fol.* 236. Idem de Origene iterum refert *Epiphanius in Anchorato folio* 534. Expreſsiùs de Origene id teſtatur *D. Hieronymus epiſtol. 61. ad Pamachium contra errores Ioannis Ieroſolymitani*, qui Origenis errorem probauit. De Origene idem referunt *Iſidorus in lib. de doctrina, & fide cap. 6. & Theophylactus* 1. *Corint.* 15. *ad illa verba: Seminatur corpus animale.* Et quanuis Euſebius Pamphylus in Apologia pro Origene apud D. Hieronymum tom. 9. eum ab hoc errore nitatur liberare; tamen ex citatis Patribus cõſtat, Origenem conceſsiſſe quidem reſurrectionem corporum; non tamen carnis; & ob id à pleriſque dicitur, negaſſe reſurrectionem, vt ex Proclo expreſſè refert *Epiphanius in d. hæreſi 64. fol. 249. pag. 1. ad finem*: & ita ceſſat dubitatio Caſtri verbo *reſurrectio* hæreſi 1. & 3. vbi dubitat, an Origenes reſurrectionem cõceſſerit; an negauerit?

Proclus. Method. Epiphan. Hieron. Iſidorus. Euſebius. Epiphan. Caſtro.

9. 3. error Euthitij. Tertius error fuit cuiuſdam Euthytij Epiſcopi Conſtantinopolitani, quem refert *D. Gregorius lib. 14. Moralium. c. 31. 32, & 33*: is igitur docebat, iuſtos reſurrecturos quidem in corporibus; non tamen carneis, ſed alterius naturę inuiſibilis. ſ. & impalpabilis, atque ſubtilioris vento, & aere; quem eũdem errorẽ ex quibuſdam alijs refert *Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei c. 20. & in libr. ſexaginta quinque Dialogorum quæſt.* 20.

Gregor. Auguſt.

Quid tamẽ iſti hęretici ſenſerint de corpore reſurgentiũ; an habitura ſint ſuã ſubſtantiam ex materia generabiliũ; vel ex alia cœleſti; aut certè ex materia, quæ ꝓpriè quãtitati nõ ſubiaceat; hæc, inquã, nõ cõſtãt apud Suariũ 2. tom. diſp. 48. ſec. 1. poſt princ. nec ipſi, vt ait, fortaſſè, aut explicarũt, aut intellexerũt. Quod tamẽ iudiciũ de Valentino, & Euthytio facilè ꝓbarem; etenim ex ijs, quæ de ipſis ſcribũtur, nõ facilè colliges, cuiuſnã rationis futura ſit materia iuſtorũ reſurgentium. At tamen, quod attinet ad Origenẽ, ſi Suar. Hieronymũ legiſſet, haud dubiè dixiſſet, eũ ſenſiſſe, corpora Sanctorũ futura eſſe ex hac materia generabiliũ: ille enim, teſte *D. Hieron. in d. epiſt. 61. ad Pamach. c. 8.* ita philoſophatur, vt dicat, corpora humana ex quatuor notiſsimis elementis cõpoſita eſſe; & in ea, tanquã in ſua prima principia, ſubſtantiasq; matrices, per mortem reſolui: carnẽ. ſ. in terram; halitũ in aerẽ; humorẽ in aquam; calorẽ deniq; in ignẽ. Et indè inferebat, carnem, & ſanguinem, mortuo homine, non omnino perire, ſed in originalibus materijs, tanquã in quodã mortuorũ ſeminario, reſeruari; itavt ex illis amplius cõpago humani corporis ſeparari nequeat: vnde aſſerebat, mortuos reſurrecturos quidem in corporibus; cõpoſitis tamen ex illis primordialibus materijs. Ex quibus liquidò conſtat ex ſententia D. Hieronymi, Origenem admiſiſſe in beatis corpora eiuſdem materiæ cũ elementis, & ſubinde eiuſdem materiæ cum generabilibus, & corruptibilibus. 10.

Quid de Euthitio. Quid de Origene.

Sed quicquid ſit de ſententia horũ hæreticorũ circa rationem materiæ corporum, in quibus reſurrectionem admittũt; omnes in hanc ſententiam conſpirant, vt corpora reſurgentium nec carnea futura ſint, nec humana. Cuius erroris hæc ſunt fundamenta. 11.

Hi hæretici cõueniũt quod non ſint futura carnea.

Primum; quia ex Paulo 1. Corint. 15. *Caro, & ſanguis regnum Dei non poſsidebũt.* 12. Primum.

Deinde; ex eodem Paulo ibidẽ: *Quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas; ſed nudum granum.* Ergo corpus, quod in reſurrectione futurum eſt, aliud erit ab eo, quod per mortem ſeminatum eſt. 13. Secundum.

Tertiò ex eodem Paulo in eodem capite: *Seminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale.* At quod ſpirituale eſt, longè diuerſum eſt à corpore animali. 14. Tertium.

Quartò; quorſum in corpore organi-
15. Quartum. co reſurgent; quod ſuarum partium actiones obire non debet?

Quintò arguunt ex eodem loco: pri-
16. Quintum. mus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cœlo cœleſtis: qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœleſtis; tales & cœleſtes.

Poſtremò addimus; quoniam corpus
17. Vltimum. glorioſum dotabitur qualitatib⁹ omnino cōtrarijs naturę noſtri corporis: erit enim ſpirituale, incorruptibile, diaphanum, penetrabile, alijsque huius generis qualitatibus exornatum; quæ noſtro humano corpori omnino contrariantur, & repugnant. Ergo nec erit humanũ corpus; nec eiuſdem naturæ cum eo, in quo decedemus.

§. 3.

Explicatur, & confirmatur ſententia catholica.

18. Sententia catholica. His tamen non obſtantibus, veritas catholica ſēper obtinuit, corpora iuſtorum reſurgētium futura eſſe verè humana, & ſubindè carnea, eiuſdēq; rationis cum illis, in quibus ceciderunt. Quare hæc perfectio corporis ad ſubſtātialē illorũ corporũ pfectionē pertinebit.

Hanc veritatem omnes Theologi docuerunt cum *Magiſtro in 4. diſt.* 44. vbi D. Thomas cum cæteris omnibus; & hāc veritatem eſſe catholicam omnes profitentur; videndus eſt *Caſtro aduerſus hæreſes verbo Reſurrectio*, hæreſi 1. & 2.

19. Probatur ex Symbolo. Clemens. Id euidentiſsimè cōfirmatur ex Symbolo Apoſtolorum: *Credo carnis reſurrectionem*: quæ verba Clemens Papa in 1. epiſt. ad Iacobum ita declarat: *Credo reſurrectionem humani generis in eadem carne in vitam æternam futuram.* Et quòd in eadē carne, qua viuimus, omnes nos eſſe reſurrecturos diffiniuit *Concilium Toletanum* Conc. Tol. 4. Lateran. *quartum c. 1. in confeſsione fidei: & Conciliũ Toletanum vndecimum in eadem fidei profeſsione ad finem: & Concilium Lateranenſe ſub Innocentio 3. c. 1. relatum in cap. firmiter extra de ſumma Trinitate.* Nos eſſe reſurrecturos in corpore humano docuit *Cyrillus cum Synodo Alexandrina in epiſt.* Cyrillus in Cōc. Epheſino. Iob. 19. *ad Neſtorium probata in Concilio Epheſino; & in plerisque alijs.* Id ſatis explicauit Iob c. 19: *Scio, quòd redemptor meus viuit; & in nouiſsimo die ſurrecturus ſum; & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorē meum.* Quibus accedunt verba Ezechielis 37. de reſurrectione oſſium aridorũ: qui locus etſi ad literam de renouatione populi Iſraelitici intelligatur; à pleriſque tamen etiam intelligitur de reſurrectione generali. Accedit etiā, quod hæc veritas non obſcurê colligitur ex verbis Chriſti Domini Luc. 21: *Capillus de capite veſtro non peribit*: quia nimirum omnes humani corporis partes in reſurrectione ſunt reſtituendæ. Ezech. 33. Luc. 21.

Hæc veritas pluribus etiam rationi- 20.
bus confirmari poteſt. Prima ſumitur ex 1. ratio.
reſurrectione Chriſti Domini, qui ſurrexit in corpore verè humano, & carneo; ſicut verba Chriſti oſtendunt Lucæ 24: *Videte manus meas, & pedes: quia ego ipſe ſum: palpate, & videte; quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet; ſicut me videtis habere: & cum hæc dixiſset, oſtendit ei manus, & latus.* ¶ Huius argumenti vim triplici via, fruſtra tamen, hæretici nitūtur elidere. Nam vel negant veritatem carnis in Chriſti corpore, admittentes ſolùm apparentiam carnis putatiuæ; vel eam ſolùm agnoſcunt pro tempore, quo cum diſcipulis conuerſaturus ſuam reſurrectionē volebat illis perſuadere: vel ſi etiam in cœlo veritas carnis agnoſcenda eſt in Chriſto; negant eandem etiam in Chriſti, & noſtra reſurrectione dari rationem. Primam ſolutionem Origeni; & Eutycio probatam fuiſſe, colliges ex *D. Hieronymo vbi ſuprà c. 8. & 13. & ex D. Gregorio loco citato cap.* 31. Secundam probaſſe Eutycium expreſſè aſſerit D. Gregorius ibidem. Tertiam denique ſcripſiſſe Origenem ex Methodio refert *Epiphanius in d. hæreſi 64. fol. 250. pag. 2. C.* ¶ Sed fruſtra iſta commentantur hæretici: nam primam ſolutionem latè impugnant Hieronymus, & Gregorius in locis citatis: quomodò enim veritatem reſurrectionis ſumma veritas confirmaret falſa rerum apparentia? ¶ Secundam adeò euidenter falſitatis conuicit D. Gregorius, vt ipſe Eutycius manus dederit, teſte eodem Gregorio in d. cap. 31. Et meritò ſanè: quia in Chriſto reſurgente nulla iam erit admittenda ſubſtantialis mutatio: nam vt ait Paulus ad Romanos 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur*: deſitio autem ſubſtantialis corporis viuentis, mors eſt.

Luc. 24. 21. Tres hæreticorum ſolutiones. Hieron. Gregor. Epiphan. Impugnatur primò. Contra 2.

¶ Porrò

Contra 3. ¶ Porrò tertiam ſolutionem inde euidenter expugnabimus; quia cōſtat, Chriſti reſurrectionem eſſe noſtræ reſurrectionis exemplar, vt in primo libro iam oſtendimus: vnde Paulus 1. Corint. 15. ex reſurrectione Chriſti, tanquam ex cauſa exemplari, noſtram reſurrectionē comprobauit; vnde ſatis docet valere cōſequentiam à reſurrectione Chriſti ad noſtram reſurrectionem.

22. Secunda ratio contra hæreticos. Secunda ratio ſumitur ex eo, quòd hæretici, contra quos agimus, nobiſcum cōcedunt, iuſtos reſurgentes eſſe verò homines. Iam verò Philoſophia ſatis docet, quòd ſicut anima non poteſt nō eſſe actus corporis organici, & anima rationalis actus corporis humani; ita homo non poteſt non conſtare ex anima rationali, & corpore humano: ex quibus partibus cōſtituitur humanitas.

23. 3. ratio. Tertiò accedit; quoniam damnati reſurgunt in corpore verè humano, & carneo, vt ſupponimus. Cur ergo iuſti in corpore verè carneo, & verè humano non reſurgent? etenim inter horum, & illorū reſurrectionem hoc ſolùm intereſt; quòd mali non immutabuntur; bene tamen iuſti, ex Paulo 1. Corint. 15: *Omnes quidem reſurgemus; ſed non omnes immutabimur.* 1. Cor. 15.

24. 4. ratio. Poſtremò ſinguli errores, quos retulimus, potiùs videntur continere nugas, quàm opiniones: ſicut aduerſus Valentinum Epiphanius, & cæteri Patres annotarūt: etenim verè fabulatur Valentinus, dùm tres ordines hominum conſtituit; & dùm præter corpus hoc exterius, & viſibile, fingit aliud interius, & latens, quod ſit ſpirituale, & inuiſibile. Origenes autem etiam delirat, dum ait, iuſtos reſurgere in corpore materiæ originariæ: nam ſi corpus reſurgentium compaginatur ex omnibus quatuor elementis (quæ appellat materiam originariam) vel compaginatur ex illis non compactis; ſed diſſutis: vel ex illis inter ſe compoſitis. Si detur primum, iam non dabitur vnum corpus, ſed plura: ſi verò detur hoc poſteriꝰ; iam tale corpus erit miſtum; & ſubindè erit aliud à materia originaria. Cur igitur non erit corpus humanum? Eutychius verò non ſatis explicauit, cuius naturæ futurum eſſet corpus ſpirituale, quod fingit: nam cum ſit corpus, neceſſariò erit ex materia: Iam verò materia, cuiuſcūq; rationis fingatur, eſt corpora, & ſubiecta quantitati. Sed de hoc plura dici ſolent cōtra eos, qui Angelos faciūt corporeos.

Meritò igitur Catholicam veritatem contra præcitatos hæreticos cōmuniter Patres approbarunt. Nam contra Origenem ſpecialiter diſputat *Epiphanius hæreſi 64. per totam, vbi fol. 238. refert Methodium in lib. de reſurrectione contra Origenē; contra eundem diſputat idem Epiphanius in lib. Ancoratus, fol. 534. D. Hieronymus epiſtol. 61. ad Pamachium. Proclus relatus ab Epiphanio in d. hæreſi 64. fol. 240. pag. 2. Iſidorus in lib. de doctrina fidei cap. 6. Theophylactus in primam ad Corinth. 15. ad illa verba ſeminatur corpus animale.* ¶ Contra Eutychiū ſcribit *D. Gregorius lib. 14. Moralium cap. 31. 32. & 33. & Gloſſa ordinaria ad præcitata verba Iob. 19. In carne mea videbo Deum ſaluatorem meum.* Contra Valentinum vide Epiphaniū hæreſi 31. fol. 77. pag. 1. Denique contra omnes illos hæreticos pro catholica veritate ſcripſerunt *Clemens Papa lib. 5. Conſtitutionū Apoſtolicarum c. 8. vbi ex D. Petro ita ſcribit: Tales, quales modo ſumus, præſenti figurá, nihil mancum habentes; nihil corruptioni obnoxium; ſiquidem incorrupti, & integri reſurgemus. Et in epiſtola ad Iacobum loco ſuprà citato. Nazianzenus in tract. de Fide Nyſſena pag. 650. vbi ſcribit, hanc fuiſſe Concilij Nyſſeni fidem: Cyrillus Alexādrinus lib. 1. in Ioannem c. 9. pag. 627. & lib. 3. in Iſaiā c. 26. ad illa verba: Non cademus. Auguſtinus mille in locis: lib. 13. de Ciuitate Dei c. 20. & libr. 22. c. 5. & 21. de Fide, & Symbolo c. 6. in Enchyridione c. 91. & libr. 6. de Geneſi ad literam cap. 19. in tribus libris de Symbolo ad Cathecumenos, vide eum lib. 1. Retractationum c. 11. 17. & 22. D. Ambroſius de fide reſurrectionis, & in fragmento eiuſdem libri. Irenæus lib. 5. aduerſus hæreſes. D. Bernard. ſermone 81. in Pſalmū, Qui habitat,* vt innumeros alios Patres, tàm Græcos, quàm Latinos in re notiſſima omittamus.

25. Patres impugnāt hæreticos. Epiphan. Method. Proclus. Iſidorus. Theophyl. Gregor. Gloſſ. ord. Epiphan. Clem. Papa. Nazianz. Cyrill. Auguſt. Ambr. Irenæus. Bernard.

§. 4.

Soluuntur argumenta hæreticorum.

Nec argumenta hæreticorum adducta §. 2. quidquam faciunt. Ad primum dicimus, Paulū corruptionem carnis, & ſanguinis appellaſſe carnem, & ſanguinem: ſtatim enim addit: 26. Ad 1. explicatio.

Nec corruptio incorruptionem poſsidebit: vt ſit ſenſus: Caro, & ſanguis, quandiù in corruptione fuerint, regnum Dei non poſsidebunt: ſecus verò cum incorruptionem induerint. Itaque à regno Dei nō ſubſtantia carnis excluditur, ſed qualitas, & conditio carnis. Ita *D. Hieronymus in d. epiſt. 61. c. 14. Auguſt. lib. 1. retractationum c. 17. in fine, de fide, & ſymbolo cap. vltimo in fine, in Enchiridione c. 91. optimè lib. 11. contra Fauſtum c. 3. & lib. 2. contra aduerſarium legis cap. 6. Et hæc eſt communior explicatio Patrum, quam probat D. Thomas in eodem loco in 3. expoſitione, & Suarius 2. tom. diſp. 58. ſect. 1. dùm agit de dote impaſsibilitatis.* (Hieron. Auguſt. D. Thom. Suarius.)

27. (2. explicatio. Gregor.) ¶ Non eſt aſpernenda explicatio, quæ nomine carnis, & ſanguinis intelligit carnis, & ſanguinis opera, id eſt vitia: ita *D. Gregorius 14. Moralium c. 31. & author libri ſexaginta duarum quæſtionum apud Auguſtinum tom. 4. q. 20. Probat etiam D. Thomas in eodem Pauli loco.* (Auguſt. D. Thom.)

28. (3. explicatio Caiet.) ¶ Denique alij per carnem, & ſanguinem intelligunt carnem, & ſanguinem, vt exercent propria, & naturalia carnis, & ſanguinis opera; ita *Caiet. in eodem loco*; quæ explicatio ad primam accedit, quæ videtur illius loci literalis.

29. (Ad 2.) Ad ſecundum argumentum dicimus, ex illo loco Pauli potiùs pro nobis ſumi argumentum contra aduerſarios: Paulus enim exemplo naturali ſeminis nititur oſtendere, fieri poſſe, vt id, quod fuit mortuum, in eadem quidem ſubſtantia; melius tamen exornata reuiuiſcat: nam ſemen, quod ſeminatum corrumpitur, rùrſus in eadem ſeminis ſubſtantia, diuerſo tamen modo exculta, & ornata redit; & ad hunc ſenſum docet, non ſeminari, quod futurum eſt; quia quod ſeminatur, quanuis eiuſdem ſit ſubſtantiæ cum eo, quod futurum eſt; non tamen eſt eiuſdem qualitatis: granum enim nudum ſeminatur; pullulat tamen eiuſdem ſubſtantiæ triticeæ; culmo tamen, & ariſtis veſtitæ. Cur igitur corpus humanum, cùm per mortem in ſepulchro ſeminatur mortale, non poterit in eadem corporis ſubſtantia, melioribus tamen conditionibus exornata, diuinitus reparari, & reſurgere? Fieri ergo poteſt, vt corpus humanum reſurgat qualitatibus quidem, aliud; ſubſtantia tamen idem. Quem ſenſum confirmant illa alia verba: *Deus autem dat illi corpus, ſicut vult; & vnicuique ſeminum proprium corpus*, vt ſignificet, ſemen, quod ſeminatum emoritur, & ſi qualitatibus reſurgat aliud; in proprietate tamen ſubſtantiæ, reſurgit idem. Hæc eſt vera illius loci interpretatio: de qua *D. Gregorius libr. 14. Moral. c. 32. Tertullianus in lib. de reſurrectione carni. cap. 52. Gloſſa ordinaria, & interliniaris: Hieronymus, Ambroſius, & cæteri omnes interpretes, cum D. Thoma, Lyra, Caietano, & reliquis.* (Gregor. Tertull. Gloſſa. Hieron. Ambr. D. Thom.)

¶ Sed dices; ſemen non reſurgit idem numero in ſubſtantia, ſed ſolùm idem in ſpecie: fatemur ſanè; at dicimus, Paulum illo ſeminis exemplo, ideò vſum fuiſſe, vt oſtenderet, fieri poſſe, vt corpus humanum mortuum diuina potentia poſsit reſurgere in eadem naturæ humanæ proprietate; melioribus tamen conditionib': quod negabant ij, contra quos agit. Ex quo aduerſarios omnino reuincimus, qui negant, non tàm identitatem numericam corporis humani, quàm ſpecificam. 30.

31. (Ad 3.) Ad tertium dicimus, animale, & ſpirituale, de quibus agit Paulus, non eſſe differentias conſtitutiuas animalis, & ſpiritus; ſed eſſe differentias accidentales, quæ corpus poſſunt afficere. Quod ſtatim ſignificauit Paulus, dùm vtramque differentiam animalis, & ſpiritualis corpori accōmodat. Illud igitur corpus à Paulo dicitur animale, quod, vt viuat, indiget actionibus, quibus vita animalis conſeruatur; vt ſumptione cibi, & potus, nutritione, & alijs huius generis actionibus. Illud verò appellatur ſpirituale, quod ab his actionibus eſt liberum ad modum ſpiritus. Et hæc eſt communis huius loci explicatio, *Hieronymi, Ambroſij, Anſelmi, Lyræ, Diui Thomæ, & cæterorum interpretum. Adde Auguſt. lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 20. & lib. 1. retract. c. 17. & lib. 6. de Geneſi ad literam c. 29. & de Fide, & Symbolo cap. 6. denique in Enchiridione c. 91.* (Communis explicatio. Auguſt.)

32. (Ad 4.) Ad quartum dicimus, corpus glorioſum in Patria actiones illorum organorum habere, quæ imperfectionem non denotant; ſecus, ſi eam important: nec tamen organa ipſa erunt ſuperflua, vt in ſuis locis dicemus.

33. (Ad 5.) Ad quintu[m] reſpondetur, Chriſtum non ideò dici e[ſſ]e hominem, de cœlo cæleſtem, quod verè habeat corpus ex materia

teria cœleſti; ſed quia in carne terrena habuit ſpiritum cæleſtem: & hæc eſt cõmunis explicatio, & verè literalis, vt ex ſequẽtibus verbis ſatis patet: nam in hoc ſenſu iubet, vt in hac etiam vita portemus imaginem Cæleſtis Adami. Sed de hoc alibi latiùs: de hoc enim latiùs diſpu-
Suarius. tare pertinet ad materiam de Incarnatione verbi: interim vide *Suarium 1. tom. ad 3. p. diſp. 13. ſect. 3.*

34, Ad vltimũ. Ad poſtremum negandum eſt, qualitates, quibus dotabitur corpus glorioſum, eſſe contrarias, & repugnantes corpori humano. Quod ſuo loco diligentius expendemus.

QVÆSTIO III.

De materia, in qua corpora debent reſurgere.

DISPVTATIO de materia, quæ ad veram corporis reſurrectionem eſt neceſſaria, plures cõtinet difficultates; quas; vt ſine cõfuſione explicemus, hoc ordine pocedemus.

Primo loco inquiremus; Vtrùm cum eadem numero materia, quam viuentes habuimus, reſurrecturi ſimus?

Secundo diſputabimus; An id abſolutè ſit neceſſarium ad veram, & propriam reſurrectionem?

Tertio exquiremus; Vtrùm ad vnitatem materiæ ſatis ſit vnitas numerica formæ?

Quarto loco examinabimus; Vtrùm omnes debeamus reſurgere in eadem numero materia primigenia, ſiue primordiali, id eſt, in ea, quam in prima generatione à parentibus accepimus?

Quinto expendemus; Vtrùm in reſurrectione debeant nobis reſtitui omnes partes materiæ, quæ aliquando fuerunt in nobis de veritate naturæ humanæ?

Sexto; Vtrùm reſurgere debeamus in eadem numero materia, quam tempore mortis habebamus?

Poſtremo; Vtrùm in tota illa, quæ tempore mortis in nobis erat, debeamus reſurgere?

ARTICVLVS I.

Vtrùm cum eadem numero materia, quam viuentes habuimus, reſurrecturi ſimus?

§. 1.

Refertur pars negãs cum ſuis fundamentis.

PArtem negantem, quòd ſcilicet neceſſarium non ſit, vt in eadem numero materia reſurgamus, quam in vita habuimus, plerique tribuunt Origeni, & Durando *in 4. diſt. 44. q. 1. vt patet ex Suario 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſectione 2. §. Dubium ergo ſolùm eſt, pag. 805. colum. 1.* Eandem ſententiam quidam tribunt *Ioãni de Neapoli quodilb. 2. q. 6.* ad quam etiã, teſte Durando, vbi ſuprà num. 4. accedũt, qui putant, materiam primam nõ eſſe de quidditate rei materialis, ſed ſolam formam. 1. Pars negans

2. Quid ſenſerit Ioannes de Neapoli, neſcio; quia eũ non vidi. An verò ita ſenſerit Origines, ſatis eſt dubium: nam Origenem ſenſiſſe cum parte affirmante, conſtanter aſſerit Euſebius Pamphylus *in Apologia pro Origene apud Hieronymũ tom. 9. pagin.* 147. in qua eum cum Catholicis refert. Præterea, ſi vera ſunt, quę in præcedẽte ar. vnico §. 2. de Origine ex Hieronymo adduximus; Origenes longè eſt ab hac ſententia: Hieronymus enim ſcribit, docuiſſe Origenem, corpora noſtra mortalia reſolui in matrices ſubſtantias elementorum; & iuſtos in illis eſſe reſurrecturos: quod ſi verum eſt; iuſti in eadem numero materia reſurgent; quia eadem numero materia manet in genito, & in corrupto. Porrò, ſi vera ſunt, quę ex ex *Methodio de Origene ſcribit Epiphanius hæreſi 64. fol. 239. pag. 1. & 2*; Origenes ad hanc negantem ſententiam videtur accedere; quia expreſsè docet, in corpore: in quo debemus reſurgere, *non manere idem numero primum ſubiectum*: per primũ autem ſubiectum videtur intelligere materiam primam. Quare quid ſenſerit Origenes, non eſt mihi certum.

3. At qui putant, materiam primam non ingredi rei eſſentiam; non neceſſariò coguntur hanc negantem partem defendere; quidquid Durandus dicat: nam & ſi non

non admittunt materiam ingredi rei eſsẽtiam; admittunt tamen eam intrinſecè, & ſubſtantialiter componere ſuppoſitum, verbi gratia, Petrum; vt videre eſt apud eos, qui hanc ſententiam referunt, verbi
Soncin. gratia: *Soncinas 7. Metaphy. q. 12. Iauellus*
Iauell. *ibidem q. 3. & Suarius in Metaph. diſp. 36.*
Suarius. *ſect. 2. num. 1.* Poterunt igitur dicere (nec ſine probabilitate) vnitatem numericam eiuſdem hominis, non ſolùm eſſe ſumẽdam ab vnitate quidditatis, & formæ; ſed etiam ab vnitate materiæ: à qua iuxta ſẽtentiam Ariſtotelis, vnitas, & diſtinctio numerica principaliter ſumitur.

4. Solus Durandus pro parte negãte.

Solus igitur ſupereſt Duraudus, qui partem negantem probet: cui videtur aſſentiri *Suarius in Metaph. diſp. 5. ſect. 6. nu.* 8. dum ait; probabile eſſe interdum in reſurrectione eucturum, vt vni animæ detur integra materia, omnino diſtincta, & corpus diſtinctũ, quod informet, de hoc enim ibidem agit: vt ſi contingat, inquit, in hac vita, duas animas eaſdem numero materias informaſſe: poterat alteri earum dari alia materia: hæc Suarius. Ex quibus conſtat, eum cum ſententia Durandi cõuenire; quamuis non eodem ducatur fũdamento, vt videbimus. Eidem ſententiæ videtur conſentire *Aegidius in 2. diſt. 30. q. 2. art. 1. ad 5.*

Suarius videtur cum Durãdo eſſe.

5. 1. Huiuſopinionis confirmatio.

Hæc igitur ſententia ex mente Durãdi primò confirmatur: quia materia ex ſe nullam habet actualitatẽ; ſed eſt pura potentialitas. Ergo ex ſe nullam habet, aut vnitatem, aut diuerſitatem, ſed omnem habet à forma: & ſubinde à ſola forma debet dici eadem, vel diuerſa: & per conſequens compoſitum ſemper habebit eandem numero materiam, ſi ſemper eandẽ numero habuerit formam. Quare cum eadem numero anima redeat in reſurrectione, ſemper eadem redibit numero materia, quamuis illa nunquam fuerit in homine reſurgente.

6. Secunda.

Secundò ex eodem Durando: niſi tota vnitas materiæ, & compoſiti eſſet ex forma, animal facta nutritione non eſſet ſimpliciter idẽ, quod priùs; haberet enim aliam materiam, ſaltem ſecũdùm partem: conſequens tamen eſt contra Ariſtotelem, Damaſcenum, & philoſophicam rationem, vt ibi latè oſtendit.

7. Tertia.

Tertiò id ipſum confirmatur ex Origene apud Methodium relatum ab Epiphanio: quoniam materia Petri ſemper fluit: poteſt igitur inquiri; an in reſurrectione materia debeat eſſe eadẽ, quæ fuit in pueritia, an quæ fuit in iuuentute; an denique, quæ fuit in ſenectute?

Quartò; quia poteſt contingere, vt plu 8. Quarta.
res homines ſucceſsiuè habeant eandem materiam: non poterunt igitur reſurgere, niſi eadem numero materia ſimul ſit in illis omnibus: quod plures putant eſſe impoſsibile. Et quamuis id poſsibile foret; non tamen eſſet ſine miraculo; quòd admittere non eſt neceſſarium.

Poſtremò confirmatur; quia eadem 9. Vltima.
numero materia non eſt per ſe neceſſaria, vt reſurgens ſimpliciter ſit idem numero homo, qui cecidit. Adhuc igitur ſaluatur vera reſurrectionis ratio: antecedens probatur; quia iuxta communem loquendi modum, ſi animæ Petri vniatur corpus conſtans ex materia diſtincta à corpore, quod priùs habuit; quamuis compoſitum illud non ſit omni ex parte idem, quod antea fuit; tamen ſimpliciter loquendo, dicitur idem indiuiduum ratione animæ, Verba ſunt doctiſsimi *Suarii in dicta diſp. 5. ſect. 4. num. 3. quæ eodem fere modo repetit* Suar.
ſect. 6. num. 15. in principio, & n. 16. in fine. Hanc ſententiam inde cõfirmat; quia forma ſimpliciter cenſetur conſtituere ſpeciem; & ſimiliter hæc forma hoc indiuiduum ſub tali ſpecie. Quod adhuc cõfirmari poteſt; quia in ſubſtantialibus compoſitis ad identitatem ſatis eſt identitas formæ: nam ſi anima vna rationalis plura corpora, diuina potentia, informaret, diceretur vnus homo, & non plures, iuxta receptam ſententiam ex myſterio Trinitatis deductam. Eadem igitur ratione dicetur idem homo, ſi eadem anima diſtinctam materiã, & diſtincta corpora ſucceſſiuè informaret.

§. 2.

Aſſeritur pars affirmans

VT iſta quæſtio diſtinctiùs enucletur, aduertimus *Suarium in d. diſp. 44. ſect. 2. pag. 807. col. 2. §. Hæc difficulas pendet*, duplicẽ diſtinguere reſurrectionem: vnam perfectam, imperfectã alteram. Perfecta, vt ait, requirit identitatem, tùm formæ, tùm materiæ: cũ enim non ſolùm moriatur homo, ſed etiã corpus 10. Opinio Suarii de dupli ci reſurrectione.

pus; opus eſt, vt non ſolùm reſurgat idē numero homo, ſed etiam idem numero corpus, in eadem numero materia; ita vt & homo reſurgat, & corpus, quod mortuum fuit. Imperfecta verò, vt inquit, poteſt conſiſtere cum ſola identitate formę, etiam ſi materia varietur; Addit deinde Fidem prędicare reſurrectionem prioris generis; cùm illa non ſolùm ſit hominum, ſed etiam corporum reſurrectio: Durandumque eſſe reijciendum, ſi de hac ſuam explicet ſententiam. Porrò reſurrectionem, quam Durandus fingit, & mente concipi poſſe, & eſſe poſsibilem. Ex qua doctiſsimi viri reſolutione conſtat, identitatem materiæ non eſſe abſolutè neceſſariam ad veram reſurrectionem; benè tamen ad perfectam, qualis ſecundùm fidē eſt futura; cum ſit, & hominū, & corporum reſurrectio, cadens non ſolùm ſupra terminum, v.g. hominē; ſed etiam ſupra ſubiectum, nimirum corpus.

11. Non recipitur. Ego tamen hanc ſententiam probare non poſſum: ſed exiſtimo ad veritatem reſurrectionis omninò eſſe neceſſariam identitatem, tùm formæ, tùm materiæ; & ſubinde omnem reſurrectionem eſſe ſubſtantialiter perfectam; nullamque dari in hoc ſenſu imperfectam: nec poſſe dari reſurrectionem hominis, quæ ſimul non ſit etiam corporis; & è contra.

12. Quæ dicenda ſunt. Pro horum explicatione ita procedemus: primùm enim oſtendemus, ad reſurrectionem, quæ ſecundùm fidem eſt futura, neceſſariam eſſe identitatem eiuſdem numero materiæ. Quod in hoc articulo præſtabimus. Deinde in ſecūdo oſtendemus, eandem identitatem eſſe neceſſariam ad veram reſurrectionis rationem. In tertio denique impugnabimus fundamenta Durandi, & diſſoluemus argumenta in contrarium.

§. 3.

In reſurrectione, quæ futura eſt, pars affirmans eſt omnino tenenda.

13. Pars affirmans eſt vera. QVod ergo attinet ad primum caput, ſtatuimus cum communi ſē ſententia, homines in futura reſurrectione, quam fides prædicat, reſurrecturos eſſe in eadē numero materia, quā in vita habuerunt: nec oppoſitum ſine maxima temeritate à Durando affirmari. Hanc ſententiam omnes Theologi cōſtanter docuerunt: omnes etiam conſtāter docent, de neceſsitate reſurrectionis eſſe, vt corpus reſurgentis in eadem numero materia reſurgat, quam in vita habuit. Ita docuit *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 1. & art. 2. quæſtiuncula 1. ad 1. & 2. habetur in Additionibus q. 79. art. 1. & art. 2. ad 1. & 2. idem D. Thom. quodlib. 11. art. 6. & 4. contra gentes cap. 81. ad 4. & 5. Conſentiunt omnes Theologi in 4. diſt. 44. vbi Richardus art. 1. q. 4. & ſatis D. Bonau. in expoſitio. literæ. n. 5. & art. 5. q. 1. & cæteri omnes Antiquiores id, tanquam veriſsimum ſupponunt, vt Scotus Paludanus, Capreolus. Hiſpalenſis, & alij. Ex Nouioribus optimè id docet Sotus ibidem q. 1. art. 1. concluſione 3. Ouand. propoſitio. 3. cum ſequentibus, Angles in floribus de reſurrectione art. 6. in principio, Suarius 2. tom. diſp. 44. ſect. 2. & in Metaphy. diſp. 36. ſect. 2. num. 16. Conimbricenſes 1. Phyſic. cap. 9. q. 5. art. 3. ad. 3.* Denique eſt recepta ſententia inter Catholicos, vno, vel altero excepto. Et hanc communem doctrinā plerique putant, eſſe de fide; ad quam ſententiam videntur accedere Ouandus, & Angles: Sotus tū nō putat, eam expreſſe eſſe de fide: non poſſe tamen temeritatis nomine, aut fortè peiori, non notari, qui eam diffiteretur: vnde putat, Durandū nimia vſum fuiſſe libertate; eſſeque proinde cautè legendum. Cui ego cenſuræ libenter ſubſcribo.

D. Thom. Richard. D. Bonau. Scotus. Paludan. Capreol. Hiſpalen. Sotus. Ouandus. Angles. Suar. Conimbri. Durand.

Hæc veritas efficaciter deducitur ex articulo fidei, quo non ſolùm hominum, ſed etiam corporum reſurrectio creditur, iuxta illud Symboli Apoſtolici: *Credo carnis reſurrectionem*: & iuxta verba Pauli primæ Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale: ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.* Vnde ad oſſa arida dicitur Ezechielis 37. *Audite verbum Domini, & cæt.* Quem fidei articulum Eccleſia Catholica ſemper ita intellexit, & explicauit, vt ſicut idem numero homo reſurrecturus eſt; ita idem numero corpus, & eadē numero caro, in qua quiſque & vixit, & cecidit. Ita definiuit *Concilium Nyſſenum primum, ſicut refert Nazianzenus in tractat. de Fide Nyſſena pag. 650 & ſatis patet ex lib. 3. eiuſdem Concilij in c. de Reſurrectione.* Expreſsiùs id definiuit Cōcilium Toletanum quartum *c. 1. vbi in*

14. Cōfirmatur ex Symboli. Cōc. Nyſ. Toletanū.

*in confeſsione fidei ita habet: Reſuſcitandi ab
eo in die nouiſsimo in ea, qua nunc viuimus
carne.* Ferè ijſdem verbis Concilium To-
letanum vndecimum in eadem fidei con
feſsione ita inquiens: *In iſta carne, qua vi-
uimus, conſiſtimus, & morimur.* Conciliũ
Cõc. Late- item Lateranenſe ſub Innocentio Tertio,
ranenſ. relatum in cap. *Firmiter* de Summa Trini
Damaſce, tate. in hæc verba, *Qui omnes cum ſuis pro-*
Papa. *priis reſurgent corporibus, quæ nunc geſtant.*
Quod etiam definiuit Damaſus Papa in
ſuo fidei Symbolo apud D. Hieronymum
tom. 9. Epiſtol. 26. Denique in Symbolo
Eccleſia. Apoſtolico Eccleſiæ Africanæ articulus
Africana. iſte ad hũc modum explicatur: *Credo hu-*
Cyprian. *ius carnis reſurrectionem*: ſicut teſtatur *D.*
Rufin. *Cyprianus in tract. de expoſitione Symboli
capit. 27. fol. 561. & Rufinus in Symbolo
apud D. Hieronymum tom. 9. Epiſtola 28.
ad finem,*

15. Confirmatur ex ſcriptura. Quæ explicatio, & fides euidenter cõ-
firmatur ex verbis Iob 19. vbi agens de
ſua reſurrectione ait: *Et rurſus circundabor*
Iob. 16. *pelle mea: & in carne mea videbo Deum Sal
uatorem meum.* In carne, inquam, mea,
quam modò geſto: quod ſatis explicarũt
ſeptuaginta interpretes, cum locum ita
vertunt: *Et rurſus reſuſcitaturus eſt pellem
meam, quæ tolerat hæc.* Pellem, id eſt car-
nem. Caldæus etiam Paraphraſtes idem
declarat, dum ſcribit: *Et poſtquam inflata
fuerit pellis mea, erit hoc*: vt ſit ſenſus reſur
get hæc ipſa mea caro: nam in Hæbreo eſt
pronomen demonſtratiuum illius ipſius
carnis, quæ dolore atterebatur. Quẽ ſen-
ſum euidentiùs explicauit Paulus primæ
1. Cor. 15. Corinth. 15. *Oportet corruptibile hoc indue
re incorruptionem: & mortale hoc induere im
mortalitatem.* Quo pronomine demõſtra-
tiuo, quaſi ſuo digito demonſtrat illud
ipſum numero corpus, & illam ipſam nu
mero carnem, quam geſtabat; ſicut elegã-
Cyprian. ter expendit *D. Cyprianus in dicta expoſi-*
Rufinus. *tione Symboli cap. 27. ante finem, & Rufin.*
Hierony. *in præfato Symboli, & D. Hieronymus in*
c. 2. *Ionæ ad illa verba: ſublenabis de corru-*
Auguſt. *ptione vitam meam, & Auguſtinus de Fide,
& Symbolo cap. 10. in fine.*

16. Confirmatur ex Patribus. Quare meritò hanc fidem docuerunt
omnes Patres, qui de reſurrectione diſpu
tant. Ex Diuo Petro ita docet Clemens
Romanus *lib. 5. Coſtitut. Apoſtolicarum c.*
Clemens, *6. & Epiſtola 1. ad Iacobum: Tertullian. in*
Tertull. *lib. de Reſurrectione carnis à cap. 52. vſque
ad 63. D. Cyprianus in ſermone de reſurrectio* *Cyprian.*
*ne Chriſti cap. 4. Et in dicta expoſitione Sym
boli cap. 27. D. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 6.
& lib. 14. cap. 30. 31. 32. & 33. & lib. 2. in
Ezechielem Homil. 20. 2. tom. fol. 91. & ho
milia. 26. in Euangelia fol. 117. D. Hierony* *Gregor.*
mus in dicto cap. 2. Ionæ: videndus tom. 5. *Hieron.*
*fol. 139, F. & tom. 6. fol. 17. C. & tom. 9. fol.
147. G. & in explicatione Symboli Epiſtola
27. Euſebius Pamphylus in Proœmio Apo-* *Euſebius.*
*logiæ pro Origene apud Hieronymum tom. 9.
vbi multis contendit, ita ſenſiſſe Origenem:*
Chryſoſtomus homil. 12. in Ioannem, & ho- *Chryſoſt.*
*milia 6. ad Theſſalonicenſes, & homil. 10. in
poſteriorem ad Corinth. & homil. 41. in prio-
rem ad eoſdem, & homilia ad Neophitos tom.
5. pag. 79. Theodoretus lib. 5. Diuinorum de-* *Theodore.*
cretorum in cap. de reſurrectione, & Sermone *Anſelm.*
9. de prouidentia; D. Anſelmus libr. 2. Cur *Auguſt.*
*Deus homo: Auguſtinus in omnibus locis ſta
tim citandis, vt alios innumeros Patres omit-
tam.*

Rurſus eundem fidei articulum de re- 17. Declaratio eiuſdẽ art.
ſurrectione eiuſdẽ numero carnis, in qua
viximus; Eccleſia ita declarat, vt caro cu-
iuſque reſurrectura ſit ex eiſdem nume-
ro pulueribus, in quos fuit per mortem
reſoluta, quantumcunque varijs mutatio *Auguſt.*
nibus illi ſint diſperſi. Ita docent præci-
tati Patres, & expreſſè *D. Auguſtin. in En
chiridione* cap. 88. vbi ita ait: *Non perit Deo
terrena materies, de qua mortalium creatur
caro; ſed in quemlibet puluerem, cineremvê
reſoluetur: in quoſlibet halitus, auraſvè de-
fugiat, in quãlibet aliorum corporum ſubſtan-
tiam, vel in ipſa elementa vertatur: in quo-
rumcunque animalium, etiam hominum, cibũ
cedat, carnemque mutetur; illi animæ huma-
næ puncto temporis redit, quæ illam primitùs,
vt homo fieret, creſceret, viueret, animauit*
Quam ſententiam iterum repetit *ibidem* *Auguſt.*
*cap. 89, & 90. & lib. 1. de Ciuitat. Dei c. 12.
& lib. 22. cap. 20. & 21. de Catechizandis ru
dibus cap. 25. tom. 4. & lib. 2. de conſolatione
mortuorum cap. 2. & 3. & ſermone 156. de
tempore, & Pſalmo 61. ad illa verba: Quam* *Tertul.*
multipliciter tibi caro mea. Concinunt *Ter* *Cyprian.*
*tullianus in lib. de reſurrectione carnis c. 63.
Cyprianus in expoſitione Symboli cap. 25. &* *Gregor.*
26. D. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 13. & homi *Chryſoſto.*
lia 20. in Ezechielem, & homil. 26. in Euan- *Theodore.*
*gelia: D. Chryſoſtomus homil. 6. ad Theſſalo-
nicẽſes, & late homil. ad Neophytos: & Theo
doretus in dicto lib. 5. Diuinorum decretorũ*

in d.

in dicto cap. de reſurrectione: deniq; eſt vnanima Patrum explicatio. Quæ ſumpta eſt ex Daniele 12. *Et multi de ijs, qui dormiunt, in terræ puluere euigilabunt*. Iſaiæ 26. *Interfecti mei reſurgēt: expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere*: idest in ſepulchris, quæ iuxta Ezechielis vaticinium cap. 37. aperientur: *aperiam*, inquit, *Sepulchra veſtra; & educā vos de ſepulchris veſtris*. Etenim, vt dicitur Ioannis 5. Mortui audient vocem filij Dei; & procedēt, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ. Igitur de proprio puluere, in quē cuiuſque caro reſoluta fuit, iterum eadem caro in reſurrectione redibit: quem puluerem Theodoretus vbi ſuprà appellat proprias cuiuſque carnis reliquias.

Dan. 12. *Iſaiæ 26.*

18. Cur pulues dicantur vnius non alterius.

Præmiſsis his præcitati articuli explicationibus, iam inquiro: cur illi pulueres, ex quibus reſurrectura eſt caro Petri, & ipſe Petrus, dicantur proprij pulueres carnis Petri, & non Pauli? Profecto non ob aliam rationem, niſi quia eandem numero habent materiam primam, in qua vixit caro Petri: in quam materiam illa carnis reſolutio vltimo finita eſt; quæ ipſa ſola in varijs illis tranſmutationibus, quas pręcitati Patres enumerant, eadem numero permanet; ratione cuius materię pulueres iuſtorum, tanquā veræ illorum reliquiæ, ab Eccleſia honorantur, vt docet *Auguſtin. 1. de Ciuit. Dei cap. 12. in fine*.

Auguſtin.

19. Confirmatur rationē.

Quod præterea ex eo apertè conuincitur; quoniam hæretici ideo reſurrectionem negarunt, quia putauerunt eſſe impoſsibile, vt materia tot modis tranſmutata, ac diſperſa, rediret eadem numero, ſine qua idem numero homo reſurgęre non poterat: nam ſi alia materia ſatis eſſet, vt cum eadem numero anima idē numero homo reſurgeret; profecto ad varias carnis emortuæ reſolutiones, ac diſperſiones non confugerent, vt eiuſdem numero hominis reſurrectionem putarent impoſsibilem. Quare cum hæc numero materia hæreticis difficultatē fecerit; profecto de eadem agunt Sancti Patres, dū pro ſoluenda difficultate, ad Dei ſcientiam, & omnipotentiam recurrunt: apertè ſentientes in reſurrectione eandē numero materiam eſſe reddēdam; nec aliam ſatis eſſe ad futuram, quam fides profitetur, reſurrectionem.

20. Ob hanc etiam rationem propria cuiuſque caro dicitur eſſe in depoſito apud Deum, teſte *Tertulliano in dicto cap. 63.* quia, ſcilicet propria cuiuſque caro ſemper manet in potentia obedientiali eiuſdē numero materiæ, ex qua in hac vita fuit compoſita. Ob eandem etiam cauſam docuit Cyprianus in expoſitione Symboli cap. 26. rationem, qua vnicuique carni inest, eſſe immortalem; quia nimirum ſemper ineſt in potentia ſuæ ipſius materiæ, ex qua in reſurrectione immortalis reſurget.

Tertull. *Cyprianus*

21. Alia ratio.

Ad hæc; quorſum ſoli humani corporis pulueres, & non alij, ex omnibus mūdi partibus ad vallem Ioſaphat Angelorū miniſterio ſunt colligendi? niſi vt vnuſquiſque ex ſuo puluere, tanquam ex propria, quam in vita habuit, materia per ſequeſtrem Dei, & hominum Ieſum Chriſtum (vt Tertullianus ait in dicto c. 63.) in nouiſsimo die reſurgat.

22. Concluditur contra Durand.

Reijcienda eſt igitur ſententia Durandi, dum ait, non eſſe neceſſarium ad eam, quæ futura eſt, reſurrectionem, vt ſinguli ex propria, quam in vita haberūt, materia reſurgant: id enim communi Patrum doctrinæ, quam expoſuimus, contradicit: ſi enim propria Petri anima ſatis eſſet, vt quælibet materia etiam ſi nunquā fuerit in Petro, diceretur propria Petri, & conſtitueret proprium Petri corpus; nullum poſſet dari corpus, quod animæ Petri eſſet alienum; cuius oppoſitum Patres ſupponunt: nam cur ad ſolam Dei infinitam cognitionem in diſcernendis propriis ſingulorum corporibus recurrunt; ſi nullum corpus non eſt cuique propriū? quòd ſi pulueres ideo ſunt ſola diuina potentia, & cognitione ſequeſtrādi; vt quiſque non ex alieno, ſed ex proprio puluere proprium reſumat corpus; vtique nō ſatis eſt quicunque puluis ad conſtituendum proprium corpus, quantumvis eidē numero animæ coniungatur. Quare reijcienda eſt opinio Durandi, tanquam temeraria, ne plus aliquid, vt ait Sotus, dicamus. Cuius Philoſophica impugnatio in ſecundo articulo redibit.

§. 4.

Soluuntur argumenta.

23. Ad 1. in oppoſitum.

NEc argumenta initio adducta quidquam efficiunt. Ad primum negandū eſt antecedens ab illis, qui in

in materia prima admittunt actum entitatiuum cum *Henrico quodlibet. 1. q. 10. Scoto in 2. diſt. 12. q. 1. & pleriſq; alijs, quos latè defendit, & probat Suarius in Metaphyſica diſp. 13. ſect. 5. num. 2.* quam ſententiã nos ſemper diximus eſſe veriſsimam: imò quæſtionem eſſe de nomine, ſi res benè explicetur. *Henric. Scotus. Suar.*

24. ¶ Porrò ſi communem opinionem probas, quæ nullum agnoſcit actum, niſi vel informantem, qualis eſt forma; vel per ſe ſubſiſtentem, qualis eſt ſubſtantia ſeparata; & ideo à materia omnem rationẽ actualitatis excludit: quæ fuit opinio omniũ Thomiſtarum, quam probat *Fonſeca 1. Metaph. cap. 7. q. 3. ſect. 7. poſt principium, & Conimbricenſes in 1. Phyſicorum cap. 9. q. 3. art. 1. concl. 1.* ſi inquam, hanc ſententiam probas; admiſſo antecedente, negabis conſequentiam: quoniã ſiue accipias, vt eſt paſsio entis; ſiue, vt eſt pars huius diſiuncti, *vnum, vel plura,* quod etiam ſuo modo eſt paſsio entis; ſemper vnum ſequitur, ac comitatur entitatem cuiuſque rei; vel formalem (genericam, inquam, aut ſpecificam): vel indiuidualem, ſi vnitas eſt numeralis. Quare cùm materia ita ſit pura potentia, vt ſua potentialitas, ſit ſua entitas; profectò ſumpta in ſe, vel in ſpecie, vel in indiuiduo, intrinſecè erit vnũ ens; & in ſuis inferioribus erit vna, vel diuerſa: vnde autem ſuam indiuiduationẽ habeat? alterius eſt quæſtionis. *Fonſeca. Conimbri.*

25. Ad 2. Ad ſecundũ neganda eſt ſequela, ſi ſermo ſit de vnitate rerum viuentium: nec enim opus eſt, vt eorum materia in tota uitæ periodo ſimpliciter, ac omnibus modis eadem maneat, & ſit perpetuò fixa, & ſtabilis; ſed ſatis eſt, vt ſaltem continuatione ſit vna: nam licet alię partes continenter fluant, & aliæ accedant: nunquam tamen raptim, ac ſimul tota præcedens materia dilabitur, & alia noua de integro aduenit; ſed quæ de nouo aduenit partialiter aduenit, & præcedenti annectitur: vnde ſemper manet vna continuatione: quãuis enim fortè interdum contingat, vt quis in extrema ſenectute nihil eius materiæ retineat, quam in ortu accepit: retinet tamen materiam, quæ ſaltem mediatè fuit cum priori continuata: iam verò ex ſententia Ariſtotelis 5. Metaphyſ. cap. 5: quæ continuata ſunt, dicuntur vnum numero. Hæc eſt communis ſolutio omniũ interpretum *in 1. de Generat. cap. 5. vbi nos id aduertimus, cum Marſilio ibidem q. 12. & docet Curſus Conimbricenſis in eodem loco q. 11. art. 3. ad 2. & 1. Phyſicorum cap. 9. q. 5. art. 2. ante finem, & Suarius in Metaphyſ. diſp. 36. ſect. 2. num. 16. ex Medicis Thomas de Garbo in ſumma Medicinali tract. 7. q. 22* docet *D. Thomas 4. contra gentes cap. 81. & 1. p. q. 119. ar. 1. ad 5. Quæ doctrina ſatis eſt de mente Ariſtotelis in dicto lib. 1. de Generat. cap. 5.* dũ ſupponit in nutritione ſemper manere idem numero ſubiectum, quamuis partes materiæ continuo dilabantur, aliis de nouo ſuccedentibus. Imò & Durandus tenetur eam admittere in nutritione plantarum, & animalium imperfectorum, in quibus tàm partes materiæ, quàm formæ continuo fluunt, nouis accedentibus; & tamen eadem numero ſemper permanent. *Marſil. Conimbr. Suar. Thomas de Gardo. D. Thom. Ariſtot.*

Ad tertium, & quartum patebit ſolutio ex ſequentibus articulis, in quibus explicabimus, quænam materia, & quomodò ſit cuique reſtituenda in reſurrectione. 26. Ad 3.

Ad poſtremum negandum eſt antecedens: mutata enim materia, quamuis maneat eadem numero forma, iam non eſt idem ſimpliciter homo, qui antea fuit, ſed ſimpliciter erit alius. Et mirum eſt, quòd oppoſitum docuerit Suarius citatus in argumento, cum nobiſcum expreſſè ſentiat *2 tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 2. §. Hæc difficultas pendet, vbi docet,* dato illo caſu, nõ cenſeri ſimpliciter eundem hominem. Et meritò ſane; qua hęc eſt communis, & recepta ſententia, vt teſtatur *Paludanus in 4. diſt. 44. q. 1, art. 1. in 2. opinione num. 9.* probat *Capreolus ibidem q. 1. ar. 3. ad 2. Ioannis de Neapoli, Sotus q. vnica art. 1. concluſ. 3. §. Et primò, ſi rationem, & §. Exiſtit præterea argumentum. & art. 2. ad 3. Fonſeca in 5. Metaph. q. 4. ſect. 5. in principio, Curſus Conimbricenſis, 1. Phyſicorum cap. 9. q. 5. ar. 2. concl. 3. & fuit ſententia Diui Thomæ in 4. diſt. 44. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 1. & 2. in fine corporis, & expreſsius 1. p. q. 119. art. 1.* Quorum ſententia hac ratione efficaciter probatur: quoniam iuxta communẽ Philoſophorum cõſenſum, quem probat *Suarius in Metaph. diſp. 36. ſect. 2. num. 16.* non ſolùm materia eſt pars eſſentiæ compoſiti naturalis; ſed etiam hæc ſingularis materia eſt pars huius ſingularis eſſentiæ, in 27. Ad vltim. *Suarius. Paludan. Capreol. Ioannis de Neapo. Sotus. Fonſec. Conimbri. D. Thom.*

in hoc ſenſu; vt certa, & determinata materia per ſe requiratur ad numeralem vnitatem eſſentiæ cuiuſque indiuidui.

28. Probatur ratione. 1. ratio. Quam Philoſophiam efficaciter perſuadet hæc ratio: neceſſe eſt, vt diffinita quæque res (qualis eſt Socrates) certam, ac definitam quidditatem habeat. Certa autem, & determinata quidditas eſſe non poteſt, niſi principia ex quibus eſſentialiter conſtat, ſint etiam certa, & determinata. Quidditas autem compoſiti naturalis, tàm in ſpecie, quàm in indiuiduo, cõſiſtit, non in ſola forma, ſed etiam in materia. Neceſſe eſt igitur, vt definita, ac certa quidditas certam, ac definitam habeat, non ſolùm formam, ſed etiam materiam.

29. 2. ratio. Accedit; quia ſicut ſe habet homo in communi ad materiam communem; ita Socrates ad materiam ſingularem. Sed ad vnitatem ſpecificam hominis in communi per ſe requiritur vnitas ſpecifica materiæ: nec enim eſſet idem ſpecie homo, ſi anima humana materiæ cœleſti per impoſsibile vniretur. Ergo ad vnitatem numericam huius hominis per ſe requiritur vnitas ſingularis eiuſdem numero materiæ. Nam cum eſſentiæ ſint, ſicut numeri, varienturque, variata parte eſſentiæ; vtique in vtroque caſu variabitur eſſentia, & quidditas hominis tàm in communi, quàm in ſingulari. Variata autem quidditate, ac diffinitione, quomodò manebit res ſimpliciter eadem? ſicut enim nulla virtute fieri poteſt, vt cuique rei non competat propria diffinitio; ita fieri nequit, vt eadem res maneat, non manente eadem diffinitione.

30. 3. ratio. Ad hæc: variata materia ſub eadem forma, reſultat alia numero humanitas; quia humanitas, quæ ex illa variatione reſultat, habet aliam entitatem realiter diſtinctam ab entitate prioris. Reſultante autem alia humanitate, reſultet, neceſſe eſt, aliud ſuppoſitum illi connaturale: quia entitas ſuppoſiti vel conſequitur ad entitatem naturæ, ſi ſubſiſtentia eſt, quid ſimplex; vel ſi eſt quid cõpoſitum; componitur ex diſtinctis ſubſiſtentijs partialibus. At ſi reſultat ſuppoſitum ſimpliciter aliud; vtique reſultat alius homo; quia alietas per ſe reſpicit perſonam.

Nec his obſtat fundamentum Suarij: quia licet admittamus, formam conſtituere hoc indiuiduum ſub hac ſpecie, v. g. Petrum ſub ſpecie hominis; non proinde admittimus, ſolam formam conſtituere indiuiduam in eſſe ſuæ indiuiduæ entitatis: hæc enim intrinſecè etiam conſtituitur per hanc definitam materiam; quanuis principaliùs per formam conſtituatur. Pro cuius explicatione notandũ eſt, quod ſicut in Petro diſtinguimus duplicem eſſendi gradum, hominis ſcilicet & huius hominis: ita in hac anima duplex eſſendi gradus eſt diſtinguendus, animæ ſcilicet rationalis, & huius animæ; ſiue iſti gradus inter ſe ex natura rei diſtinguantur, ſiue ſola ratione; ad inſtitutum enim parum hoc refert. Petrus igitur formalitatem hominis, qua ſub ſpecie hominis collocatur, non habet à ſua materia, ſed à ſola ſua forma, vt conſtat: quod tamen ſit hic homo, non habet à ſola forma, ſed ſimul etiam à materia; ab vtroque enim conſtituitur in eſſe huius. A quo autem Petrus principalius habeat vnitatem, & diuerſitatem numericam? alia eſt quæſtio: *Suarius in Metaphyſica diſp. 5. ſect. 6. num. 16. in fine* putat, eam principalius ſumi à forma: Ariſtoteles tamen *in quinto Metaphyſic. cap. 5.* videtur ſignificare, potius à materia eſſe ſumendam, dum ait, *illa dici eadem numero, quorum materia eſt vna.* Et ad hanc ſententiam debent accedere Thomiſtę, dum putant, materiam eſſe principium indiuiduationis. Reſolutio tamen ad noſtrum inſtitutum non pertinet; fortè hæc conciliari poſſunt. 31. 4. ratio. Suarius. Ariſt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ad veram reſurrectionem ſimpliciter ſit neceſſarium, vt quis in ea numero materia reſurgat, quam habuit?

Ex præcedente articulo patet, in reſurrectione generali, quam fides prædicat, omnes eſſe reſurrecturos in eadem numero materia. Iam inſurgit quæſtio; an ad veram reſurrectionis rationem ſimpliciter ſit neceſſaria reſtitutio eiuſdem numero materiæ, quæ fuit in vita? Huic quæſtioni negatiuè reſpondet *Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſec. 2. pag. 807. col.* 1. Suarius.

col.2.§.*Hæc difficultas pēdet.* Fundamentũ inde ſumit; quoniam homo, qui variata materia cum eadem anima reſurgeret, etſi non eſſet idem numero homo, quoad omnes partes eſſentiales; eſſet tamē idem numero homo quoad animam rationalem, quæ eſt pars præcipua propriè conſtitutiua hominis. Quare illius reſurrectio, licet perfecta non foret; foret tamen vera reſurrectio, licet imperfecta. Ex qua reſolutione infert, poſsibilem eſſe reſurrectionem diſtinctam ab ea, quæ ſecundum fidem futura eſt; de qua vera eſſet opinio Durandi, ſi de ea intelligeretur.

3. Non placet opinio. ¶ Hæc tamen doctiſsimi viri ſententia nec placere poteſt, nec debet; ſi ſermo ſit de reſurrectione, quæ veram habet reſurrectionis rationem. 1. ratio. Hoc autem hoc argumento videtur demonſtrari: nam de ratione eſſentiali veræ reſurrectionis eſt, vt is, qui reſurgit, non ſit ſimpliciter alius homo ab eo, qui morte cecidit. Sed mutata materia, ſub eadem anima neceſſariò reſultat homo ſimpliciter alius ab eo, qui prius fuit. Ergo vera reſurrectionis ratio nequaquam ſaluari poteſt, ſi materia mutetur, quantumuis maneat eadem numero anima. Minor huius diſcurſus admittitur ab eodem Suario in d. ſect. 2. loco citato, in quo rectè philoſophatur, vt diximus in præcedente articulo ad vltimũ argumentum. Porrò maior (in qua poſita eſt vis argumenti) probata eſt *D.Thomæ* [*D.Thom. Suarius.*] *communiter recepto in 4.diſt.44. q.1.art.1. quæſtiuncula 2.in fine corporis. Eam expreſſè docet idem Suarius in d.diſp.44.ſect.1. in fine.* Et merito ſanè. Primo; quia oppoſitum intelligi non poteſt: nam ſi alius eſt homo iſte, qui reſurgit, iſte nũquam fuit; quomodo redit ad vitam? quare talis productio vel erit multiplicatio hominis; vel vnius pro alio ſubſtitutio potius, quàm reſurrectio. Aliàs transmigratio eiuſdem animæ in diuerſa corpora, quam Pythagoras philoſophatur, poſſet appellari reſurrectio, quod omnes inficiantur.

3. 2. ratio. Deinde etiam; quia eſt de ratione intrinſeca veræ reſurrectionis, vt ſit eius, qui fuit mortuus; iuxta receptam Theologorum doctrinam, quam probat *Suarius in dicta ſect.1. §. Ex quo vlterius ſequitur*: reſurgere enim idem eſt, quod reuiuiſcere, teſte Auguſtino: reuiuiſcit autem nemo, niſi qui vitam, quam prius habuit, moriendo amiſit. Iam verò ille homo alius; qui, variata materia ſub eadem anima, reſultat, nunquam fuit mortuus; quia nec ratione animæ, quæ non moritur; nec ratione corporis, ſi illud ex materia ſaxi, vel ligni fuit aſſumptum; quia tale corpus nunquam fuit mortuũ: ſi verò illa aſſumpta materia fuit in Petro mortuo; ille tamen nouus homo in illo corpore mortuus non fuit: nam eadem morte, qua moritur corpus, moritur homo, qui ex illo conſtat, & è contra.

4. 1. corol. Ex hac reſolutione inferes, diſtinctionem reſurrectionis perfectæ, & imperfectæ ſumi non poſſe penes eſſentialia, ſed penes extrinſeca, & accidentalia: quo modo diſtinguetur reſurrectio iuſtorum à reſurrectione reproborum.

5. 2. corol. Inferes ſecundò, nullam dari poſſe veram reſurrectionem ex parte termini, quæ etiam non ſit reſurrectio ex parte ſubiecti, & è contrario: nec enim poteſt quis reſurgere, quin corpus, quod habuit etiam reſurgat; quidquid Suarius oppoſitum inſinuet.

6. 3. corol. Inferes tertiò ex identitate hominis reſurgentis cum eo, qui moriendo cecidit, neceſſariò inferri non ſolùm eſſe reddendam eādem numero animam; ſed etiam eandem numero materiam: & proinde optimum eſſe argumentum, quo Theologi aduerſus Durandum vtuntur; dùm ex identitate numerica hominis reſurgentis inferunt identitatem, tùm animæ, tùm materiæ primæ, vtentes hoc medio; quia non poteſt eſſe idem numero homo, niſi habeat eadem numero eſſentialia principia; materiam ſcilicet & formam. Quo argumento vtitur *Diuus Thomas in quarto diſtinct.44.quæſt.1.artic.* [*D.Thom. Conimbri.*] *1. quæſtiuncula ſecunda; & quodlibet. 11. quæſt. 6. & Curſus Conimbricenſis 1. Phyſicorum cap.9.quæſt.5.art.2. concluſione 3.* & eadem conſequentia vtitur Auguſtinus, [*Auguſt.*] ſiue *Euſebius ſermone 156.de tempore, & in appendice de diuerſis ſermone 54. ad finem*; vbi ex identitate hominis infert identitatem membrorum: quare non eſt, quòd Suarius eam non admittat, dùm concludit diſputationem contra Durandum. Sed de hoc iterum in ſequenti articulo.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrùm ad vnitatem materiæ ſatis ſit vnitas formæ?

§. 1.

Refertur opinio Durandi.

1. Opinio Durandi. EX his, quæ diximus ſuprà art. 1. §. 1. conſtat, *Durandum in 4. diſt. 44. q. 1.* dixiſſe ad veram reſurrectionem nõ eſſe neceſſarium, vt homo in eadem numero materia reſurgat, quã in vita habuit, ſed ſatis, ſuperque eſſe, vt idem numero homo reſurgat, quòd reſurgat cum eadem numero anima, quanuis reſurgat in materia, quam in vita nunquam habuit. Huius opinionis fundamẽtum inde ſumebat, quòd materia ex ſe nullam habet actualitatem, cum ſit pura potentia; hinc inferebat, materiam nullam ex ſe habere aut vnitatem, aut diuerſitatem; ſed omnem habere à forma; & ſubinde à ſola forma habere, quòd ſit eadem, vel diuerſa. Secundò inferebat, compoſitum ſemper habere eandem numero materiam, ſi eandem numero formam habeat. Et tandem concludebat, in reſurrectione ſemper redire eandem numero materiam, cũ in illa redeat eadem numero anima rationalis; quantumuis illa materia nunquam fuerit in eo, qui reſurgit.

2. Explicatur Durandus. Ex his patet, Durandum non negare, ad vnitatem numericam compoſiti neceſſariam eſſe vnitatem numericam materię primæ; id enim ſatis apertè docet *in d. q. 1. n. 7. in fine, & n. 10. in medio*, dum concludit, manente eadẽ numero forma ſemper manere eandem numero materiam, vndecũque illa aſſumatur; & ob hanc cauſam manẽte eadem numero anima Petri ſemper manere eundem numero Petrũ, quanuis habeat materiam Pauli, aut alterius rei, quam in vita nunquam habuit. Fundamentum Dur. Hanc ſententiam inde hauſit; quia putat, materiam primam, vt ex ſe habeat vnitatem entitatis potẽtialis, qua diſtinguitur tùm à non ente, tùm à forma; ex ſe tamen non habere vnitatem numeralem, qua ab alia materia ſolo numero diſtinguatur; ſed hanc vnitatem, & diuerſitatem habere ſolùm à forma. Et ratio eſt, vt ait, quia vnitas, & diſtinctio numeralis ſupponit entitatem actualem eorum, quæ numerantur. Cum igitur materia prima ex ſe nullam actualitatem habeat, quia eſt pura potentia; ſit, eam ex ſe non habere vnitatem, aut diuerſitatem numeralem, qua ab alia materia numero diſtinguatur; ſed vtrumque habere à forma. 1. corol. Ex hac opinione infertur primò; ſieri poſſe, vt illa ipſa entitas materiæ, quæ ſub forma Pauli diſtinguebatur numero à materia, quæ erat ſub forma Petri; in reſurrectione, ſi ponatur ſub anima Petri, ſit cum illa eadem numero.

3. 2. corol. Infertur ſecundò, ad vnitatem numericam Petri reſurgentis eſſe quidem neceſſariam vnitatem numericam eiuſdem materiæ, non tamen vnitatem entitatiuã eiuſdem. Ex quo ſit conſequens, Petrum reſurgentem in materia, quam in vita nũquam habuit, reſurgere in eadem numero materia; quam habuit in vita; non tamen in eadem entitate materiæ: & per conſequens reſurgere eundem numero.

§. 2.

Impugnatur opinio Durandi.

4. Impugnatur Durandus. HAnc Durandi ſententiam, tanquã verè paradoxam, & admirabilem, ſeu potiùs repugnantia implicantem omnes reijciũt tàm Theologi, quàm Philoſophi. *Paludanus in 4. diſt. 44. q. 1. art. 1. à n. 9. vſque ad 16. Capreol. ibidem q. 1. art. 3. ad 1. Durandi contra tertiam, Soncinas ibidem q. 1. concl. 3. ad 1. eiuſdem Durandi, Hiſpalenſis q. 1. Sotus q. vnic. art. 1. concl. 3. Fonſeca in 5. Metaph. c. 4. q. 4. ſect. 5. in principio, Curſus Conimbricenſis 1. Phyſicorum cap. 9. q. 5. artic. 2. concl. 3. Suarius 2. tom. ad 3. partem diſp. 44. ſect. 2. §. Communis verò ſententia eſt; & in Metaph. diſp. 5. ſect. 4. n. 2.* denique ab omnibus poſterioribus communi conſenſu reijcitur. *Palud. Capreol. Soncin. Hiſpalen. Fonſeca. Conimbr. Suarius.*

5. Et meritò ſanè; quoniam ſi identitas, & diuerſitas formæ ſatis eſt ad numericam identitatem, aut diuerſitatẽ materiæ, plura & abſurda, & impoſſibilia conſequuntur. ¶ Primò inde fieret, vt ſi materia Petri annihilaretur, eadẽ numero rediret ſine noua creatione; ſi Deus materiam, quæ fuit Pauli, coniungeret cum anima Petri: talis enim coniunctio abſque vlla creatione efficeret, vt materia Pauli inciperet eſſe illa numero, quæ fuit Petri, quam Deus annihilauit. 1. abſurdũ ex opinione Durand.

6. 2. abſurd. Secundò fieret; vt materia ligni deſineret eſſe ſine vlla, aut annihilatione, aut tran-

tranſubſtantiatiōne per ſolam generationem ignis ex ligno: nam tunc materia ignis eſſet alia numerò à materia ligni; quia eſſet ſub alia forma. Hoc autem ſine deſitione materię ligni non cōtingeret: quod enim ſubſtantialiter fit aliud, deſinit eſſe, quod priùs erat. Quis autem dicet, quando ex ligno generatur ignis materiā ligni, aut annihilari, aut tranſubſtantiari in aliam materiam? quod ſi materia ignis geniti eſt eadem numero, quæ fuit in ligno corrupto (ſicut verè eſt, ſecundum veram Ariſtotelis philoſophiā) vtique materia vnitatem numericam ex ſe habet, & nō à forma. Cur igitur ex ſe etiam nō habebit diuerſitatem numericam? etenim id ipsū, per quod aliquid eſt vnum, indiuiſumq; à ſe; per id eſt à quocūque alio diuerſum, iuxta principium metaphyſicum.

7. 3. abſurd. Tertiò fieret, vt plures formæ eandē materiam, nec ſucceſsiuè virtute agentis naturalis; nec ſimul per diuinam potentiam poſſent informare: etenim variata forma, variaretur etiam materia, & fieret alia numero à priori diſtincta. Cōſequēs tamen eſſe falſum docet vulgata Philoſophia Ariſtotelis in libris de generatione, dum ait, in generatione ſubſtantiali manere idem numero ſubiectum primū, id eſt eandem numero materiam. Præterea quid implicat, plures formas eandem numero materiam informare? vide *Fonſecam loco citato ad 3. obiectionē, pag. 268.*

8. 4. abſurd. Quartò fieret, vt vna forma nec ſimul, nec ſucceſsiuè poſſet informare plures materias: ſemper enim eandem numero materiam haberet: conſequens tamen & ſi naturaliter ſit impoſsibile; ſupernaturaliter tamen eſt poſsibile, vt latè oſtendit Fonſeca vbi ſuprà ſect. 3. & ſupponūt omnes Theologi, vt docet Suarius in d. diſp. 44. ſect. 2. loco citato.

9. Quintum. Quintò fieret, non poſſe materias Socratis, & Platonis à ſe diuiſas diuina virtute conſeruari ſine formis ſubſtantialibus: quod tamen non eſt admittendum ab ijs, qui putant, materiam primam ſine forma ſubſtantiali diuina virtute conſeruari poſſe.

10. Poſtremū. Poſtremò; inauditum eſt, & prorſus impoſsibile, vt materia, quæ ab alia eſt numero diſtincta, fiat eadem numero cū illa; quantumuis id admittat Durandus: nam quæ ſubſtantiæ numero diſtinguūtur, eædem habent entitates ſubſtantiales numerò diſtinctas; ita vt entitas vnius realiter ſit alia, atque diſtincta ab entitate alterius: quomodò igitur poſſunt realiter identificari? nunquid materia Pauli cum ſit ſub anima Petri, amittit ſuam intrinſecam, & eſſentialem entitatem materiæ, quæ eſt pura potentia? vtique dici non poteſt, quod eam amittat; cum nec annihiletur, nec tranſubſtantietur. Quòd ſi permanet realiter eadem; ſi prius realiter diſtinguebatur à materia, quæ fuit Petri; quomodò nunc ſit idem realiter cum illa? profectò id intellectus non capit.

Hæc ſufficiant pro impugnatione opinionis Durandi: nam latior illius impugnatio longiorem poſtulabat diſputationē quæ potiùs metaphyſica eſt, quàm theologica: ſatis modo ſit in materia prima neceſſariò admittendam eſſe propriam, & intrinſecam vnitatē ab eius entitate prorſus inſeparabilem: cum enim vnum reciprocetur cum ente, tanquam paſsio illius inſeparabilis; & materia ex ſe habeat propriam entitatem, vtique ex ſe etiā habebit propriam, & inſeparabilem vnitatem: quæ eſt communis Philoſophia; de qua *Paludanus in 4. diſt. 44. q. 1. art. 3. n. 10. Capreolus ibidem q. 1. art. 3. ad 1. Durandi contra 3. Hiſpalenſ. q. 1. art. 3. notabili 3. Soncinas q. 1. concl. 3. ad 3. Conimbricenſes 1. Phyſicorum c. 9. q. 5. art. 2. pag. 174. & expreſſè Ioannes de Neapolis quodlib. 2. q. 6.* quam Philoſophiam Durandus nō negat. Vtrū verò præter hanc vnitatem admittenda ſit vnitas alia externa, & aduentitia, quā materia habeat à forma? alia eſt difficultas. Eam admittunt Conimbricenſes, Palud. Capreol. & Ioannes de Neapolis: fortè admittenda non erit, ſi propriè loquēdum eſt, vt benè aduertit Hiſpalenſis. 11. Concluſio. diſcurſus. Palud. Capreol. Hiſpalen. Soncin. Conimbr.

¶ Sed ſi eam in bono ſenſu admittamus, dicendum eſt, illam perpetuò fundari in propria entitate, & vnitate materiæ: hæc enim eſt, quæ per formam actuata conſtituitur in actuali, & formali vnitate, & ſecundum eam componit compoſitum, & in eo permanet. Imò in diuerſis cōpoſitis eſt realiter diſtincta. Sed quidquid de hoc ſit; ſemper erit certūm, materiam ſingularem, & indiuiduam ſemper perſeuerare cum ſua ſingularitate; quo ſuppoſito, abſurda contra Durandum adducta illius opinionem conuincunt falſitatis. 12.

§. 3.

§. 3.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta Durandi.

13. Argum. 1. Durandi. PRo opinione Durandi, quod attinet ad noſtrum inſtitutum, duo poſsũt adduci argumenta. Primũ eſt, quoniam materia ex ſe nullam habet actualitatem; ſed eſt pura potentialitas. Ergo ex ſe nullam habet, aut vnitatem, aut diuerſitatem, ſed omnem habet à forma: & per conſequens à ſola forma debet dici eadem, vel diuerſa.

14. Secundum. Secundò; niſi tota vnitas materiæ eſſet à forma, facta nutritione, animal non eſſet ſimpliciter idem, quod prius erat: haberet enim aliam materiam, ſaltem partialem: conſequens tamen eſt contra Ariſtotelem 1. de generat. & contra Damaſcenum lib. 4. de fide c. 5. denique contra rationem, vt latè probat Durandus loco citato n. 7. Solutio. ¶ Hæc argumenta iam diſſoluimus art. 1. huius quæſtionis §. 4. ad 1. & 2. vide, quæ ibi diximus.

Annotatio ad ſequentes articulos.

1. Annotatio neceſſaria. ¶ Articulo primo huius quæſtionis ſtatuimus contra Durãdum, in reſurrectione omnes reſurrecturos in eadem numero entitate materiæ, quæ fuit in vita. Articulo ſecundo oſtendimus contra doctiſſimum Suarium, id ſimpliciter eſſe neceſſariũ ad veram rationem reſurrectionis. Supereſt explicare, in qua nam materia ſumus reſurrecturi? etenim duplicem materiam, ſiue carnem, in nobis eſſe diſtinguendam omnes aduertũt. Vnam; quam in primo ortu à parentibus accepimus: alteram; quæ ex alimento per nutritionem præcedenti additur. Iam igitur quæri poteſt, an vtraque materia ſit nobis reddenda. Cum verò partes materiæ continua calidi in humidum actione fluant, & refluant, iam inquiri poteſt, an omnes materiæ partes, quæ in tota vitæ periodo fluxerunt, ſint nobis reſtituendæ, ſimul cũ illis materiæ partibus, quæ tempore mortis erant in nobis? ſi verò non omnes omnibus ſunt reddendæ; tertio loco inquiri poteſt, quæ nam illarum reddendæ ſint? pro quarum difficultatum explicatione operæ pretium erit præmittere nonnulla, quæ in hac materia ſunt indubitata.

Dicimus igitur certiſſimum eſſe, eandem materiam in reſurrectione nobis eſſe reddendam, quæ in vita fuit de veritate eſſentiali corporis cuiuſque, id enim in duobus præcedentibus articulis oſtendimus. 2. Primũ quod eſt certum.

Secundò indubitatum eſt, ſingulis reddendum eſſe aliquid materiæ, quæ in vita fuit de integritate humani corporis: etenim ſemper eſt concedendum, ſingulis reſtituendam eſſe eandem numero materiam, quæ fuit in vita. An verò omnes materiæ partes ſint reddendæ, quæ in vita fuerunt? an aliquot ſolum? & quænam reddendæ ſint? in ſequentibus quæſtionibus explicabimus. 3. 2. in dub.

Tertio loco illud apud omnes pro certiſsimo habetur aliquibus dandas eſſe aliquas materiæ particulas, quas in vita nũquam habuerunt, & per conſequens, quę nunquam fuerunt de veritate illius corporis, quod reſurgit: id enim in infantibus faciendum eſſe, & in alijs, in quibus natura fuit impedita, inferiùs oſtẽdemus. 4. 3. in dub.

His præmiſsis pro facili explicatione, primo loco nonnulla inquiremus de duplici materia, ſiue carne, quam admittendam eſſe diximus; nimirum de materia, quam à parentibus accepimus; & de illa, quæ per nutritionem fuit ſuperaddita. Deinde explicabimus quæ nam materia ſit nobis reddenda. De materia primigenia inquiremus; an illa fuerit in Adamo primo parente? Deinde; an illa ſemper vſque ad mortem nobiſcũ permaneat? tertio loco; an ſola illa ad veritatem naturæ humanæ pertineat? denique, an illa purius, & perfectius participet naturam ſpeciei humanæ, quam materia ex alimento ſuperaddita? de materia autem nutrimentali ſolùm expendemus; an illa ad veritatem naturæ humanæ æquè principaliter cum primigenia pertineat? His explicatis, accedendum erit ad explicationẽ propoſitæ difficultatis; hoc ordine: quia primò inquiremus; an materia primigenia in reſurrectione neceſſariò redibit? deinde, an ſola illa redibit? tertio; an debeant reſtitui omnes materiæ partes, quæ aliquando fuerunt de veritate naturæ humanæ? quarto; an reſurgere debeamus in illa materia, quam tempore mortis habebamus? quinto denique; an in tota illa reſurgemus, quam tẽpore mortis habuimus? 5. Ordo dicendorum.

ARTICVLVS IIII.

Quæ nam ſit materia primigenia? & de ijs, quæ ad illam ſpectant.

1. *De materia primigenia.* Antequam accedamus ad explicandos articulos, qui inquirunt in qua nam materia debeamus reſurgere? operæ pretium erit nonnulla inquirere de duplici materia, quam cum Philoſophis, & Medicis Theologi admittunt: de primigenia, inquam, & natiua, quam à parentibus per generationem accepim⁹; & de illa, quæ per nutritionem ex alimẽto de nouo acceſsit: In hoc articulo agemus de materia grimigenia: in ſequenti verò de nutritiua.

§. 1.

An materia à parentibus accepta fuerit in Adamo?

2. *An illi fuerit in Adamo?* Negandum non eſt vnumquẽque à parentibus accipere materiam, quæ informata per animam conſtituit hominem, & quæ, vt eſt organizata, dicitur corpus humanum, quod eſt altera pars phyſica eſſentialis, ex qua homo componitur. Et in hoc ſenſu meritò dicitur materia primigenia; quia per primam generationem à parentibus eſt accepta; vnde poteſt etiam dici natiua.

3. *Opinio Magiſtri.* Magiſter *in 2. diſt. 30. c. penult. & vlt.* vult materiam iſtam ideo dici primigeniam, quia in ea ſola fuit natura humana in Adamo primo parente primitus complantata. Cum eo conſentit *Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ lib. 19. cap. 78. & Hugo de S. Victore de Sacramentis parte 6. c. vlt.* *Magiſter hiſt. ſcholaſticæ. Hugo de S. Victore.* Qui volunt omnem poſterorum carnẽ, quã in primo ortu à parentibus accepimus, actualiter fuiſſe in Adamo; & ob hãc cauſam naturam humanam in vnoquoq; poſterorum ex ſola illa componi. Et id confirmat authoritate Auguſtini 10. ſuper Geneſim ad literam cap. 19. dum ait, nos omnes fuiſſe in Adamo, & ſecundum rationem ſeminalem, & ſecundum corpulentam ſubſtantiam.

4. *Obiectio contra Magiſtrum.* Si obijcias, fieri non poſſe, vt ipſa Adami caro ad poſteros fermè infinitos traducatur: reſpondent, ſingulos Adami filios ſingulas carnis Adami particulas tãquam verum ſemen deciſas in modica quãtitate accepiſſe; & has in ſingulis multiplicatas nullius nouæ ſubſtantiæ acceſſione, vſque ad virilem magnitudinem accreuiſſe, & in ſe ipſa ſtabilem ſemper permanere abſque vllo partium fluxu, aut refluxu: & ob id potuiſſe ex illa iam aucta decidi ſemen, quo filij generentur: & ad hunc modum eandẽ numero Adami carnem particulatim potuiſſe ad infinitos poſteros deuenire. Vnde concludunt quẽque noſtrum in primo ortu eãdem numero carnem, quæ actu fuit in Adamo, particulatam tamen, accepiſſe, & eandem poſſe poſteris communicare.

Et inde eſt, inquiunt, vt quiſque noſtrum ideo veram naturam humanam habeat; quia habet eandem ipſam numero carnem, in qua natura humana primùm fuit complantata; reliquam verò carnem eſſe naturæ humanæ extrinſecam. 5.

¶ Hæc magiſtri, & aliorum ſententia communi omnium conſenſu reijcitur, vt affirmat *D. Bonauentura in 2. diſt. 30. art. 3. q. 1. num. 32*: nam in ſuo fundamento non modo falſa eſt, ſed etiam irrationalis, teſte Diuo Thoma, & alijs. Et quanuis ob tanti viri reuerentiam, eam non audeat falſitatis accuſare D. Bonauentura, eam tamen reijcit communis ſententia *cum D. Thoma 1. p. q. 119. art. 1. vbi Caietanus, idem D. Thomas quodlib. 8. art. 5. & in 2. diſt. 30. q. 2. art. 1. vbi Richardus art. 5, q. 1: & 2. Aegidius q. 2. art. 1. Durandus q. 4. Baſſolius q. 2. art. 1. Theologi etiam in 4. diſt. 44. vbi D. Thomas q. 1. art. 2. quæſtiuncula 4. Scotus q. 1. artic. 1. Argentina q. 1. art. 1. concluſione 1. Sotus quæſt. vnica art. 2. §. Tres igitur opiniones, pag. 435. latiſſimè Abulenſis 6. tom. in Matthæum cap. 22. quæſt. 243. contra primam opinionem; Conimbricenſes 1. Phyſicorum cap. 9. q. 5. art. 3. ad 4. & 1. de Generat. cap. 5. q. 11.* 6. *Non recipitur hæc opinio. D. Bonau. D. Thom. Caiet. Richard. Aegid. Durand. Baſſolius. Scotus. Argent. Sotus. Abulenſ. Conimbr.*

Et meritò; quia pleraque ſumit abſurda. Quid enim abſurdius, quàm carnem, quam in ortu accepimus à parentibus, re ipſa, & actualiter fuiſſe in Adamo? nam vt omittamus, impoſsibilẽ eſſe eam, quã fingit carnis ꝓpagationem; ex ea benè infertur ſemen, ex quo gignimur, non eſſe ex ſuperfluo alimenti, ſed ex ipſa generantis ſubſtantia; & licet id magiſter admittat, non admittitur tamen à recepta, & vera Philoſophia: ſemen enim ex cõmuni Philoſophorum, & Medicorum conſen- 7. *1. abſurdũ.*

conſenſu non eſt aliud,quam excremẽtũ quoddam,ſuperfluumque alimenti: pars inquam, ſanguinis exactiſsimè decocti,
Ariſtot. quæ nutritioni quidem eſt ſuperflua,neceſſaria tamen generationi: *ita Ariſtotel. 1.de Generatione animalium cap.17.& 18.*
Pythagor. *& ante eum Pythagoras, teſte Plutarcho 5.*
Galne. *de Placit.Philoſophorum cap.3.ex Medicis*
Fernelius. *Galenus lib.2.de Semine cap.4.Ferneliuslib.*
D.Thom. *7.Phyſiologiæ cap.7.ex Theologis D.Tho-*
Caietan. *mas prima parte q.119.art.2.vbi Caietanus*
Ferrarien. *idem D.Thomas in 2.diſt.30.q.2.art.2.&*
Aegidius. *in 4.diſt.44.q.1.art.2.quæſtiunc.4.& 3.cõ-*
Richardus *tra gentes cap.121.vbi Ferrarienſis, Ægid.*
Durandus *in 2.diſt.30.q.2.artic.2.Richard.art.5.q.2.*
Conimb. *Durandus q.5.& plures alij relati à Conimbricenſibus 1.de generation.cap.4.quæſt.25. artic.2.*

8. Auguſt. nõ eſt pro Magiſtro.

Nec verba Auguſtini fauent Magiſtro: ſolùm enim ſignificant materiam, quam parentes foetui ſuppeditant (quæ appellari ſolet corpulenta ſubſtantia) & vim generandi eorundem (quæ ratio ſeminalis dicitur) habere originem ab Adamo; quia omnes ab illo naturam humanã accepimus cum omnibus illius proprietatibus. Ex quo non benè infertur,materiam,& carnem omnium noſtrũ in Adamo actualiter extitiſſe;ſed ſolum virtute, & poteſtate, tanquam in principio effe-
D. Thom. ctiuo,remoto quidem: ſed tamen primo,
Aegidius. vt optimè annotauit *D.Thomas in dicta q.*
Conimbri. *119.ar.2.ad4.& in d.diſt.30.q.2.ar.2,ad1. & quodlibet.8.art.5.ad tertium. & Aegid. in dicta diſt.30.q.2.art.1.ad argumenta,Conimbricenſes 1.de Generat.cap.5.q.11.art. 3.ad vltim.* Fuimus autẽ virtute in Adamo ſecundum rationem ſeminalem; quia Adamus ſuam vim generatiuam (quæ dicitur ratio ſeminalis) noſtris parentibus communicauit: in eo autem fuimus ſecũdum corpulentam ſubſtantiam (quæ eſt materia,ex qua generamur) quia omnes maiores noſtri ab Adamò acceperũt vim altricem,qua ex ſumpto alimento materiam generationi aptam præpararent: ſiue illa ſit ſola materia ſanguinis menſtrui ex parte matris,ſiue etiam materia ſeminis virilis ex parte patris.

9. 2.Abſurdũ.

Secundo non eſt minus abſurdum aſſerere,materiam primigeneã, in qua naſcimur, creſcente ætate fieri maioris quãtitatis, abſque nouæ ſubſtantiæ acceſſu: quod omniũ conſenſu veræ philoſophiæ contradicit, nihil enim poteſt ex paruo fieri magnum,niſi aut acceſſu nouę materiæ, aut rarefactione. Iam vero planum eſt,materiam illam primigeniam incrementum non accipere per rarefactionem: illud igitur accipiet acceſſu nouæ materiæ. Maior huius diſcurſus,licet dubia ſit,ſi diuinam reſpiciamus potentiam, vt aduertunt *Conimbricenſes 1. de Generatio.cap.5.q.18.art.1.* tamen ſi ſola vis naturæ attendatur, eſt planè apud omnes, (vno Magiſtro excepto)prorſus indubitata, vt patet ex Doctoribus contra Magiſtrum citatis, quibus addimus *Duran-*
dum in 2.diſt.18.q.1.& Capreolum in ſecun *Durand.*
do diſtin.19.q.1.ibidem Soncinatem in 1.q. *Capreol.*
idem Soncinas in 8.Metaphyſic.q.4. Curſus *Sonbinas,*
Conimbricenſis vbi ſuprà art.primo in principio. *Conimbri.* Quam ſententiam expreſſè videtur probare Auguſtinus lib.10. ſuper Geneſim ad literam cap.vltimo. Etenim,quòd res aliqua ſui ipſius entitatiua multiplicatione poſsit fieri maior, eſt prorſus inintelligibile: nam ex D.Thom.in d.q.119. art,1.in 3. Rat. idem cum ſe ipſo entitatiuam multitudinem nõ conſtituit.

Porrò ſi Magiſter agit de multiplicatione ſui ipſius quoad ſitum quatenus .ſ. 10.
eadem res ſimul ponitur in diuerſo ſitu, & loco;talis multiplicatio ad rem non facit, nec verum augmentum addit, nec deniquè eſt poſsibilis viribus naturæ: iam verò in nobis augmentum naturaliter fit, & non miraculoſè; quamuis oppoſitum
quidam malè philoſophentur. Quare ma- Probatur maior.
ior ſuperioris diſcurſus eſt veriſsima.Porrò minor videtur magis euidens:alioquin quò plus quiſque augeretur,eò in maiorẽ raritatem abiret; & ita pefectiora eſſent puerorum corpora, quam virorum, vt benè aduertit D.Thomas in dicta quæſt. 119. articulo primo. Accedit etiam, inquit Sotus; quia corpuſculum in paruiſſima quantitate conceptum nõ poteſt ad tantam quantitatem naturaliter rareſcere,quanta eſt magnitudo corporis virilis: excedit enim non modo, decuplam, & centuplam;ſed etiam milleſimam proportionem;eſſentque proinde virorum corpora ob ſummam raritatem inuiſibilia, ſicut aer,& ignis.

§. 2.

An Caro primigenia à parentibus accepta permaneat vſque ad mortem?

11. 1. Opinio. DE hac quæſtione duas inuenio opiniones. Prima affirmat carnē primigeniam actione caloris natiui nulla ratione dilabi; & ſubinde integram in nobis vſque ad finem vitæ perſeuerare; cuius opinionis primus author fuit *Alexander Aphrod. apud Auer. in 1. de Generat, cap. 5. Comm.* 38. quem in hoc ſecutus eſt *Magiſter in 2. d. 30. c. pen. & vltimo, & Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ lib. 19. cap. 78. & Hugo Victorinus de Sacram. p. 6. cap. vltimo*: qui omnes ob hanc rationem volūt carnem iſtam natiuam appellari humidū radicale: eam vero, quæ eſt ex alimento, humidū nutrimenttale: volunt etiam dū Ariſtotel. 1. de Generat. cap. 5. ait in nutritione ſemper manere partes formales, quamuis materiales labātur; nomine partium formalium intelligendam eſſe carnēm iſtam primigeniā, quæ ſemper permanet: nomine verò partium materialiū intelligi eas materiæ partes, quæ nutritione adueniunt.

Aphrod, *Magiſtri.* *Hugo,*

12. Fundamentum. Pro qua ſententia nullum inuenio fundamentum: poteſt tamen Theologicè confirmari ex eo, quod plerique putant carnem, quam Verbum Diuinū ex Virgine aſſumpſit, eandem abſque vllo caloris diſpendio ſemper permanſiſſe: iuxta *Auguſt. in Sermone de Aſſumptione Virginis cap. 5. caro Chriſti, quamuis gloria reſurrectionis fuerit magnificata; eadem tamen manſit. quæ ſuſcepta eſt.* Ob quam rationē *Petrus Damianus in ſermone de Natiuitate B. Mariæ* præter tres ſpeciales eſſendi modos, quibus Deus in omnibus rebus exiſtit; quartum modum his, & ſpecialiorem, & excellentiorem theologizauit quo in Virgine exiſtit: nempe per identitatem eiuſdem carnis, quam ab ea ſumpſit, & perpetuo retinet: nec eſt cur dicamus hanc carnis primigeniæ in Chriſto permanentiam eſſe miraculoſam: quod ſi eſt naturalis, vtique, & in nobis eadem caro ſemper illæſa permanebit.

Auguſt.

13. 2. Opinio. Secunda opinio admittit vtramque carnem natiuam. ſ. & aggenitam actione calidi dilabi (ſiue illa ex alimento reſtauretur, vt cōmunis putat ſententia, ſiue non reſtauretur, vt putant Richard. & D. Bonauent.) negat tamen fieri poſſe, vt in aliquo homine quantumcunque prouectæ ac longiſsimę ſit ætatis, fluant omnes partes carnis primigeniæ, & maneant illæ ſolæ, quæ fuerunt ex alimento aggeneratę: ita cum quibuſdā exiſtimat *Abulenſ. cap. 22. Matth. q. 243. litera B B B.* in quo etiam nullum inueni fundamentum: poterit tamen aliquo modo confirmari exemplo carnis, quam Verbum à Virgine accepit: de qua actione calidi aliquid, parum tamen, fuit reſolutum; vnde ferè integra vſque ad mortem perſeuerauit, & in reſurrectione permanſit, quę opinio fuit Suarij 2. tom. diſputatione 1. art. 2. poſt principium.

Abulenſ.

Nos contra vtramque ſententiam exiſtimamus putamuſq; non eſſe neceſſariū vt caro primigenia, vel integra, vel ſecūdum aliquas ſui partes vſque ad finem vitę nobiſcum permaneat; pro cuius ſententiæ confirmatione duas ſtatuimus concluſionis. 14. Neutra recipitur.

Sit prima concluſio; non ſolùm materia, quæ ex alimento aduenit, ſed etiam, quæ eſt natiua, & à parentibus accepta actione caloris perpetuo dilabitur, & fluit: hæc concluſio deſtruit fundamentū Magiſtri: contra quod docuit cōmunis opinio Philoſophorum, Theologorum, & Medicorum, ita docent *D. Thom. 1. p. q. 119. art. 1. & Caietan. ibidem, idem D. Tho. in ſecundo diſt. 30. q. 2. art. 1. contra ſecundā ſententiam. & ad 3. & in quodlib. 8. art. 5. & in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 4. Richard. in ſecundo diſt. 30. art. 5. q. 1. & D. Bonauen. ibidem art. 3. q. 2. Scot. in 4. d. 44. q. 1. art. 1. contra. 1. & inferiùs concluſ. ſecūda, & 4. Sot. ibidem q. 1. artic. 2. §. At profectò, & §. 3. ergo opinio, Abulenſ. in dicto cap. 22. Matth. q. 243. contra 2. opinionem. Conimbric. 1. de Generat. c. 5. q. 11. & in libro de longitudine, & breuitate vitæ c. 2. probl. 2.* & alij plures: ex Medicis *Thom. de Garb. in Summa medicinali lib. 1. tract. 5. q. 63. & in tract. de reſtauratione humidi radicalis cap. primo, Fernelius lib. 4. Phyſiologiæ cap. 6. octauo, & 9. & pagina 74. 76. & 78.* 15. 1. Concluſ.

D. Thom: Caietan. Richard. D. Bonau. Scotus. Sotus. Abulenſ. Conimbri. Th. de Gar. Fernelius.

Quæ ſententia facilè demonſtratur, ſi ſupponamus cum communi Medicorum (de qua *Fernelius lib. 5. eiuſdem Phyſiologicæ cap. 3. & ante eum Caietan. prima parte q. 119. art. primo ante finem §. Ad euidentiā horum*) tres vires animæ vegetatiuę nutritiuam. ſ. augmentatiuam, & generatiuam ita eſſe inter ſe naturaliter ordinatas, vt nutritiua ſit omnium prima, cuius actione, & opere cæteræ duæ indigent: nutri- 16. 1. Probatur

Fernelius. Caietan.

tiuę

tiua enim ita præparat alimentũ, vt prius eo vtatur ad opus proprium ſibi, quod eſt nutrire: ſuperfluum verò, ſi quod remanet aliorum operibus relinquat. Quod ab omnibus recipitur, ſi nutritiua conferatur cum generatiua: ſemen enim (vt ſæpè diximus) eſt de ſuperfluo alimenti ad generationem reſeruati: eſt etiam id veriſsimum in ordine ad augmentatiuam: omnes enim fatentur non dari opus facultatis augmentatiuæ ſine præuio opere nutritiuæ, vt cum Medicis docent Caietan. & Fernelius loco citato: cui ſi adiungas proprium altricis facultatis opus eſſe reſarcire, & inſtaurare, quod actione calidi eſt deperditum inferes nullam dari poſſe augmentationem viuentis, niſi pręcedat alicuius partis deperditæ reſtauratio: fit enim augmentum, non per iuxta poſitionem, ſed per intus ſuſceptionẽ factam in poris, ſiue cauitatibus factis actione caloris quas alimentum vltimo diſpoſitum ingreditur, vt cum Medicis cõmuniter docent Philoſophi in libris de Generatione. ¶ Ex his neceſſariò infertur ante primã viuentis augmentationem neceſſariò pręcedere aliquam carnis deperditionem factam actione natiui caloris, quæ ex alimẽto per nutritionem reſtauretur. Hæc autem caro nulla alia eſſe poteſt, niſi natiua, vt conſtat.

17. 2. Probatio

Secundò; caro natiua ex ſua natura eſt corruptibilis: & præterea eſt eiuſdẽ rationis cũ carne facta ex alimento: etenim genita eſt ex ſemine, quod ex alimento fit, erit igitur paſſum naturaliter proportionatũ calori naturali; qui cum naturaliter agat, non poterit non agere in illam. Accedit; quia calor naturalis per totũ viuentis corpus diffuſus eſt, & in tota viuentis ſubſtãtia indiſſolubiliter inſidet: cur igitur in totam illam (quæcumque illa ſit) agere nõ poterit? Dices cum Aphrodiſeo, & Magiſtro carnem aggeneratam, cum ſit natiuæ carnis fomentum, vim caloris naturalis retundere, ne in carnem natiuã agat; ſicut plumbum reſiſtit actioni ignis, ne aurum conſumat: obijciam tamen calorẽ naturalem priùs agere in carnem natiuã, quam ex alimento aliquam carnem aggeneret, vt prima ratio demonſtrat: deinde non video, quomodo actio caloris natiui impediri poſsit, ne agat in carnẽ primigeniam. Quod latiùs oſtenderem non eſt

Reſponſio Magiſt.

Non recipitur.

huius loci. ¶ Tertio accedit; quoniam in brutis, & ſtirpibus materia primigenia cõſumitur actione natiui caloris. Ergo, & in homine: nec enim vlla ratio diſcriminis dabitur, maximè cum vegetatiua hominis nõ minus ſit efficax, & perfecta, quã ſtirpium, & animantium. 3. Probatio

18. Vlt. Probat.

Poſtremò; non eſt verum ſolam carnem natiuam appellari humidum radicale, in quo calor naturalis, tanquã in propria ſubſtantia indiſſolubiliter ſuſtentatur: quæ fuit opinio *Thomæ de Garbo locis citatis*, cum quo concinunt Theologi *D. Thom. 1. p. q. 119. art. 1. ad 3. & Caiet. ibidem Sotus in 4. d. 44. q. vnica artic. 2. vt alios omittamus*: quod ſi cum Fernelio *lib. 4, Phyſiologiæ cap. 6. fol. 74. in principio.* velis humidum radicale eſſe carnem ſolidam à ſemine virili acceptam ad modum fibrarum, & ſtaminum filis quibuſdã minutiſsimis aranearum ſimilibus à principio cõtextam in qua veluti in oleo, cuius ſpeciem refert, perpetuo fruitur, cum eodem neceſſe erit concedere, non omnem ſubſtantiam primigeniam eſſe humidum radicale: nam ſubſtantia carnoſa, quæ ex ſententia Fernelij à matre accipitur, eſt ab ipſo ortu; & tamen actione calidi conſumitur.

Th. de Garbo. D. Thom. Caiet. Sotus. Fernelius

19. Explicatio Ariſtot.

Nec ſimiliter verum eſt Ariſtotelem nomine partium formalium, quæ in nutritione ſemper permanent, intellexiſſe materiam iſtam, & carnem in ortu acceptã: eſt hęc explicatio longè à mente Ariſtotelis, vt optimè demonſtrant *Conimbricenſ. in 1. de Generat. cap. 5. q. 12. art. 1.* vbi videbis, quid nomine partiũ formalium, & materialium ſit intelligendum: de quo multa apud Richard. *in 2. d. 30. q. 1. art. 1. ad 2. & in 4. diſt. 44 q. 1. art. 2. q. 5. ad 2. & apud alios tàm in ſecundo, quàm in quarto locis citatis.*

Conimbri. Richard.

20 Ad argu. ex carne Chriſti.

Nec pro hac ſententia quicquam facit, quod adducitur de carne Chriſti Domini primigenia: tùm; quia vt id concederemus in Chriſto, non proinde idem in nobis erit admittendum; cum id fiat diuina prouidentia ob ſpecialem rationem myſterij: tùm etiam; quia non eſt admittendum nihil fuiſſe reſolutum de illa Chriſti carne actione natiui caloris: nec id concedunt Theologi, ſed ſolum docent parum de ea fuiſſe conſumptum; & proinde fere integram vſque in finem perſeueraſſe per-

permanſiſſeque in reſurrectione, vt videre eſt apud *Suarium in dicta diſp. 1. tom. 2. ſect. 2.* Concludendum eſt igitur carnem primigeniam ex hoc capite non ſumere ordinem neceſſarium ad reſurrectionem.

21. 2. Concl. Secunda concluſio; ſi ſemel admittamus carnem primigeniam vi caloris natiui perpetuò dilabi, non poterit cum probabilitate negari poſſe contingere, maximè in extrema ſenectute, vt nihil carnis primigeniæ remaneat: nam quod id poſſit contingere admittunt *Conimbriſ. 1. de Generatione cap. 5. q. 11. art. 3. ad 2*, (Conimb.) Quòd facta illa hypotheſi id probabiliter non negetur inde patet; quia materia illa primordialis eſt admodum exiguæ quãtitatis. Quare cum actioni caloris perpetuò ſubiaceat; cur omes illius partes tanta tẽporis diuturnitate non conſumentur? manentibus ſolis ijs, quæ ex alimento fuerunt: cur id non contingat, plane non video: maximè, quia non repugnat, vt caro, quæ in maiori qunatitate, vel in vtero, vel in infantia nutritione aggeneratur, actione eiuſdem caloris prorſus diſsipetur. Cum igitur calor naturalis in tota ſubſtantia, tàm, quę natiua eſt, quàm, quę aggenerata, indiſſolubiliter, & æqualiter aſsideat, & ætatũ progreſſu vtraque ſubſtantia magis ſemper, ac magis ſiccetur, & areſcat; calorque naturalis fiat ſemper acrioris qualitatis; cur æqualiter in vtrũque humidũ non aget?

22. Ad obiectionem. Id verò quod ex carne primigenia Chriſti obijcitur facilè diſſoluitur, & 1. quia forte non valet argumentum in hac materia ſumptum à Chriſto, propter ſpecialem rationem myſterij. Secundò; quia Theologi non ſolûm agunt de ſubſtantia quã Chriſtus in primo ortu habuit à Virgine; ſed etiam de ea, quæ poſtea, tàm in vtero, quàm extra in infantia ex ſanguine, & lacte Virginis priori per nutritionẽ eſt adaucta, vt patet ex Suario loco citato: hæc autem maioris fuit quantitatis, quam vſque ad tempus mortis actione calidi conſumi potuerit; quæ tota fuit à Virgine accepta. Tertiò denique; quia vt admittamus carnem primogeniam vſque ad ſtatum parum conſumi ob magnam humidi reſiſtentiam, facilem alimenti conuerſionem, & amicam humidi cum calore pro illo tempore ſocietatem; non proinde ſequitur non poſſe eam vſque ad extremam ſenectutem conſumi; cum à ſtatu, & temperata illa ſocietas, & amicitia humidi cum calido diſſoluatur ob caloris acritatem, & humidi radicalis ſiccitatem.

§. 3.

An ſola materia, caro ve primigenia pertineat ad veritatem naturæ humanæ?

23. Quæſtio. IN hac difficultate tres inuenio opiniones. 1. abſolutè docet ſolam carnem primigeniã eſſe de veritate naturæ humanæ. Secunda diſtinguit; vt caro primigenia principaliter, & primario pertineat ad naturæ humanæ integritatem; nutrimentalis verò, pertineat quidem ad veritatem humanæ naturę; non tamẽ primariò, ſed ſecundariò. Tertia denique opinio aſſerit vtramque materiam, primigeniam ſcilicet, & naturalem æquè principaliter pertinere ad naturæ humanæ veritatem: tamen primigeniam prius, purius, & perfectius participare virtutẽ ſpeciei humanæ quam nutrimentalem. de 1. opinione nunc agemus, de 3. in §. 4. ſequenti dicemus: de 2. vero diputabimus in 5. ar. (Variæ opiniones.)

24. 1. Opinio. Prima igitur opinio abſolutè, & ſimpliciter docet ſolam primigeniam carnẽ, quam à parẽtibus accepimus, & quæ fuit in Adamo eſſe de veritate naturæ humanæ: *ita Magiſ. in 2. d. 30. cap. penul. & vlt. & cum eo conſentiũt Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ lib. 19. cap. 78. & Hugo de S. Victore de Sacramentis p. 6. cap. vlt.* (Magiſter. Magiſter. Hugo de S. Victore.) Fundamentum ſumitur ex verbis Chriſti Domini Matth. 15. & Marc. 7. *Omne quod in eos intrat, in ventrẽ vadit, & in ſeceſſũ emittitur.* Sed omne, quod per os intrat; eſt alimentũ, quod per os ſumitur: Ergo nullum conuertitur in ſubſtantiam, quæ ſit de veritate naturæ humanę. Ratione etiam id oſtẽdunt; quia ſola illa materia informatur forma humana, augmentata tamen ſecundum exigentiam ætatis: id autem ex eo probat Magiſter; quia puer, qui ſtatim poſt ortum moritur in ſola materia reſurget, quam à parentibus accepit, augmentata tamen quouſque ſatis ſit ad ſtaturam plenitudinis ætatis, in qua eſt reſurrecturus: Ergo ſi viueret, illa materia non augmentaretur per additionem alterius, ſed ſe ipſa, & per conſequens ipſa ſola informaretur anima rationali, nõ verò alia materia, quæ eſſet ex alimento; & per conſequens

quens ſola illa pertinet ad veritatem natu
ræ humanæ.

D. Thom. Hæc opinio à cæteris omnibus cõmu-
Caietan. ni conſenſu reprobatur: ita *D.Thom.1.p.*
Scotus. *q.119.art.1.vbi Caietan.& in 2.d.30.q. 2.*
art.1.& quodlib.8.q.5.& in 4.d.44.q.1.ar
tic.2.q.4. vbi Scotus q.1.artci.2.litera M.
Sotus. *Sotus q.1.art.2.contra primam, Thomas de*
Argent. *Argen.q.1.art.1.ad 2. contra 2.Baſſolius in*
Baſſolius. *2.d.30.q.2.art.1.Abulenſis to.6 in Matth.*
Conimbri. *cap.22.q.243.,Conimbricen.1.de Generatio*
Abulenſ. *ne cap.5.q. 11.cum Auerr.ibi Commẽt.* 38.
D.Bonau. nec in hoc, articulo à cõmuni diſſentiunt
Richardus *Aphrodiſæus, Richard.& Bonauent.& cæte*
ri, qui ſecundã opinionem ſequuntur. De
nique cum communi conſentiunt omnes
Medici. Qui omnes *Doctores* in hoc con
ueniunt, vt non ſola caro primigenia, quã
à parentibus accepimus, ad veritatem na-
turæ humanæ pertineat, ſed etiam nutri-
mentalis.

26. 1.Confir. Hæc opinio multis confirmatur: & 1.
Auguſt. quia Auguſtin. expreſſè docet in hoc
lib.de vera Relig.cap.46.tom.1.dum ait:
Alimenta, quæ ſumimus, ita à natura diſtri-
bui, vt quæ ſunt apta in membrorum fabricã
migrent, & tranſeundo in membrorum formã
reficiant. Quæ verba ſatis exprimũt ſub
ſtantialem compoſitionem: quam eandẽ
expreſſè ſignificat Auguſt. *Si attentiùs le*
gatur lib.22.de Ciuitate Dei cap,19.expreſ-
Neemeſi. *ſiùs Nemeſius in lib.de natura hominis capit.*
23.tom.8.bibliotecæ Patrum: agens enim
de hominis nutritione diſertis verbis aſſe
rit alimenta tranſire in naturam. Pro ea-
dem ſententia Conimbri.citant D.Gre-
gor.Nyſſenum, Damaſcenum, & Lactan
tiũ: ſed apud iſtos nihil ad rem inuenio.

27. 2.Confir. Secundo; quia communis eſt Philoſo-
phorum, Medicorum, & Theologorum
conſenſus alimenta conuerti in verã ſub-
ſtantiam eius, qui nutritur, vt teſtantur
Conimbric.in 1. de Genera.c.5.q.11.arti. 2.
id enim vno ore affirmant Theologi in 2.diſt.
D.Thom. *30. vbi D.Thom.q.2.artic.1. Ægidius q.2.*
Richard. *art.1. Richard.art.5.q,1. D.Bonauent.arti.*
Aegidius. *3.q.2. Maior q.5. Durand.q.4. Baſſolius q.*
D.Bonau. *2.art.1.& alij communiter,* idem etiam do
Maior. cent Theologi *in 4.diſt.44. vbi D. Thom.*
Durandus *q.1.art.2.q.4. Albertus Magnus art.5.Sco-*
Baſſolius. *tus q.1.art.1.& 2. Argentina q,prima arti.*
D. Thom. *1.in vtraque concluſ.idem D.Thom. 1.p.q.*
Albertus. *119.art.1.vbi Caietan. & quodli, 8. art. 5.*
Scotus. *Albertus in Summa de homine, 2.par.in q de*

potentijs vegetatiuis, Henricus quodlibet.2.
q.10. & quodli.4.q.26. Alenſ 2.p.q.8.M. *Henricus.*
2.art.1. Vldaricus lib.4. Summæ cap.de Ge- *Alenſis.*
neratione, & augmentò, Abulenſis in dicta *Vldaricus*
q,243.in cap.22. Matth.Conimbric. vbi ſu- *Abulenſ.*
prà. Et hanc eſſe conſtantem doctrinam *Conimbri.*
Medicorum ſatis colliges ex *Fernelio lib.* *Fernelius.*
5.Phyſiologiæ cap.3.pag.84.num.20.& li- *Valeſius.*
bro 6.cap.5.pag.117. & ex Valeſio libr. 2.
controuerſiarum cap.9.& ex alijs, qui de fa
cultate altrici diſputant. Porrò ex Philo
ſophis ſatis id docuit *Plato in ſuo conuiuio,*
& Ariſtot.1.de Generat.cap.5. & in 2. de *Plato.*
Anima cap.4. nihil igitur curandum eſt de *Ariſtot.*
vno vel altero, ſi hanc Philoſophiam cum
Magiſtro negent in homine; concedant
verò in cæteris viuentibus: nam citati au-
thores præcitatam Philoſophiam princi-
paliter docent de homine: & meritò illa
in homine debet eſſe veriſsima: nam cum
facultas altrix in homine non minùs ſit
efficax, quam in cæteris viuentibus; ſi in
alijs alimentum cõmutatur in veram illo
rum ſubſtantiam; etiam in homine com-
mutabitur.

Tertia ratione id ipſum demõſtratur: 28.
quia non eſt negandum alimentũ conuer- 3.Ratio.
ti in veram hominis carnem (nomine car
nis intellige cæteras hominis partes) id
enim fatetur Magiſter; & in hoc rectè:
quia ex *Ariſtotel.1.de Generat.cap.5.& in* *Ariſt.*
2.de Anima cap,4. alimentum eſt poten-
tia caro, & os & cæt. iam vero dici nõ po-
teſt carnem illam non informari anima
rationali: tùm; quia id eſt improbabile:
tùm; quia omnium conſenſu alimentum
tranſit in formam aliti, vt expreſſê docet
Auguſtin. loco citat. at in homine vna tã
tum datur anima, & ſuſtantialis forma,
iuxta communiorem, & veriorem ſentẽ-
tiam: tum etiam; quia virtus actiua ſemi-
nis non eſt maioris virtutis in agẽdo, quã
ſit ipſa anima, a qua veluti eius vicaria di-
riuatur: ſi verò virtute ſeminis materia
redditur apta, vt ſuſcipiat animam huma
nam; a fortiori ipſa anima vegetatiua pote
rit in materiam alimenti eandem animam
imprimere; maximè, quia vt iam dixi-
mus, ſemen non eſt aliud, quam ſuperfluũ
alimenti, ſicut igitur vis ſeminis in eam
poteſt introducere animam rationalem;
cur vis nutritiua animæ non poterit iſpam
animam introducere in materiam alimẽti
vt ex ea homo particulatim conſtet? ete-
nim

nim ex ſententia *Ariſtot.1.de Generat.c.5.* nutritio eſt partialis quædã generatio eiuſdem naturæ, & ob id dici ſolet aggeneratio. Porrò ſi caro aggenerata informatur anima intellectiua; non poteſt nõ concedi eam eſſe veram, & ſubſtantialem partem naturæ humanę: nihil enim aliud niſi natura humana componi poteſt ex materia, & anima rationali: totaliter quidem; ſi materia eſt totalis; partialiter autem; ſi materia eſt partialis.

29 4. Ratio. Quartò, quia materia primigenia indiget etiam reſtauratione, vt dicemus: reſtaurari autem non poteſt, niſi id, quod ex alimẽto generatur, ſuccedat in locum deperditi: erit igitur, ſicut & illud erat, de ſubſtantia naturę humanæ: maximè quia materia nutritione adueniens ex *Ariſtot. 1.de Generat.cap.5.* fit ſimilis priori dum eadẽm, qua prior, informatur anima, & cum illa fit vnum quid ſubſtantiale. Cur igitur non erit de ſubſtantia naturæ humanæ? profectò nulla datur ratio diſcriminis. *Ariſt.*

30. Vlt. Ratio. Poſtremò, hoc Magiſtri fundamentũ altero debiliori nititur; imò lõge abſurdiori; quia putat ſolã illã materaim, & carnẽ eſſe de veritate naturæ humanæ, in qua humana natura in Adamo primitus complantata eſt: & ob id aſſerit noſtram carnem primigeniam re ipſa, & actu in Adamo fuiſſe. Hoc autem poſterius ſuprà §.1. huius quarti articuli, acriter impugnatum eſt: quo corruente fundamento omnino etiã corruit fundamentum prius: & meritò ſane; quia ſi Philoſophice loquendũ eſt veritas naturæ humanæ per ſe ſumenda eſt ex veritate principiorum, tàm communium, quàm ſingularium, ex quibus & humana natura, & hęc natura humana, eſſentialiter componitur: hæc autẽ ſunt anima, & materia prima, quæ ipſa ex ſe eſt apta informari anima rationali, & cum ea naturam humanam ſubſtantialiter cõponere.

31. Concluſ. cõtra Magiſt. Ex quibus omnibus cõcludendum eſt contra Magiſtrum, non ſolum eam materiã, quam à parentibus in ipſo primo ortu accepimus; ſed etiam eam, quæ ex alimẽto de nouo accreſcit ad ſubſtantialem humanę naturæ veritatem, eſſentialiter pertinere.

32. Ad argum. *Matth.15* Nec Magiſtrum iuuant verba ſaluatoris Matth.15. & Marc.7. omne, *Quod in eos intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur:* quia ſolùm ſignificant ex omni alimento aliquid in ſeceſſum abire, quoniam nullum adeò eſt purum, quin recrementa, & feceshabeat, quę à natura in aluũ eijciantur. Hæc eſt communis explicatio de qua *D.Thom.1.p.q.119.art.1.ad primum, & in ſecundo diſt.30.q.2.artic.1. vbi* etiã *Aegidius q.2.art.1.ad primum, Richardus art.5.q.1.ad primnm. Diuus Bonauent. art.3.q.1.num.35.* & reliqui omnes, quos contra Magiſtrum citauimus: nam idem ipſe Magiſter aſſerit alimentum in carnẽ conuerti, quod ſecundum partes puriores eſt veriſsimum. *Marc.7.* *D.Thom: Aegid. Richard. D.Bonau.*

§ 4.

An ſola caro primigenia puriùs & perfectiùs participet naturam ſpeciei humanæ.

33. Alia quæſt. IMpugnata ſententia Magiſti, & eorũ, qui eum ſequuntur, expendenda eſt aliorum opinio, qui licet doceant carnem nutrimentalem non ſolùm verè pertinere ad integritatem naturæ humanæ, ſed etiam æquè principaliter, exiſtimant tamen carnem primigeniam à parentibus acceptam puriùs, & perfectiùs participare virtutem ſpeciei humanæ, quam nutrimentalem. Hanc opinionem probauit *Abulenſis tom.6.in Matth.cap.22.q.243. lit.EE.& FF.* & paſsim in ea quæſtione: quę prius fuit *D.Thom.in 4.d.44.q.1.art.2.quæſtiuncula 4.ad finem corpor.& ad 4.& Scoti ibidem q.1.art.2.concluſione 2.* probãt *Ouand.ibidem & Angles in ſuis Floribus de reſurrectione art.6.dub.1.* vbi id confirmãt eo fundamento: quia materia primigenia magis eſt de intentione naturæ, quam nutrimẽtalis: etenim natura magis intendit generationem ſuppoſiti, quam eiuſdem iam geniti conſeruationem. *Abulenſis D.Thom, Scotus. Ouandus. Angles.*

34. Nõ recipitur. Sed nec iſta opinio eſt recipienda: contra quam hoc ſolo vtemur fundamento: quoniam, vel ſermo eſt de participatione virtutis ſpeciei humanæ in eſſendo, id eſt de eſſentia, & integritate ſpeciei humanę: vel de participatione virtutis in agendo, & in obeundo actiones naturæ humanæ proprias. Si priori modo: admittimus materiam primigeniam prius tẽpore participare virtutem humanæ ſpeciei; quia prius tempore eſt actuata anima rationali ſed hæc temporis prioritas in participãdo

do conſtituendoque naturam humanam non infert prioritatem in participatione eſſentiali; ſicut etiam non infert participationem puriorem, & perfectiorem ipſius virtutis eſſentialis: maximè apud iſtos authores, qui nobiſcũ admittunt vtramque materiam, primigeniam, ſcilicet, & nutrimentalem, æque principaliter, & æque eſſentialiter pertinere ad veritatem humanæ naturæ: ſi verò ſuam opinionem intelligant in ſenſu poſteriori; non ſunt audiendi: quia caro illa primigenia, quæ additione nouæ materiæ nutrimẽtalis fit maior, tùm in vtero, tũ extra vterũ, eò firmior eſt ad obeũdas operationes, nõ ſolùm animæ intellectiuæ, & ſenſitiuæ, ſed etiã vegetatiuæ: etenim quo ætas magis creſcit, eo corporis organizatio, etiam in vtero matris, firmior redditur, & perfectior, vt & Medici docent, & experientia oſtendit.

ARTICVLVS V.

Vtrùm materia nutrimentalis per nutritionem nobis addita pertineat ad veritatem naturæ humanæ?

§. 1.

Referuntur opiniones.

1. Tres opiniones. EX ijs, quæ diximus articulo ſecundo, §. tertio colliges de hac quæſtione tres reperiri opiniones. Prima ſimpliciter negat materiam nutrimẽtalem per nutritionem nobis ſuperadditam aliquo modo pertinere ad integritatem naturæ humanæ. Secunda adhibita diſtinctione quæſtionem diſſoluit: nam duobus modis aliqua materia pertinere poteſt ad veritatem humanæ naturæ: vno modo principaliter, & primario: altero modo ſecundario, & minus principaliter: admittit igitur eam pertinere quidem ad veritatem naturæ humanæ; non tamẽ primario, & principaliter, ſed minus principaliter, & ſecundario. Tertia tandem opinio affirmat materiam nutrimentalẽ pertinere ad veritatem naturæ humanæ ſimul cum materia primigenia à parentibus accepta, & æque principaliter cũ illa.

2. 1. Opinio. Prima opinio probata eſt Magiſtro ſententiarum, Hugoni de Sancto Victore, & Magiſtro Hiſtoriæ Scholaſticæ; qui voluerunt ſolam materiam primigeniam eſſe de veritate, & integritate humanæ naturæ. Sencundã opinionem probauit 2. Opinio. opinio relata à *D. Thom. 1. p. q. 119. ar. 1. & in 2. diſt. 30. q. 2. art. 1. & in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 4. quam opinionem probarunt Richard. in dicta diſt. 44. art. 1. q. 4. & D. Bonauent. in 2. diſt. 30. art. 3. q. 1. nu. 37. & 38. & q. 2. num. 41. & 42.* apud quos duæ ſtatuũtur propoſitiones. Prima propoſitio, ſola materia, quam à parentibus accepimus, principaliter, & primario pertinet ad veritatem naturæ humanæ. Secunda propoſitio: materia, quę ex alimento per nutritionem ſuperadditur, pertinet quidem ad veritatem naturæ humanæ; nõ tamen primo, & principaliter, ſed ſecundario. Richard. D. Bonauen.

Tertia opinio à nobis probanda affirmat vnã, & alteram materiam, ſiue carnẽ; tàm quæ à parentibus ſumpta eſt, quàm quę per nutritionẽ eſt aggenerata, æque principaliter, & æque primario ad veritatem humanę naturæ pertinet. Contra 1. opinionem latè egimus in pręcedente ar. §. 3. nunc agemus contra 2. 3. 3. Opinio.

§. 2.

Confirmatur tertia opinio.

COntra 2. opinionem, & pro opinione 3. quam probamus, illud primũ adducimus, quia 3. opinio inter Philoſophos: & Theologos eſt cõmunis: eam enim probauit 3. opinio relata à D. Tho. in locis citatis: quam probauit *Auerro. in 1. de Generat. Comment. 38. D. Thom. 1. p. q. 119. art. 1. vbi Caietan. idem D. Thom. in 2. diſt. 30. q. 2. art. 1. & in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 4. & 5. vbi Scotus q. 1. art. 1. & 2. Sotus q. vnica art. 2. Baſſol. in 2. diſt. 30. q. 2. artic. 1. Abulenſ. in cap. 22. Matth. q. 243. in 1. opinione, Conimbri. 1. de Generat. cap. 5. q. 11. & plerique alij.* 4. 3. Opinio e vera. *Auerroe. D. Thom. Scotus. Sotus. Baſſol. Abulenſ. Conimbr.*

Pro huius opinionis confirmatione aduerte multis modis intelligi poſſe aliquas partes naturæ humanę principaliter pertinere ad illius ſubſtantiam vno modo; quia inter partes humanæ naturę ſunt præſtantiores. Secundo modo; quia ſine illis natura humana ſimpliciter non ſubſiſtit: quales ſunt materia, & forma, ſine quibus eſſentia hominis non conſtat: partes ætherogeneæ, vt cor, caput, & cætera membra, quæ à Medicis appellantur principalia, ſine quibus homo ſimpliciter 5. Aduertendum.

citer non ſubſiſtit; benè tamen ſine pede, aut manu. Tertio adhuc modo; quia natura humana in primo cuiuſque ortu in illis partibus eſt fabricata. Quæſtio propoſita non intelligitur de principalitate primo modo ſumpta: ſi vero intelligatur in in 2. & tertio ſenſu, communis ſententia eſt veriſsima.

6. Fundamentum. Nam & ſi hæc numero humana natura, vt ſubſiſtat, neceſſario ſibi vẽdicet hãc numero materiam, & formam; quia ex vtraque eſſentialiter integratur; non tamen neceſſario vendicat ſibi determinate, aut hanc materiam natiuam, aut illam aggeneratam: quia ſicut homo in prima ſui generatione naturaliter ſubſiſtit ſine acceſsione nouæ carnis: ita etiam in aliqua ætate maximè in extrema ſenectute poteſt cõſiſtere cum ſola carne aggenerata, nihil permanente eius, quæ in ortu accepta eſt, de quo ſtatim. Quare, & ſi hæc numero materia vnitate continuationis ſimpliciter ſit neceſſaria ad conſiſtentiam Petri; non tamen eſt neceſſaria ſecundũ illam vnitatem, & ſecundum illas partes, quas habet in hoc, vel illo tempore determinato, vt benè aduertit *Scotus in 4. diſt. 44. quæſtio. 1. articulo ſecundo.* Ex quo inferes ad illam numero materiam, quæ vnitate continuationis eſt ſimpliciter neceſſaria ad conſiſtentiam Petri, omnino accidentariũ eſſe, aut primigeniã eſſe, aut ex alimento factam: & ideo, nec hoc, nec illud ſubſtantialem compoſitionem mutare poterit: quo fit, vt tertius ſenſus nihil faciat ad principalitatem ſubſtantialem partium naturam humanam conſtituentium.

Scotus.

7. Caro nutrimentalis nõ ſolum pertinet ad augmentum. Sed nec admittendum eſt, quod addunt carnem ex alimento factam ſolùm pertinere ad augmentum naturæ humanæ, non verò ad cõſiſtentiam illius: nam ex ijs, quæ dicemus neceſſario infertur alimentum ex primaria naturę intentione non ordinari ad augmentum viuentis, ſed ad reſtaurationem humidi natiui: prius enim obijcitur facultati altrici, quã auctrici: iam vero altrix facultas per ſe, & primo intendit natiui humidi reſtaurationem, augmentum verò illius ad facultatem augmentatiuam potius ſpectat.

8. Corollariũ. Ex quo infertur materiam alimenti ex prima intentione naturæ ſuccedere in locum materiæ deperditæ, illique ſubſtãtialiter aſsimilari, & ſub eadem forma ſubſtantialiter vniri; ita vt cum præcedente faciat vnam numero materiam. Ergo prima viuentis reſtauratio (ſiue illa fiat ſine accretione, ſiue cum ea) æque principaliter pertinebit ad ſubſtantiam humanæ naturæ, vt docte arguit Diuus *Thom. 1. p. q. 119. art. 1.* nam ſi partes â materia natiua deperditæ ſimul cum remanentibus ad ſubſtantiam humanę naturæ æqualiter pertinebant; vtique quæ in locũ eius ſuccedunt, eæ cum eiſdem eandẽ naturã ęqualiter cõponent. Et fortè ob hanc rationem alimentum dicitur ab Ariſtotel. 1. de Gener. cap. 5. nutrirè, vt quid; augere verò, vt quantum: quia, ſc. facultas altrix ex alimenti ſubſtantia, ſubſtantiã carnis ſubſtantialiter reſtauret, & ſubſtantificet. Id verò quod diximus de prima reſtauratione, ſimili modo dicendum eſt de ſequentibus: ſemper enim partes alimenti ſuccedent loco earum, quæ cum remanentibus ad naturæ humanæ ſubſtãtiam æque principaliter ſpectabant,

ARTICVLVS VI.

An omnes cum ſola materia primigenia reſurgent?

§. 1.

Referuntur opiniones.

Explicatis ijs, quæ pertinent ad duplicem materiam; primigeniam ſcilicet; quam à parentibus accepimus; & nutrimentalem, quæ nobis per nutritionem accreſcit: explicandum eſt, in quanam materia reſurgemus? de qua quæſtione variæ ſunt Theologorum opiniones. Prima aſſerit in ea ſola materia, & carne nos eſſe reſurrecturos, quam à parentibus accepimus; quæ ipſa dicitur primigenia, primordialis, & natiua. Secunda affirmat hãc eãdem materiam natiuam reddendam nobis eſſe in reſurrectione; ſed non ſolam; quia etiam nobis eſt reddenda materia, & caro, quæ ex alimento per nutritionẽ nobis accreuit. Tertia ſentẽtia docet omnẽ illã materiã nobis in reſurrectione eſſe reddendam, quæ actione caloris naturalis in nobis conſumpta fuit. Quarta opinio habet corpus noſtrum in reſurrectione ex ea materia eſſe reficiendum, quam quis habuit in ætate, ſtatu ve 1. Variæ opiniones.

ve, in quo eſt reſurrecturus: ſi quæ verò materia defuerit ad perfectam illius ætatis ſtaturam, aliunde eſſe ſumendam. Quinta adhuc affirmat corpus noſtrum, cum illa materia eſſe reſurrecturum, in qua moriendo cecidit, & quæ in pulueres fuit redacta. Poſtrema tandem opinio putat, ex ijs partibus materiæ, quæ aliquando fuerunt de integritate naturæ humanæ, tot eſſe aſſumendas, quot ſufficiant ad iuſtam ſtaturam; in qua eſt reſurrecturus. Quarum partium electio diuinæ electioni relinquenda eſt. Has opiniones ex noſtris Theologis potui colligere: quarum ſingulas oportet expendere, vt vera huius difficultatis reſolutio explicetur, in hoc articulo ſpecialiter expendemus primam opinionem.

§. 2.

Refertur opinio Magiſtri affirmatiua.

2, PRima opinio affirmat omnes nos reſurrecturos fore cum omni, & ſola materia primigenia, quam à parentibus accepimus: carnem verò, quæ ætatis progreſſu ex alimento de nouo acceſſit, non eſſe reddendam. Ita docuit Magiſter *in 2. diſtinct. 30. cap. penult. & vltimo: cum quo conſentiunt Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ libr. 19. cap. 78. & Hugo de Sancto Victore de Sacramentis parte ſexta capit. vltimo.*

Magiſt. ſet Magiſt. hiſtor. Schol. Hugo de S. Victo.

3. Confirmat. Hæc ſententia à ſuis authoribus ex eo confirmatur; quoniam ea ſola caro reſurget, quæ fuit de veritate naturæ humanæ: at ſola illa caro, quæ ab ipſo ortu, & generatione eſt à parentibus accepta, eſt de veritate naturæ humanæ. Ergo illa ſola reſurget. Maiorem ſupponunt, tanquam ab omnibus receptam. Minorem inde probant: quia cum illa ſola fuerit in Adamo, in ea ſola fuit natura humana primitus complantata, & proinde ex ea ſola naturam humanam in vnoquoque poſteriorum verè componit: quod ſatis ſignificauait Pater Auguſtinus libro decimo de Geneſi ad literam capite 19. dum ait. *Nos omnes fuiſſe in Adamo, & ſecundum rationem ſeminalem. & ſecundnm corpulentam ſubſtantiam.* Addit Magiſter in huius confirmationem, carnem, quam à parentibus accepimus, & quæ verè fuit in Adamo, ſemper in ſingulis nobis ſtabilem permanere abſque vllo partium fluxu, aut refluxu. Et ſubinde nunquam aut ſecundum ſe totam, aut ſecundum aliquam ſui partem actione calidi in humidum conſumi: carnem verò, quæ ex alimento nobis quotidie accreſcit ſolum dari à natura in fomentum carnis natiuę. Ne ſcilicet illa actione naturalis caloris conſumatur, & ideo in reſurrectione nõ eſſe reddendam: nam cum poſt reſurrectionem nulla futura ſit actio caloris natiui, qua natiua caro dilabatur, talis caro poſt reſurrectionem omnino erit ſuperflua.

§. 3.

Reijcitur hæc opinio.

HAEC Magiſtri ſententia, quatenus aſſerit nos omnes in ſola carne primigenia ſumpta à parentibus fore reſurrecturos, communi omniũ conſenſu reijcitur, vt affirmat *Diuus Bonauentura in 2. diſt. 30. artic. 3. quæſtio. 1. n. 32.* & quamuis ob tanti viri reuerentiã non audeat eam falſitatis accuſare; eam tamen vt verè falſam, & irrationalem reijciunt *D. Thom. prima parte q. 119. artic. primo, & ibi Caietan. idem D. Thom. quodlibet. 8. artic. 5. & in 2. diſtinct. 30. quæſt. 2. artic. 1. vbi Aegidius quæſt. 2. artic. 1. Richard. artic. 5. quæſt. 1. & 2. Durand. quæſtio 4. Baſſolius q. 2. artic. 1. & communiter Theologi in 4. diſt: 44. vbi D. Thom. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 4. Scotus quæſt. 1. artic. 1. Argentinas quæſt. 1. artic. 1. concluſio. 1. Sotus quæſt. vnica, artic. 2. §. Tres igitur opiniones, pag. 435. latiſsimè Abulenſis in cap. 22. Matth. quæſt. 243. contra primam opinionem, & Conimbricenſ. primo Phyſicorum. capite nono. quæſt. 5. artic. 3. ad quartum, & primo de Generat. cap. 5. q. 11.* 4. Reijcitur.

D. Bonau. D. Thom. Caietan. Aegid. Richard. Baſſol. Scotus. Argent. Sotus. Abulenſ. Conimb.

Et merito reijcienda venit, nõ ſolum; quia communi conſenſu reijcitur, ſed etiam, quia in ſuo fundamento plura abſurda includit. Primum eſt: carnem à parentibus acceptam verè & realiter fuiſſe in Adamo, quod non ſolũ eſt falſum; ſed etiam ridiculũ, vt diximus art. 4. Secũdũ abſurdum eſt materiam illam, ſiue carnẽ, in qua generamur, creſcente ætate fieri maioris quantitatis abſque nouæ ſubſtantiæ acceſſu; quod verę Philoſophiæ repugnarę oſtendimus in dicto articulo 5. 1. Abſurdũ. 2. Abſurdũ.

3. Abſurdū 4. §. 1. num. 9. Tertium abſurdum eſt, carnem à parentibus acceptam permanere nobiſcum vſque ad mortem; contra, 4. Abſurdū quod diximus in dicto articulo quarto, §. 2. per totum. Quartum denique abſurdum eſt, ſolam carnem ſumptam à parentibus pertinere ad veritatem naturæ humanæ: oppoſitum euidenter monſtrauimus in dicto articulo quarto §. 3. nam ad illius veritatem etiam pertinet caro ex alimento addita, vt oſtendimus ſuprà artic. 5. §. 2. Quare cum hæc opinio Magiſtri, tam manifeſta abſurda in ſuo fundamento contineat, merito releganda eſt.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm omnes debeant reſurgere cum materia ſumpta à parentibus?

§. 1.

Opinio affirmans.

1. Pars affirmans. PARTEM affirmantem communior Theologorum conſenſus videtur approbare: etenim in ea conueniūt omnes tres opiniones, quas refert *D. Thomas in 4. diſt. 44. quæſt. 1. artic. 2. q. 4. vt in ſingulis videre eſt, eam enim approbat* Magiſter. *Magiſter in 2. diſt. 30. cum Hugone, &* Hugo. *Magiſtro Hiſtoriæ Scholaſticæ,* quos in precedente articulo citauimus: nam cum dicant omnes in ſola iſta materia eſſe reſurrecturos, ex conſequenti affirmant omnes in ea reſurrecturos fore: in eadem ſunt ſententia, qui volunt carnem primigeniam principaliter pertinere ad veritatem naturæ humanæ: quæ fuit opinio *Richardi in 4. diſtinct. 44. artic. 1. quæſt. 4. &* Richard. D. Bonau. *D. Bonauenturæ in 2. diſt. 30. art. 3. q. 1 nu. 37. 38. & clariùs quæſt. 2. num. 41. & 42.* Eandem etiam probauerunt, qui putant vtramque quidem carnem æque pertinere ad integritatem naturæ humanæ: & vtramque fluere, & refluere: primigeniam tamen purius, & perfectius participare virtutem ſpeciej humanæ, quam nutrimentalem: quæ fuit opinio *Abulenſis* Abulenſ. D. Thom. Scotus. Ouand. Angles. Argent. *in cap. 22. Matthæi quæſtio. 243. litera E. E. & F. F. & prius fuit D. Thom. in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 4. ad finem, & ad 4. & Scoti ibidem quæſt. 1. a. tic. 2. concluſio. 2. & Ouandi Propoſitio. 5. & Angles in Floribus de Reſurrectione. art. 6. dubio primo, & Argentin. in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. artic. 1. ad 2. contra 2,*

2. 1. Fundam. Nonnulli eam probant: quia caro primigenia, vel ſola eſt de integritate naturæ humanæ; vel ſola illa ad naturæ humanæ integritatem principaliter pertinet. Ex quo infertur ſine illa nullum poſſe habere vnitatem numericam; quia nullus eſt idem numero homo ſine ea parte, quæ principaliter eſt de integritate humanæ naturæ. Ergo ſicut nullus homo ſine hac materia, & carne poteſt in vita vnus numero homo permanere, ita nullus in reſurrectione poteſt vnus numero reſurgere.

3. 2. Fūdam. Secundo ita arguit Diuo Bonauentu. illa caro habet neceſſariam ordinationem ad reſurrectionem, quæ in vnoquoque fuit fundamentum, & fabrica ſui corporis. Sed ſola caro primigenia ſumpta à parentibus fuit fundamentum, & fabrica corporis cuiuſque noſtrum: etenim cum ſola illa fuerit primo informata per animam; ſola illa per ſe habet ordinationem ad animam. Ergo caro primigenia habita à parentibus in reſurrectione neceſſariò redibit.

4. 4. Fundam. Tertiò alij ita argumentantur: illa caro in reſurrectione neceſſariò redibit, quæ prius, purius, & perfectius participat ſpeciem naturæ humanæ, ſed talis eſt caro primigenia, quæ à parentibus accipitur. Ergo illa in reſurrectione neceſſario redibit. Vtramque propoſitionem, vt notam accipiunt.

5. 5. Fūdam. Quartò nonnulli ita arguunt: quoniam materia primigenia ſumpta à parentibus magis fuit de intentione naturæ. Ergo illa neceſſario in reſurrectione redibit. Conſequentia videtur nota; quia principalis intentio naturæ eſt attendenda: antecedens verò oſtenditur: quoniam naturæ principalius intendit generationem ſuppoſiti, quam eiuſdem geniti conſeruationem.

§. 2.

Reijcitur hæc opinio.

6. Non placet opinio. HÆc tamen opinio, quamuis ſit cōmunis, nunquam mihi placuit: nihil enim video, vnde vel probabiliter deducatur c[arn]em primordialem ſumptam à parentibus in ipſa generatione neceſſario eſſe reddendam quin potius ſuppo-

ſuppoſito, quòd caro iſta ſuos habeat fluxus, & refluxus, vt habet opinio omnino tenenda, quam oſtendimus in 4. artic. §. 2. num. 14. non video, cur illa, aut tota, aut ſecundum aliquas partes ſit reditura. Et hanc ſententiam mihi probat D. Thom. quolibet. 8, art. 5. in fine corporis, dum his verbis concludit: *Et ſecundũ hanc opinionem de vtroque prædictorum indifferenter, ſcilicet generato ex alimento, & à parentibus tracto tantum reſurget, quantum eſt neceſſarium ad ſpeciem, & quantitatem debitam humani corporis.* Si igitur de vtraque materia indifferẽter ſumenda eſt reſurgentis caro, vtique nec prius vna quam altera reſumenda erit: nec altera erit neceſſario reddenda.

D. Thom.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

7. Ad 1. ET profectò efficaciter ex eo conuincitur; quia fundamenta, quibus nititur, nullam, vel apparentem habent efficaciam: etenim primum argumentum fundamentum ſumit ſine vllo fundamento: quia ſupponit carnem primigeniam, vel ſolam eſſe de veritate naturæ humanæ, vel illam principaliter ad eam pertinere. Vtrumque tamen eſt falſum: nam quod ſola caro primigenia non ſit de veritate naturæ humanæ, contra Magiſtrum oſtendimus ſupra articul. ſecundo §. 3. num. 23. Quod verò, nec ſola principaliter ad humanam naturam pertineat contra Richardum, & Diuum Bonauenturam probauimus ſupra articulo 5.

8. Ad 2. Maior eſt falſa. Ad ſecundũ, & maior eſt falſa, ſi abſolutè ſumatur, & minor. Quod maior ſit falſa, ſi abſolutè ſumatur, ex eo patet, quòd omnis illa caro eſt fundamentum, & fabrica corporis humani, quod verè integrat, & componit humanum corpus, humanamque naturam: iam verò non omnis caro, quæ aliquando fuit de veritate, & integritate humanæ naturæ reddenda eſt in reſurrectione, vt in ſequenti artic. oſtendemus. Non igitur omnis caro, quæ fuit fundamentum, & fabrica componens humanum corpus, habet neceſſariam ordinationẽ ad reſurrectionẽ: cuius oppoſitum ſumit maior. Quod verò minor ſit falſa, euidenter patet: quo-

Minor etiã falſa eſt.

niam non ſola caro à parentibus accepta fuit de integritate humanæ naturæ, vt diximus artic. 4. §. 3. & artic. 5. Probatio autem nihil vrget. Quia non ſola illa caro eſt fundamentũ humanæ naturæ, quę primo fuit informata anima rationali.

Ad tertium patet ſolutio ex dictis ſupra articulo quarto §. quarto num. 33. vbi oſtendimus vtramque carnem, primigeniam, ſcilicet, & nutrimentalem æque pure, & æque perfectè participare ſpeciem naturæ humanæ. Quare licet admitteretur maior (quæ tamen abſolutè non eſt admittenda) minor eſſet neganda: quæ tamen ſine fundamento ſumitur. 9. Ad 3.

Ad poſtremum negandum eſt antecedens; cuius probatio etiam deficit: quia natura, ſicut per ſe intendit dare eſſe ſuppoſito, quod generat; ita etiam intendit conſeruare, quod genuit: & inde eſt, vt nõ eſſe magis repugnet enti, quod iam eſt, quam illi repugnaret ante quam eſſet. 10. Ad vlt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in reſurrectione debeant reſtitui omnes partes materiæ, quæ aliquando fuerunt de veritate naturæ humanæ?

§. 1.

Refertur pars affirmans.

CONTROVERSIA eſt inter Theologos, vtrùm in reſurrectione reſtituendæ ſint omnes partes materiales, quæ aliquando fuerunt de veritate naturæ humanæ? quidam affirmant, ſi credendum eſt *Abulenſi in capite 22. Matthæi quæſtione 244. in principio*, cuius opinionis videtur eſſe Auguſtinus libro 22. de Ciuitate Dei capite 15. 19. 20. & 21. nam capite decimo quinto reputat abſurdum aliquid periturum fore de corporibus hominum reſurgentium. Quod expreſſius declarat, capite decimo nono, inquiens: *Quid iam reſpondeam de capillis, aut vnguibus? ſemel quippe intellecto, ita nihil periturum eſſe de corpore, vt deforme nihil ſit in corpore; ſimul intelligetur ea, quæ deformem facturæ fuerant enormitatem maſſæ ipſi acceſſura eſſe non locis, in quibus membrorum forma*

1. Opinio affirmans.

Abulenſ. Auguſt.

forma turpetur. Et adducta ſimilitudine vaſis in maſſam redacti addit: *Quapropter ſi capilli toties tonſi, vngeſque deſecti ad loca ſua deformiter redibunt; Nec tamē cuiq; reſurgenti peribunt: quia in eādem carnem vt quemcunque ibi locum corporis teneant ſeruata partium congruentia, materiæ mutabilitate vertentur.* (*Auguſt.*) Et plura alia in hanc ſententiā in toto illo capite ſcribit. Eandem ſententiam rurſus repetit, ad finem capitis 20. his verbis: *Quod decus, vt ſeruetur, ſi aliquid demptum fuerit indecenti alicui granditati in parte aliqua conſtitutæ, quod per totum ſpargatur, vt nec id pereat, & congruentia partium vbique teneatur: non eſt abſurdum, vt aliquid inde etiam ſtaturæ corporis addi poſſe credamus; cum omnibus partibus, vt decorem cuſtodiant, id diſtribuitur, quod ſi enormiter in vna eſſet, non deceret.* Tandem cap. 21. ita concludit: *Reſtituetur ergo, & quidquid de corporibus viuis, vel poſt mortē de cadaueribus perijt: in ſpiritualis corporis nouitatem ex animalis corporis vetuſtate mutatum reſurget, Incorruptione atq; immortalitate veſtitum.* (*Idē Aug.*) Ex quibus Auguſtini locis patet ex illius ſententia quidquid materiæ vnquam fuit in homine, totum id eſſe reſtituendum, v. g. quidquid ex vnguibus exectum eſt, ex capillis tonſum, deniq; quidquid actione caloris conſumptum fuerit.

2. (1. Argum. *Lucæ. 21.*) Auctores huius opinionis mouentur: Primo quidem ex verbis Chriſti Lucæ 21. *Capillus de capite veſtro non peribit.* Ergo totū, quod fuit in capillis reſtituetur. Ergo à fortiori reſtituetur quidquid fuit in alijs membris, quæ magis ſunt de integritate humani corporis, & hoc videtur fundamentum Auguſtini.

3. (2. Argum.) Secundo; quia omnes partes materiæ conſumptæ fuerunt informatæ anima rationali. Ergo omnes habent ordinem ad reſurrectionem: nam ob eam cauſam corpus humanum ad eam habet ordinem.

4. (3. Argum.) Tertio; quia aliàs non reſurget totum corpus hominis, & per conſequens, nec totus homo.

5 Poſtremo; quia ex communi ſententia reſurget, quidquid fuit de veritate naturæ humanæ. Iam verò omnes illę partes conſumptæ fuerunt de veritate illius.

§. 2.

Refertur pars negans.

6. (Opinio negans.) Communis tamen Theologorum ſententia partem negantem eſt amplexata: ita *D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 1, art. 2. q. 5. & in 4. contra gentes cap. 81, ad 4. & ibi Ferrarienſis. Scotus in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. concl. 1. Richardus ibidē ar. 1. q. 4. Sotus q. 11. art. 2. ad 2. pag. 437. col. 2. Argent. q. 1. ar. 1. concl. 1. Baſſolis in 2. diſt. 30. q. 2. art. 1. ad confirm. quinti argum. Abulēſ. in cap. 22. Matth. q. 243. litera Y, & latius q. 244. per totam, Angles in Floribus de Reſurrect. art. 6. diffi. 1. Conimbri. 1. Phyſic. c. 9. q. 5. artic. 3. ad 4. Suar. 2. tom. ad 3. part. diſp. 44. ſectio. 2. §. ex his facilè. pag. 810. colum. 2.* (*D. Thom. Ferrar. Scotus. Sotus. Argent. Baſſol. Abulenſ. Angles. Conimb. Suarius.*)

7. (1. Arg. huius opinio.) Motiua ſunt: 1. quia reſtitutio omniū partium materialium non eſt neceſſaria, vt idē numero homo reſurgat; nā ſine illis dicitur idē homo: ſicut ſine illis diuiſim, & determinate ſumptis idem numero permanſit in tota vita.

8. (Secundum.) Secundo; quia corpus beati reſurgentis, vel eſſet immoderatę quātitatis, ſi omnes partes eiuſdem membri eidem redderētur: vel immoderatę denſitatis, ſi in alijs refunderentur membris.

9. (Tertiū.) Tertio; quia fieri poteſt, vt plures ex illis partibus fuerint in pluribus hominibus: nec tamen debent omnibus ſimul reſtitui.

10. (Authores non conueniunt inter ſe.) Authores huius communis ſententiæ inter ſe variant: quidam enim illorū volunt omnes illas partes eſſe reſtituendas, quę datę fuerunt in augmentum; non tamen omnes, quæ actione calidi conſumptæ per nutritionem reſarcitæ ſunt; hanc ſententiam pluribus placuiſſe refert *Abulenſis. in dicta q. 244. ad 1. principale litera R. fol. 77. col. 4. in fine: quæ videtur placuiſſe D. Thom. in d. q. 5. ad 1.* vbi credit Auguſtinum iuxta hanc ſententiam eſſe intelligendum: eamque cōfirmat; quia partes quę ſunt ſecundum augmentum: cum pertineāt ad integritatem, ſecundum ſpeciem debent reſtitui. (*Abulenſ. D. Thom.*)

11. (*Abulenſ.*) Attamen *Abulenſis in dicta quæſtione 244. litera S. vſq; ad literam D. D.* putat hanc ſententiam veram eſſe de partibus augmenti partium eſſentialium: non tamen accidentalium, quales ſunt capilli, & vngues. Ex quibus iam colliges omnes conuenire, vt redire nō debeant omnes partes, quæ actione calidi deperditæ fuerunt.

§. 3.

§. 3.
Vera reſolutio.

12. Vera reſolutio. 1. aſſertio. PRo reſolutione dicendum eſt primò, *Reſtitutionem omnium partium materialium, quæ aliquando fuerunt in homine, non eſſe neceſſariam ad veritatem reſurrectionis*: nec enim neceſſaria eſt ad identitatem numericam vel hominis reſurgentis, vel materiæ reſtituendæ; id, quod optimè demonſtrat prima ratio cõmunis opinionis.

13. 2. aſſertio. Deinde aſſerendum eſt *reſtituendas eſſe omnes partes, quæ partibus principalibus fuerunt datæ in augmentum; non tamen identitate ſecundum materiam, ſed ſecundum ſpeciem, & formam.* Et ad hunc ſenſum explicanda eſt ſententia D. Thom. & Abulenſ. hæc aſſertio facilè explicatur: nam quiſque noſtrum debet reſurgere in naturali ſuæ complexionis magnitudine, atque ſtatura; ita vt ſingulæ partes ſubſtantiales corporis habeant ſtaturam naturaliter ſibi debitam in proprio, ac naturali corporis ſitu. Si igitur contingat, vt in ſenectute de illo naturali augmento aliquid detractum ſit, illud ipſum reſtituendum erit. At tamen ſecundum ſuam ſpeciem (quæ fuit altera pars aſſertionis) non tamen ſecundum materiam: quia redibit pes ſecundum ſpeciem, & ſtaturam pedis; ſimiliter de alijs partibus, quæ dicitur identitas ſecundum ſpeciem: ſed non neceſſariò redibunt omnes illæ partes, quæ in iuuentute talem ſpeciem conſtituerunt: nam plures earum actione calidi conſumptæ ſunt, & progreſſu ætatis aliæ in earum locum introierunt, quæ omnino redibunt, ſi tempore mortis in homine inerant: ſi quid autem ad perfectam ſpeciem ſingulorum membrorum deſideratum fuerit; tunc illa, quæ à ſingulis membris conſumptæ ſunt, eiſdem reſtituentur. Hæc dicta ſint conſentaneè ad noſtram reſolutionem, de qua in art. ſequente: nam alij aliter reſpondebunt.

14. 3. aſſertio. Aſſerendum eſt tertiò: *fieri non poſſe, vt omnes partes materiales, quæ aliquando in homine fuerunt, eidem reſtituantur.* Hæc aſſertio eſt ferè ab omnibus recepta; & euidenter confirmatur argumento ſecũdo communis ſententiæ: nec enim intelligi poteſt, quo pacto tanta materiæ quãtitas in reſurrectione in eodem corpore fiat, ſeruata eiuſdem corporis naturali pulchritudine, & decore: etenim naturaliter id fieri nequit: miraculum autem non eſt, quod admittamus.

Aſſerendum eſt quartò cõmunem ſententiam etiam habere locum in illis partibus, quæ à capillis, & vnguibus detractæ ſunt; quæ fuit ſententia Abulenſis contra D. Thomam: non tamen ob eam rationem, qua ducitur Abulenſ. non dari ſcilicet in capillis, & vnguibus certam, ac determinatam magnitudinem: id enim fortè falſum eſt; ſed ob eam potiùs rationem; quia totum augmentum, quod his partibus eſt naturale, non ſpectat ad corporis pulchritudinem, ſed ad deformitatem potiùs: illud enim ex ſuperfluitate prouenit, non ex neceſſitate: vnde fit, vt totum naturale iſtarum partium augmẽtum ad ſpeciẽ naturæ minimè pertineat, ſed certum quoddam: & ob id, communiter ſcindi ſolent: quo fit, vt reſtitutio illa nec pertineat ad identitatem ſecundum ſpeciem illarum partium, quod eſt aduertendum. 15. 4. aſſertio.

Ex quo iam patet ſolutio fundamenti, quod pro ſententia D. Thom. adductũ fuit. Auguſtinum porrò ad eum ſenſum intelligi non poſſe ſtatim dicemus. 16.

§. 4.
Soluuntur argumenta affirmantis.

ARgumenta verò ſententiæ affirmãtis facilè ſoluuntur. Nam ad primũ reſpondetur ex illis Domini verbis nihil ad propoſitum colligi poſſe: quoniam vt ferè omnes aduertunt, & cum illis *Ianſenius cap.* 122. *ſuæ Concordiæ, pag.* 1834. illa verba continent familiarẽ tropum ſacræ ſcripturæ, quo ſignificatur hominem, qui vſque ad finem perſeuerauerit, nequaquam periturum, vt qui Deo protegente ab omnibus illatis malis liberandus ſit. Quare idem eſt nullum capillum de capite periturum, atque hominẽ non eſſe periturum: ſicut etiam 1. *Reg.* 14. & 2. *Reg.* 14. & 3. *Reg.* 1. idem eſt capillum capitis in terram non cadere, & hominem non perire. Conſolatur igitur Chriſtus diſcipulos ne malis ſuccũbant; quia ab illis omnibus diuinitus ſunt liberandi. Quod ſi cum Auguſtino locum de reſurrectione intelligas; ſenſus erit: ne timeant 17. Ad 1. opinionis affirmantis. Explicatur verba Luc. 21. *Ianſen.* 1. *Reg.* 14. 2. *Reg.* 14. 3. *Reg.* 1.

meant tormenta corporiſque lacerationes; quia nec minimus capillus violentia tyranni cadens, peribit in reſurrectione; ne dùm cætera corporis membra, quantumuis dilaniata, atque diſcerpta: nam ob id dicitur Lucæ 12. *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.*

18. Ad 2. Ad 2. negandum eſt ordinem ad reſurgendum per ſe ſumi ab actuali informatione per animam rationalem; quæ eſt communis ſolutio, de qua *Abulenſ. in d. q.244. l. F.* (*Abulen.*) nec verum eſt corpus humanum ideò reſurrecturum, quia anima eſt informatum. Sed quia eſt pars eſſentialis naturæ humanæ ſpectans ad ſpeciem illius.

19. Ad 3. Ad 3. omiſſa ſolutione *Abulenſ. vbi ſuprà ad 3. lit. BB.* reſpondetur non eſſe neceſſarium, vt totum corpus reſurgat totalitate materiali; ſed totalitate ſecũdum ſpeciem, quæ expenditur penes omnes partes ætherogeneas ſecundum ſpeciem ſemper manentes: quia nimirum pes ſemper manet in eadem totalitate, quam ſpecies, & figura pedis requirit; & manus ſimiliter, & cæteræ partes, vnde ſicut variatio partium ſecundum materiam non reddit corpus truncum, quia ſemper manent omnes partes ſecundùm rationem propriam, & ſpecificam ſuæ naturæ; ita corpus reſurgens non cenſebitur truncũ, quanuis non habeat omnes partes materiales, quas aliquando in vita habuit.

20. Ad 4. Ad 4. negandum ſimiliter eſt reſurrecturum fore, quidquid aliquando fuit de veritate naturæ humanæ, ſi propriè loquendum eſt: nam id omne dicitur de veritate naturæ humanæ, quod cum anima componit naturam humanam: in quo ſenſu omnes partes materiales, quæ fluxerunt, fuerunt de veritate illius: cum tamẽ non omnes, debeant reſurgere, vt concluſum eſt: aliundè igitur ſumenda eſt hæc neceſsitas reſurgendi in partibus humanæ naturæ: & quidem iuxta noſtram ſententiam ſumi debet ex morte, quam in natura humana paſſæ ſunt.

21. Quo ordine facieda. Porrò quo ordine facienda ſit ſuperfluarum partium diſpoſitio, & aſſumptio earum, quæ ſunt neceſſariæ ad iuſtam reſurgentis ſtaturam? omiſsis aliorum placitis, puto id relinquendum eſſe diuinæ prouidentiæ: quòd ſatis eſt de mente D. *D. Thom.* *Thomæ quodlib. 8. q. 5.* & in hoc ſenſu veriſsima eſt vltima opinio, quam ſuprà retulimus, quæ probata fuit *Argent. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. concl. 2.* *Argent.*

Nec audiendus eſt Abulenſis, dùm *in d. q. 244. l. X.* negat materiam, quæ fuit vnius membri, quando illi eſt ſuperflua non poſſe aſſumi ad aliud membrum: id enim nullum habet fundamentum. & eſt contra *Auguſt. in lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 20. & 21.* nec opus eſt hæc curioſiùs inueſtigare. 22. Reijcitur Abulenſ. *D. Aug.*

ARTICVLVS IX.

Vtrùm reſurgere debeamus in illa materia, quam tempore mortis habebamus?

QVod in ea materia ſimus reſurrecturi, in qua mortui fuimus, & quæ poſt mortem redacta eſt in cineres nõnulli probarunt, vt teſtatur *Abulenſ. tom. 6. in c. 22. Matth. q. 244. lit. O fol. 76. col. 3. quam magis probat Mayronius in 4. diſt. 45. q. 3:* ego autem puto eſſe veriſſimam, quanuis Abulenſ. ſine fundamento eam appellet irrationalem. 1. De materia quæ fuit tẽpore mortis. *Abulen.* *Mayron.*

Quam primò confirmamus ex verbis Concilij Toletani 11. in confeſsione fidei, vbi ait: *Reſurgemus in iſta carne, qua viuimus, conſiſtimus, & morimur.* Deinde; quia Dominus in ea carne reſurrexit, quę fuit in ſepulchro: ſimiliter & beata Virgo, homines item qui in die iudicij vixerint, in eiſdem corporibus reſurgent, in quibus obiere antequam in cineres reſoluantur, vt ex *Auguſt. Anſelm. & Oecum. tanquam verum docet Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 6. ante finẽ*: nam paulò poſt mortem & reſurrexerunt, & reſurgent: nec naturali curſu reſolui poterunt maximè cum ignis conflagrationis poſt reſurrectionem ſit venturus, vt idem *Suarius tanquam probabilius oſtendit ibidẽ diſp. 57. ſect. 1.* 2. 1. confirm. ex Concilio Tolet. 11. 2. confirm. *Suarius.*

Tertiò; quia fides prædicat reſurrectionem non ſolùm hominum mortuorum, ſed etiam mortuorum corporum. Igitur illud corpus reſurget, quod fuit mortuum: nam ex *Paulo 1. Corint. 15.* illud corpus reſurget in incorruptione, quod fuit in corruptione ſeminatum: per mortem ſcilicet in ſepultura: quæ eſt cõmunior explicatio Patrum ferè omniũ, vt *Gloſſæ interlinealis, Lyræ, & aliorum in* 3. 3. confirm. 1. Cor. 15. *Gloſſa.* *Lyra.*

eodem

Tertull. D.Greg. eodem loco, adde *Tertull. de reſurrectione carnis cap. 52. cum pluribus ſequentibus.* Ex quibus etiam verbis *Gregor. 14. Moralium c. 33. colligit nefas eſſe aſſerere aliam carnem ſurgere, quam ſit mortua.* Et merito; quia apud Theologos certiſsimum eſt reſurrectionem noſtram futuram eſſe ſimilem reſurrectioni Chriſti in termino à quo; ſiue illa cadat ſupra hominem, ſiue ſupra corpus. Reſurrectio autem tàm Chriſti, quàm corporis Chriſti, fuit ex vera morte Chriſti, & ſui corporis, tanquam à termino à quo. Iam verò ſola illa materia, & ſolum illud corpus poteſt dici mortuum, quod morte cecidit: quia ſolum illud deſijt viuere per ſeparationem animę à corpore: nam quæ partes, aut actione caloris conſumuntur; aut à toto ſcinduntur; propriè loquendo non dicuntur mori: quia etſi vitam amittunt, eam tamen non amittunt per ſeparationem animæ à toto corpore, quæ eſt altera pars hominis, quæ ſola ſeparatio propriè dicitur mors.

4. 4. confirm. Quartò accedit: quoniam ex ſacris literis mortui reſurgent ex ſepulchris, in quibus iacent; atque ex cineribus, in quibus dicuntur habitare: id enim ſignificāt verba Chriſti Domini Ioan. 5: *Et qui in ſepulchris ſunt, audient vocem filij Dei: & qui bona egerunt, procedent in reſurrectionem vitæ.* Idem inſinuat Ezech. 37: *Aperiam ſepulchra veſtra: & educam vos de ſepulchris veſtris.* Vaticinium etiam Daniel. 12. *Et multi de ijs, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt.* Iſaiæ 26: *Interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere.* Dicuntur autem mortui habitare in puluere, & in ſepulchro; quia in illis eſt materia, in qua ſunt reſurrecturi, vt expreſſè docet Theodor. *lib. 5. diuinorum decret. cap. de reſurrectione, vbi ita ait: Ex paruis reliquijs carnis in puluerem reſolutæ conſtituet ſubſtantia reſurgentis: & ideò dixit mortuos in monumentis audituros vocem Filij Dei, in quibus non habitant animæ, ſed corpora.* Eundem ſenſum explicāt verba ſiue Auguſtini; ſiue Euſebij *in ſermone 156. de Tempore: mors corporis, quod in puluere confectum ſuſcepit; id ipſum diſcuſſa reſtituet.* Et ſtatim, *mors, quod ſuſcepit, hoc refundit.* Auguſt. in lib. de Conſolat. mort. ſerm. 2. c. 2. & 3. *Deus pulueres illos, in quos reſoluitur caro, quocunque modo transmuttentur, nouit, & ſeruat, vt eos reddat.* Homilia etiam 20. in Ioan. *Reſurgent corpora iuſtorum in monumentis iacentia.* Chryſoſt. hom. 8. in epiſtol. ad Theſſalo. pag. 1369: *Pulueres colligentur in terra: vt illa depoſitum reddat.* Tertull de reſurrectione carnis cap. 52: *non aliud corpus, quā quod moriendo ſeminatur,* ſcilicet reſurget, & inferiùs cap. 63: *Carnis interitum, quem putas; ſeceſſum ſcias eſſe: non ſola anima, ſe ponitur; habet & caro ſuos ſinus; interim in aquis, in ignibus, in alitibus, in beſtijs: cum in hæc diſſolui videtur, in vaſa transfunditur ſi etiam ipſa vaſa defecerint; cū de illis quoque effluxerit in ſuam matricem terram, quaſi per ambages reſorbetur, vt rurſus ex illa repræſentetur.* Denique ferè omnes Patres, qui contra hæreticos diſputant, vno ore aſſerunt carnem morte diſſolutam, quātumcunque diſperſa ſit, Deo eſſe notam, vt eam in reſurrectione reſtituat; videtur igitur noſtra ſententia Patribus eſſe familiaris.

Ioan. 5. Ezech. 37. Dan. 12. Auguſt. Chryſoſt. Tertull.

Quinto adhuc loco confirmatur: quoniam ideò oſſa, & cæteræ Sanctorum partes, quæ in ſepulchris inueniuntur, ab Eccleſia, tanquam veræ reliquiæ venerantur: quia in reſurrectione ſunt immortalitate, atque gloria decorandæ. Vt omittamus plures congruentias: eſt enim quā congruentiſsimum, vt illa caro immortalitate donetur, quæ ad gratiam finalem iuuat ſuam animam. 5. 5. confirm.

Poſtremò illam opinionem ex eo confirmo, quia cæteræ omnes, vel ſua abſurditate conuincuntur, vel non ſatis cum Philoſophia conſentiunt, vt patet ex illis, quas impugnauimus: hæc verò opinio nullam habet difficultatem, quæ facilè non ſoluatur. Et hæc de hac opinione dixiſſe ſatis ſint. 6. 6. confirm.

ARTICVLVS X.

Vtrùm reſurgere debeamus in tota materia, quam in morte habebamus?

EX præcedenti articulo conſtat eam carnem in reſurrectione nobis eſſe reddendam, in qua mortui ſumus, ſiue illa ſit per generationem habita, ſiue ex alimento per nutritionem adaucta: ſola ſupereſt difficultas; an tota illa, in qua mortui ſumus, ſit nobis reddenda? 1.

§. 1.

§. 1.

Ponitur reſolutio.

2. Reſolutio queſtionis. IN qua difficultate dicendũ eſt ex materia, quæ nobiſcum cecidit, tot partes eſſe ſumendas, quot ſatis ſint ad perfectam ſtaturam, in qua quiſque eſt reſurrecturus: ſi quid ſuperfluum fuerit, relinquetur: ſi verò quid defuerit aliunde aſſumetur, modo inferiùs explicando: nõ igitur neceſſe eſt, vt ſemper, & in omnibus tota materia, quæ paſſa eſt mortem reſtituatur; quia ſicut in aliquibus poteſt contingere, vt tota materia non ſufficiat; ita in aliquibus continget, vt aliqua ſuperfluat; in quo caſu, quæ partes ſint eligendæ, inferiùs dicemus.

Vbi ſit difficultas. Tota difficultas poſita eſt in euentu, quo caro vnius hominis ab alio comedatur; ita vt eadem materia in vtroque reperiatur. Quam difficultatem aduerſus Chriſtianos pro euertẽdo ar. reſurrectionis gentes olim objiciebant; rem ad eum art. coarctando ne eadem materia, vel integra, vel ſecundum aliquas partes ad plures homines æqualiter pertineat, vt videre eſt apud Iuſtinum in quæſtionibus Græcanicis q.14. & apud Antenagoram Philoſophum Chriſtianum eiuſdem ſæculi cum Iuſtino anno 181. in tract. de reſurrect. mortuorũ tom.9. Bibliothecę Patrum æditionis 2: quam eandem difficultatem contra veritatem corporis humani in reſurgentibus olim objiciebant hæretici, & ſimiliter objicit Durand. cõtra reditum eiuſdem materiæ.

3. Qui de ea ſcribant. In ſoluenda hac difficultate laborarũt præcitati Patres cum *Auguſt.22.de Ciuitate Dei c.20.& Theologi in 4.diſt.44. vbi D.Thom.q.1.art.2.q.4.ad 3.4.& 5.D.Bonauent.art.2.q.1. Richardus art. 5. q.1. ad 1. Scotus q.1.art.2.ad 2. Argent.q.1.art.1. in fine, Sotus q.1. art.2. ad 2. Ouandus propoſitione 6.& 7:& plures alij. Theologi etiã in 2.diſt.30. vbi D.Bonauent. art.3.q.1.n. 57. Ægidius q.2. art.2. ad 6. Baſſolius q. 2. art.1. ad 6. D.Thom. 4. contra gentes c.81. ad 5. vbi Ferrarien. Abulenſ. in c.22. Matth. q.243. ad 3. primæ opinionis, litera YY. Conimbr.1.Phyſic.c.9.q.5.art.3.ad 4. Suarius 2. tom. ad 3.partem, diſp.44. ſect.2. ad argumenta Durandi, pag.809. col.1.& 2.*

Auguſt. D.Thom. D.Bonau. Richard. Scotus. Argent. Sotus. Ouand. Aegid. Baſſol. Abulenſ. D.Thom. Ferrar. Conimb. Suarius.

4. Cui tamen difficultati locus non eſſet, ſi vera foret opinio Magiſtri: *teſte D.Thoma in 4. loco cit.* nam apud eum caro primigenia, in qua ſola (vt ait) reſurgemus, non poteſt fieri de veritate ſubſtantię alterius hominis: nam licet ab alio comedatur nunquam in veritatem ſubſtantiæ illius tranſibit, ſed permanebit diſtincta à carne aliorum, ſed opinionem Magiſtri iam reiecimus. Apud Magiſtrum non habet locũ.

Et eodem modo non recipitur reſpõſio *Antenagoræ loc. cit. pag.* 393. & 394. dũm negat humana corpora ab alio homine comeſta poſſe in carnem comedentis conuerti; ſed reſiliente nutritiua potẽtia ſtatim abjici tanquam nutrimentum alienum: etenim (vt benè aduertit Suarius) hoc & contra experientiam eſt, & contra phyſicam rationem; cum caro illa comeſta actione calidi reſolui poſsit. Et ob eandem rationem reijciẽdi ſunt, quos refert D. Bonauent. loc. cit. qui negant hominem nutriri poſſe carne primigenia alterius hominis, quam appellant carnem ſecundum ſpeciem. 5. Non recip tur Thenagoras. Nec quos refert Bonau.

Viris etiam doctiſsimis, & inter eos Suario non placet ſolutio cõmunis (quæ eſt Auguſtini) ſcil. in eo caſu, quo eadem pars materiæ ad multos homines æqualiter pertinuerit reddẽdam eſſe ei in quo primûm cœpit: nec enim vident, quam certa ratione hoc conſtet; aut cur ſola tẽporis anteceſsio maius ius conferat, vnde recurrunt ad diuinam prouidentiam, qua caro illa pro ratione meritorum cuiuſq; vel vtrique, vel alteri tantûm reſtituetur. 6. Nec placet ſolutio cõmunis.

§. 2.

Ponitur vera reſolutio.

PRo vera tamen reſolutionẽ illud primo loco dicimus cum Iuſtino, non proinde negandam eſſe reſurrectionem, quod argumentum hoc ingerit difficultatem: nam cum non faciat demonſtrationem, diuinæ prouidentiæ, & omnipotentiæ relinquenda erit difficultatis explicatio. 7. Dictum Iuſtini.

Sed ex mente eiuſdem Iuſtini ſupponendum eſt, Deum ita omnia diſpoſiturum, vt viderit eſſe neceſſarium ad communem omnium hominum reſurrectionem perficiendam, ſeruata veræ reſurrectionis ratio[illegible], & hominis reſurgentis identitate. Vnde probabiliſsimum mihi fit, nunquam euenturũ, vt duo vel plures homi- Notandum ex Iuſtino.

homines aut eãdem materiam integram vnquam habeãt, & in ea integra decedãt; aut maiorem eiuſdem materiæ partem. Et per conſequens ex hoc cap. nunquam defuturam eſſe propriam materiam, ex qua cuiuſque corpus in eadem numerica identitate principaliter fabricetur: quanuis ob alios euentus poſsit deficere propria materia, quæ ſatis ſit ad corpus integrè fabricandum. & opus ſit Deo aliunde materiam ſupplere, vt fiet in infantibus, & in ijs, qui ob aliquod impedimentum nõ tantùm materiæ habuerunt, quãtùm ſatis ſit ad perfectũ reſurgentis corpus reſarciendum. Quomodo autem id fieri poſsit? & ſi à noſtro intellectu comprehendi nequit; à diuino tamen benè cõprehenditur, qui omnia ad deſtinatos fines ſuauiter diſponit.

8. Aduertend. Vt autem hoc vtcunque attingamus, aduertendum eſt eandem materiam, vel integram, vel partialem in pluribus hominibus ſimul exiſtere, hoc tantùm modo fingi poſſe: ſi nimirum vnus carnem alterius comedat: vel immediatè eam in ſe ipſa comedendo, vel mediate comedẽdo carnem animalis; quod humanam carnem deuorauit. Quid autem repugnantiæ implicat Deum ita diſponere, vt nullus carnem animalis comedat, quæ ex carne hominis fuit genita? præterea quid repugnat nullum hominem mori cum ea ſubſtantia, quam ex alterius hominis carne aggeneratam habet? poteſt enim talis caro actione caloris conſumi, prius quam moriatur talis homo: maximè quia nullus eſt, qui ſolis carnibus humanis nutriatur; & pauci, qui ea aliquando vtantur.

9. Explicatur Iuſtinus. Et hunc ſenſum mihi habet reſponſio Iuſtini, dùm reſpondebat gentilibus hoc argumentum non habere demonſtrationem: *Quid ſcilicet ex eo, quod plures humanis carnibus veſcantur, non neceſſariò infertur eandem numero carnem, quæ reddenda erit in reſurrectione in pluribus hominibus reperiri.* Quæ ſanè doctrina eſt ferè omniũ, quos citauimus: quia omnes ferè negant aliquando futurum, vt ea caro, quæ in reſurrectione huic homini neceſſariò eſt reddenda, in altero eodem modo reperiatur, vt videre eſt apud *D. Thom. in 4. in d. quæſtiuncula 4. ad 4. & apud D. Bonauẽt. Richard. & Scotum locis citatis.*

Optima doctrina. D. Thom. D. Bonau. Richard. Scotus.

10. Ex qua reſolutione euidenter patet nullum iam difficultati locum relinqui. Quod ſi gratis exercitij gratia demus, vt duo homines in eadem materia, vel integra, vel partiali communicent; varia reſpondent; ſed hęc ſit huius difficultatis reſolutio: vt ſi in eadem materia integra vterque cecidit, fieri non pòſsit ſeruatis reſurrectionis legibus, vt tota reddatur alteri; quidquid Suarius aliter dicat: fieret enim, vt alter variata integra materia non poſſet idem numero redire, vt benè aduertit *D. Bonauen in 4. loco citato.* Quare inter eos diuina prouidẽtia diuidetur; & in vtroque, quod defuerit ad iuſtam reſurgentis ſtaturam ſupplebitur ex alijs materię partibus, quæ in quolibet eorum actione calidi fuerunt conſumptæ, ſi verò hæ adhuc non ſint ſatis, aliunde ſupplebitur, quod defuerit. Reſolutio. D. Bonau.

At ſi ſolùm communicent in aliqua parte eiuſdem materiæ; quilibet eorum cum ſua propria, quam habet, reſurget: illa verò pars reſtituetur ei, qui prius in ea cecidit: occaſus enim carnis, atque ſeminatio eius per mortem, ius cuique tribuit, vt in eadem, qua cecidit, carne reſurgat, vt iam oſtendimus: quare qui prius in ea carne obijt, prius ius habuit, vt in ea debeat reſurgere: eidem igitur reſtituetur, nulla habita ratione meritorum, quidquid Suarius aliter ſentiat: in altero verò ſi quid defuerit ſupplebitur modo ſuperius explicato. Sed de his curioſiùs ſpiculari, minimè decet. 11. Nota caſũ.

ARTICVLVS XI.

Vnde ſumenda ſit materia, quando, quæ fuit in vita, non ſatis eſt ad ſtaturam, in qua iuſtus eſt reſurrecturus?

PRO explicatione præmittimus in pluribus hominibus contingere, vt materia, in qua moriendo ceciderunt, non ſatis ſit ad ſtaturam, in qua reſurrecturi ſunt, vt patet in infãtibus tâm abortiuis, qui in vtero matrum obierunt, quàm in alijs, qui nati mortui ſunt in infantia: hi enim in ea ſtatura ſunt reſurrecturi, quam habituri erant in ætate plenitudinis Chriſti; idque iuxta exigentiam propriæ complexionis, vt inferiùs dicemus: idem etiam continget in omnibus pigmæis, alijsque monſtris, in quibus natura 1. Optima quæſtio. Pręmiſſum

tūra impedita fuit, ne ad debitam quantitatem peruenirent, ſi nullum adfuiſſet impedimentum: hi enim in ea quantitate reſurgent, quam ſublatis impedimentis haberent in ætate plenitudinis Chriſti: in his igitur inquiri poteſt; vnde nam ſumenda ſit materia, quæ deeſt ad debitam illius ætatis ſtaturam?

2. Quid de infantibus? Et quod attinet ad infantes, indubitatum eſt apud omnes in illis ſumendas eſſe aliquas materiæ particulas, quas in vita nunquam habuerunt, & quæ nunquam fuerunt de veritate illorū ſingularis naturæ; quibus cum propria, in qua ſunt mortui, compleatur ſtatura plena, & perfecta illis debita; vnde autem, quod deeſt ad propriam ſtaturam, ſumendum ſit? diuinæ electioni relinquitur.

3. Quid de Pigmæis? Quod verô attinet ad Pigmæos, & alios, in quibus natura fuit impedita, ne ad propriam, & naturalem ſtaturam perueniret? dicimus id, quod deeſt, ſumendum fore de ijs, quæ aliquando fuerunt de integritate eiuſdem hominis, & actione caloris naturalis conſumpta ſunt. Si verò illæ particulæ non ſatis fuerint ad ſtaturam, in qua ſunt reſurrecturi; Deus id, quod defuerit, ſupplebit, quomodò voluerit.

QVÆSTIO IIII.

De forma ſubſtantiali, in qua ſumus reſurrecturi.

Continuatio cū præcedentibus. IN ſuperioribus egimus de materia, in qua ſumus reſurrecturi, quæ eſt altera pars ſubſtantialis ex qua eſſētialiter componitur homo, qui debet reſurgere: ſupereſt dicamus de altera ſubſtantiali parte, quæ eſt forma. Quia verò controuerſum eſt inter Philoſophos; vtrùm in quolibet compoſito detur vnica tantùm forma ſubſtantialis; an verò plures? & ſubinde vtrùm in homine præter animam rationalem (quam omnes in homine agnoſcunt) dentur plures aliæ ſubſtantiales formæ? ideò primō loco agemus de ipſa rationali anima: deinde de alijs ſubſtantiabus formis, ſi præter animam rationalem aliæ ſunt admittendæ: duos igitur articulos excitabimus. Primus eſt; vtrùm omnes debeant reſurgere in eadem numero anima rationali, quam in vita habuerunt? ſecundus; vtrū ſuppoſita pluralitate formarum ad veram reſurrectionem neceſſe ſit, vt omnes reſurgant cum eiſdem numero formis ab anima rationali diſtinctis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes debeant reſurgere in eadem numero anima rationali, quam quiſq; in vita habuit?

IN hac quæſtione nulla datur difficultas; quia nullus, etiam hæreticus, dubitauit in reſurrectione eandem numero animam rationalem redituram eſſe, quam quiſque in vita habuit, vt ait *Auguſtinus de Conſolatione mortuorum ſerm. 2. cap. 1*: cum enim illa principaliter meruerit, aut demeruerit, illa ipſa præmianda eſt vel punienda. 1. Quæſtio de eadem numero anima. Auguſt.

Accedit etiam; quia in reſurrectione idem numero homo reſurget, qui vixit, & mortuus fuit: non poteſt autem idem numero redire, niſi redeat eadem numero anima rationalis; cum illa ſit principalis quidditas cuiuſq; ſingularis hominis? Quare apud eos, qui cum communiori ſententia vnicā tantùm formā ſubſtātialē in quolibet compoſito admittunt, nulla fuit, nec eſſe potuit difficultas, quin forma ſubſtantialis hominis eadem numero reditura ſit, vt aduertit *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 1. ar. 1. q. 2. ad tertium*: nam cum anima rationalis ſit immortalis, deſinente homine, forma ſubſtantialis illius non deſinit: & ſubinde nullus relinquitur locus quæſtioni, an forma ſemel corrupta poſſit eadem numero reparari? Quare redeunte eodem numero homine, redit etiā idem numero animal, idem numero viuens, & denique idem numero corpus prædicamentale; quia per eandem animā Petrus ſimul eſt homo, animal, viuens, & corpus. 2. Alia ratio. D. Thomas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſuppoſita pluralitate formarū ad veram reſurrectionem neceſſe ſit, vt omnes reſurgant in ijſdem numero formis ab anima rationali diſtinctis?

Quæſtio optima.

§. 1.

§. 1.

Refertur pars negans.

1. Pars negās. Suar. D.Thom. PArtem negantem nonnullos probaſſe refert *Suarius 2.tom. ad 3.partem diſp.44.ſect.2.in principio, quam ſatis expreſſe videtur probaſſe D.Thomas in 4.diſt.44.q.1.art.2.ad* 3. vbi docet hominem non fore reſurrecturum cum eadem numero anima ſenſitiua, ſi illa in homine ab intellectiua realiter diſtinguatur.

2. 1. ratio. Fundamentū huius opinionis eſt; quia poſito illo caſu anima ſenſitiua morte hominis deſineret eſſe, ſicut deſinit eſſe anima ſenſitiua bruti, bruto moriēte. At probabile eſt, formam ſimul corruptam, nec per diuinam potētiam redire poſſe: hanc enim ſententiam plures probauerunt, vt oſtendimus ſuprâ *libro* 1.*q*.3.*art*. 2. §. 1: *eam enim probarunt Durandus, Marſilius, Alenſis, imò etiam D.Thomas, quos ibidem citauimus.* (Durand. Marſil. Alenſ. D.Thom.) Ergo non eſt neceſſarium, vt eam homine reſurgente redeant eædem numero formæ ſubſtātiales, quas habuit; ſed ſatis eſt, quod redeat eadem numero anima rationalis: alioquin impoſsibilis eſſet reſurrectio hominis, ſicut impoſsibilis eſt reſurrectio bruti.

3. 2. ratio. Cōfirmatur ſecundò; quoniam homo formaliter conſtituitur in eſſe hominis per animam rationalem; nō verò per cęteras formas, aut totales, aut partiales. Ergo ad identitatem numericam Petri ſatis eſt, reſtituatur illi eadem anima rationalis. quanuis non reſtituantur cæteræ numero formæ.

4. 3. ratio. Tertiò cōfirmari poteſt; quoniam abſolutè loquendo ad reſurrectionem non eſt neceſſarium, vt reſurgens in eadem numero materia reſurgat, vt probat *Suarius loco citato, ſectione 2.§. Hæc difficultas, pag.807.col.2.* Ergo ad veram reſurrectionem non erit neceſſarium, vt eadem numero anima ſenſitiua redeat; ſed ſatis eſt, quod redeat eadem numero anima rationalis, qua homo in eſſe hominis abſolutè conſtituitur.

§. 2.

Opinio affirmans eſt ampletenda.

5. Affirmans eſt vera. D.Thom. Durand. Abul. OPpoſitam tamen ſententiam probarunt *D.Thom. in 4.diſt.44. q.1. art.1. q. 2. ad 3. Durandus ibidem q.1.n.4. Abulenſis in cap.22.Matt.q.223.* §. *Ad 3. principale, & cum illis Suarius vbi ſuprà, & ſatis innuit Sotus in 4.diſt.44. q.1. art.1.ad 2.& 4.* (Suarius.) Quæ ſententia veriſsima eſt & tenenda: quoniam ad veram reſurrectionem per ſe requiritur, vt homo reſurgens ſit idē numero homo, qui vixit. At non poteſt idem numero homo reſurgere, niſi ſimul reſurgat idem numero animal, & idem numero viuens, & denique idem numero corpus prędicamentale: homo enim eſſentialiter eſt animal, viuens, & corpus. Iam verò idem numero animal non poteſt reſurgere, niſi reſurgat eadem numero anima ſenſitiua, per quam in eſſe animalis formaliter cōſtituitur: & ſimili modo non poterit reſurgere idem numero viuens, aut idem numero corpus, niſi redeat eadem numero anima vegetatiua, & eadem numero forma corporis. Quo eodem argumento demonſtratur non poſſe reſurgere eandem numero carnem, niſi reſurgat eadem numero forma carnis, anima ſcil. ſenſitiua. Idem dicitur de oſſe, & de cæteris partibus organicis: quodlibet enim horum eſſentialiter conſtituitur ex hac numero materia prima, & ex hac numero forma ſubſtantiali. Quare ſi pluralitas aut animę aut formæ in homine admittatur; neceſſariò erit concedendum beatum reſurgētem in iiſdem numero formis ſubſtantialibus reſurrecturū: & oppoſitū nō eſt ſatis tutum: nec ego inueni, qui oppoſitū aſſereret.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

ARgumenta autem in oppoſitum facilè ſoluuntur. Ad primum dicendum eſt ſententiam, quæ aſſerit formam corruptam poſſe eādem numero diuina potentia redire, eſſe veriſsimam, vt oſtēdimus *ſuprà lib.1.q.3.art.2.* Sed quid dicendum erit, ſi oppoſita ſententia admittatur? puto ēa admiſſa non poſſe verā reſurrectionem ſaluari cū pluralitate formarum, vt benè aduerterunt *Durand. & Abul. locis citatis*, & ex dictis colligitur: ob hanc enim rationem præcitati doctores putant eſſe impoſsibilem reſurrectionem brutorum. Et quanuis in hoc non ſint audiendi: non puto tamen oppoſitū damnari poſſe: etenim licet falſa ſit opinio, quæ docet id, quod deſijt, nec per diuinam potentiam redire poſſe: non ta- 6. Ad 1. arg. (Durand. Abulen.)

men indiget cenſura; cum hæc opinio pluribus Theologis, & cum illis D. Thomæ ſit probata.

7. Ad 2. Ad ſecundum conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: quoniam admiſſa illa opinione Petrus non conſtituitur in toto formali eſſe hominis per ſolam animam rationalem; cum in ſua eſſentia includat eſſe animal, viuens, & corpus, idque per animam ſenſitiuam, vegetatiuam, & per formam corporis: in eſſe vero materiali alterius partis phyſicæ tunc conſtitueretur non per animam, ſed per formas partiales partium organicarum; ſine quibus nulla forma totius poteſt alteram viuentis partem (corpus inquam) informare.

Ad 3. Ad tertium dicimus opinionem Suarij non eſſe recipiendam, vt latè oſtendimus lib. 1. q. 3. art. 2. vbi vide.

QVÆSTIO V.

De natura humana, & toto compoſito.

1. Ordo dicendorum. VT euidentiùs appareat beatum in reſurrectione in omnimoda identitate numerica reſurgere; explicandum eſt, vtrùm reſurgat in eadẽ numero humanitate: in eodem ſuppoſito: in eadem vnione ſubſtantiali: denique in eadem ſubſtantiali exiſtentia, & duratione. ¶ Sequentes igitur excitabimus articulos. Primus eſt; vtrùm debeamus reſurgere in eadem numero humanitate? ſecundus; an in reſurrectione redeat eadem vnio animæ, & corporis? tertius; vtrùm redeat idẽ numero ſuppoſitum? quartus; vtrùm reditura ſit eadem numero exiſtentia? quintus & vltimus; vtrùm omnes in eadem duratione intrinſeca ſimus reſurrecturi?

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes debeamus reſurgere in eadem numero humanitate?

§. I.

Sententia affirmans probatur.

2. Affirmans eſt vera. AD quæſtionem dicendum eſt in reſurrectione eandem numero humanitatem eſſe redituram: quod abſque vllo dubio eſt receptiſsimum: ita *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 1. art. 1. quæſt. 2. ad ſecundum, & 4. contra gentes cap. 81, ad ſecundum, vbi Ferrarienſ. §. Circa quintum dictum, & Abulenſ. cap. 22. Matth. q. 223. litera M. & Z.* (D. Thom. Ferrar. Abulen.) Quæ ſententia à quibuſdam inde confirmatur: quia natura humana ſecundum rem non eſt aliud, niſi ipſa anima rationalis; nõ ſimpliciter, vt actuat corpus; ſed prout dat ſpeciem toti homini. (1. confirm.) Quod ſimiliter dicunt de natura ſubſtantiali cuiuſque ſubſtantialis compoſiti, in quibus forma partis eſt ipſa forma totius; prout tamen conſtituit totum in eſſe ſpeciei: cum enim homo ab humanitate dicatur homo, & formaliter conſtituatur in ſpecie hominis per animam rationalem; inferunt animam rationalem, vt conſtituit ſpeciem hominis, eſſe humanitatem. Ad quam ſententiam videntur accedere qui putant ſolam formã eſſe totam rei materialis eſſentiam. Ergo iuxta hanc ſententiam in reſurrectione eadem numero humanitas redibit; quia eadem numero anima rationalis redit, qua homo reſurgens in ſpecie hominis conſtituitur.

Verùm fundamentum huius probationis communiter reijcitur, & ſpecialiter à Diuo Thoma, & Abulenſi locis citatis: 3. Non probatur. nam ſecundum veram & receptam Philoſophiam natura ſubſtantialis in cõpoſitis materialibus eſt quædam ſubſtãtia per ſe vna eſſentialiter compoſita ex materia & forma: quæ cõmuniter appellari ſolet forma totius, & ab alijs dicitur forma metaphyſica; eſtque realiter diſtincta à forma, quæ eſt pars; ſuamque cauſalitatem exercet circa ſuppoſitũ à quo diſtinguitur. Et hæc eſt communis doctrina de natura ſubſtantiali: ita *Auicena in 5. Metaph. cap. 4. D. Thomas, & Abulenſis vbi ſuprà, latè Suarius in Metaph. diſput. 15. ſect. 11. numero 3. & latius diſp. 36. ſect. 2. numero 4.* (Auic. D. Thom. Abulenſ. Suar.) & hæc in myſterio Incarnationis ab omnibus ſupponitur tanquam veriſsima. Fundamentum autem oppoſitæ ſententiæ omnino corruit, dùm aſſerit ſolam formam eſſe totam rei materialis quidditatem, & eſſentiam: (Corruit fũdamentum aduerſariorum.) oppoſitum nanque docet communis Philoſophia *Auicenæ, Diui Thomæ, Scoti, Durandi, & aliorum, quos referunt Conimbricenſes primo Phyſicorum cap. 9. quæſtione quinta, & Suarius in dicta diſputatione 36, ſect. 2.* (Conimbr.) de quo plura dicere non eſt huius loci.

Suppo-

4. *Vera confirmatio.* Suppoſita hac veriſsima ſententia veritas noſtræ aſſertionis neceſſariò conuincitur: nam ex dictis conſtat rediturũ hoc numero corpus, & hanc numero animam; quæ ſunt principia eſſentialia huius numero humanitatis. Non igitur poſſunt aliam humanitatem componere: ſicut enim fieri non poteſt, vt detur res ſine ſuis principijs eſſentialibus: ita non poſſunt dari principia eſſentialia, vt cõponentia ſine re, & eſſentia, quam componunt, vt bene aduerterunt Conimbr. in 1. Phyſicorum cap.2. q.1. art.5. ad 5. in fine.

5. *Alia confirmatio.* Accedit; quia cum idem numero homo redire debeat, nõ poteſt nõ redire eadem numero humanitas, quæ eſt huius hominis eſſentia, & quidditas; vt patet *ex libro Boetij de duabus naturis, & vna perſona Chriſti, D.Thom. de ente, & eſſentia cap. 1. in fine, & in 2. diſt.37. q.1. art.1. & prima parte q.29. art.1. ad 4. & 3. parte q.2. art.1. & 12. Fonſec. 5. Metaph. cap.2. q.3. ſect. 2. & Suario in Metaphy. diſp.15. ſect. 11. num.3.*

Boetius. D.Thom. Fonſeca. Suarius.

§. 2.

Adducitur argumentum in contrarium & diſſoluitur.

6. *Argumentum in contrarium.* SEd contra hanc veriſsimam reſolutionem obijcitur: quoniam humanitas per mortem deſinit eſſe, & cedit in non ens: ergo non poteſt redire eadem numero. Antecedens patet: conſequentia probatur: Primò; quia hæc eſt plurimorum ſententia, vt id, quod per corruptionem ita corrumpitur, vt cedat in non ens, nec per diuinam potentiam poſsit redire, vt probant *Durandus, Marſilius, Abulenſis, & D.Thomas, quos citauimus libr.1. quæſt.3. artic.1. §.1.* Deinde: quoniam reditus iſte eſt quædam iteratio, vt patet; iteratio autem repugnat idẽtitati.

Durand. Marſil. Abulenſ. D.Thom.

7. *Reſponſio quorundã.* Ad hoc argumentum quidam ideò negant conſequentiam, quia licet humana natura deſinat eſſe, vt eſt quoddam totũ; non tamen deſinit eſſe totaliter; cum adhuc maneant materia, & anima rationalis, ex quibus conſtituitur; & inde eſt, vt in totum non pereat, neq; annihiletur: quæ verò ita pereunt, vt totaliter non pereant, neque annihilentur, poſſunt diuina virtute redire eadem numero: ſecus dicendum erit (inquiunt) in illis naturis, quæ ita pereunt, vt aliquid ipſarum totaliter pereat, ſicut continget in alijs cõpoſitis ab homine, in quibus forma totaliter perit: vnde ita pereunt, vt verè annihilentur: hæc enim nec diuina virtute poſſunt eadem numero redire; quæ fuit opinio *Durandi in 4. diſt. 43. quæſt. 3. & Ioannis de Neapoli co.21. q. 6. Marſilij 1. de Generatione q.18. & Abulenſ. in cap. 22. Matth. quæſt.238.* qui ſimiliter dicendum putant, ſi humanitas ponitur tertia entitas à ſuis partibus realiter diſtincta, vt patet ex *Abulenſ. vbi ſuprà litera AA. & BB.*

Duran. Ioann. de Neapol. Marſil. Abulen.

8. *Non recipitur.* Sed hæc opinio non eſt recipienda, dũ ſtatuit non poſſe diuina virtute redire, quę in nihilum redacta totaliter periere: oppoſitũ enim docet vera theologia: quia poteſt Deus etiam quæ ſimpliciter quoad totam entitatem ſunt annihilata eadem numero reproducere, vt latè oſtendimus ſuprà *lib.1. quæſt.3. art.2. §.3. vide D. Thomam 4. contra gentes cap. 81. ad 1. vbi Ferrarienſ. & Conimbric. 2. de Generat. cap.10. quæſt.2. art.2. & in propoſito id docuit Auguſtinus libr. 22. de Ciuitate Dei cap.20.*

D.Thom. Ferrar. Conimb. Auguſt.

9. *Vera ſolutio. Ad Abulenſ.* Quare ad argumentum nulla adhibita diſtinctione neganda eſt conſequentia, cuius prima probatio ſumit, quod eſt probandum. Ad ſecundam probationem *Abulenſ. vbi ſuprà litera CC.* negat humanitatem, dûm reſurget, iterato redituram: cum enim (vt ait) exiſtat per eſſe animæ, quod nũquam interruptum fuit; vtiq; nulla in humanitate poterit admitti, iteratio eſſendi. Quæ doctrina ſatis fuit *D.Thom. in 4. diſt.44. quæſt.1. art. 1. q.2. ad primum,* ſed nec verum eſt humanitatem exiſtere per eſſe animæ (habet enim propriam exiſtentiam ſicut & propriam entitatem, quidquid Thomiſtæ contradicant) nec ſi id Thomiſtis daremus, negari poſſet humanitatem iterum ad eſſe redire, quoniam licet eſſe animæ in ſe ipſo, & in ordine ad eſſentiã animæ nunquam deſierit; deſijt tamen actuare humanitatem: & ad hunc ſenſum eſſe humanitatis verè fuit interruptum. Vnde in reſurrectione ſicut iterato participabit eſſe animæ; ſic iterato ad eſſendũ redibit.

D.Thom.

10. *Homo hic fuit.* Quare admittimus & hominem, & humanitatem in reſurrectione iterum redi-

re ad eſſe: & ꝓinde de homine verè enũtiatũ iri, quod bis fuerit; ſemel ante mortem, & iterum poſt mortem; id, quod cõ-

Suar. Molina. Conimbr. Capreol. D. Bonau. Caiet. Scotus.

muniter admittitur, vt patet ex *Suario, & Molina relatis, & probatis à Conimb. in 2. de Gener. c. 11. q. 2. art. 3. ad 2: & ante eos idem docuerunt Capreol. in 2. diſt. 2. q. 2. art. 3. ad 5. & 10. D. Bonauent. contra 5. fol. 62. col. 3. & fol. 64. col. 1. Caiet. 1. parte q. 10. art. 5. ad finem. §. In reſponſione ad 2. Scotus in 2. diſt. 2. q. 1. ad argumenta.* Ad obiectionẽ igitur dicendum eſt iterationem eſſendi repugnare quidem identitati ſimultatis in eſſendo; non tamen identitati rei, quæ eſſe conſequitur: vtrùm vero repugnet identitati, aut exiſtentiæ, aut durationis? inferius dicemus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in reſurrectione redeat eadem vnio animæ, & corporis?

§. 1.

Referuntur duæ ſententiæ.

1. 1. opinio. DVbium eſſe poteſt, an in reſurrectione redeat eadẽ numero vnio animæ, & corporis, quæ antea fuerat? Ratio dubitãdi eſt; quoniam vnio hæc eſt de eſſentia hominis, vt plerique docent, & cum illis

Suarius. *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 38. ſect. 2. §. Hinc ſequitur primò*: homo enim ſine vnione illarum partium intelligi non poteſt. Ergo ſi hic homo numero, & hæc numero humanitas in reſurectione redire debent; vtique neceſſariò etiam redibit eadem vnio corporis, & animæ.

2. 2. opinio. In contrarium eſt; quoniam vnio iſta non eſt de eſſentia hominis, vt communior docet ſententia, & ſatis

Suar. *Suarius (ſui oblitus) in 2. tom. diſp. 44. ſect. 2. dubio 2. ad finem.* Poteſt igitur idem numero homo & eadem numero humanitas ſimpliciter permanere, quanuis non permaneat eadẽ numero vnio.

3. Confirm. Confirmatur; quia vnio corporis, & animæ indiuiduatur ex eo, quod hic & nunc fit, & in tali re. Cum igitur in reſurrectione fiat in tempore diuerſo, & diuerſa actione, nõ poteſt eadẽ numero redire.

4. ¶ Huic difficultati quidam reſpondent negatiuè: cum enim vnio iſta non ſit homini eſſentialis, ſed accidentaria illius diuerſitas non poterit impedire identitatẽ humanitatis: ita

Opinio negans. D. Thom. Abulen. Suar.

D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 1. art. 1. ad 2. Abulenſ. in d. c. 22. Matthæi q. 238. litera EE. Viguerius in ſuis inſtit. c. 21. §. 2. verſu 4. Hãc opinionem ita explicat *Suarius in d. diſp. 44. ſect. 2. in 2. dubio paulò ante finem*, vt dicat ad veram reſurrectionem non eſſe neceſſarium, vt eadem vnio animæ, & corporis reſtituatur, vt præcedens dicebat opinio: de facto tamen eandem vnionem redituram eſſe; quia licet non ſit neceſſaria ad vnitatem eiuſdẽ hominis; confert tamen ad perfectiorẽ vnitatem eius: nec eſt Deo impoſsibile eandem numero vnionem in reſurrectione reparare: his verbis inſinuans, eam, niſi per miraculum, redire non poſſe.

§. 2.

Reſoluitur quæſtio nonnullis concluſionibus.

PRo reſolutione aduertimus vnionẽ trifariam accipi: vno modo; pro actione, qua extrema vniuntur. 5. Vnio trifariã accipi. Secundo modo; pro relatione cõiunctionis extremorum. Tertio modo; pro fundamento huius relationis, & quãuis *D. Thomas cum Abulenſ. Viguerio, & alijs nullã mentionem faciant tertij membri*; illud tamẽ non negant; quia relatio non datur ſine fundamento: quare 2. membrum in duo diuiſit

Caiet. Conimbr.

Caiet. 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. & ſic triplex vnionis acceptio communis eſt, vt patet ex *Conimbr. 1. Phyſic. c. 9. q. 11. ar. 3. ad finẽ, & in 1. de Anim. c. 1. q. 6. ar. 3. ad 5.*

6. Vnio ſumpta primo modo cum actionem, & paſsionem denotet; potiùs dicenda eſt vnitio. Hæc autem & actiuè, & paſſiuè ſumi poteſt. Actiuè ſũpta eſt actio, qua agens extrema vnit, paſsiuè autem accepta eſt paſsio, qua eadem extrema dicuntur paſſa vnitionem. Huius vnitionis terminus vt *quo* ſunt extrema: terminus verò vt *quod* eſt vnitas ſubſtantialis, v. g. naturæ humanæ, quæ immediatè reſultat ex coniunctione animæ cum corpore.

De vnione primo modo.

7. 1. cõcluſio de vnione 1. modo. ¶ De vnione ſumpta primo modo ſcil. ſumpta pro vnitione ſit prima concluſio: *Vnitio animæ, & corporis, quæ in reſurre-*

ctione

ctione fiet, neceſſario futura eſt alia numero à priori, quæ facta eſt in generatione hominis.

D. Thom. Abulenſ. Viguer. Fonſeca. Ita D. Thomas, Abulenſ. & Viguerius locis citatis, Fonſeca in 4. Metaphyſi. cap. 2. q. 5. ſectione 6. in fine: nam vnitio, quæ in reſurrectione futura eſt, erit actio ſupernaturalis ab agente ſupernaturali: cum tamē vnitio, quæ facta eſt in generatione, fuerit naturalis ab agente naturali: vtraque tamen vnitio ſiue actio realiter eſt eadē; quia vtraque habet eundem terminum cum quo realiter eſt idem; diſtinguitur tamen formaliter, quia vna eſt naturalis, altera ſupernaturalis: vna immediatè eſt à Deo, altera eſt etiam ab homine: nec eſt incommodum diſtinctas actiones eſſe ad eundem numero terminum.

Quid de cauſalitate extremornm?

8. De mutua extremorū cauſalitate.

¶ Notandum tamen eſt ad conſtituendū terminum vt *quod*, v.g. ad conſtituendam naturam humanam, non ſolùm concurrere actionem agentis, ſed etiam cauſalitatem vtriuſque extremi; materiç, inquā, & formæ: nam materia & forma non ſolùm mutuam inter ſe exercent cauſalitatem; ſed vtranque in compoſitum; ſiue id fiat per diſtinctam cauſalitatem, vt quidā volunt; ſiue per eandem vlterius progredientem, vt alij malunt. Ex quo infertur naturam totā non ſolùm cauſari ab agente, ſed etiam à materia, & forma, in ſuo proprio cauſandi genere: vnde fit vt cauſalitas, tâm materiæ, quàm formæ, cum ſit quaſi actiua, vnitio dici debet.

9. Optima q̄ſtio.

Inquiri igitur poteſt; vtrùm anima, & corpus in reſurrectione eadem numero cauſalitate vniant, & componant naturā humanam, qua in generatione eam vniuerunt, & compoſuerunt? huic difficultati reſpondet Suarius ad veram reſurrectionem non eſſe ſimpliciter neceſſariū, vt eadem cauſalitas reſtituatur: de facto tamen eandem cauſalitatem redituram fore. Nos ſecundam ſtatuimus concluſionem huic doctrinæ contradicentem.

Suarius. 2. concluſio de cauſalitate.

In reſurrectione corpus, & anima diſtincta numero cauſalitate concurrent ad conſtitutionem naturæ humanæ. Probatur, quoniam etſi anima ſupernaturali agentis actione in reſurrectione coniungatur, & vniatur corpori tamen anima corpori coniuncta nō ſupernaturaliter, ſed naturaliter actuabit corpus, & componet humanitatem: ſimiliter etiam materia, quç eſt altera pars hominis, quoad effectum informationis animam naturaliter ſuſtentabit: agentis igitur actio erit ſupernaturalis: cauſalitates verò corporis, & animæ tâm erga ſe, quàm erga totam naturam humanā; erūt naturales. At eadem numero cauſalitas non poteſt naturaliter redire, vt idē Suarius fatetur: vtraque igitur naturæ humanç pars diſtincta numero cauſalitate tùnc temporis concurret ad compoſitionem naturæ humanæ.

De vnitate ſumpta pro relatione.

¶ Quod attinet ad vnionem ſumptam ſecundo modo pro relatione, quæ inter partes vnitas interiacet ſit tertia cōcluſio: *Ad veritatem reſurrectionis parum refert, quod relatio vnionis ſit eadem, vel diuerſa numero, probabilius tamen eſt eam futuram eſſe eandem.* Prior pars eſt D. Thom. Abulenſ. & Viguerij vbi ſuprà: nam relatio illa eſt accidens concomitans naturam humanam, & partes eius; poteſt igitur variari manente ſemper eadem humanitate: hæc enim quoad ſuam numericam identitatem à ſolis ſuis principijs eſſentialibus (corpore. ſ. & anima) per ſe & eſſentialiter pendet. Poſterior pars inde oſtenditur: quoniam redire eandē numero vnionis relationem aliquo modo pertinet ad maiorem, & perfectiorem vnitatem naturæ humanæ: ob quā rationem inferiùs dicemus eadem numero accidentaria reſtitutum iri. 10. 3. cōcluſio de vnione 2. modo.

De vnione fundamentali.

¶ De vnione ſumpta tertio modo, pro vnione ſcilicet fundamentali, maior eſt difficultas: cuius explicatio pendet ex quæſtione; quidnam ſit hæc vnio, quç eſt relationis proximum fundamentum? de quo non omnes eodem modo ſentiunt. 11. De vnione fundamentali eſt dubium.

Quidam volunt eam eſſe accidens, vel abſolutum, vel relatum, quo mediante vel iſti diſpoſitione præuia natura ſubſtātialis ex materia, & forma conſtituitur, ſed non ſunt audiendi: quia materia, & forma ſe ipſis nullo accidente medio cōponunt naturam, ideò præciſè, quia hæc eſt actus, illa verò eſt potentia, quæ eſt vera Ariſtotelis metaphyſica. 1. ſententia quid ſit vnio fundamentalis.

Secunda ſententia eſt *Caiet.* 1. *p. q.* 76. 12.

art.1. ad 6. vult enim hanc vnionem nihil
2. opinio Caietani. eſſe aliud, quàm formalem formæ cauſalitatem erga materiam; quæ ipſa ſuo modo eſt actus ſecundus formæ in hoc poſitus, quod dat eſſe actuale materię, ſed cũ iſta fundamentalis vnio, non ſolùm fundet relationem in forma, ſed etiam in materia, ob quam rationem in vtraque debet reperiri; ideò quidam nouiores volunt vnionem iſtam eſſe cauſalitatẽ tàm formæ, quàm materiæ, qua vna in alterã mutuò illabens ſimul cum illa componit naturam. Hæc fuit ſententia *Conimbr. 1. Phyſicorum c.9. q.11. art.3. ad finem, & expreſsiùs in 1. de Anima c.1. q.6. art.3. ad 5. & in tractatu de Anima ſeparata diſp.2. art.1:* probauit *Suarius 2. tom. ad 3. partem diſp. 44. ſect.2. dubio 2. pag. 812. col.1.* apud quẽ vnio iſta eſt veluti conditio, & via ad cõponendum totum; nec eſt aliud, quàm modus quidam eſſendi. Quam ſententiã conſtanter tenet, vt patet ex ijs, quæ de vnione naturæ humanæ cum verbo docet *1. tom. diſp.8. ſect.2. dicto 3. & ibidem in commentario ad 3. partem q.2. art.7.* & iuxta hanc ſententiam putat ad reſurrectionem non eſſe ſimpliciter neceſſarium, vt eadem numero vnio redeat; de facto tamen eandem numero eſſe redituram.

3. opinio nouiorum.

Conimb.

Suarius.

12. Non recipitur.

Ego tamen ſententiam iſtam non puto eſſe admittendam, ſi cauſalitas, tàm materiæ, quàm formæ actiuè ſumatur: hæc enim potiùs ad vnitionem ſpectat, quam ad vnionem, quæ eſt vtriuſque cauſalitatis effectus, vt ſuprà aduertimus. Vnde Conimbr. in d. tractatu de anima ſeparata diſp.2. art.1. pag.471. in medio rem melius expendentes volunt vnionem formæ cum materia eſſe ipſam formæ cauſalitatem: at tamen in facto eſſe, quæ eſt cauſalitas paſsiua: quæ ſententia in bono ſenſu poteſt eſſe vera.

13. Propria opinio.

Puto igitur vnionem fundamentalem, in qua vnionis relatio fundatur, nec eſſe aliquod accidens, nec aliquẽ eſſendi modum præuium conſtituioni naturæ ſubſtantialis; ſed eſſe ipſa extrema (materiã ſcil. & formam) non ſimpliciter ſumpta; ſed prout in vnitate naturæ, quam componunt, ſunt ſubſtantialiter indiuiſa: ita fit, vt proximum fundamentum relationis ex parte formæ ſit ipſa forma; ratio verò fundandi ſit indiuiſio ſubſtantialis in vnitate ſubſtantiali naturæ cõpoſitæ.

14. Actio vnitiua ad quid terminatur?

Pro maiori tamen explicatione aduerte actionem vnitiuam (prout cauſalitatẽ cauſæ efficientis, formalis, & materialis complectitur) immediatè terminari ad vnitatem naturæ ſubſtantialis, quæ ex materia, & forma componitur; mediatè verò ad ipſas partes componentes, non ſimpliciter, ſed vt in natura ſunt indiuiſę. Pro quo rurſus aduerte naturam ſubſtãtialem præter vnitatem tranſcendentem, quam ſibi vendicat, vt eſt ens; vendicare ſibi vnitatem compoſitionis, quæ non eſt aliud, quam vnitas actualis indiuiſionis in ſuas partes: etenim eas in ſe ipſa actu, & ſubſtantialiter vnit: ex quo in ipſis partibus reſultat indiuiſio quædam in ipſa entitate ſubſtantiali naturæ. Igitur vnitas ſubſtantialis naturæ eſt vnio quędam veluti actiua (nec enim niſi actiuè ſignificari poteſt) qua vnione partes inter ſe diſtinctas in ſe ipſa vnificat, id eſt efficit indiuiſas; vnitas verò ſiue potiùs vnio partiũ in natura eſt vnio veluti paſsiua: quia verè ſunt indiuiſæ in natura: & ideò natura eſt vniens partes; partes verò ſunt vnitæ. Vnio naturæ eſt terminus primarius vnitionis: vnio autem partium in illa eſt terminus veluti ſecundarius, cuius ratio poſita eſt in paſsiua vnitate, id eſt in paſsiua indiuiſione partiũ in toto. Quare proximum fundamentum relationis, quæ in illis partibus vnitis reperitur, nõ eſt vnio ipſa actiua naturæ, qua natura eas in ſe vnit; ſed eſt vnio paſsiua partium, qua in natura ſunt indiuiſę: & ob hanc rationem vnio iſta fundamentalis communiter dicitur coniunctio, ſiuè potiùs indiuiſio ſubſtantialis extremorum in vnitate ſubſtantiali totius; nam ex hac coniunctione ſiue indiuiſione in toto reſultat relatio vnionis, vt docet *D. Thom. 3. p. q.2. art.9. & in alijs locis citatis à Capreolo in 4. diſt. 43. q.2. art.3. ad 1. & 2. Aureoli contra 2. pag.163. col.2.3. & 4. & Caiet. in d. art. 9. §. Ex his patet, & §. Ad Durandum autem, Soncinas in 5. Metaph. q.31. ad 3.*

D. Thom. Capreol. Caietan. Soncinas.

15. Vnio fundamẽtalis nõ eſt cõditio ad componendum.

Ex quibus iam inferes vnionem fundamentalem, quam inquirimus, dici non poſſe conditionem, & quaſi viam ad cõponendam naturam ſubſtantialem; quãuis Suarius in d. diſp.44. ſect.2. loco citato oppoſitum doceat: conſtat enim ex dictis vnionem iſtam, vt ſe tenet ex parte extremorum, conſequi ad vnitatem naturæ

turę cōpoſitæ, eamque ſupponere, in qua partes fiant indiuiſa, & in hoc ſenſu optimè dixerunt Conimbri. vnionem iſtam importare cauſalitatem in facto eſſe: quia importat partes in natura actu eſſe indiuiſas: quæ indiuiſo eſt terminus veluti ſecundarius vnitionis.

16. Duplex eſt coniunctio extremorũ. Sed vt omnia euidentiora fiant; aduerte in propoſito duplicem coniunctionem extremorũ eſſe diſtinguendam: vnam; in diſtãtię, ſiue ſimultatis, qua ea dicũtur cō iuncta, quæ ſimul ſunt, & inter ſe indiſtãtia: alteram; compoſitionis, quæ eſt indiuiſio in vnitate totius compoſiti: hæc poſterior propriè dicitur vnio ſubſtantialis: prior autem; nequaquam: nam prior expenditur penes vnitatem ſitus, quæ eſt accidens: poſterior verò: penes vnitatem ſubſtantialem naturæ. Poſterior conſequitur vnitatem cōpoſitionis; prior verò eam antecedit, tanquã conditio, ſine qua extrema mutuam ſuam cauſalitatem, nec inter ſe, nec erga compoſitũ exercebunt: nec enim forma poteſt actuare materiã, niſi indiſtantem: nec materia ſuſtentare formam, à qua diſtat. Nos autem agimus non de vnione indiſtantiæ, ſed de vnione ſubſtantiali, quæ eſt indiuiſio extremorum in vno tertio ſubſtantiali.

17. Concluſ. His ita ſuppoſitis, 4. ſtatuimus concluſionem: *In reſurrectione eadem fundamentalis vnio neceſſario redibit.* Hæc concluſio ſatis eſt de mente *Fonſecæ 4. Metaphy. cap. 2. q. 5. ſect. 6. ad finem. confirmatur authoritate Auguſt. ſerm. 156. de tempore (qui tribuitur Euſebio, & de diuerſis eſt ſerm. 54.)* vbi ita ait: *Reuocabitur: ergo in contuberniũ priſtinum animæ, & corporis vnitas, & nullis vnquam ſæculis diſſocianda germanitas.*

Auguſt. Fonſeca.

18. Ratione probatur. Ratione verò ita probatur: quoniam cũ in reſurrectione neceſſario redire debeat eadem numero natura humana, ex eiſdem numero partibus cōſtituta; neceſſario etiam redibit eadem numero vnitas compoſitionis, id eſt, eadem numero actualis, & veluti actiua indiuiſio in ſuas partes: & per conſequens neceſſario redibit eadem numero partium indiuiſio in ipſa natura: nam hæ negationes diuiſionis habent in ſuis ſubiectis fundamentũ veluti eſſentiale, & neceſſarium. Quare permanente eodē ſubiecto, nōpoteſt non permanere eadem numero negatio: ſicut ſi Deus annihilaret Angelum, & ruſſus eum reproduceret; eadem ſemper vnitas, hoc eſt, indiuiſibilitas potentialis in partes, ſimul cum Angelo rediret. Quare licet negatio illa, & indiuiſibilitas non ſit de eſſentia naturæ humanæ: fundatur tamē eſſentialiter in illa; quare natura nō multiplicata, nec illa multiplicabitur.

§. 3.

Soluitur ratio dubitandi.

AD rationē igitur dubitandi in principio allatam patet ſolutio: nam ſi ſermo ſit de vnione primo modo ſumpta; illa non neceſſario redibit, vt habet 1. & 2. concluſio, & hoc ſolũ probant argumenta in oppoſitum adducta: at ſi ſermo ſit de vnione ſumpta ſecundo modo pro relatione; patet ex 3. concluſione eam de facto eandem numero redituram; non tamen id eſſe ad veritatē reſurrectionis neceſſarium: & hoc poſterius probãt argumenta in oppoſitum. Porrò ſi agendum eſt de vnione 3. modo accepta; illa quidem redibit, vt habet 4. concluſio: nō quod ſit de eſſentia naturæ humanæ, vt Suarius voluit: eſt enim quædam negatio conſequens ad naturæ humanæ compoſitionem, vt diximus, vnde etiam ſi natura humana nequit intelligi ſine actuali compoſitione in facto eſſe; benè tamen intelligi poteſt ſine actuali indiuiſione in ſuas partes: hæc enim eſt paſsio cōſequēs entitatem compoſitam 19. Ad rationē dubitandi.

Nec valent argumenta in oppoſitum: quoniam negationes entitatem neceſſario comitantes, licet non ſint de eſſentia, non multiplicantur ſine multiplicatione ſuæ entitatis: nec verum eſt haſce negationes indiuiduari ex circunſtantijs extrinſecis hic, & nunc; quidquid nonnulli oppoſitum ſine fundamento doceant. 20. Ad argumēta in oppoſitum.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm in reſurrectione redeat idem numero ſuppoſitum, & perſona.

DVbitabit aliquis (nec ſine fundamento) an in reſurrectione rediturum ſit idem numero ſuppoſitum, ſiue perſona naturæ humanæ? pro cuius explicatione aduertimus quemlibet ſingularem hominem, v. g. Petrum com- 1. Quæſtio optima.

componi compoſitione naturæ, & ſuppoſiti: vnde infertur ſuppoſitum (quod in natura intellectuali idem eſt, quod perſona) aliquo modo diſtingui ab ipſa natura: nec enim cum ea poſſet componere ſuppoſitum, ſiue perſonam, quæ eſt Petrus, niſi aliquo modo diſtingueretur ab humana natura Petri. Quomodo autem diſtinguatur? alterius eſt quæſtionis ſatis difficilis. Inquirimus igitur; an in reſurrectione, ſicut ad numericam identitatem naturæ humanæ Petri neceſſe eſt, vt redeat eadem numero anima, & eadem numero materia ex quibus natura humana Petri in vita intrinſecè componebatur; ita etiam neceſſarium ſit, vt idem numero homo redeat, v.g. idem numero Petrus, redeat non ſolum eadem numero humanitas; ſed etiam eadem numero ſuppoſitalitas, ſiue perſonalitas, qua Petrus in natura humana ſuppoſitabatur? quam quæſtionem à nemine excitatam legi; cum tamen digna ſit, quæ explicetur.

Senſus quæſtionis.

2\. Ad quæſtionem affirmatiue reſpondẽdum eſt: quæ reſolutio ex eo generaliter probatur; quia non poteſt redire idem numero homo, niſi redeat eadem numero ſuppoſitalitas, ſiue perſonalitas, qua eadẽ natura humana in vita perſonabatur: Quod indubitatum eſt, ſi perſona, v.g. Petri ſupra hanc naturam humanã addit formã ſubſtantialem hypoſtaticam, quæ vt terminans hypoſtaticam dependentiam eiuſdem naturæ humanæ ab eadem conſtituitur in eſſe huius hominis: quæ eſt opinio *Caietani mihi veriſſima, de qua latè dixi in materia de Incarnatione*: etenim ſuppoſita hac opinione Petrus nihil aliud eſt, quam ſua forma hypoſtatica prout habet eſſe humanum ab humanitate Petri cuius dependentiã terminat. Vnde ſicut eſſet alius homo, ab eo qui modo eſt Chriſtus, ſi eadem numero humana natura dimiſſa à Verbo propria perſonalitate perſonaretur; ita etiam, ſi eadem numero humana natura, quæ eſt in Petro, ſuppoſitaretur ab alio ſuppoſito creato, vel increato, nõ eſſet idem numero homo, ſed alius. eodem igitur modo, ſi in reſurrectione humana natura Petri ſuppoſitaretur ab alia forma hypoſtatica, non rediret idem numero Petrus, ſed alius numero homo.

Reſponſio affirmatiua. — *Indubitatũ eſt in 1. ſententia.* — *Caiet.*

3\. Idem dicendum erit, ſi perſona hominis ſupra naturam humanam addit actum ſubſtantialem exiſtentiæ per ſe, quę opinio plurimis Thomiſtarum placet; etenim licet ſuppoſita illa opinione Petrus ſit ſua natura humana, nõ abſolutè (quia Petrus apud Thomiſtas realiter diſtinguitur à ſua humanitate, vt eſt quædã forma totius) ſed vt actuata per ipſam ſuam ſubſiſtentiam exiſtit per ſe: tamen ſi per aliam ſubſiſtẽtiam per ſe ſubſiſteret, eſſet alius homo: nam ideo Chriſtus de facto eſt alius numero homo ab eo, qui reſultaret, ſi humana natura à verbo non aſſumeretur: quia natura humana per aliam ſubſiſtẽtiam aſſumpta diſtinctã à propria ſubſiſtit: eodem igitur modo in reſurrectione non rediret idem numero Petrus, ſed alius homo numero diſtinctus, ſi ipſa natura Petri in reſurrectione ſubſiſteret per aliam numero ſubſiſtentiam.

Idem in 2.

Idem etiam dicendum erit, ſi cum cõmuniori recentiorum ſententia ſuppoſitum Petri ſupra naturam addit modum poſitiuum; ſeparabilem quidem à natura humana Petri, ſed ab ea realiter indiſtinctum: etenim poſita illa opinione licet Petrus ſit ſua natura humana; non abſolutè, ſed vt modificata modo illo poſitiuo, quo ſit per ſe exiſtens: tamen ſi per aliũ modum ſubſiſtendi per ſe exiſteret, eſſet alius homo, vt ſupponimus: Vnde ſi in reſurrectione debet redire, idem numero homo; vtique neceſſario redibit, idẽ numero modus ſubſiſtendi, quo in vita ſubſiſtebat. 4.

Idem in 3.

Sola reſtat opinio Scoti, & ſuorũ, qui putant ſuppoſitum addere ſupra naturã duplicem negationem dependentiæ: vnã ab alio, vel vt à ſubiecto, vel vt à toto; alterã ab alio, vt à ſuppoſito: hac enim poſita opinione poteſt eſſe aliqua dubitatio. Sed dicendum eſt eandẽ numero duplicẽ negationem in reſurrectione redituram: etenim negatio intrinſecè conſequens entitatem eadem numero redit ſi entitas, cui conuenit, iterato redit: Petrus enim in reſurrectione per eandem numero negationem erit alius à Ioanne per quam in vita erat alius ab eo: quare idem dicetur de negatione duplicis dependentiæ, qua natura ſubſtãtialis cõſtituitur in eſſe huius hominis. 5.

Idem in opinione Scoti

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in reſurrectione reditura ſit eadem numero exiſtentia?

§. 1.

§. 1.
Ponitur ratio dubitandi pro parte negante.

1. Ratio dubitandi. VTrùm in reſurrectione reſurrecturi ſimus cum eadem numero exiſtentia? nō facilè explicabitur: ratio dubitandi eſt; quoniam identitas huius hominis per ſe non pendet ab identitate huius exiſtentiæ. Ergo ad veritatem reſurrectionis neceſſarium non eſt, quod reſurgamus cum eadem numero exiſtentia. Conſequentia patet: antecedens probatur; quia variata exiſtentia poteſt idē numero homo permanere: tùm; quia exiſtentia homini conuenit accidentario: tū etiam; quia eadem numero eſſet Chriſti humanitas, ſi dimiſſa à verbo exiſteret per propriam exiſtentiā, quæ tamen modo exiſtit per exiſtentiam diuinā ex ſententia Diui Thom. & præterea ex quorundam ſententia vna, & eadem res, ſaltē in diuerſis locis poſita poteſt exiſtere ex iſtentijs numero diuerſis; nec deſunt, qui velint Chriſtum Dominum aliam exiſtētiam habere in cœlo, & etiā in Sacramento: quare identitas hominis per ſe non pendet ex identate exiſtentiæ.

§. 2.
Vera eſt opinio affirmans.

2. Vera eſt opinio affirmās. DIcendum tamen eſt homines reſurrecturos cum eadem numero exiſtentia, qua prius extitere. Quę concluſio neceſſario probanda eſt Thomiſtis, qui volunt hominē exiſtere per exiſtentiam animæ rationalis: nam cum eadem anima redire debeat, vtique eadem exiſtentia redibit. Sed opinio Thomiſtarum cōmuniter non recipitur. Non placet

3. Alia confirmatio. Quare alij concluſionem inde confirmant; quia putant impoſsibile eandem rem ſemel corruptam cum alia exiſtentia numero diſtincta reproduci poſſe, quæ fuit ſententia *Suarij in Metaphyſica diſputat. 56 ſect. 5. numero 35.* Fundamentum eſt; quia exiſtentia non diſtinguitur ex natura rei ab entitate rei, ſed ſola ratione, vt idem Suarius latè confirmat in Metaphyſica diſp. 31. per totā maximè ſect. 6. nu. 13. Cum igitur exiſtentia omnimoda identitate ſit idem cum eſſentia, fieri non poteſt, vt res ſemel corrupta reproducatur, niſi cum eadem numero exiſtētia; ob hanc rationem putat idem *Suarius 2. tom. ad tertiam partem diſput. 44. ſect. 6. ad 1. obiectionem Durandi pagin. 824. col. 1.* ex eo, quod res, quæ deſijt, iterum fit, nō neceſſario ſequi eam habere duplicem exiſtentiam. Ex quo fundamento neceſſario infertur ad veritatem reſurrectionis omnino eſſe neceſſarium, vt redeat eadē numero exiſtentia; cum ſine ea dari nequeat eadem numero eſſentia. *Suar.*

4. Non recipitur. Sed fundamentum huius rationis fere ab omnibus reijcitur: quia omnes, tàm Philoſophi, quàm Theologi aliquam diſtinctionem ex natura rei inter eſſentiam, & exiſtentiam admittunt. Quod præter omnes Thomiſtas admittūt etiam omnes Scotiſtæ, & eſt ſententia inter recentiores receptiſsima. *Ita Sotus in 2. Phyſic. q. 2. & in 4. diſt. 10. q. 2. latè Fonſeca in 4. Metaphyſicæ cap. 2. q. 4. ſect. 4. Molina 1. p. q. 3. art. 4. diſt. 2. per totam, Conimbri 1. Phyſicorum c. 9. q. 6. art. 2. pag. 180.* Nō eſt igitur, quod concluſionem fere certam, tàm dubio fundamento confirmemus. *Sotus. Fonſeca. Molina. Conimbr.*

5. Melior probatio. Melius igitur probabitur ſuppoſita eorum ſententia, qui volunt exiſtentiā totius humanitatis eſſe compoſitam ex partialibus exiſtentijs ſuarū partium, vt benè adnotauit, *Scot. in 4. diſt. 11. q. 3. ad 1. primæ opinionis litera B. B. quem ſui ſequuntur, & Suarius in dicta diſput. 31. ſect. 11. nu. 13. & 15.* Iam verò cōſtat partes eſſentiales humanitatis, quæ in reſurrectione redibunt, cum eadē numero exiſtentia redituras; quia propriam exiſtentiam nunquam amiſerunt: ſicut igitur ex eiſdem principijs eſſentialibus, corpore ſcilicet & anima, non poteſt cōponi, niſi hæc numero humanitas, quæ antea fuit; ita ex eiſdē partialibus exiſtentijs non poterit cōponi, niſi eadem numero exiſtentia totalis, quæ præfuit. *Suar. Scotus.*

6. Alia confirmatio. Verum, quia fortè non omnes admittent præfatam Scoti ſententiam, quāuis ſit veriſsima: proinde ſatius erit poſitam aſſertionem ad hūc modum confirmare: quia omnes admittunt exiſtentiam (quocūque modo ab eſſentia diſtinguatur) eſſe de intrinſeca ratione eſſentiæ, vt eſt ens in actu, vt benè aduertit *Suarius 1. tom. ad 3. p. diſt. 38. §. Ex ratione vera pag. 567. col. 1. & in Metaphyſica diſp. 31. ſect. 6. nu. 24.* nam eſſentia in eſſe entis actualis conſtituitur Exiſtentiaē de intrinſeca ratione eſſentiæ in actu.

tuitur per exiſtentiam, vt omnes volunt, Suarius. & cum illis *Suarius in dicta diſput.*31.*ſect.* 4. & ad hunc ſen ſu m exiſtentia in genere entis actualis non ponit in numerum cum eſſentia. Sicut igitur hic homo in genere entis eſſentialis intrinſecè cõſtituitur ex hac anima, & ex hoc corpore: ita etiam in genere entis actualis intrinſecè conſtituitur ex hac eſſentia, & ex hac numero exiſtẽtia. Ergo ſicut in genere entis eſſentialis non poteſt eſſe idem numero homo ſine his numero principijs eſſentialibus; ita in genere entis actualis nõ erit idem numero ens actuale, niſi ex eadem numero eſſentia, & exiſtentia conſtituatur: quare cum in reſurrectione debeat redire hic numero homo, & hæc numero humanitas, non ſolum in genere entis eſſentialis; ſed etiã in genere entis actualis (in hoc enim ſolo genere habet cauſam efficientem) videtur neceſſario inferri, nõ poſſe redire hunc hominem, & hanc humanitatem, niſi redeat hęc numero exiſtentia. Et ad hunc modum defendi poteſt ens ſemel corruptum idem numero redire, non poſſe, niſi redeat cum eadẽ numero exiſtentia.

§. 3.

Soluitur ratio dubitandi.

7. Ad 1.arg. Nec aliquid officiunt, quæ pro ratione dubitandi obiecimus. Nã ad 1. dicimus exiſtentiã nõ cõuenire eſſentialiter eſſentiæ abſolutè ſumptæ; benè tamen eſſentiæ in actu, quæ non ponit in numero cum ſe ipſa, vt eſt ens potentiale.

8. Ad 2.arg. Ad ſecundũ dicimus forte non repugnare, vt eadem numero res ſecundum eãdem numero exiſtẽtiam bis producatur, vel ſimul, vel ſucceſsiue, maximè quando in diuerſis locis ponitur: at tñ repugnare, vt eadẽ res exiſtat ꝑ diuerſas exiſtẽtias, ſiue ſimul; ſiue ſucceſsiue, fieret enĩ vt ens in potentia, & ens in actu poſſet non eſſe idem numero ens: nec audiendi ſunt Thomiſtæ, qui oppoſitum docẽt. Apud quos Solutio ex Thomiſtis. ad quæſtionem dicendum erit non eſſe de ratione reſurrectionis, vt eadem numero exiſtentia redeat: eſſe tamen de perfectione illius: quia perfectior erit vnitas hominis, ſi vtroque modo redeat idem numero vnde debent admittere, poſſe quidem Deum, facere vt homo reſurgat cum exiſtentia numero diuerſa: id tamen non eſſe facturum.

ARTICVLVS V.

An homo cũ eadem numero duratione intrinſeca ſit reſurrecturus?

§. 1.

Variæ ſententiæ.

VTrùm idem numero homo debeat reſurgere cum eadem numero duratione? meritò dubitari poteſt. 1 Opinio quorundam. Affirmatiue reſpondet *Suarius 2. tom. ad 3.p.diſp.44 ſect.6.ad 1.Durandi, pag.* 824. *col.*1. quæ opinio confirmari videtur; quoniam duratio ex natura rei non diſtinguitur ab exiſtẽntia; ſed eſt ipſa exiſtentia continuata: quæ fuit opinio *Scoti in quodlibet.q.6.& in 2.diſt.2.q.2. in ſolutione argumẽtorum, & Baſſolij ibidem q.5. Gabrielis q.1. Ocham. in 2.q.10. Capreol.q.2.art.3. ad 5.& 10, Bonauent. contra 5.fol.63.col.3, & 64.col.1.* cum igitur homo reſurgens reſurgere debeat cũ eadẽ numero exiſtẽtia, vt diximꝰ, vtique neceſſario reſurget cũ eadem numero duratione. Quo argumento *Suarius in Metaphyſica diſp.50.ſect. 5.num.35.* putat eſſe impoſsibile eandem rem numero ſemel corruptam reproduci poſſe cum alia duratione numero diuerſa: Iuxta hanc ſententiam dicendum erit eandem numero durationem iterum redituram, bis tamen repetitam.

Suarius. Scotus. Baſſol. Gabri. Ocham. Capreol.

Huic opinioni obſtat, quia de veritate fundamenti non planè conſtat inter Philoſophos, & Theologos: ſunt enim viri doctiſsimi, qui putant probabilius eſſe durationem ex natura rei diſtingui ab exiſtentia eiuſdem rei, & dicere perſiſtentiã, ſeu moram in exiſtendo, quę fuit opinio *Richardi in 2.diſt.2.art.1.q.1. Mayronij ibidem q.2. Ægidij q.4. Argentinæ.q.1. art.1. Conimbr.4. Phyſicorum cap.14.q.2.artic.2. Benedicti Pereira lib.12. de Principijs rerũ naturalium cap.5.concluſ.4.& 5. ſatis eſt de mente Fonſecæ in 5. Metaphyſicæ cap.13.q. 12.ſect.1.pag.635.ad finem.* 2.

Richard. Mayron. Aegidius. Argen. Conimbr. Pereira.

Quid igitur dicendum ſuppoſita hac probabiliſsima opinione? quidam putãt vtrũq; dici poſſe: cum enim duratio ſupponatur ex natura rei diſtingui ab exiſtentia 3.

tentia; vtique poteſt fieri, vt nõ multiplicata exiſtẽtia multiplicetur duratio; quãuis id non ſit neceſſarium; ſed poſsit diuina potentia eadem duratio iteratò redire. Quam ſententiam in Angelo annihilato, & iterum reproducto plures probaſſe refert *Suarius vbi ſupra, eam probauit Molina 1.part.q.10.art.5.diſp.1. ad 9. ſatis Conimbric.2.de Generation.cap.11. quæſtio.2. art.3.ad 2.*

§. 2.

Ponitur vera reſolutio.

4. Propria ſententia.

EGo tamen puto hanc ſententiam in ijs, quæ corrupta diuinitus reproduci poſſunt, abſolutè eſſe veriſsimã, ſiue corruptum ſit ſubſtantia ſpiritualis, ſiue corporea in reſurrectione tamẽ, quæ futura eſt, puto durationem futuram eſſe & numero, & ſpecie diuerſam.

5. Prior pars.

Priorem partẽ cõcluſionis ideo probo; quia puto eſſe longè probabilius durationem ex natura rei diſtingui ab exiſtẽtia; qua opinione ſuppoſita, non video cur neceſſaria ſit, aut idẽtitas durationis, aut diuerſitas: quare poterit Deus, vt libuerit, cum eadem, vel cum diuerſa duratione rẽ reproducere. Nam ſi eã reproducat cum eadem numero duratione, eadem numero duratio erit repetita; quæ repetitio nõ neceſſario infert extenſionem in duratione: licet enim inferat prius, & poſterius inter productionem, & reproductionem eiuſdem rei; quia duratio illa prius fuit producta, & poſtea reproducta: & ad eũdem ſenſum talis repetitio inferat; prius, & poſterius inter eſſe, & non eſſe; quia prius illa duratio fuit, quam deſierit; & prius deſijt, quam reproducta ſit: inferat tertio durationem illam per ſui repetitionem coexiſtere diuerſis partibus temporis; non tamen neceſſario infert ſucceſsionem extenſionis in partes, quarum vna in durando ſit prior, & altera poſterior: de quo vide Molinam, & Conimbricenſ. & Suarium locis citatis.

Poteſt reproducere cum eadem.

6. Poteſt reproducere cum diuerſa.

Si verò rem, quæ deſijt, Deus reproducat cum diuerſa numero duratione; parũ efficiũt obiectiones Suarij: nam id, quod primo loco infert, durationem. ſc. ex natura rei diſtingui ab exiſtẽtia non reputatur abſurdum, ſed veriſsimum, vt diximus. Id autem quod ſecundo loco infert; dari, ſc. ſucceſsionem in duratione nulla poſita ſucceſsione in rei exiſtentia (ſi nimirum res producta habeat eſſe permanens, & indiuiſibile, vt in Angelo) diſtinguendum eſt conſequens: ſi enim intelligatur de ſucceſsione extẽſionis partium, neganda eſt conſequentia. Porrò, ſi intelligatur de ſucceſsione repetitionis, aut numerationis ipſarum durationum: admittenda eſt conſequentia, nec cõſequẽs eſt abſurdum, ipſo etiam Suario teſte.

7. Poſterior pars concl.

Poſteriorem autem partem concluſionis illud mihi facit probabiliſsimam; quia probabiliſsimum mihi eſt, ne dicam certum, durationẽ hominis beati futurã eſſe altioris rationis ab ea, qua in vita durauit: quæ ſententia eſt veriſsima, ſi vera eſt opinio, quæ docet eſſe ſubſtantiarum corruptibilium per ſe, & propriè menſurari tẽpore: quam opinionem putat eſſe veriſsimam *Fonſeca in 5. Metaphyſicæ cap. 13. q. 12. ſectio.3. & fuit ſententia Alberti Magni in 1.p. Summæ de quatuor coæuis: quam etiã probauit D.Thom.1.p.q.10.arti.4. ad 3. & art.5. in corp. & 1.2.q.31.art.2. & de poten tia q.5.art.4. Caietan.1.p.q.10.art 5. contra 4. Soncinas 12. Metaphyſicæ q.54. & eſt cõmunis, vt teſtatur Suarius in Metaphyſica diſp.50.ſect.11.num.11. quam putant probabilem Conimbric. in 4. Phyſicorũ cap. 14. q. 3.art.1. ante finem:* ex hac enim opinione infertur durationẽ hominis mortalis eſſe ſucceſsiuam, & extenſam; cum tamen duratio hominis beati ratione incorruptibilitatis, & immortalitatis, qua eſt donatus, ſit tota ſimul, & permanẽs; ſicut eſſe ipſi⁹ beati permanens, & totum ſimul.

Fonſeca. Albertus. D.Thom. Caiet. Soncinas. Suar. Conimbr.

8. Quid ſi alia ſupponatur opinio?

At ſi exiſtimas eſſe rerum corruptibilium ſecundum ſe ſumptum (prout. ſc. non ſubiacet motui aut quieti) per ſe mẽſurari nõ tempore, ſed menſura quadam indiuiſibili, ſiue illa ſit æuũ, vt plures exiſtimant; ſiue modus æui (quæ fuit opinio *D.Thom. Opuſc.44. & Heruæi quodlib. 2.q.2. Aegydij in 1.diſt.19.q.2.art.1. ad 4. Scoti in 2.diſt.2.q.4. vbi Durandus q.6. Capreol. in 4.diſt.43.q.1.art.3. Molinæ 1.p.q. 10. art.5. diſt.2. concluſ.2. Suarij in Metaphyſica loco citato, & Conimbri. in d.cap.14. q.3.art.1.* vbi aſſerunt hanc eſſe communem Theologorum) ſi, inquam, cum his exiſtimas, & putas durationem hominis dum viuit mortalis, eſſe ſecundum ſe indiuiſibilem, & totam ſimul; ſicut etiã eſſe illius ſecundum ſe ſumptum eſt totum ſimul;

D. Thom. Heruæus. Aegydius. Scotus. Durand. Capreol. Molina. Suar. Conimbr.

ſimul adhuc ꝓbabilius eſt duratione hominis beati eſſe diuerſã, nõ ſolũ numero, ſed etiã ſpecie, à duratione hominis mortalis; quoniã illius eſſe licet ſecundũ ſe ſit naturale; tamen ſecundũ dotẽ incorruptibilitatis eſt ſupernaturale, & carens potẽtia ad nõ eſſe. Quare menſurabitur æternitate participata. Sed de his latius diſputare non eſt huius loci.

QVAESTIO VI.

De integritate membrorum corporis glorioſi.

1. Ordo dicẽdorum. IN Præfatione ad hũc 2. lib. aduertimus in quolibet corpore duplicem reperiri ſubſtantialem compoſitionem: eſſentialem vnam; integralem alteram: eſſentialem poſitam eſſe in compoſitione materiæ, & formę, ex quibus eſſentialiter cõponitur totus homo: integralem verò poſitam eſſe in compoſitione ex partibus integrantibus, vel homogenijs, quales reperiuntur in corpore ſimplici; vel etherogeneis, quales reperiuntur in corpore viuente, animalibuſque perfectis, In præcedentibus latè diſputauimus de partib⁹ eſſentialibus hominis reſurgentis; de corpore. ſc. & anima, & de humanitate, quæ ex vtriuſque partis cõpoſitione reſultat: vnde egimus de vnione illarũ; de ſuppoſito etiam eiuſdem humanitatis, ſimiliter de exiſtentia, & intrinſeca duratione humanitatis, & hominis; quia hęc omnia compoſitionem eſſentialem neceſſario comitantur. Supereſt; vt diſputem⁹ de partibus integrantibus, ex quibus corpus humanum integratur. Cũ verò hæ partes ſint etherogeneę, & diuerſæ rationis, vt patet; duplex genus partiũ integrantium in homine reperitur, nomine partis latè ſumpto: vnum earum, quæ in corpore humano ſunt ſolidæ, alterum earum, quæ non ſunt ſolidæ, vt humores, & ſpiritus. de vtriſque agendũ erit; quia omnes iſtæ partes ſunt neceſſariæ, vt homo perfectè conſiſtat. Primo igitur loco agemus de priori partium genere; deinde de poſteriori,

2. Quod attinet ad primum genus; primo loco generaliter inquiremus; An iuſti reſurrecturi ſint cũm perfecta membrorũ integritate? Secundo; vtrum reſurgent cum capillis, & vnguibus? Tertio; vtrũ in reſurrectione reperiatur ſexuum diuerſitas? Quarto & vltimo; vtrùm, hæc mẽbra reditura ſint cum eadem numero materia, & forma?

ARTICVLVS I.

Vtrùm iuſti ſint reſurrecturi cum perfecta membrorum integritate?

§. 1.

Quid intelligendum ſit nomine membri?

ANtequam quęſtionem reſoluamus, inquirendũ erit, quid nomine mẽbri hoc loco intelligendum ſit? dicimus nomine membrorum hoc loco intelligendum eſſe quidquid in corpore humano ſolidũ eſt, & ab humoribus diſtinctum: ſiue illud habeat veram rationem partis; ſiue non habeat; dummodo in corpore humano habeat ſolidam conſiſtentiam. Vnde non eſt, quod veram rationem partis, & membri hoc loco explicemus: de quo *Fernelius lib. 2. Phyſiologiæ capite 2.* Quare membrorum nomine comprehẽduntur illæ partes ſolidæ, quæ omnium conſenſu informantur anima rationali: nam cum anima hominis ſit actus corporis organici, non poteſt non informare eas partes, quæ vera ſunt corporis organa: cum verò corpus vniuerſum teſte *Fernelio in dicto lib. 2. cap. 1.* in quatuor principales partes, & membra diſtrahatur: ſcilicet caput, thoracem, ventrem, & artus: & caput diuidatur in faciem, oculos, frontem, naſum, aures, & cerebrum; aliaſque partes, in quibus ſenſus interni, & externi reſident: thorax autem in pectus, latera, & pulmones: venter verò in omnia inteſtina, nimirum cor, hepar, viſceraque, & alia id genus? artus denique in crura, brachia: & denique harum partium ſingulæ in alias, & alias minutiores diuidantur: vltimoque ſingulę in cutem, venas, arterias, carnem, neruos, tendones, vincula, cartilaginem, mẽbranas, & oſſa: cum, inquam, corpus vniuerſum in explicatas partes omnium conſenſu diuidatur; & omnes illæ anima rationali informentur; omnes nomine mẽbrorũ cõtinentur: 1. Quid intelligitur nomine membri. Fernelius. Corporis diuiſio.

§. 2.

§. 2.

Affirmatio eſt probanda.

2. Perfectio eſſentialis corporis glorioſi.

HOc loco illud aduertimus, quod iã aduertimus ſupra *q.2.art.vnico §. 1.in princi.* perfectionẽ eſſentialẽ corporis glorioſi poſitã eſſe in omnibus his, quæ ex parte corporis ſunt per ſe neceſſaria, vt reſurgẽs, & ſit is ipſe homo, q̃ fuit mortuus; & vt ſit ſubſtantialiter perfectus: id enim ſignificauit Paul. 1. Cor. 15, dum docuit iuſtos in reſurrectione fore immutãdos, reſurrecturosq; in gloria: hęc enim ĩmutatio, & glorificatio ex parte corporis poſita eſt in omnimoda corporis reſurgentis perfectione ſecluſo omni defectu: quã etiã perfectionẽ denotãt verba Pauli ad Rom.8. dum ait: *Nos primitias ſpiritus habentes expectare redemptionem corporis noſtri*, ab omni. ſc. mortalitalitatis imperfectione. Deniq; id demonſtrat perfectio corporis Chriſti reſurgentis: illius enim reſurrectio eſt perfectiſſimum noſtræ reſurrectionis exemplar: cui tùm anima, tùm corpore aſsimilari debemus, vt ſuperius iam oſtendimus.

Ad Rom.8.

3. 1. Illatio.

Hinc primo infertur beatorum corpora reſurrectura fore cum perfecta omniũ membrorum corporis humani integritate: nomine membrorum intellige omnes partes ſolidas corporis, vt diſtinguuntur ab humoribus. Et hæc eſt cõmunis Patrum, & Theologorum doctrina: ita *Auguſtinus in Enchyridione c.87.88.89.& libro vigeſimo ſecundo de Ciuit.* Dei *cap.15. 18. & 20, & in Epiſtola 250. ad finem, & ſerm.156.de tempore ad finem, qui tribuitur Euſebio: Clemens Romanus lib.5. Conſtitutionum Apoſtol.cap.6.Tertullianus de reſurrectione carnis cap.57, & 63.Hieronym.Epiſtola 27.cap.11.& 12.& Epiſtola 61.capit. 11.Anſelm.ad illa verba Pauli ad Epheſios 4:* Donec occurramus, *&c: Ambroſius ſerm. 74.de Martyribus. Macharius ſenex homilia 15.2.tom.Bibliothecæ fol.* 3476. *Gloſſa ad illa verba 1.Cor.15.Mortui reſurgent incorrupti.*omnes Theologi *in 4.diſt.44.vbi D.Thom.q.1.art.2.q.1.Richard.art.1.q.1.* Scot.*q.1.art.2.concl.1: M. Durandus q.2. num.6.Argent.q.1.art.1.contra 2. Sotus q. 1.art.3.concl.1. Angles in Floribus de reſurrect.art.6.dub.1.diffic.1.concl,4.Suar.2.to. diſp.47,ſect,1. poſt principium, & diſp. 50. ſect.5.§.2.conſiſtit.*

Auguſt. Clem. Ro. Tertull. Hierony. Angles. Ambroſ. Macharius Gloſſa, D. Thom. Richard. Durand. Argent. Angles. Suarius,

1. Cõfirmatio.

Hęc veritas deducitur ab Aug. ex verbis Chriſti Luc.21: *Capillus de capite veſtro non peribit*, quamuis enim tropum contineant: tamen à pluribus Patrum de reſurrectione intelliguntur: à fortiori ergo reſtituentur alia membra, quæ ad integritatem totius corporis magis pertinent.

4. Secundo 1. Cor. 15.

Secundo à Tertulli. deducitur ex verbis Pauli 1.Cor.15, *Et mortui reſurgent incorrupti*: niſi enim reſurgant integri, vtiq; reſurgent corrupti.

5. Tertio. Ioan.7.

Tertio deduci poteſt ex verbis Chriſti Ioan.7. *Deus totum hominem ſaluũ fecit in Sabbato.* Iam verò ſabbatũ eſt figura noſtræ reſurrectionis.

6. Quarto. ad Epheſ.

Quarto poteſt deduci ex verbis ad Epheſios quarto: *Donec occurramus in virum perfectum, in ætate plenitudinis Chriſti.* Quæ verba plerique Patrum de noſtra reſurrectione intelligunt, vt inferius dicemus.

7. Quinto.

Accedat etiam, quia opinio negans in corpore reſurgentis organizationem humani corporis exploſa eſt, vt hæretica in 5.Synodo teſte Nicephor. lib.17. hiſtoriæ cap.28.

8. Sexto.

Sexto hęc integritas ſpectat ad exactã exemplaris repræſentationem, & conformationem. Chriſtꝰ autem noſtræ reſurrectionis exemplar integro corpore reſurrexit.

9. Septimo.

Septimo defectus corporis (qualis eſt membrorũ truncatio) eſt, & malũ naturę, & pœna peccati: per peccatũ enim mors intrauit in mundum, & cum morte omnis corporis corruptio. At in beatitudine Patriæ, nec vllum erit malum naturæ, nec vlla peccati pœna: hæc enim omnia tranſierunt, vt dicitur Apocaly. 20.& meritò, quia iuſtorum corpora reparãtur ad beatitudinem vltimam, & perfectiſsimã. Oportet igitur, vt reſtituantur in ſua integra, & perfecta ſubſtantia: quia beatitudo eſt ſtatꝰ omniũ bonorũ aggregatione, omniũq; malorum ſecretione perfectus.

Apoc.20.

10. Octauo.

8. Quia ſicut prima hominis creatio fuit opus peculiare Dei; ita, & reſurrectio: de ce[illegible]ergo, vt ſicut in creatione homo fuit omnino integer in corpore; quia Dei perfecta ſunt opera; ita in reſurrectione iuſtorũ homo ſit õnibus ſuis mẽbris integer, & perfectus: nã ſi homo mundi incola fuit opus Dei omnino integrũ, ſuaque integritate pulchrum: vtique reſurgens, ad hoc

vt ſit incola cœli, erit opus Dei omnibus modis integerrimũ: opera enim miraculoſa ſunt perfectiora: ob quam rationem *Auguſtinus* 1. *retract. cap.* 11. inquit: corpora iuſtorum reſurgentiũ futura eſſe meliora, quam fuerit corpus Adami in Paradiſo. *Auguſt.*

II. Poſtremo. Poſtremo adeſt ratio à naturalibus petita, qua vtitur D. Thom. in 4. loc. cit. nã corporis mẽbra ſunt organa animæ; & ob id ad animã habent habitudinẽ artificiati ad artẽ, ex *Ariſt.* 14. *de animabus.* Ergo in quolibet mẽbro elucet virtus animæ; in qua, tanquam in radice ſunt omnes virtutes motrices membrorum: igitur corpus beati reſurgentis non eſſet anima ſatis coaptatum, niſi haberet omnia mẽbra, in quibus omnis animæ virtus eluceret. Vnde, nec animæ appetitus eſſet perfectè ſatiatus, ſi aliqua deeſſent membra. *Ariſtol.*

§. 3.

De nonnullis membris redituris.

12. Redibit organizatio corporis humani. EX hac veriſsima, & Catholica reſolutione infertur reijciendã eſſe opinionẽ, quæ negat organizationem corporis humani futuram eſſe in homine reſurgente: quã opinionẽ nonnullos hæreticorũ approbaſſe refert *Nicephorus lib.* 17. *ſuæ hiſtor. c.* 28; vbi teſtatur eã, tanquã verè hæreticã exploſam eſſe à 5. Synodo: etenĩ de ratione corporis viuentis eſt organizatio, vt patet ex diffinitione animæ tradita ab *Ariſt. in* 1. *de Anima*: *anima eſt actus corporis organici potentia vitã habẽtis.* Erit igitur organizatio, nõ quęcũque, ſed pfecta de ratione corporis humani: quare cùm homo reſurrecturus ſit in corpore verè humano; vtique reſurget in corpore perfectè organizato, *Nicephor.* *Ariſt.*

13. Redibunt omnia iſta membra. Cũ verò ex §. 1. iam cõſtet corpus vniuerſum diuidi in quatuor mẽbra principalia: & ſingula eorũ in plura alia ſubdiuidi vſq; ad minutiora, ſc. in cutem, venas, arterias, carnem, neruos, tendores, vincula, cartilaginem, mẽbranas, & oſſa; ex dictis infertur omnia illa mẽbra in reſurrectione eſſe corpori humano reſtituenda: de quibus omnibus lege D. *Hierony. in epiſt.* 27. & 61, *vtrobiq; cap.* 11. vbi has omnes partes in corpore Chriſti reſurgẽtis fuiſſe ex ſacris literis colligit: vide etiã *Ambroſiũ ſer.* 74. *de martyrib.* & quidẽ de inteſtinis, & viſceribus, id aſſerit *Auguſt. lib.* 2. *de Ciuit. Dei*: nam, & illa eſſe corporis veras partes ſub ventre cõprehenſas docet *Fernelius* 2. *Phyſiologiæ cap.* 2. at in beatis non erunt vacua (natura enim vacuũ abhoret) ſed plena: non quidem turpibus ſuperfluitatibus, quæ ibi non erunt, ſed nobilibus humilitatibus atq; ſpiritibus, vt ait, D. *Tho. in* 4. *d.* 44. *q.* 1. *ar.* 2. *q.* 1. *ad* 2. & D. *Bonauentura ibidem art.* 1. *q.* 2. *num.* 13, & cæteri õnes: imò erũt plena puriſsimo aëre, vt annotauit Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 3. §. *Solum poteſt inquiri*, pag. 888. col. 2. in medio. *D. Hieron.* *Ambroſ.* *Auguſt.* *Fernelius.* *D. Thom.* *D. Bonau.*

14 Dentes ſũt reſtituendi. Dentes eſſe reſtituendos nullus dubitauit: ſunt enim inſignes partes capitis ad plura vitæ opera quã neceſſariæ, vt videre eſt apud *Ferneliũ vbi ſupra cap.* 3. *p.* 6. *in princ.* nam dentes informari anima totius hominis ſicut, & oſſa, teſtis eſt *Ariſt.* 2. *de Generatione animaliũ cap.* 4. etenim omniũ ferè Medicorũ, & Philoſophorũ conſenſu verè, & propriè nutriuntur, vt oſtendit *Valeſius lib.* 2. *controuerſiar. Medicarũ c.* 5. *ad finẽ. & cap.* 8. *fol.* 27. *col.* 3. quin potius verè ſentiunt ex ſententia *Galeni in lib. de oſſibus, & lib.* 5. *de Medicamentis cõpoſitis*: quãuis in hoc non recipiatur à *Veiga lib.* 2. *de locis affectis cap.* 1. *ſect.* 2. redibunt autem, nõ qui priores deciderũt; ſed qui poſteriores ſunt regenerati: hi enĩ principalius ad hominis integritatem ſpectant. *Fernelius.* *Ariſto.* *Valeſius.* *Galen.* *Veiga.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm reſurgemus cum capillis, & vnguibus?

1. Quid de capillis & vnguibus. DE vnguibus, & capillis poteſt eſſe aliqua dubitatio: & ratio dubitãdi ſumitur, quod ex ſentẽtia Medicorũ, nec vngues, nec capilli ſunt partes corporis humani, vt probat *Fernel. lib.* 1. *Phyſiologiæ c.* 15. *ad fin. & lib.* 2. *c.* 2. & *Valeſius lib.* 2: *controuer. Medicarũ c.* 5: pars enim corporis humani eſt corpus toti cohærẽs, cõmuniq; vita coniunctũ, & ad illius functiones vſũq; cõparatũ, vt Fernelius diffinit, ob quã rationem habent rationem organi: iam verò, nec vngues, nec capilli ſũt animati; cum nec propriè nutriantur, & augeſcant, alimento nimirum attracto, & intus ſuſcepto, conuerſoq; in eorũ ſubſtãtiã, vt cum *Galeno in lib. artis Medicæ communis Medicorum opinio docet, quos videre eſt apud Conimb.* 1. *de Generat. c.* 4. *q.* 23. *art.* 1. *in* 3. *opiniones.* *Fernel.* *Valeſius.* *Galen.*

Dicen-

2.
Redibũt capilli.
Aguſt.
Hieron.
D. Thom.
Richard.
D. Bonau.
Sotus.
Abulenſ.
Angles,
Suar.

Dicendũ tamen eſt omnes homines cũ capillis, & vnguibus reſurrecturos fore; quod docuit *Auguſt.lib.22.de Ciuit. Dei, Hieronym.in cap.10, Matth.tom.6.fol.* 17. *lit.E, & eſt cõmunis doctrina Patrũ, & Theologorum in 4.diſt.44.vbi D.Thom.q.1. art.2.q.3.Richard.art.1.q.3. D. Bonau.art.1. q.2.Sotus q.vnica art.2.§.Sed, & poſtremũ argumentũ p.438. Abulenſ.in c.22. Matth. q.242. Augles in Floribus de reſurrectione art.6.dub.1.Suarius 2.tom.ad 3.p. diſp. 47. ſect.1.paulò poſt principiũ*: nec ſunt audiendi, qui referunt Abulenſẽ id negaſſe. Auguſtinus hanc doctrinã deducit ex verbis Chriſti Luc.21, *Capillus de capite veſtro nõ peribit*: & Matth.10. *Capilli de capite veſtro omnes numerati ſunt*, quæ verba de capillis in reſurrectione reddendis communiter intelliguntur.

1. *probatio ex Luc.20.*

3.
Ratione cõfirmatur.

Ratione etiã id confirmatur: quoniã, et ſi vngues, & capilli nõ ſũt de primaria intẽtione naturæ: ſunt tamen de intentione illius ſecundaria: cum vngues non ſolum ad digitorum cuſtodiam; ſed etiam ad aliquem illorum vſum ſint à natura inſtituti: ſcilicet ad apprehenſionem rerum minimarum firmioremque rerum retentionem: capilli vero ad maiorẽ hominis decorem, & ornamentum, vt alios naturæ fines omittamus: iam verò, vt in reſurrectione reddantur, ſatis eſt, quod ad corporis ornamentum, & perfectionem à natura conſtituantur,

4.
Redibunt vngues.
D. Thom.
Scotus.
Veiga.
Viguerius.
Iauell.
Conimbr.
Valeſius.
Galenus.

Et hoc maiori cũ ratione dicendũ erit, ſi vngues, & capilli verè ſunt animati anima rationali, veraq; nutritione nutriuntur, & augentur: quæ fuit ſententia D. *Thomæ in 4.d.44.q.1.art.2. q.3. & Scoti in 4.d.3.q.1.* quam ex Medicis probat inſignis *Veiga de arte medẽdi cap.9.* ex Theologis *Viguer.in inſtitutio. Theolog. cap.* 21. ex Philoſophis *Iauellus 2.de Anima q.10. & magis probant Conimbricenſ.1.de Generatione cap.4.q.23.art.1.& 2.quam ſententiã de vnguibus ex Medicis probauit Valeſius in d.lib.2.controuer.c.5.ex ſentent. Galeni 2. de anathomicis adminiſtration. circa finẽ*; ex quorũ ſententia cõcedendũ eſt vngues, & capillos verã habere rationẽ partis corporis humani, ſed (vt diximus) ad noſtrũ inſtitutum id parum refert: quoniã in reſurrectione non ea ſolũ reſtit[illegible]entur, quæ veram habent corporis partẽ; ſed etiã, quæ aliquo modo partis ration[illegible]ſortiuntur; vt quæ ad corporis perfectionẽ pertineant; in quo ſenſu etiã Fernelius in locis citatis fatetur capillos, & vngues inter humani corporis partes enumerandos eſſe: & merito; quia horum carentia non ſolum deformitatẽ in humano corpore cauſabit; ſed etiam mutilationem: ob quam rationem, & caluitium, & carentia barbæ inter naturæ vitia reputantur.

5.
Occurritur dubitationi

Licet autem capilli, & vngues ex naturæ ſuperfluitatibus, & veluti excremẽtis gignantur; & ſint veluti quædam naturæ emiſsiones: non tamen gignuntur ex excremẽtis prorſus inutilibus, qualia ſunt, ſudor, vrina, & alia huius generis: ſed ex his, quæ adhuc vtilia ſunt, & naturæ adiumento; quamuis talia non ſint in tota, qua poſſunt creſcere, quantitate: & ob id illorũ excrementa, quæ reciſa ſunt, veluti quædam naturæ inutiles emiſsiones, iuxta veriorem ſententiam, non redibunt, vt iam diximus; quæ dicta ſunt de capillis intellige de capillis capitis, & barbæ, ſuperciliorum, & palpebrarum: hi enim ad ornamentum, & decorem donantur: cæteri verò; quia ad hominis decorem non ſpectant, fortè non redibunt: vnde Theologi, vt plurimum loquuntur de capillis capitis, & barbæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in reſurrectione detur ſexuum diuerſitas?

§. 1.

Primus error, quod nullus erit ſexus.

1.
1. Error negãs
Suarius.
D. Hiero.
D. Aug.
Duo errores

IN hac quæſtione primus error fuit quorundã hæreticorũ, qui in reſurrectione diuerſitatẽ ſex⁹ abſolutè negauerunt: hunc errorẽ eos ſolos hęreticos probaſſe, qui negabãt nos in corporibus humanis reſurrecturos, affirmat *Suar.2.tom. ad 3.p.d.44.ſect.3.§. Dicendũ vero eſt.* ſed nõ vidit *D.Hier.ep.27.c.11.* arguẽtẽ cõtra quẽdã, q corporũ humanorũ reſurrectionẽ admittebat; & tñ negabat diuerſitatẽ ſexuũ, nec etiã vidit *Auguſt.22.de Ciuit. c.* 17. [illegible]nullos referentẽ, qui docebãt omnes in ſexu virili reſurrecturos. Quare de propoſita quæſtione duo fuerũt errores: primus aſſerentiũ homines ſine vllo ſexu reſurrecturos. 2, eorũ, qui ſexũ quidẽ admittebãt; negabãt tñ ſexuũ diuerſitatẽ affirmãtes õnes reſurrecturos in ſexu virili.

2\. Fundamenta primi erroris. Prioris erroris hæc ſunt fundamenta.
1\. ſumitur ex verbis Chriſti Matth. 22.
& Luc. 20, *In reſurrectione erunt homines*
Matth. 22 *ſicut angeli Dei.* In Angelis autem nullus
Luc. 20. datur ſexus.
3\. Secundũ. Secũdo in Patria nullus erit pudor, nulla
concupicentia, ergo nec erunt pudenda.
4\. Tertiũ. Tertio: confirmari videtur authoritate
D. Baſilij, D. Hieronymi, et D. Athanaſij.
Baſilius Nam Baſilius Pſalm. 114. ad illa verba:
Quoniam eripuit animam meam à morte,
ita ait: *Nec inſoleſcit ibi carnis rebelio contumax: non vlla fœmina ad peccati prolaptionẽ ibi cooperatur; quoniam in reſurrectione*
Hieronym. *nec mas, nec fœmina erit.* D. Hieronym. lib.
3\. ad Epheſios ad illa verba c. 5. *Qui vxorem ſuam diligit,* ita ſcribit. *foueamus igitur & viri vxoris, & animæ noſtra corpora; vt & vxores in viros, & corpora redigantur in animam, & nequaquam ſit ſexuum vlla diuerſitas: ſed quomodo apud Angelos non eſt vir, & mulier: ita etiam nos, qui ſimiles Angelis ſumus, iam nunc incipiamus eſſe, quod nobis in cœleſtibus repromiſſum eſt,* D. Atha-
Athanaſ. naſius ſerm. 3. contra Arianos pagina
225\. D. E. ita ait: *In reſurrectione, nec matrimonium ducunt, nec ducuntur: ſed tales ſunt, quales ipſi Angeli: & in Chriſto Ieſu noua creatura erit; nec vel maſculus, vel fœmina; ſed omnia in omnibus erit Chriſtus.*
Idem. Et in lib. de Virginitate ſeruanda p. 623.
D. ita habet: *Obijce muliebrem ſenſum, & cape fiduciam, & virile robur: quoniam in regno cœlorũ nõ eſt mas & fœmina: ſed omnes fœminæ, quæcumque placuerunt Domino, virorum ordinem accipiunt.*

§. 2.

2. Error, quod ſolus erit ſexus virilis.

5\. Fundamẽta erroris. 1. POſterior error admittit quidẽ ſexũ in hominibus reſurgentibus: nõ tñ fœmineũ, ſed virilẽ. Primum fundamentum huius erroris ſumitur ex verbis
1\. Fundam. Pauli ad Epheſ. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum.* Igitur omnes in ſexu virili reſurgemus.
6\. Secundo. 2. Poſt reſurrectionẽ nullæ futuræ ſũt nuptię: adquid igitur erit ſex⁹ diuerſitas?
7\. Tertio. 3. Chriſtus Dñs in ſexu virili reſurrexit, qui eſt exẽplar noſtrę reſurrectionis.
8\. Quarto. 4. Fœmina eſt quædã naturæ imperfectio: & â natura nõ intenditur per ſe, ſed
Ariſtol. per accidens: vnde appertit eſſe vir, ex *Ariſt. 1. Phyſic. cap. vlt. tex. 81.* at in reſurrectione nullus erit naturę defectus, nullus appetitus non ſatiatus.

Poſtremo; quia ſexus non pertinet ad ſubſtantialẽ identitatẽ cõpoſiti: nõ igitur ad veritatẽ reſurrectionis eſt neceſſarius. 9. Vltim.

§. 3.

Vnuſquiſque reſurget in proprio ſexu, quem in vita habuit.

COntra vtrũq; errorem aſſerendum eſt in reſurrectione futurã eſſe vtriuſque ſexus diuerſitatẽ; ita vt, qui fuit vir, in virili ſexu reſurgat: fęmina verò in fęmineo: hanc veritatẽ, tanquam indubitatã Patres docuerũt: ita *Tertul. de reſurrectione carnis c. 60. & 61. latè Herony. Epiſt. 27. c. 11. & Epiſt. 6. ad Parmachiũ c. 11. Auguſt. 22. de Ciuit. cap. 17. Chryſoſt. homil. 71. in Matth. Euthym. in eundẽ c. 53. Beda Luc. 20. Gloſ. Ordina. ibidem Ambroſ. in Fragmento de reſurrectio. pag. 488. A B. docent Theologi in 4. diſt. 44. vbi D. Thom. q. 1. art. 3. q. 2. Richard. art. 1. q. 10. Sotus q. 1. ar. 5. concl. 1. D. Banauent. ibidẽ in expoſitione lit. B. Abulen. 22. Matth. q. 247. Angles in Floribus de reſurrectio. art. 6. dub. 2. diffi. 4. Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 3. p. 814.* & reliqui omnes: Oppoſitã ſententiã eſſe erroneã aſſerit Richardus vbi ſupra, & meritò; quia hæc veritas expreſſè deducitur 10.

Tertull. Hierony. Auguſt. Chryſoſt. Euthym. Beda. Gloſſa. Ambroſ. D. Thom. Richard. D. Bonau. Abulenſ. Angles. Suarius.

ex verbis Chriſti, dũ à Saducæis interrogatus, cuiuſnã in reſurrectione futura eſſet vxor, quæ ſeptem viros habuit reſpõdit: *In reſurrectione, nec nubent, nec vxores ducent:* nec enim dixit, aut nullũ futurũ eſſe ſexum, aut nullã mulierem (quomodo facilius ſoluebatur quæſtio) ſed nullas futuras eſſe nuptias: dũ igitur ſolum vſũ ſexuum denegat; vtrũq; ibi futurum eſſe ſupponit: de hijs enim, qui copulari non poſſũt, nõ benè dixeris, quod nubere nõ debent, vt aduertit *Hieronymus in d. epiſt. 61. & Auguſt. Beda, & gloſ. Ordina. in d. c. 20. Luc. ita inquiens: ſi in reſurrectione, nec ducent vxores reſurgent ergo corpora, quæ poſſunt nuberè, & ducere:* eandẽ veritatem Ambro. vbi ſuprà dedũcit ex verbis Domini: *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius.* 1. Cõfirmatio ex verbis Chriſti. Hierony. Auguſt. Beda. Gloſſa.

Deinde ex Auguſtino ita confirmatur: quia diſtinctio ſexuum nõ pertinet ad vitium, ſed ad naturã: Dominus enim naturam humanam in vtroque ſexu inſtituit; quia vterq;, ad conſeruationem ſpecie 11. 2. Cõfir.

ciei eſt neceſſarius, & in vtroque diuerſi gradus eiuſdē ſpeciei, varietasq; indiuidualis in eſſendo cōpletur, vt bene aduerterunt *D. Thom. & Richard. vbi ſupra*: & ex diuerſo tēperamento in ſemine naturaliter reſultat varietas in ſexu, vt docent Medici: cum igitur diuerſitate ſexuū ſpecies humana nō modo cōſeruetur, ſed etiā gradualiter perficiatur; meritò Deus naturā humanam cum eadem varietate reſtituet; nam & cum eadem eam inſtituit, vt ait Auguſtinus. *D. Thom. Richard.*

12. 3. Confirm. Tertio; inſtitutio naturæ in vtroq; ſexu denotauit Sacramentum inter Chriſtum, & Eccleſiam ſicut enim mulier de virò ſūpta eſt; ita Eccleſia de latere Chriſti fluxit. Ex quo Sacramento non leue ſumit argumentum Auguſtinus, vt dicat in reſurrectione permanſurum vtrumque ſexum, cum in reſurrectione conſūmentur nuptiæ inter Chriſtum, & Eccleſiam.

13. 4. Confirm. Quarto; quia vterq; ſexus fuit inſtrumentum virtutis, & vitij: decet igitur, vt vterque, vel præmietur, vel puniatur.

14. Poſtrem. Poſtremo; vterque ſexus ſpectat ad integritatē organicam naturæ humanæ, vt patet. Ergo dici non poteſt homines ſine ſexu reſurrecturos: eſſent enim illa corpora mutila, & moſtruoſa: ſicut nunc monſtruoſus, & mutilus eſſet homo, qui ſine ſexu naſceretur. Vnde infertur vnumquemque in proprio, quem habuit ſexu, reſurrecturum: quia eaſdem partes organicas habere debet, quas in vita habuit.: denique nulla eſt ratio, cur ſolus ſexus virilis, aut ſolus fęmineus retineri debeat.

15. Aduertētia Richard. Illud cum Richardo aduertendum eſt; qui cum vtroque natus fuit ſexu, non cū vtroque reſurrecturum; quia id ad naturæ monſtruoſam deformitatē ſpectaret: reſurget igitur in principaliori: ſi verò vterque ſit æqualis, reſurget in ſexu virili: quia dignior eſt, & principalior.

§. 4.

Soluuntur argumenta 1. erroris.

16. Ad 1. arg. QVæ pro priori errore obijciuntur, facilem habent ſolutionē; ad primum reſpondetur in illo loco non dici homines futuros eſſe Angelos, ſed ſicut Angelos, vt annotauit Tertulli. de reſurrectione carnis capit. 62. vel quia immortales erunt, & incorruptibiles, & verè beati, vt explicat Auguſtinus: vel quia in carne angelicam ſeruabunt puritatem, ex Chryſoſtomo.

17. Secundū argumentū malā ſumere cōſequentiā oſtendunt Auguſtinus, & alij Patres: etenim primi parētes in ſtatu īnocentiæ nudi erant, & non pudifiebāt, nec vllā habebant inordinatam concupiſcentiā; idque propter ſummā voluntatis rectitudinem, & naturæ integritatem: & tamen primi parentes vtriuſque ſexus diuerſitatem habebant: *Erunt igitur* inquit Auguſtinus, *membra fœminea accōmodata non vſui veteri, ſed decori nouo, quo non alliciatur aſpiciētis cōcupiſcentia, quæ nulla erit, ſed Dei laudetur ſapientia, & clementia, qui & quæ non erant, fecit, & liberauit à corruptione, quod fecit.* *Auguſt.*

18. Explicātur patres in cōtrariū citati. *De Baſilio.* Nec oppoſitū docuerunt Patres citati: nā Baſili. habet hunc ſenſū: in reſurrectione nō erit mas, & fœmina; id eſt nulla iam ibi erit matrimonialis cōiunctio; ratione cuius vir, & vxor, dum quærunt mutuo placere, diuidantur, vt ait Paulus: ſed erit ibi in omnibus vniformis vitæ ratio placē di Deo, vt īmediatè Baſili. adiungit, quibus verbis Paulus 1. Corrint. 7. Cęlibatū declarauit, dum ait: *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt.*

19. De D. Hieronymo. De D. Hieronymo nō eſt dubitandū, cū eū pro noſtra ſentētia habeamus: quæ verò obijciuntur, apertè ſignificāt eū loqui nō de ſexibus, ſed de vſu ſexuū: conſulit enim, vt in nobis adhuc in mortali vita degentibꝰ nulla ſit ſexuū diuerſitas; & proinde vxores redigantur in viros, vt Angeli ſimus, & iam nunc incipiamus eſſe, quod nobis in cęleſtibus promiſſum eſt: at qua ratione vxores in hac mortali vita redigi poſſunt in viros, vt nulla iam ſit ſexuum diuerſitas, niſi ſeruata Angelorum puritate relicto genitalium vſu?

20. De D. Athanaſ. Athanaſius verò in priori loco eundē ſenſū habet cū Baſilio: loquitur enim ad ſenſū Pauli: vnde poſt illa verba īmediatè addit: *In Chriſto Ieſu noua creatura erit: non maſculus, nec fœmina, ſed omnia in omnibus Chriſtus*: quia nimirū vir iam nō quæret placere vxori, nec vxor viro, ſed ſoli Chriſto qui erit omnia in omnibus. In loco autē poſteriori per marē intelligit ſenſum, & robur virile: per fęminam verò ſenſum roburq; infirmū, & muliebre: in quo ſenſu in cęlo non erit fœmina: quia omnes ſenſum, & iudiciū pluſquā virile habebunt.

§. 5.

Soluuntur argumenta 2. erroris.

21. Ad 1. erroris ſecundi. PRimum argumentū poſterioris erroris duobus modis ſoluit Auguſtinus 22. de Ciuitat. capit. 18. primo modo, vt locus Pauli intelligatur de corpore Chriſti myſtico: quod ipſum miniſterium eorum, quos Deus ad conſummationem Sanctorum deſtinauit (quoſdam enim dedit Apoſtolos, &c.) tandiu ædificetur, donec omnes electi deueniant ad fidem, & cognitionē Dei non quamcūq; ſed virilem, & plenā, vt iam deinceps nō ſicut paruuli fluctuemus: & hæc eſt communis expoſitio. Quod ſi verba illa intelligas de noſtra reſurrectione (in quo ſenſu à pleriſque intelliguntur) 2. loco reſpondet Auguſtinus nomine viri etiā fęminā ibi cōprehendi; ſicut, & in Pſalmo: *Beatus vir, &c.* omnes igitur electi, tàm mares, quàm fœminæ occurent Chriſto in virū perfectum non ſexu, ſed ætate, & iudicio, vt explicant Ambroſius, Gloſſa Interlinar. D. Thom. & alij: tūc enim fœminæ habituræ ſunt iudicium, nō imperfectū, & muliebre, ſed perfectū, & virile, vt explicauit Athanaſius iam adductus.

22. Ad 2. Ad 2. negatur conſequentia: nā, vt ait Auguſtinus in d. cap. 17. licet ſexus non ſit futurus vſui veteri; erit tamen decori reſurgentis, vt laudetur Dei ſapientia, atque clementia, qui liberauit à corruptione, quod fecit.

23. Ad 3. Ad 3: dicitur cauſalitatem exemplarē Chriſti poſitam eſſe in proportionali cōformitate cum exēplari, vt ſicut Chriſtus iuxta ſuā indiuidualē rationē habuit perfectionem naturæ ſuæ debitam: ita ſinguli beati ſuam perfectionem habituri ſint modo ſibi connaturali, & debito.

24. Ad 4. D. Thom. Ad 4. reſpondet *D. Thomas in d. art.* 3. *q.* 2. *ad* 3. fœminam à natura particulari per ſe non intendi, benè tamen ab vniuerſali: quæ etiam eſt ſolutio Richar. Bonauent. Soti, Abulenſ. & aliorum; pro cuius explicatione dicendum eſt non eodem modo fœminam intendi à natura vniuerſali, vt intenditur monſtrum, quod ſolū intenditur ad pulchritudinem vniuerſi; quod ipſum non ſolum rerum elegantia; ſed etiā deformitate exornatur: fœmina igitur nō poteſt dici monſtrū naturæ, cū in illius generatione nullus error interuenerit, nulla ve deflexio ab ordine, & lege, quā natura ſuis operibus præſcribit; cum enim finis naturæ ſit ſpeciem cōſeruare, quæ ſine vtroq; ſexu conſeruari nō poteſt; vtiq; vtrūque ſexum generare intēdit, nā Deus author naturæ in vtroq; per ſe inſtituit naturam humanā, dum Adamū primo, deinde ex Adamo Euam formauit, inquiens: *Non eſt bonū hominē eſſe ſolum, faciamus illi adiutoriū ſimile ſibi.* Quo fit, vt finis naturæ non ſit generare ſolū virū, quāuis principaliter intēdat virū generare, tanquam principale ſpeciei humanæ principium. Accedit; quia in generatione fœminæ non datur cauſa impedita à fine ſemel intento per cōcurſum cauſæ impedientis: nam vis formatrix (vt Medici docent) formationem efficit conſentaneè ad ſeminis diſpoſitionem; & vbi inuenit ſemen virili ſexui accōmodatum ſtatim virum emolitur: fęminā vero vbi inuenit fęmineam diſpoſitionem: quare à fine in operis molitione ſemel intēto nō deuiat: dum aut virum, aut fœminam generat. Quare fœmina nulla ratione poteſt dici monſtrum; nec etiam ſimpliciter dici poteſt intenta per accidens, niſi in hoc ſenſu; quia natura principalius intendit virum, quam fœminam: ad quem ſenſum intelligendus eſt Ariſtol. qui tamen eſt improprius.

Ad poſtremum Abulenſis loc. cit. negat antecedens; quia putat, nec fœminam mutari poſſe in virum; nec virum in fœminam manente eodem indiuiduo: ſed in hoc nō eſt audiēdus. Quare cōcedimus eundem ſexū rediturum, non propter identitatem eiuſdem indiuidui; ſed propter integritatem ſubſtantialem eius, vt ex dictis patet. 25. Ad Poſtremum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm membra reditura ſint cum eadem materia, & forma?

DVbitari poteſt; an ſingula mēbra reditura ſint cū eadem materia, & forma quā in vita habuerunt? cui quæſtioni, quod attinet ad formā affirmatiuè reſpondendum eſt; quia ſuperius diximus, eandem numero formam ſingulis mēbris eſſe reſtituendā, ſiue dicas omniū eſſe vnam formam, ſcilicet animā rationalem; ſiue ſingulis propriam. 1. Reſtituenda eſt forma

§. 1.

§. 1.

Variæ opiniones de materia.

2. 1. opinio de materia. DE materia eſt tota dubitatio: nam varij variè reſpondent, quidam ſimpliciter negant, id eſſe ſimpliciter neceſſarium ad veram reſurrectionem: quæ videtur ſententia *Auguſtini in Enchyrid. c. 89. & lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 19.* & D. *Anſelmi in ſuo Elucidario, & in epiſtola Pauli ad Epheſios 4. ad illa verba: Donec occurramus, & idem docuit Gabriel. in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. concl. 6.* vbi aſſerit hanc eſſe communem Theologorum. *Auguſt. Anſelm. Gabr.*

3. 2. opinio. Alij ſimpliciter affirmant, vt D. *Thomas in 4. diſt. 44. q. 1. artic. 1. q. 3. vbi Sotus q. 1. art. 2. in vltimo dubio ad finem articuli,* D. *Bonauentura ibidem in commentario literæ, num. 1.* D. *Abulenſis Matthæi 22. q. 239. litera C.* D. *Angles in floribus de reſurrectione q. 1. art. 6. dub. 1. concl. 2. & 3.* *D. Thom. Sotus. D. Bonau. Abulenſ. Angles.*

4. Media opinio. Medius interiacet *Scotus in 4. diſt. 44. q. 1. ad vltimum, litera S.* vbi probat ſecūdam opinionem in partibus principalib⁹. Priorem verò in minus principalibus. Quæ ſententia non diſplicet *Suario 2. to. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 1. ad finem.* *Scotus. Suarius.*

5. 4. ſententia. Quarto loco alij putant affirmantem ſententiam eſſe veram in partibus etherogeneis: negātem verò in homogeneis. Itaque materia capitis ad caput redibit; & pedis ad pedes: attamen materia carnis vnius partis non neceſſariò redibit ad eā, ſed ad alteram: ſimiliter nec materia oſsis tibiæ neceſſariò redibit ad oſſa tibiæ, ſed poteſt redire ad oſſa aliarum partium; ita nonnullos exiſtimaſſe refert *Abulenſis vbi ſuprà litera* D. *Abulenſ.*

6. Poſtrema opinio. Poſtrema ſententia probat negantem partem, ſi rigor loquendi eſt ſeruandus: de facto tamen veram eſſe ſententiam affirmantem: quia id cedit in maiorem futuræ reſurrectionis perfectionem; & vnitati reſurgentis id magis eſt congruum, quæ fuit ſententia *Richardi in 4. diſt. 44. art. 1. q. 5. &* D. *Bonauent. ibidem art. 2. q. 2. & Suarij in 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 2. in 1. dub.* *Richard. D. Bonau. Suarius.*

§. 2.

Reſoluitur quæſtio.

7. 1. concl. PRo reſolutione ſit prima concluſio: *In reſurrectione futura ſingulis partibus tàm etherogeneis, quàm homogeneis eadem numero materia reſtituenda eſt eodem ordine, & ſitu, quem in vita habuerunt.* Cōcluſio iſta ponitur vt probabiliſsima: recipitur enim ferè ab omnibus: & eſt *D. Thomæ, Richardi, D. Bonauenturæ, Abulenſis, Soti, & Suarij vbi ſuprà.* Probatur primò; quia hæc pertinet ad maiorem identitatem totius, & partium; vt conſtat. Secundò; quia cōgruum eſt, vt reformatio reſpondeat formationi. Tertiò; quia eſt congruentiſsimum, vt eadem pars, quæ fuit virtutis organum, recipiat eiuſdem virtutis præmium, & quanuis hæ omnes congruentiæ magis accommodentur partibus etherogeneis; quia à natura principalius intenduntur: tamen aliquo modo etiam accōmodantur homogeneis: nam quod pertinet ad vltimum; ſicut congruū eſt, quod hæc materia in hac parte (v. g. in oculo) præmietur; ita etiam congruum eſt, vt præmietur in eodem ſitu. Quibus probatur.

8. 2. concl. Secunda concluſio: *Non eſt de neceſsitate reſurrectionis, vt partes homogeneæ ad eundem ſitum redeant.* Concluſio eſt omnium conſenſu receptiſsima: ita *D. Thomas, Sotus, Abulenſis, & alij ſuprà citati.* Probatur; quoniam hæc variatio ſolum eſt ſecundū ſitū in eadem parte homogenea. Non igitur variabit ſubſtantiā eiuſdem partis: quin potiùs nec eam variabit quoad diſpoſitiones, & accidentia: quia in quocunque illa ſit ſitu, eiſdem accidentibus diſponetur.

9. 3. concl. Tertia concluſio: *Probabilius mihi eſt ad veritatem reſurrectionis eſſe neceſſarium, vt ſingulæ partes etherogeneæ cum eadem numero materia reſurgant.* Hæc concluſio mihi eſt certa, ſi vera eſt ſententia Medicorum, & Scoti ſingulas partes etherogeneas habere proprias formas ſubſtantiales diſtinctas ab anima rationali, quib⁹ inter ſe non accidentaliter, ſed eſſentialiter diſtinguntur: hac enim opinione poſita neceſſariò infertur varietatem totius materiæ omnino impedire numericam, & ſubſtantialem identitatem harum partium: nam quidditas, & eſſentia partialis cuiuſque ex hac numero materia, & hac numero forma intrinſecè conſtituitur; vnde qualibet earū totaliter variata, iam non manet eadem numero pars, v. g. eadem manus, idem numero pes &c. Iam verò fides non ſolùm prædicat reſurrectionem huius numero hominis; ſed etiā huius

huius numero carnis; nomine carnis intelligendo ſingulas partes organicas: nec enim tutum erit negare hominem reſurrecturum in hac carne, in hoc numero oſſe, neruo, manu, &c. Id enim ſignificant verba Iob. 19: *Rurſus circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi conſpecturi ſunt.* Senſus enim eſt: ipſa eadem pelle circundabor; & in ipſa eadem carne, & ipſis eiſdem numero oculis videbo Deum, &c. Cum igitur, ſuppoſita Medicorum opinione, variatio totius materiæ nõ ſolùm faciat diuerſitatem ſitualem, ſed etiam ſubſtantialem partiũ; profectò etiam faciet diuerſitatem ſubſtantialem totius corporis organici, cuius idẽtitas ſubſtantialis per ſe dependet ex ſubſtantiali identitate partium, vt aduerſarij admittunt; qui toti ſunt in conſeruanda identitate ſubſtantiali totius materiæ, variata tota materia in ſingulis partibus; quã tamen ſeruare non poſſunt admiſſa formarum partialium pluralitate. *Iob. 19.*

10. Quid ſecũdum aliorũ ſententiã? Quod ſi cum communiori ſententia hanc formarum partialium pluralitatem non admittis; ſed vnicam duntaxat formam totius hominis, concluſio eſt difficilior; adhuc tamen eſt probabilior, quam oppoſita, quidquid Suarius reclamet. Probabilitatem illius primum confirmo grauiſsima authoritate *D. Thomæ*, qui vbique locorum in homine, alijsque compoſitis ſubſtantialibus vnicam tantũ formam admittit, nempe animam rationalẽ, qua caro eſſentialiter eſt caro, & os eſſentialiter eſt os, & ſic de cæteris; & tamen *in 4. vbi ſuprà* admittit ſubſtantialem varietatem in ſingulis partibus, ſi tota ſingularum materia varietur, & meritò: quoniam ſingulæ partes etherogeneæ corporis humani, licet eandem animam rationalem habeant; nõ tamen omnes eam habent ſecundum eandem virtutem, gradumque eſſendi, ſed ſecundum alium & alium, vt ſatis colliges ex *D. Thoma in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 1. in corp. & Soto ibidẽ q. 1. art. 3. concl. 1. ratione prima, Abulẽs. in cap. 22. Matth. q. 239. & ſatis admittit idẽ Suarius in Metaphy. diſp. 35. ſect. 10. n. 38.* Vnde fit, vt quælibet pars organica ratione ſpecifica partiali diſtinguatur ab alia; ſicut ratio ſenſitiui ſuo modo ſpecificè diſtinguitur à ratione intellectiui in eodem homine: quam ſpecificam, & partialem diſtinctionem partium organicarum in cæteris viuentibus idem Suarius admittit loco citato, ſicut igitur quidditas completa huius numero hominis eſſentialiter pendet ex hac materia totali, & ex hac totali forma; ita etiam quidditas partialis & incompleta huius partis organicæ intrinſecè conſtituitur ex hac numero materia, & ex hac numero forma ſub hoc eſſendi gradu. Quare ſicut variata tota hominis materia iam non manet idem numero homo; cur variata tota materia huius numero partis non variabitur ſubſtantialis ratio illius? nec puto rectè philoſophari, qui partes organicas ſolis diſpoſitionibus accidentarijs diſtingunt, quãuis id placeat *Suario vbi ſuprà n. 40. & in 2. tom. loco cit. & Conimbr. 1. de Generat. cap. 4. q. 22. art. 2. ad primum*: nam præterquam quod diuerſitas diſpoſitionum per ſe ortum habet à diuerſitate virtuali formæ, quæ inter partes reperitur, conſtat partes illas ſubſtantialiter differre, imò & realiter ratione diuerſæ materiæ. *D. Thom.* *D. Thom. Sotus. Abulen. Suar.* 11. *Suar. Conimbr.*

12. Ad fundamentũ Suarij. Ex his facilè ſolues fundamentũ Suarij, dũm obijcit facta hac materiæ cõmutatione adhuc corpus realiter conſtare ex eadem tota ſua materia: & ſubinde hanc commutationem materiæ ſolùm efficere ſitualem diuerſitatem, non vero ſubſtantialem: nam etſi corpus eſt ex tota ſua materia: non tamen eſt ex materia eodẽ modo partes organicas ſubſtãtiãte; quod ſatis eſt, vt diuerſitatem ſubſtantialem faciat, & hæc eſt mens D. Thomæ loco cit.

13. 4. concl. Quarta concluſio; *Quod diximus de materia partium etherogenearum, dicendum etiam eſt de partibus integrantibus, quæ in ſe ipſis ſunt etherogeneæ*; quales ſunt manus, pes, caput, & aliæ id genus, quæ ex carne, oſſibus, & neruis conſtant: opus eſt enim, vt caro ipſius manus redeat cum eadem numero materia: ſimiliter & os, atque neruus eiuſdem manus: nam manus, niſi eandem numero carnem habeat, & eadem numero oſſa, non erit ſubſtantialiter eadem manus: nam licet hæc caro manus cum carne pedis ſpecie conueniat; tamen ab ea numero diſtinguitur: cuius variatio ſatis eſt ad faciendã ſubſtantialem diuerſitatem. Quare *Abulenſis vbi ſuprà litera D.* meritò non admiſit quartam opinionem. *Abulenſ.*

Nec

14. Ad Auguſt. Nec Auguſtinus, ſi benè expendatur, primam opinionem probauit; quin potiùs expreſſè docet ſingulis partibus proprias materias eſſe reſtituendas: ſi quę verò partes materiæ ex aliqua illarum (v.g. ex manu, vel ex capillo) ſuperfluat; eas refundendas eſſe per reliquum corpus: agit igitur de refuſione materiæ ſuperfluæ; non verò de refuſione totius materiæ: & ad hunc ſenſum eum explicauit D. Thomas cum pluribus alijs.

QVÆSTIO VII.

De humoribus primarijs corporis humani.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in reſurrectione reſtituendi ſint quatuor humores corporis humani?

§. 1.

Quinam ſint hi quatuor humores primarij?

1. Qui nam ſint 4. humores primarij. *Fernelius.* PRO vera & clara reſolutione aduertendum eſt cum *Fernelio lib. 6. ſuæ Phiſiologiæ c. 9.* medicos appellationem humoris ad omnem profluentem, & liquidam ſubſtantiam, quæ in nobis reperitur accommodare: quanuis quidam illorum cum Auicena humorem ab humiditate diſtinguant; humorē appellantes eam fluidam ſubſtantiā, quæ in venis reperitur: humiditatē verò, quæ extra venas exiſtit: ſed non ſunt in hoc audiendi; ſicut nec audiendus eſt *Valeſius lib. 1. controuer. cap. vltimo ad finem*, dùm ait, humorem eſſe ſubſtantiam; humiditatem verò, qualitatem. Quidquid igitur in corpore humano profluens, liquidūq; cernitur id humor, ſiue humiditas apud Medicos appellatur, cuiuſcūque generis illud ſit; & in eadem ſignificatione in hac quæſtione à nobis accipitur. Itaque humoris ſiue humiditatis nomine intelligimus quatuor notiſsimos humores; ſanguinem, inquam, pituitam, bilim, & melancholiam: atque etiam humores, qui dicuntur ſecundarij, ex illis prioribus deriuatos; ſcilicet rorem, cambium, & gluten: prætereà chylum, ſiue chymum, vrinam, ſputum, ſudorem, lachrymam, & cætera huius generis: verum vt hoc genus in ſuas

Non recipiuntur.

Quid intelligitur nomine humoris?

veluti ſpecies diuidamus; humorum alij ſunt vtiles; alij inutiles, & omnino excrementitij: nam in omnibus decoctionibus alimēti, actione caloris natiui partes vtiles ab inutilibus ſecernuntur; vt hæ expellantur: illæ verò permaneant. Prioris generis ſunt humores excrementitij, quorum meminimus: poſterioris verò ſunt quatuor humores, qui appellātur primarij, vt ſanguis, bilis, pituita, & melancholia; qui ex chylo ſuis in locis primitus generantur.

Ex his quatuor humoribus tres poſtremi à ſanguine, & à ſe inuicem ſeparātur; & puri ad certas partes demādantur: bilis ſcilicet aduſicam felis: melancholia ad lien: pituita manet in vintriculo, & circum inteſtina hæret; vt docet *Fernelius lib. 2. de methodo medendi c. 1*: ſanguis autē manet in venis. Vtrùm autem in illis cū tribus alijs humoribus verè ſit permiſtus? cōtrouerſum eſt apud Medicos: quidam affirmant: negat tamen *Fernelius libr. 6. Phiſiologiæ c. 8*: nobis ſatis ſit ſanguinem purum in aliquibus venis reperiri. 2. Sunt inter ſe, & à ſanguine diſtīcti. *Fernelius.*

Præter hos quatuor humores dantur alij, qui appellari ſolent ſecundarij, vt qui à primarijs, id eſt à ſanguine originentur: ſanguis enim per totum corpus diffuſus per venas minutiſsimas (quas capillares appellant) virtute attractiua recipitur in poris; vbi vltimo decoquitur, & incipit dealbari; qui à principio vocatur ros: deinde magis decoctus appellatur cambiū: tandem dicitur gluten; cū ſcilicet in ſubſtantia membri conuertitur: & præter iſtos tres ſecundarios humores Medici cum Galeno addunt quartum, qui ordine eſt primus carens nomine, & reſidens in extremis venarum, de quo vide Fernelium quarto Phiſiologiæ c. 5. in fine, & Valeſium lib. 1. controuer. cap. vltimo. 3. Humores ſecundarij.

Præter hos humores ſecundarios, qui ſunt ad nutriēdum neceſſarij, dantur adhuc alij tres, qui à natura præparantur nō ad nutritionem viuentis; ſed ad generationem fœtus, eiuſque nutritionem: ſemē, ſanguis menſtruus, & lac, quos humores relinqui ex ſuperfluo alimenti omnes fatentur. 4. Alij tres humores.

Ex his, quæ ex Medicis deſumpſimꝰ, quidam Theologi hanc genericam humoris diuiſionem colligunt: humorum alij ſunt vtiles; alij inutiles: inutiles ſunt, qui dicun- 5. Diuiſio humana apud Theologos

dicuntur excrementitij: vtilium alij ſunt naturales, ſiue complexionales; alij nutrimentales: alij ad generandum, & nutriendum fœtum reſeruati: naturales ſiue complexionales ſunt quatuor notiſsimi humores; ſanguis, inquam, bilis, pituita, & melancholia; habent enim proprias formas; & pertinent ad complexionem, & temperamentum corporis. nutrimentales ſunt quatuor illi, quos diximus ſecũdarios: at qui ad fœtum ordinantur, ſunt tres: ſemen, ſcilicet, ſanguis menſtruus, & lac. Hi omnes ex chylo in ventriculo; ex chymo vero in iecore generantur, & ſecernuntur.

§. 2.

Qui nam humores non ſint reſtituendi?

6. Excrementitij humores non ſunt reſtituẽdi. His ita præmiſsis, vt certa ab incertis ſeparemus, certiſsimum eſt in reſurrectione nullos futuros eſſe humores excrementitios: vt communiter docent Theologi *in 4. diſt. 44. vbi D. Thomas q. 1. art. 2. Richardus art. 1. q. 2. Sotus q. vnica art. 3. concl. 2. Abulenſis in cap. 22. Matth. q. 241. Suarius 1. tom. ad 3. part. diſp. 15. ſect. 7. §. Dices ergo*: hæc enim tãtùm abeſt, vt ad veritatem, conſiſtentiã, aut decorem naturæ humanæ pertineãt; vt potiùs ab ea expellantur tanquam nociua, quam retineantur: denotant deinde corpus indigere & nutritione, & ex purgatione, quod imperfectionem denotat. Quare in beatis reſurgentibus non erunt lacrymæ, ſudor, ſputum, vrina, cæteræq; inferioris generis excrementa.

D. Thom. Richard. Sotus. Abul. Suarius.

7. Nec qui ſũt ad generationem, & nutritionem. Certiſsimum etiam eſt nullos futuros eſſe humores ad generationem, nutritionemvè fœtus à natura ordinatos: cum enim poſt reſurrectionem nulla futura ſit generatio: quia ſpecies humana donata immortalitate hominum ſine noua generatione perpetuô cõſeruabitur; & ideò non eſt, quod reſurgentibus reſtituatur, aut ſemen, aut ſanguis menſtruus, aut lac: quia hæc ob ſolam generationem à natura præparantur; nihil conducentia, aut ad integritatem naturæ, aut ad cõſiſtentiam illius, & perfectionem.

8. Quæſtio é de humoribus primarijs, & ſecũdarijs. Quare de ſolis humoribus primarijs, & ſecundarijs poteſt eſſe dubitatio; in hac quæſtione agemus de primarijs; de ſecundarijs verò in q. 8.

§. 3.

Ponuntur argumenta partis negantis.

Si credendum eſt *Abulenſi in d. cap. 22. Matt. q. 241.* quidam partem negantem probauerunt abſolutè docentes homines ſine vllis humoribus reſurrecturos: egò tamen nullum inuenio, qui abſolutè hanc ſententiam probauerit; ſed quidquid ſit de hoc, pro hac negante ſententia ratio dubitandi eſſe poteſt; quia hui⁹ generis humores ſunt quędam naturæ excrementa: ita enim ea vocat *Ariſtoteles lib. 4. de partibus animal. c. 2. & lib. de generatione animal. c. 18.* excrementa autem, tanquam quædam humani corporis ſuperfluitates, non ſunt reſtituenda, vt diximus. 9. Pars negãs. Ratio dubitandi. *Ariſt.*

10. 1. ratio. *Ariſt.* Deinde; ſanguis ex ſententia *Ariſtotelis 2. de partibus animalium c. 3.* eſt alimẽtum partium humani corporis, in quo omnes Medici conueniunt; & ob hanc rationem ab *Ariſtotele 3. de partib. animal. cap. 5.* dicitur materia totius corporis; & ideò dicitur eſſe in via, vt viuat, vt ait *D. Thomas 1. p. q. 109. art. 1. ad 3.* & idem de omnibus quatuor humoribus docent omnes Medici contra Ariſtotelem; de quo *Valeſius 1. controuer. c. 14.* qui volunt non ſolùm ſanguinem, ſed etiam tres reliquos humores eſſe membrorum alimentum: in quo conueniunt omnes Theologi cũ *D. Thoma in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 2.* iam verò in reſurrectione nullum dabitur alimentum; quia nulla dabitur nutritio: cũ iam omnia ſint in corpore humano ſtabilita. & incorruptibilia; ob quam rationẽ omnium conſenſu in ea nulli futuri ſunt humores ſecundarij. *D. Thom. Valeſius. D. Thom.*

11. 3. ratio. Tertiò accedit; quoniam huiuſmodi humores nec pertinent ad veritatem naturæ humanæ, nec ad eius integritatem. Nam ſi ad veritatem illius pertinerent; vtique informarentur anima rationali, eſſentque animati: nam quod ad veritatem naturæ humanæ pertinet, vel eſt forma, vel eſt materia, ſaltem partialis. Iam verò omnes negant pituitam, vtranque bilem eſſe animatã: de ſanguine verò licet res ſit cõtrouerſa; verior tamẽ & cõmunior Philoſophorum, Medicorum, & Theologorum ſententia [illegible] negat: ita *D. Thomas 1. p. q. vltima art. 1. ad 3. & quodlib. 5. q. 4. & ante eũ Albertus lib. 3. de animalibus, Aleſis 2. p.* *D. Thom. Albertus.*

D.Bonauen. Richard. Scotus. Durand. Paludan. Maior. Capreol. Sotus. Abulenſ. Galenus. Fernelius. Valeſius. Lemoſius. Conciliat. Seneca. Theophyl. Conimbr. Suar.

2.p.q.29.memb.7. *D. Bonauent. in 4. diſt. 44.art.1.q.1.vbi Richard.art.1. q.2. Scotus q.4. Durandus q.2. Palud.q.1. artic. 2. Maior in 4.diſt.43. Capreolus in 2. diſt.15. art.3.ad 4.confirm.3.loco contra 3.fol.192. col.3.& in 4.diſt.10.q.2.art.3. ad 4.contra 1.vbi etiam Sotus q.1.art.2. Abulen.parad. 2.q.40.& in c.22.Matth.q.241.ad 3.in fine*, vt alios omittamus; ex medicis id docent *Galenus 2.de elementis, & 4. de vſu partium, Fernelius lib.2.Phyſiologiæ c.2. ad finem, Valeſius 2.controuer.c.4.fol.23. col. 4.in fine, & rurſus ad finem quæſtionis; latè Ludouicus Lemoſius in commentarijs ad librum quintum Galeni de morbis medendis c. 7.d.2. Conciliator differentia 3.* ex Philoſophis *Seneca lib.2.naturalium quæſtionum, & Theophilus ad librum 2.de Anima ad textũ 122.latè Conimbricenſes 1.de Generatione c. 4.q.24.art.2.concl. 1. in quam magis inclinat Suarius vbi ſuprà.*

21. Si verò ad integritatem naturę humanæ pertineret, vtiq; eſſet pars illius: quod tamen negat communior & verior ſententia, quam ex Theologis probant *Capreol. Durandus, Abulenſis locis citatis, Palatius in 4.diſt.8.diſp.4. concl. 6.pag.260. & videtur eſſe expreſſa ſententia D.Thomæ 3.p.q.31. art.5. ad primum, & in 3. diſt.3. q.5.art.1.ad 4.* ex medicis Galenus *lib. 2. de elementis, & lib.1.de natura humana, & in lib.de ſanguinis miſsione, Ludouic. Lemoſius ad Galenum lib.1. de morbis medendis c. 6.d.6.& lib.5.c.7. diſp. 2. Fernelius in ſua Phyſiologia lib.2.c.2, & in ſua patologia lib. 1,c.3.in principio, Valeſius lib.2.controuer. c.5.fol.23.col. 4.in medio*, idem expreſſè docuit *Ariſtoteles 2.de partibus animalium c. 10.* alioquin eſſet pars corporis, quod eſt altera pars viuentis: quod eſſe falſum ſatis euincit myſterium Euchariſtiæ, in quo ſanguis ex vi ſacramenti non continetur in hoſtia; ſed ſolùm per concomitantiam: contineretur autem, ſi eſſet pars integralis humani corporis.

Capreol. Durand. Abulenſ. Palatius. D. Thom. Galenus. Lemoſius. Fernelius. Valeſius. Ariſtot.

§. 4.
Reſoluitur pro parte affirmante.

13. Affirmatiua eſt vera. D. Thom.

Dicendum tamen eſt quatuor humores primarios in reſurrectione ſingulis eſſe reſtituendos, quæ eſt communis Theologicorum ſententia *in 4.diſt.44.vbi D.Thomas q.1,art.2. q.2. & Richardus art.1.q.2. D.Bonauent.art.1. q. 1. Sotus q.1.art.3.concl.2. Abulenſis in cap. 22.Matth.q.241. Suarius 1.tom.ad 3.part. diſp.15.ſect.6.§.Dico tertio, & 2.tom.diſp. 47.ſect.3.poſt principium. Angles in floribus de reſurrectione art.6.dub.3. in fine quæſtionis.* Denique eſt communis ſententia omnium Theologorum, vt etiam fatentur *Conimbricenſes 1.de Generat.c.4. q.24. art. 1.poſt principium.* Quæ veriſsima ſententia confirmatur authoritate Auguſtini epiſt.146.ad Conſentium paulò poſt principium; vbi oſtendit iſtos humores ſine vlla corruptibilitate manſuros. Accedit; quia cum illis omnibus ſurrexit Chriſtus vt ex dicendis patebit.

Richard. D.Bonau. Sotus. Abulen. Suar. Angles. Conimbr.

§. 5.
Soluuntur argumenta.

14. Ad 1. Argumenta, quæ §.3.in contrarium ſunt adducta pro ratione dubitandi ex dictis facilem habent ſolutionẽ. Ad primum dicendum eſt Ariſtotelem in locis citatis tres alios humores à ſanguine appellare excrementa, non quod ad vitam humani corporis non ſint per ſe neceſſarij, ſed quia per ſe non ordinantur ad nutritionem, ſicut ſanguis: etenim ſine ſanguine ſe ipſis nutrire non poſſunt. Vide Suariũ 1. tom. ad 3.p. diſp.15. ſect. 7.poſt principium.

15 Ad 2. Ad ſecundum reſpõdetur ſanguinem cæteroſque humores non adæquatè eſſe neceſſarios, quatenus ſunt alimẽtum; ſed quatenus ſunt diſpoſitiones ad vitæ conſeruationem, & ad præſtandas operationes vitales, vt patebit ex his, quæ de ſingulis dicemus.

16 Ad 3. Ad tertium reſpondetur ſanguinem, licet non ponatur, aut animatus, aut actu pars; adhuc tamen ex eo pertinere ad veritatem naturæ humanæ, quod eſt neceſſarius ad cõſeruandam vitam, actioneſq; obeundas, vt ex ſequẽti articulo patebit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm cum ſanguine reſurgemus?

I Quæſt. de ſanguine. Affirmatiua indubitata.

Quod homines cum ſanguine ſint reſurrecturi nulla poteſt eſſe dubitatio. Primò; quia Chriſtus veriſsimum exemplar futuræ noſtræ reſurrectio-

1. ratio. *Auguſt.*

rectionis cum ſanguine reſurrexit: id enim eſſe de fide ſupponit *Auguſtinus ep. 146, ad Conſentium*: & ſatis euincit myſterium Sacroſanctæ Euchariſtiæ, in quo ex vi verborum vinum tranſubſtantiatur in ſanguinem Chriſti.

2. 2. ratio. *Auguſt. Ambr. Hierony.*

Secundò; quia id aſſerunt Patres: nam præter Auguſtinum *in d. epiſt. 146.* vbi id tanquam notiſsimum ſupponit, expreſſè id docet *Ambroſius in ſermone 74. qui eſt de martyribus, ita inquiens: Notũ nobis faciat, quemadmodum in examine in corpus iã frigidum ſe ſe calor inſinuauerit: ſpiritus ingeſſerit: ſanguis infuderit. D. etiam Hieronym⁹ epiſt. 61. ad Pamachium c. 8.* vbi contra reſurrectionem corporum ſpiritualiũ, quã Origenes admittebat, ita obijcit: *Cum autem iſta dicantur, ſoliditas carnium, ſanguinis liquor, craſsitudo neruorum, venarumque perplexio, & oſsiũ durities denegatur,* quod tanquam abſurdum ex impia Origenis opinione colligit. Inferiùs cap. 10. ita ſcribit; *Sic & nos poſt reſurrectionem eadem habebimus membra; quibus nunc vtimur; eaſdẽ carnes, & ſanguinem, & oſſa,* & inferiùs: *Certe vbi pellis, & caro; vbi oſſa, & nerui, ſanguis, & venæ; ibi carnis ſtructura.* Idem colligit ex verbis Iob. 19: *Rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deũ ſaluatorem meum,* ex quibus verbis colligit in reſurrectione futuram eſſe totam carnis ſtructuram ex oſsibus, neruis, venis, & ſanguine.

3. 3. ratio. D. *Thom.*

Tertio loco id ratione demonſtratur, qua omnes vtuntur: nam ſanguis ad veritatem naturæ humanæ, humanique corporis verè & propriè pertinet, vt patet ex D. *Thoma 3. p. q. 54. art. 2. in corp. & ad 3*: iam verò in reſurrectione reſtituendũ erit quidquid ad naturæ humanæ veritatem ſpectat. Quod fundamẽtum abſque vlla dubitatione recipiendum erit, ſi ſanguis eſt animatus: non enim poteſt eſſe animatus anima rationali, quin ad integritatem corporis humani (quod eſt altera pars compoſiti) verè pertineat: anima enim eſt actus corporis organici, ex Ariſtotele in 1. de Anima.

4. Sanguis eſt animatus. *Conrad. Caiet. Medina. Sylueſt.*

Sanguinem verò eſſe animatum viri doctiſsimi exiſtimauerunt: *Conrad. 1. 2, q. 54. art. 1. concl. 3: Caietanus 1. p. q. vltima art. 1. in fine: Medina 3. p. q. 5. art. 2. concl. 6. tanquam probabilem defendit Sylueſter in aurea roſa q. 30. fol. 244. col. 2.* vbi refert hanc ſententiam coram Summo Pontifice à tribus Theologis fuiſſe defenſam: non diſplicet *Henriques de Euchariſtia c. 26. §. 2. litera B. & ſatis eſt de mente D. Thomæ in 4. diſt. 44. q. 1 art. 2. q. 2. ad 3.* dùm concedit ſanguinem aliquo modo perfici ab anima rationali: denique hanc ſententiam plures medicorum probaſſe refert *Ludouicus Leemoſius in commentarijs ad librum 5. Galeni de morbis medendi c. 7. diſp. 2.*

Henriq. D. *Thom.* *Leemoſius*

5. Sanguis eſt pars corporis humani.

Verum quia cõmunior & verior ſententia negat ſanguinem eſſe animatũ; proinde ſatius erit commune fundamentum confirmare ratione ab alijs adducta; quod ſcil. ſit pars humani corporis; non ſolùm quia poteſt conuerti in membra corporis; ſed prout eſt ſub forma ſanguinis: quam ſententiam eſſe veriſsimam, & omnibus veris Thomiſtis probandam aſſerit *Conradus vbi ſupra, & Caietanus 1. p. loco citato, & 3. p. q. 5. art. 2. & q. 54. art. 2. §. Ad hanc quæſtionem, & vtrobique Medina in 1. loco concl. 6. & in 2. q. 1. latè probat Sylueſter vbi ſuprà, & doctiſsimus Franciſcus noſter in 3. d. 2. q. 8. ad 2. magis probat Henriques loco citato, & eſt ſententia D. Thomæ 1. 2. q. 54. art. 1. & 3. p. q. 76. art. 2. ad 2, & in 2. diſt. 30. q. 2. & in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 2. in corpore, & ad 3. & quodlib. 5. q. 5. & ſatis Abulenſ. c. 22. Matth. q. 241. ad 2. & 3. Sotus in 4. diſt. 44, q. vnica, art. 3. concl. 2. Angles in floribus de reſurrectione art. 6. dub. 3. in fine quæſtionis, Suarius 1. tom. ad 3. par. diſp. 15. ſect. 6. §. Dico tertiò, & 2. tom, diſp. 47. ſect. 3. poſt principium.* Quæ ſententia ſatis cõfirmatur authoritate *Ariſtotelis 2. de partibus animalium c. 2. & lib. 3. de hiſtoria animalium c. 2.* in quibus locis enumerat ſanguinem inter partes ſimilares, ex quibus animal conſtituitur: ſimiliter etiam Seneca *lib. 2. quæſtionum naturalium.* Cõfirmatur etiam authoritate Tridentini *ſeſſ. 13. c. 3.* dum ait, *ſub ſpeciebus panis eſſe ſanguinem ex vi illius connexionis, quia partes corporis inter ſe copulantur.*

Conrad. Caiet. Medina. Sylueſt. Franciſc. à Chriſto. Henriq. D. *Thom.* *Abulen. Sotus. Angles. Suarius. Ariſt. Seneca. Trident.*

6. Ex Scriptura. *Hebr. 2.*

Nec ineptè cõfirmatur phraſi ſacræ Scripturæ, & Conciliorum, qua tota humana natura per carnem, & ſanguinem, veluti per duas partes, ex quibus integratur, ſæpiſsimè deſcribitur: apud Paulum ad Hebræos 2: *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & ſanguini; & ipſe ſimiliter participauit eiſdẽ:* participauit, inquam, carni, & ſanguini, id eſt naturæ humanæ, quæ eſt cõmunis

Patrum

Patrum explicatio. Eodem loquendi modo vtuntur Concilia, vt patet ex *Epheſino can.5. Alexandrino in epiſt. Cyrilli in 6. Synodo generali actione 6. & in Chalcedonenſi actione 1. ad finem: vnde Nazianz. oratione 50. Aſſupſit corpus ex carne, oſsibus, & ſanguine conſtans.* Cum igitur apud ſacram Scripturam, Concilia, & Patres frequens ſit hæc locutio, non debet negari ſanguinem actu eſſe partem integrantem naturæ humanæ, aut humani corporis: ſi non intrinſecè illud componētem, tamen extrinſecè, vt aduerterunt *Durandus in 4. diſt.44.q.2. Paludanus ibidem q.1.art.2. & Baſſolius q.1.art.2. ad finem*: ſiquidem cōponit non integrando materiam, ſed illam diſponendo, atque complexionando: de quo plura diximus in materia de Incarnatione.

Conc.Eph. Alexand. Calcedon. Nazianz.

Durand. Paludan. Baſſol.

7\. Confirmatur adhuc.

Si verò adhuc contendas nullam dari partem toti extrinſecam; ſed omnem eſſe intrinſecam, vt plures ſentire videntur, adhuc noſtra aſſertio ſalua permanet: quoniam ſanguis ad conſiſtentiam naturæ humanæ omnibus modis eſt neceſſarius, cum vita ſine eo cōſeruari nequeat, iuxta illud Leuit. 17: *Anima* (id eſt vita, vt Auguſtinus interpretatur) *in ſanguine eſt*: quia in ſanguine conſeruatur, vt Medici docent.

Leuit.17.

8\. Sanguis inſtrumentū ad operationes animæ.

Eſt etiam ſanguis veluti quoddam generale inſtrumentum ad operationes animæ præſtandas: præſertim ad affectus illius, ſcilicet iram, timorem, gaudium, & audaciam: iraſcimur enim cum ſanguis feruet: timemus; cum contrahitur; gaudemus, cum diffunditur, &c. Quòd optimè annotauit *Valeſius in 2. controuer. c.5. fol.23. col.4. & poſt eum Suarius vbi ſuprà diſp.15. ſect.6. §. Dico ergo,* & ante eos *Richardus in 4. diſt.44. art.1. q.2.* denique cū ſanguine ſpiritus tàm vitales, quàm animales per totum corpus diffunduntur, vt omnes fatentur. Merito igitur cum Valeſio vbi ſuprà poſſumus dicere ſanguinem, licet non ſit pars naturæ humanæ; non eſſe tamen expertem ſubſtantiæ illius: quod ſatis eſt, vt dicatur pertinere ad veritatem naturæ humanę, & proinde vt neceſſariò ſit reſtituendus in reſurrectione.

Valeſius. Suarius. Richard.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnis ſanguis in reſurrectione ſit reſtituendus?

§. 1.

Variæ ſanguinis diuiſiones.

1\. Diuiſione ſanguinis.

Varia ſanguinis vſurpatio quæſtionem iſtam reddit difficilem: nam ſanguinem tribus modis accipi docuit *Conciliator differentia 30. & melius differentia 33. art.3. ad finem: ex Theologis idē docuit præceptor meus Frater Franciſcus à Chriſto lib.3. de Incarnat. q.14. fol.95. & in 3. diſt.2. q.8. poſt 2. concl. fol.26. col.2.* vno modo accipitur pro chymo, in qua ſunt omnes quatuor humores ex cibo, chyloque generati, non dùm tamen perfectè elaborati. Secūdo modo ꝑ ſanguine perfecto à tribus reliquis humoribus diſcreto, & in venis ad perfectū deducto. Tertio modo pro ſanguine, qui à venis extractus, ac veluti ſuctus à forma ſanguinis alteratur, induens formam, & rationē humoris ſecundarij; roris, inquam, vel cābij.

Conciliat. Fr. Franc à Chriſt.

2\. Sanguis, aut naturalis, aut nutrimentalis.

Quidam ſanguinem vniuerſum noſtri corporis diſtinguunt in naturalem, ſiue vitalem; & nutrimentalem, vt patet ex *D.Thoma quodlib.5. q.3. art.5. Caietano 3. p. q.54. art.2. §. De prima autem quæſtione, Sylueſtro in aurea roſa tract.3. q.31. Ouando in 4. diſt.10. propoſ.3.* Nutrimentalem appellant humorem crudum, non dùm per fectè decoctum, in via tamen, vt ſanguis fiat, vt docent Caietanus, Franciſcus noſter cum cæteris communiter: Sylueſter tamen duplicem ponit ſanguinem nutrimentalem: illum. ſ. qui chylo, & chymo non dùm eſt ſanguis perfectus: & illum qui à venis allectus, & ſuctus in poris, ſubſtantiaque membrorum deficit à forma ſanguinis, & induit formā roris, & cambij, ex quo membra immediatè nutriuntur: naturalem verò ſanguinem eum dicunt, qui habet perfectam formam ſanguinis, & in ea perſiſtit; quatenus eſt ſanguis, qui eſt in venis, atque arterijs.

D. Thom. Caiet. Sylueſt. Ouand.

3\. Aliorum opinio.

Alij volunt omnē ſanguinē eſſe vnius rationis, nec admittunt varietatē ſubſtātialem ſanguinis, nec diſtinctionem eius in nutrimentalem, & naturalē: hanc enim diſtinctionem volunt eſſe minus philoſophicam: fundamentū eſt, quia nec Ariſtoteles, nec Medici eam agnoſcūt. Deinde; quia nullꝰ eſt vſus ſanguinis, qui nō ſit cōmunis omni ſanguini: omnis enim ſāguis habet eadē munera, qa omnis nutrit, omnis tēperat corpus humanū, & in debita

V diſpo-

Suar. *Conimb.* diſpoſitione conſeruat. Hanc ſententiam probauit *Suarius 1. tom. ad 3. partem diſp. 15. ſect. 6. §. Denique illa ſecunda ſententia, & diſp. 47. ſect. 3. & poſt eum Conimbricenſes 1. de Generatione cap. 4. q. 24. art. 2. in 2. argumento pro prima concluſione, & ante* *Medina.* *eos eandem tenuit Medina 3. p. q. 54. art. 2. q. 1.*

§ 2.

Reſolutio difficultatis.

4. Vera reſolutio. SEd quod ad noſtrum inſtitutum attinet; controuerſia eſt non de re, ſed de ſolo nomine: nam conſtat inter omnes, omne, quod inter cibum, & ſanguinem mediat, non eſſe in reſurrectione reſtituendum: nec enim in reſurgentibus futurus eſt chylus (quæ eſt maſſa alba in Nec chylus nec chymus redibit. ventriculo ex cibo decocta) nec chymus, qui eſt ſuccus elaborata in iecore, & hepate; in qua quatuor humores geniti adhuc inpermixti continentur: hæc igitur omnia, cum tàm ſumptionem cibi, quàm eius decoctionem pro membrorum nutritione ſupponant non dabuntur in reſurgentibus: in quibus nec dabitur ſumptio cibi, nec illius decoctio: vnde nec ſunt de veritate, aut integritate naturæ humanæ: nec à Verbo fuerunt hypoſtaticè aſſumpta (quidquid Franciſcus noſter oppoſitum putet eſſe probabile) nec in reſurrectione ad Chriſtum rediere, vt omnes fatentur, & nos latè diximus in materia de Incarnatione, & docet *Suarius 1.* *Suarius.* *tom. ad 3. p. diſp. 15. ſect. 7. §. Sed quid de illis ſubſtantijs.*

5. Sãguis perfectus redibit. Conſtat etiam ſanguinem perfectum, & naturalem ſanguinis perfectionem in venis aſſecutum, & ſub ea adhuc perſiſtẽtem, antequam à venis ſugatur, & trahatur ad membra: hũc, inquam, ſanguinem ſub forma humoris primarij perſiſtentẽ in reſurrectione rediturum in ea quantitate, quæ propriæ complexioni debetur: nam iſte ſanguis eſt ille; qui ad veritatẽ, & integritatem humanæ naturæ requiritur, & à Verbo abſque vlla dubitatione fuit hypoſtaticè aſſumptus.

6. Sãguis ſub forma humoris ſecũdarij nõ redibit. Conſtat tertiò ſanguinem ſub forma humoris ſecũdarij roris, inquam, & cambij extra venas exiſtentem non eſſe in reſurrectione rediturum, vt ſtatim dicemus. ¶ Quod igitur attinet ad triplicem ſanguinis acceptionem à Cõciliatore explicatam, de re nulla eſt controuerſia: de nomine tamen poteſt eſſe dubitatio; an chymus verè ſit ſanguis, ſimiliter & ros, & cambium: quare cum quæſtio ſit de nomine, & conſtet de re; non eſt contendendum. De triplici diuiſione ſãguinis à Cõciliatore.

7. Quid de naturali, & nutrimentali. Similiter dicendum eſt de diſtinctione ſanguinis in nutrimentalem, & naturalem: nam ſi ſanguis nutrimentalis eſt humor crudus, non dùm perfectè formã & naturam ſanguinis aſſecutus; quo pacto Caiet. & alij ſanguinem nutrimentalem accipiunt; vtique ſanguis nutrimentalis non erit aliud, quam chylus, & chymus: nullus enim datur alius humor, qui ad ſanguinem præparetur, niſi in chylo, & chymo. Quare cum nec chylus, nec chymus in reſurrectione ſint reditura; vtique nec ſanguis nutrimentalis redibit. Idem dicendum erit, ſi ſanguis nutrimentalis ſumatur pro ſanguine in poris exiſtente (rore ſcilicet vel cambio) quia vt dicemus, nec iſta in reſurrectione redibũt.

8. Nec chylus nec chymus eſt ſanguis nutrimentalis. Sed profectò quam bene chylus, aut chymus appelletur ſanguis nutrimentalis; non bene video: non dum enim datur perfectus ſanguis, ſed ſolùm in venis, maximè in vena caua, in qua perfectè elaboratur. Non negarim tamen chylum & chymum à Medicis appellari primum alimentum, ita enim eum vocat Fernelius lib. 6. Phyſiologiæ cap. 6. pag. 116. n. 20. at tamen dicitur talis, vel quia ſanguis venarum ex chymo reſtauratur; vel quia eſt id, quod prima decoctione ad nutriendum præparatur; ob quam rationem dicitur alimentum in potentia remotiſsima; qui prius ex ea debet ſanguis eloborari, atque in venis recipi, & deinde in poris extra venas, quam habeat completam alimenti rationem.

9. Quid vnà ſit ſanguis nutrimentalis? Quare ſi admittenda eſt diſtinctio ſanguinis in naturalem, & nutrimentalem; non dicerem ſanguinem nutrimentalem eſſe humorem illum crudum, qui eſt in via ad ſanguinem; ſed eſſe humorem ſecundarium, rorem, inquam, & cambium: hi enim duo ſecundarij humores ſubſtantialiter ſunt ſanguis, & ſanguis tertia decoctione præparatus, vt iam non potentia tantùm (vt erat in venis) ſed actu ſit membrorum alimentum: quod ſatis explicat Conciliator in d. differentia 33. ar. 3. ad finẽ; vbi ſolum ſanguinẽ ſub forma humo-

humoris ſecundarij (roris ſcilicet & cambij) nutrimentum appellat: id quod confirmat plurimorum Medicorum authoritate.

10. Duplex ſanguinis diuiſio. Ex quo iam conſtat duplicem poſſe aſsignari veri & perfecti ſanguinis diſtinctionem: quia ſanguis in venis actu non eſt nutrimentum, ſed tantùm potentia: in poris autem & extra venas, non iam potentia, ſed actu nutrimentum dicitur: ſanguis autem in venis à perfecta ſanguinis natura nullo modo deficit: ſanguis in venis ad conſiſtentiam naturæ humanæ ſimpliciter eſt neceſſarius: & eſt pars animalis in actu; cum tamen ſanguis extra venas nec ſimpliciter ſit neceſſarius ad cõſiſtentiam vitæ, quia nec in reſurrectione dabitur, nec in hac vita ſemper eſt neceſſarius; quia fortè per aliquod breue tẽpus poteſt nõ dari extra venas aut ros, aut cambium. Non eſt igitur, quod diſtinctionem ſanguinis in vitalem, & nutrimentalem, tanquam minus philoſophicam reijciamus: nam viris doctiſsimis placuit, & D. Thomæ; nec aliena eſt à mente Medicorum: quamuis enim omnes ſanguinem, qui eſt in venis, appellent membrorum nutrimentum: omnes tamen concedunt eum immediatè non nutrire; ſed mediante rore, & cambio, vt docent Fernelius lib. 4. Phyſiologiæ cap. 5. ad finem, & lib. 6. cap. 5. ante finem, & Valeſius lib. 1. controuer. cap. vltimo, pagina 20. col. 2. in principio, vt omittamus Auicenam, Conciliatorem, & omnes Arabes, qui huius doctrinæ fuerunt authores.

11. Sanguis aut naturalis, aut nutrimentalis. Sanguis igitur alius erit vitalis, ſiue naturalis: ille ſcilicet qui eſt in venis: is enim ſolus eſt ad vitam ſimpliciter neceſſarius: alius eſt nutrimentalis; nõ quidem potentia, ſed actu; ille nimirum, qui extra venas rationem roris, & cambij eſt aſſecutus. Quæ diſtinctio non datur per membra eſſentialiter diſtincta, ſed ſolùm accidentaliter, quod non aduertit Suarius. Vnde conſtat ſanguinem corporis noſtri nec eſſe modi vnius, nec vnius rationis accidentariæ: nam prout eſt in venis indifferens eſt, vt ad diuerſa membra diſponatur; at vero prout eſt in membris ſenſim perfunditur qualitate, & proprietate cuiuſque membri, donec cuique aſsimiletur.

Vtrùm verò vterque ſanguis in reſurrectione ſit nobis reſtituendus, & verè fuerit Chriſto reſtitutus? pendet ex quæſtione, an humores ſecundarij ſint nobis reſtituendi? etenim ſanguis nutrimentalis ad illud genus pertinet. De hac igitur quæſtione dicemus in ſequenti quæſtione octaua. 12. Ad quæſtionem.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm reſurgemus cum pituita, bili, & melancholia?

De tribus reliquis humoribus primarijs; pituita, inquam, & vtraq; bili non èſt adeo euidens, an cum illis ſimus reſurrecturi? communis Theologorum affirmat, vt iam diximus, & ſatis inſinuat *Auguſtinus epiſtol. 246. ad Conſentium*, vbi etiam apertè ſignificat Chriſtum cum illis ſurrexiſſe: & in hoc omnes conueniunt, & cum illis *D. Thomas 3. p. q. 54. art. 2. ad 2. & Suarius 2. tom. ad 3. partem diſp. 47. ſect. 3.* & merito ſanè: quia hos tres humores ſimul cum ſanguine pertinere ad veritatem, & integritatem naturæ humanæ docent ferè omnes Theologi: non ob eam rationem, quod ſint animati: conſtat enim apud omnes eos animatos non eſſe; de quo vide *Conimbricenſes 1. de Generat. cap. 4. quæſt. 24. art. 2. concl. 1*: ſed ob eam potiùs; quia aliquo modo pertinent ad integritatem naturæ humanæ, in eo ſenſu, in quo ſanguis dicitur ad illius integritatem pertinere; quamuis non eodem neceſsitatis gradu: enim vero hi etiam humores ſunt ad vitam neceſſarij, ſaltem vt ſanguinem ad debitam temperiem reducant, ob quam rationem natura prouida ſanguinem à tribus alijs humoribus non ſecernit; ſed cum illis permiſtum generat, & conſeruat in venis, vt docent omnes Medici: vnde anima tribus iſtis humoribus etiam vtitur ad aliquas vitales generationes obeundas: vnde Damaſcenus *lib. 2. de Fide cap. 12.* dicit animalia quatuor humoribus conſtare: de quo etiam vide Innocentium *in cap. In quadam de celebratione Miſſarum.* 1. De alijs humoribꝰ primarijs. Affirmatio. *Auguſt.* *D. Thom.* *Suar.* Iſti humores nõ ſunt animati. *Conimb.* *Damaſc.* *Innocent.*

Accedit; quoniam temperamentum ſiue complexio (vt barbari vocant) per ſe pendet ex miſtione proportioneuè omnium 2. Alia ratio.

Temperamenti diuiſio. nium quatuor humorum: adeò vt temperamentorum appellationes barbari cum Auicena ab humoribus ſumant, diuidentes temperamentum, in ſanguineum, bilioſum, ſeu cholericũ, petuitoſũ, ſiue flegmaticum, & melancholicum. Quo etiam modo *Galenus lib. 2. de differentijs febrium* tẽperamenta nominat, & diſtinguit. Quãuis autem idem Galenus cum communi Medicorum, & Philoſophorũ ſententia rationem, & differentiam temperamenti ex primis quatuor qualitatibus deſumãt; ita vt aliud ſit calidum, aliud frigidũ, aliud humidum, & aliud ſiccum: nõ tamen negant in tẽperamento calido plus aut ſanguinis, aut bilis reperiri: in frigido autem plus aut petuitæ, aut melancholiæ, vt benè aduertit *Valeſius lib. 1. contron. c. 7. poſt princ.* quo fit, vt qualitatũ prædominatio à prædominatione quatuor humorũ ortum habeat. Ex quibus patet nullum ex quatuor humoribus eſſe noſtræ ſubſtantiæ expertem, aut ab ea alienũ; quidquid Valeſius lib. 2. controuer. c. 4. tres poſteriores alienos appellet: non ita tamen, vt neget eos eſſe nobis naturales: nec enim ſunt præter, ſed ſecundũ naturam, vt docet Hippocrates in libello de natura humana, & probat *Valeſius lib. 1. controuer. c. 13. in principio, & c. 14. fol. 16. col. 2.*

Galenus.

Valeſius.

Valeſius.

3. Iſti humores redibũt. Cum igitur tres iſti humores ad veritatem naturæ humanę, & ad eius integritatem ſuo modo pertineant; non eſt dubium, quin in reſurrectione debeant reſtitui; ſicut & Chriſto reſurgenti ſunt reſtituti. Si verò obijcias hos tres humores non fuiſſe ad verbi hypoſtaſim aſſumptos; vel id negabis cum cõmuniori Theologorum ſentẽtia, quam nos probabiliorem iudicauimus in *materia de Incarnatione, & probabiliorem iudicauit Suarius 1. to. ad 3. p. diſp. 15. ſect. 7. in principio*: vel ſi oppoſitum magis probas (cum *Medina 3. p. q. 1. art. 2. concl. 4. & ad 3.*) negabis conſequentiam; quia non quidquid aliquo modo pertinet ad naturam humanam, fuit à Verbo hypoſtaticè aſſumptum; vt in materia de Incarnatione explicari ſolet.

An fuerint aſſumpti à Verbo.

4. Sunt reſtituendi. Ex dictis conſtat hos tres humores cũ ſanguine permiſtos proportionaliter ad complexionem, & naturale temperamẽtum cuiuſque in reſurrectione eſſe reſtituẽdos; ſunt enim neceſſarij ad ſanguinis temperiem, compoſitionemq; temperamenti. ¶ Dubitari tamen poteſt; an ſicut hi humores in corpore mortali in ſua puritate cõduntur in certis quibuſdã receptaculis, vt ex Fernelio diximus: ita etiã in eiſdem in ſua puritate ſint reſtituendi? quod dubium nullus tetigit. Ratio dubitandi eſt; quia non eſt cur illi in prędictis receptaculis reſtituãtur: cuius enim finis, aut boni gratia reſtituẽtur? maximè quia in ſua iſta puritate non videntur ad integritatem naturæ humanæ pertinere: nam fel (id eſt, bilis pura) non omnibus ineſt animantibus, vt docet *Ariſt. lib. 3. de partibus animalium c. 12. & lib. 4. c. 2. & Plinius lib. 11. naturalis hiſtoriæ c. 37.* Quod etiam de melancholia cum Plinio loco citato docuit *Magnus Albertus lib. 13. de animalibus tract. 1. c. 6.* Accedit etiam; quoniam tantùm abeſt, vt fel vitæ conſeruationi deſeruiat, vt à veteribus dictum ſit fellis vacuitatem cauſam eſſe vitę diuturnioris, vt refert *Ariſtoteles in d. lib. 4. c. 2.*

An reſtitui ſint in ſua puritate.

Ariſt. *Plinius.*

Albertus.

Videtur tamen affirmatiuè reſpondẽdum ex ea præciſè ratione, quia reſurrectio non deſtruit naturalem ordinem humanæ compoſitionis; ſed eum potiùs perficit: quare vt hi tres humores ſuis proprijs receptaculis in ſua puritate reſtituãtur, ſatis eſt, quod hæc ſit naturalis conſtitutio humanæ naturæ: quæ non parũ commoditatis ab illis humoribus conſiſtentibus in ſua puritate ad debitam & naturalem conſiſtentiam accipit, vt videre eſt apud *Medicos, & clariùs apud Conimbricenſes in 1. de Generat. c. 5. q. 4. art. 2. ad 1*: quidquid enim ad naturę conſiſtentiã, & decorem ſpectat, reddendum eſt. Quibus poſſumus addere receptacula illorũ humorum ex ſua natura tales humores ſibi vendicare; tùm ad ſui nutritionem (quanuis ſine permiſtione alicuius ſanguinis hæc non fiat) tùm ad ſui meliorem conſeruationem: denique manebunt, vt laudetur Dei ſapientia, quæ ex quatuor contrarijs hominis ſtructuram perficit. Ex quibus facilè ſoluuntur, quæ pro ratione dubitandi ſunt adducta.

5. Affirmatio.

Conimbr.

QVÆSTIO VIII.

De humoribus ſecundarijs.

ARTI-

ARTICVLVS VNICVS:

Vtrùm reſurgemus cum humoribus ſecundarijs?

1\.
De humoribus ſecundarijs.

HVmores ſecundarios eſſe quatuor omnes Medici affirmant, vt ſuperiùs aduertimus: Theologi tamen trium tantûm mentionem faciunt: roris, inquam, cambij, & glutinis: ob id nimirũ, quia vnus illorũ quatuor apud Medicos nomine caret; at tamen inter illos eſt ordine primus: nam ex ſanguine venali primum attrahũtur aliquot particulæ ad oſcula venarum minutiſsimarum, vbi primum incipiunt præparari ad nutritioné: deinde in poris recipiuntur, & incipiunt dealbari; & talis ſanguis appellatur ros: 3. magis decoctus, & dealbatus dicitur cãbium: tandem cõuertitur in ſubſtantiam membri, & dicitur gluten. Quare eadem ratio reperitur in illo humore innominato, atque in rore, & cambio.

Tres humores ſecundarij.

2\.
Quid ſit ros, & cambium.
Suarius non recipitur.

Ex qua Medicorum recepta ſententia inferes non benè aduertiſſe Suarium 1. *tom. ad 3. p. diſp. 15. ſect. 7. §. Sed quid de illis ſubſtantijs*, dùm aſſerit rorem, & cambium eſſe ſubſtantias medias inter cibũ, & ſanguinem, quaſi cibus prius conuertatur in rorem, & cambium, quam in ſanguinem: cum tamen ſint ſubſtantiæ mediæ inter ſanguinem venarum, & gluten ſubſtantiamq; membrorum aggeneratã, vt expreſſê docet *Valeſius lib. 1. controu. cap. vlt. ad finem, fol. 20. col. 1. in principio, quod ex Medicis docuerunt Conimbric. 1. de Generat. c. 5. q. 3. art. 3. in fine: & ex Theologis Franciſcus noſter in 3. diſt. 2. q. 8. not. 1. poſt 2. concluſionem: & antea id docuerunt Richardus, & D. Bonauentura, & omnes Theologi*, qui de rore, & cambio loquuntur, vt Philoſophos omittamus: idem docuit Syluester *in aurea roſa q. 31.* & meritò; quia id, quod inter cibum, & ſanguinẽ mediat exiſtens in ventriculo appellatur chylus, & in iecore dicitur chymus; quæ duo in reſurrectione non reſtituentur, quia oriuntur ex 1. cibi decoctione, quæ in reſurrectione non dabitur. Vnde nullùs vnquam dubitauit eas non redituras; nec à Verbo hypoſtaticè fuiſſe aſſumptas; quia ad veritatem natur[æ] humanæ non pertinent, nec per ſe ſunt requiſitæ ad cõſiſtentiam illius, nec inte[illegible]humores ſecũdarios enumerantur.

Valeſius. Conimbr. Fr. Franc. à Chriſto. Richard. D. Bonau.

§. 2.

Ponitur vera reſolutio.

3\.
Vera reſolutio.
Nec ros redibit, nec cãbium, bene tamen gluten.

DE his igitur humoribus dubitari poteſt, an ſint nobis reſurgẽtibus reſtituendi? cui dubitationi communis Theologorum reſpondet; rorem quidem & cambium nõ eſſe reditura (idẽ dicerent de primo humore innominato) bene tamen gluten: ita *D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 2. Richard ibidem ar. 1. q. 2. D. Bonau. art. 1. q. 1. Durand. q. 2. ad 2. n. 9. Sotus q. vnica. art. 3, ad finem: Abulenſis in c. 22. Matth. q. 241. litera C. Franciſcus noſter lib. 3. de Incarn. q. 14. fol. 93. pag. 2. & in 3. d. 2. q. 8. notab. 2. Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 3.*

D. Thom. Richard. D. Bonau. Durand. Abulenſ. Fr. Franc. Suar.

4\.
Ratio diſcriminis.

Ratio diſcriminis eſt; quia gluten eſt humor iam cõuerſus in ſubſtantiam mẽbrorum: redibit igitur cum membris: at ros & cambium, reiecto fundamẽto Suarij, adhuc in ꝓpria perfecti ſanguinis forma conſiſtunt: alterata tamen, & redacta ſub illas formas accidentarias ſolius nutritionis gratia, cum igitur in reſurrectione nutritio dari non debeat; nec etiam dabũtur illi humores ſub illa accidentali alteratione: quanuis enim ſubſtantialiter ſint ſanguis; tamen ſub illis formis ſunt in via ad cõuerſionem, & habent imperfectum ſtatũ, & ideò perfectioni, & ſoliditati reſurgentis repugnant: nec enim, vt ſic neceſſarij ſunt ad cõſiſtentiam, aut integritatem corporis. Hanc ſententiam ego puto eſſe veriſsimam, ſi ita intelligatur, vt glutinis ſubſtantia reditura ſit; non tamẽ ſub forma glutinis, ſub qua eſt ſub diſpoſitione molliſsima, nõ dùm perfectê ſolidata, vt colliges ex *Valeſio 1. controu. cap. vlt. fol. 20. col. 1. ante medium*, quod imperfectionem denotat. Media igitur ſpatia, quæ inter venulas per totum corpus diſperſas interiacent, erunt ſubſtantiæ ſolidæ, abſque vllis poris, atque vacuitatibus, quę repletione indigeant, quarũ partium naturalis calor, & temperamentum fouebitur ſanguine venarum circunſtantium.

Valeſius.

§. 3.

Adducuntur, & explicantur obiectiones.

5\.
1. obiectio.

OBijcies tamen; quoniam hi humores ſecundarij ſunt reſtituti Chriſto reſurgenti: fuerunt enim hypoſtaticè Verbo vniti, & in paſsione fuerunt

runt effuſi. Iam verò quidquid vnitũ diuinitati in paſsione fuit effuſũ, fuit Chriſto reſtitutum, cur igitur nobis non reſtituentur?

6. *Solutio Suarij non recipitur.*

6. Huic obiectioni negandum eſt antecedens: ſicut enim ros, & cambium nobis non reſtituentur; ita nec Chriſto reſtituta fuerunt. Ad primam antecedentis probationem, quæ agit de aſſumptione hypoſtatica, Suarius negat hos humores fuiſſe aſſumptos: *ita 1. tom. ad 3. p. diſp. 15. ſect. 7. ad finem 1. concluſionis, §. Sed quid de illis ſubſtantijs, & 2. tom. diſput. 47. ſect. 3. §. 2. Hinc certum eſt*: fundamentum ſumit ex eo; quia iſti humores ſunt quædam ſubſtantiæ intermediæ inter cibum, & ſanguinem, cuius perfectam naturam non dùm induerunt; quanuis ſint in via ad ipſam. Sed hoc Suarij fundamentum eſſe contra communem philoſophiam Medicorum, Philoſophorum, & Theologorũ ſuperiùs iam oſtendimus. Quare Sylueſt. *in aurea roſa, tractatu 3. q. 30. & 31.* abſolutè negat ſanguinem nutrimentalẽ fuiſſe verbo vnitum, ſub quo non ſolùm cõprehendit humores chyli, & chymi, ex quibus ſanguis reſarcitur; ſed etiam humores ſecundarios rorem. ſ. & cambium, ex quibus membra corporis nutriuntur. Nullo autem alio ducitur fundamento, niſi quod ros, & cambium à perfectione ſanguinis deficiunt, & ſunt in via ad nutritionem membrorum, & ob id nõ ſunt de integritate naturæ humanæ. ¶ Ego tñ puto longè eſſe probabilius rorem, & cãbium fuiſſe verbo hypoſtaticè vnita, vt dixi in materia de Incarnatione: cum enim hi humores à ſanguine ſubſtantialiter non diſtinguantur, ſed ſolùm accidẽtaliter (ros enim eſt ſanguis venarum attractus, & receptus in poris) profectò cũ ſanguis venarum ſit Verbo vnitus; nõ video, cur per ſolam attractionem, & accidentariam alterationem debeat à Verbo dimitti: quod enim ſemel perſonaliter vnitum eſt, non debet ſine vrgenti cauſa cõcedi eſſe dimiſſum. Nec ex hoc ſequitur hos humores in reſurrectione fuiſſe Chriſto reſtitutos, vt dicemus. Vnde licet ad primam probationem admitteremus id, quod ſumitur, non proinde daremus antecedens.

Solutio Syluestri.

7. *Propria ſolutio.*

8. *Ad 2. antecedẽtis probationem.*

8. Ad 2. eiuſdem antecedentis probationem, quę agit de effuſionę horum humorum in paſsione, quidam negant aliquem ſanguinem nutrimẽalem, & ſubinde aliquem humorem ſecũdarium in paſsione fuiſſe effuſum: quę fuit ſententia cuiuſdã *Ioannis de Poliaco, quã refert Syluester vbi ſuprà tract. 3. q. 32. col. 2. ad quam ſententiã cum formidine acceſsit Caietanus 3. p. q. 54. art. 2.* Ducuntur autem eo fundamento; quia in agonia horti totus nutrimentalis ſanguis fuit effuſus: vnde nullus fuit in Chriſto tempore paſsionis, qui poſſet effundi: ideò autem non admittunt ſanguinem nutrimentalem in paſsione effuſum fuiſſe, ne cogantur admittere eum in reſurrectione redijſſe; quaſi ſupponẽtes omnem ſanguinem in paſsione effuſum Chriſto reſurgenti fuiſſe reſtitutum.

An hi humores in paſsione Chriſti ſint effuſi. Negatiua opinio. Ioan. de Poliaco. Caiet.

9. Hæc tamen ſententia recipi nõ debet: nec enim cum probabilitate negat pro tẽpore paſsionis ſanguinem nutrimẽtalem fuiſſe in Chriſto; ſiue illũ, qui in chymo, non dùm perfectam ſanguinis formam eſt aſſecutus; ſiue eum, qui in poris ſubijt formam roris, aut cambij: nam hunc ſanguinem pro tempore paſsionis Chriſto concedit, *D. Thomas quodlib. 5. q. 3. art. 5. & latè Syluest. in d. q. 32. & nos oſtendimus in materia de Incarnatione, & probauit Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 15. ſect. 6. concl. 2*: cum enim Chriſtus in cœna paucis horis ante ſudorem comederit, & biberit; non eſt probabile cibum illum tam breui tempore fuiſſe in ſanguinem conuerſum: at in poris pro illo tempore nullum fuiſſe nutrimentum, quis credet? quod enim de Chriſti ſudore à Caietano ſcribitur, diuinationem continet: quia verius eſt Chriſtum in agonia verum ſanguinẽ ſudaſſe: & licet tunc totus humor ſecundarius ſimul cum ſanguine fortè exiuerit; tamen in reliquo tempore membra debẽbãt ex venis alimẽtum ſibi debitum naturaliter ſugere, & ad ſe allicere, cum eo naturaliter indigerent: nec enim Chriſtus tunc naturales operationes impediuit; vt etiã fatetur *Suarius 2. tom. diſput. 47. ſect. 3. §. Hinc verò probabile fit.*

Non recipitur. D. Thom. Syluest. Suar. Suar.

10. Quod ſi pro tempore paſsiõnis ſanguis ſecundarius fuit in Chriſto; cur ſimul cũ ſanguine venarum nõ fuit diffuſus? nam ſanguis iſte roſcus, cum diuiditur caro, primus exit ſimul cum ſanguine venarũ, qui dolore attrahitur, vt docent Medici, de quo Conciliator differentia 33. quare

Obiectioni occurritur.

cum

eum fuiſſe cum alio effuſum contra præcitatos Theologos melius docet Syluester, & illi, quos citat, & admittunt Nouiores. Ad probationem igitur admittendum eſt antecedens, & negandum totum ſanguinem in paſsione effuſum reſtitutũ fuiſſe Chriſto reſurgenti: quamuis enim totus ſanguis perfectus, qui in venis erat, reſtitutus fuerit (vnam, vel alteram guttam fortè aliquis excipiet) tamen nullus ſanguis ſecundarius, qui extra venas erat, reſtitutus fuit: quia iuxta communem Theologorum doctrinam ros, & cambiũ in reſurrectione non redeunt. Vnde nõ eſt audiendus *Suarius dum 2.tom. in dicta diſp.47.ſect.3.§.Hinc vero probabile fit,* abſolutè aſſerit totum ſanguinem in paſsione fuſum, in reſurrectione fuiſſe Chriſto reſtitutum.

Non omnis ſanguis in cruce effuſus fuit in reſurrectione illi reſtitutus.

Non recipitur Suarius

11. Occurritur obiectioni.

At inquies: totus ſanguis effuſus, fuit vnitus diuinitati: totus igitur fuit reſtitutus. Ad hoc Syluester cũ nonnullis, quos citat, negaret antecedens: illud probabilius negandum *eſſe aſſerit Praeceptor Frater Franciſcus à Chriſto locis citatis.* Suarius tamen *1.tom.ad 3.p.diſp.15.ſect.6.concl.2.* putat hanc ſententiam, nec piam eſſe, nec ſecuram: potuiſſet tamen à tam rigida cenſura abſtinere; cùm illa, & viris doctiſsimis placuerit, & coram Sũmo Pontifice à præſtantiſsimis Theologis defenſa fuerit. Puto igitur abſtinendum eſſe à cenſura: & antecedens eſſe concedendũ: quo admiſſo neganda eſt conſequentia: nec enim quicquid hypoſtaticè fuit Verbo vnitum fuit in reſurrectione reaſſumptum: & in rore, & cambio, id eſt affirmãdum: vt enim hi humores ad nutritionẽ Chriſti adhuc nobiſcum agenti eſſẽt neceſſarij; ad conſiſtentiam tamen vitæ ſimpliciter neceſſarij non erant: & ob id, cũ primum caruerunt ordine ad naturam humanam conſeruandam, vel per effuſionẽ, vel per mortem, ſtatim deſiere eſſe vniti: quia caruerunt ordine ad humanam naturam reaſſumendam; ſine quo ordine vnio hypoſtatica in partibus ſeparatis nõ conſeruatur.

Totũ ſanguinẽ Chriſti effuſum fuiſſe vnitũ qui negant.

Suarius eam reiecit vt parũ piam.

13. Alij obiectioni occurritur.

Rurſus inquies: ergo Chriſti corpus in reſurrectione nõ habuit totum ſanguinem, quem habuit in vita mortali: admittendum eſt conſequens; quia verè non habuit ſanguinem ſecundarium: habuit tamen totum ſanguinem, qui ſub per-

fecta forma ſanguinis ante mortem in illo fuit. Nos igitur in reſurrectione reſumemus perfectum ſanguinem in quantitate debita proprio cuiuſque temperamento: ſi verò ad hoc non ſatis eſt ille, qui fuit in vita, aliunde ſumetur: ſi verò redundauerit, relinquetur, quod ſuperfluum eſt.

An Chriſtus habeat totum ſanguinẽ, quẽ habuit in vita

14. Idem dicendum eſt de Chriſto reſurgente, ſi ſanguis, quem ante mortem habuit, ad perfectum temperamentum ob Chriſti abſtinentias non ſatis erat: quod pleriſque fit probabile: quamuis ſatius ſit abſtinentias, nihil de perfecto temperamento detraxiſſe.

15. Alia quæſt.

Vtrùm autem ob alias cauſas extrinſecas maior quantitas ſanguinis neceſſaria ſit reſurgentibus? *affirmat Suarius vbi ſuprà.* Ego tamen non puto id eſſe neceſſarium: nam vacuitates inteſtinorum, & oſsium humoribus ſibi debitis replebuntur: & plures earum plenæ erunt aère, vt dicemus lib. 4. in quæſtione, an beati loquentur in Patria.

QVÆSTIO IX.

De ſpiritibus in reſurrectione reddendis.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm reſtituendi ſint ſpiritus?

§ 1.

De diuiſione ſpirituum.

1. Diuiſio ſpirituum.

Spiritus à Medicis & Philoſophis vocatur ſubſtantia quędam tenuis ex puro, & defecato ſanguine elaborata, quæ ob ſui tenuitatem, velut quædam aura tenuis refrigerat: diuiditur autẽ in ſpiritum inſitum, & in influentem. Inſitus à generante virtute ſeminis ſimul cũ ſanguine & vita datus eſt, Influens verò à principe aliquo membro (corde. ſc. cerebro, & iecore) in reliquas partes corporis perpetuò amandatur.

2. Subdiuiſio

Vterque diuiditur in vitalem, & animalem: plerique Medicorum addunt tertium membrum. ſc. naturalem. Vitalis eſt, qui ad tuendam vitam, à corde vitæ fonte per artereas decurrit. Animalis à cerebro omnium animalium operationũ principio per neruos ad functiones ſenſitiuas

tiuas diſpēſatur. Naturalis à iecore in ſingulas corporis partes diffunditur ad ſingularum concoctionem adiuuandā; quãuis à Philoſophis iſte tertius ſpiritus non recipitur. Dari hos ſpirit⁹ in animali multis argumentis oſtendunt tum Medici, tū Philoſophi: de quibus latè *Thomas de Garbo in ſua Sūma medicinali lib. 1. tract. 4. q. 31 Fernelius lib. 4. Phyſiologiæ, qui eſt de ſpiritibus, & de calido innato, & lib. 2. de abditis rerum cauſis Valeſius lib. 2. controuerſ. cap. 4. ex Philoſophis lege Conimbricenſes 1. de Generation. cap. 5. q. 2.*

Thomas de Garbo. *Fernelius.* *Valeſius.* *Conimb.*

§. 2.

Reſoluitur pars affirmatiua.

3. Affirmatiua eſt vera. *Suarius.*

DE ſpiritibus inquiri poteſt; an in reſurrectione neceſſario ſint corpori reſtituendi? affirmatiuè reſpondendum erit, cum *Suario 1. tom. ad 3. p. diſp. 15. ſect. 7. §. Dices ergo*: nam cum ſint naturaliter neceſſarij, tùm ad conſeruandam vitam, tùm etiam ad munia vitæ obeunda, vt Medici, & Philoſophi demõſtrant, non poſſunt non pertinere ad naturalem naturæ humanæ conſiſtentiam, & ſubinde ad veritatem illius, integritatemque: ſiue illi animati ſint, vt quidam volunt; ſiue non ſint, vt habet verior opinio, de qua *Conimbricenſes 1. de Generatio. cap. 4. q. 24. art. 2. concl. 2.* At tamen manebunt incorruptibiles, nec euaneſcent, vt euaneſcunt in nobis: non tamen erūt ſemper in vno loco ſtabiles; ſed poterūt huc; & illuc decurrere pro neceſsitate operationis obeundæ; abſque vlla tamen corporis alteratione: hanc enim localem motionem, & diſcurſum, tàm in ſpiritibus, quàm in ſanguine, alijsque humoribus videtur concedere *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 6. §. 4. igitur certiſsimum*: nam iſte ſpirituum diſcurſus videtur in Patria neceſſarius, ſi in ea dādi ſunt affectus appetitus ſenſitiui, & actus ſenſuum exter norum. Quomodo autem id fieri poſsit, ſi nulla danda eſt ſpiritum, aut generatio, aut corruptio, dicemus *in lib. 3. ſequente q. 3. art. 2.* Vtrùm autē ſpiritus iſti fuerint Verbo hypoſtaticè vniti? pleriq; dubitāt: affirmatiua pars videtur probabilis, vt dixi mus in materia de Incarnatione: vide *Suarium in dicta diſp. 15. ſectio. 7.* Illos Chriſto reſurgenti fuiſſe reſtitutos certiſsimum eſt ob cauſas explicatas.

Conimb. *Suarius.*

An ſpiritus fuerint vniti Verbo. *Reſtituti ſunt Chriſto.*

§. 2.

Eſſe reddendos eoſdem numero.

4. Redibunt ijdem numero cōtra Durandū.

DVrandus in 4. diſt. 44. q. 2. ad finem, putat humores iſtos, de quibus diximus, non eoſdem numero, ſed eoſdem ſolum ſpecie reſtituendos eſſe. Fundamentum eſt; quia cum illi habeant in nobis formam ſubſtātialem propriam, quæ per mortē corrupta fuit, nō poſſunt ijdem numero, etiam diuina potentia, redire.

5. Non recipitur illius fūdamentum.

Sed & fundamentum eſt falſiſsimum, vt lib. 1. latè oſtendimus; & cōcluſio, ſaltem de ſanguine, non eſt ſatis tuta: quia natura humana ex carne, & ſanguine ſuo modo conſtituitur. Quare ſi eadem numero caro ſecundum fidem redire debet; cur non redibit idem numero ſanguis? quod ſi admittis (admittere autem debes) cur idem non dices de cæteris humoribus, & ſpiritibus? Nam Chriſto Domino eoſdē numero humores in reſurrectione reſtitutos eſſe negandum non eſt. ¶ Et ita impoſitus eſt finis huic ſecundo lib.

(.?.)

Finis Libri Secundi.

IN

INDEX QVÆSTIONVM
Huius tertij Libri.

PRÆFATIO.

QVÆSTIO PRIMA.
De quantitatiua perfectione, & de ijs, quæ ad eam pertinent.

Art.1. An omnes beati ſint reſurrecturi cum quantitate?

Art.2. An omnes ſancti ſint reſurrecturi in quantitate perfecta naturaliter debita complexioni?

§.1. Ratio dubitandi.

§.2. Vera reſolutio.

§.3. Soluuntur argumenta.

§.4. Pro ſolutione quarti argumenti agitur de quantitate infantium, & pygmæorum.

§.5. Pro ſolutione quinti argumenti agitur de quantitate gigantum.

§.6. Pro ſolutione vltimi agitur de quantitate, in qua Chriſtus reſurrexit.

Art.3. In qua nam ætate iuſti reſurgent?

§.1. Reſoluitur quæſtio.

§.2. Occurritur cuidam dubio.

Art.4. In quo *annorum numero reſurgent iuſti?*

§.1. Reſolutio communis cum illius explicatione.

§.2. Corollarium de his, qui ante diluuiũ vixerunt.

Art.5. An omnes reſurgent in ſtatura æquali? & quomodo?

§.1. Prima concluſio.

§.2. Secunda concluſio.

§.3. Ponitur 3. concluſio.

QVAESTIO II.
De identitate quantitatis, quæ fuit in via.

Art. Vnicus: An in eadem numero quantitate reſurgemus?

§.1. Referuntur duæ opoſitæ ſententiæ.

§.2. Expenduntur argumenta, quibus pars affirmans confirmatur.

§.3. Affertur ratio probabilis.

QVAESTIO III.
In quo gradu certitudinis habenda ſint, quæ diximus.

Art. Vnicus: De eadem quæſtione.

QVAESTIO IIII.
De perfectione qualificatiua corporis glorioſi.

Art.1. An in corpore glorioſo admitti debeant primæ quatuor qualitates?

§.1. Refertur pars negans.

§.2. Affirmatiua eſt vera.

§.3. Soluitur fundamentum partis negantis.

Art. 2. An reſurgemus cum debito corporis temperamento, & complexione?

§.1, Reſurgemus cũ proprio tẽperamento.

§.2 Reſurgemus cum temperamẽto ad iuſtitiam.

§.3. Varia eſſe temperamenta.

§.4. Erit temperamentũ ætatis iuuenilis,

QVAESTIO V.
De qualitatibus ſecundis.

Art.1. An ſanitas corporis glorioſi futuri ſit exactiſsima?

§.1. An ſanitas perpetua, & perfecta?

§.2. Erit perfectiſsima ſanitas ad normã Philoſophorum.

§. 3. Erit perfectior, quam fuerit in ſtatu innocentiæ.

§.4. An futura ſit perfectior, quam fuerit ſanitas Chriſti in vita mortali?

Art.2. An corpora glorioſa futura ſint colorata?

§.1. Affirmatiuè reſpondendum eſt.

§.2. An omnia corpora beata futura ſint alba?

Art 3. Quid de duritie, mollitie denſitate, & de cæteris qualitatibus ſecundis?

§.1. De duritiè, & mollitie.

§.2. Habebunt debitam denſitatem.

§.3. De grauitate: craſsitiè, & tenuitate; de humiditate, & ariditate.

Art.4. An hæ qualitates eædem numero ſint redituræ?

Art.5. Quid de figura, & pulchritudine corporis glrioſi.

FINIS.

LI-

LIBER TERTIVS,

DE PERFECTIONE ACCIDENTALI, QVÆ pertinet ad eſſe corporis glorioſi.

Præfatio ad totum Librum.

1. Ordo dicendorumq́ EGIMVS in præcedente lib. 2. de perfectione naturali, & ſubſtantiali corporis glorioſi: ſupereſt, vt agamus de perfectionibus naturalibus, accidentarijs tamen eidem glorioſo corpori. Perfectio autem accidentalis duplex eſt: vna, quę pertinet ad eſſe eiuſdem corporis: altera; quæ ſpectat ad naturales facultates, & potentias illius. De vtraque agendum erit: de priori agemus in hoc tertio libro; de poſteriori autem in lib. 4. ſequente: nam eſſe prius eſt, quàm operari.

2. Diuiſio perfectionū. Diſputaturi de perfectionibus naturalibus, & accidentarijs corporis glorioſi; præmittendum eſt, eas bipartito diuidi: quia aliæ ſpectant ad quantitatem; aliæ ad qualitatem. Duplex igitur erit perfectio accidentaria pertinēs ad eſſe corporis humani: quædam eſt perfectio quantitatiua; quædam verò qualificatiua: quia verò quantitas prior eſt, quàm qualitas, vt patet ex prædicamentis Ariſtotelis, & ex lib. 5. Metaphy. eiuſdem; prius agendum erit de perfectione quantitatiua; deinde de qualificatiua.

3. Triplex perfectio quantitatiua. Acturi igitur de perfectione quantitatiua aduertimus, illam eſſe triplicem. Prima poſita eſt in integritate omnium partium: ſecunda in debita ſingularum partium magnitudine, ex qua reſultat magnitudo totius: tertia denique conſiſtit in debita partium compoſitione penes ſitū, & continuationem. Tres autem de perfectione quantitatiua excitabimus quęſtiones. Prima inquiret de ipſa quantitatiua perfectione in ſe, & de ijs, quæ ad eam pertinent. Secunda explicabit; an in reſurrectione reſtituenda ſit eadem numero quantitas, quam in vita habuimus. Tertia denique; in quo nam gradu certitudinis habenda ſint, quæ de quantitatiua perfectione explicabimus.

QVÆSTIO I.

De quantitatiua perfectione in ſe, & de ijs, quæ ad eam pertinent.

PRrima quæſtio ſequentes habet articulos. Primus erit; an omnes beati ſint reſurrecturi cum quātitate? Secundus; an omnes reſurgent in quantitate peſecta, quæ propriæ complexioni debetur? Tertius; in qua nam ætate omnes iuſti reſurgent? Quartus; in quo nam annorum numero. Quintus; an omnes reſurgent in æquali ſtatura.

ARTICVLVS I.

An omnes beati ſint reſurrecturi cum quantitate?

IN hac quæſtione fuerunt quidam hæretici, qui negauerunt, homines iuſtos reſurrecturos cum quantitate; illi, qui dixerūt, homines fore reſurrectos in corpore ſpirituali, & immateriali, quod fingebant eſſe quantitatis expers. De hoc 1. Opinio hæreticorum.

errore

errore egimus in 1.q.libri ſecundi. Contra hunc errorem Catholici ſemper docuerunt, Imò etiam Origenes, & Eutyches; qui licet negauerint corpora reſurgentiũ futura eſſe humana; non tamen negauerunt,futura eſſe materialia, & corporea; quia illa poſuerunt aerea, vel æthera,figuræque rotundæ: in quo etiã turpiter errauere, vt in ſuperioribus oſtendimus.

3. Vera reſolutio.

Dicendum eſt igitur,homines non ſolùm reſurrecturos eſſe cum quantitate; ſed cum quantitate organizatiua corporis humani. Prima pars huius reſolutionis

1.Pars confirmatur.

Theologicè probari poteſt, primò, quia Chriſtus veriſsimum noſtræ reſurrectionis exemplar reſurrexit in corpore quãto, viſibili, & palpabili, iuxta illud Lucæ 24. *Palpate,& videte: quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet.* Secundo; quia dotes ſupernaturales corporis glorioſi non poſſunt, niſi in corpore quãto ineſſe, vt lib. 5.oſtendemus. Tertio; quia noſtrum corpus,niſi eſſet quantum,non indigêret dote incorruptibilitatis: nam ſine quantitate corruptioni ex ſua natura nõ ſubiaceret. Quarto loco probatur ratione naturali:quoniam fides oſtendit,iuſtos reſurrecturos cum vera materia,corporibuſq; verè materialibus: conſtat autem ex Philoſophia, omne materiale eſſe quantum, & è contrario,vt ſæpe docet *Ariſtoteles in 6.Phyſicorum.* Quæ materiæ cum quantitate reciprocatio infert inter materiam,& quantitatem dari naturalem coniunctionem; ita vt quantitas ſit materiæ, materialiſque ſubſtantiæ proprietas, & affectio; ſiue illa veluti effectiuè reſultet, vt quidã putãt,ſiue ſit debita ratione potentię paſſiuæ,vt alij volunt.Quæ coniunctio adeò eſt naturalis,& intrinſeca,vt plures exiſtimauerint,quãtitatem eſſe materię coæuã, ab eaque inſeparabilem;non ſolum naturaliter, ſed etiam ſupernaturaliter, vt putant *Capreol.in 2.diſt.18.q.vnica, & Soncinas 5.Metaph.q.22.Ferrarienſis in 1.Phyſicor.q.3.*. Addunt alij,fieri diuina potentia nõ poſſe, vt forma aliqua materiam ſine quantitate informet;ita *Aegidius in 1. diſt.23.q.2.Henricus quodlibet.7.quæſt.17. Maironius in 4.diſt.15.q.8.eſt de mente* D. *Thomæ docet Capreolo in 1.diſt. 42.q. 1.& in 2.loco citato, cum Soncinas, & Ferrarienſi vbi ſupra.* Quamuis autem neutra

Luc.24. Ariſtot. Capreol. Soncinas. Ferrar. Aegid. Henricus. Maironius D. Thom. Capreol. Soncin. Ferrar.

ſententia placere debeat (nec enim *placet Scoto in 4.diſt.10.q.2.Baſſolio diſt.12.q.2. Argentinæ in 3.diſt.5.q.1.art.1. Fonſecæ in 5.Metaph.cap.13.q.2.ſect.3. ad 4. Conimbricenſibus 1.Phyſicorum cap.9.q.11.art.4. ad 1.*) non eſt tamen negandum non decere,vt Deus in reſurrectione ſubſtantiã corporis à quantitate ſepararet:tùm,quia non decet, vt perpetuo vtatur miraculo: tùm ſecundo, quia reſurrectio non foret perfectiſsima;quia deeſſent naturales perfectiones. Tùm tertio; quia non reſurgeremus,quales in vita fuimus,cõtra id, quod fides docet.

Scotus. Baſſol. Argent. Fonſeca Conimbr.

Poſterior verò pars aſſertionis inde probatur; quia conſtat ſecundum fidem nos 3.
fore reſurrecturos in corporibus verè humanis,& ſubinde cum quantitate organizante, atque inter ſe diſtinguente corporis humani membra;atque etiam componente,& ſituante ſingula ordine, & ſitu ſingulis debito: aliter enim non iam corpus humanum, ſed monſtrum deforme cõponeret.

2.Pars parã cõfirmatur.

Reſurgemus igitur cũ integritate omnium partium corporis humani; & cum naturali illarum compoſitione quoad ſitum,& continuationem. In qua autem magnitudine reddenda nobis ſit quãtitas, & totius, & ſingularum partium, in ſequentibus oſtendemus.

Reſolutio.

ARTICVLVS II.

An omnes ſancti reſurgent in quantitate perfecta complexioni debita?

§. 2.

Ponũtur plures rationes dubitandi.

IN hac quæſtione ratio dubitandi ex multiplici capite ſumi poteſt. Primo, 1.
quia noſtra reſurrectio futura eſt ad exemplar reſurrectionis Chriſti. Omnes igitur erimus eiuſdem ſtaturę, & magnitudinis, in qua Chriſtus reſurrexit: ſed illa eſſe non poteſt naturalis complexioni ſingulorum; quia non eadem complexio in omnibus datur. Non eſt igitur,neceſſarium, vt omnes reſurgamus in quãtitate perfecta, quæ ſingulis nobis naturaliter debetur.

1.Ratio dubitandi.

Secundo; quia quantitas determinata præciſè non ſequitur materiam, ſed for- 2.

Secunda.

mam

mam, vt omnes fatentur. Sed in omnibus reſurgentibus eadem erit forma; quia in omnibus eadem erit anima eiuſdem rationis, ergo in omnibus eadē erit quantitas.

3. Tertia. Tertio; omnes reſurgent in eadem ætate, vt dicemus. Cur igitur non omes reſurgent in eadem ſtatura,

4. Quarta. Quarto; hi, qui vel in vtero, vel in pueritia moriuntur, quomodo poſſunt in perfecta quātitate reſurgere? etenim parua illa quantitas, in qua mortui ſunt, ad tā tam magnitudinem peruenire non poterit, etiam ſi rarefiat.

5. Quinta. Quinto; dantur homines mōſtruoſæ quantitatis, tàm quoad paruitatem, quàm quoad magnitudinem, vt patet in nanis, pygmæis, atque in gigantibus, in quibus quantitas proprię cuiuſque complexioni naturaliter reſpōdet. At tamen nec gigantes reſurgent in quantitate gigantea; nec pygmæi in puſilla, quam habuerunt, vt omnes fatentur.

6. Sexta. Sexto; Chriſtus Dominus non videtur reſurrexiſſe in quantitate perfecta ſuæ cōplexionis: quia ſurrexit in ea quātitate, in qua fuit mortuus: illam autem non fuiſſe maximam, quam naturaliter potuiſſet acquirere, ſuadere videntur ieiunia, & abſtinentiæ, quibus corpus macerabat: nec enim fuit applicata tanta materia, quanta ad acquiſitionem perfectæ quantitatis erat neceſſaria.

§. 2.

Ponitur vera reſolutio.

7. Vera reſolutio. HIs tamen non obſtantibus, omnes Theologi reſpondent, cūctos reſurrecturos fore in quantitate perfecta, quæ proprię cuiuſque complexioni naturaliter eſt debita. Ita Theologi *in 4. diſt. 44. vbi D. Thomas q. 1. art. 3. quæſtiuncula 2. Richard. art. 1. q. 9. D. Bonauentura in Expoſitione textus litera A. Scotus q. 1. art. 2. concl. 2. M. Durand. q. 3. nu. 6. Baſſolius q. 1. art. 2. §. Secundo dico, Ouandus propoſit. 11. Sotus q. vnic. artic. 4. concl. 1. & 2. & cæteri ſcribentes, Abulenſis in capite. 22. Matth. q. 245. & 241. Angles in Floribus de reſurrectione art. 6. dub. 2. difficul. 3. Suarius 2. to. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 4. & diſp. 50. ſect. 1. §. Secundo conſiſtit.* Denique eſt omniū conſenſu receptiſsima.

D. Thom. Richard. D. Bonau. Scotus. Durand. Baſſol. Ouand. Sotus. Angles Suarius.

8. Hæc opinio primum confirmatur authoritate Patrum: eam docet *Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 14. 15. 16. & 20. & in Enchyridione cap. 90. ſatis eam explicauit ſermone 143. de tempore: poſt Auguſtinum id docuit Anſelmus in ſuo Elucidario pagina 272. col. 2. & in Epiſt. ad Epheſios cap. 4. ad illa verba: In menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: & iiſdem verbis Sedulius ad eadem verba relatus à Gloſſa Ordinaria ibid. Adde Hugonem de Sancto Victore q. 25. ad eãdem Pauli Epiſtolam to. 1. referri ſolet in tracta. de reſurrectione cap. 15.* quem librum apud eum inuenire non potui. Confirmatur ex Patribus. *Auguſtin. Anſelm. Sedulius. Hugo.*

Deinde confirmatur; quia Chriſtus reſurrexit in magnitudine perfecta, quæ ſuo temperamēto naturaliter debita erat, vt ſatis inſinuat Auguſtinus in dicto lib. 22. de Ciuitate cap. 15. & docent omnes Theologi. Id autem plerique Patrū colligunt ex verbis Pauli ad Epheſios 4. *Donec occurramus in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*; de quibus ſtatim dicemus: decebat enim, vt ſicuti Adamus perfecta magnitudine creatus fuit; ita & Chriſtus ad perfectam ſuæ cōplexionis magnitudinem, non ſolum reſurgens, ſed etiam viuens perueniret; ne aliqua naturalis perfectio corpori Chriſti deeſſet. Ergo ſinguli beati reſurgent in magnitudine perfecta ſuę complexionis. Hanc conſequentiam inde probat Auguſtinus in dicto cap. 16: quia Chriſti reſurrectio eſt noſtræ reſurrectionis exēplar, cui prædeſtinati conformari debent: ſicut enim in corporū immortalitate Chriſto conformabūtur; ita in magnitudinis perfectione: etenim id cedet in perfectionem exemplatæ perfectionis. 9. 1. Cōfirm. *Ad Epheſ. 4.*

Tertio; opus reſurrectionis non erit minoris perfectionis, quā fuit opus creationis; imò maioris, cum homo creatus ſit ad mortalem vitam, reſurgat autem ad immortalem, vt ait *Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 11.* Sed primi parentes fuerunt creati in magnitudine perfecta cuique connaturali, vt docent omnes Theologi cum Magiſtro in 2. diſti. 17; & ſatis inſinuat *Auguſtinus 6. ſupra Geneſim ad literā c. 13.* fuerūt enim animo, & corpore perfectiſsimi, vt concors eſt omnium Patrū doctrina: nec obſcure deducitur ex verbis Geneſis 1. *Creſcite, & multiplicamini:* & ex illis. *Dixitque Deus, ecce dedi vobis,* & rurſus ex illis cap. 2. *Tulit ergo Deus hominem &* 10. 1. Ratio. *Auguſt. Geneſ.*

11. 4. Ratio. *& poſuit illum in Paradyſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.*

Quarto ratione probabitur: quoniã in reſurrectione anima erit in ſũma perfectione naturaliter ſibi debita, etiã, quaten⁹ eſt actus corporis ſicut omnes admittũt. Sed nõ habebit ſummã perfectionẽ naturaliter ſibi debitã in ratione actus, niſi actuet corpus in maxima quantitate, quã ſecundũ naturalem diſpoſitionẽ actuare poteſt tale enim corpus eſt adæquatè ſibi ꝓportionatũ in ratione actus: etenim minus virtutem actuandi non exæquat; maius verò naturalẽ eius diſpoſitionem excedit. Ergo omnes reſurgemus in maxima quantitate cuique connaturali.

12. Cõfirmatur Cõfirmatur: q̃a facultas augẽdi eſt ꝓportionata, & ęqualis virtuti informatiuę: nã propter hanc illa data eſt: ſed vis augendi nõ habet opus adęquatè perfectũ, niſi cũ redigit corpus ad maximã quantitatẽ, ad quã rectè diſpoſita terminatur: tũc enim ceſſat à motu augmentationis, quaſi aſſecuta vltimũ ſuum finẽ, vltimãq; ſuam perfectionẽ. Ergo nec vis informãdi corpus in actuando erit adæquatè perfecta, niſi quãdo informauerit corpus ſub maximã quantitate, quã ſecundum naturalẽ diſpoſitionem ſibi determinat: enim vero tunc quaſi iam obtento ſcopo, terminoq; ſuæ perfectionis in actuando fit in ſtatu conſiſtentiæ nec appetit informare corpus magnitudinis maioris: ob hanc enim rationem primi parentes in perfecta corporis magnitudine creati ſunt.

§. 3.
Soluũtur argumenta.

13. Ad 1. NEc huic reſolutioni obſtãt argumenta adducta §. 1. Ad primũ dicimus, perfectã rationem exẽplaris nõ eſſe poſitã in omnimoda æqualitate arithmetica, ſed in geometrica, & proportionali, vt dicemus art. 4. ad finẽ primę conluſionis. Admittimus igitur, noſtram reſurrectionẽ futurã eſſe ad exẽplar reſurrectionis Chriſti; non quidẽ ſecundum æqualitatem arithmeticam, quaſi in omnibus ſit illi ſimilis: ſed ſecundũ æqualitatẽ, & ſimilitudinẽ proportionis. In quo ſenſu admiſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: quia ſicut Chriſtus reſurrexit in quãtitate debita ſuæ naturali cõplexioni, ita etiã omnes reſurgemus in quãtitate naturaliter debita cõplexioni cuiuſq;.

Ad ſecundum omnes reſpõdent cum *D. Thoma in 4. diſt. 44. q. 1. art. 3. quæſtiun. 2. in corp. & ad 2.* quantitatem in indiuiduo ſequi formam, etiam in indiuiduo: hæc enim determinat ſibi in ſingulari certam, & determinatam magnitudinem, quam tamen determinat forma in ſpecie, cum termini ſpecifici quantitatis habeant latitudinem. Iam verò forma in ſingulari nõ eſt eadem in omnibus reſurgentibus, ſed in ſingulis eſt diuerſa, 14. Ad 2. D. Thom.

Ad tertium neganda eſt conſequentia: rationem diſcriminis, cur omnes in eadẽ ætate reſurgant, inferius reddemus. Ad 3.

§. 4.
Pro ſolutione quarti agitur de quantitate infantium, & pygmæorum.

AD quartum argumentum quidam reſpondent, infantes, & eos, qui vitio naturæ paruitatis defectũ patiũtur, ad debitam naturæ ſuæ magnitudem eſſe reducendos, abſque vlla, aut præcedẽtis materiæ rarefactione, aut nouæ acceſſione: quæ fuit ſentẽtia *Magiſtri in 2. diſt. 30. quam ſequitur Aegidius ibidem q. 2. art. 1. §. Eſt autem alius modus pagin. 427. col. 2. & in fine articuli, & idem Aegidius in eodẽ ſecũdo diſt. 18, putat eſſe probabiliorem D. Bonauentura in 4. diſt. 44. in fine Commẽtarijs*: qui omnes volunt, corpus infantium multiplicatione eiuſdem materiæ ex paruo futurum eſſe magnum, idque diuina, atq; miraculoſa actione. 15. Ad 4. de infantibus. Opinio. Magiſt. Aegid. D. Bonau.

Hæc opinio, relicto fundamento Magiſtri inde cõfirmatur: quoniã ſi acceſſu nouæ materiæ infantes, & pygmæi magnitudinẽ iuuenilem acciperent, iam non cum ſuo, ſed cum alieno corpore reſurgent: illis enim conferenda erit materia ſpetuplo, verbi gratia, maior, quàm habuerunt: quæ inſignis materiæ diuerſitas cũ identitate eiuſdẽ numero corporis ſimul ſtare nõ poteſt. At ſi præcedẽtis materiæ rarefactione eã magnitudinem habituri ſunt; vtique non erunt reſurrecturi cum denſitate ſibi connaturali. Relinquitur ergo, vt abſq; vlla, aut rarefactione, aut acceſſione nouæ materiæ ad iuuenilem ſtaturã diuinitùs ſint peruenturi: nam paruum diuina potentia poſſe fieri magnum abſque acceſſu nouæ mate- 16. Cõfirmatur

riæ, aut præcedentis rarefactione grauiſ-
Magiſt. ſimi; docent Theologi: *Magiſter in 2. diſt.*
Hugo. *30. & latius diſt. 18. Hugo de S. Victore lib.*
Aegid. *1. de Sacramentis p. 6. cap. vlt. Aegidi. in*
Altiſiodo. *vtroque cit. loco; & quodlib. 2. q. 11. Altiſio*
Henric. *dorenſ. lib. 4. q. de veritate naturæ humanæ,*
Lyra. *Henric. quodlib. 4. q. 9. Lyra in c. 2. Geneſis*
Richard. *ad illa verba: Et ædificauit carnem pro ea,*
Gabriel. *Durand. in 2. diſt. 18. q. 1. Argent. q. 1. ar. 4.*
Conimb. putant id eſſe probabile *Richard. ibid. ar. 1. q. 1. ad 6. & Gabriel q. vnic. art. 3. dub. 1. Conimbric. 1. de Generat. c. 5. q. 18. art. 2.* Qui omnes, & pleriq; alij putant, Euam fuiſſe formatã ex Adami coſta, & panes hordeaceos in deſerto fuiſſe à Chriſto multiplicatos, abſque vlla, aut materiæ acceſsione, aut rarefactione.

17. *Vera opinio* Dicendũ eſt tamẽ cum cõmuni Theologorum, cõplementũ ſtaturæ infantiũ, eorũ, qui paruitatis defectũ patiuntur, faciendũ eſſe additione materię aliunde ſũptæ. Quæ fuit opinio *D. Thom. in 4. d. 44. q. 1. art. 2. quæſtiun. 4. ad 3. & art. 3. q. 2. in fine, & 4. cont. gent. c. 81. ad 4. obiectionẽ, vbi Ferrar. §. Conſiderandũ tertio, probant Sotus in 4. diſt. 44. q. vnica art. 2. concl. 2. & ad 3. Ouand. ibid. propoſ. 11. & ſatis Richard. ar. 1. q. 9. Abul. in c. 22. Matth. q. 246. lit. E. & ad 3. Conimb. 1. Phyſ. c. 9. q. 5. art. 3. ad finẽ, & in 1. de Generat. c. 5. q. 11. art. 3. ad 1. latè Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 2. §. Ex quo etiã facilis eſt, pag. 809. col. 2. & eſt Recentiorum concors ſententia.*

D. Thom. Ferrar. Sotus. Ouand. Richard. Abulenſ. Conimbr. Suarius.

18. 1. Argu. Quæ opinio inde nõ improbabiliter cõfirmatur; quia verius eſt, paruũ nõ poſſe fieri magnum, etiã diuina potentia, abſq; nouę materiæ acceſſu, aut præcedentis rarefactione: quod docuit *D. Tho. 1. p. q. 92. ar. 3. ad 3. & q. 119. art. 1. & vtrobiq; Caiet. idẽ D. Thom. in 2. diſt. 18. q. 1. ar. 1. & d. 30. q. 2. art. 1. Capreol. in 2. d. 19. q. 1. art. 1. cõcl. 2. & art. 3. ad argumenta contra eandẽ, & ibidẽm Soncinas q. 1. concl. 2. & 8. Metap. q. 4. Greg. in 2. d. 18. q. 1. vbi etiã Baſſol. Mayronius, Maior, & Carthuſian. latè Abulen. in c. 13. Geneſis q. 383. & in c. 22. Matth. q. 243. contra primã opinionẽ, Benedict. Pereira lib. 4. in Geneſ. q. 5. Suar. in d. diſp. 44. loc. cit. & ſententiã eſſe longè probabiliorẽ, aſſerunt Conimbr. 1. de Generat. c. 5. q. 18. art. 2. eam magis probat Richard. in 2. d. 18. ar. 1. q. 1. ar. 6.* Qui omes exiſtimãt, Euã ex coſta Adami fuiſſe formatã additione nouę materię, & eodẽ modo panes deſerti à Chriſto fuiſſe multiplicatos. Quæ opinio mihi videtur veriſsima; quia nec facilè intelligo, quomodo eadẽ materia maiori quãtitati ſubſternatur ſine ſui rarefactione: nã id contingere multiplicatione eiuſdem materiæ magis videtur intelligibile; vt omittã vnã, & eandẽ materiã habere certã, & determinatã capacitatẽ, etiã obedientialẽ: quæ tũ negari debet, ſi aliorum opinio eſt vera.

D. Thom. Caietan. Capreol. Soncinas, Baſſol. Mayron. Carthuſia. Abulenſis Pereira, Conimb. Richar.

19. *Ampliatio.* Sed demus aduerſarijs ſuã opinionẽ in ordine ad diuinã potentiã eſſe probabilẽ; adhuc dicendum puto ſuppelementũ maioris quantitatis in reſurrectione infantiũ de facto nõ niſi additione nouæ materiæ faciendam eſſe. Primò, quia hęc abſq; dubio fuit ſententia *Auguſt. in Enchyridione c. 85.* dũ ait: *Infantibus implendũ eſſe, quod formæ defuit.* Ne verò id intelligas de ſola quantitate, generaliter aſſerit, *naturam nõ eſſe fraudandã eo, quod dies allaturi fuerant.* Iam verò ſi viuerent, non ſola quantitas, ſed noua materia, ſimul cum noua quantitate aduenire debebat. Et vt omne dubium relinquas, *eodem lib. c. 89. de materia* ita ſcribit: *Ita moderabitur in vnoquoque materies, vt ne aliquid ex ea pereat; & quod alicui defuit, illi ſuppleat.* Quod materiæ ſupplementum ſine materiæ additione non intelligitur. Expreſsius id docuit *lib. 22. de Ciuit. Dei c. 19.* dum ait: *In reſurrectione, quæ parua ſunt, ita eſſe corrigenda, vt id, quod minus eſt, quàm decet, vnde creator nouit, inde ſupplebit: & quod plus eſt, quàm decet, materiæ ſeruata integritate, detrahetur.* Ergo ex ſententia Auguſtini, ſicut quod materiæ eſt ſuperfluum, detrahendum erit; ita quod illius minus eſt nouæ materiæ acceſſu ſupplebitur. Et adhũc ſenſum intelligenda ſunt, quæ de perfecta quãtitate infantibus reddenda ſcribit *in d. lib. 22. c. 14.* dũ ait: omnes ſtatim ab ipſa cõceptione habere perfectionem ſuæ iuuentutis: non quidem mole, ſed ſeminali ratione: quia nimirum ſicut omnia membra in ratione natiuæ materiæ iam inſunt; ita & tota materiæ perfectio, quæ eſt nutritione habẽda: quare, ſicut infans, ſi viueret, acceſſu nouæ materiæ futurus erat maior; ita etiam nouę materiæ acceſsione in reſurrectione maior euadet.

Auguſt.

20. 2. Argum. Ex qua doctrina ſecundum argumentum ſumi poteſt, nam ſicut, quæ ſupereſt quãtitas, eſt in reſurrectione reſecãda, ita etiam, quæ deeſt, eſt ſupplenda. Sed quãtitas

titas ſuperflua ita eſt reſecanda vt cum ea ſimul reſecetur pars materiæ ſuperfluæ. Ergo quantitas minor minori ita ſupplebitur, vt ſimul cum ea ſuppleatur, quæ deeſt materia.

21. Tertio adhuc cōfirmatur: quia miracula non ſunt admittenda ſine cauſa: nulla autē dari poteſt, quæ ad illud miraculū cogat. Qui enim impedit Deū ſupplementū illud facere acceſſu nouæ materiæ? At, inquies; reſurrectio eſt miraculoſa: fateor eam eſſe ſupernaturalē in hoc idem numero in vitā reddit: at nō eſt neceſſe, vt omnia, quæ in reſurrectione fiunt, miraculoſa fiant: nam etſi corpus ſupernaturaliter diſponitur, vt fiat capax animæ; quia in inſtanti diſponitur: at ſemel diſpoſitū, non ſupernaturaliter, ſed naturaliter recipit animā, & cum ea componit hominem ſimiliter anima ſupernaturaliter applicatur corpori: applicata tñ, non ſupernaturaliter, ſed virtute ſua naturali illud actuat. Igitur etſi Deus ſupernaturaliter infātem ad perfectā quantitatem perducit; tñ quoad modum reducendi nō indiget miraculo; ſed modo naturali, & per additionē nouę materię illud ſupplemētū faciet: id enim cedit in maiorē reſurgentis perfectionē, quod facilè oſtenderemus, ſi cōſideratius expēderemus modū, quo maior magnitudo ſine acceſſu nouæ materię fingitur à *Conimbr. in dicta q. 10. art. 3.* *Conimb.*

22. Occurritur obiectioni. Nec inde inferri poteſt, infantes reſurrecturos fore in alio numero corpore: qa licet totalis materiæ diuerſitas faciat corpus numero diuerſum; nō tamen quādo nō eſt totalis, ſed per additionē ad prçcedentem fit, quantumvis illa inſignis ſit, & lōgè maior: maximè, quādo materia, quæ augetur, principalis eſt, & radicalis totius cōpoſiti, virtute ſeminali cōtinens totam additionē: tū enim materia de nouo addita aduenit, tanquā quid adiectitiū, & acceſſoriū: quæ eſt *Auguſt. mens in d. lib. 22. de Ciuit. c. 15*: ob hanc enim cauſam corpus Euæ dicitur factū, ex coſta Adami, & quinq; panes deſerti dicuntur multiplicati. Cui doctrinæ fauet ratio Philoſophica; quia materia, quæ additur, ſicut cū præcedente continuatur; ita cū ea fit vnum, vt docet *Ariſt. 5. Metaph. c. 5.* Et ob eandem rationē ſemper dicitur vnū corpus cū prçcedente, vt aduertit *D. Thom. 1. p. q. 119. art. 1. ad 5. & in 2. d. 30. q. 2. ar. 1. ad. 4.* quē *Auguſt.* *Ariſt.* *D. Thom.*

ſequitur Ferrarienſ. 4. contr. gent. c. 81. ad 4. obiectionē §. Conſiderandū ſecundo. Cū igitur in reſurrectione infantiū materia totaliter nō mutetur, ſed noua præcedenti diuinitus ſuperaddatur, tanquā principali, in cuius ratione ſeminali veluti cōtinebatur, & cū ea fiat vnum; vtiq; ſemper permanebit, idē numero corpus. Ita D. *Thomas 4. cont. gent. in d. c. 81. ad 4. obiectionem; & Ferrarienſ. ibidē, idem D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. quæſtiun. 4. ad 3. in fin. vbi Sotus q. vnica art. 2. ad 3. arg. Capreol. ibid. art. 3. ad argumenta Ioan. de Neapoli in fin.: Suarius in d. diſp. 44. loco cit. Conimbr. 1. Phyſ. c. 9. q. 5. art. 3. ad 4. & in 1. de Generat. c. 5. q. 11. art. 3. ad 1. & eſt communis ſolutio.* *Ferrar.* *D. Thom.* *Ferrar.* *Sotus.* *Capreol.* *Suarius.* *Conimbr.*

23. Confirmatio. Quæ inde etiā confirmatur; quia corpꝰ pueri, dum ad verilem magnitudinē peruenit, nō ob aliā cauſam eſt idē numero, etiāſi materia longè maior ſuperaddatur, niſi quia pręcedēti, tanquā radicali ſuperadditur, & vnū fit cum ea: idem igitur dicendū erit in reſurrectione. Nec vis argumenti tollitur, ſi dicas, in nutritione non raptim, & ſimul ſuperaddi totā materiā, ſed ſucceſsiuè: nam idem dicendū eſſet, ſi vis nutritiua, quam materiā decurſu temporis per partes ſucceſsiuè conuertit, eam totā ſimul diuinitus eleuata, conuerteret. Quare non ideo in nutritione ſemper vnum corpus permanet, quia additio fit ſucceſsiuè; ſed quia quod additur, cū præcedente continuatur, atque fit vnum.

§. 5.

Pro ſolutione quinti argumenti agitur de gigantibus.

24. Ad 3. argu. agitur de gigantibus. AD tertium argumentum poſitū §. 1. concedunt Theologi quantitatē mōſtruoſam, tam in magnitudine; quàm in paruitate, in reſurrectione reuocandam eſſe ad magnitudinē, quæ intrinſecè naturæ indiuidui, niſi adeſſet impedimentū, naturaliter adueniret: ita vt ſuppleatur, quod deeſt, & relinquatur, quod excedit: ita *D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 1. art. 3. quæſtiun. 2. ad 3. Sotus art. 4. ad finem. Richard. art. 1. q. 9. Abulenſ. in c. 22. Matth. q. 246. C. D Conimb. 2. de Generatio. c. 8. q. 3. art. 3. ante finem.* Quorum opinio ſatis eſt de mente *Auguſtini 22. de Ciuitate Dei capite 19.* vbi ita ſcribit: *Vbi autem non eſt partium congruentia; aut ideo quid offen-* *D. Thom.* *Sotus.* *Richard.* *Abulenſ.* *Conimb.*

dit, quia paruum eſt; aut ideo, quia nimium: proinde nulla erit deformitas, quam facit in congruentia partium, vbi & quæ praua ſunt, corrigentur, & quod minus eſt, quàm decet, 1. Probatio. *materiæ ſeruata integritate detrahetur.* Quæ opinio primū ratione probatur; quia omnis monſtruoſitas ex vitio naturæ procedit, vt ait Ariſtot. 2. Phyſicorum. Nullū autem naturæ vitium in Patria reperiri poteſt; cum beati ſtatum omnium bonorū cumulatione perfeſsimum poſsideāt. Quod etiam demonſtratur ex eiuſdem ſtatus perfectionē: etenim in eo ſtatu nihil in beatis erit deforme, ſed ſumma erit in omnibus pulchritudo, quæ nō eſt aliud quàm apta membrorum diſpoſitio, cum quadam coloris ſuauitate. Hæc verò apta membrorū diſpoſitio nō ſolùm poſita eſt in debito membrorum numero, & eorundē in proprio ſitu collocatione; ſed etiā in congrua magnitudine, qualis nō eſt, quæ aut puſillitate, aut ꝓceritate eſt mōſtruoſa; & proinde cū neutra poteſt eſſe pul- *Ariſt.* chritudo: quod docuit *Ariſt. 4. Ethic. c. 3.* dū ait: puſillos non pulchros vocari poſſe ſed venuſtos, & elegantes, ſi in illis aliqua venuſtatis gratia effloreſcit; quæ & ſi in puſillis aliquando reperitur; nunquam tamen in gigantea magnitudine.

25. Ad omnis quantitas gigantea ſit mōſtruoſa. Negatiua.

Dixi *quantitatem monſtruoſam* propter quoſdā, qui volunt non quācumq; gigantea quātitatē dici poſſe mōſtruoſam; ſed eam ſolā, quæ vitio naturæ ad immodicā, magnitudinē adoleuit: nā quæ natiua, & intrinſeca vi excreuit, licet maxima ſit, ꝓpriç naturæ cōuenit, ad illiuſq; veritatem ſpectat; & proinde in reſurrectione redi- Affirmatiu. bit. Ita *Sotus in 4. loco cit. & ante eum Abulenſ in d. q. 246. lit. C.* ¶ Quam tamen opinionē pleriq; nouiorū non recipiunt, & cū illis *Conimb. 1. Phyſ. c. 4. q. 1. art. 3. ad 1.* vbi docet, omnem giganteam molem eſſe extra conſtitutionem naturalem ſpeciei humanæ ordinatè ſe habentis: omnesque gigantes debere cenſeri mōſtra, & idē ſcribunt lib. 2. Phyſ. c. 9. q. 5. art. 3. dub. 3.

26. Vera reſolutio.

Cui opinioni ego ſubſcribo, ſi tamē debitè explicetur. Aduertendū igitur, nō quācūq; quantitatis magnitudinē, quæ debitā naturæ cōſtitutionem non ſeruat, dici poſſe giganteā; ſed eam tantum, quæ cōmunem, & ſolitā ſpeciei humanæ ſtaturā extraordinaria, & inſolita magnitudine excedit. Quod vulgata nominis vſurpatio perſuadet; ſimul etiā fabulç Poetarū, quç de gigantibus bellū cœlo mouentibus, finguntur apud Eſiodum, Apolodorum, Homerum, Ouidium, & alios: adde etiam hiſtorias authenticas, quæ gigantum faciūt mentionē, vt videre eſt apud *Plinī lib. 7.* *Plinius.* *naturalis hiſtoriæ, & apud Abulenſ. Geneſis* *Abulenſ.* 1. q. 12. & ſatis ſit illud, quod Deutero- *Deuter. 3.* nomij 3. ſcribitur de cubili Og regis Baſan, erat enim longitudine nouē cubitorū latitudine quatuor: Guliath. Philiſteus: 1. *Reg.* 13. dicitur altitudinis ſex cubitorum, & palmi *1. Reg.* Numerorum 13. Iudæi exploratores cōparati cum gigātibus, quaſi locuſtæ videbantur: Baruc 3. gigātes deſcribuntur homines ſtatura magna: deniq; Amos 2. altitudini cedrorū comparātur: ob quā prodigioſam proceritatē *Geneſis* 6. dicuntur viri famoſi: corporis. ſ. inormitate, atque immanitate, vt aſſerit *Gloſ.* *Geneſ. 6.* *Interliniar. ibidem, & Caſsianus collatione* *Gloſſa.* *8. c. 21. Theodoretus q. 48. in Geneſim. Am-* *Caſsianus.* *broſ. de Noe, & Arca cap. 4. Auguſtinus 11.* *Theodoret.* *de Ciuit. Dei c. 23. vt omittamus Aniamū in* *Sotus.* *exordio ſuæ hiſtor.* Ex quibus iam patet, ꝓceritatem giganteā non niſi mōſtruoſam eſſe poſſe: vnde Numerorū 13. in fine gigantes appellātur monſtra, his verbis: *Vidimus monſtra quædam filiorum Enanch. de genere giganteo.*

27. Aduertētia.

Sed vt res iſta fiat euidentior, aduertē ſpeciē humanā ſpectata ſua naturali cōſtitutione, vēdicare ſibi terminum intrinſecum magnitudinis: abſolutè tamen, ideſt, non ſpectata debita illius cōſtitutione, habere ſolum extrinſecum. Huius Philoſophiæ demonſtrationē vide apud Philoſophos *1. Phyſicor. c. 4. & ibidem Conimb. q. 1.* *Conimb.* *art. 2. aſſertio. 4.* Quç igitur quātitas humanæ ſpeciei in ſua naturali cōſtitutione eſt maxima (quantacūq; illa ſit) ea in reſurrectione reſtituetur, dēptis imperfectionibus: etenim illa vi nutriendi benè diſpoſita, acquiritur, tāquam debita naturæ, & intrinſecæ cōplexioni. Quæ verò maximam illam quantitatem quocunq; modo exceſſerit, ea ſpeciei humanæ non ſecundum naturalem eius conſtitutionem accidiſſe cenſenda eſt; ſed ex aliquo vitio, malignaq; qualitate, qua vis altrix vtitur, prouenire cenſebitur. Quare talis ille vitioſus exceſſus, etiam ſi giganteus non ſit, in reſurrectione relinquetur. In ea enim omne naturæ vitium reformandum eſt.

A for-

A fortiori igitur, quæcumque fuerit gigantea, reſecabitur; quia hęc non ſolùm eſt, præter naturalem coſtitutionem; ſed etiam monſtruoſa, vt ex dictis patet.

28. Idem dicendum eſt de termino paruitatis. Quod diximus de termino magnitudinis, dicendũ eſt de termino paruitatis reparabitur enim, & ſupplebitur illa ſtaturę puſillitas, quæ extra intrinſecũ paruitatis terminũ cõtinebitur; ſiue illa paruitas ſit mõſtruoſa; ſiue ſolùm præter naturalẽ ſpeciei cõſtitutionem: nec enim quęcũq; ſtaturę puſillitas mõſtruoſa cenſenda eſt; ſed quæ extraordinario modo communem, quoad paruitatem, ſtaturã excedit. Itaque, quam intra intrinſecum paruitatis terminum quiſque nactus eſt ſtaturã; in eadem reſurget.

29. Explicatio doctrinæ dictæ. Hæc, quæ diximus de ſtatura intra terminos paruitatis, & magnitudinis intrinſecos cõtenta, ita ſunt intelligenda; dummodo indiuiduali etiã cõplexioni reſurgentis ſit naturaliter cõgruens: nam ſi ex aliqua cauſa extrinſeca, malignave qualitate vis nutritiua à ſuis functionibus probè obeundis fuit impedita, quominus ad ſtaturã natiuæ cõplexioni debitã corpus perduceret, aliquo vel defectu, vel exceſſu; vtiq; defectus ſupplebitur, & exceſſus reſecabitur; quia vterq; ex vitio proceſsit, vt benè annotauit *Abulenſis. in d.q.* 246.

Abulenſ. ¶ Ex quibus colliges intra terminos paruitatis, & magnitudinis cõnaturales humanæ ſpeciei dari ſtaturas nõ connaturales alicui indiuiduo; cuius naturalis terminus tã quoad magnitudinẽ, quàm quoad paruitatem, vnicus eſt, & indiuiſibilis intrinſecè terminans, tùm magnitudinem, tùm paruitatem. Quare in hac materia diſtinguendum eſt de terminis rerũ, prout in ſpecie ſumuntur, & prout ſumuntur in ſingulari. Quod aliquo modo tetigit, ſed nõ ſatis expreſsit *Curſus Conimb. in d.c.* 4. *primi Phyſicorum. q.* 1. *art.* 1. *in* 5. *præmiſſo.*

30. Explicatio antecedẽtiũ. Rurſus, quæ diximus de naturali, vel nõ naturali ſpeciei humanæ magnitudine, & ſtatura intelligenda ſunt, ſpectato ætatum mundi decurſu: etenim, & experientia, & probatorum Philoſophorũ doctrina docet, quo magis ætatũ decurſus præterit; eò minora corpora naturaliter procreari. Id quod ex Patribus aduerterunt *Cyprian. aduerſ. Demetrianũ, & Auguſt.* 15. *de Ciuit. c.* 9. *& ex Philoſophis Plinius lib.* 7. *naturalis hiſtoriæ c.* 16. *Aulus Gelius lib.* 3. *noctium Atticarũ cap.* 10. *ex Poetis Homerus Iliad.* 6. *& Iuuenalis Satyra* 15. *ex quibus benè aduerterunt Conimbr.* 8. *Phyſ. c.* 2. *q.* 3. *art.* 3. *in fine, & latius in cõment. ad c.* 3. *primi de Generat. lit. K. pagin.* 20. *&* 21. quod etiã diſertis verbis expreſsit *Angelus Oriel lib.* 4. *Eſdræ c.* 5. ita inquiens: *Conſidera; quoniã minori ſtatura eſtis præ ijs, qui ante nos: & quoniam poſt nos minori, quam nos: quaſi iam ſeneſcentes creaturæ, & fortitudinem iuuentutis prætereuntes.* *Eſdræ* 4.

31. Corollaria. Ex quo primò licet colligere pro varietate ętatũ mundi variari naturales terminos ſpeciei humanæ, tã intrinſecos, quàm extrinſecos; ita vt, qui terminus in prima ętate, quoad naturalẽ naturæ humanæ cõſtitutionẽ erat intrinſecus; iam modo ſit ſimpliciter extrinſecus naturaliter impoſſibilis. Secundò colligitur, quæ ſtatura in prima ætate ante diluuiũ erat cõnaturalis ſpeciei humanæ, & cõmunis; vt noſtra iſta ætate ſit gigantea, ac monſtruoſa, & è conuerſo, quę ſtatura noſtris tẽporibus quoad paruitatẽ eſt naturalis, in prima ætate fuerit monſtruoſa. Tertiò colligitur in reſurrectione ſingulos reſurrecturos in ſtatura, quæ pro ea, in qua vixit mũdi ętate, erat cõnaturalis, & in ordine ad eã in illis ſupplendã eſſe paruitatem, & reſecandã magnitudinẽ. Erit igitur inter iuſtos quoad ſtaturã inſignis inæqualitas; quæ ideò nõ erit deformis; quia eſt rationabilis, naturalis, & cõplexioni cuiuſq; debita. Sicut igitur inæqualitas vocũ, quibus cãtus cõpletur, ideo placet; quia eſt vniformis inęqualitas; ita in reſurrectione talis diſparitas ideo placebit, qa cuiq; erit vniformis. Ex quibus iam patet ſolutio quinti argumenti: negandum eſt enim gigantibus naturalem eſſe magnitudinem giganteã; aut pygmæis pygmæam paruitatem. Ad 5. arg.

§. 6.

Agitur de quantitate in qua Chriſtus reſurrexit.

32. Ad vltimũ de quantitate Chriſti Domini. AD poſtremum negandum eſt antecedens: ſurrexit enim Chriſtus in quantitate ſuæ cõplexionis perfectiſsima: etenim in ſtatu glorię naturalia ſunt in ſũma perfectione, quam habere poſſunt. Ad obiectionem admittimus, Chriſtũ in ea quãtitate ſurrexiſſe, in qua fuit mortuus: id enim docet *Auguſt.* 22. *de Ciuit. Dei c.* 15. *nã (vt ait) in ea magnitudine* *Auguſt.*

dine diſcipulis apparuit, in qua illis erat natus. Cum Auguſtino id etiam admittit cõmunis Theologorum, & tanquam *certum docuit Suarius 2. tom. diſp. 47. ſect. 4. in prin.* Negandum eſt tamen Chriſtum, tempore mortis nõ habuiſſe perfectũ ſuæ naturalis quantitatis augmentum: oppoſitum enim ſatis eſt de mente *Auguſt. in d. c. 15. Sedulij, & D. Thom. ad illa verba ad Epheſ.* 4. In menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vbi verbis expreſsis *idem docuit Anſelmus*: hoc autem non ſolum habendum eſt, vt veriſimilius, ſed tanquã certum: cũ enim tẽperamentũ Chriſti fuerit omniũ perfectiſsimum, & in toto vitæ curſu cõuenientiã ætati debitã perfectiſsimè ſeruauerit, nec aut victus immoderantia, aut ægritudine aliqua fuerit impeditum; cur vis augmentatiua (quę in ſua perfectione pro ætatis variatione ſemper permãſit) in plenitudine iuuentutis motũ ſuum non perficeret? nã corpus omnibus modis perfectum perfectiſsimæ animæ, etiã in hac vita debebatur. Nec Chriſti abſtinẽtia, ac cibi parcitas impediuit, quin applicaretur materia ad debitũ augmentũ neceſſaria: quia ſemper eũ abſtinentię modum ſeruauit, vt nunquã materia augmento debita defuerit: cuius minor copia perfectione alteriꝰ virtutis cõpenſabatur. Potuit igit̃ in corpore Chriſti adhuc mortali aliqua ex parte deficere quãtitas, quę in corporis craſſitie cõſiſtit, quę ſicut facilè acquiritur; ita etiã facilè deperditur; at tñ materia, quæ ad augmentũ ſpectabat, debitãq; oſsium, & aliarum partiũ magnitudinem, totiuſq; corporis ſtaturam, nunquã defecit: quod benè aduertit *Suarius in d. diſput. 47. ſect. 4. §. Ex his expẽditur pag. 892. col. 2.*

Suarius. *Auguſt.* *Sedulius.* *D. Thom.* *Anſelm.*

ARTICVLVS III.
In qua nam ætate iuſti reſurgent?

§. 1.
Reſoluitur quæſtio.

§. 1. Reſurgent ſancti in ætate iuuenili.

EX reſolutione præcedentis art. infertur, ſanctos reſurrecturos fore in ætate iuuenili: nã in hac primũ acquiſita eſt magnitudo perfecta, & maxima, quæ cuiq; temperamento naturaliter debetur: eſt enim iuuentus ætas quædam florida, perfecta robore, media inter pueritiã, & ſenectutem. Hæc eſt omniũ Theologorum concors ſententia cũ Magiſtro *in 4. diſt. 44. vbi D. Thom. q. 1. ar. 3. quæſtiũ. 1, Richard. art. 1. q. 8. D. Bonau. in expoſitio. tex. Sotus q. 1. art. 4. concl. 1. Scotus q. 1. art. 2. Quand. q. 3. Abule. in c. 22. Matth. q. 245 Suar. 2. to. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 5. §. Tertio cõſiſtet.* Hæc ſententia fuit Sãctorum Patrum Auguſtini, Anſelmi, Sedulij, Hugonis Victorini in locis ſupra citatis; quibus adde *Petrum Chryſologum ſerm. 82.*

Magiſter. D. Thom. Richard. D. Bonau. Sotus. Scotus. Quand. Abulenſ. Suar.

2. Confirmatur. *Auguſt.*

Cõfirmari poteſt: tũ; quia Chriſtus in hac ætate ſurrexit, vt omnes agnoſcũt cũ *Auguſt. 22. de Ciuit. Dei c. 15.* Tum 2. quia primi parentes in hac ætate creati fuerũt, vt omnes cõcedunt: vt igitur exẽplatum ſuo exemplari correſpõdeat, & reformatio naturę formationi eiuſdẽ; cõgruentiſſimũ eſt, vt omnes in ætate iuuenili reſurgamus. Tertio accedit; quia hæc ætas eſt cæteris omnibus pręſtãtior & vigoroſior ob quã rationẽ, & à Medicis, & à Philoſophis appellatur ętas florida: ſunt enim vires corporis in ſũma perfectione, ꝓpter exactã temperiem, qua cæteras ætates ſuperat: eſt enĩ media inter duas extremas: nec affluens larga caloris, & humiditatis copia, qua affluit pueritia; nec illorũ defectu langueſcens, vt ſenectus: habet igitur tẽperamentum apprimè temperatum, vt Philoſophi docent, & Medici, de quo *Fernelius lib. 3. ſuæ Phyſiologiæ c. 10. & Valeſ. lib. 1. controuerſ. c. 8. Conimb. in lib. de iuuentute, & ſenectute cap. 1. (vbi vide Ariſtot.) & in lib. 2. de Generat. c. 8, q. 6.* Florent omnia: ſanguinis, & ſpirituũ copia: vires corporis, agilitas eiuſdẽ, & venuſtas, & iuxta ſententiã Aſtrologorum illi ætati præeſt, & dominatur Sol planetarum benigniſsimus; quia ad omnia vigorem ſuppeditat. Pythagoras etiã hanc ætatem cum æſtate cõparauit, propter animi robur, quo tunc hominum corpora pollent, & velut effloreſcunt. Denique hæc eſt ætatis plenitudo, non tempore, ſed perfectione.

Valeſius. Fernelius. Conimb.

3. Confirmatio. *Chryſolog.*

Hanc iuuenilem reſurgentium ætatẽ *Petrus Chryſologus in d. ſer. 82.* Colligit ex Angelo iuuene, quem in die reſurrectionis viderunt mulieres monumentum introeuntes: ideo enim reſurrectionem annuntians aparuit in ætate iuuenili, vt iuuenilem reſurgẽtium ætatem denotaret. Id ipſum *Auguſtinus 22. de Ciuit. Dei cap. 16.* deſumit ex Paulo ad Romanos 8. *Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui*

ſui; quæ verba interpretatur de Chriſto homine, quæ pleriſque non diſplicet. Cõmunis Theologorum in 4. *diſtin.* 44 *idem colligit ex Paulo ad Epheſios* 4: *Donec occurramus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Objiciunt tamen Durandus, & Sotus, quòd Paulus ibi nõ agat de reſurrectione, nec de ætate corporali reſurgentium; ſed de plenitudine, & perfectione ſpirituali corporis myſtici, quod eſt Eccleſia, quæ eſt communis Patrum, & interpretum explicatio, quã magis probat Auguſtinus; vt ſit ſenſus: dedit Deus Paſtores, & Doctores ad cõſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ędificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Dei in virum perfectũ, cognitione ſcilicet & intelligentia; idque accommodatè ad menſuram illius ætatis, quæ plenitudinẽ Chriſti poteſt cognoſcere. At tamen quanuis cõcedendum ſit, verba illa Pauli non conuincere; non eſt tamen negandum illa etiam in ſenſu literali, quàm accommodatiſsimè explicari poſſe de reſurrectione, & ætate reſurgentium: vnde eam explicationem non reiecit *Auguſtinus in locis citatis: probarũt Anſelmus, & D. Thomas in eodẽ loco, Gaudentius in cap.* 14. *Ioannis ad illa verba: Quia Pater maior me eſt.* Senſus igitur erit, dedit Deus Paſtores, & Doctores, vt tandiù corpus Chriſti ædificetur; donec in die iudicij omnes electi, & prædeſtinati occurramus in vnitatem fidei, & agnitionis Dei, in ætate perfecta, atque iuuenili, iuxta menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; vt ſicut ille in ætate perfecta reſurrexit; ita & nos in eadem reſurgamus; vt deinceps non ſimus paruuli, & cætera. Quòd ſi hæc expoſitio non placet, dicito cum *Soto vbi ſuprà, & Suario in dicta diſput.* 47. *ſect.* 4. §. *Et iuxta hanc concluſionem*, vt hæc verba Pauli ad reſurrectionem quoquo modo accõmodentur, ſatis eſſe, quòd metaphora plenitudinis ſpiritualis ſumpta ſit à plenitudine ętatis corporalis Chriſti.

Ad Epheſ. 4. *Auguſt. Anſelm. D. Thom. Gaudent. Sotus. Suar.*

§. 2.

Occurritur cuidam dubio.

4. Soluitur dubium. Sed inquires; cum ætas media concordi Philoſophorum, & Medicorum conſenſu, diuidatur in iuuenilem, & virilem ætatem; cur potiùs in iuuenili, quàm in virili reſurgemus? maximè cum Paulus loco citato dicat: *Donec occurramus in virum perfectum*, & virilis ætas videatur accõmodatior reſurrectioni, quàm iuuenilis: vtpotè, quæ omnium Medicorum conſenſu ſit ętas conſiſtens, conſtans, firma, perpetuò ſibi ſimilis, & eiuſdem temperamẽti cum iuuenili, nec ab eo iam declinet; ob quam perfectionẽ comparatur Autumno, in quo fructus nõ quidem floreſcũt, vt in Vere, ſed iam maturi colliguntur, quod proprium eſt beatitudinis. *Ad Epheſ.* 4.

Reſponderi poteſt iuuentutem ob eã cauſam reſurgentibus eſſe magis accommodatam, quia temperiem habet magis vigoroſam, & floridam, non dũm declinantem a vigore: licet enim non plus cõuertat quoad membrorum longitudinẽ: ratione cuius dicitur eſſe in ſtatu; adhuc tamen plus conuertit quoad membrorũ incorporationem, & ſtabilitatem; quod non reperitur in virili ætate; quæ omnibus modis in augmento cõſiſtit, tùm quoad longitudinem, tùm quoad latitudinẽ, tùm denique quoad incorporationẽ mẽbrorum: cum tamen hæc membrorum incorporatio, & firmitudo non datur in via, ſed in ſola patria obtinetur: & ob id Dominus non in virili ætate mortuus eſt & reſurrexit, ſed in iuuenili. 5. Solutio.

ARTICVLVS IIII.

In quo annorum numero reſurgent iuſti?

§. 1.

Reſolutio communis cum illius explicatione.

Cvm iuuenilis ætas non conſiſtat in puncto, ſed plurimorum annorum habeat latitudinem (incipit enim à 25. anno, & protrahitur vel ad 35. vel ad 40.) non ineptè quæret aliquis, in quonam iuuentutis anno reſurrecturi ſimus? concors eſt omnium ſententia in Chriſti ætate omnes eſſe reſurrecturos, id eſt circa annum 33. quoniam Chriſtus ad hanc ætatem peruenit. Et meritò ſanè, quia hoc eſt iuuentutis medium, vt annotauit *Sotus in* 4. *diſt.* 44. *q. vnica art.* 4. *concl.* 1: putat enim iuuentutem à 25. anno vſque ad 40. protendi: quod ſi cum Medi-

1. In quo iuuentutis anno reſurgemus. *Sotus.*

Medicis, & Philoſophis eam ſolùm protrahis vſque ad 35. annum; adhuc præfata ætas erit reſurrectioni accommodatiſsima: nam cum ad virilem, & cõſiſtentem ætatem iam proximè accedat, plenitudinem iuuentutis videtur continere.

2. Explicatio præcedẽtis doctrinæ. Hanc tamen doctrinam primum puto eſſe intelligendam ſecundum frequẽtiorem, & magis ordinariam ætatum deſcriptionem traditam à Medicis, & Philoſophis; ſecundum quam iuuentus, vt diximus, à 25. anno vſque ad 35. protenditur: quæ tamen iuuentutis deſcriptio, & terminatio non adeò certa eſt, vt hominum vita pro innati temperamenti, aliarumque cauſarum extrinſecus adiacentium varietate alios interdum limites, vel longiores, vel breuiores non ſortiatur, vt ex *Cornelio Tacito benè aduertit Valeſius lib. 1. controuer. c. 8. in principio, & poſt eum Conimbricenſes in lib. de iuuentute, & ſenectute c. 11. in fine.* Fieri igitur poteſt pro natura complexionis, vt hic homo iuuentutis plenitudinem vel citius conſequatur, vel tardius. Quare in reſurrectione in eo iuuentutis anno quis reſurget, in quo iuuentutis plenitudinem pro naturali ſua temperie, & complexione ſortitus eſt; ſiue id contigerit poſt 33. annum, ſiue ante illum: ſemper enim reſurget in menſura ætatis plenitudinis Chriſti: quia ſicut Chriſtus in plenitudine ſuæ iuuentutis ſurrexit; ita & ille.

Corn. Tac. Valeſius. Conimb.

§ 2.

Corollarium de iis, qui ante diluuium vixerunt.

3. *Corollar.* EX quo non improbabiliter infertur, homines, qui ante diluuium lõgiſsimam vixerũt vitam ſurrecturos non circa annum 33. ſed circa ſeptuageſsimũ, & amplius: eſt enim quàm probabiliſsimum, iuuenilem ætatem his cõtigiſſe ab anno 60. vt optimè aduertit *Benedictus Pereira lib. 4. in Geneſim q. 3. & lib. 7. in comment. capitis quinti, pag. 766:* cum enim tunc longiſsima eſſet hominis vita, & decuplo fermè longior, quàm nũc eſt; ſingulæ etiam ætates pariter erant lõgiores, quàm nunc ſunt. Cur igitur iuuenilis ætas hominum viuentium centum annos ſit ætas triginta annorum; vtique iuuentus hominum viuentium fermè ad mille annos fuit ad minus à ſexageſimo anno ad nonageſimum vſque. Cui illud eſt argumento; quòd nullus illorum hominum ante ſexageſimum annum generaſſe memoratur, vt benè aduertit idem Pereira. Quæ ſententia non longè eſt à mẽte Auguſtini 15. de Ciuitate Dei c. 15. & 20. vbi non improbat in illis hominibus pubertatem, ſeruata proportione, tantò fuiſſe ſeriorem, quantò fuit vitæ maior annoſitas: nec multum repugnat *Abulenſis in c. 5. Geneſis q. 9.* Ex quo idem Pereira non ſine probabilitate colligit, Adamum ad minus in ætate ſexaginta annorum fuiſſe creatum: hæc enim ætas illi fuit iuuentutis.

Pereira. *Abulen.*

Mihi igitur ſit probabiliſsimum, plenitudinem ætatis iuuenilis, in qua ſumus reſurrecturi, non certis, ac determinatis ætatum annis eſſe deſcribendam: quia iuuentus non omnibus in iiſdem determinatè annis contingat; ſed pro varietate, ac diuturnitate connaturalis vitæ, iuxta naturam complexionis cuiuſque eſſe terminandam; ita vt ante diluuium iuuentus à ſexageſimo vſque ad centeſimum annũ protraheretur; & poſt diluuium proportione ſumpta ab annoſitate cuique naturaliter debita. Hoc tempore Chriſti Domini fuit circa annum trigeſimum, iuxta vulgatam ætatum deſcriptionem: vtrum verò ea circa eoſdem annos noſtra hac tempeſtate contingat, mihi non eſt certum. Certũ igitur ſit, nos omnes ad Chriſti exemplar in plenitudine iuuentutis eſſe reſurrecturos; quocunque anno illa contingat. 4. Reſolutio.

ARTICVLVS V.

An omnes reſurgent in æquali ſtatura? & quomodo?

SVpereſt explicanda reſurgentium ſtatura: quam difficultatem ex communi Theologorum reſolutione tribus aſſertionibus explicabimus. De ſtatura in qua reſurgemus.

§. 1.

Prima concluſio.

SIt prima aſſertio: *Non omnes in Chriſti ſtatura reſurrecturi ſunt.* Concluſio eſt *Magiſtri in 4. diſt. 44. in principio,* & 5. 1. concl. *Magiſt.*

Sotus. *& cum eo cæteri tranſeunt: probat Sotus ibi*
Auguſt. *quæſt. vnica artic. 4. concl. 1: ſed expreſsiùs*
Anſelm. *Auguſtinus 22. de Ciuitate Dei c. 15. & cũ*
Sedulius. *eo D. Anſelmus in epiſt. ad Epheſios c. 4. ad*
Gloſſa. *illa verba: Ad menſuram ætatis plenitudinis*
Hugo Victorin. *Chriſti: Sedulius relatus à Gloſſa ordinaria*
in eodem loco, vbi vide aliam Gloſſam ex
Auguſtino: adde Hugonem de S. Victore in
eadem epiſt. q. 25. citari etiam ſolet in lib. de
reſurrect. c. 15: nec fas eſt de concluſione
dubitare, vt affirmãt Auguſtinus, & An-
1. confirm. ſelmus: conſtat enim non omnes in hac
vita eiuſdem cum Chriſto fuiſſe ſtaturę;
ſed alios eſſe minores; alios verò maiores,
de quo ſtatim. Ergo in reſurrectione nõ
omnes erimus æquales Chriſto in ſtatu-
ra: ita enim fieret, vt in reſurrectione, vel
aliquid quantitatis additum fuiſſet Chri-
ſto, vt maioribus fieret æqualis; vel à ma-
ioribus aliquid naturalis quantitatis detra
hendum ſit, vt Chriſto æquentur: vtrũq;
autem aſſerere fas non eſt, vt Auguſti-
2. nus, & Anſelmus docent.
Secunda. Accedit; quoniam in reſurrectione nõ
omnes iuſtorum animæ erunt æquales
animæ Chriſti, aut in gratia, aut in glo-
ria. Ergo nec omnes erunt æquales illi in
corporis ſtatura.
Poſtremò ſtatim oſtendemus, nõ om-
3. nes in reſurrectione futuros eſſe æquales
Tertia. corpore: ex quo infertur; fieri non poſſe,
vt omnes eiuſdem ſint cum Chriſto ſta-
turę: alioquin omnes inter ſe eſſent æqua
les; iuxta regulam, quæ ſunt æqualia vni
tertio ſunt æqualia inter ſe.
4. Quare omnino reijcienda eſt opinio
Opoſita ſẽtentia non eſt recipiẽda. contraria, relata à Magiſtro: nam licet
noſtra aſſertio non ſit de fide; eſt tamen
ita certa, vt oppoſitum non ſit probabile:
nullo enim aliquo probabili nititur fun-
damento: nam verba Pauli ad Epheſios
4. Quibus illa opinio nititur, licet de re-
ſurrectione intelligerentur (quod pleri-
que negant) non tamen probant; omnes
reſurrecturos in menſuram magnitudi-
nis Chriſti (vt benè *Auguſtinus, & cæteri*
Auguſt. *Patres* aduertunt, *& Conimbricenſes 2. de*
Conimb. *Generat. c. 8. q. 3. art. 3. paulò ante finem*) ſed
in menſura plenitudinis ætatis Chriſti:
quod eſt veriſsimum; reſurgemus enim
5. perfecta, iuueniliq; ætate, ſicut Chriſtus
Ad fundamentũ aduerſariorũ. in plenitudine ſuæ ætatis reſurrexit.
Nec ratio exemplaris oppoſita in ſen-
tentiam iuuat: nam (vt optimè aduertit
Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 3. §. Se- Suarius.
cundò conſiſtet) perfecta ratio exemplaris
non eſt poſita in omnimoda æqualitate,
& ſimilitudine (alioquin omnia corpora
beatorum futura eſſent omnino æqualia
corpori Chriſti, in figura, pulchritudine,
cæteriſque ornamentis; quod eſt falſum)
ſed poſita eſt in æqualitate, ſimilitudine
vè proportionali: vt ſicut corpus Chriſti
ſurrexit cum ſua propria figura & ſtatu-
ra, pulchrum, clarum, agile, & cætera; ita
beatorum corpora hæc omnia ornamen-
ta ſint habitura; modo tamen ſibi debito.

§. 2.

Secunda concluſio.

Secunda aſſertio: *Non omnes reſurge-* 6.
mus in minori ſtatura, quàm ſit ſtatura 1. concl.
Chriſti. Satis eſt de mente Auguſtini, Auguſt.
& cæterorum Patrum, quos citauimus in
1. aſſertione: probatur autem eodem me-
dio: quoniam certo conſtat, Chriſtum
non fuiſſe maioris ſtaturæ, quàm cęteros
homines: etenim, teſte *Nicephoro lib. 1.*
Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. vlt. ſtatura Chri Niceph.
ſti fuit ad ſeptem palmos maiores, quorũ
mentionem fecit *D. Hieronymus Ezechie-*
lis c. 40. & poſt eum Daniel Barbarus in Vi- Hieron.
truuium lib. 3. c. 1. qui efficiunt octo pal-
mos Romanos, & vulgares: cum tamen
plerique homines nõ ſolùm æqualis ſint
ſtaturæ, ſed etiam procerioris, vt etiam
teſtatur *Sotus in 4. diſt. 44. art. 4. ad finem.* Sotus.
Si igitur Chriſtus in ſtatura, quam in vita
habuit, reſurrexit, vt docet Auguſt. lib.
22. de Ciuitate Dei c. 15. & nos etiam in
eadem, qua viximus, debemus reſurgere;
vtique non omnes reſurgemus in mino-
ri ſtatura, quàm ſit ſtatura Chriſti.
¶ Contra hanc ſecundam aſſertionẽ nõ 7.
nulla obijciuntur. Primò obijcitur, quo- 1. obiectio.
niam quò anima eſt perfectior, eò potẽs
eſt corpus maioris magnitudinis infor-
mare: quælibet enim anima habet natu-
ralem virtutem augendi corpus ſibi pro-
portionatum; ſed anima Chriſti etiam in
naturalibus eſt omnium perfectiſsima, vt
omnes concedunt. Ergo ex ſua naturali
virtute habet informare corpus humanũ
omnium maximũ; nõ quidem negatiuè,
vt nullũ corpus alterius animę ſit maius,
ſed poſitiuè, vt corpus animæ Chriſti ſit
omnium aliorum hominum maximum.
Secun-

8. 2.obiectio. Secundò obijcitur: quoniam Chriſti temperamentum fuit omnium præſtantiſsimum; cum illius corpus ex virgineo ſanguine Spiritus ſancti opera fuit coagmentatum. At nobiliori temperamento, ſicut debetur vita diuturnior, ita etiam debetur corpus maioris magnitudinis. Fuit igitur corpus Chriſti maximum inter corpora humana.

9. Tertia. Tertiò confirmatur; quoniam corpus Adami fuit omnium maximum ante diluuium; ita vt omnes gigantes excesſerit, vt teſtatur *Ioãnes Lucidus lib.1.de emẽdatione temporum cap.4.* & videtur probari ex lib. Ioſue cap.14. in illis verbis: *Nomẽ Hebron ante vocabatur Cariatharbe: Adam maximus, ibi inter Enacim ſitus eſt.* Quæ verba de Adamo primo parente interpretatur D. Hieronymus in c.27. Matthæi: Enacim autem fuiſſe gigantes, patet ex c.13. Numerorum.

Ioan. Lucidus. Ioſue. 14.

10. Vltima obiectio. Poſtremò obijcitur: quia cæteræ omnes perfectiones animæ, & corporis longè ſunt maiores in Chriſto, quàm in cæteris beatis: illę enim in vnoquoque beatorum tantò magis enitescunt, quantò propiùs accedunt ad Chriſti perfectionẽ: perfectio enim Chriſti eſt prima, atque exemplaris. Cur igitur proceritas corporis Chriſti, eiuſque ſtatura non erit maior cæteris?

11. Ad 1. negatur maior. 1. ratio. ¶ Ad primum argumentum neganda eſt maior; nec enim anima perfectior neceſſariò requirit corpus maioris quantitatis, Quod à poſteriori ſatis euidenter demõſtrat anima Chriſti; quæ cum ſit omnium perfectiſsima; non tamen habet corpus maximum in ſpecie humana, vt eſt quàm notiſsimum.

12. 2. ratio. Accedit; quia maior quantitas non neceſſariò arguit maiorem animæ perfectionem. Quæ Philoſophia facilè probabitur apud eos, qui volunt omnes animas intellectiuas tàm ſecundum rationẽ ſpecificam, quàm ſecundum differentias indiuiduales æqualem habere naturæ perfectionem. Quæ opinio fuit *Durandi in 2.diſt.32.q.3. Argentinæ ibidem q.1.art.2. Soti in prædicamentis cap.de Subſtantia q.2. ad 5. Soncinatis 8. Metaph. q.26. Zimaræ Theoremate 54: in eam magis inclinat Henricus quodlib.3.q.5. probabiliorem, & magis philoſophicam putant Conimbricenſes in 2. de Anima c.1.q.5.ar.3. & in 2. de Generat. cap.8.q.4.art.1. in principio*: apud quos in hoc ſenſu vna anima dicitur in naturalibus perfectior, quàm alia; quia meliores habet expoſitiones, tùm ad eſſe, tùm ad operari. Quam autem inter has diſpoſitiones ad vtrunque effectum enumeranda ſit quantitas: non tamen eò quantitas eſt melior diſpoſitio, quò eſt maior, etiã inter terminos naturales magnitudinis, & paruitatis humanæ ſpeciei: ſed eò erit melior, quò naturali corporis cõplexioni fuerit accõmodatior, tũ ad melius eſſe corporis (quod ad ei⁹ actuationẽ ptinet) tùm etiam ad melius operari. Quod ex eo oſtẽditur: quoniam cum alimentum in ventriculo decoquatur, in quouis nutritiua non quantumcunque alimenti copiam parat, ſed certam, quam ad omnes corporis partes facultatib⁹ ſibi adminiſtris trãſmittit; profectò, ſi partes extremæ longo diſtent tractu, ad eas non tàm facilè alimentum tranſmittet; maximè poſtquã ex pugna cum alimento plurimum diſpendij in agendo paſſa eſt.

Animæ æqualis ſunt perfectionis. Durand. Argent. Soncin. Sotus. Henric. Conimb.

Porrò, ſi probas aliorum ſententiam ſatis probabilem, & magis communem; dari inter animas intellectiuas quoad differentias indiuiduales ſubſtantialem inęqualitatem, & vnam altera eſſẽ ſubſtantialiter perfectiorem: quæ fuit ſententia *Alberti Magni in 2.diſt.32. art. 6. Ægidij q.3. Richardi art.4. q.1. Maioris q.3. concl. 6. Capreoli q.1. Hiſpalenſis q.1. Caietani 1. p.q.85. art.7. Lycheti in 1.diſt.3. q.1. Ferrarienſis 1. contra gent. c.3. Iauelli 8. Metaphy. q.6. Abulenſis in cap.15. Matthæi q. 656. & videtur eſſe ſententia D. Thomæ in 1.diſt.8.q.5.art.2.ad 6. & in 2.diſt.21.q.2. art.1. ad 2. & diſtin.32.q.2.artic.3. videtur probare Suarius 2.tom.ad 3.p. diſp.47. ſect. 4. ad finem; putant eſſe probabilem Conimbricenſes in 2. de Anima loco citato.* ¶ Si, inquam, probas hanc ſententiam, maior difficultas erit difficultas in reddenda ratione, cur nobilior anima naturaliter ſibi nõ vendicabit maximam ſuæ ſpeciei quantitatem? 13.

Qui putãt animas indiuidualiter eſſe perfectiones. Albert. Richard. Maior. Capreol. Hiſpalen. Caiet. Lychetus. Ferrarien. Iauellus. Abulen. D. Thom. Suar. Conimbr.

Suarius loco citato putat, maiorem animæ perfectionem conſiderandam eſſe in ordine ad ſpirituales actus: & ideò requirere corpus ita temperatum, ac diſpoſitũ, vt melius deſeruiat ad ſpirituales fũctiones. ¶ Hæc tamen ratio non videtur ſufficiens; quoniam etſi maior animæ perfectio 14.

Vnde ſumẽda ſit maior animæ perfectio. Opinio Suarii non recipitur.

ctio principaliùs conſideranda ſit in ordine ad actus ſpirituales animæ, quatenus eſt intellectiua: non tamen eſt negandũ, eam etiam conſiderandam eſſe, tùm in ordine ad operationes animales, & naturales; tùm etiam in ordine ad corporis diſ-
D. Thom. poſitiones. Vnde D. Thomas, & ij, qui inæqualitatem ſubſtãtialem in animabus admittunt, perfectionem animæ ex nobiliori, vel minus nobili corporis temperamento ſumunt. Siue igitur dicas, animam ideò à Deo creari nobiliorem; quia eam ad corpus nobilius ordinat, vt vult D. Thomas; ſiue ideò ad melius corpus ordinari, quia in ſe ipſa eſt ſubſtantialiter nobilior, vt alij volunt; ſemper naturalis animæ perfectio, etiam cõſideratur, tùm penes actuationem corporis; tùm penes operationes ſub quocunque eſſendi gradu animæ proprias.

15. 2. opinio. Conimb. Alij fortè cum *Conimbricenſibus* 1. *Phyſicorum cap.*4.*q.*1.*art.*6.*ad* 1. *dicent*, quantitatem non cõſequi formam quoad eius perfectionem intenſiuam, ſed extenſiuã, & ob id perfectiorem animam non benè inferre maiorem quantitatem. ¶ Sed ne-
Non placet que hoc videtur eſſe ſatis; quoniam ſi per extenſiuam perfectionẽ intelligunt perfectionẽ, qua anima ſe poteſt extẽdere ad tantam, vel tantam magnitudinẽ; vtique hæc perfectio in viuentibus non poteſt nõ eſſe intenſiua; cum ad eam quantitatẽ non niſi media potentia nutriendi reduci poſsit, cuius virtus intenſiua ad certam extenſionem quantitatis omnium conſenſu eſt determinata. Si igitur perfectior anima perfectiorem habet vim nutritiuam; & hæc quò eſt perfectior, eò ad maiorem quantitatem ſe extendit; cur ad perfectiorem animam non conſequetur maior quantitatis magnitudo intra termi nos ſpeciei humanæ? huius enim ratione philoſophamur.

16. Propria au-ctoris ſetẽtia. Vt igitur in re difficillima propriam explicem ſententiam; puto per ſe cauſam huius Philoſophiæ inde eſſe ſumendam; quod quantitas non eſt forma actiua, vt omnes admittunt: cum verò perfectio cuiuſque formæ ſubſtantialis per ſe conſideretur tùm in ordine ad eſſe, quod tribuit compoſito; tùm in ordine ad agere;
Ariſt. quia quodlibet eſt propter operari *ex* 2. *de Cœlo:* hinc fit, vt maior formæ perfectio non neceſſariò inferat maiorem materiæ, ſiue corporis magnitudinem. ¶ Si verò dicas, determinationem quantitatis quoad hanc, vel illam menſuram per ſe conſequi formam, vt docet communis Philoſophia *ex Simplicio lib.*1. *Phyſicorum* Simplic. Conimb.
*cap.*4. *tex.*69. *& probant Conimbricenſes in d. cap.*4. *q.*1. *art.*6. *in principio, &* 1. *de Generat. c.*4. *q.*3. *art.*2. *ad* 2: ad hoc dicendum eſt, formam determinare quidem modũ, & menſuram quantitatis, non abſolutè, & propter ipſam quantitatem; ſed ratione determinationis qualitatum, & diſpoſitionum, quibus indiget tùm ad eſſe, tùm ad operari: ad vtrunque enim confert quantitas; non ſolùm ob id, quod ſuſtentat qualitates illas; ſed quia conſtituit eas in connaturali, & perfecto agendi modo: nam ſicut propria corporis conſtitutio, & temperies, niſi ſit extenſa, nõ poteſt corpus afficere quoad eſſe; ita etiam illud perfectè non afficiet, niſi habeat magnitudinem connaturalem. Quod etiam dicendum erit de virtute actiua: hęc enim ſicut agere non poteſt, niſi ſit extenſa; ita perfectè nõ aget, niſi corpus magnitudinem habeat perfectam, & ſibi connaturalem. Forma igitur non ſimpliciter, & abſolutè determinat magnitudinem; ſed ſecundum proportionem ad perfectam conſtitutionem corporis in eſſendo, & in agendo. Quę ipſa non ideò eſt melior, quia eſt maior, ſed quia accommodatior eſt naturali corporis conſtitutioni: nimia enim corporis magnitudo impedit debitũ corporis temperamentum, & naturales illius operationes, vt ſuprà oſtendimus.

Ex dictis patet ſolutio ad ſecundum argumentum: conceſſa enim maiore, neganda eſt minor: nec enim meliori temperamento corporis correſpondet maior quantitas, ſed ea, quæ eſt tali temperamẽto tùm ad eſſe, tùm ad agere accommodatior. Cui maximo eſt argumento ordo, quem natura ſapiens perpetuò ſeruat in danda cuique ſua quantitate: nam inter trinam corporis humani dimenſionẽ hanc proportionem ſeruat, vt longitudo à vertice vſque ad veſtigia pedum ſexies tantùm habeat, quantùm latitudo, quæ eſt ab vno latere ad alterum: decies verò tantùm, quantùm altitudo, quæ ſumitur à dorſo ad ventrem; ſicut ex *Auguſtino* 15. *de Ciuitate Dei c.*26. *referunt Conimbricenſes* 1. *de Generat. c.*5. *q.*14. *artic.*1. *§. Non-* 17. Ad 2. Auguſt. Conimbr.

Nonnulla ſunt hic aduertenda. In augendis etiam corporibus, hanc perpetuò ſeruat legem, vt dimidium ſtaturæ, quam quiſque habiturus eſt, vel concedat trienio, ſicut docet *Plinius lib.9.cap.16.* vel, quod
Plinius. verius videtur, quinquenio, vt docet *Ari-*
Ariſt. *ſtotel.1.de Generat.animalium c.18.* Optimam etiam, atque conuenientem ſtaturę proportionem quatuor cubitis, ſiue ſex
Vitruuius. pedibus definiuit, iuxta menſuram, quã
Vegetius. ex Vitruuio, & alijs referunt Conimbricenſes loco citato: quæ ipſa iuxta menſuram *Vegetij lib.1.de re militari cap.5.* eſt ad ſeptem palmos maiores, qui vt iam diximus faciunt octo palmos Romanos, quæ menſura coincidit cum menſura immediatè explicata. Cum igitur natura ſapiens, & docta in danda trina quantitatis dimenſione, eaque augenda, ſeruet proportionem; vtique eam etiam ſeruabit in concedenda corporis magnitudine; determinando ſcilicet eam conſentaneè ad natiuum temperamentum, niſi impediatur, aut aliquando erret ex abundantia, qualitateque materiæ. Nec eadem ratio reperitur in proceritate magnitudinis, quæ in vitæ diuturnitate: quia naturalis proceritas præciſè ſumitur ex natiua cõplexione; cum tamen vitæ diuturnitas multas habeat cauſas intrinſecas, & extrinſecas ad illam concurrentes, de qui-
Conimb. bus agunt *Medici, & Conimbricenſes 1.de*
Pereira. *Generat.q.14. art.1. pronunciato tertio, & Benedictus Pereira lib.7.in Geneſim q.3.*

18.
Ad 3. Ad tertium argumentum dicendum
Pereira. eſt, opinionem Ioannis Lucidi à poſterioribus meritò impugnari, & ſpecialiter à *Benedicto Pereira lib. 4. in Geneſim q. 3. pag.415*: etenim ſacra Scriptura Geneſis 6. generationem gigãtum narrat, tanquã inuſitatam, & illa tempeſtate nouam: & ſatis declarat, eos non fuiſſe, antequam filij Dei (id eſt filij Seth) ingrederentur ad filias hominum, id eſt ad filias Caim; quanuis *Auguſt.15. de Ciuitate Dei c.24.*
Auguſt. exiſtimet, ante talem ingreſſum, iam fuiſſe gigantes: nam etſi iuxta literam, ſeptuaginta interpretum, poſſet illa Auguſtini ſententia ſaluari; non tamen iuxta noſtram vulgatam: ita enim ait: *Gigantes erant ſuper terram*: reddens autem rationẽ generationis eorum addit: *poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum; illæque genuerunt; iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.* Ex quibus benè colligit Pereira ante mortem Adami gigantes nequam fuiſſe, ſed poſt eam, tùm ante diluuium, tùm poſt illud; & ego colligo, eorum generationem ſic fuiſſe a Deo ordinatam in vltionem ſcelerum, quibus genus humanum pro illo tempore corruptũ erat. Ex quibus iam conſtat, magnitudinem illorum cenſendam eſſe monſtruoſam, & præter naturæ intentionem. Ex quo rurſus infertur, dici non poſſe, nec debere Adamum in magnitudine gigantea fuiſſe creatum; ne dùm fuiſſe maximum gigantum: etenim fuit creatus à Deo omnibus modis perfectiſsimus. Ad locum adductum ex Ioſue dicendum eſt, vel ibi ſermonem non eſſe de Adamo primo parẽte, ſed de Arba, qui inter Enacinos fuit celebritate maximus, vt patet ex litera Hebræa: vel ſi de Adamo primo parente ibi ſermo eſt; ille dicitur maximus non corporis proceritate, ſed dignitate: vide Pereiram. Adamus nõ fuit magnitudinis gigantex.

Ad poſtremum, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia; propter diſ- 19. Ad poſtremum.
parem rationem, quæ inter quantitatem, & cætera animæ, & corporis ornamenta reperitur: illa enim & formam conſequũtur, & ideò denotant perfectionem; cum tamen quantitas nullam importet, vt quę materiam conſequatur.

§. 3.

Ponitur tertia concluſio.

Tertia concluſio: *Non omnes homi-* 20. 3. concluſ.
nes reſurgẽt æqualis ſtaturæ; ſed vnus in maiori, alius in minori ſecundum exigentiam naturalis temperamenti rectè diſpoſiti. In hoc conueniunt omnes Theologi *in 4.diſt.44. vbi D.Thomas q.1.art.3.* *D. Thom.*
quæſtiunc.2.Richard.art.1.q.9. D. Bonau. *Richard.*
in expoſitione textus, Sotus q.vnica, artic.4. *D.Bonau.*
concl.2. Abulenſis in c.22.Matthæi q.246. *Abulenſ.*
Angles in q.de reſurrect. art.6. dub.2. diffi- *Angles.*
cult.3.Conimbricenſes 2.de Generat. cap. 8. *Conimb.*
q.3.art.3.§.Porrò licet in Chriſto.

Probatur primùm authoritate Augu- 21.
ſtini, Anſelmi, Sedulij, & Hugonis de S. 1. confirma
Victore in locis citatis. Deinde efficaci- tur.
ter videtur probari ex verbis Concilij *Conc.Lat.*
Lateranenſis ſub Innocentio 3. *cap.1. relati in c. Firmiter de Summa Trinitate: Reſurgent in corporibus, quæ nunc geſtant*; quæ ſenten-

Clem. Roman. ſententia clariùs explicatur à Clemente Romano lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 8. *Omnipotens Deus excitabit nos tales, quales modò ſumus, præſenti figura nihil mancum habentes.* Quem locum pro communi ſententia expendit *Seraphinus* *Porrhecta* *Porrhecta q. 81. additionum D. Thomæ art. 2.* & id ipſum deducit ex viſione oſsium, de qua Ezechiel. 37.

22. 2. ratio. Ratione etiam id ipſum probatur; quia conſtat, non omnes homines in hac vita eſſe eiuſdẽ ſtaturæ; quia nec omnes ſunt eiuſdem temperamenti, & complexionis; vnuſquiſque igitur reſurget, in ſtatura ſibi connaturali pro ætate iuuenili, quęlibet enim indiuidualis natura humana certam ſibi vendicat magnitudinem, ad quam naturaliter poteſt peruenire.

23. Soluitur obiectio. Obijcies: Si eadem futura eſt omniũ ætas, cur nõ erit omnium eadem ſtatura? maximè cum reſurrectio fiat virtute diuina. Reſpondetur non eandem eſſe ætatis, & ſtaturæ rationem: quoniam quantitas ex temperamento prouenit; ætas verò ex periodo vitæ: iam verò ſimilis vitæ periodus reperiri poteſt in corporibus diuerſimodè complexionatis, diuerſæque magnitudinis.

QVAESTIO II.

De identitate quantitatis, quæ fuit in via.

ARTICVLVS VNICVS.

An in eadem numero quantitate reſurgemus?

§. 1.

Referuntur duæ oppoſitæ ſententiæ.

1. De quantitate eadem numero. Pars negãs. *Sotus.* INquirendum cõſequenter eſt; vtrũ in eadem numero quantitate, quam in iuuentute habuimus, debeamus reſurgere? Partem negantem, qui expreſſè probauerit, inueni neminem: illa tamen videtur eſſe de mente *Soti in 4. diſtinct. 44. q. vnica art. 1. ad 2. §. Quod ſi arguas, & art. 2. ad 1. §. Illa verò Commentatoris opinio, & ſatis eſt de mente D. Thomæ* *D. Thom.* *in 4. contra gentes cap. 81. ad 2. obiectionem,* dũm agit de corpore prædicamenti quãtitatis. Eandem probare debet Durandus cum cæteris, qui putant, quòd ſemel corruptum eſt, idem numero redire non poſſe: iam verò in corruptione ſubſtantiali reſolutio fit vſque ad materiam primam, iuxta communiorem, & veriorem ſententiam.

Quòd tamen eadem numero quantitas ſit nobis reſtituenda, expreſſè probarunt *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 1. artic. 1. quæſtiunc. 1. & art. 3. & in 4. contra gentes cap. 81. ad ſecundam obiectionem in princip. Abulenſis in cap. 22. Matthæi q. 237. ad 3. argum. maximè in fine, Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 3. §. Secundo de vnitate numerica*; ad eandem videtur accedere *Palatius in 4. diſt. 43. diſp. 2. pag. 24.* dũm generaliter putat, eadem numero accidentia eſſe nobis reſtituenda; ad eandem debent accedere Nominales, & illi, qui volunt, materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis, & accidentia numero diſtincta habere etiam diſtincta ſubiecta. 2. Pars affirmans. *D. Thom.* *Abulen.* *Suar.* *Palatius.*

§. 2.

Expenduntur argumenta, quibus pars affirmans confirmatur.

PArs iſta affirmans varijs medijs cõfirmatur, quæ fortè nõ conuincũt. Primo loco confirmatur à Nominalibus, qui quantitatem à re quanta realiter non diſtingunt, ſed ſola connotatione, quæ fuit opinio *Ochami in 4. q. 4. & quodlib. 4. q. 3. & in prædicamentis in cap. de Quantitate, & latè in tract. de Sacramento altaris; Gabrielis in 4. diſt. 10. q. vnica, & diſt. 12. q. 1. art. 1. & lect. 43. ſuper canonem Miſſæ, Adami in 4. q. 5. quos probat Aureolus apud Capreolum in 2. diſt. 18. q. vnica, art. 2.* Hac enim opinione ſuppoſita, neceſſariò conuincitur, eandem numero quantitatem in reſurrectione eſſe reddẽdam: nam cum eadem numero materia ſit reſtituenda, vt oſtendimus; ſi materia eſt ſua quantitas, eadem numero quantitas reſtituenda erit. Hanc ſententiam Nominales intelligunt de quantitate materiæ: nam ſi ſermo ſit de quantitate cæterorũ accidentium (nam apud eos, quodlibet accidens materiale propriam habet quãtitatem realiter diſtinctam à quantitate ſubſtantię, & aliorum accidentiũ) redibit eadem quantitas, ſi alia accidentia eadem numero redire debent; aliàs ſecus. 3. 1. arg. partis affirmãtis ex Nominalibus. Qui quantitatem realiter non diſtingunt à ſubſtantia. *Ocham.* *Gabr.* *Aureol.*

Non recipitur.
In quolibet datur vnanumero quãtitas realiter diſtincta à ſubſtãtia.

¶ At hæc Nominalium opinio à cæteris omnibus, tanquam verè improbabilis reijcitur. Cùm communi igitur ſententia dicendum eſt, in cõpoſito vnam tantùm dari numero quantitatem, qua & ſubſtãtia, & accidentia extendũtur; & hanc realiter diſtingui, tùm à ſubſtantia, tûm à cæteris materialibus accidentibus. Quæ eſt receptiſsima & veriſsima opinio *D. Thomæ 3. p. q. 77. art. 2. & in 4. diſt. 12. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. vbi Richardus artic. 1. q. 1. Argentina q. 1. Maior q. 2. Scotus in 2. diſt. 2. q. 9. & in 4. diſt. 12. q. 2. vbi Durandus q. 1. Capreolus in 2. diſt. 18. q. vnica, Aegidius theoremate 36. 38. & 39. Heruæus quodlib. 1. q. 15. Soncinas in 5. Metaph. q. 19. Sotus in prædicamentis cap. de Quantitate quæſt. 2. Fonſeca in 5. Metaph. cap. 13. q. 2. ſect. 2. Conimbricenſes in 1. de Generat. cap. 5. q. 14 artic. 2. concl. 3. & in prædicamentis cap. de Quantitate, latè Suarius in Metaph. diſput. 40. ſect. 3. cum ſequentibus.*

D. Thom. Richard. Argent. Maior. Scotus. Durand. Capreol. Soncin. Aegid. Heruæus. Sotus. Suarius.

4\. 2. confirm. partis affirmantis.

Relicto hoc Nominalium fundamento pars affirmans poteſt ſecundo loco cõfirmari ex communi ſententia Thomiſtarum aſſerentium, materiam ſignatam eſſe principium indiuidicationis compoſiti naturalis: nam ſiue per materiam ſignatam intelligas materiam affectam hac numero quantitate, vt quidam volunt; ſiue materiam, vt eſt in potentia ad hanc numero quantitatem, vt alij malunt; ſiue denique, vt radicaliter hanc numero quãtitatem continet, quod alijs magis placet; ſemper materia, vt habet ordinem ad hãc numero quantitatem erit principium indiuiduans hunc hominem, v. g. Petrum. Cum igitur Petrus reſurgens non poſsit eſſe idem numero, qui fuit, niſi habeat idem numero indiuiduationis principiũ; vtique ad identitatem Petri ſimul cum eadem numero materia erit neceſſaria eadem numero quantitas.

Non recipitur.

¶ Sed tamen nec iſta Thomiſtarum ſententia eſt ſatis philoſophica: vnde iam in ſcholis ferè omnium conſenſu impugnatur. Et meritò, vt nunc ſupponimus; vide interim *Fonſecam in 5. Metaph. c. 6. q. 4. per totam, & poſt eum Suarium in Metaph. diſp. 5. ſectione 3.*

Fonſeca. Suar.

5\. 3. confirm. eiuſdem ſententiæ.

Quare tertio loco accedit alia Thomiſtarum communis opinio, quæ docet quantitatem ſicut & cætera accidentia, ſaltem completa, non poſſe ſub eadem ſpecie diſtingui numero, niſi habeant diſtincta ſubiecta, diſtinctamq; materiam, in qua recipiantur; quæ fuit ſententia *D. Thomæ 3. p. q. 35. art. 5. & in 5. Metaphyc. lect. 12. quem ſequuntur Capreolus in 1. diſt. 7. q. 2. Caiet. in dicta q. 35. art. 5. Heruæus quodlib. 3. q. 9. & in 3. diſt. 8. q. 1. vbi Paludanus q. 2. Soncinas 7. Metaphyſ. q. 4. & plures alij.* Cum igitur in reſurrectione idem numero ſubiectum, tàm partiale, quàm totale redire debeat; quia redibit idem Petrus cum eadem numero materia; non poteſt alia numero quantitas redire, ſed neceſſariò redibit eadẽ, quæ fuit.

D. Thom. Capreol. Caiet. Heruæus. Palud. Soncin.

Non probatur.

¶ Sed nec hoc fundamentum admitti debet: quia diſtinctio numerica accidentium eiuſdem ſpeciei non neceſſariò requirit diſtinctionem ſubiecti, ſed in eodẽ ſubiecto non ſolùm ſucceſsiuè, ſed etiam ſimul poſſunt exiſtere: quod etiam nunc ſupponimus cum *Fonſeca in d. lib. 5. Metaphyſ. cap. 10. q. 1. & Suario in d. diſput. 5. ſect. 8.*

Fonſeca.

6\. 4. confirmatio eiuſdẽ opinionis.

Quarto loco eandem partem affirmãtem confirmant D. Thomas, Abulenſis, & Suarius locis citatis ex eo, quôd quantitas, ſaltem interminata eſt coæua materiæ, ab eaque inſeparabilis; ita vt eam quantitatem, quam in ſua creationẽ à Deo ſortita eſt, perpetuò conſeruet; ita vt cum eadem quantitate maneat in genito, cum qua fuit in corrupto. Quæ opinio latè etiam confirmatur *à Suario in Metaphyſica diſputatione 18. per totam. & ſpecialiter ſectione 4. numer. 30. & ante eos idem docuit ſchola Pythagoreorum, & Achademicorum. Probarunt omnes ferè Arabes, Auicena 1. ſuæ ſufficientiæ cap. 7. & Auerroes in libro de Subſtantia orbis cap. 1. & in epithome ſuæ Metaphyſicæ, & placuit Henrico quodlib. 15. q. 7.*

Suar. Pythagor. Achadem. Auic. Auerr. Henric.

7\. Ex hoc ergo fundamento inferunt *Diuus Thomas, Abulenſis, & Suarius in dicta diſputatione* 44. in reſurrectione redituram eſſe eandem numero quantitatem; cum enim reditura ſit eadem numero materia, quæ ſuam quantitatem in omnibus ſuis tranſmutationibus nunquam amiſit; vtique cum eadem numero redibit.

Non recipitur.

¶ At tamen fundamentum iſtud, tanquã minus verum, minuſque Ariſtotelicum retractauit i[illegible]m *D. Thomas 1. p. q. 76. art. 6. quod etiam antea reiecerat in tract. de for-*

D. Thom. *Capreol.* *Caiet.* *Heruæus.* *mis q.6.& in 4.diſt.11.q.1.art.1.quæſtiun. 3.ad 4.quam omnes Thomiſtæ ſequuntur, Capreolus in 2.diſt.13.q.vnic. art.3. Caiet. in cap.7.de Ente & Eſſentia, Heruæus de vnitate formarum q.16:& 17.& quodlib.4.q.10.Soncinas 8.Metaph.q.9. vbi Iauellus q.7.& Alenſis 4.p.q.57.membr.4. Albertus Magnus 2.p.Summæ de homine; quorum ſententiam, tanquam probabiliorem ſequutus eſt Fonſeca 5.Metaph.c.15.q.9.ſect.6.ad finē, & tanquam magis Ariſtotelicam probant Conimbricenſes 1.de Generat.c.4.q.18, art.* 2. Qui omnes negant, aliquam quantitatem dari, quæ ſit materię coęua; quinimò affirmant in qualibet ſubſtantiali corruptione corrumpi quantitatem, & aliam numero diſtinctam aduenire genito. *Soncinas.* *Iauellus.* *Alenſis.* *Albert.* *Fonſeca.* *Conimbr.*

§. 3.

Affertur ratio probabilis.

EGo puto veriſsimam eſſe opinionem affirmātem: nam licet opinio negans in hoc ſit veriſsima, quod ad veritatem reſurrectionis minimè ſit neceſſarium, vt eadem numero quantitas redeat; puto tamen, eam ideò eſſe redituram eandem numero, quia illa eſt neceſſaria ad omnimodam perfectionē illius. Primum ex eo probatur; quoniam identitas tùm materiæ, tùm naturæ humanæ reſurgentis non neceſſario pendet ab eadem numero quantitate; ſed poteſt optimè conſiſtere cum quantitate numero diſtincta, quidquid duo priora fundamenta Nominalium, & Thomiſtarū contrariū ſuadeant: quin potiùs nec eadem numero quantitas neceſſaria eſt ad integritatem accidentalem hominis reſurgentis; quòd cum alia numero quantitate æquè perfectus ſit reſurgens, quamuis tertium fundamentum videatur probare, non poſſe redire, niſi eandem numero quantitatem. Nec huic noſtræ aſſertioni contradicent authores quarti fundamenti: quoniam licet putent, quātitatem eſſe materiæ coęuam, & ab ea naturaliter inſeparabilem: non tamen negant, eandem numero materiam cum diſtincta numero quantitate æquè perfectè, & æquè naturaliter conſeruari poſſe. ¶ Quod verò ſit eadem numero de facto reſtituenda propter ipſius reſurrectionis perfectionem, efficaciter probatur ex verbis Clementis Romani

8. Vera opinionis confirmatio.

lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap.8. *Reſuſcitabit nos Deus tales, quales modò ſumus, præſenti figura,* id eſt, hac eadē numero figura: vbi nomine figuræ intelligitur etiam quantitas, vt aduertit *Seraphinus Porrhecta in additionibus ad Diuum Thomam quæſt.80. art.5.& q.81. artic.1. ad finem*: nam cum figura non diſtinguatur à quantitate, non poteſt eadem numero figura reſtitui, niſi eadem etiam numero quantitas reſtituatur. *Clem. Roman.* *Porrhecta.*

Nec deeſt ratio id ipſum ſuadens: quoniam licet nec materia Petri nec Petrus indiuiduetur per quantitatem; tamen vtriuſq; indiuiduatio, & diſtinctio cognoſcitur per quantitatem, vt docet *D.Thom. in opuſculo 3.de natura materiæ c.3*: ob quā rationem nonnulli volunt, quantitatem in hoc ſenſu eſſe principium indiuiduationis; quia eſt principium, non quidem eſſendi, ſed cognoſcendi rem eſſe indiuiduam, vt docet *Fonſeca 5.Metaphy.c.6. q.4.art.4. poſt principium*: ad perfectionem verò reſurrectionis abſque dubio pertinet, vt indiuiduatio, & ſingularitas hominis reſurgentis per idem numero ſignum demonſtretur, per quod in vita demonſtrabatur. 9. Confirmatio. *D.Thom.* *Fonſeca.*

QVAESTIO III.

In quo gradu certitudinis habenda ſint, quæ diximus?

ARTICVLVS VNICVS.

De eodem.

HOmines in quantitate humana reſurrecturos fore, eſt de fide; quia de fide eſt, homines reſurrecturos cum corporibus humanis, vt oſtendimus *ſuprà lib.1.q.1.& 1.tom.lib.4.q.5.art.2. §. 2.per totum.* Et ob id damnantur, tanquā hæretici, qui dixerunt, homines reſurrecturos eſſe in quantitate quadam rotunda. 1. Eſt de fide quod reſurgemus in quantitate humana.

At tamen, quæ de perfecta ſtatura, & ætate iuuenili diximus, non eſſe tradita à fide, expreſſè docuit Auguſtinus libr. 22. de Ciuitate Dei c. 16. vbi in fine ita ſcribit: *Reſurgent omnes tàm magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant in iuuenili ætate* 2. De perfecta ſtatura non eſt de fide. *Auguſt.*

ætate: quanuis nihil oberit, etiamſi erit infantilis, vel ſenilis corporis forma; vbi nec mentis, nec ipſius corporis vlla remanebit informitas. Vnde etiam ſi quis in eo corporis modo, in quo defunctus eſt, reſurrecturum vnumquenque contendit, non eſt cum illo laborioſa contradictione pugnandum. Et cap. 20. ita ait: *Aut ſi contenditur in ea quenque ſtatura corporis reſurrecturum eſſe, in qua defunctus eſt; non pugnaciter reſiſtendum eſt: tantum abſit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omniſq́; corruptio.* At tamen totis viribus contra hanc contentionem pugnandum eſſet, illique pugnaciter reſiſtendum, ſi aliquid contra fidem diceret.

3. Ita certum ſit vt oppoſitum ſit temerarium.

Sed quanuis, quę diximus de fide non ſint; ſunt tamen ita certa, vt oppoſitum non ſolùm non videatur probabile, vt fatetur Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 50. ſect. 3. §. *Tertiò conſiſtet in fine*; ſed nec aliqua temeritate careat; cum ſit contra cõmunem Theologorum ſententiam authoritate Auguſtini, & aliorum Patrum confirmatam; cui ſine ſolido fundamento cõtradicere non caret temeritatis cenſura.

QVÆSTIO IIII.

De perfectione qualificatiua corporis glorioſi.

De perfectione qualificatiua.

Secunda perfectio accidentaria, & naturalis ſpectans ad eſſe corporis glorioſi; poſita eſt in naturalibus corporis qualitatibꝰ, quibus illud quoad eſſe naturaliter perficitur. Has in quatuor claſſes deſtribuimus. In prima ponuntur primæ quatuor qualitates, calor inquam, frigus, humiditas, & ſiccitas, quæ ad eſſe corporis miſti requiruntur. In ſecunda ſunt illæ, quæ ex his primis conſequuntur, & appellantur qualitates ſecũdæ, vt color, grauitas, & leuitas, rarũ, & denſum, & ſi quæ ſunt aliæ huius generis. In tertia ſunt, quæ conſequuntur ad quantitatem, vt forma, & figura. In quarta denique ponuntur, quæ tùm quantitatem, tùm etiam qualitatem conſequuntur, vt pulchritudo, & alia huiuſmodi. Quare quatuor erunt de his perfectionibus excitandæ quęſtiones. Quarta igitur quæſtio erit de primis quatuor qualitatibus. Quinta aget de qualitatibus ſecundis. Sexta de qualitatibus, quæ ſolam quantitatem ſequuntur. Septima, & vltima aget de ijs, quæ conſequuntur & quantitatem, & qualitatem.

Diuiſio harum perfectionum.

Quæ ſunt excitandæ quæſtiones

QVAESTIO V.

De quatuor primis qualitatibus.

Qvod igitur attinet ad quatuor primas qualitates, calorem. ſ. frigus, humiditatem, & ſiccitatem, duos excitabimus articulos. Primus inquiret; an in corporibus glorioſis admitti debeant quatuor iſtæ qualitates primæ? Secundus verò inquiret de proprio cuiuſque corporis glorioſi temperamento, & complexione.

ARTICVLVS I.

An in corporibus glorioſis admitti debeant primæ quatuor qualitates?

§. I.

Refertur pars negans.

1. Quæſtio de primis qualitatibꝰ. Pars negãs.

An in corporibus glorioſis debeant admitti explicatæ quatuor primæ qualitates? Dubitari poteſt: partem negantem *quoſdam probaſſe, refert D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. habetur in additionibus q. 79. art. 1.* Hi igitur voluerunt, in corpore glorioſo manere quidem elementa ſecundum ſuas ſubſtãtias; non manere tamen ſecundum ſuas actiuas, & paſſiuas qualitates: & ob hanc rationem corpora glorioſa eſſe impaſſibilia. Huius opinionis præcipuum fundamentum in eo eſt poſitum; quoniam quatuor primæ qualitates ſunt inter ſe cõtrariæ: non poſſunt igitur manere in corpore glorioſo, quin mutuis ſuis cõtrarijs actionibus; & ſe ſe, & illud corrumpant: hoc autem doti impaſſibilitatis repugnat.

2. Confirmatur ex Patribus. *Cyprian. Auguſt.*

Confirmari etiam ſolet authoritate D. Cypriani in expoſitione Symboli Apoſtolorum c. 27. in fine; vbi ait: *Corpora iuſtorum futura eſſe incorruptibilia; nõ abiecta carnis natura; ſed conditione, & qualitate mutata.* Quæ verba Sotus tribuit *Auguſtino lib. 22. de Ciuit. Dei c. 11.* ſed in eo nõ reperiuntur: aſſerit tamẽ Auguſtinus in fine illius capitis, *naturam corporis terreni, ideò cœlo incolẽdo conuenientẽ futuram; quia facta eſt incorruptibilis*: ex quibus verbis qui-

quidam ita arguunt; locatum non poteſt fieri conueniens loco, niſi illi conformetur: cum igitur cœlum omnis contrarietatis ſit expers; vtique corpus noſtrum, ideò fiet conueniens cœlo; quia omni cõtrarietate denudatum fiet incorruptibile:

§. 2.

Affirmatiua eſt vera.

3. Affirmatiua placet.

HIs tamen non obſtantibus, dicendum eſt, corpora iuſtorum reſurrectura fore cum omnibus quatuor primis qualitatibus. Quæ eſt communis Theologorum ſententia, de qua *Richardus in 4. diſtinct. 44. art. 1. quæſt. 7. & Sotus ibidem quæſt. 1. artic. 5. §. Per hæc alia dubitatio clareſecit, Conimbricenſes 2. de Generatione cap. 8. quæſt. 2. art. 1. & ſatis Suarius 2. tom. ad 3. partem diſp. 44. ſect. 3. poſt principium: & id, tanquam certiſsimum ſupponunt omnes, qui de dote impaſsibilitatis diſſerunt:* toti enim ſunt in reddenda cauſa, cur corpora beatorum contrarijs affecta qualitatibus poſsint reddi incorruptibilia. *Et D. Thomas expreſsè id affirmat in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 1. & Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. poſt primam concluſionem.*

Richard. Sotus. Conimb. Suar. D. Thom.

4. 1. ratio.

Quæ ſententia demonſtrari poteſt: primò; quia corpora glorioſa futura ſunt verè humana; & ſubindè erunt corpora quædam miſta. Ergo neceſſariò conſtabunt ex quatuor elementis; non quidem ſubſtantialiter manentibus; ſed virtualiter ſecundùm primas quatuor qualitates, ex quibus quodlibet corpus miſtum naturaliter conſtituitur, vt omnes Philoſophi concedunt.

5. 2. ratio.

Quod etiã oſtenditur ex quatuor humoribus, cum quibus ſumus reſurrecturi, vt in ſuperiori libro iam oſtendimus, qui quatuor primas qualitates naturaliter ſecum afferunt. ¶ Nec dici poteſt, quatuor iſtas qualitates auferendas eſſe ab ipſis humoribus, cæteriſque etherogenijs corporis partibus.

Solutio nõ recipitur.

6. 3. ratio.

Hæc enim ſolutio tertio loco impugnatur: quoniam corpora glorioſa naturaliter viuunt: vita autem in calido, & humido naturaliter conſeruatur; non quidem intenſis, ſed ad debitam temperiem refractis: refringũtur autẽ miſtione ſuorum contrariorum.

7. 4. ratio.

Quartò accedit; quoniam in reſurrectione anima naturaliter informabit corpus: non poſſet autem illud naturaliter informare, niſi eſſet debitè diſpoſitum: diſponitur autem debitè ad animę receptionem, & informationem per quatuor primas qualitates, quibus naturaliter conſeruatur in corpore.

8. Quinta.

Quintò; corpora beatorum erunt tangibilia, vt in ſequenti libro videbimus: & ſatis ex eo conſtat, quoniam corpus Chriſti poſt reſurrectionem fuit datum diſcipulis, vt tangeretur, & palparetur, vt patet Lucæ 24. & Ioannis 20: *Palpate, & videte, & cætera.* Conſtat autem corpora ſub tactum non cadere, niſi interuentu primarum quatuor qualitatum.

9. Sexta.

Sextò; corpora glorioſa erunt viſibilia: nam corpus Chriſti poſt reſurrectionem â diſcipulis fuit viſum. Erunt igitur colorata, vt inferiùs dicemus. Iam verò color cum ſit qualitas ſecunda, reſultat ex miſtione primarum qualitatum.

10. Poſtrema ratio.

Poſtremò; cum in reſurrectione futura ſit vera caro; vera oſſa, & cætera; quæ neceſſariò diuerſas arguunt complexiones: hæ autem ex miſtione primarum qualitatum conſtãt; negari nulla ratione poteſt ibi futuras eſſe haſce quatuor primas qualitates. ¶ Reſurgemus igitur cũ omnibus quatuor primis qualitatibus, cum ad eſſe corporis naturaliter concurrant; pertineantque ad veritatem naturæ humanæ.

§. 3.

Soluitur fundamentum partis negantis.

11. Ad fundamentũ aduerſariorũ.

NEc aduerſariorum fundamẽtum officit: quoniam qualitates illæ dote impaſsibilitatis à facienda corruptione impedientur, vt inferiùs latiùs oſtendemus.

12. Ad confirmationem.

Ad confirmationem dicimus, D. Cyprianum agere de mutatione qualitatis corporis, non quoad eſſe naturale; ſed quoad ſupernaturale, ſecundum quod dicetur corpus ſpirituale, vt ſatis colliges ex ijs, quæ docet in c. 28. immediatè conſequente. Quod verò ex Aug. adducitur parũ facit: quoniã ſolũ docet, corpora iuſtorũ, ideò, quia per gratiã factã ſunt incorruptibilia, apta eſſe habitare cœlum: etenim per gratiã facta ſunt cœleſtia; nõ verò

verò per naturam: nec opus eſt, vt locatum eiuſdem ſit naturæ cum loco, vt patet in igne, qui concauo lunæ loquatur; cum tamen non ſit cœleſtis naturæ. Locus igitur debet congruere locato, & è cõtrario, ſecundum dignitatem ſuæ naturę: iam verò corpora terrena per gratiam facta cœleſtia, & ſpiritualia, digna ſunt, quę locum omniũ optimum inhabitent. Vide *Richardum loco citato ad 3. & Sotum ibidem, §. Contra hanc autem qualitatum aſſertionem.* *Richard. Sotus.*

ARTICVLVS II.

An reſurgemus cum debito corporis temperamento, & complexione?

§. 1.

Reſurgemus cum proprio temperamento.

1. Reſurgem9 cũ proprio temperamẽto. EX dictis infertur, quemlibet beatorum cum proprio, & naturali humani corporis temperamento, & complexione ſurrecturum: de quo nullus vnquam aut dubitauit, aut dubitare potuit: vnde tanquam veriſsimũ ab omnibus ſupponitur: *Sotus in 4. diſtin. 44. q. vnica art. 5. §. Per hoc alia dubitatio clareſcit, Suarius 2. tom. ad 3. p. diſput. 44. ſect. 3. poſt principium, Conimbricenſes 2. de Generat. c. 8. q. 2. art. 1. D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. contra ſecundam opinionem, Palatius ibidem diſp. 2. pag. 42. col. 1. & pag. 43. col. 2. in fine, D. Bonauent. in 4. diſt. 49. art. 5. q. 1. de dote impaſsibilitatis in fine.* *Sotus. Suarius. Conimb. D. Thom. Palatius. D. Bonau.*

2. Probatio. Probatur hæc ſententia; quoniam tẽperamentum, ſiue complexio vel eſt ipſę quatuor primæ qualitates ad temperiem redactæ, vt verior habet opinio; vel ad ipſarum temperiem reſultat, vt alij volunt, de quo vide *Conimbricenſes in dicto cap. 8. q. 1. art. 1.* Porrò ſi cum Auicena ſumas temperamentum, ſiue complexionem ex miſtione quatuor humorum; cõſtat in corporibus glorioſis dari quatuor humorum temperiem. *Conimbr.*

Alia confir. Quod etiam ex eo cõfirmabitur; quia corpora glorioſa plures habebunt naturales operationes, vt dicemus in libro 4. ſequente; at corporum miſtorum operationes eorum temperamento aſcribuntur, vt docet *Ariſtoteles lib. 2. de partibus animalium cap. 1. & Galenus in lib. de morborum differentijs*: cum quibus cõſentiunt omnes Medici, & Philoſophi. *Ariſt. Galenus.*

§. 2.

Reſurgemus cum temperamento ad iuſtitiam.

HOc temperamentum in corporibus glorioſis non erit ad pondus, vt appellant, ſed ad iuſtitiam cuique naturaliter debitum, pro diuerſitate naturæ, vt benè aduerterunt *Conimbricenſes in dicto lib. 2. de Generatione cap. 8. quæſt. 2. art. 1.* Quanuis oppoſitum exiſtimet *Palatius in 4. diſtin. 44. diſp. 2. pag. 42. col. 1. & 2. & pag. 43. col. 2. in fine, & videtur eſſe de mente D. Bonauenturæ in 4. diſt. 49. art. 5. q. 1. de dote impaſsibilitatis in fine. Sed noſtra ſententia fuit D. Thomæ in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. artic. 1. quæſtiunc. 1. in corpore, dùm agit contra ſecundam opinionem.* 3. Reſurgemus cũ temperamento ad iuſtitiã. *Conimb. D. Thom.*

Prior huius aſſertionis pars inde probatur: quoniam licet temperamentum ad pondus ſit omnium præſtantiſsimũ; nec repugnet illud dari in corpore humano diuina virtute; non poteſt tamen dari per naturam, ita vt ſit connaturale, & permanens, vt contra nõnullos oſtendit Curſus Conimbr. in d. q. 2. art. 3. At corpori glorioſo reſtituetur complexio, quæ ei naturaliter debita fuerit. 4. 1. pars probatur.

Ex quo patet poſterioris partis confirmatio: quoniam cuique corpori viuenti naturaliter debetur temperamentum ad iuſtitiam: cum enim habeat partes ætherogenias, varia exiget temperamenta pro natura cuiuſque partis. Ob quam rationem tàm in primis parentibus, quàm in Chriſto Domino fuit temperamentũ ad iuſtitiam, vt omnes admittunt: idem igitur dabitur in reſurrectione corporibus glorioſis. 5. Probatur pars poſterior.

Quod non ſolum verum erit de temperamento totius, ſed etiam de temperamento ſingularum partium: cum enim ſingula corporis glorioſi membra ſint miſta in ſingulis aliquod ex elementis prædominabitur. Non negarem tamen in aliquo corporis membro fortè reperiri poſſe temperamentum ad pondus, ſi illud in via præfuit: quod non eſſe impoſſibile, etiam viribus naturæ, docuerunt Conimbricenſes loco citato. 6. Redibunt tẽperamenta omnium partium.

§. 3.

§. 3.

Varia eſſe temperamenta.

7. Varia ſunt téperamenta in beatis. CVm verò varia ſint temperamentorum genera, non modo ſecundũ diſtinctionem miſtorũ ſpecie, aut genere differentium; ſed etiam inter miſta eiuſdem ſpeciei: nec omnibus hominibus intra cancellos humanæ ſpeciei, idẽ temperamentum competat, vt docet experientia, & tradunt omnes Philoſophi, *Conimb.* & Medici, vt ex Auicena, & alijs authoribus habes apud *Conimbricenſes 2. de Gene rvt. cap. 8. q. 1. art. 2.* vtique in reſurrectione non omnes cum eodem temperamento, & complexione reſurgent; ſed ſinguli cum ſuo innato, atque primigenio, quod pro dignitate, & exigentia propriæ naturæ à parentibus acceperunt.

8. *Palatius reijcitur.* Oppoſitum docuit *Palatius in 4. d. 44. diſp. 2. in fine pag. 43. col. 2.* vbi negat, dari in beatis complexionum varietatem: cũ in omnibus nulliushumoris detur exceſſus, ſed ſumma eorum æqualitas. Sed allucinatur, & toto cœlo errat; quia ſequeretur, dari in beatis temperamentum ad pondus, cuius oppoſitum docuimus. Sequeretur etiam, omnibus beatis eandem quantitatis ſtaturam eſſe debitam: cuius oppoſitum in ſuperioribus oſtendimus: ſequela patet, quia ſtatura in beatis non variatur, niſi propter complexionis varietatem, vt omnes, nullo excepto agnoſcunt.

9. *Reſolutio.* Alij igitur erunt complexionis ſanguineæ: alij cholericæ: alij phlematicæ: alij deniq, melancholicæ: ſed in ſingulis proprium temperamentum in ſua ſpecie, & natura erit perfectiſsimum. Hęc autem varietas cedet in maximam cœleſtis Patriæ pulchritudinem: ſicut enim Reſpublica, teſte Ariſtotele dicitur benẽ conſtituta; cum non ijdem honores proportione arithmetica, eodem numero, & gradu omnibus mandantur; ſed ſeruata proportione geometrica, prout cuiuſque dignitas poſtulat, diſtribuuntur; ita etiam in Republica cœleſti optimo ordine ſeruatur ratio iuſtitiæ, cum temperamenta (quæ ad naturalem perfectionẽ ſpectãt) corporibus beatis reſtituuntur non omnibus eadem qualitatum proportione, ſed pro cuiuſque naturæ dignitate.

(.:.)

§. 4.

Erit temperamentum ætatis iuuenilis.

POrrò cum innatum temperamentum cũ ætatibus varietatem ſubeat 10. *Erit temperamentũ iuuenilis ætatis.* vt omnes Medici, & Philoſophi docent: meritò inquiri poteſt, in quo nã temperamento quiſque beatorum reſurget? Reſpondendum eſt, quemque beatorum reſurrecturum fore cum innato tẽperamento, debito ætati iuuenili: tùm enim quiſque in ætate iuuenili ſurrecturus ſit; vtique complexionem iuuatam obtinebit ſecundum conuenientiam illi ætati debitam. Et merito; quoniam innatum temperamentum pro hac ætate eſt ſimpliciter excellentius, vt cum communi Medicorum doctrina ſupponimus. In quo verò quiſque temperamento reſurget; in eo tota æternitate abſque vlla mutatione permanebit: ſtabilietur enim, atq; firmabitur dote impoſsibilitatis; quę impediet, ne qua varietas circa primas qualitates poſsit accidere, vt lib. 5. latius dicemus in quæſtione de dote impoſsibilitatis.

QVAESTIO VI.

De qualitatibus ſecundis.

COnſequenter agemus de qualitatibus ſecundis: de illis ſequẽtes excitabim⁹ articulos. *De 2. qualitatibus.* Primus eſt vtrùm in corporibus glorioſis futura ſit ſanitas exactiſsima? Secundus; vtrum corpora glorioſa futura ſint colorata? Tertius: quid de duritie: ſiue mollitie. Quartus; quid de denſitate? Quintus: quid de grauitate, craſsitia, & ariditate? Sextus, & vltimus: an hæc omnia eadem numero ſint reditura?

ARTICVLVS I.

An ſanitas corporis glorioſi futura ſit exactiſsima?

§. 1.

Erit perpetua ſanitas, & perfecta.

EX primis qualitatibus ad certã proportionem redactis conſequi qualitates corporibus miſtis peculiares, 1. *Erit ſanitas perpetua.* &

& proprias, quæ ſecundæ qualitates dici ſolent, communis eſt Philoſophorum doctrina, de qua Conimbricenſes 2. de Generat. capit. 3. q. 2. artic. 2. concl. 3. De his
2. ſigillatim agemus.

Quid ſanitas. Prima igitur illarum eſt ſanitas: hæc autẽ (ſi propriè loquendum eſt) nihil eſt aliud, quam temperamentum primarum qualitatum probè ſe habens, vt docet *Ariſtotel. 7. Phyſic. cap. 3. tex. 17.* (Ariſt.) nec enim ſanitas à bono temperamento aut realiter, aut ratione diſtinguitur: quamuis controuerſum ſit; an à primis qualitatibus debitè temperatis, tanquam vna ſimplex qualitas diſtinguatur? quod ad præſens inſtitutum parum conducit.

3. Ex quo infertur, in corporibus glorioſis futuram eſſe perpetuam ſanitatem; cũ in illis perpetuo futurum ſit temperamẽtum ad naturam propriam cuiuſque beati probè ſe habens, vt conſtat ex his, quę diximus in quæſtione præcedente art. 2. Hanc perfectam ſanitatem exigit perfectio beatitudinis cœleſtis, quę eſt ſtatus omnium bonorum cumulo, malis omnibus ſecretis, perfectiſsimus: iam verò ſicut morbus eſt naturę malum, imò etiam ex peccato proueniẽs; ita ſanitas eſt quædam naturæ perfectio ad redemptionem noſtri corporis ſpectans. Hac ratione veritatem iſtam docuit *Cyprianus in ſerm. de Aſcenſione ad finem*, (Cyprian.) vbi agens de corporibus glorioſis ita ait: *Non ſeneſcent; non tabeſcent: non putreſcent amplius: perpetua ſanitas, & felix æternitas beatitudinis illius ſufficientiam confirmabunt*: Idem etiam docuit *Auguſtinus multis in locis Epiſt. 56. ad Dioſcorum. & Epiſt. 121. de Orando Deo c. 3. lib. 1. Retract. c. 11. lib. 6. de Muſica cap. 5. lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 21. Pſalm. 37. ad illa verba*: (Auguſt.) *Non eſt ſanitas in carne mea, & inferius ad illa verba*: *Quoniam anima mea impleta eſt illuſionibus, & Pſalm. 55. ad illa verba*: *Ego verò in te ſperaui Domine. Pſal. 146. ad illa verba*: *Qui ſanat contritos corde, tandem ſerm. 74. de tempore cap. 9. & 10.*

4. Colligitur ex 1. Cor. 15. Hanc veritatem Auguſtinus deducit ex Paulo primæ Corint. 15. ex illis verbis: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem*: nam cum immortalitate non poteſt non eſſe coniuncta ſanitas perfecta. Rurſus eam colligit ex verbis Iſaiæ 26. (Iſai. 26.) *Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere; quia ros lucis, ros tuus*: vbi per rorem matutinum intelligit perfectam corporum reſurgentium ſanitatem, vt eſt cõmunis expoſitio. Non ineptè eandem veritatem deduces ex Apocalypſis cap. 21. (Apoc. 21.) ex illis verbis: *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors vltra non erit: ſed nec luctus, aut vllus dolor: & cætera*: vbi nomine mortis intelligendus eſt omnis naturæ defectus, qui ſanitatem corrũpit, & ad interitum diſponit: omnis enim morbus ſimul cum morte per peccatum introiuit: vnde in reſurrectione omnis auferendus eſt à beatis, reddita corporis ſanitate.

§. 2.
Erit perfectiſsima ſanitas ad normam Philoſophorum.

5. Erit ſanitas ad normam Philoſophorum. His adde in corporibus glorioſis, nõ ſolùm futuram eſſe exactam ſanitatem ſecundum Medicorum conſiderationem; ſed exactiſsimã, & ad amuſſim perfectam ad normã Philoſophorũ, qui ſanitatem cõſtituunt in quadam proportione indiuiſibili primarum qualitatũ; ita, vt vbi primum animal ab ea vel leuiter deflectit, in morbo ponatur: de qua Medicorum, & Philoſophorum ſanitate vide *Conimbricenſes 7. Phyſic. cap. 3. q. 1. ar. 2. ad 1. & in 1. de Generatio. cap. 4. q. 22. ar. 3. ante finem, & lib. 2. cap. 8. q. 2. art. 1. ad finem.* (Conimb.) Quæ noſtra ſententia inde confirmatur; quia cuiuſque corporis glorioſi temperamentum futurũ eſt in ſua ſpecie perfectiſsimum, vt iam diximus. Sanitas igitur comparatione cuiuſque erit exactiſsima in hoc ſenſu, vt ratione ſtatus, quæcũque deflexio, etiam leuiſsima, ab ea tẽperie, reſpectu illius corporis dici poſsit morbus; cùm iam ſit defectio à ſumma ſanitatis perfectione: nulla autem defectio decet perfectionem illius ſtatus.

§. 3.
Erit perfectior, quàm fuerit in ſtatu innocentiæ.

6. Perfectior erit quàm erat in ſtatu innocentiæ. Ex dictis infertur, corpora glorioſa habitura fore perfectionem ſanitatem, quàm primi parentes in ſtatu innocentiæ habuerunt, & habuiſſent poſteri, ſi illi ſtatus permanſiſſet: nam licet ſtatui illi repugnabat inſignis aliqua deflexio, quæ morbum Medicis efficeret;

Conimb. non tamen repugnabat omnis deflexio, ſaltem illa, quam diurni, aut nocturni tẽporis varietas afferre poſſet, vt aduerterunt *Conimbr. 2. de Generat. c. 8. q. 2. ar. 1.* ex quo inferes ſtatui innocentiæ repugnaſſe quidem omnem morbum, qui Medicis eſt morbus: non repugnaſſe tamen omnem morbum, qui morbus eſt ſecundum Philoſophorum conſiderationem: cum tamen vterque repugnet beatis corporibus.

§. 4.

An futura ſit perfectior, quam fuerit ſanitas Christi in vita mortali?

7. An futura ſit maior quam fuerit in Christo. VTrùm verò corporum beatorum ſanitas ſanitatem corporalẽ Chriſti Domini; dum in vita fuit mortali ſuperauerit? fortè aliquis dubitabit. Ratio dubitandi inde ſumitur; quoniam ſicut primis parentibus in ſtatu innocentiæ non repugnauit omnis morbus Philoſophicê conſideratus; ita nec Chriſto pro ſtatu viæ debuit repugnare: nam etſi omnis morbus, qui Medicis eſt morbus, imperfectionem aliquam ſupponat, vel in corporis formatione, vel ex aliquo cibi, & potus exceſſu: tamen non omnis morbus, qui Philoſophis eſt morbus, ex aliqua illarum imperfectionum proficiſcitur: aliàs in ſtatu innocentiæ reperiri non poſſet, in quo nec corporis imperfectio, nec cibi, potuſue immoderatio fuit, aut futura eſſet, ſi talis ſtatus permanſiſſet; ſed proficiſcitur ex imperfectione naturali corporis compoſiti ex contrarijs: qualis imperfectio Chriſtum Dominum non decebat. (An Chriſto repugnauerit õnis morbus ad normam Philoſophorum. Argumenta affirmantis.)

8. Cõfirmatiõ. Quod adhuc confirmatur: quia Chriſto in via fortaſſè non repugnabat incidere in ægritudinem naturalem ſenectutis, qualis ex ſententia Medicorum accidit ijs, qui ſenio confecti naturaliter, quaſi vi naturæ moriuntur, vt benè aduertit *Suarius 1. to. ad 3. p. diſp. 32. ſect. 2. ad finem, & Conimbricenſes loco citato.* Cum igitur leuis illa mutatio temperamenti, quæ ex diurni nocturnive temporis varietate cauſatur, ſit veluti naturalis, nullamque ſupponat extrinſecam imperfectionem, ſed ſolã, quæ naturæ eſt intrinſeca: cur Chriſto Domino, dũ fuit in via, repugnaret? (Conimbr. Suarius.)

9. Dicendum tamen eſt, exactiſsimã corporis ſanitatẽ, etiã ad Philoſophorũ normam Chriſto viatori eſſe concedam, ita vt ægritudinem, nec ſecundum Medicã, nec ſecundum Philoſophicam conſiderationem habuerit: tùm; quia hæc perfectio decet hominem Deum: tùm; quia hęc videtur eſſe mens Patrum, dum generaliter omnem, vel leuiſsimam ægritudinem à Chriſti corpore excludunt. Tùm tertio; quia non decet, vt corpus etiam beatũ excellat, etiam in naturalibus, corpus diuinitati vnitum. Quare dicendũ eſt, omnino ſanitatem corporalem Chriſti viatoris, quoad intrinſecam ſanitatis rationẽ pro cuiuſque ętatis ratione, ſemper fuiſſe omnibus modis exactiſsimã, & ad amuſſim ſemper perfectam; & proinde in hoc fuiſſe æqualem ſanitati corporis beati: quoad modum tamen, & conditionẽ ſtatus fuiſſe minus perpectam. (Omnis morbus repugnabat Chriſto. Argumẽta.)

Prior pars ex dictis patet; poſterior verò facilè oſtenditur; quia ſanitas Chriſti, etſi perfectiſsima fuit; tamen pro ratione ſtatus, ætatum variationem actualiter ſubiuit, vt benè aduerterunt Conimbricenſes loco citato; quamuis debitam cuique ætati ſymmetriã, & proportionẽ ſemper obtinuerit, ſublata quacũque, vel leui deflexione. Quare ſi mortalem vitã continuaſſet, quantumuis natiuus calor ætate defeciſſet, tamen æqualitatem ætati ſenili debitam nunquam amiſiſſet, ſed eam conſeruaſſet. Incurriſſet igitur in ſenium, & in naturalem mortem abſque vllo morbo, & inæqualitate temperamẽti, vt benè aduertit *Suarius vbi ſuprà ſect. 2. in fine*: nec enim per ſe, & intriſecè repugnat homini mortali peruenire vſque ad mortem per mutuã actionem caloris, & humidi naturalis abſque vlla ægritudine, & humorum intemperiè, quãuis Medici oppoſitum doceant. 10. Prior pars cõfirmatio.

Porrò; ſi cum illis ſentias; dicito, hanc eorum ſententiã noſtræ minimè repugnare: nec enim agimus de ſanitate Chriſti quoad ea, quæ circa illam naturaliter fieri poterant; ſed quoad ea, quæ de facto acciderunt: nam ſi naturam ſanitatis Chriſti ſpectemus, & rationem ſtatus viæ; cũ illius qualitates, & humores eiuſdem fuerint naturæ cum noſtris; & finitã habuerint reſiſtentiam; potuerunt quidem ab externis cauſis, præſertim vehemẽtibus; ad ægritudinem flecti; imò etiam à cauſis internis, pro ætatis variatione, quibus neceſſario 11. Idem cõfirmatur ſuppoſita Medicorũ ſententia.

ceſſariò variabatur. Vnde in hoc vinceba tur à ſanitate corporis glorioſi, quæ propter adiunctam dotem impaſsibilitatis, nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco à ſua naturali proportione deflecti poteſt: & ob hanc cauſam ſola illa dicitur ſanitas perfecta; cōparatione cui⁹ ſanitas corporis mortalis cēſenda eſt, veluti morbus, vt docuit Auguſtin. in locis ſupra citatis: & ob hāc rationem ſanitas Chriſti viatoris indiguit extrinſeca Dei prouidentia, ne in ægritudinem deflecteret; cum tamen ſanitas corporis beati ab intrinſeca dote impaſsibilitatis intrinſecè ſit immutabilis; etiam per extrinſecam violentiam, vt ſuo loco dicemus.

Ad obiectionem. Quod verò ex Adamo adducitur, nihil officiet; quoniam perfectior naturalis ſanitas debebatur corpori Diuinitati vnito quàm corpori innocenti.

ARTICVLVS II.

Verùm corpora glorioſa futura ſint colorata?

§. 1.

Affirmatiuè reſpondendum eſt.

1. Erunt colorata. QVod verò attinet ad qualitates ſecundas, quæ ex varia primarum miſtione oriuntur, & reſultant, certiſsimum eſt, corpora glorioſa futura eſſe colorata: id enim affirmat communis Theologorum ſententia: expreſsè *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 4. quæſtiun. 3. ad 2. vbi Durand. q. 8. & Sotus q. 1. art. 5. §. Per hæc alia dubitatio clareſcit, & idem dixerat art. 4. præcedente ad finem, D. Bonauentura in 4. diſt. 49. ſecunda p. ar. 5. q. 1. de dote claritatis; vbi etiam Richardus artic. 4. q. 6. ad 2. Scotus q. 15. Baſſolius q. 4. artic. 1. §. Suſtinendo tamen, Argent. q. 1. artic. 4. ad 2. contr. primam, Paludanus q. 5. art. 2. concl. 1. nu. 8. Maior q. 10. Sotus q. 4. artic. 8. ad 2. argum.* & eſt recepta omnium ſententia, dum agunt de claritate corporis glorioſi.

D. Thom. Durand. Sotus. D. Bonau. Richard. Scotus. Baſſol. Argent. Paludan. Maior. Sotus.

2. Probatur ex Auguſt. Eam expreſse aſſerit *Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 19. ad finem*, ita inquiens, *Coloris porrò ſuauitas quanta erit, vbi iuſti fulgebunt, ſicut Sol in regno Patris ſui.* Ratione etiam eadem veritas confirmatur: quia corpora glorioſa erunt viſibilia: etenim Chriſtus poſt reſurrectionem viſus eſt à diſcipulis, vt teſtatur Paulus 1. Cor. 15. & patet ex verbis Lucæ 24. *Palpate, & videte, & cætera:* multa etiam corpora ſanctorum reſurrexerunt cum Chriſto, & apparuerunt multis, vt dicitur Matth. 27. Nec dici poteſt, Chriſtum fuiſſe viſum ratione lucis, & claritatis ſuæ: nam, vt ait *Auguſt. in dicto cap. 19.* Chriſtus dū diſcipulis apparuit, ab eis ſuam lucem abſcondit. Deinde conſtat, corpora glorioſa futura eſſe pulcherrima, vt inferius oſtendemus: pulchritudo autem in ſua ratione includit ſuauitatem coloris, vt etiam ſtatim dicemus.

1. Cor. 15. Lucæ 24.

Tertiò; color eſt qualitas corpori miſto terminato naturalis, ex certa quadam primarum qualitatum temperie reſultās, vt omnes agnoſcunt. Hanc autem temperiem, & coloris qualitatem in corpore humano reperiri, docet experientia. Cum igitur corpora glorioſa cum eodem temperamento primarū qualitatū ſint reſurrectura, vt in ſuperioribus diximus; vtique reſurgent colorata: quæ enim ex naturali temperamento naturaliter reſultāt, reſurgent in reſurrectione, niſi aut ſecum imperfectionem deferant, aut alio modo repugnent. Iam verò coloris qualitas nullā imperfectionem includit ſtatui beato repugnantem, etenim optimè poteſt conſtare, tùm cum claritate beatorum corporum; tùm etiam cum eorum tranſparentia, vt lib. 5. oſtendemus in q. de dote claritatis. Cum igitur color naturaliter corpori humano conueniat, & ad eſſe illius pertineat, non poteſt corporibus glorioſis denegari. 3. 3. Ratio.

§. 2.

An omnia corpora beata futura ſint alba.

DVbitari tamen poteſt; an omnes reſurrecturi ſint albo colore? quidam ex recentioribus affirmant: eo ducti fundamento, quia germanus minus beatus pulchrior foret Aethiope beatiore. 4. An omnes beati futuri ſint albi? Affirmatio.

Confirmari poteſt horum ſententia; quoniam in reſurrectione omnia erunt perfectiſsima; at inter colores albedo eſt prꝙſtātiſsima, cū magis accedat ad lucem, vt habes apud *Conimbricenſes 2. de Anima cap. 7. q. 3. ar. 2.* ob quam rationem antiqui docuerunt, colorem album eſſe Deo chario- 5. 1. Ratio.

2.Ratio. chariorem, vt patet ex *Cicerone* 2. *de legibus, & ex Platone Dialogo* 12. *de legum latione. deniq; ex Laertio in Pythagora.* Quin potius albedo ob ſui perfectionem ſignificat puritatem, ſapientiam, & æternitatem, vt affirmat *D. Hieronymus in cap.* 7. *Danielis,* vbi docet, Chriſtum Dominum ob hanc rationem deſcribi album capillis cap. 1. Apocalypſis. *Hierony.*

6. 3.Ratio. Tertio, & ſpecialius, quod nullus debeat reſurgere cum colore nigro inde videtur ſuaderi; quoniam corpora iuſtorum reſurgent pulchra, & cum quadã coloris ſuauitate: hanc autem non eſſe in colore atro docet Philoſophi, vt patet ex Conimbricenſibus 2. de Generat. cap. 8. q. 3. art. 3. & merito; quoniam nigredo ad tenebras accedit; nam tenebræ nigri ſpeciem referunt.

7. 4.Ratio. Quarto loco poteſt confirmari; quoniam nigredo in corpore humano ex nimio ſolis ardore, & intemperie primam habuit originem, vt affirmant *Conimbricenſes in dicta q.* 3. *art.* 3. cum pleriſque antiquorum: vnde ex vitio naturæ eſt in Aethiopibus. Iam verò in reſurrectione iuſtorum omne naturæ vitium reformabitur. *Conimb.*

8. Vlt.ratio. Poſtremo accedit: quoniam corpora glorioſa reſurgent clara, vt lib. 5. oſtendemus in dote claritatis; hæc autem claritas, vt pleriq; arbitrantur, non erit aliud, quã color cum quadam refulgentia, & manifeſtatione. Hæc autem non poteſt conuenire nigredini, ſed ſoli albedini: claritas enim ſecundum primam ſui impoſitionem importat proprietatem luminis, atque lucis; cui opponuntur tenebræ; ad quas, vt iam diximus, accedit nigredo.

9. Opinio Soti affirmatiua. Ob has, & alias rationes *Sotus in* 4. *d.* 44. *art.* 4. putat, Aethiopes non eſſe reſurrecturos cum ſua ingredine; nec inſulanos ſubpalidos; quia talis color prouenit ex vitio naturæ; nimirũ ex nimio ardore ſolis aduſtæ: admittit tamen non omnes reſurrecturos albiſsimi coloris: ſed cum varietate, iuxta propriam naturam.

Oppoſitum eſt verius.

10. Negatiua eſt verior. *Rubione.* ¶ Oppoſitam tamen ſententiam probauerunt quidam, quos refert *Guillermus de Rubione in* 4. *d.* 49. *q.* 4. *artic.* 3. *poſt principium,* quorum ſententiam putat eſſe longẽ probabiliorẽ. Eandẽm probat *Ouand. in* 4. *diſt.* 44. *propoſ. vltima*: ſatis videtur, eam explicaſſe *Scotus in* 4. *diſt.* 49. *q.* 15. dum ait, nec omnes habituros eſſe eũdem colorem; nec qui eundem hebebunt, eum habituros ſecundùm eũdem gradum. Addunt pręterea, colorem in vnoquoque futurum eſſe ſecundum rationem, & naturam proprię complexionis: in quo cum Scoto conſentiunt *Maior in* 4. *diſt.* 49. *q.* 19. *vbi Baſſolius q.* 4. §. *Suſtinendo tamen viam iſtam, & Sotus q.* 4. *art.* 8. *ad* 2. *principale Palat. in* 4. *d.* 44. *diſp.* 4. *ad fin. & Richard. in* 4. *diſt.* 49. *art.* 4. *q.* 6. *ad* 2. Qui omnes in hoc conſentiunt, vt corpora iuſtorum cũ proprio, & naturali colore, qui propriæ complexioni naturaliter debetur, eſſe reſurrectura: & merito ſanè; quia talis color ad perfectionem illius complexionis ſpectat. Cum igitur nigredo Aethiopis natiuo illius temperamento ſit naturalis, ad quam, & progenitores, & natura tum regionis, tùm Solis concurrunt; neceſſario videtur dicendum, quòd Aethiopes cum ſua naturali nigredine reſurgent, omnibus tamen imperfectionibus ſublatis. *Ouand.* *Scotus.* *Maior.* *Baſſol.* *Sotus.* *Palatius.* *Richard.*

Soluuntur argumenta.

11. Ad 1. arg. ¶ Nec fundamenta oppoſita conuincunt. Nam ad primum dicendum eſt, nullum eſſe inconueniens, ſi minus beatus naturaliter ſit pulchrior Aethiope beatiore: quia opus non eſt, vt beatior in omnibus naturalibus perfectionibus alium minus beatum ſuperet. Dici etiam poteſt, pulchritudinem principaliter poſitam eſſe in ſuauitate coloris: hæc autem poterit eſſe maior in eo, qui colorem minus perfectum habet; idque propter maiorem dotis claritatem, quæ ad pulchritudinem maximè conducit: vnde Aethiops beatior, licet in natura coloris albi fortè vincatur à minus beato; non tamen vincetur in ſuauitate coloris, ex qua pulchritudo præcipuè pendet.

12. Ad 2. Ad ſecundum dicendum eſt, in reſurrectione omnia in ſua ſpecie, & natura eſſe perfectiſsima; nec opus eſſe, vt quiſque beatorum habeat id, quod in ſuo genere eſt perfectiſsimum, vt patet in complexionibus beatorum corporum: nec enim omnes erunt complexionis ſanguineæ, vt iam oſtendimus; quamuis illa inter complexiones ſit omnium per-

perfectiſsima. Concedendum eſt igitur, albedinem inter colores eſſe præſtantiorem; ex hoc tamen non ſequitur, omnes reſurrecturos fore albos corpore: ſicut etiam non ſequitur, omnes reſurrecturos in ſumma, & intenſiſsima albedine; quin potius albedo nimium intenſa pulchritudini repugnat propter ſuauitatis carentiam: vnde Chriſtus Dominus omnium hominum pulcherrimus fuit coloris triticei, vt de eo refert Nycephorus lib. 1. ſuæ hiſtoriæ cap. vlt. & idem referri ſolet de Virgine Deipara.

13. Ad 3. Ad tertium conceſſa maiore, neganda eſt minor, vt ſatis colliges ex Scoto, & alijs, quos citauimus. Nec Philoſophi oppoſitum docent: Conimbricenſes autem loquuntur de colore atro, qui ex vitio naturæ procedit: aliàs non ſunt audiendi.

14. Ad 4. Ad quartum concedimus, nigredinem in corpore humano, ex nimio ſolis ardere, & intemperie primam originem habuiſſe: à principio enim omnes homines albo colore fuerunt propter optimã progenitorum complexionem, atque irradiationem Syderum, benignamque ſoli, & regionis naturam: negamus tamen nigredinem in Aethiopibus eſſe ex vitio naturæ, poſt quam complexio, & temperamentum ex natura regionis factum eſt natiuum.

15. Ad vlt. Ad vltimum reſpondetur: nec claritatem idem eſſe cum colore adiuncta refulgentia, *vt diecmus lib. 5. in q. de dote claritatis*: nec illa opinione admiſſa, refulgentiã claritatis nigredini terſæ, & politæ repugnare.

16. Quiſque reſurget cum calore natiuo. Reſurgent igitur ſinguli cum natiuo, & naturali colore, ſublata omni imperfectione, quæ coloris ſuauitatem impedire poſsit. Vnde quicumque color tunc erit pulcherrimus, & viuaciſsimus, vt omnes admittunt. Quomodo autem cum colore in corporibus beatis ſtare poſsit claritas, & perſpicuitas? oſtendemus lib. 5. cum de dote claritatis ſermo fuerit.

Quàm id ſit certum?

17. An ſit certũ negat Rubione. ¶ Siquis inquirat; an certum ſit corpora beatorum futura eſſe colorata? Negatiuè reſpondet *Guillermus de Rubione in 4. diſt. 49. q. 4. ar. 1. cõl. 4. & vlt.* ſunt enim, vt ait, quidã Theologi, qui putant, corpora beatorum ſolùm futura eſſe lucida, non verò colorata; quorum opinionem non reijcit licet oppoſitam, tanquam probabiliorem probet.

18. Certa eſt nec poteſt negari ſine temeritate. Ego tamen puto, noſtram, & cõmunẽ concluſionem eſſe omnino certã, & oppoſitam à temeritate ſaluari non poſſe; cum Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem fuerit à diſcipulis viſus, & agnitus, nimirum ſub eadem quantitate, effigie, atque colore. Maximè, cum teſte *Auguſtin. 22. de Ciuitate Dei cap. 19.* in ſuis apparitionibus claritatem ſuam occultauerit; quam eandem in die iudicij occultabit dãnatis; vel ita eam temperabit, vt effigiem humani corporis clarè, & diſtinctè, videãt; quæ ipſa ſine quantitate, & colore naturaliter videri non poterit. *Auguſt.*

ARTICVLVS III.

Quid de duritie, mollitie, denſitate, & de cæteris qualitatibus ſecundis?

§. 1.

De duritie, & mollitie.

1. Reſurgent cum naturali membrorũ mollitie ac duritie. Reſurgent corpora glorioſa cũ naturali ſingulorum membrorum, ut mollitie, aut duritie: quod omnes, tanquam veriſsimum ſupponunt: etenim proprium cuiuſque membri temperamentum alteram iſtarum qualitatũ naturaliter ſibi vendicat, vt docet experientia; maiorem, vel minorẽ, pro naturali cuiuſque denſitate: vnde fit, vt hæc accidentia ad veritatem naturæ humanæ pertineant; & ſubinde corpora glorioſa cum illis reſurgẽt. Caro igitur mollis erit; oſſa erunt dura, & ſuo modo de cæteris partibus idem erit dicendum.

2. *Luc. 24.* Quod adhuc confirmatur: quia corpora glorioſa erũt palpabilia, iuxta illud Lucæ 24. *Palpate, & videte*: habebunt igitur qualitates tangibiles: inter quas enumerãtur durum, & molle, vt patet ex Ariſtotele 2. de Generat. cap. 2. Igitur cum illis reſurgemus.

§. 2.

Habebunt debitam denſitatem.

3. Habebunt denſitatem. Ex ijs, quæ diximus, colliges, Sãctos reſurrecturos eſſe cũ debita, atque naturali ſingulorum membrorum, &

& partiũ denſitate: id enim colligitur ex
illorũ,tùm viſibilitate, tùm etiam palpabi
litate:ſicut enim nihil poteſt viſum termi
nare,niſi congrua denſitate prẹditum ſit,
vt docet cõmunis Philoſophorum doc-
trina (ob id enim nec ignis, nec aer in ſua
Sphæra, imò,nec partes cœli ſunt viſibi-
les) ita etiam nihil poteſt palpari,niſi cõ-
gruam etiam habeat denſitatem, quæ tan
D. Thom. genti ſuo modo reſiſtat : de quo vide *D.*
Suarius. *Thomam 3.p.q.54.art.3.ad 2. & ibidẽ Sua
rium in Commentario §. Secundo poſſet in-
quiri.* Quomodo autem cum hac denſi-
tate conſtet eorundem corporum tranſ-
parentia explicabimus *lib. 5. in q. de dotis
claritate.* Aduerte tamen ſpiritus tam vi-
tales , quàm animales, cum quibus beata
corpora reſurgent, naturalem habere ra-
ritatem,nec viſibilem,nec palpabilẽ; quia
referunt naturam aeris.

4. Quorundã opinio reijcitur. *Baſſol.*

Ex quibus colliges,relinquendam eſſe
&omninò explodendam ſententiam eo-
rũ,qui teſte *Baſſolio in 4.diſt.49.q.4.art.1.*
affirmant,corpora Sanctorum in reſurre
ctione futura eſſe rarà,&parum de mate-
ria habitura fore,: hæc enim opinio falſa
eſt; quoniam tota materia, quæ fuit de ve
ritate , & integritate naturali naturæ hu-
manæ ſingulis reſtituetur: vnde reſurre-
cturi ſumus cum eadem membrorũ den-
ſitate : alioquin corpora reſurgentium in
naturalibus redirent imperfectiora.

5. *Petr⁹ à Tarant.*

Eadem ratione explodenda erit opi-
nio *Petri de Tarant. in 4. diſt. 49. proble-
mate 4.q.3.* dum aſſerit, corporibus glo-
Scotus. rioſis auferendam eſſe omnem groſsitiẽ;
contra quem agit *Scotus in eadem diſt.49.
q.16. §. Alij dicunt.lit.D.* Et in eodẽ ſen-
Non admititur. D. Bonauent. ſu reijcienda erit opinio D.Bonauentu-
ræ ibidem *art.5.q.1. de dote ſubtilitatis*, dũ
in eam opinionem inclinat, quod corpo-
ribus glorioſis auferenda ſit omnis cor-
Palatius. pulentia ; contra quem agit *Palatius ibi-
dem diſput.3. pag. 46. columna 2.* de qui-
bus plura dicenda ſunt *in 5.lib.in q.de dote
ſubtilitatis.*

§. 3.

De grauitate.

6. De grauitate.

ET vt omnes ſecundas qualitates
percurramus ; contentio eſt inter
anthores ; an corpora glorioſa fu-
tura ſint grauia ? quam difficultatem re-
ſoluemus in lib. 4. ſequente q.1.art.2.

De craſsitie, & tenuitate.

¶ Quod verò attinet ad craſſum,& tenue,
de quibus agit *Ariſtot.2.de Generat.cap.2.* 7.
text.8. certiſsimum eſt, corpora glorioſa,
nec futura eſſe tenuia macilentave; nec ad
modum craſſa , ſiue pinguia : quia vtrũq;
ex vitio naturæ procedit, & cauſat defor
mitatem. Medium igitur inter macrorẽ,
& nimiam pinguedinem tenebunt, iuxta
propriam cuiuſque cõplexionem, ſubla-
to quocumque vitio. Id autem colliges *Auguſt.*
ex Auguſtino lib. 22. de Ciuitate Dei c.
19. dum ait: *Ac per hoc non eſt macris, pin-
guibusve metuendum: ne ibi etiam tales ſint,
quales ſi poſſent, nec hic eſſe voluiſſent: omnis
enim pulchritudo eſt partium congruentia.*
Ex quibus verbis colliges , in his qualita-
tibus medium congruens eſſe ſeruandũ.

De humiditate, & ariditate.

¶ At nec erunt viſcoſa cute,ſed arida po- 8.
tius. Denique erunt tactu non ſcabra, aſ- Non erit viſcoſa nec aſpera.
peravè; ſed glabra, id eſt, læuia, terſa , ac
polita; adeó vt ex incidentia ſolis , alte-
riusvè luminoſi corporis,fulgeant, vt ad-
uertunt *Durand. in 4.diſt.44. q. 8. & ibi-* *Durand.*
dem Paludanus q.5, num.5. cum pluribus *Paludan.*
alijs : quamuis autem in hoc recipiendi
non ſint, quod dotem claritatis in hac re-
fulgentia conſtituant ; in hoc tamen ſunt
probandi , quod ponunt, corpora illa fu-
tura eſſe læuia, polita, ac nitida, & ſubin-
de quàm aptiſsima ad recipiendum in ſe
ipſis ſplendorem claritatis.

ARTICVLVS IIII.

An hæ qualitates eædem numero ſint redituræ?

VTrùm hæc omnia accidentia eadẽ 1.
numero reditura ſint ? non conue An debeant redire eadẽ numero.
nit inter omnes. Negabunt ij, qui Opinio negans.
putant, ſemel corruptum, nec per poten-
tiam diuinam redire poſſe; inter quos eſt
*Durandus , Abulenſis , & plures alij, quos
lib. primo citauimus.* Ex his autem , qui
hoc fundamentũ non recipiunt, id ipſum *Durand.*
negat *Sotus in 4.diſt.44.q.vnic.artic. 1. ad* *Abulenſ.*
2. pro qua ſententia negante Suarius ci- *Sotus.*
tat *Diuum Thomam in 4. diſtinct. 44. q.1.* *D. Thom.*
art.1. quæſtiuncula 1. ad 3. & 4. & libr.4. *Scotus.*

Scotus. *contra gentes cap.*81. *ad* 2. *obiectionem, atq; Scotum in d. diſt.*44. *q.*1. Fundamentũ huius opinionis eſt; quia variatio iſtorũ accidentium non mutat ſubſtantiam.

2. Affirmatiua eligitur. Affirmandum potius videtur cum *Palatio in* 4. *diſt.*43. *diſput.* 2. *pag.* 24. *col.* 2. *& cum Suario* 2. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 44. *ſect.* 3. *pag* 814. Id probat Palatius, quoniam Exodi 4. quando manus Moyſis conſperſa lepra, rurſus euaſit ſana, ſanata fuit cum eadem numero ſanitate, & colore. Cũ verò hoc exemplo ad confirmandam reſurrectionis veritatem vtantur *D. Ambroſ. in lib. de carnis reſurrectione, & Augu. in libris cõtra Fauſtum*, dicendum eſt, eadẽ numero accidẽtia in reſurrectione fore reditura. Hoc tamen fundamentum ſatis eſt infirmum: tùm; quia nõ eſt neceſſe, vt Moyſes eandem numero ſanitatem, & colorem receperit; quid enim cogit, vt id dicamus? nã nec neceſſe eſt fateamur, Chriſtum cęco, quem eluminauit, eundem numero viſũ reſtituiſſe, vt benè aduertit Suarius vbi ſuprà: tùm etiam; quia vt admittamus antecedens, quod fortè fuit de mente illorũ Patrum, non inde benè infertur, eadẽ numero accidentia in reſurrectione eſſe reditura: quamuis inferatur, eũdem numero hominem reſurrecturum; quod ſolum Patres illi volunt confirmare; cũ qua veritate benè poteſt conſtare diuerſitas numerica illarum qualitatum.

Palatius. Suarius. Ambroſ. Auguſt.

3. Vera confirmatio. Quare ſatius eſt affirmãtem iſtam partem ex eo confirmare cum Suario, quod reſurrectio futura eſt perfectiſsima; iam verò perfectior erit, ſi non modo reſurgat eadem numero ſubſtantia, ſed etiam reſurgat cum ijſdem numero accidentibus quibus naturaliter perficitur.

4. Alia confirmatio. Confirmatur adhuc; quia eædem numero facultates naturales reſtituendæ ſunt, vt dicemus *in lib. ſequenti quæſtione prima*: cur igitur non reſtituentur eadem numero accidentia naturalia? nam nec variatio facultatum naturalium ſubſtantiam reſurgentis mutare poteſt; quare ſi eædem redibunt; quia id cedit in maiorem reſurrectionis perfectionem; eâdem ratione redibunt eadem numero accidentia.

5. Non repugnãt D. Th. & Scot. Nec Diuus Thomas, aut Scotus nobis contrariantur, quidquid velit Suarius: nam apud Scotum nihil hac de re inueni: Diuus autem Thomas in locis citatis non affirmat, accidentia, de quibus agit, reditura fore numero diuerſa; ſed ſolùm aſſerit, ſi diuerſa numero redeant, non proinde tolli reſurrectionis veritatẽ; quia mutatio accidentium non infert mutationem ſubſtantiæ; quod libenter admittimus, aſſerimuſque ad veritatem reſurrectionis non neceſſe eſſe, vt eadem numero accidentia redeant; benè tamen, vt reſurrectio ſit perfectiſsima; quod eſt noſtrum fundamentum, vt dicamus, eadem numero accidentia reditura.

ARTICVLVS V.

Quid de figura, & pulchritudine corporis glorioſi?

DVæ ſunt reliquæ qualitates perfectiuæ, quæ ex quantitate ſimul cum qualitate reſultant: figura, & pulchritudo. Quarum priores ex quantitatis terminatione relinquuntur: poſteriores verò ex apta diſpoſitione partium quãtitatiuarum, & ex illarum debita collocatione, & coloris ſuauitate, veluti emanant. 1.

Et quidem quod ſinguli iuſtorum cũ propria figura, & ſpecie, quam in vita habuerunt, debeant reſurgere, ſatis expreſsit Diuus Clemens Romanus *lib.* 5. *Conſtitutionum Apoſtolicarum capite* 8. ita inquiens: *Tales reſurgemus, quales modo ſumus: præſenti figura, & cætera* Id ipſum expreſſe docuit *Pamphylus in Apologia pro Origene apud Diuum Hieronymum tom.* 9. *pag.* 148 *in capitulo quod Chriſtus ſit Filius Dei.* Hæc etiam eſt ſententia communis Theologorum, de qua *Sotus in quarto diſtinctione* 44. *quæſtione vnica, articulo* 4. *in fine.* 2. Reſurgemus in eadem figura. Clem. Ro. Pamphyl. Sotus.

Quæ opinio exemplo Chriſti reſurgẽtis (qui eſt noſtræ reſurrectionis veriſsimum exemplar) ſatis confirmatur: illum enim cum propria figura, & effigie totius corporis, & vultus reſurrexiſſe, communis eſt ſanctorum doctrina, vt videre eſt apud *Seuerum in ſerm. Paſchali, quem refert D. Thomas* 3. *p. q.* 54. *art.* 1. *ad* 3. docet *Auguſtin. Epiſtol.* 59. *ad Paulinum q.* 8. *& lib.* 3. *de cõſenſ. Euangeliſtar. c.* 25. *Theophylactus in c.* 24. *Luc. ad illa verba. Et oculi eorũ tenebãtur: adde D. Tho.* 1. 2. *q.* 55. *ar.* 4. *ad* 3. qui omnes in eo conueniũt, vt Chriſt' poſt re- 3.

Seuerius. Auguſt. Theophyl. D. Thom.

reſurrectionẽ propriam habuerit effigiẽ, & figurã quoad delineamẽta, tùm vultus, tùm membrorum. Quod ſatis conuincitur ex eo, quod Chriſtus poſt reſurrectionem agnitus eſt à diſcipulis: iam verò, vnuſquiſque ex propria effigie, & forma vultus agnoſcitur: diſcipuli etiã in Emaus euntes, eum non cognouerũt; quia oculi eorum tenebantur, ne propriam illius faciem, & effigiem perciperent, vt dicitur *Luc. 24.* Lucæ 24. *Oculi enim eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent*: apertis tamen oculis, & ſoluto impedimento, cum primum propriam illius faciem oculis viderunt, *Marc. vlt.* ſtatim eum agnouerunt: ad quem ſenſũ intelliges verba Marci vltimo: *Oſtenſus eſt illis in alia effigie*: in alia inquam, à ſua propria, quàm habebat, & ſecundum quam agnoſci poterat. Cum igitur Chriſtus in propria effigie ſurrexerit, in propria etiã quiſque noſtrum reſurget.

4. Alia confirmatio. Accedit; quoniã figura, & forma corporis reſultat ex magnitudine, & delineamentis membrorum; eorumque compoſitione, vt omnes fatentur. Iam verò corpora beatorum cum propria magnitudine, membrorumque cõpoſitione, atque delineamento reſurgent, vt in ſuperioribus diximus. Ergo reſurgent cum eadem corporis figura, & effigie.

Declaratur doctrina. Hoc autem ita intellige, vt propria cuiuſque effigies redeat, ſublatis omnibus, ſiquæ fuerint, deformitatibus, & imperfectionibus: quidquid enim inordinatũ, atque deforme infuit, reformabitur, & reſtituetur illa figura, quæ ineſſet, ſi naturæ vitium impedimento non fuiſſet.

5. Redibit eadem numero effigies. *Clemẽs Romanus.* Redibit etiam eadem numero effigies, vt manifeſtè perſuadent verba Clementis Romani *in dicto lib. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 8.* dum ait, *nos reſurrecturos fore in præſenti, quam habemus, figura*, quæ verba denotant numericam figuræ identitatem.

Reſurgemus cum naturali pulchritudine.

¶ Quòd verò corpora glorioſa, præter ſupernaturalem claritatem, & refulgentiam habitura ſint naturalem corporis pulchritudinem, nullus eſt, qui dubitet, id docet *Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 19. & D. Anſelmus in lib. de ſimilitudinibus c. 50.* vt in re notiſsima omittamus alios Patres, atque etiam omnes Theologos Scholaſticos, qui in hoc ſunt vnanimes: videndi ſunt *Conimbricenſes 2. de Generat. c. 8. q. 3. artic. 3.* 6. Reſurgemꝰ cũ naturali pulchritudine. *Auguſt. Anſelm. Conimb.*

Id ipſum probatur ratione naturali: eſt enim pulchritudo apta membrorum diſpoſitio cum quadam coloris ſuauitate, vt ex *Alcibiade, Proclo, & Platone referunt ijdem Conimbricenſes loco citato, & probat Auguſtinus in dicto lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 19.* Iam verò ex dictis cõſtat, in corporibus beatis futuram eſſe aptam omniũ membrorum compoſitionem cum ſuauitate coloris, & probat communis ſanctorum doctrina, & ſatis cõfirmat perfectio beatifici ſtatus, in quo nihil vitioſum, nihil deforme reperietur. Quanta verò in beatis corporibus futura ſit ſuauitas coloris, ſatis ſuperque ſuadet ipſa beatorum corporum claritas, & refulgentia, vt Auguſtinus ait. 7. Probatur ratione. *Auguſt. Conimb.*

Adde etiam; quia ex Paulo ad Philippenſes 3. *Reformabit Chriſtus Dominus corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Iam verò corpus Chriſti Domini, & in vita fuit excellenter pulchrum, iuxta illud Pſalmi: *Specioſus forma præ filijs hominum*, & poſt reſurrectionem eſt pulcherrimum. Reſurgent igitur beatorũ corpora cum excellenti pulchritudine, quæ in vnoquoque beato eò magis eniteſcet, quò ad Chriſti Domini pulchritudinem propius acceſſerit. 8. Alia probatio ex Paulo ad Philip. 3.

(.?.)

FINIS. LAVS DEO.

INDEX QVÆSTIONVM
Huius Libri quarti.

¶ Præfatio ad totum Librum.

QVAESTIO PRIMA.
De facultatibus corporis glorioſi, vt eſt corpus miſtum.

¶ *Articulus primus: An primæ quatuor qualitates in corpore glorioſo habeant rationẽ potentiæ actiuæ?*
§.1. *Præmiſsis nonnullis ponitur reſolutio.*
§.2. *An iſtæ qualitates ab omni actione impediantur?*
§.3. *Reſoluitur quæſtio propoſitis concluſionibus.*
Art.2. An corpora glorioſa futura ſint grauia?
§.1. *Præmittuntur nonnulla.*
§.2. *Refertur pars negans cum ſuis fundamentis.*
§.3. *Refertur pars affirmans cũ argumentis.*
§.4. *Reſolutio quæſtionis.*
§.5. *Soluuntur argumenta.*

QVAESTIO II.
De facultatibus animæ vegetatiuæ.

Art.1. *Quot, & quæ ſint facultates animæ vegetatiuæ?*
§.1. *Præmittuntur nonnulla.*
§.2. *Ponitur reſolutio.*
Art.2. *Vtrùm reſurgemus cum facultatibus animæ vegetatiuæ?*
§.1. *Refertur opinio negans.*
§.2. *Aſſeritur pars affirmans.*
§.3. *Soluitur fundamentũ aduerſariæ ſententiæ.*
Art.3. *Vtrùm potentiæ animæ vegetatiuæ redituræ ſint eædem numero?*

QVAESTIO III.
De vſu facultatum animæ vegetatiuæ.

Art.1. Vtrùm vſus facultatis naturalis maneat in corpore beato?
Art.2. Vtrùm in beatis poſt reſurrectionem erit vſus facultatis vitalis?
Art.3. *In quonã poſita ſit vera, & propria ratio manducationis?*
Art.4. Vtrùm manducucatio pertineat ad nimam vegetatiuam; an verò ad ſenſitiuã, & loco motiuam?
t.5. An comeſtio per ſe pertineat ad potentiam vitalem animæ vegatatiuæ; an verò ad naturalem?
Art.6. *An Angeli verè manducauerint?*
Art.7. *An Chriſtus Dominus verè manducauerit?*
Art.8. *& vlt. An poſt reſurrectionem repugnet beatis comedere?*

QVAESTIO IIII.
De facultatibus animæ ſenſitiuæ in cõmuni.

Art.1. *An omnes reſurgemus cum omnibus facultatibus animæ ſenſitiuæ?*
Art.2. *An reſurgemus cũ illis numero eiſdẽ?*

QVAESTIO V.
De ſenſibus externis in communi.

Art. *vnicus: An omnes ſenſus externi poſt reſurrectionẽ debeant habere ſuas operationes?*
§.1. *Referuntur duæ oppoſitæ ſententiæ,*
§.2. *Reſoluitur quæſtio.*
§.3. *Proponuntur nonnulla dubia, & ſoluuntur.*

QVAESTIO VI.

Art.1, *Vtrùm poſt reſurrectionem dabitur vſus oculorum?*
Art.2, *Quomodo fiat viſio ſenſibilis in corpore beato?*
§.1. *Refertur prima opinio, & reijcitur.*
§.2. *Refertur, & improbatur 2. opinio.*
§.3. *Tertia, & vera opinio.*
§.4. *Obijcitur difficultas ſumpta ex carentia medij.*
§.5. *Vera obiectionis ſolutio.*
§.6. *Soluitur obiectio, ſuppoſita alia ſententia.*
Art.3. *An oculus beati videat obiecta in quacumque diſtantia.*
§.1. *Referuntur opiniones.*
§.2. *Vera reſolutio.*
§.3. *Vtrùm de facto aliquando eleuetur vltra naturalem ſphæram?*
Art.4. *Quænam oculis corporeis in Patria videantur?*
Art.5. *Vtrùm corpus opacum interiectum impediat viſionem oculi glorioſi?*

QVAESTIO VII.
De Auditu.

Art.1, *An in Paria futurus ſit vſus ſenſus auditus?*

§.1. *Refertur opinio negans.*
§.2. *Affirmatiua eſt tenenda.*
§.3. *Quæ nam certa ſint in hac quæſtione?*
§.4. *Quid de beatis in Patria iam cõmorantibus?*
Art. 2. *quomodo in Patria fiat auditio?*
§.1. *Quomodo apud nos auditio fiat?*
§.2. *Referuntur opiniones, quomodo in Patria fiat auditio?*
§.3. *Quid dicendum ſit, ſi ſancti futuri ſint ſupra conuexum cœli Empyrei.*
§.4. *Quid dicendum, ſi beatorum corpora ſũt penetratiuè intra corpus cœli Empyrei?*
Art. 3. *An auditio fiat in quacũq; diſtãtia?*
Art. 4. *Quænam in Patria audiantur? & an auditio ſemper fiat?*

QVAESTIO VIII.
De Odoratu.

Art. vnicus. Vtrùm in Patria futurus ſit ſenſus odoratus?
§.1. *Refertur pars negans cum argumẽtis.*
§.2. *Pars affirmans eſt tenenda.*
§.3. *In beatis tam potentia olfaciendi, quàm vſus erunt perfectiſsima.*
§.4. *Soluuntur argumenta poſita* §.1.

QVAESTIO IX.
De ſenſu guſtus.

Art. vnicus: Vtrũ in Patria futurus ſit vſus iſtius ſenſus?
§.1. *Refertur pars negans cum argumentis.*
§.2. *Pars affirmans eſt tenenda.*
§.3. *Quomodo in Patria futura ſit guſtatio.*
§.4. *Soluuntur argumenta poſita* §.1.

QVAESTIO X.
De ſenſu Tactus.

Art. 1. *An in Patria futurus ſit vſus iſtius ſenſus?*
§.1. *Refertur pars negans cũ fundamento.*
§.2. *Affirmatiua eſt tenenda.*
§.3. *ſoluitur obiectio ſumpta ex reali immutatione ſenſorij tactus?*
Art. 2. *Quæ nam à beatis tangi poſſunt.*
Art. 3. *Vtrùm beati neceſſariò ſentiant, quæ contingunt?*

QVAESTIO. XI.
De ſenſibilitate paſsiua corporis glorioſi.

Art. vnicus: Vtrùm glorioſa corpora percipi poſsint à ſenſibus aliorum?

QVAESTIO XII.
De ſenſibus internis corporis glorioſi.

Art. 1. *Quot ſint ſenſus interni? & quot eorum operationes?*
§.1. *Præmittuntur nonnulla.*
§.2. *Referuntur variæ ſententiæ*
§.3. *Reſolutio ad inſtitutum pertinens.*
Art. 2. *Vtrùm omnium ſenſuum internorum vſus futurus ſit in corpore glorioſo.*
Art. 3. *An in beatis poſt reſurrectionem ſit vſus ſenſus communis?*
Art. 4. *Vtrùm in beatis poſt reſurrectionem futura ſit phantaſia cum vſu?*
Art. 5. *Vtrùm phantaſia poſt reſurrectionem ſit miniſtratura intellectui?*
§.1. *Pro ratione dubitandi referuntur duæ ſententiæ, quæ non recipiuntur.*
§.2. *Pro reſolutione præmittũtur nõnulla.*
§.3. *Reſolutio quæſtionis.*
§.4. *Soluuntur argumenta oppoſita.*
Art. 6. *& vltimus: Quænam res cadant ſub internos beatorum ſenſus?*

¶ *Annotatio in ſequentes quæſtiones de appetitu ſenſitiuo.*

QVAESTIO XIII.
De appetitu ſenſitiuo corporis glorioſi in communi.

Art. 1. *Vtrùm appetitus ſenſitiuus maneat in corpore glorioſo?*
Art. 2. *Vtrùm in corpore beato maneat actus appetitus ſenſitiui?*

QVAESTIO XIIII.
De appetitu ſenſitiuo concupiſcibili.

Art. 1. *Vtrùm in corpore glorioſo futuri ſint omnes actus appetitus concupiſcibilis?*
Art. 2. *Vtrùm in corpore glorioſo futurus ſit amor, ſiue dilectio ſenſibilis?*
Art. 3. *An in corpore glorioſo admittendum ſit ſenſibile deſiderium?*
§.1. *Præmittuntur nonnulla pro vera reſolutione.*
§.2. *Explicato ſenſu quæſtionis, arguitur pro parte negante.*
§.3. *Affirmatio placet.*
§.4. *Quid de deſiderio inefficaci.*
§.5. *An detur tam per modũ naturæ, quã per modum rationis? & in ordine ad quæ?*
§.6. *Quid dicendum ſit poſt conſummationem regni Chriſti Domini?*
§.7. *De ſatiatione appetitus, quæ beatitudinem comitatur.*
Art. 4. *Vtrùm in corpore glorioſo admittenda ſit ſenſibilis delectatio, ſiue gaudium?*

QVAESTIO XV.
De actibus appetitus concupiſcibilis in ordine ad malum.

Art. 1. *Vtrùm in appetitu cõcupiſcibili beati futurus ſit actus odij?*

§.1. *Præmittuntur nonnulla.*

§.2. *Pars affirmatiua confirmatur.*

Art.2. Vtrùm in eodem appetitu admittendus ſit actus fugæ alicuius mali?

§.1. *Ratio dubitandi pro parte negante.*

§.2. *Affiarmtiua eligitur.*

§.3. *Soluitur ratio dubitandi.*

Art.3. An in eodem concupiſcibili dandus ſit aliquis dolor, ſiue triſtitia?

§.1. *Præmiſsis nonnullis ponitur pars negatiua.*

§.2. *Vtrùm in beatitudine per ſe oriatur excluſio omnis doloris, & triſtitiæ?*

QVÆSTIO VI.

De appetitu ſenſitiuo iraſcibili.

Art.1. Vtrùm in appetitu iraſcibili poſsit reperiri aliquis actus ſpei?

§.1. *Præmiſsis noõnullis, explicatur, quod eſt indubitatum.*

§.2. *Refertur ratio dubitandi pro parte affirmante*

§.3. *Sententia negatiua placet.*

§.4. *Defenditur commune fundamentum.*

§.5. *Soluuntur argumenta poſita §,2.*

§.6. *A qua nam virtute beatorum expectatio eliciatur.*

Art.3 An in appetitu iraſcibili poſt reſurrectionem dari poſsit aliquis actus timoris?

§.1. *Ponuntur rationes dubitandi pro vtraque parte.*

§.2 *Referuntur varij dicendi modi.*

§.3. *Præmiſsis nonnullis, ponuntur, quæ ſunt indubitata.*

§.4. *Explicatur, in quo poſita ſit vera ratio timoris.*

§.5. *In Patria nullum futurum eſſe timorem, aut intellectiuum, aut ſenſitiuum.*

§.6. *Nullum futurum eſſe timorē pœnæ.*

§.7. *Nec vllum futurū timorem culpæ.*

§. *Vltimus: Soluuntur argumenta partis affirmantis.*

Art.4, Vtrùm in appetitu iraſcibili corporis maneant actus, aut audaciæ, aut iræ?

QVAESTIO XII.

De nonnullis actibus, qui reducuntur ad appetitum ſenſitiuum.

Art.1. An in beatis dari debeat admiratio?

§.1. *Ad quam potentiam admiratio pertineat?*

Art.2. Vtrùm in beatis poſt reſurrectionem detur riſus?

Art.3. An futurus ſit aliquis actus flendi?

QVAESTIO XVIII.

De qualitate actuum appetitus ſenſitiui.

Art.1. An omnes actus appetitus ſenſitiui futuri ſint voluntarij?

Art.1. An in beatis habitus appetitus ſenſitiui veræ ſint paſsiones?

QVAESTIO XIX.

De habitibus appetitus ſenſitiui.

Art.1. An in vtroque appetitu ſenſitiuo dentur aliqui habitus?

Art.2. Vtrùm habitus appetitus ſenſitiui in reſurrectione ſint reſtituendi?

§.1. *Ponitur ſententia ſimpliciter negatiua*

§.2. *Affirmatiua eſt tenenda.*

§.3. *Soluuntur argumenta.*

QVAESTIO XX.

De fomite peccati, qui in via in appetitu ſenſitiuo reperitur.

Art.1. Quid ſit fomes peccati?

Art.2. An fomes peccati poſsit ligari, & omnino tolli?

Art.3. *Quomodo ligetur?*

Art.4. *Quomodo tollatur?*

Art.5. *An in beatis poſt reſurrectionem maneat quoad actum ſecundum.*

Art.6. *An in illis maneat quoad actū primū.*

Art.7. *An in illis ſolum ſit ligatus; an totaliter ſublatus.*

Art.8. *& vlt. Quomodo in illis ſublatus ſit?*

QVAESTIO XXI.
& Vltima.

De potentia loco motiua.

Art.1. *Quot ſint ſpecies huius potentiæ? & quæ nam ſint?*

Art.2. *Vtrùm omnes iſtæ potentiæ beatis reſurgentibus ſint reſtituendæ? & eædē numero, quæ fuerunt in via?*

Art,3. *An in beatis futurus ſit motus progreſſiuus?*

Art.4. *Vtrùm poſsint mouere omnes ſui corporis partes, vt mouebant in via?*

Art.5. *An poſsit anima beata totum corpus ſe ipſa immediatè mouere ad omnem loci differentiam?*

Art.6. *An poſsint in Patria reſpirare?*

Art.7. *An in Patria loquuturi ſint voce ſenſibili?*

Art.8. *& vlt. Quomodo in Patria fiat hæc ſenſibilis loquutio?*

FINIS.

LI-

LIBER QVARTVS,

DE PERFECTIONIBVS ACCIDENTARIIS,

Quæ pertinent ad facultates, & potentias, functionesque corporis glorioſi.

Præfatio ad totum Librum.

Præfatio. EGIMVS in libr. 3. præcedente de perfectionibus naturalibus accidētarijs corporis glorioſi, quæ pertinēt ad eſſe eiuſdē glorioſi corporis: conſequenter agendum eſt de perfectionibus accidentarijs, naturalibus tamen, quæ pertinent ad facultates potentias, & functiones eiuſdem corporis glorioſi.

Has perfectiones diuidimus in duo genera: quædam enim pertinent ad corpus mixtum, vt mixtum eſt. Quædam verò ad corpus viuens, vt viuens eſt. De prioribus prius eſt agendum; quia corpus mixtum præſupponitur ad corpus viuens. Secundo loco dicemus de poſterioribus.

QVÆSTIO I.

De facultatibus corporis glorioſi, vt eſt corpus mixtum.

Queſtio 1. CORpus glorioſum cum eſſentialiter ſit humanum, ex ſua natura habebit, & quod ſit viuēs, & quod ſit corpus mixtum: cum verò tàm in corpore viuente, vt viuens eſt, quàm in corpore mixto, & elementari reperiantur facultates, & potentiæ: in illo quidem ad functiones vitales; in hoc autem ad fūctiones naturales, quas, vt à vitalibus diſtinguntur, non ineptè appellabis elemētares, & materiales: operæpretium erit inquirere; an ſicut in corpore glorioſo reperiūtur facultates vitales, quæ ſint functionum vitalium principia; ita etiam reperiantur facultates, ſiue potentiæ naturales ad operationes elementares, quæ corpori mixto naturaliter conueniunt, & primum id expendemus de primis qualitatibus; quarum ratione & elementa, & corpora mixta ſunt actiua: deinde de grauitate, & leuitate, quæ ſunt principia motus localis naturalis.

Duos igitur in hac quæſtione articulos excitabimus. Primus eſt; an primæ quatuor qualitates in corpore glorioſo habeant rationem potentiæ actiuæ? ſecundus, an futura ſint grauia.

ARTICVLVS I.

An primæ quatuor qualitates in corpore glorioſo habeant rationē potentiæ actiuæ?

§. 1.

Præmiſsis nonnullis ponitur reſolutio indubitata.

PRimas quatuor qualitates calorem ſcilicet frigus, humidum, ſiccū eſſe principia actiua nullus vnquam dubitauit: id enim docet *Ariſtoteles 2. de Generat. c. 2: text. 8. & c. 4. tex.* 28. & ob id dicuntur elementorum, & mixtorum facultates, & potentię ad agendum, vt om- 1. 1. præmiſſ. Ariſt.

nes admittunt: quamuis in eo ſit controuerſia, an ſint facultates per ſe primo inſtitutæ à natura ad agendum, ad ſecundã qualitatis ſpeciem pertinentes: an verò ſint principia actiua ſolùm concomitanter? vt propriè dici nequeant actiuæ potentiæ, de quo vide *Suarium in Metaphyſica diſp.42.ſect.4.num.9*:nobis enim ſatis eſt, quod ſint principia actiua, & ſubindè naturales agendi facultates; quamuis id habeant concomitanter. *Suarius.*

2. Aduertendum eſt igitur cum Soto in 4.diſt.44.q.vnica ar.5. §. *Per hæc alia dubitatio*, primarum qualitatum binum eſſe vſum. Primus eſt informare ſua ſubiecta, eaque diſponere ad conſeruationem formæ, ſicut illud diſpoſuerunt ad formæ introductionem: vnde ex illarum mixtione fit propria cuiuſque corporis complexio. Alter vſus eſt exercere proprias actiones, vel mutuo inter ſe, vel in corpo extrinſeca agendo in illis qualitates ſibi ſimiles. Quod primum vſum in corpore glorioſo retineant, certiſsimum eſt & in confeſſo apud omnes. Inquirimus modò de ſecundo vſu; an ſcilicet in corpore glorioſo habeant rationem principij actiui? 2. præmiſſ.

3. Cui quæſtioni affirmatiuè reſpondet communis ſententia Theologorum: omnes enim concedunt primas qualitates ex ſua natura & vi eſſe virtutes actiuas etiã in corpore glorioſo. Reſponſio communis.

§. 2.

An iſtæ qualitates ab omni actione impediantur?

4. Licet omnes in hoc cõueniant, quod omnes iſtæ qualitates in corpore glorioſo ſunt actiuæ; cõtrouertunt tamen; an in eo à ſuis actionibus prorſus impediantur? partem negantem videtur probare *D.Thomas in 4. diſt.44. q.2. art. 1.q.1. contra ſecundam ſententiam*: clariùs *D.Bonauentura in 4.diſt.49. art.5. q.1. de dote impaſsibilitatis, probat Sotus ibidem q. 4.art.5.poſt primam concluſionem, §.Et eodem pacto*: qui omnes etſi in corpore glorioſo nullam actionem corruptiuam propriæ complexionis in his qualitatibus admittant; admittunt tamen actiones earũ, quibus propria cuiuſque complexio & conſtituitur, & cõſeruatur: quia propria complexio ſine mutua, & temperata harum qualitatum actione nec conſtitui, nec cõſeruari poteſt. Sotus etiam admittit actiones earum, quatenus ſunt qualitates tangibiles: nam cum palpari poſsint & actu debeant palpari, non poſſunt in palpante nõ efficere actionẽ ſenſationis. An iſtę qualitates habeant ſuas actiones? Pars negãs. *D.Thom. D.Bonau. Sotus.*

5. Hanc ſententiam cæteris Theologis diſplicuiſſe affirmat *Suarius 2.tom. ad 3. p.diſp.48.ſect.2. contra tertiam ſententiam, pag. 916. in fine*: omnes enim omnem in vniuerſum actionem his qualitatibus denegant, dote impaſsibilitatis omnem actionem impediente. Non placet alijs. *Suarius.*

§. 3.

Reſoluitur quæſtio propoſitis concluſionibus.

6. Ego tamen hanc generalitatem propoſitis nõnullis concluſionibus puto eſſe moderandam. Reſolutio.

Prima concluſio: *Primæ qualitates in vna & eadem corporis glorioſi parte exiſtentes nullam prorſus inter ſe exercent actionem.* Probatur; quia contraria in eodem ſubiecto in gradibus remiſsis ſimul exiſtentia nec mutuo inter ſe ipſa agere poſſunt, nec vnum in alterum. Quæ eſt communis Philoſophia eorum, qui volunt contraria in gradibus remiſsis ſimul eſſe poſſe in eodem ſubiecto: quam ſententiam expreſſè probant *Conimbricenſes 2.de Generat.c.3.q.8.art.7. ad 5. & in 1. de Generat.c.5.q.8.art.2.in medio, & ad finem, & ſatis id colliges ex Suario in Metaphyſica diſp.45.ſect.4.n.6*: nam ſi calor vt ſex ageret in frigus vt duo cum quo in eodem ſubiecto ſimul exiſtit, idem etiam in ſe ipſum ageret, & in ſibi ſimile: in ſe ipſum; quia idem calor actione directa ſe ipſum augeret: in ſibi ſimile; quia eadem pars calida ageret in ſe ipſam calidam. 1. concl. *Conimbr. Suar.*

7. Secunda concluſio: *Primæ qualitates, quæ ſunt in vna parte ætherogenea corporis glorioſi nec actione corruptiua qualitatis contrariæ; nec productiua ſimilis qualitatis poſſunt agere in aliam partem habentem diuerſam temperiem.* In hac omnes conueniũt: eſt enim certiſsimum in corpore glorioſo nullam poſſe dari vel ab extrinſeco, vel ab intrinſeco alterationem de nouo; alias corpus glorioſum non eſſet impaſsibile. Nec etiam temperamentum ſingularum partium foret inuariabile: variaretur enim aut intenſione vnius qua- 2. concl.

litatis

litatis,aut remiſsione alterius: quæ variatio eſſet diſpoſitio ad corruptionem,quę corpori glorioſo repugnat.

8. 3.concl. Tertia concluſio: *Partes diſsimilares corporis glorioſi mutuis actionibus ſuam natiuã temperiem conſeruare, non eſt improbabile.*

1.confirm. D.Thom. D.Bonau. Sotus. Probatur primò; quoniam ad hunc ſenſum ſuam opinionem intellexerunt *D. Thomas, D.Bonauentura, & Sotus:* quorũ authoritas pluris facienda eſt: & quanuis Suarius eorum ſententiam non ſatis cõcipiat; facilè tamen concipi poteſt, ſi actionem conſeruatiuam à productiua, & corruptiua diſtinguamus; quæ ipſa non eſt ſubiecti informatio, ſed vera actio, vt Philoſophi docent, & idem Suarius ſæpè admittit.

9. 2.confirm. Probatur deinde: quoniam licet actio aut productiua, aut corruptiua repugnet impaſsibilitati corporis glorioſi, atque immobilitati temperamenti illius; actio tamen conſeruatiua neutri repugnat; ſed cum vtroque optimè conſtat: nec enim nouam alterationem in ſubiecto efficit, ſed præcedentem abſque vlla eſſendi nouitate conſeruat, vt patet in calore, qui productus ab igne, A, eo ſublato cõſeruatur ab igne, B, Rurſus in calore, qui à Deo vt prima cauſa, & ab igne eſt productus; deſinente igne immediatè conſeruatur à Deo. Alio etiam exemplo ad inſtitutum ſatis accommodato id illuſtrari poteſt: nam ſi vnum membrum viuentis habeat plures gradus caloris, quam poſtulet natiuum, & exactum eius temperamentũ; vtique membrum aliud calidius non aget in illud actione productiua, ſed ſolùm cõſeruatiua, vt benè aduerterunt *Conimbricenſes 1.de Generat, cap.4.q.22. art.3. ante finem;* quia nulla pars viuentis, dùm eſt in ſua naturali temperie, alteri parti naturaliter temperatæ nocet, vt ijdem Conimbricenſes aduerterunt *eodem libro 1. de Generat.c.5.q.8.art.2. §.Obiter hic aduerte in fine.* Ecce in partibus diſsimilaribus viuẽtis naturaliter diſpoſitis dari poteſt actio conſeruatiua temperamenti alterius partis, abſque noua illius alteratione, vel corruptionis, vel intenſionis. Conimb.

10. Fundamentum. Ariſt. Sed vt hæc melius intelligantur, aduertendum eſt ex ſententia *Ariſtotelis 2. de partibus animalium c.7.* cor perpetuò calefacere cerebrum, & ab eo viciſsim perpetuô frigefieri: ſingulas item partes ſecundum varietatem, & vim ſui temperamenti in alias agere vel calefaciendo eas, vel refrigerando; vel humectando, vel denique deſiccando, vt cum communi Medicorum aduerterunt *Conimbricenſes in dicta q.22. art.3. pronunt.1.* id igitur quod partes corporis humani, quandiù eſt mortale, perpetuò efficiunt actionibus, vt plurimum productiuis propter cõtinuam primarum qualitatum diſsipationem; id ipſum poſt reſurrectionem efficient actionibus conſeruatiuis; licet enim illę pro eo ſtatu iam non indigeant reſtauratione; quia nulla dabitur earum diſsipatio: tamen nullum erit abſurdum, ſi dicamus eas indigere naturali ſui temperamenti conſeruatione: id enim cedit in maiorem corporis perfectionem, dûm partes ab intrinſeco in ſua perfectione naturaliter mutuò ſe conſeruant: nam hæc conſeruatio in corpore mortali aliquando reperitur, vt ex Conimbricenſibus iam diximus.

Ex hoc fundamento ita poſſumus arguere, nam ſi in vita mortali inter partes ætherogeneas hæc lex ſeruatur, vt quæ pars eſt potentior, & validior non agit actione corruptiua in alteram, quam inuenit in ſuo completo, & exacto temperamento; ſed eam actione conſeruatiua fouet, natura ita ordinante: cur hæc naturalis ordinatio, & mutua partium diſsimilarium coadiuuatio in corpore glorioſo non dabitur? in quo licet vna pars aliqua actiua qualitate ſit altera potentior; omnes tamẽ habent ſuam exactiſsimam temperiem: nam hæc mutua partium actio cum non ſit aut productiua, aut corruptiua; ſed ſolùm conſeruatiua: nullam nouam alterationem inferet; ſed præcedentis, quæ in primo reſurrectionis inſtanti facta eſt, erit continuatio. 11. Confirmatio.

Hæc omnia ex eo fient euidentiora, ſi aduertimus Deum in primo inſtanti reſurrectionis exactiſsimam omnium partium temperiem conſtituiſſe dependenter à ſuis primis fontibus: ita enim calorẽ corpori naturaliter debitum per totum corpus ſparſit, vt à corde totius caloris primo principio originaliter depẽderet; & ob hanc cauſam à corde per reliquum corpus vniformiter difformiter ſpargeretur, ſicut nunc ſpargitur, ex *eiſdem Conimbricenſibus in d. q.22. art.3. pronunt.2.* 12. Alia confirmatio. Conimbr.

vt

vt inde colligamus totum illum calorem in corpore glorioſo à corde etiam dependere, & perpetuò conſeruari. Quod autẽ diximus de corde, dicendum erit de primis aliarum qualitatum principijs. Ad hunc igitur modum opinio *D. Thomæ, Bonauenturæ, & Soti*, facilè & intelligi, & defendi poteſt; quidquid eam eſſe inintelligibilem affirmet Suarius.

13. Obiectio 1. At obijcies: quoniam primæ qualitates eius ſunt naturæ, vt à ſua cauſa dependeant in fieri, non tamen in conſeruari; & in hoc diſtinguntur à lumine, cæteriſque huius generis qualitatibus. Igitur poſtquam ſemel ſunt factæ, non eſt, cur indigeant continua conſeruatione.

Solutio. ¶ Reſpondetur qualitates illas ex ſua natura id habere, vt tandiù à ſua cauſa conſeruentur, quandiù illam habeant ſibi pręſentiſsimam: nam quandiù ignis præſens eſt calori, quem produxit, tandiù ab eo naturaliter conſeruatur: vnde ſi ignis alicui calori foret ſemper præſens, perpetuò eundem conſeruaret. Cum igitur prima illarum qualitatum principia, & primi fontes in reſurrectione perpetuò ſint omnibus corporis partibus debitè præſentes; naturaliter eas omnes ſua actione conſeruabunt.

14. Obiectio 2. Obijcies rurſus inde ſequi dotem impaſsibilitatis corpori glorioſo non fore neceſſariam.

Solutio. Neganda eſt conſequentia: quoniam licet partes diſsimilares viuentis, quandiu in ſua exactiſsima ſunt temperie, ita ſe habent, vt vna alteram à ſua naturali temperie non deijciat, ſed conſeruet potiùs: oppoſitum tamen continget ſi vna extra ſuum naturalem ſtatum conſtituatur: tunc enim alteram à ſua naturali temperie deturbabit. Ne igitur aliqua earum ab extrinſeco ponatur extra ſuam naturalem temperiem; ideò opus eſt dote impaſsibilitatis, de quo latiùs dicendum erit *libro 5. in q. de illa dote.* Hæc diximus pro defenſione D. Thomæ.

15. 4. concl. Quarta concluſio: *Quanuis præcedens concluſio mihi ſit probabiliſsima, & ſortè vera; oppoſita tamen non caret ſua probabilitate.* Dici igitur poteſt (nec ſine probabilitate) primas qualitates corporis glorioſi, nec actiones conſeruatiuas inter partes diſsimilares exercere. Quam ſententiam non ex eo probamus, quod ſine his actionibus poſſunt dari diuerſæ complexiones corporis humani: quia actiones conſeruatiuas in præcedente concluſione ad hunc effectum non admiſimus: ſed inde eam confirmamus: quia ad conſeruationem temperamenti partium corporis glorioſi nulla opus eſt actione conſeruatiua medijs primis qualitatibus: ſicut enim ſingularum partium temperamenta Deus ſe ſolo immediatè produxit; ita eadem ſe ſolo immediatè conſeruabit; vel mediante dote impaſsibilitatis, de qua latê dicemus in libro ſequente.

Quinta concluſio: *Non video, cur glorioſum corpus ſuis actiuis qualitatibus non poſsit alterare corpus non glorioſum; ſi ab eo ſe tangi permittat; aut illud tangat.* Hæc cõcluſio non omnino diſplicet *Suario vbi ſupra, §. Sed hæc ſententia in fine, pag. 917. col. 2. in medio*, & ſatis eſt de mente Soti loco citato. 16. 5. concl. Suar.

Eam Sotus ita confirmat: quia corpus glorioſum palpari poteſt. Ergo ſentiri poſſunt qualitates tangibiles, quas habet. Hæc autem ſenſatio ſine alteratione non datur. 17. Confirmatio ex Soto.

Occurrit tamen Suarius rationem iſtam nõ neceſſariò probare materialem alterationem: & ratio eſt, quia materialis alteratio non eſt per ſe neceſſaria ad ſenſationem: cùm illa fieri poſsit per ſolam immutationem intentionalem; ſaltem â corpore glorioſo, quod ſeparare poteſt immutationem intentionalem â materiali. Non recipitur á Suario.

Reſpõdere poſſet Sotus duas illas alterationes ſeparari poſſe quando corpus glorioſum ab altero etiam glorioſo ſentitur: non tamen quando ſentitur à corpore non glorioſo, de quo ſolo eſt ſermo: nam reſpectu huius corporis alteratio materialis habet naturalem, & neceſſariam concomitantiã cum immutatione intentionali; quia corpus mortale nihil poteſt tactu ſentire, niſi ſimul cum ſpecie intentionali realiter etiam immutetur à tangibili: ſed quia de hoc poteſt eſſe controuerſia; an ſcilicet corpus glorioſum hanc naturalem concomitantiam, etiam in ordine ad corpus mortale, poſsit tollere; proinde ratio iſta Soti non ſatis rem demonſtrat. Reſponſio pro Soto. Non recipitur tamen ratio Soti.

18. Vera confirmatio. Quare concluſionem noſtram ex eo confirmabimus; quia nullum incõueniẽs ſequitur, ſi corpus glorioſum materialiter alteret corpus non glorioſum alteratione corruptiua: id enim eius impaſsibilitati

litati non repugnat; quia poterit agere ſine repaſsione, vt benè aduertit Suarius vbi ſuprà.

19. Aduertentia. Aduertendum tamen eſt poſſe beatū quantumuis contactu verè quantitatiuo attingat corpus non beatum, ſuſpendere actionem primarum qualitatum, ſicut poteſt ſuſpēdere emiſsionem ſpecierum, ne videatur, vt ſuo loco diceinus. Porrò ſi actionem non ſuſpendat, ſed omnia ſuis naturis relinquat; cur non dabitur materialis alteratio corporis nō glorioſi? nam & qualitates illæ naturaliter ſunt actiuæ, & corpus hoc naturaliter eſt capax illius alterationis. Et hæc pro explicatione propoſitæ difficultatis.

ARTICVLVS II.

An corpora glorioſa futura ſint grauia?

§. 1.
Præmittuntur nonnulla.

1. De grauitate corporis glorioſi. 1. præmiſſ. PRo explicatione huius quæſtionis præmittendum eſt primò grauitatem, & leuitatem eſſe duo principia motus localis, quo & elementa, & mixta aut ſurſum, aut deorſum feruntur, vt omnes admittunt. Controuerſia tamen eſt; an ſint principia actiua illius motus, an ſolùm paſsiua? vera Philoſophia iam obtinuit ea eſſe principia actiua, inſtrumentaria tamen, & minus principalia, à quocunque grauia, & leuia principaliter moueantur: ſiue illa ſint principia actiua media actione, vt quidam putant; ſiue ſint actiua, per ſolam naturalem reſultantiā, vt alij verius exiſtimant. Igitur grauitas & leuitas ſunt elementorum, & mixtorum duæ facultates naturales, quibus grauia & leuia, aut ſurſum, aut deorſum mouentur: quod ex *Ariſtotele 4. de Cœlo c. 1. tex. 2. aſſerunt Conimbricenſes 8. Phyſicorum cap. 4. q. 1. art. 3. argument. 3. pro tertia concluſione*: eſtque apud omnes receptiſſima doctrina. *Ariſtot. Conimbr.*

2. 2. præmiſſ. Secundò præmittendum eſt grauitatē & leuitatem bifariam ſumi poſſe, vt cum cæteris Philoſophis aduerterunt *Conimbricenſes in 4. de Cœlo c. 6. q. 2. art. 1. in principio*: vel pro qualitatibus motiuis, quæ à forma ſubſtantiali naturaliter reſultant, tanquam naturales illius facultates: vel pro actu ipſo grauitatis, aut leuitatis nimirum pro ipſa actuali grauitatione, & leuitatione: quæ iuxta veriſsimam ſententiam nihil eſt aliud, quàm impulſus quidam naturaliter emanans à grauitate, & leuitate, quo grauia & leuia è loco, in quo ſunt, aut ſurſum nituntur, aut deorſum: grauia enim imprimendo impulſum (qui eſt quædam qualitas) grauitant, & pondus faciunt corpori reſiſtenti; idem de leuibus dicendum erit. Hanc poſteriorem grauitatem & leuitatem appellant accidentariam, & actualem: illam verò priorem vocant eſſentialem; quia eſt actus primus, & vera potentia, à qua naturaliter reſultat grauitas accidentaria (ille inquam impulſus) tanquam actus ſecūdus. ¶ His ita præmiſsis iam inquiri poteſt; an corpora glorioſa futura ſint grauia? in qua controuerſia duas inuenio oppoſitas ſentētias: vnam, quę negat; alteram, quæ affirmat.

§. 2.
Refertur pars negans cum ſuis fundamentis.

PArtem negantem probarunt *Albertus Magnus in 4. diſt. 44. art. 17. ad primum. D. Bonauent. in 4. diſt. 49 art. 5. q. 2. de dote agilitatis, Richardus ibidem art. 4. q. 7. ad 1. Argentina q. 1. artic 4. Sotus q. 4. ar. 7. §. Dubium autem eſt in fine*, in quam ſententiam magis inclinat *Palatius ibidem diſp. 4. pag. 57. col. 2. & pagina 58. col. 1.* 3. Pars negās. *Albertus. D. Bonau. Richard. Argent. Sotus. Palatius.*

Confirmatur primò authoritate Auguſtini *lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 11.* vbi ita ait: *ita ne Deus omnipotens, qui creauit elementa, terreno corpori graue pondus auferre non poterit? vt in eodem elemento habitet viuificatum corpus, in quo voluerit viuificans Spiritus?* idem Auguſtinus ſerm. 139. de Tempore cap. 3. ita ait: *Caro reſurget incorruptibilis, ſine vitio, ſine deformitate, ſine onere, ſine pondere; ita vt ſit animæ ornamentum, non tormentum.* Diuus etiam Cyprianus in ſermone de Reſurrectione Chriſti c. 4. pag. 484: *Vt poſt reſurrectionem corpus non aggrauet animam; ſed ſit caro ſine mole, & pondere, agilis, & mobilis.* 4. 1. confirm. ex Aug.

Sed dices hos Patres agere non de grauitate eſſentiali, quæ eſt corporis facultas; ſed de accidentali, quæ eſt actualis pōderatio, ſiue grauitatio. Contra obijcitur: quoniam ſi vſus & actus grauitatis eſt aufe- 5. 2. confirm.

auferendus; cur non potiùs auferetur ipſa grauitas? cum enim grauitas non ſit de integritate naturæ; ſi à ſolo vſu eſt perpetuò impedienda; vtique erit otioſa; nec enim ad alium finem inſtituta eſt à natura, niſi vt deorſum impellat.

6. 3. confirm. Tertiò; ſi corpora glorioſa habitura ſunt grauitatem; vtique in cœlo non naturaliter, ſed violenter permanebunt; quod eſt abſurdum: nullum enim violentum poteſt eſſe, aut perpetuum, aut perfectum.

7. Vltima. Poſtremò: grauitare eſt proprius effectus formalis grauitatis: effectus autem formalis non poteſt à ſua forma ſeparari. Ergo cum corpora glorioſa non grauitent, in ſe non habebunt grauitatem.

§. 3.

Refertur pars affirmans cum argumentis.

8. Pars affirmans. *Scotus. Baſſolius. Rubion. Abulen. Suar. D. Thom.* Affirmantem partē probarunt *Scotus in 4 diſt. 49. q. 14. §. 4. quæritur, litera F. & §. Ad illud, quod obijcitur, litera K. Baſſolius ibidem q. 3. art. 2. contra primam opinionem, Guilber. de Rub. q. 3. art. 2. concl. 3. Abulenſis in cap. 17. Matth. q. 126. litera D, cum ſequentibus, Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 48. ſect. 4. §. 1. ergo ſententia, ſatis eſt de mente D. Thomæ in 4. diſt. 44 q. 2. art. 3. q. 1. ad 2.* ſi ſolutio cum argumento conferatur.

9. 1. ratio. Confirmatur: quia grauitas eſt naturalis proprietas neceſſariò conſequens compoſitionem, & complexionem corporis humani, in qua prædominatur terra: at proprietates naturales manent in corpore glorioſo.

10. 2. ratio. Secundò; quia grauitas eſt naturalis diſpoſitio neceſſariò requiſita, vt corpus ſit perfectibile ab anima: nec eſt minus illi intrinſeca, quam ſit denſitas, ſoliditas, durities, & molities aliquarum partium. Sed hæc omnia accidentia ob cauſam explicatam manent in corpore glorioſo. Ergo etiam grauitas manebit.

11. 3. ratio. Tertiò; quia corpora glorioſa non ſunt futura leuia, vt ſtatim dicemus: ſi igitur non ſunt futura grauia; vtique iam manebunt nec leuia, nec grauia: quod dici non poteſt; quia corpus glorioſum eſt elemētare; de ratione autem corporis elementaris eſt quod ſit graue, aut leue.

12. Vltima. Poſtremò; vel grauitas ideò tollitur; quia ad ablationem illius agilitas naturaliter conſequitur corpus glorioſum: vel quia agilitati corpori glorioſo diuinitus conceſſæ eſt impedimento. Sed nec grauitatis ablatio eſt per ſe cauſa agilitatis: nec grauitas poteſt eſſe impedimēto agilitati corporis beati, vt dicemus *lib. 5. in quæſtione de dote agilitatis.* Ergo cum grauitas ſit naturalis corporis humani perfectio, non eſt cūr illi in reſurrectione denegetur.

§. 4.

Reſolutio quæſtionis.

Vtranque ſententiam eſſe probabilem exiſtimant *Maior in 4. diſt. 49. q. 18. §. Iſtud argumentum quærit, Paludanus in 4. diſt. 44. q. 4. art. 1. n. 6. Durandus q. 7. n. 9. Conimbricenſes in 2. de Cœlo cap. 5. q. 5. art 2. ad finem.* 13. Vtraque probabilis. *Maior. Paludan. Durand. Conimb.*

Pro reſolutione tamen puto diſtinguendum eſſe de duplici grauitate, quam ſuperiùs diſtinximus. Si igitur ſermo ſit de grauitate primo modo ſumpta pro qualitate, quæ eſt facultas ad motum deorſum; pars affirmatiua eſt longè veriſſima; quanuis oppoſita probabilitate non careat: nec enim video, cur corporibus glorioſis illa ſit deneganda: nam cum illa ſit quædam naturalis vis & facultas corporis humani; vtique ad naturalem illius perfectionem, & integritatem ſpectat: cum verò nullam cum glorioſo illo ſtatu habeat repugnantiam; non eſt, quod naturam humanam integrè reſurgentem non concomitetur. 14. Vera reſolutio. 1. concl.

De grauitate tamen accidentaria poteſt eſſe maior dubitatio, etiam inter eos, qui grauitatem eſſentialem admittunt: quidam enim eorum negant eam in corpore glorioſo aliquando eſſe futuram; vt quia exiſtiment ab eſſentiali grauitate nullum eliciendum fore conatum, Deo ad id ſuum concurſum ſubtrahente ex lege, & conditione ſui ſtatus, ita *Curſus Conimbricenſis loco citato.* At tamen communior opinio eam admittit, ſi expendantur, quæ plures Theologi ſcribunt: nam quidam agnoſcunt violentiam, tùm in motu ſurſum; tùm in quiete corporis glorioſi, quam habet in cœlo: violentiam, inquam, vel ſimpliciter, vt *Baſſolius*; vel ſecundum quid, vt *Scotus, & Abulenſis.* At nulla datur violentia abſque actuali reni- 15. 2. concl. *Conimb. Baſſolius. Scotus. Abulen.*

renitentia mobilis: violentum enim id dicitur, quod fit paſſo actualiter renitente, vt docet vulgata Philoſophia. Ab hac ſententia non longè videtur eſſe D. Thomas relatus pro parte affirmante, *D. Thom.* dùm ait, *Beatum ideò poſſe ſe ipſum velociſsimè mouere; quia licet ex parte grauitatis maneat aliqua renitentia: eam tamen ſine difficultate vincit.* Eandem ſententiam etiam admittit Suarius loco citato, *Suarius.* §. *Dicendum eſt ergo in fine.* Igitur omnes citati doctores aliquam actualem grauitatem in corpore glorioſo agnoſcunt.

16. Ego tamen nec vnam, nec alteram ſententiam puto eſſe abſolutè probandam. *Neutra abſolute placet.* Pro reſolutione igitur duas ſtatuo propoſitiones. *1. propoſit.* Sit prima propoſitio contra poſteriorem ſententiam: *Corpora glorioſa nec dùm in cœlo quieſcunt; nec dùm ab anima dote agilitatis mouentur, vllam actualem habent renitentiam, vſum vè grauitatis; ſed abſque vlla prorſus renitentia obediunt animæ mouenti.* *Auguſt.* Hanc propoſitionem expreſſè videtur probare Auguſtinus locis pro ſententia affirmante citatis, dûm ait: *Deum à corpore glorioſo ablaturum pondus, vt ibi ſit corpus, vbi voluerit anima*: quæ verba non intelliguntur de grauitate eſſentiali, ſed de ſola accidentali. Id ipſum probat idem Auguſtinus, dùm ſimul cũ *Cyprian.* Cypriano vbi ſuprà aſſerit *corpus glorioſum futurum eſſe animæ ſine vllo onere, & pondere.* Quæ verba omnem actualem renitentiam grauitatis (nomine ponderis ſignificatam) denegant.

17. Ratione etiam id ipſum videtur conuinci: quia quęcunque renitentia ad motum, aut quietem àb anima intenta arguit corpus non dùm eſſe per omnia ſubiectũ animæ; & ſubindè non dûm eſſe omnibus modis ſpirituale, contra quod docet *1. Cor. 15.* Paulus 1. Corinth. 15: *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* Iam verò ex ſententia Patrum ideò corpus glorioſum dicitur ſpirituale; quia ad nutum, & ſine repugnantia, renitentia vè ſpiritui ſeruit, *Auguſt.* vt habes ab *Auguſtino ſerm. 147. de Tempore cap. 8. & in Enchyrid. cap. 91.* *Gloſſa.* *conſentic Gloſſa ordinaria in eodem loco Pauli*: alioquin ſi in aliquo reniteretur animæ mouenti; vtique iam non omnibus modis naturaliter moueretur, ſed aliquo modo violenter: quæ violentia omnino repugnat ſummæ corporis cum ſpiritu concordiæ, & paci: nec decet ſtatus beatifici perfectionem. Vtrùm autem hæc renitentia à grauitate diuinitus, an alio modo tollatur; dicemus in ſolutione tertij argumenti. Igitur corpora glorioſa, nec grauitabunt, quando in cœlo quieſcent; nec quãdo Chriſto ad iudicium venienti in aera obuiam occurrent; nec quando cum eo in cœlum aſcendẽt: nec denique, quando dote agilitatis ad quancũque partem mouebuntur.

18. *2. propoſit.* Secunda propoſitio: *Non repugnat tamen corpori glorioſo vſus naturalis grauitatis; ſi fortè voluerit beatus motu ſibi naturali deorſum deſcendere, & ad imas huius mundi partes venire.* Quid enim imperfectionis erit, ſi ad experiendam ſuam grauitatem, tanquam propriam, & naturalem ſui corporis perfectionem, naturali ipſius grauitatis motu velint ad terram deſcendere?

§. 5.

Soluuntur argumenta.

19. *Ad 1. arg.* AD primum igitur argumentũ partis negantis cõmuniter reſpondetur Auguſtinum, & Cyprianum non agere de grauitate, quæ eſt qualitas motiua, principiũq; actiuum motus deorſum; ſed de vſu, actuq; illius, id eſt de actuali grauitatione, quæ actualiter reſiſtẽdo pondus, & onus efficit: hæc enim grauitas in corpore glorioſo nulla ratione dabitur, dûm agilitatis dotẽ exercebit: quia tunc impedietur emanatio impulſus, ſine quo graue deorſum non nititur, nec reſiſtit; ſiue talis impulſus emanatio impediatur à dote agilitatis; ſiue à Deo ſuum generalem concurſum ſubtrahendo. Dicimus *quando dotem agilitatis exercebit,* propter ſecundam propoſitionem, quam ſtatuimus: ex qua patet poſſe beatum aliquando nolle vti agilitatis dote.

20. *Ad 2.* Ad ſecundum dicendum eſt vſum grauitatis perfectioni agilitatis omnino repugnare, atque perfectæ corporis ad ſpiritum obedientiæ, & ſubiectioni; quæ vt diximus ex Auguſtino, & alijs, in eo eſt poſita, vt animæ mouenti nullo modo renitatur, de quo plura dicemus *libro quinto in quæſtione de dote agilitatis.* Ipſam tamen grauitatem, cum nec agilitati, nec alteri beatificæ perfectioni repugnet, nullam denotare imperfectionem, ſed perfectionem potiùs; cum propriè ſit facul-

facultas quædam naturalis, quæ complctum eſſe ſubſtantiæ grauis naturaliter ſpectat: vnde & generanti tribuitur, cuius eſt ſubſtantiam in ſuo eſſe perfecto generare, vnde naturaliter ab ipſa ſubſtātia reſultat, non ob aliam cauſam, niſi quia ad naturale ſubſtantiæ complementum, & integritatem eſt neceſſaria. Quin potius ex ſententia *Scoti in dicta quæſt.* 14. *litera* K. grauitas eſt etiam diſpoſitio per ſe neceſſaria, vt corpus ſit perfectibile per animam; quod eſſe admodum probabile putat *Suarius in Metaphyſica diſput.* 42. *ſect.* 4. *num.* 12: dùm ait grauitatem, & leuitatem perinde ſe habere, ac primas qualitates: quia nimirum per ſe primò ſunt formales diſpoſitiones ſubiectorum & concomitanter habent actiuitatem; & ob id non collocari in ſecunda qualitatis ſpecie, ſed in tertia. Ex quibus iam conſtat diſparem reperiri rationem inter grauitatem, & vſum grauitatis.

Scotus.

Suarius.

21. Occurritur obiectioni.

Nec grauitas otioſa eſſet, licet ſuo vſu in perpetuum priuaretur: quia ſiue ſit ſolùm naturalis facultas, ſiue facultas ſimul & diſpoſitio; ſemper habet, quod ſua entitate, vt eſt actus primus, perficiat corpus, & compleat naturale illius eſſe: quæ ſolutio placuit *Diuo Anſelmo in libro de ſimilitudinibus cap.* 52. vbi concludit ſolam harum virium, & facultatum poſſeſsionem futuram eſſe gratam beatis; licet earum vſus non ſit illis neceſſarius. Nec dici poteſt naturam ſuo fine eſſe defraudatam, quæ grauitatem ſolùm inſtituit, vt corpus deorſum ferret; tùm: quia illum iam obtinuit in via, & in pluribus alijs mixtis: tùm etiam; quia illum vſum, ad quem grauitatem per ſe inſtituit, per ſe ordinauit ad perfectionem ſubſtantiæ, tanquam ad finem cui. Quare vſum grauitatis ſemper ea conditione intēdit, ſi, & quatenus ille neceſſarius fuerit ſubſtantiæ graui: quæ cōditio omnino ceſſat in patria. Quod ſi hæc fortè non placent; dicito iuxta ſecundam noſtram propoſitionem beatum poſſe, ſi voluerit, vti ſua grauitate: & hoc modo ceſſat omnis difficultas.

Anſelm.

22. Ad 3. 1. ſolutio.

Ad tertium ſunt, qui admittant corpora glorioſa eſſe in cœlo violenter: nec putant eſſe inconueniens, ſi aliquod violentum diuina virtute ſit perpetuum. Ita reſpondet Baſſolius loco citato: nam licet ibi ſint violenter; non tamen habent locum imperfectum; nec fatigabuntur; cum ſemper quieſcant. ¶ Sed hæc ſolutio placere non debet. Tùm quia violentia ſupponit renitentiam in oppoſitum: quæ tamen nulla ibi datur, vt in prima propoſitione oſtendimus. Tùm ſecundò; quoniam licet Deus de potentiā abſoluta poſsit aliquod violentum perpetuò conſeruare; id tamen non facit de lege ordinaria: maximè in patria, vbi omnia tâm naturalia, quàm moralia, ſunt in omnimoda concordia, & pace, ſublata omni repugnantia corporis cum anima, vt diximus ex Auguſtino. Tùm tertiò; quia beati non perpetuò erunt quieſcentes, de quo plura inferiùs. Tùm denique; quia violentia ſimpliciter denotat imperfectionem; cum violentatum impediatur à ſua naturali propenſione.

Non recipitur.

Alij igitur docent corpora glorioſa ſimpliciter eſſe in cœlo naturaliter; ſecundum quid vero, violenter: ita Scotus, & Abulenſis in locis citatis: & ratio eſt; quia corpus glorioſum habet in ſe duplex principium motus, & quietis: animam ſcilicet & propriam corporis grauitatem; quorum poſterius priori ſubordinatum eſt, quare naturalius eſt illi, moueri aut quieſcere ſecundum inclinātionem animæ, quæ eſt natura ſuperior, quā moueri ſecundum grauitatem, quæ eſt inferior. Cum igitur anima beata naturaliter inclinet corpus, vt ſit in cœlo ſurſum, & non in terra deorſum; hinc fit, vt corpus glorioſum naturaliter quieſcat in cœlo; ſecundum quid autem violenter. Hanc ſolutionem inde ſumunt; quoniam cum naturalitas potentiæ ſuperioris maior eſt, quam naturalitas inferioris; ſuperioris naturalitas ſimpliciter ſpectatur, inferioris verò, ſolum ſecundum quid: ob hanc enim rationem graue naturaliter aſcendit ſurſum, ne fiat vacuum.

23. 2. ſolutio.

¶ Sed nec iſta ſolutio admittenda eſt: primò; quia contra ſententiam Auguſtini, & contra ſummam ſpiritualitatem corporis glorioſi admittit renitentiam actualem, quæ arguit illius corporis imperfectionem: negata autem omni reſiſtentia, om[...]s etiam violentia neganda erit. Deinde: quia ex Philoſophia adducta oppoſitum potiùs concluditur: nam graue aſcen[...]ns ſurſum, ne detur vacuū,

24. Non admittitur.

ita

ita aſcendit naturaliter, vt nulla detur grauitatis renitentia: cum enim pro illo caſu grauitas per omnia ſubijciatur ſuperiori virtuti ad hoc munus tributæ omnibus corporibus ſublunaribus; omnem actionem, & renitentiam ſuſpendit.

25. Vera ſolutio. Quare ad argumentum neganda eſt ſequela cum Conimbricenſibus ſatis ad mentem Auguſtini: nam ea tantùm violenter quieſcunt, quæ actu nituntur in motum, à quo impediuntur. Cum igitur in illo corpore, cum eſt in cœlo, nulla omnino detur renitentia; nullo modo, nec ſimpliciter, nec ſecundum quid violenter quieſcet.

26. Ad 4. *Suar.* Ad quartum cum *Suario vbi ſuprà*, negandum eſt grauitare eſſe effectum formalem grauitatis: grauitatio enim formaliter non prouenit à grauitate, ſed efficienter: ab hac enim naturaliter emanat in ipſum graue quædam qualitas, quæ apellatur actualis impulſus, vt docent Philoſophi, & cum illis *Conimbricenſes 2. de Cœlo cap.6.q.1.art.2.§.Longiore diſputatione, & lib.7.Phyſicorum cap.2, q.1.art.8.pag.* 681: quo impulſu in ſe recepto graue nititur deorſum, & ita facit vim corpori interiecto; & hoc eſt grauitare, & quo maior eſt iſte impulſus, eò maior eſt grauitatio, & motus intenſior, & velocior: ob hanc enim cauſam motus naturalis in fine eſt velocior; quia in fine impulſus à grauitate emanans eſt maior, vt aduerterunt *Conimbricenſes in dicto art.8*: grauitas igitur formaliter facit graue; efficienter verò grauitat. *Conimbr.*

27. Illatio. Ex quo iam inferes poſſe manere grauitatem ſine ſuo actu, id eſt ſine actuali impulſu: vnde elementa grauia in ſuis proprijs locis non grauitant, iuxta veriorem ſententiam, de qua *Conimbricenſes in 4. de Cœlo quæſtione 2. cap.1.* Non eſt igitur mirum, ſi in corpore glorioſo inueniatur grauitas ſine actuali grauitatione. Si verò inquiras; cum talis impulſus à grauitate naturaliter reſultet; vnde nam talis influxus impediatur? reſpondent Conimbricenſes eum impediri Deo ſubtrahente ſuum concurſum. Non inepte dixeris impediri ab animæ dote agilitatis prædita: ſicut enim poteſt impedire effluxum ſpecierum ſenſibilium ne ſentiatur, vt inferiùs dicemus; ita etiam impedire poteſt influxum impulſus ne actu deorſum nitatur. *Conimbr.*

QVÆSTIO II.

De facultatibus animæ vegetatiuæ.

1. De anima vegetatiua. ACTVRI de facultatibus corporis glorioſi, vt eſt corpus quoddam viuens; cum anima ſit quadruplex, vegetatiua ſcilicet, ſenſitiua, loco motiua, & intellectiua: potentiæ autem animæ intellectiuæ non ſubiectentur in corpore, ſed in ipſa anima intellectiua; potentiæ intellectiuæ ad præſens inſtitutum non pertinent. Solùm igitur agemus de facultatibus animæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & loco motiuæ. Et priùs agemus de illis, quæ ad animam vegetatiuam ſpectant: hæc enim anima prior eſt cæteris. Deinde dicemus de facultatibus animæ ſenſitiuæ: tertiò loco de illis, quæ ſunt animæ loco motiuæ.

2. Acturi igitur de facultatibus animæ vegetatiuæ; primo loco agemus de ipſis facultatibus, & potentijs: deinde de vſu earum. ¶ Quod attinet ad facultates animæ vegetatiuæ; primùm expendemus, quot & quæ ſint facultates illius? Secundo; vtrùm reſurgemus cum facultatibus, & potentijs huius animæ? tertio loco; vtrùm eædem numero ſint redituræ?

ARTICVLVS I.

Quot, & quæ ſint facultates animæ vegetatiuæ?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1. 1. præmiſſ. PRo clara huius difficultatis explicatione nõnulla præmittenda ſunt. Primum eſt; apud Ariſtotelem, ſi credendum eſt *Fernelio libro 5. ſuæ Phyſiologiæ cap.12.* duo tantùm diſtingui genera facultatum, quibus noſtrum corpus adminiſtratur, & regitur: naturalium, inquam, & animalium: etenim Ariſtoteles facultates animæ vegetatiuæ modò appellat naturales, modò vitales: *Fernelius.* Duo genera facultatum.

quaſi facultatem vitalem à naturali non diſtinguat; quanuis oppoſitum *Conimbricenſes 1. de Generat. cap. 5. quæſt. 1. art. 1. in principio* tribuant Ariſtoteli: cæteri tamē omnes diſtinguent tria genera facultatū animæ cum Platone in Thymæo, quem ſequuntur omnes Medici, vt *Galenus 2. præſag. cap. 37. & libr. 9. Methodi. cap. 10: Fernelius libr. 5. citato cap. 3. 7. 12. & 13. Valeſius lib. 2. controuer. c. 15. & 18. Neemeſius in lib. de natura hominis cap. 18. probant Auerroiſtæ, teſte Fernelio; ſequuntur Conimbricenſes loco citato; docet Damaſcenus libr. 2. de fide cap. 12. citatur Nyſſenus lib. 4. Philoſophiæ cap. 18.* Quem librum apud eum non repiri: hi omnes facultatem vitalem diſtinguunt à naturali; & vtramque ab animali: & fortaſſe id non negauit Ariſtoteles.

Conimbr. — Medici tria — *Galen.* — *Fernelius.* — *Valeſius.* — *Neemeſi.* — *Auerroes.* — *Conimbr.* — *Damaſc.* — *Nyſſenus.*

2\. 2. præmiſſ. Præmittendum eſt ſecundò, controuerſum eſſe; an facultas vitalis (qualis eſt facultas pulſatiua, & generatiua ſpirituū, vitaliſque caloris) potiùs ſit animæ ſenſitiuæ; an verò vegetatiuæ? de qua difficultate variæ inueniuntur opiniones:

1\. opinio. prima eſt eorum, qui & Ariſtotelem, & Auerroem ſequuntur: hi enim eam referunt ad facultatem vitalem, teſte *Fernelio in dicto cap. 13:* vbi ſub facultate naturali duas ſpecies collocat, altricem ſcilicet & vitalem.

2\. opinio. Alij (Medici inquam cum Conimbricenſibus) vitalem facultatem mediam faciunt: non tamen explicant, ad quamnam animā pertineat.

3\. opinio. Tertio loco: quidam hanc quæſtionem faciunt dubiam pro vtraque parte: nam quod ad ſenſitiuam debeat referri, ſuadere videtur, quod vitalis facultas, non niſi in animalibus reperitur, vt explicat *Fernelius in dicto lib. 5. ſuæ Phyſiologiæ cap. 13. poſt principium n. 50. & latiùs cap. 16.* Quod verò ad vegetatiuam referenda ſit inde videtur oſtendi; quoniam omnis animalis operatio & motus eſt volūtarius: cum tamen facultas vitalis non ſit voluntaria, ſed naturalis; quod proprium eſt facultatum animæ vegetatiuæ.

4\. opinio. Quarto loco alij dicunt, facultatem vitalem per ſe & primo non conuenire animæ vegetatiuæ, bene tamen prout eſt in animali. Prior pars inde conſtat; quia hæc facultas in ſtirpibus minimè repiritur, vt Fernelius cum Medicis docet; quanuis Ariſtoteles oppoſitum inſinuet. Poſterior autem pars ex eo probatur; quoniam vt aduertit *Fernelius in dicto cap. 16.* facultas naturalis, quanuis ſit animalibus, & ſtirpibus communis; in animalibus tamen eſt præſtantioris ordinis, & dignitatis ob coniunctionem, quam habet cum facultate ſenſitiua; vnde illis præſtantiorem nutritionem molitur; & eo meliorem quò animal eſt perfectius. Sicut igitur æſtimatiuæ, vt eſt in homine, conuenit diſcurrere propter coiunctionem, quam habet cum potentia intellectiua; quod tamen non conuenit æſtimatiuæ brutorum animalium: ita etiam vegetatiuæ animæ, vt eſt in animali, conuenit facultas ad quædam opera obeunda neceſſaria ad conſeruationem facultatis tàm naturalis, quàm animalis; & hæc dicitur facultas vitalis. *Fernelius.*

Vltima opinio & vera. Vltima ſententia non inepta defendit primam ſententiam Ariſtotelis, vt ſcilicet potentia illa pertineat ad animā vegetatiuā non ſolùm, vt eſt in animali; ſed etiam vt eſt in ſtirpibus, quam opinionem non ineptè defendes, ſi dicas facultatem vitalem etiam repiri in ſtirpibus: nam in illis, teſte Ariſtotele, repiritur quædam pars inter radicem, & ſtipitem, quæ conreſpondet cordi in animalibus: & in hac reſidet facultas vitalis; imperfecta tamen; cum in illis non omnia munia obire poſsit, quæ poteſt cor obire: nec ſtirpes ad ſui conſeruationem indigent aut ſpiritibus, aut pulſu; bene tamen calore natiuo, & ſi exiguo, cuius officina eſt pars illa, quæ cordi proportionabiliter reſpondet.

§. 2.

Ponitur reſolutio.

4\. Diuiſio facultatū animæ vegetatiuæ. Admiſſa igitur vltima ſententia; facultatem vegetatiuam primum diuidemus in naturalem, & vitalem.

Facultas vitalis. Facultas vitalis (quæ conſenſu tùm Ariſtotelis, tùm omnium Medicorum in corde principaliter reſidet) plures complectitur facultates ad vitæ conſeruationem neceſſarias: ſcilicet virtutem pulſatricem: virtutem confectricem ſpirituū vitalium: & virtutem effectricem vitalis caloris; de quibus præter Medicos vide *Conimbricenſes libro primo de Generatione capite quinto, quæſtione 1. articulo 1. & 2.* *Conimbr.*

Natu-

5. Facultas naturalis. *Conimbr.* Naturales autem facultates ſunt tres: nutritiua, augmentatiua, & generatiua: ſiue illę realiter, ſiue formaliter, ſiue ſolis officijs inter ſe diſtinguãtur: de quo *Conimbricenſes 2. de Anima cap. 4. in quæſtione vnica.* Naturalem facultatem in corde reſidere docuit Ariſtoteles: cum tamen & Philoſophi, & Medici relinquunt; voluntque eam reſidere in iecore; idque ea præciſa ratione, quod in iecore ineſt vis confectrix ſanguinis, quod eſt aptum viuentis alimentum. At verò cum non vna, ſed plures ſint facultates naturales, non video, quomodò iecur ſit propria illarum omnium ſedes.

6. Melior opinio. Aptius igitur dicemus facultatem nutritiuam quoad propriam ſuam rationem (quæ poſita eſt in actuali conuerſione alimenti in ſubſtantiam viuentis) fuſam eſſe per totum corpus: quia nulla pars corporis nutritione vacat. Et eadem ratione vis augmentatiua per totum corpus fundetur: quia nulla datur pars corporis, quæ accretionem non ſubeat; ſaltem vſque ad ſtatum: quo tempore augmentatiua re & opera comitatur nutritiuam.

7. Generatiua porrò ſedem ſuam collocauit in teſtibus, vbi ſemen generationis inſtrumentum conficitur. Igitur vis generatiua ſanguinis à facultate nutritiua, & à cæteris duabus omnino diſtinguitur, non ſolùm ratione, ſed re ipſa: & inter virtutes, quæ dicuntur adminiſtrantes, eſt enumeranda: nam ſimul cum illis tota eſt in diſponendo alimento, vt aptum ſit in viuentis ſubſtantiam conuerti: & ob id in iecore duplex reſidet naturalis facultas: vna; quæ eſt effectrix ſanguinis: altera; quæ eſt nutritiua ipſius iecoris: nam & iecur ipſo, quem genuit, ſanguine nutritur, ex quo inferọ vim generatiuam, tùm ſanguinis, tùm aliorum humorum (quæ conſenſu omnium Medicorum reſidet in iecore) annumerandam eſſe inter virtutes, quæ à Medicis appellãtur adminiſtrãtes: quęq; veluti operis famulæ, & adminiſtræ alentem facultatem iuuant, præparando alimentum, vt ex eo fiat nutritio.

8. Facultates adminiſtrãtes. Dantur autem plures facultates adminiſtrantes, quæ non per totum corpus diffunduntur, ſed peculiares habent ſedes. Sunt autem quatuor; attrahens, concoquens, retinens, & ſpargens, vt cõmuniter dicitur. Alij cũ Galeno tres alias addunt: appetentem ſcilicet, diſtribuentem, & ſecernentem: quæ tamen ad quatuor priores facilè reducuntur; de quo vt Medicos omittamus, ſatis ſit videre Conimbricenſes 1. de Generatione capite 5. quæſt. 3. artic. 3. Ego his annumerandam puto facultatem ſanguinis, & aliorum humorum effectricem: quia generatio ſanguinis non eſt nutritio, ſed alimenti præparatio. Ante omnes præparationes alimenti prima præparatio fit in ore, vbi cibus exceptus dentibus comminuitur, & ſuo modo decoquitur, & attractione gulę, ſeu ventriculi intus mittitur: cætera vide apud Medicos, quos citant Conimbricenſes loco citato.

ARTICVLVS II.

Vtrùm reſurgemus cum facultatibus animæ vegetatiuæ?

§. 1.

Refertur opinio negans.

VTrùm enumeratæ animæ vegetatiuæ facultates reperiri debeant in corpore glorioſo? eſt controuerſia. Quidã negauere, vt refert *Suarius*; *inter quos eſt Palatius in 4. diſtinctione 43. diſputatione ſecunda, §. Quamobrem videtur dicendum, pagina 25. columna 1.* in quo loco non tantùm aſſerit non ineptire, qui eas corpori glorioſo negauerit; ſed affirmat neminem eas corpori glorioſo tributurum. Huius ſententiæ videtur eſſe *Durandus in 4. diſtinctione 44. quæſt. 2. num. 7.* dùm generaliter aſſerit, non reditura, quæ pertinent ad ſtatum nutritionis, & generationis. 1. Opinio negans. *Palatius.* *Durand.*

Vnicum fundamentum huius opinionis eſt: quoniam omnium iſtarum viriũ vſus poſt reſurrectionem ceſſabit, vt ſtatim dicemus: non eſt igitur cur poſt reſurrectionem maneant hæ facultates. Hæc conſequentia probatur: primò; quia manebunt omnino otioſæ: ſecundò; quia cum propter ſolum vſum importent perfectionem, eo ſublato nullam perfectionem importabunt. Tertiò; quia ob hanc rationem vis augmentatiua omninò deſinit, 2. Fundamentum.

ſinit, cum viuens peruenit ad ſtatum: & generatiua, cum corpus ſenio langueſcit, vt docet Fernelius libr. 5. Phyſiologiæ cap. 3: & plerique affirmant hanc fuiſſe ſententiam Galeni: & ſatis videtur inſinuare in libro de naturalibus facultatibus cap. 7.

§. 2.

Aſſeritur pars affirmans.

3. Affirmans eſt vera. Pars tamen affirmans eſt communis inter Theologos *in 4. diſt. 44. teſte Suario*: ſatis eſt de mente *Diui*
D. Thom. *Thomæ ibidem quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 1. ad*
Ferrar. *primum, & 4. contra gentes cap. 81. ad ſe-*
Aegid. *cundam obiectionem, vbi Ferrarienſis, §. Circa quartum dictum, probat Aegidius in 2. diſt. 8. quæſt. 2. artic. 1. dub. 1. Expreſſè So-*
Sotus. *tus in 4. diſtin. 44. quæſtione vnica artic. 5. concluſ. 2.* affirmans has potentias futuras eſſe in beatis abſolutiſsimas, & perfectiſ-
Abulen. ſimas. Adde *Abulenſem in cap. 22. Matth.*
Angles. *quæſt. 248. ad primum. Conſentit Angles*
Suar. *in quæſt. de reſurrect. art. 6. diffic. 5. Suarius 2. tom. ad tertiam partem diſp. 47. ſectione* 5. quo in loco aſſerit oppoſitam ſententiam non ſolùm falſam eſſe, ſed etiam temerariam.

4. Confirmatur ex Aug. Pro hac veriſsima ſententia expendo Auguſtinum, qui pleriſque in locis potentiam edendi, & bibendi tribuit corporibus glorioſis: denegata tamen cibi & potus indigentia: ita libr. 13. de Ciuitate Dei cap. 22. ita inquiens: *A corpore glorioſo edendi, & bibendi poteſtatem non eſſe auferendam; ſed indigentiam, ac neceſsitatem cibi & potus.* Rurſus ait: *Corpus glorioſum poſsibilitate quidem veſci poſſe, non neceſsitate* epiſtola 49. ad Deo gratias ita ait: *Corpus glorioſum imperfectæ felicitatis erit, ſi cibos ſumere non potuerit: & præterea ſi cibis indiguerit.* Quod etiam affirmat ſermone 147. de Tempore c. 2. ita inquiens: *Si deſideraret manducare, egeret: ſi manducare non poſſet; minus valeret: quod Chriſtus manducauit, poteſtatis fuit, non egeſtatis.* Autor etiam libri de mirabilibus ſacræ Scripturæ apud Auguſtinum lib. 3. cap. 14. ita ait: *Reſurgent corpora non guſtatura ſano ſenſu creditur poſsibilitatem edendi cibos, ſi neceſſe fuerit, habitura.* Eandem po-
Gloſſa. Beda. teſtatem corpori glorioſo tribuunt Gloſſa ordin. & Beda ad caput vltimum Lucę dùm agunt de mãducatione Chriſti. Iam verò facultas edendi, & bibendi ſimul cũ ſuo actu ad animam vegetatiuam pertinet; vt inferiùs oſtendemus. Quod autem dicitur de hac potentia edendi, & bibendi, cur dici non debet de cæteris omnibus animæ vegetatiuæ potentijs?

Ratione id ipſum oſtenditur: quoniã 5.
ſi potentiæ naturales animæ vegetatiuæ 1. ratio.
nihil aliud ſunt, quàm ſingularum partium temperamentum, vt *Galenus ſæpè docuit ſcilicet Aphoriſmo 2. & 34. & in li-* Galenus.
bro de natura humana; in libro item de præſagatione ex pulſibus; atque etiam in *libro de plenitudine: denique in libro de elementis*; quem plures ſequuntur: cum temperamenta in corporibus glorioſis admittantur; non poſſunt non admitti huius generis facultates. Porrò ſi cum communiori ſententia, & veriori facultates naturales, & vitales animæ vegetantis ſunt ſimplices quædam qualitates actiuæ, & naturales quædam proprietates animæ, prout informat corpus (quæ eſt omnium Philoſophorum ſententia, & inter Medicos magis recepta, de qua *Fernelius libr. 2. de abditis rerum cauſis cap. 5.* vtique tales po- Fernelius.
tentiæ ad veritatem, & integritatem naturæ humanæ pertinebunt: ſine quibus natura humana naturaliter manet imperfecta: ob quam cauſam à generante ſimul cum ipſa humana natura tribuuntur, tanquam quid ad perfectum eius eſſe naturaliter conueniens. Ergo ſi natura humana reſurgeret ſine iſtis facultatibus, neceſſariò reſurgeret imperfecta, ac veluti monſtruoſa: quod de corpore glorioſo dici non poteſt: maximè cum omnia reſurgent, quæ ad naturalem naturæ humanæ integritatem ſpectant. Et profectò de his potentijs dicere poſſumus, quod de potentia edendi dixit Auguſtinus: ſi corpus glorioſum nutriri deſideraret; egeret: ſi ſe nutrire non poſſet; minus valeret; eſſetque imperfectæ felicitatis.

Secundò confirmatur ratione D. Tho- 6.
mę: quia facultates, & virtutes à poſterio 2. ratio.
ri optimè demonſtrantur ex proprijs inſtrumentis: inſtrumenta enim à natura tribuuntur propter potentias, & earum operationes. At corpora glorioſa cum omnibus, & corporis facultatum animæ vegetatiuæ inſtrumentis reſurgent: cum ven-

ventre, inquam, corde, iecore, cæteriſque animæ vegetantis inſtrumentis, quibus ad ſuas operationes obeūdas in hac vita vtitur, vt ex ſuperioribus certiſsimè cōſtat. Ergo reſurgent cum facultatibus iſtorū inſtrumentorum.

7. Vlt. ratio. Poſtremò; quia nihil eſt, cur hæ facultates corpori glorioſo denegentur; nam cum ſint naturales vires, pertinent ad perfectionem ſaltem actus primi ipſius viuētis. Quod ex eo oſtenditur; quia corpora illa, ſi eis careant, erunt in pura potentia, quæ appellatur eſſentialis: hæc autem potentia denotat imperfectionem oppoſitā perfectioni actus primi; cuius perfectio ſpectat ad naturalem integritatem agentis. Cum igitur ſit naturalis quædam perfectio corporis humani; cur corpori glorioſo denegabitur? etenim non repugnat impaſsibilitati; ſicut nec illi repugnat actiuitas primarum qualitatum, vt iam diximus.

8. 1. Obiectio ſoluitur. At inquies: impaſsibilitati corporis glorioſi repugnant actiones harum facultatum: cur igitur non repugnabunt ipſæ facultates? Auguſtinus in locis ſuperius citatis negat hanc cōſequentiam: etenim indigentia cibi, & actualis nutritio repugnant corpori beato: non tamen illis repugnat potentia, & facultas ad ſumendū cibum. Similiter etiam Chriſto Domino viatori ratione indecētiæ repugnabat actus generationis; & omnis ęgritudo: in eo tamen inerat potentia generandi, & potentia ad ęgritudinem. Præterea corpus glorioſum ab intrinſeco erit alterabile, & corruptibile, vt dicemus; cui tamen repugnabit omnis corruptio, & alteratio.

9. 2. Obiectio ſoluitur. Rurſus dices: ceſſabunt actiones harū facultatum. Ergo non eſt cur reſtituātur ipſæ facultates. Reſpondetur conſequentiam iſtam eſſe prorſus inutilem, & vitioſam in membris, quæ ſunt inſtrumenta harum facultatum, vt oſtendunt *Tertullianus in lib. de carnis reſurrectione c. 60. & Hieronymus in Epiſtola 61. ad Pamachium cap. 11: & Anſelmus in libro ſimilitudinum cap. 52: D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 1. ad 1.* quem cæteri Theologi ſequuntur: & ſatis oſtendunt inſtantiæ immediatè adductæ: quibus adde; quoniam in viatoribus confirmatis in gratia, eſt potētia peccandi; quæ tamen ad actum nunquam reducetur.

Tertull. Hierony. Anſelm. D. Thom.

§. 3.
Soluitur fundamentum aduerſarium.

10. Ad fundamentum. EX dictis iam patet negandam eſſe conſequentiam argumenti, quo ad uerſarij nitūtur, quā nos in ſimili ſuperius negauimus. Cuius prima probatio nihil officit, vt aduertit *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 1. ar. 2. q. 1. ad 1*: quoniam facultates illæ, cum ſint actus primi, non ſolùm habent ordinem ad operari; ſed etiam ad perficere ſubiectum in eſſe virtuoſo ad operandum: vnumquodq; enim prius eſt in actu primo ad operandum, quam operetur: iam verò habere vim ad operandū, etiā ſecluſa operatione, eſt pefectio naturalis ſubiecti, vt patet ex locis Auguſt. adductis in §. 2. dum ait in beatis non poſſe edere, & bibere, dicere impotentiam, & felicitatem imperfectam; vnde poſſeſsio harum facultatum, etiam ſecluſis actibus, grata erit ipſis beatis, vt expreſſe docet D. Anſelmus ſupra citatus: quę poſſeſsio etiam ob id erit grata, quia oſtendit Dei Sapiētiam, quę declaratur in opificio humani corporis tot facultatibus prędıti. Simul etiam oſtendit diuinam bonitatem, quæ naturales corporis terreni facultates ita reformauit, vt perfectionem actus primi ab imperfectionibus actus ſecūdi mirabiliter ſeparauerit. Tertio etiam modo poteſt Philoſophice elidi hæc prima probatio: quoniā otioſum non dicitur. quod ſuum finem aliquando, & in aliquibus indiuiduis iam obtinuit. *D. Thom.*

11. Ad 2. Ad ſecundam conſequentiæ probationem dicendum eſt ſingulas facultates habere ſuam entitatiuam perfectionem per relationem tranſcendentem ad actum ſecundum, quæ ſemper manet, quantumuis nullus vnquam actus detur; quia ex ſua natura ſemper eſt principiū talis actus itaque facultas in actu quidem ſignato habet ſuam perfectionē in ordine ad vſū; non tamen in actu exercito: ob quam rationem ſine vllo actuali vſu ſuam perfectionem retinet.

12. Ad 3. Ad tertiam probationem negandum eſt *Galeno, & Fernelio*, quod ſumitur in antecedente, quod negant *Conimbricenſes libro 2. de Anima c. 3. q. 1. art. 2. ad primum.* Quod veriſsimum eſt, licet cum Galeno, Fernelio, & alijs exiſtimes tres illas potentias eſſe realiter diſtinctas: hac enim ſup-

Galen. Fernelius. Conimb.

ſuppoſita opinione argumentū retorquetur in aduerſarios: cum vtraque illa potentia naturaliter maneat; quāuis neutra ad actum naturaliter reduci queat.

ARTICVLVS III.

Vtrùm potentiæ animæ vegetatiuæ redituræ ſint eædem numero?

1. Negatio. VTrùm potentiæ naturales, & vitales animæ vegetatiuæ eædem numero debeant redire? non ſatis conſtat. Negabunt, qui putant ſemel corruptum, nec diuina potentia poſſe redire idem numero. Ex his verò authoribus, qui hoc fundamentum improbant, negantem partem probauit *Sotus in 4. diſt. 44. q. vnica art. 1. ad. 2.* Nec de erit, qui putet hanc ſententiam fuiſſe *D. Thomæ ibidem q. 1. art. 1. q. 2. ad 3. & 4. cõtra gent. cap. 81. ad ſecundam obiectionem, & Opuſculo 2. cap. 154.*

Sotus. *D. Thom.*

2. Non admittitur. At nec D. Thomas illis in locis id docuit; nec ſententia eſt ſatis probabilis. Primū patet; quia D. Tho. in illis locis docet diuerſitatem numericam illarum facultatum non tollere identitatem numericā hominis reſurgentis: & ob id non eſſe de ratione eſſentiali reſurrectionis, quod redeant eædem numero facultates. Quod libenter admittimus; cum quo tamen aſſerimus illas de facto eaſdem numero fore redituras; quia hoc cedit in maiorem reſurrectionis perfectionem, vt in ſuperioribus ſæpe aduertimus.

3. Affirmans opinio vera. Quare merito affirmantē partem probauerunt *Palatius in 4. diſt. 43. diſp. 2. pag. 25. col. 1. in principio, & fine, & Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 3. §. 2. de vnitate numerica pag. 814. col. 1*: nam facultates animæ ſenſitiuæ eædem numero redire debent, vt inferius ex ſacris literis efficaciter deducemus.

Palatius. *Suarius.*

QVÆSTIO III.

De vſu facultatum animæ vegetatiuæ.

DVbitari poteſt, vtrùm vſus facultatum animæ vegetatiuæ futurus ſit in corpore glorioſo? cum verò ſupra quæſtione præcedente art. 1, admiſerimus duplicem animæ vegetatiuæ facultatem: vnam naturalem; alteram vitalem: de vſu vtriuſque ſpecialiter agendū erit. Quare primus articulus aget de vſu facultatis naturalis. Secundus de vſu facultatis vitalis. Quia verò controuerſia eſt; an manducatio pertineat ad animam vegetatiuam, an verò ad ſenſitiuam? et ſi ad vegetatiuam pertinet, dubium eſt; an pertineat ad potentiā naturalem; an verò ad vitalem: pro explicatione huius difficultatis de manducatione ſequentes articulos excitabimus? Tertius, igitur articulus inquiret de vera, & propria ratione mãducationis? Quartus; an illa pertineat ad animam vegetatiuam; an ad ſolam ſenſitiuam; an verò ad loco motiuā? Quintus; an pertineat ad potentiam naturalem; an verò ad vitalem? Sextus; an Angeli vere mãducauerint? Septimus; an Chriſtus Dominus verè comederit poſt reſurrectionem? Vltimus tãdem; an beatis poſt reſurrectionem manducatio ſimpliciter repugnet?

ARTICVLVS I.

Vtrùm vſus facultatis naturalis maneat in corpore beato?

QVod in corporibus beatorum futurus ſit vſus omnium facultatū animæ, tùm vegetatiuæ, tùm ſenſitiuæ, tùm etiam loco motiuæ, exiſtimauerunt Sarraceni atq; Iudæi, qui beatitudem in delicijs carnis, gulæ, & luxuriæ turpiter poſuerunt: quorum opinionē approbauerūt Chiliaſtę ſiue Millenarij, qui voluerunt beatos omnes per mille annos in terris cum Chriſto eſſe victuros corporeis delicijs affluentes. Hi igitur omnes in beatis reſurgentibus admiſerunt omnes actus animæ vegetatiuæ. At horum deliria iam late impugnauimus in 2. tom. lib. 12. dū cõtra Millenarios diſputauimus. 1. Opinio Sarracenorū & Iudæorum.

2. Negatione. Nos igitur qui iuſtorum reſurgentiū veram gloriam corporum, immortalitatē & ſūmam ſpiritualitatem cum Paulo 1. Corinth. 1. diuina reuelatione agnoſcimus, & confitemur; omnes naturalium vegetatiuæ animæ facultatum functiones à corpore glorioſo penitus ablegamus; generationem. ſ. nutritionem, & augmentū: idque cum communi Theologorum ſen-

D.Thom. Abulenſ. Suarius.

tentia, de qua *D.Thomas in 4.diſt.44.q.1. art.3.q.4.vbi Sotus q.4.art.5.concl.2. Abulenſis in cap.22.Matth.q.248.Suarius 2.tomo ad 3.p.diſp.47.ſect.5.§.Addendum eſt*; vt alios in re notiſsima omittamus.

3. Eſt ſententia Patrum.

Quæ fuit communis Patrum doctrina, dum membra corporis noſtri harum facultatum inſtrumenta ab iſtis operationibus, & officijs liberāt, vt videre eſt apud *Te rtul. in lib. de Reſurrectione carnis c.60, cum ſequentibus: Diuum Hieronymum Epiſt. 61.ad Pamachium cap.11. & contra Millenarios in Proemio libri 18.in Iſaiam, & lib. 14.in Ezechielem in fine: Auguſtinum libr. 13.de Ciuitat.Dei cap.20.& 22.& in Epiſt. 49.ad Deo gratias. Adde Anthorem libri de Mirabilibus Sacræ Scripturæ lib.3.cap.14. Gloſſam Ordinariam, & Bedam in capit.24. Lucæ cum pleriſque alijs*, quos longū eſſet enumerare: qui omnes ad hunc ſenſum explicant ſpiritualitatem glorioſorū corporum, quam Paulus 1.Corinth.15.contra poſuit animalitati, in qua fuerunt per mortem ſeminata; quia iam nec ad ſui cōſeruationē indigebunt reſtauratione per nutritionem; nec generatione ad humanæ ſpeciei conſeruationem: cum enim futura ſint impaſsibilia, & immutabilia, nulla, aut ſui, aut ſpeciei humanæ reſtauratione indigebunt: in quo etiā poſita eſt Angelica ſimilitudo, quam illa corpora ſunt habitura, de qua Chriſtus: *In reſurrectione erunt homines ſicut Angeli Dei.*

Tertull. Hieron. Auguſt. Gloſſa. Beda.

4. Alia ratio.

Ex eo etiam operationes iſtarum facultatum repugnabunt illis corporibus; quia naturaliter nō fiunt ſine aliqua corporali alteratione, & mutatione proprij corporis: quæ duo impaſsibilitati illorum corporum repugnant.

5. Soluitur obiectio.

Nec huic reſolutioni obijci poteſt māducatio Chriſti poſt reſurrectionem; quia manducatio proprie loquendo non eſt actus facultatis naturalis animæ vegetatiuæ, vt patebit ex art.5.

ARTICVLVS II.

Vtrūm in beatis poſt reſurrectionem erit vſus facultatis vitalis?

1. Pars negatiua, quod in beatis poſt reſurrectionem de facto non maneat vſus facultatis vitalis animæ vegetatiuæ, eſt concors omnium Thelogorū ſententia: quæ inde facile probatur: quia noua caloris vitalis, vitaliumque ſpirituū generatione poſt reſurrectionem opus non erit. Nulla enim dabitur, aut caloris vitalis, aut ſpirituum vitalium diſsipatio, ſed perpetua vtriuſque in debita proportione cōſeruatio propter dotem impaſſibilitatis. Nulla ſimiliter dabitur neceſsitas actualis pulſationis, quæ à corde per arterias proficiſcitur: quia nulla tūc erit, aut ſpirituum penuria, nobis ſpiritibus pulſatione generatis reſarcienda: aut frigida calida ve intemperies, quam cor attracto extrinſeco aere refrigerare, & temperare poſtulet. Nulla denique erit aliena ſubſtantia feriens cor ſua maligna qualitate, quā cor ipſum à ſe ſuo motu nitatur expellere: quæ ſunt tres cauſæ generales pulſus, de quibus *Fernelius lib. 3. ſuæ Pathologiæ cap.1.& 3.& lib.6.Phyſiologiæ c. 17.& 18.* Fernelius.

2. Non erit reſpiratio. Fernelius. Conimb.

Vnde nec reſpirationis erit vſus: quia nulla, aut refrigerandi caloris, aut reſtaurandi ſpiritus erit neceſsitas: ob quas cauſas natura reſpirationē introduxit, de quibus latè *Fernelius in dicto cap.18.& Conimbricenſes 2.de Anima cap.8.q.3.art.2.& in paruis naturalibus in lib. de reſpiratione cap.* 3, vt omittamus cæteros, tam Medicos, quam Philoſophos.

Quomodo autem beati ſine reſpiratione loqui poterunt? inferius ſuo loco oſtendemus.

ARTICVLVS III.

In quonam poſita ſit vera, & propria ratio manducationis?

1. De ratione manducationis.

QVia contra reſolutionem præcedentis articuli excitatur difficultas ſumpta ex māducatione, qua Chriſtus poſt reſurrectionem cum diſcipulis manducauit; vt conſtat Lucæ vltimo, & Actorum 1. vt omnia facilè intelligantur, oportet præmittere: in quonam poſita ſit vera, & propria ratio manducationis?

2. 1. Opinio.

De propoſita quæſtione variæ ſunt opiniones. Prima opinio ad veram, & propriam rationem manducationis, tres actiones requirit, & admittit: maſticationem ſcilicet cibi: eiuſdem manſi traiectionem ad ſtomachum: & conuerſionem il-

lius

lius in ſubſtantiam ipſius comedentis. Ad dunt huius opinionis authores veram, & propriam rationem manducationis per ſe poſitam eſſe in vltima actione conuerſionis. Ita *Durandus in 2. diſt. 8. q. 2. & in 3. d. 22. q. 6. ad 2. & in 4. diſt. 11. q. 3. nu. 5. Vualdenſis 2. tom. de Sacramentis q. 71. & ſatis videtur conſentire Scotus in 2. diſt. 8. q. 1. litera G. & ibidem Liquetus, atque Gabriel q. 1. ar. 4. diſt. 2.* dum ad defendendum manducationem Chriſti fuiſſe veram, & propriā, admittunt cibum ab eo ſumptum fuiſſe conuerſum in illius ſubſtantiam. *Duraud. Vualdenſ. Scotus. Liquetus. Gabri.*

3. Hæc tamē opinio explodenda eſt; cū fundamentum habeat ſatis alienū à Philoſophia: etenim comeſtio non eſt confundēda cum nutritione, ſed diſtinguenda potius, vt benè aduertit *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 5. ad finem, §. In primis ergo dicendum:* nutritio enim eſt quid poſterius comeſtione, & ab ea ſeparabile, vt etiam aduertit *Cumelius prima parte q. 51. art. 3.* nā qui cibū ſumptū continuo euomit, verè illum dicitur comediſſe abſque vlla illius in ſubſtantiam comedentis conuerſione; quod vulgo eſt receptiſsimum. Accedit etiam; quia comeſtio apud Medicos eſt prima cibi præparatio ordinata ad nutritionem; quod etiam teſtatur *Ariſtoteles 2. de partibus animaliū cap. 3.* Quin verò ex quorundam ſentētia in comeſtione fit prima cibi concoctio: & inde eſt, vt potentia ad comedendum inter potētias nutritiuæ adminiſtrantes enumeretur. Quare diſtincta eſt à nutritiua, nec illam eſſentialiter includit, ſed ad eam, tanquā ad diſtinctam ordinatur. Non recipitur. *Suar. Cumel. Ariſt.*

4. Secunda opinio ad veram, & formalē rationem comeſtionis duas actiones per ſe requirit: nimirum attritionem cibi factam in ore motu maxillarum, quæ dicitur maſticatio, & eiuſdem cibi traiectionem in ventrē per æſophaga ſiue guttur. Iſta eſt cōmunis reſolutio, imò ab omnib[9] ferè approbata ita *Alēſis, Scotus, Gabri. Baſſolius. Richardus D. Thomas, Aegidius, Sotus, Cumelius, Molina, Angles, Ianſenius, & Conimbricenſes,* quos inferius citabimus *art. 6. & 7.* At tamen licet hi omnes conueniant, quòd ad verā rationem comeſtionis duæ illæ actiones per ſe ſint neceſſariæ; non conueniunt tamen, an attritio cibi in ore, & traiectio eius in ventrem debeat fieri vere, & realiter; ita vt vero ore atteratur, & in ventrem tranſmittatur; an ſatis ſit, quod hæc apparenter fiant quoad os, & ventrem? etenim *Alenſis, Scotus, Gabriel, Baſſolius, & Richardus* putant ſatis eſſe, quod hæc ſint apparentia. Cæteri tamen omnes oppoſitum docent, vt oſtendemus *inferius art. 5. 6. & 7.* 2. Opinio. *Authores huius opiniones.* In quo non conueniant.

5. Tertia adhuc eſt opinio, quæ ad rationem manducationis propriè ſumptę ſolū requirit traiectionem cibi ab ore ad ſtomachum per organa vitæ, id eſt per æſophagum, & guttur: quæ fuit opinio *Maioris in 2. diſt. 8. q. 1. ad 4. argumentum contra primam concluſionem.* Quam opinionem ego puto in rigore eſſe veriſsimam. Argumentum inde ſumo; quoniam ratio bibitionis per ſe primo poſita eſt in traiectione aquæ motu animali, & vētriculi attractione naturali. Præterea; quia ſiquis cibum in ore poſitum abſque vlla illius attritione, ſed per ſolam vitalem attractionē in ventrē traiecerit, verè, & propriè dicetur illum manducaſſe: vnde ſiquis hoſtiā conſecratam abſq; vlla eius attritione traiecerit, verè eam dicetur manducaſſe. Vnde verè gratiam ſacramentalem recipiet. Quare attritio cibi ad manducationem cōmuniter requiritur, tanquam præuia diſpoſitio, vt cibus melius deglutiatur; quāuis eſſentialiter ad veram manducationē non ſit neceſſaria. 3. Opinio vera. *Maior.* 1. Ratio. 2. Ratio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm manducatio pertineat ad animam vegetatiuam; an verò ad ſenſitiuā, & loco motiuam?

1. DVbitationem fecit *Suarius in 2. to. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 5. in fine;* dum ait comeſtionem, ſi propriè loquendum ſit, non eſſe actum animæ vegetatiuæ; ſed animæ, tùm ſenſitiuæ; tùm loco motiuæ fit enim motu locali vitali, atque guſtatione. Opinio Suarij.

12. Sed guſtationem ad animam vegetatiuam pertinere expreſsè docet *D. Thomas 3. p. q. 55. art. 6. in corpore, & in 2. diſt. 8. q. 1, art. 4. q. 1. ad 1. & poſt eum Lyra in capit. vltimo Lucæ dum agit de manducatione Chriſti. & probat Angles in 2. diſt. 8. q. 3. dif. 2.* Quæ opinio communiter probatur: quia cibi præparatio ordinata à natura ad nutritionem incipit à comeſtione, vt docēt omnes Oppoſita ſētentia *D. Thom. Lyra. Angles.*

Ariſtot. omnes Medici cum Ariſtotele 2. *de partibus animalium. cap.* 3. Quin potius prima cibi decoctio fit in ore, dum cibus maſticatur, vt ex *Auicena, & ex mente Galeni oſtendit Valeſius lib* 1. *controuer. cap.* 13. Iā verò præparatio alimenti pertinet non ad ſenſitiuam animam, aut ad loco motiuam; ſed ad vegetatiuam: ob quam rationem potentia comedendi enumeratur inter potentias adminiſtrantes nutritiuę; de quo vide Conimbricenſes 1. de Generat. cap. 5. q. 3. art. 3. & ſatis explicat Ariſtoteles in dicto cap. 3. de partibus animaliū: dum calorem naturalem accōmodat omnibus partibus, ſiue potentijs, quæ nutritiuæ adminiſtrant: iam verò calor naturalis ad animam vegetatiuam abſque dubio ſpectat.

Auicena. Galenus. Valeſius.

3. Cōciliatur. Hæc tamen controuerſia ita eſt concilianda, vt comeſtio formaliter ſit actus potentiæ loco motiuæ, quæ ex intentione naturę adminiſtrat potētiæ nutritiuę, tāquam potentia naturalis illius: quod ſatis probant ea, quæ pro D. Thoma adduximus: etenim potentia loco motiua (vt inferius ſuo loco dicemus) adminiſtrat, tùm animæ vegetatiuæ, tùm ſenſitiuæ: & prout adminiſtrat ſenſitiuæ, dicitur potētia loco motiua animalis, quia prærequirit antecedentem cognitionem, & ſubijcitur imperio voluntatis: vt verò adminiſtrat vegetatiuæ, appellatur potentia naturalis; quia ſolo naturæ impetu agit, nec per ſe, & neceſſario requirit cognitionem præcedentem. Non negarem tamē comeſtionem ſumptam pro cibi attritione, & diuiſione poſſe etiam habere concomitantem potentiam loco motiuam animalem; quia poteſt fieri præcedente cognitione, & imperio voluntatis: quod etiam continget in cibi traiectione ad ventriculum: ſed cum hoc per ſe non requiratur; non dixerim comeſtionem propriè pertinere ad animam ſenſitiuam, vt talis eſt.

ARTICVLVS V.

An comeſtio per ſe pertineat ad potentiam vitalem animæ vegetatiuæ; an verò ad naturalem?

1. 1. Opinio. HAnc quęſtionem dubiam faciunt, quæ de comeſtione varij ſcribunt: nam quod comeſtio non ſit operatio vitalis, expreſsè docent *Scotus in* 2. *d.* 8. *q.* 1. *E, F. Baſſolius ibid. q.* 1. *art.* 3. *Gabriel q.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. *& artic.* 4. *dub.* 2. nec ab hac ſententia longè abeſt *Richardus in eodem loco art.* 1. *q.* 5. *ad* 1. dum ait, diuiſionē cibi, & illius traiectionē ad ſtomachū fieri in nobis ab anima, non prout eſt forma corporis; ſed prout eſt motor illius: iam verò actio dicitur vitalis, prout eſt ab anima, quæ vt informans corpus eſt illi ſubſtantialis vita.

Scot. Baſſol. Gabriel. Richard.

2. Non recipitur ab alijs. Hanc opinionem alij nō recipiunt; ſed impugnant: quia negari non poteſt comeſtionē proprie ſumptam pro cibi attritione in ore, & illius traiectione in ſtomachum eſſe actum vitalem: id enim omnes, tanquam notiſsimum ſupponunt nō ſolum de comeſtione quatenus includit nutritionem, vt quidam volunt; ſed etiam de comeſtione, vt ſolum includit cibi maſticationem per motum localem maxillarum, eiuſque traiectionem in ſtomachū: id autem multis confirmant. Et primo; quia illi duo motus, vel fiūt ab anima mouente organa, & inſtrumenta inſituta ad comedendum: vel ab aliquo motore extrinſeco nobis aſsiſtente. Hoc poſterius ſine ingenti temeritate, apertoque delyrio dici nō poteſt; ſi verò cōcedatur prius, neceſſario infertur comeſtionem, quæ à viuente fit, eſſe actum vitalem: fit enim ab anima principio vitæ mediantibus vitalib⁹ inſtrumētis. *Vnde Ariſt.* 2. *de partib. animalium cap.* 3. omnes iſtos motus tribuit ori: Ariſto. dum ait, os cibum diuidere, guttur autem illū ad ventrem traijcere, tanquam vera inſtrumenta animæ ad actiones iſtas exercendas: quod ſignificant illi Philoſophi, qui os appellant cocum, qui cibum in ventrem, tanquam in lebetem tranſmittit: illi etiam, qui linguam appellant manum ventriculi, vt quæ à ventriculo, tanquam à principali agente moueatur.

3. Occurritur obiectioni. Nec valet, ſi dicas cum Richardo vtrāque illam actionem fieri ab anima; nō tamen vt eſt forma corporis (qua ratione eſt vitæ principiū) ſed quatenus eſt corporis motor: non valet, inquam; quia anima, quæ eſt pars viuentis, non poteſt mouere corpus, niſi prout eſt illius forma: 1. Ratio. nulli enim inſtrumento vitę extrinſecus aſsiſtit, ſed intrinſecus per actualem illius informationem, ſub qua ratione ſemper

eſt

eſt vitæ principium, largiens vitalitatem omnibus actionibus, quas elicit, vt eſt corporis forma.

4. 2. ratio. *Cyrill. Alexand.* Deinde id ipſum cõfirmatur expreſſa authoritate *Cyrilli Alexand. lib. 12. in Ioãnem cap. 59.* vbi affirmat Chriſtum, dum poſt reſurrectionem cũ diſcipulis comedit. voluiſſe diſcipulos ad fidem inducere ſigno, quod ſoli corpori viuenti conuenit; ita inquiens: *Comedit allatam ſibi partem piſcis, quæ res viuo ſolùmmodo corpori congruit.* Et profecto niſi illa Chriſti cum diſcipulis comeſtio fuiſſet vitalis operatio, nec ſola per ſe, nec ſimul cum alijs argumentis probare poſſet Chriſtum poſt reſurrectionem eſſe verè viuentem: quod tamen Chriſtus diſcipulis tot ſignis, & argumentis perſuadere volebat.

5. Explicatio auctoris. Sed contrauerſia iſta in equiuoco laborat: ſublãta autem equiuocatione omnia conſentiunt. Aduertendum eſt igitur actum duobus modis dici poſſe vitalem. Vno modo abſolute, prout actus vitalis dicitur, qui eſt à principio vitæ, nimirũ animæ, vt eſt notiſsima Philoſophia. Altero modo; vt in anima vegetatiua diſtinguitur ab actu naturali eiuſdem animæ: (Actus 2. modis dicitur vitalis.) etenim omnes Philoſophi non ſolũ potentias animæ vegetatiuę diuidũt in naturales, & vitales; ſed etiã actus illi⁹ diuidũt in vitales, & naturales, vt patet ex ijs, quæ diximus *q. 2. huius libri art. 1. & 2.* in qua diuiſione vitalis, tam potentia, quã actus, (Non ſumitur hic primo modo.) non accipitur primo modo, ſ. pro potentia, & actu, qui eſt ab anima, principio ſubſtãtiali vitę: etenim in hoc ſenſu dubitari non poteſt, & omnes potentias animæ vegetatiuę eſſe vitales, & omnes illius actus: nec Scotus, & illi, quos citauimus, in hoc ſenſu, aut negarunt, aut negare potuerũt comeſtionem ſumptam pro cibi maſticatione, tùm pro illius traiectione in ſtomachum, eſſe actum vitalem: & in eodẽ ſenſu impugnatores Scoti euidenter demõſtrant comeſtionem eſſe actum vitalem, vt facile videbit, qui vim argumentorum expenderit.

6. In poſteriori ſenſu reſoluitur dubitatio. Porrò ſi quæſtio in poſteriori ſenſu explicetur; ad eam reſpoddendũ eſt comeſtionem non eſſe actum vitalem animæ vegetatiuæ; ſed ſolũ naturalem: etenim facultas vitalis continet tres virtutes; ſc. pulſatricem: confectricem ſpirituum; & effectricem caloris naturalis; ad quas virtutes comeſtio non pertinet: ſed immediatè, & proximè ad virtutem nutritiuã, quæ eſt facultas naturalis, non verò vitalis. Conſtat enim ex dictis comeſtionem eſſe potentiam adminiſtrantẽ nutritioni.

ARTICVLVS VI.

An Angeli verè manducauerint?

QVod Angeli, dùm in corporibus aſſumptis leguntur manducaſſe (Thobiæ 12.) verè & propriè manducauerint, plures affirmant: hæc fuit opinio *Alenſis 2. p. q. 35. memb. 2. & 3. p. q. 22. art. 3. ad finem, probat Scotus in 2. diſt. 8. q. 1. litera E. F. Gabriel ibidem q. 1. art. 3. concl. 2. & art. 4. dub. 2. Baſſolius q. 1. art. 3. nec longè abeſt Richardus ibidem art. 1. q. 5. ad 1. & 2.* dùm admittit Angelos illos verè & propriè cibos illos maſticaſſe, & intra ventrem verè traieciſſe. Quæ opinio primò videtur confirmari authoritate Auguſtini: nam epiſtolã 49. ad Deo gratias ita ait: *Cum Angelos legamus eiuſmodi eſcas, eodemq́; modo ſumpſiſſe, non ficto & innani phantaſmate, ſed manifeſtiſsima veritate.* Idem etiam affirmat *libr. 13. de Ciuitate Dei cap. 22.* Deinde confirmatur ratione: quia (vt aiunt) vera & formalis ratio manducationis præciſe poſita eſt in diuiſione cibi motu locali maxillarum, eius traiectione in ventrem; ſiue corpus vere ſit animatum, ſiue ſolum apparenter: in hac enim ſunt opinione: quare cõcludunt Angelos in corporibus aſſumptis veriſsimè manducaſſe; non veritate indigentię; ſed veritate poteſtatis; quia verè habent potentiam ad manducandum. 1. Opinio affirmans. *Alenſis. Scotus. Gabriel. Baſſolius. Richard.* Confirmatur ex Auguſt. Probatur ratione.

Oppoſitam tamen ſententiam probat communior Theologorum conſenſus: ita *D. Thomas 1. part. q. 51. art. 3. ad 5. & in 2. diſt. 8. q. 1. art. 4. q. 1. ad 1. & in 3. diſt. 21. q. 1. art. 4. q. 4. ad 3. Aegidius in 2. diſt. 8. q. 2. art. 1. dub. 1. Durandus ibidem q. 2. & in 3. diſt. 22. q. 6. art. 2. n. 10. Maior in 2. diſt. 8. q. 1. arg. 4. contra 1. & Angles ibidem q. 3. difficult. 2. Sotus in 4. diſtin. 44. q. vnica, art. 5. ad finem, §. Poſtrema tamen ambiguitas, Cumelius, & Molina 1. p. q. 51. artic. 3. Ianſenius in concordia cap. 147. Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 44. ſect. 1. ad finem, Conimbricenſes in 2. de Anima cap. 1. q. 1. art. 7. ad 6.* qui omnes volunt Angelos in corporibus aſſumptis nec verè & propriê manducaſſe, nec manducare poſſe. 2 Opinio negans. *D. Thom. Aegid. Durand. Maior. Angles. Sotus. Cumelius. Molina. Ianſen. Suar. Conimbr.*

Quo-

3. Confirmatur. Quorum opinio ſatis videtur confirmari ipſis Angeli verbis Thobiæ 12: *Cũ eram vobiſcum, videbar vobiſcum manducare*, videbar, inquam, quia verè non mãducabat, quamuis actionem manducationi ſimilem realiter exercebat: etenim mãducatio illa videbatur, facta ab homine viuente; cum tamen non fieret: quæ eſt communis illius loci explicatio. Nec admittenda eſt explicatio Alenſis, dùm ait, Angelum ideò dixiſſe *videbar manducare*; quia videbatur id facere propter cibi exigentiam; quam tamen nullam habebat: huic enim explicationi obſtat, quia veritas manducationis non ſumitur ab exigentia cibi; ſed à vitalitate potentiæ ad ſumendum cibum.

Solutio Alenſ. non recipitur.

4. Probatur ratione. Ratione etiam euidenter demonſtratur: quia vera & propria manducatio eſt actus vitalis, id eſt à principio vitæ (anima ſcilicet) elicitus, vt oſtendimus in præcedente §. & ideò potentia ad manducãdum ex intentione naturæ, atque ex ſe eſt potentia quędam adminiſtrans nutritiuæ, quæ eſt vera potentia vitalis. Manducatio igitur, tùm quoad actum maſticationis cibi in ore, tùm quoad illius traiectionem ab ore in ſtomachum ex ſua natura habet, quod fiat ab anima; ita vt actione animæ in ore dentibus maſticetur; & actione animæ ab ore in ventrem deferatur; alias nec vera erit maſticatio, licet realiter diuidatur; neq; vera erit cibi deglutio, quamuis vere & realiter ab aliqua actiua virtute ab ore in ventrem deferatur.

5. Alia confirmatio. Hæc opinio affirmans euidenter demonſtraretur, ſi vera foret Durandi, & quorundam aliorum opinio; quæ docet ad veram, & propriam rationem manducationis requiri, quòd cibus comeſtus, & in ventrem traiectus conuertatur in ſubſtantiam comedentis. Sed opinionem iſtã eſſe improbabilem in ſequenti articulo dicemus. Sed quamuis de ratione intrinſeca comeſtionis non ſit, quod cibus traiectus in ventrem conuertatur in comedentis ſubſtantiam; tamen per ſe neceſſarium eſt, vt cibus ex ſe ſit conuertibilis in ſubſtantiam comedentis, vt ſatis expreſsit *D. Thomas 1. part. q. 5?. art. 3. ad 5.* dùm ait comeſtionem eſſe attritionem, & tranſmiſsionẽ cibi conuertibilis in ſubſtantiam: quod etiam prob[a]uere *Cumelius*, & *Molina ibidem*, & *Conimbricenſes 2. de Anima cap. 1. quæſt. 1. artic. 7. ad 6.* Accedit etiam; quia comeſtio ex ſua natura includit, quod cibus tranſmittatur in ventrem habentem vim conuerſiuam illius: quæ fuit ſententia *Ægidij in 2. diſt. 8. q. 2. art. 1. dub. 1. & Maioris ibidem q. 1. ad 4. contra 1.* Ex quibus omnibus indubitatum videtur de ratione comeſtionis eſſe, quòd ſit operatio inſtituta à natura ad nutritionem; ob quam rationem cibus traiectus etiam habere debet, quòd ſit conuertibilis in ſubſtãtiam comedentis, idque actione concoctionis, quæ fit in ventre.

D. Thom. *Cumelius.* *Molina.* *Conimbr.*

Alia confirmatio. *Ægidius.* *Maior.*

6. Corollariũ. Ex quibus neceſſariò infertur Angelos in aſſumptis corporibus verè & propriè non comediſſe; imò nec poſſe comedere; non ſolùm, quia attritio illa cibi, & traiectio non erant actiones vitales; ſed etiam quia à natura non fiebant ea intentione, vt comedentes nutrirentur: tùm denique; quia venter corporis aſſumpti non habebat vim conuerſiuam cibi in ſe recepti.

7. Ad fundamentũ aduerſariorũ. Ex quo iam patet fundamentum oppoſitæ ſententiæ eſſe improbabile. Ad Auguſtinum verò reſpondet Molina nõ eſſe mirum, quòd Auguſtinus fuerit illius opinionis; cùm in eam fortè ſententiam inclinauerit, quod Angeli ſint corporei: ſed non eſt audiendus: quia Auguſtinus agit de comeſtione Angelorũ, non in corporibus proprijs, ſed in aſſumptis, in quibus opera vitæ exercere non poſſunt. Quare dicendum eſt, vel Auguſtinum id diſputando dixiſſe, vt indicant illa verba 13. *de Ciuit. Dei c. 22. ſed ſi fortè de Angelis aliud credibilius diſputari poteſt; de Chriſto tamen, & cæt.* vel (quod magis placet) Auguſtinum in hoc tantùm duas illas manducationes æquiparaſſe, quod nulla fuit in phantaſmate, ſed in veritate; nimirum materialis actionis, non verò formalis: licet enim vtraque fuerit vera, id eſt non phantaſtica; non tamen vtraque fuit vera comeſtio: quem ſenſum ſatis inſinuant verba Auguſtini, ſi expendas eum diſputare contra illos, qui aſſerebãt manducationem & Chriſti, & Angelorum omnino fuiſſe fictam, & phantaſticam: quorum opinionem improbat ex eo, quia & attritio cibi, & traiectio in internas partes non fuerũt actiones apparẽtes,

Vera explicatio Aug.

ſed veræ & reales. Quare illud verbum *videbar* poſitum Thobiæ 12. non ſignificat apparentiam phantaſticã, quaſi realiter Angelus non attereret cibum, & illum realiter non traijceret interius: quia vtraque actio vera erat & realis; ſed ſignificat ſimilitudinem veræ & formalis manducationis: cum tamen actiones illæ realiter non eſſent manducatio; ſed ſimiles manducationi.

Explicatio loci Thob. 12.

ARTICVLVS VII.

An Chriſtus Dominus verè manducauerit?

1. Opinio negans.

DE hac difficultate aliqua eſt controuerſia. Communiter refertur opinio quorundam, qui negarũt Chriſti Domini comeſtionem cum diſcipulis poſt reſurrectionem fuiſſe verã, &affirmabant eam ſolùm fuiſſe apparentem & phantaſticam; qualis fuit Angelorum, qui in ſacris literis comediſſe referuntur. Dicunt igitur hi auctores cibum in ore Chriſti aſſumptum nec verè fuiſſe dentibus Chriſti attritum, nec ad vẽtrem vera deglutione traiectum; ſed ſolùm apparenter, & modo phantaſtico: & ad hũc ſenſum intelligunt illud Thobiæ 12: *Cum eſſem vobiſcum, videbar vobiſcum manducare:* videbar, inquam; quia ita vobis preſtrigioſè apparebar; cum à parte rei nullus manducationis actus ineſſet.

Thob. 12.

2. Affirmatiua tenenda.

Oppoſita tamen ſententia omnino eſt tenenda, cum illius oppoſita non ſit ſatis tuta in fide. Dicendum igitur eſt Chriſtum Dominum poſt reſurrectionem verè & propriè comediſſe. Hic eſt communis conſenſus Theologorum, quos pro vna, & altera parte citauimus in præcedenti articulo: ita *D. Thomas in 4. diſt.* 44. *q. 1. art. 3. q. 4. ad 1. vbi Durandus cum cæteris, Sotus q. vnica art. 5. in poſtrema ambiguitate, pagina* 448. *col. 1. in principio, Suarius 2. tom. ad 3. partem diſp. 47. ſect. 6. pag.* 894. *§. Vna ſupereſt difficultas.* Conſentiunt omnes interpretes ſacræ ſcripturæ *Lucæ 24. Ioannis 21. & act. 1.* in quibus locis ſcribitur Chriſtũ cũ diſcipulis manducaſſe: verba autem ſacræ ſcripturæ in vero & proprio ſenſu ſumenda ſunt. Accedit; quia non decebat, vt veritas Dominicæ reſurrectionis præſtrigijs oculos illudentibus confirmaretur. Tertiò; quia veritas iſta communiter à Patribus confirmatur: ita *Auguſtinus lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 22. Hieronymus epiſtola 61. ad Pamachium c. 13. Euthymius Luc. vltimo, Autor libri de mirabilibus ſacræ Scripturæ apud Auguſtinum lib. 3. cap. 14. Gregorius homil. 24. in Euangelia, Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 59. Beda, & Ambroſius in Lucam cap. 24. Leo Papa ſermone 1. de reſurrectione, Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 1. Chryſoſtomus homil. 86. in Ioannem.*

D. Thom. Durand. Sotus. Suarius.

Ratione cõfirmatur.

Auguſt. Euthym. Gregor. Cyrill. Beda. Ambr. Leo Papa. Damaſc. Chryſoſt.

3. Explicatio opinionis.

Manducauit autem nõ neceſsitate, ſed poteſtate; non ſolùm comedendi (quæ in omnibus beatis poſt reſurrectionem in erit) ſed etiam diſpenſandi in lege ordinaria, ſecundum quam poſt reſurrectionem homines beati actu non comedent. Iam verò in Chriſto adfuit cauſa diſpenſandi in lege; quia. ſ. ſua vera comeſtione voluit oſtendere ſe illum ipſum eſſe, qui apud eos fuit. Vnde in eo ſenſu dicitur ab Euthymio ſupernaturaliter comediſſe; quia ſ. in lege diſpenſauit tanquam ſupernaturalis autor legis, qua ſtatutum eſt ne corpora beata vnquam comedant.

4. Alia ratio in Chriſto, & in Angelis.

Sed nõ eſt eadem ratio in Chriſto poſt reſurrectionem comedente, & in Angelis comedentibus in corporibus aſſumptis; quia corpora ab Angelis aſſumpta, licet vera eſſent corpora; non tamen verè erant viuentia: vnde in illis non poterat dari vera potentia comedendi: quæ tamẽ vera eſt in Chriſto, & erit in beatis poſt reſurrectionem: nec eſt dicendum Chriſtum cibum illũ verè conuertiſſe in propriam ſubſtantiam, quanuis id placuerit *Durando vbi ſuprà, & Vualdenſi 2. tom. de Sacramentis cap. 71.* eſt enim opinio in fide periculoſa, vt contra eos bene aduertit Suarius vbi ſupra. Quomodo autem cibum illum ſine conuerſione conſumpſerit? non eſt curandum; quia multis modis id poterat facere, de quo vide Suariũ vbi ſuprà.

Durand. Vualdẽſis.

ARTICVLVS VIII. & Vltimus.

An poſt reſurrectionem repugnet beatis comedere?

1. Non comedens.

QVamuis beati poſt reſurrectionem nunquam ſint comeſturi; quia nullam habebunt comedẽdi cauſam: actualem tamen comeſtionem illo-

illorum impaſsibilitati non repugnare, conuincit Chriſti reſurgentis comeſtio pluries iterata: quam fuiſſe veriſsimam comeſtionem in præcedente articulo iam oſtendimus: etenim illa fieri poteſt abſq; vlla corporis glorioſi materiali alteratione, & corruptione.

2. Controuerſia eſt in cõuerſione cibi.

Vtrùm tamen corpori glorioſo repugnet nutritio, conuerſiovè cibi in propriã ſubſtantiam? poteſt eſſe controuerſia. Et vt omittamus conuerſionem cibi per veram tranſubſtãtiationem (hanc enim eſſe poſsibilem cõuincit tranſubſtantiatio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti; quanuis non ſit admittendum eam in Chriſto comedente, quidquid Vualdenſis loco citato dicat) conuerſio, quæ fit per nutritionem corpori glorioſo non repugnat, vt docet *Scotus in 2. diſt. 8. q. 1. litera G. cum quo tranſeunt Liquetus, & Gabriel ibidem q. 1. art. 4. dubio 2. & expreſsè aſſerit Durandus in eodem loco quæſt. 3. n. 5.* qui volunt cibum à Chriſto reſurgente ſumptum fuiſſe conuerſum in ſubſtãtiam corporis eiuſdem Chriſti. Quorum ſententia videtur confirmari authoritate Euthymij Luc. vltimo ad illa verba, *Habetis hic aliquid edulij*, vbi ita ſcribit: *Sicut autem ſupernaturaliter comedit; ita ſupernaturaliter, quæ comederat, digeſsit.* Quæ verba refert, & probat *Ianſenius in ſua Concordia cap. 147.*

Opinio Scoti. *Gabriel. Liquetus. Durand.* Confirmatur ex Euthymio. *Ianſenius.*

3. Quidam eã reijciunt vt erroneam.

Hanc tamen ſententiam putat eſſe erroneam Suarius in d. ſect. 5. ad finem, affirmans cibi conuerſionem, & nutritionem, cum ſine corporis glorioſi reali mutatione fieri non poſsit; neceſſariò repugnare impaſsibilitati, & incorruptioni illius: nam (vt ait) *teſte D. Gregorio 14. Moralium cap. 31.* ſi aliquid in corpore Chriſti glorioſo immutari potuit, corpus Chriſti non ſurrexit impaſsibile, & immortale.

Gregor.

4. Dura cenſura.

Videtur tamen durum tantorũ Theologorum ſententiam tâm facilè erroris damnare: nec ſanè video, in quo cibi conuerſio repugnet impaſsibilitati corporis glorioſi; ſed nec hanc repugnantiam præfati Theologi videre potuerunt: nam ſicut corpus glorioſum actione primarum qualitatum poteſt agere in aliud non glorioſum, abſque vlla repaſsione, vt in ſuperioribus diximus, & admittit idem Suarius: cur non poterit virtute nutritiua agere in alimentum, & illud in propriam ſubſtantiam cõuertere abſque vlla aut repaſsione, aut corruptione glorioſi corporis?

5. 1. obiectio. Solutio. *Durand.*

At inquiet Suarius; hæc conuerſio fieri non poteſt ſine nouæ materiæ additione. Reſpondemus *Durandum in citatis locis, & in 2. diſtinctione 30. id negare.* Sed quia Durandi imaginatio minus eſt philoſophica, vt modo ſupponimus; admittimus cum Scoto nouam addi materiam: at tamen dicimus cum eodem hanc nouam additionem fieri poſſe ſine aliqua corporis glorioſi corruptiua paſsione.

6. 2. obiectio. Solutio.

Rurſus inquiet nouam iſtam additionem neceſſariò inferre mutationem ſubſtantialem corporis glorioſi. Reſpondemus non omnem ſubſtantialem mutationem repugnare doti impaſsibilitatis; ſed eam ſolùm, quæ fit cum aliqua corruptione, vt idem Suarius cum communi ſententia docet, vt oſtendemus in lib. 5. in quæſtione de dote impaſsibilitatis. Diuus autem Gregorius in citato loco ſolùm loquitur de mutatione corruptiua: agit enim de ea, quæ iterùm mortem Chriſto inferret.

7. Iudicium auctoris.

Omiſſa igitur rigida erroris cenſura, puto præfatam ſententiam eſſe falſam; non ob aliam rationem, niſi quia communi conſenſu Theologorum receptum eſt corpora glorioſa poſt reſurrectionem perpetuò permanſura in perfecta identitate numerica; ita vt ſicut de eorum ſubſtantia nihil detrahetur; ita nihil illi de nouo addetur: ſicut enim primum cum impaſsibilitate pugnat: ita ſecundum cũ omnimoda eorum perfectione.

8. Reſolutio. Explicatur Euthym.

Non eſt igitur admittendum cibum à Chriſto poſt reſurrectionem ſumptum fuiſſe conuerſum in ſubſtantiam illius: licet enim conuerſio illa nihil incorruptioni repugnaſſet; repugnaſſet tamen perfectiſsimę immobilitati in eadem numerica corporis identitate. Verba autem Euthymij explicanda ſunt de digeſtione impropriè ſumpta, vt cibus ille ideò dicatur digeſtus, quia tranſmiſſus in ventrem vel fuit omnino conſumptus; vel in præiacentem externam materiam reſolutus, quæ eſt communis ſententia omnium eorum, quos citauimus.

(***)

QVÆSTIO IIII.
De facultatibus animæ ſenſitiuæ in communi.

1. EGIMVS in præcedente quæſtione de facultatibus animæ vegetatiuæ; conſequenter agendũ eſt de facultatibus, & potentijs animæ ſenſitiuæ, ad quam ſolam pertinẽt facultates animales. Anima ſenſitiua ſub ſe complectitur omnes ſenſus, tâm internos, quàm externos. In hac diſputatione hoc ordine procedemus: primo loco in hac quæſtione quarta generaliter agemus de facultatibus animæ ſenſitiuæ. Deinde dicemus de ſenſibus externis. Tertio loco de internis. ¶ Quod attinet ad primũ; in hac quæſtione quarta duo explicabimus: primum eſt; an in reſurrectione reſurgemus cum omnibus potentijs, & facultatibus animæ ſenſitiuæ? Alterũ erit, an reſurgemus cum illis iiſdem numero, quæ fuerunt in via?

ARTICVLVS I.
An omnes reſurgemus cum omnibus facultatibus animæ ſenſitiuæ?

1. Affirmatiua indubitata. HVius quæſtionis pars affirmatiua eſt apud omnes indubitata: nam licet aliqui dubitauerint; an facultates animæ vegetatiuæ manere debeant in corpore beato, vt in præcedente quæſtione diximus; nullus tamen vnquam dubitauit; an in eo manere debeant facultates animæ ſenſitiuæ; ſed omnes *in 4. diſtin.44. & 49.* partem affirmantem, tanquam certam ſupponunt; ſpecialiter id docuerunt *D.Thomas in 4.diſt.44.q.2.ar. 1.quæſtiunc.4.in principio, & Sotus ibidem q.vnic.artic.1.ad finem, D.Bonauent. in 4. diſt.49.art.3.q.1. Abulenſis in c.17. Matt. q.114.litera B. Ferrarienſis 4.contra gentes c.81. in 4. dicto ſolutionis ad 2. Palatius in 4.diſt.43. diſp.2. §.Verum potentiæ ſenſitiuæ, pag.25.col.1. Suarius 2.tom.ad 3.partẽ diſp.47.ſect.6.poſt principium,* vt in [illegible] notiſsima cæteros omittamus.

D. Thom. Sotus. D.Bonau. Abulen. Ferrarien. Palatius. Suarius.

2. Confirmatur. Hæc veritas omnibus illis rationibus, & argumentis cõfirmari poteſt, quibus in q. præcedente cõfirmauimus; facultates omnes animæ vegetantis eſſe redituras: cùm enim ſint naturales animæ facultates, pertinebunt ad integritatem humanæ naturæ, & proinde cum natura humana in reſurrectione redibunt: maximè cum earum vſus non modò non repugnet perfectioni corporis beati; ſed etiam ad perfectionem illius pertineat; vt ex dicendis patebit.

3. 2. ratio. Accedit etiam, quia redibunt inſtrumenta omnium iſtarum facultatum; vt in illis & præmientur, quæ in corpore benè geſſerunt beati; & damnati puniantur pro ijs, quæ malê geſſerunt.

ARTICVLVS II.
An reſurgemus cum illis numero eiſdem?

1. Affirmatiua vera. ADdimus, facultates omnes animæ ſenſitiuæ redituras eſſe eaſdem numero; nõ quidem ad veritatem reſurrectionis; ſed ad maiorem illius perfectionem, vt de facultatibus animæ vegetatiuæ ſuperiùs diximus. Quod óptimè annotarunt *Palatius vbi ſuprà pag. 24. & 25. & Suarius 2.tom.ad 3.p.diſp.44.ſect.3. §.Secundò de vnitate in fine, pag.814.col.1: quanuis Sotus loco citato* ſine vllo fundamẽto doceat oppoſitum cum illis omnibus, qui putant, ſemel corruptum non poſſe idem numero redire. Quibus non fauet *D.Thomas in 4.diſt.44. q.1. artic. 1. quæſtiun.2.ad 3.& in 4.contra gentes c.81. ad ſecundam obiectionem, & opuſculo 2. cap. 154. vt diximus ſuprà q.2. art.3.*

Palatius. Suarius. Reijcitur Sotus. *D. Thom.*

QVÆSTIO V.
De ſenſibus externis in communi.

1. DIſputaturi de facultatibus, & potẽtijs animæ vegetatiuæ, aduertimus, illas eſſe in duplici genere: quia aliæ ſunt ſenſus externi; aliæ verò ſenſus interni. Agemus autem priùs de ſenſibus externis: hos eſſe quinque, indubitatum eſt; viſum.ſ.auditum, odoratum, guſtum, & tactũ. Horum ſenſuum facultates, & potentias in omnib⁹ beatis reperiri, oſtẽdimus in q.4. præcedente: quare ſolùm ſupereſt diſputare de operationibus, & vſu illorum. Et in hac quæſtione quinta de illis agemus in genere, & in communi: deinde ad ſingulos deſcendemus. ¶ Quod attinet ad primum in hac quæſtione quinta vnicum excitabimus articulum.

ARTI-

ARTICVLVS VNICVS.

An omnes ſenſus externi poſt reſurrectionem habere debeant ſuas operationes?

§. 1.

Referuntur duæ oppoſitæ ſententiæ.

1. Opinio negans.

NOn conſtat inter Theologos; an poſt reſurrectionem omnes externi ſenſus habere debeant ſuas actiones? quidam abſolutè negant, aliquẽ externum ſenſum futurum eſſe in actu aliquo ſuæ operationis: ita nonnullos ſenſiſſe, refert *Abulenſis in cap. 17. Matthæi quæſt. 114. in principio.* Hanc opinionem habuiſſe pauperes de Lugduno, refert *Seraphinus Porrecta in additionibus ad D. Thomam q. 82. art. 3. & 4.* (*Abulen. Porrecta.*)

2. 2. opinio affirmans.

Oppoſitam ex diametro ſententiam probat communior ſententia Theologorum, quę affirmat, omnes ſenſus in reſurrectione futuros eſſe in actu; quæ eſt ſententia *Diui Thomæ in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. & 4. Soti in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 5. Henrici quodlib. 7. quæſt. 7. Medinæ prima ſecundæ q. 3. art. 3. probat Richard. in 4. diſt. 49. art. 4. quæſt. 3. vbi Scotus q. 13. ad 2. ſatis Palatius in 4. diſt. 48. & 49. diſputatione vltima ad finem, Maior in 4. diſt. 49. quæſt. 14. per totam, & diſtin. 50. quæſt. vltima, §. Ad vltimam dubitationem, Viguerius in ſua inſtitutione Theologica cap. 14 §. 2. verſu 3. Angles in quæſt. de beatitudine art. 5. dub. 1. Conimbricenſes 3. de Anima cap. 8. quæſt. 8. artic. 2. ad finem, Suarius ſecundo tomo ad 3. partem diſput. 47. ſect. 6. & inter nouiores eſt receptiſſima, quam putat eſſe probabilem Abulenſis in dicto cap. 17. Matthæi quæſt. 116. litera D.* (*D. Thom. Sotus. Henric. Medina. Richard. Scotus. Palatius. Maior. Viguerius. Angles. Conimbr. Suarius. Abulen.*)

3. Media opinio.

Media via incedunt alij, qui volunt, non omnes, ſed aliquos tantùm ſenſus ibi futuros eſſe in actu: quam ſententiam probarunt quidam relati à *D. Thoma vbi ſuprà; eam probauit D. Bonauentura in 4. diſt. 49. art. 3. q. 1. & Ouand. ibidem propoſi. vlt. probabilem putat Abulenſis vbi ſuprà.* Qui tamen omnes adhuc variant: quidã enim ſolùm admittunt actum viſus, & tactus, vt D. Bonauent. & Scotus. Alij omnium ſenſuũ actus agnoſcunt in corpore beato; excepto guſtu, vt Ouandus. Alij alijs diuerſis modis loquuntur. (*D. Bonau. Ouand. Abulen.*)

4. Vltima opinio anceps eſt.

Denique non deſunt, qui difficultatẽ iſtam ita difficilem exiſtimẽt, vt dicant, nihil certi hac de re eſſe reſoluendum, ſed reſolutionem referendam eſſe ad ſcientiam futuri ſæculi; ita *Caietanus 3. part. q. 57. art. 4. in fine, quem nonnulli ſequuntur,* & hoc ſuum iudicium confirmant authoritate *Auguſtini lib. 22 de Ciuitate Dei cap. penultimo, & vltimo;* vbi multis docet, ſe neſcire, quid acturi ſint Sancti in ſuis corporibus, & quinam futuri ſint illorũ motus. Sed Auguſtinus agit de alijs rebus longè difficilioribus, vt videre eſt in eodem loco. (*Caiet. Auguſt.*)

§. 2.

Reſoluitur quæſtio.

5. 1. concl.

PRo reſolutione huius difficultatis ſit prima concluſio: *Certiſſimum eſt, aliquam externorum ſenſuum operationem, & ſenſationem futuram eſſe in corporibus glorioſis.* Hanc aſſertionem omnibus eſſe indubitatam, affirmant *D. Thomas in d. quæſtiunc. 3. in principio, & Abulenſis vbi ſuprà q. 114. litera C. & q. 115. litera B. eam probat Suarius in d. ſect. 6. paulò poſt principium.* Poteſt hæc ſententia confirmari teſtimonio *Proſperi de vita contẽplatiua cap. 4.* vbi inter bona, quæ in corporibus glorioſis erunt, recenſet ſenſum futurum ſine offenſione. (*D. Thom. Abulen. Suar. Proſper.*)

6. Confirmatur.

Confirmatur facili ratione: quia niſi vita animalis, & ſenſitiua corporis glorioſi aliquando futura eſſet in actu ſecũdo ſentiendi, non poſſet comparari vigiliæ, ſed ſomno, quo potentiæ ligantur, ne exeant in actum: ob quam rationem vigilia eſt perfectio vitæ ſenſitiuæ; ſomnus autem imperfectionem continet, ideò, quia dimidium vitæ includit, ex ſententia *Ariſtotelis in 1. Ethicorum:* iam verò in patria erit omnis perfectio vitæ ſenſitiuæ, excludens omnem ſomni imperfectionem: ob quam rationem vita animalis Sanctorum erit in perpetua vigilia actualis ſenſationis: ſumma enim illius ſtatus perfectio in eo eſt poſita, vt omnia in ſua naturali perfectione ponantur: cũ igitur vltima vitæ ſenſitiuæ perfectio cõſiſtat in actu ſecundo ſentiendi (ad illum enim ex ſua natura ordinatur) non eſt, cur vita illa ſuo vſu priuetur: maximè cum vſus illius, ideò quia eſt actus immanens, dicat perfectionẽ ſimpliciter, nullã imper- (*Ariſto.*)

impeɾfectionem includentem, cum perfectione ſtatus beatifici incompoſsibilē: & in hoc actus ſecundi vitæ ſenſitiuæ diſtinguntur ab actibus ſecundis vegetatiuæ, qui & ſunt tranſeuntes, & inferunt materialem, corruptiuamque paſsionem; ratione cuius perfectioni ſtatus beatifici repugnant, vt diximus in ſuperioribus.

7. 2. concluſ. Secunda concluſio: *Longè probabilius eſt, & verius, omnes ſenſus in patria habituros fore ſuos actus.* Huius concluſionis probabilitas primò oſtenditur; quia eſt D. Thomę; & inter Theologos communior, vt ex dictis patet. Secundò, quia ſatis id explicat D. Anſelmus in lib. de ſimilitudinibus cap. 57. ita inquiens: *Quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, pulmo; oſſa, medullæ, exta etiam ipſa, & cuncta ſingillatim; ſingulaq; membra eorum in communi tàm mirabili delectationis, & dulcedinis ſenſu replebuntur, vt verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur.* Accedat & authoritas Laurentij Iuſtiniani in lib. de diſciplina, & perfectione monaſticæ conuerſationis cap. 23. vbi ita ait: *Coro ſpiritualis effecta per omnes ſenſus ſuos multimodis, exuberabit delitijs.* Tertiò confirmatur omnibus illis rationibus, quibus prima aſſertio confirmata fuit: cur enim aliquem ſenſum in patria ſua naturali vigilia, & perfectione priuabimus. Accedit etiam; quia nullus eſt ſenſus, qui beato nō fuerit alicuius virtutis, & meriti inſtrumentum: decet igitur, vt omnes ſimul, & ſinguli ſpeciali donentur præmio, quo frui non poterunt, niſi in actu ſecundo ſuæ ſenſationis conſtituantur: quæ ratio apud Theologos non parùm habere debet efficaciæ. Accedit adhuc; quia quilibet ſenſus naturaliter appettit ſuum actū ſecundum, tanquam vltimam ſuam perfectionem. Iam verò omnis appetitus naturalis ad rem ſimpliciter perfectam in patria ſatiabitur. Denique huius aſſertionis veritas patebit, dùm ſingulos ſenſus ſpecialiùs perſequemur.

Anſelm. *Laurent. Iuſtinian.*

§. 3.

Proponuntur nonnulla dubia, & ſoluuntur.

8. 1. dubium. Ccurrunt hoc loco quædam dubia explicanda. Primum eſt, quo pacto in beatis poterit reperiri actualis ſenſatio, ſi ſentire eſt quoddam pati, vt cum *Ariſtotele in libris de Anima* docent omnes Philoſophi. Omnis autem paſsio videtur repugnare impaſsibilitati corporis beati. ¶ Ad hoc dubium dicendum eſt, ſenſationes eſſe quidem paſsiones, perfectiuas tamen, cum ſint immanentes, atque immateriales. Hæ autem paſsiones impaſsibilitati corporis glorioſi non repugnant. Si quæ verò paſsio naturalis, & corruptiua nunc præcedit aliquam ſenſationem; illa tunc non præcedet propter glorioſi corporis incapacitatem: eſt enim talis paſsio à ſenſatione ſeparabilis, vt inferiùs dicemus de ſenſu tactus, & guſtus: vide interim *D. Thomā in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 1. & 2. & Abulenſem in cap. 17. Matthæi q. 114. C. D. E.*

Ariſt. *Soluitur.* *D. Thom.* *Abulen.*

9. 2. dubium. Secundum dubium eſt; cum beati re aſſumptis corporibus tota mentis intenſione in Deum ferri debeant, qui fieri poteſt, vt non ſit futura in eis abſtractio à ſenſibus, & perpetua ecſtaſis? nam ideò Paulus in raptu fuit à ſenſibus abſtract9. ¶ Reſpondemus, animam beatam viſione diuinæ eſſentiæ ita diuino lumine vigorari, quoad portionem ſuperiorem, vt omnium ſuarū potētiarum actiones perfectiſsimè obire poſsit, ſiue illæ intellectiuæ ſint; ſiue ſenſitiuæ: de quo videndus eſt *Richardus in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. ad 4*: nam ab illius abundantia, & perfectione fit redundantia ad omnes inferiores vires, in quas, ſicut & in corpus, perfectū dominium eſt conſequuta: vndè non ſolùm à ſua beata contemplatione illarum actionibus non impeditur; ſed etiam ſimul cum illis omnes actiones perfectiſſimè operatur. Hinc ortum habet, quod intellectus beati non neceſſariò pendet à ſenſibus, & phantaſmatibus; hinc etiam potuit Chriſtus ſimul vti ſcientia infuſa, & acquiſita, & præterea potuit perfectiſſimè vti ſuis ſenſitiuis facultatibus, quāuis beatitudo animæ in via in corpus non redundauerit. A fortiori ergo poterunt beati omnibus illis vti poſt reſurrectionem, cum iam facta ſit redundantia ab intellectu ad vires inferiores. Hæc omnia colliges ex *D. Thoma 3. p. q. 11. artic. 2. in corpore, & melius 2. 2. q. 175. artic. 4. quem ſequuntur Conimbricenſes 3. de Anima c. 8. q. 8. art. 3. ad 1. dubium*; & quia Paulus hac beati-

Solutio. *Richard.* *D. Thom. Conimbr.*

beatifica animę perfectione carebat, quia illius viſio non erat ſtabilis, ſed breui trãſitura; proinde raptus fuit, & abſtractus ab omnibus ſenſibus, imò etiam ab omni operatione animæ vegetatiuæ, vt habet opinio probabilior.

10. 3. dubium. Tertium dubium eſt; quia ſenſationes iſtæ, ſi permaneant, non poſſunt non remittere intentionem contemplationis intellectus erga Deum: nam cum intellectus habeat virtutem finitam, non poteſt ſimul perfectè attendere ad plura; ſaltem quando ea per modum plurium cõcipit.

Solutio. ¶ Ex dictis ad ſecundum dubium patet huius dubij tertij ſolutio: facilè illud diſſolues, ſi dicas, cum veriori ſententia, poſſe intellectum plura per modum pluriũ intelligere: quam opinionem potiùs probant *Conimbricenſes 3. de Anima c. 8. q. 6. art. 2.* (Conimbr.) Sicut igitur intellectio vnius rei nõ impedit intellectionem alterius; vtique nec ſenſatio impediet intellectionem: maximè in patria, vbi anima viſione beata diuinitus eſt roborata, & ſimul cum illa potentiæ inferiores ex redundantia animæ ad illas. Omnes igitur erunt perfectiſsimæ, nec vna aliam à ſua operatione impediet. Quare licet opinio D. Thomæ, & Thomiſtarũ (quæ ſatis probabilis eſt) admittatur, vt intellectus non poſsit plura per modum plurium intendere; vtiq; illa in patria locum non haberet, propter ſummam animæ, & potentiarum perfectionem. Quare pręfatam ſententiam D. Thomas non intelligit de intellectu beato, vt videre eſt *in 4. diſt. 44. q. 2. artic. 1. quæſtiunc. 3. ad 4. & conſentit Abulenſis in d. cap. 17. in Matthæum q. 114. ad 4.* (D. Thom. Abulen.) Apud quos vide aliam ſolutionem ſumptam ex eo, quòd Sancti in patria quidquid apprehendunt, apprehendunt ſub ratione Dei, cui in omnibus placere volunt, & ad quem omnia dirigũt; vnde Deum, & alia apprehendunt, non ſub ratione plurium, ſed ſub ratione vnius: in quo ſenſu operatio inferior non impedit operationem ſuperiorem.

11. Vltimũ dubium. Poſtremum dubium: quia ſi ibi futurę ſunt ſenſationes; vtique etiã futuræ erũt delectationes corporeæ, quas ſenſationes per ſe comitantur. Solutio. ¶ Ad hoc dubium admittendum eſt, ſenſationes beatorũ ſuas etiam habituras eſſe coniunctas delectationes ſenſitiuas, de quo infra dicemus inferiùs in quæſt. de appetitu ſenſitiuo. Vide interim *Abulenſem in dicto cap. 17. Matthæi q. 114. ad 5. litera N.* Abulen.

QVÆSTIO VI.

De Viſu.

HAC doctrina de ſenſibus externis ſuppoſita, de ſingulis ſẽſibus externis diſputabimus. Et primo loco de ſenſu viſus, qui ex doctrina Ariſtotelis 1. Metaph. cap. 1. eſt cæteris præſtantior.

De viſu igitur ſequentes excitabimus articulos. Primus eſt: vtrùm in reſurrectione dabitur vſus oculorum; ita vt beati actu videant obiecta corporea colorata? Secundus articulus inquiret; quomodò in beatis fiet viſio ſenſibilis? Tertius; an oculus videat ſua obiecta in quacunque diſtantia? Quartus; quænam à beatis oculo corporeo videnda ſint? Poſtremùs, an corpus opacum interiectum impediet viſionem oculi beati?

ARTICVLVS I.

Vtrùm poſt reſurrectionem dabitur vſus oculorum?

QVòd beati poſt reſurrectionem, & poſsint videre, & actualiter plura videbunt; rès eſt abſque dubitatione: id enim docent omnes Theologi; 1. Affirmatio eſt ſine dubio. *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. ar. 1. quæſtiuc. 4. in corp. & ad 5. Richard. in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. in corpore, & ad 8. vbi D. Bonauent. art. 3. q. 1. Scotus q. 13. ad 2. litera G. Sotus q. 4. artic. 5. concl. 3. Maior q. 14. concluſ. 1. Ouand. prop. 35. Angles in q. de beatitudine art. 5. dub. 1. Abulenſis in cap. 17. Matthæi q. 116. litera D. & ad 5. litera R. & paradoxo quinto c. 30. latè Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 6. §. Septimò dicendum eſt.* (D. Thom. Richard. D. Bonau. Scotus. Sotus. Maior. Ouand. Angles. Abulen. Suar.)

Hæc fuit expreſſa ſententia Auguſtini lib. 22. de Ciuitate Dei c. 29. vbi ita ait: 2. Auguſt. *Habebunt oculi corporei officium ſuum, & in ſuo loco erunt; vteturque illis ſpiritus per ſpirituale corpus,* vt omittamus plura alia, quæ ex eodem cap. adduci poterant, nam in eodem cap. fortè in eam inclinat ſententiam, vt putet, eſſe probabile, oculos

corporis in patria adeò eleuari, vt videãt Dei eſſentiam, vt plerique exiſtimant, falſò tamen, vt latè oſtendimus 1.*tom.lib.* 4.*q.*5.*art.*3. fortè ibi ad hunc ſenſum opinionem illam eſſe probabilem, vt ſic viſuri ſimus mundana tùm corpora noui cœli, & nouæ terræ; vt Deum vbique prę ſentem, per corpora, quæ geſtamus, clariſsima perſpicuitate videamus: vnde in fine capitis concludit, his verbis: *Videbitur Deus tunc in cœlo nouo, & in terra noua, atque in omni, quæ tunc fuerit creatura.* Sed in epiſtol. 112. de videndo Deo in fine, poſtquam multis impugnauit eos, qui dicunt, Deum oculis corporeis poſt reſurrectionem fore videndum; ſoluens eorũ argumentum, ita ſcribit: *Nec te moueat, quod à quibuſdam minus conſideratè dicatur; quid tunc videbunt oculi corporales, ſi Deum non videbunt? an forte cæci erunt? vel ſine cauſa erunt?* Admittens autem, nec oculos tunc futuros eſſe cæcos nihil videndo, nec futuros eſſe ſine cauſa ſuo vſu priuatos, adiungit: *Nec enim attendunt, qui hæc loquuntur; quia ſi non erunt corpora, nec illi corporales profectò oculi erunt: ſi autem erũt corpora; erunt, quæ videre poſsint, oculi corporales.* Quam eandem ſententiam ſatis

Auguſt. explicat idem Auguſtinus epiſt.111 paulò ante finem. Et poſt Auguſtinum D.

Gregor. Gregorius lib.18.Moral.c.31.ad finem, ita inquit: *Ibi vniuſcuiuſque mentem ab alterius oculis membrorũ corpulentia non abſcondet; ſed patebit animus; patebit corporalibus oculis ipſa etiam corporis harmonia.* Adde

Chryſoſt. Chryſoſtomum epiſt.5.ad Theodorũ Lapſum circa medium: agens enim de ſplendore transfigurationis Chriſti, ita ait: *Nam ſplendor ille, prout eſt, videri non poteſt, niſi ab oculo immortali, & incorruptibili, qualis erit in corporibus beatis.* Adduci

Anſelm. etiam poteſt D. Anſelmus in lib. de ſimilitudinibus c.57. dùm ait; *oculos, aures, nares, mirabili dulcedinis ſenſu replendos eſſe;*

Laurent. Iuſtinian. Laurentius etiam Iuſtinianus *in lib. de diſciplina, & perfectione monaſticæ conuerſationis* c. 23: percurrens enim delitias ſingulorum ſenſuum, de viſu ita ait: *Delectabitur oculus in amabilis redemptoris aſpectu: iam videbit rem in decore ſuo, gloria ornatum, ac diademate redimitum, quo coronauit eum mater ſua.*

3. Confirmatur ratione. Hæc etiam veritas inde euidenter cõfirmatur, quoniam in iudicio vniuerſali (quod futurum eſſe ſenſibile, quoad mutuam præſentiam iudicis, & hominum iudicandorum nullus dubitauit) omnes homines & ſe ipſos ſenſibiliter conſpicient, & iudicem in trono ſedentem, iuxta illud Matthæi 24: *Videbunt filium hominis* *Matt.* 24.
venientem in nubibus cœlorum. Et Apocalypſis 1: *Ecce venit in nubibus, & videbit* *Apoc.* 1.
eum omnis oculus. Quòd ſi in terris oculi beatorum habebunt videndi vſum; cur illum amittent poſt aſcenſum in cœlum? etenim ibi omnia aderunt, quæ ad viſionem ſunt neceſſaria. Adeſt potentia vidẽdi; quia cum beatis ſurrexit, vt ſuprà iam cõſtituimus: adſunt obiecta viſibilia, amplaq; ſuppetit videndi materia; quia adeſt Chriſti Domini humanitas, in cuius viſione potiſsima accidentalis felicitas erit poſita: adeſt beatiſsima Virgo, cuius corporalis aſpectus beatos plurimum iucũdabit: aderunt omnium beatorum corpora, quæ ſua claritate omnium beatorum viſus cumulatiſsimè delectabunt: aderũt cœli noui, elementa noua, & tota mundi machina mirè reformata, cuius viſio beatorum animas mirificè reficiet. Cur igitur non dabitur videndi vſus ad beatitudinis cumulum neceſſarius? nam receptio ſpecierum, & viſionis, cum ſit immaterialis, perfectiua potiùs erit, quàm corruptiua. At dices; deerit tunc videndi medium: ſed de hoc latiùs in art. ſequente.

ARTICVLVS II.

Quomodò fiat viſio ſenſibilis in corpore beato?

§. 1.

Refertur prima opinio, & reijcitur.

EST tamen controuerſia, quomodò in corpore glorioſo fiat viſio? nam, 1. 1. opinio.
teſte D. Thoma, quidam putauerunt, omnem externam receptionem repugnare impaſsibilitati corporis beati; & ob id docuerunt, viſionem in beatis nec fieri per receptionem ſpeciei viſibilis ab obiecto tranſmiſſæ: nec per receptionem radij viſualis, qui ab oculo in obiectum miſſus, & ad oculum iterum reuerſus in eo recipiatur: ſed fieri per ſolam actiuam emiſſionem. Quid autem emittẽdum ſit? non declarant; fortè dicent, viſionem tũc fieri

fieri per ſolam emiſsionem radiorum ex oculis vſque ad obiectum.

2. Reijcitur. *D. Thom. Sotus. Abulen. Medina.* Hæc tamen ſententia communiter reijcitur à Theologis: *D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. Soto in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. ante tertiam concluſionem, Abulẽſi in cap. 17. Matthæi q. 115. poſt principium, Medinæ 1. 2. q. 3. art. 3. q. 2. aſſert. 3.* & meritò ſanè reijcitur: quoniam in reſurrectione reſurgent ſenſus eiuſdem naturæ, & rationis eſſentialis: cum igitur potentia ſenſitiua ſecundum ſuam naturam ſit paſsiua, vt cum Ariſtotele omnes fatentur, etiam illi, qui putant; viſionem fieri per radios viſuales; neceſſariò fatendum eſt, oculos beatos viſuros eſſe per receptionem, vel ſpecierum, vel radiorum viſualium. Accedit; quoniam viſio ex ſua natura eſt actio immanens realiter diſtincta à potentia videndi: non poterit igitur non recipi in ipſa videndi potentia: nam actio immanens in ea potentia recipitur, à qua elicitur.

§. 2.
Refertur, & improbatur ſecunda opinio.

3. 2. opinio. Secunda opinio, teſte eodem D. Thoma, fuit eorum, qui putauerunt, poſt reſurrectionem ſenſus externos nihil recipere ab obiectis; ſed à ſenſibus internis; & ab illis recipere ſpecies viſibiles obiectorum. Et idem dicerent de radijs viſualibus, ſi eos ad viſionem admitterẽt.

4. Improbatur. Sed hæc ſententia nec digna eſt, quæ recipiatur; nec recipitur à D. Thoma, cæteriſque Theologis, quos citauimus §. 1. Nam, vt aiunt, ſenſus ex ſua natura habent, quod ab obiectis moueantur, vt poſ-

Prima ratio non eſt ſatis. ſint ſentire. Hæc tamen ratio videtur inſufficiens, niſi melius explicetur: ſenſus enim poteſt ſentire per ſpecies ab obiecto non productas, ſed à ſolo Deo, ſe ipſo ſupplente actiuitatem obiecti.

5. Efficax ratio. Quare, hac ratione opinionem illam melius conuincemus: quoniam, vel ſenſus interni tunc influent in externos veras, & proprias ſpecies à ſuis diſtinctas; vel nullis ſpecibus nouis productis. ſuas ſpecies cũ externis ſenſibus coniungent. Hoc poſterius nec debet, nec poteſt admitti: tùm: quoniam hæc coniunctio aliter fieri non poteſt, quàm vi imaginatiuæ: tùm etiam; quia hæc coniunctio non ſatis eſt ad externam ſenſationem; vt patet in phreneticis, in quibus non datur vera viſio eorum, quæ imaginationis efficacia putant ſe videre. Si verò detur prius; iam admittunt nouam ſpecierum receptionem, nouamque paſsionem in corpore beato, & ideò incidunt in inconueniens, quod effugere conantur: vt omittamus ſenſus internos ab obiectis externis immediatè non recipere ſpecies: iam verò beati plura obiecta videbunt, quorum ſpecies nunquam acceperunt.

§. 3.
Tertia, & vera opinio.

Dicendum eſt igitur poſt reſurrectionem, eodem modo viſionem 6. Vera opin.
eſſe faciendam, quo nunc fit, vt authores citati concedunt. Quomodò autem nunc fiat viſio? controuerſum eſt. Quomodo fiat viſio? opinio.
Qui cum Platone, pluribusque Philoſophis, Medicis, & Patribus ſenſerit, viſionem fieri emiſsis ab oculo radijs viſualibus ad obiectum, & ab eo iterũ in viſum receptis; admittet viſionem tunc eodem modo eſſe faciendam. Qui autem cũ Nominalibus, & Durando, alijsque quamplurimis putauerint; ad viſionẽ ſatis eſſe, ſi obiectum viſibile intra debitam diſtantiam fiat viſio præſens; ſpeciesque viſibiles ſolùm ad id admitti, vt obiectum potentiæ debitè præſens conſtituant; affirmabunt, viſionem ſimili modo tũc fieri.

Sed quoniam iam in ſcholis communiter recipitur peripatetica ſententia Ari- 7. Non probatur.
ſtotelis, viſionem fieri, receptis ab obiectis imaginibus, quæ ſpecies viſibiles appellantur, & viſionem ſimul cum oculo eliciunt, vt latè oſtendimus *in 2. libro de Anima, & docent Conimbricenſes ibidem c. 7. q. 5. & latiùs cap. 6. q. 2. art. 2.* proinde in *Conimbr.* tota iſta diſputatione hunc dicendi modum, tanquam verè philoſophicum ſupponemus.

§. 4.
Objicitur difficultas ſumpta ex carentia medij.

Contra explicatam reſolutionem communiter objicitur; quoniam 8. Difficultas.
beati poſt reſurrectionem futuri ſunt ſupra conuexum cœli empyrij; vbi nullum datur corpus interiectum, ſed ſpatium

ſpatium quoddam vacuum. Nullum igitur ibi aderit mediũ, per quod ſpecies obiectorum ad viſum beatorum tranſmittantur: viſio autem ſine ſpeciebus dari nõ poteſt. Quæ etiam obiectio locum habet apud eos, qui reiectis obiectorum imaginibus, & ſpeciebus, admittunt radios viſuales vſque ad obiectum diffuſos, & per eos fieri viſionem. Qui radij per vacuum ad obiecta diffundi non poterunt.

9. Vbi ſint beati. Quòd verò beati poſt reſurrectionem futuri ſint, & modò iam exiſtant ſupra conuexum cœli empyrei, ita vt plantas pedum habeant ſupra ſuperficiem conuexam illius, probarunt *D. Thomas 3. p. q. 57. artic. 4. in corp. & ad 2. & Caietanus ibidem, atque Medina concl. 4: in quam ſententiam magis inclinat idem D. Thomas in 4. contra gent. cap. 87. vbi etiam eam probat Ferrarienſis; ſatis etiam eſt de mente eiuſdem D. Thomæ quodlib. 6. art. 3. in fine: eam tanquam probabiliorem ſequitur Suarius, vbi affirmat, hanc eſſe communem ſententiam inter diſcipulos Sancti Thomæ.* Cui opinioni maximè fauent verba Pauli ad Epheſios. 4: *Ipſe eſt, qui aſcendit ſupra omnes cœlos.* Quę verba eſſe intelligenda de cœlis materialibus, probat D. Anſelmus in eodem loco, & D. Thomas, Lyra, & quàmplurimi alij.

D. Thom. Caiet. Medina. Ferrarien. Suar. Ad Ephe. 4.

10. 1. ſolutio allatæ difficultatis. Huic difficultati primò dicimus, obiectionem iſtam non habere locum in beatis, ſi fortè ad hæc inferiora deſcendant; quod fortè aliquando facient: nam in inferioribus iſtis datur medium viſioni accommodatum. Vnde Chriſtus, quandiù poſt reſurrectionem nobiſcum conuerſatus fuit, oculorum vſum habuit, ſimul cum illis Sanctis, qui cum eo reſurrexerunt: beati etiam poſt reſurrectionem, antequam cœlum aſcendant, oculorum vſum actualiter habebunt, vt ſuprà diximus: nec hoc ſine errore, & hęreſi negari poteſt.

11. Rurſus non habet locum obiectio in viſione, qua beati ſe ipſos, ſuaque interiora videbunt: cum enim totum corpus illorum futurum ſit tranſparens, & perlucidum (vt ſuo loco dicemus) poteſt quælibet pars per medium reliquum corpus ad oculos ſuos ſpecies trãſmittere, vt fiat viſio, id, quod benè aduertit *Suarius in d. diſp. 47. ſect. 6. §. Septimò dicendum eſt.* Suarius.

12. Nec tertiò datur locus obiectioni, ſi quilibet beatus ad ſuperficiem conuexã cœli empyrei ſuos oculos coniungat, vt videat inferiora corpora; tunc enim datur medium aptum, vt per illud fiat ſpecierum tranſmiſsio, vſque ad oculũ illius.

Denique non datur locus difficultati apud eos, qui negant, beatos habitaturos eſſe ſupra cõuexum cœli empyrei. Quare ſolùm locum habet, ſuppoſita illa opinione, quod beati ſint ſupra conuexum cœli empyrei.

¶ Hàc igitur opinione ſuppoſita, difficultas adeò vrget, vt nonnulli difficultati ſuccumbant: alij verò ad varios dicendi modos recurrant. Et quidem *Durand. in 3. diſt. 22. q. 8.* difficultati omnino ſuccubuit, ſi illa opinio admittatur, ſicut admittit; putatque nullum obiectum externũ à beatis in illo conuexo videri poſſe ex carentia medij: ſed in hoc communiter reijcitur à cæteris, qui illam probant opinionem. Vnde illius authores varios dicendi modos excogitarunt: quãuis enim omnes in hoc conueniant, vt dicant, beatos in conuexo cœli empyrei exiſtentes, habituros eſſe vſum oculorum, idq; modo quodam ſupernaturali; in explicando tamen hoc ſupernaturali modo, non omnes conſentiunt. 13. Solutio quorundam.

Nam quidam ſolùm docent, viſionem tunc futuram modo quidem ſupernaturali: non tamen explicant, quinam futurus ſit iſte modus; ita *Caietanus 3. p. q. 57. art. 4. & Medina ibidem.* Alij aſſerunt ſpecies viſibiles per vacuum ſupernaturaliter fore multiplicandas, in qua ſententia fuit *Medina 1. 2. q. 3. art. 3. concl. vlt.* Alij volunt, obiecta quidem productura ibi eſſe ſpecies, non quidem per medium eas multiplicando, ſed immediatè eas imprimendo in viſu diſtante: ſicut vnus Angelus, dùm alteri loquitur, imprimit ſpeciẽ ſui cõceptus in intellectu eius, cui loquitur. Qui dicendi modus viſus eſt facilior *Suario vbi ſuprà diſp. 47. ſect. 6. §. Septimò dicitur:* cum enim corpus glorioſum à Paulo 1. Corint. 15. vocetur ſpirituale; non mirum, ſi eandem cum Angelis efficaciam participet, vt immediatè poſsit agere in oculum diſtantem: ſiue id fiat virtute naturali corporis; ſiue virtute diuina, actiuitatẽ illius eleuante: nam priorem viam quidam probauere; vtramque eſſe probabilẽ tacitus inſinuat idẽ Suari⁹. 14. Variant. Capreol. Medina. Suarius.

Ter-

Tertio loco ſunt, qui volunt, ſpecies viſibiles obiectorum non produci ab ipſis obiectis in oculis beatorũ, ſed à ſolo Deo; quæ fuit quorundam recentiorum ſentẽtia, quam, ſuppoſita præcitata opinione, videtur probaſſe Paludanus vbi ſupra. Poſtremo non deeſt, quo dicat, hanc efficaciam à Deo dandam fore oculis beatorum, vt vel ipſi ſpeciem obiecti in ſe ipſis efficiãt, vel viſionem ſine ſpeciebus. Quã ſententiam, ſi non in omnibus beatis, ſaltem in Chriſto Domino eſſe probabilem, affirmat Suarius in dicta diſp. 47. ſect. 6. in dicto §. *Septimo dicitur.*

§. 5.
Vera obiectionis ſolutio.

15. Vera ſolutio obiectionis. EGo puto, iſtam obiectionem diſſoluendam eſſe, negando ſuppoſitionẽ Sanctos. ſ. in ſuperficie cõuexa cœli commoraturos: ſed omnes futuros eſſe penetratiuè intra cœlum Empyreum in ſuperiori eius parte: hæc enim ſententia eſt inter Theologos communior: eã probarunt *Alexandr. Alenſis* 3. *p. q.* 23. *memb.* 6. *art.* 1. *Richard. in* 3. *diſt.* 22. *ar.* 4. *q.* 2. *Durandus. ibidem q.* 8. *Paludan. q.* 5. quamuis à Suario malè citetur in oppoſitum: Paludanus enim hãc probat ſententiam, quãuis Durandi fundamentum reijciat: eandem probauit *Lyra ad verba Pauli ad Epheſios* 4. *ad illa verba: Aſcendit ſuper omnes cœlos.* Eandem probauere *Syluester in aurea roſa, dum agit de aſcenſione Chriſti, & Sotus in* 4. *diſt.* 45. *q.* 1. *art.* 1. *ante tertiam concluſionem, & diſt.* 49. *q.* 4. *art.* 5. *poſt concluſionem tertiam, Abulenſis Paradoxo* 5. *capit.* 190. *&* 191. *Ouand. in* 3. *diſt.* 22. *Propoſ.* 8. *putat eſſe probabiliorem Palatius ibidem diſp.* 2. *ante finem* §. *Vertunt in dubium: fuit etiã D. Thomæ in* 3. *diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 1. *& eam ſatis inſinuat D. Bonauentura ibidem in expoſitione literæ num.* 34.

Alenſis. Richard. Durand. Paludan. Lyra. Syluester. Sotus. Abulen. Ouand. Palatius. D. Thom. D. Bonau.

16. Confirmatur. Ex quibus patet, hanc ſententiam inter Theologos eſſe cõmuniorem, & ideo probabiliorem. Cuius probabilitas ex eo etiam confirmatur, quia naturales ſenſuũ ſenſationes defendit ſine vllo miraculo, vlla ve ſupernaturalitate: iam verò admiracula non eſt recurrendũ, niſi cogat neceſſitas: quid autem cogit recurrere ad explicata miracula? Si dicas, eo in loco viſionem aliter fieri non poſſe: optima quidam eſſet ſolutio, ſi locus ille ſupra cõuexum cœli Empyrei neceſſario eſſet eligendus: at quid cogit habitationem ſanctorum ponere ſupra cœli Empyrei conuexum? Auguſt. lib. de Fide, & Symbolo docet, hac de re nihil certi haberi. Quare ſi rationibus agendum eſt, longè probabilius eſt eligere locum à nobis explicatum, quam cœli Empyrei cõuexũ. 17.

Obiectio ex Paulo ad Epheſ. 4. diſſoluitur. Sed dices, ad locum illum admittendũ vrgere verba Pauli ad Epheſios 4. *Ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos:* & tamen, ſi illa diligentius expẽdantur, aut nihil, aut parum vrgent: cum in illo loco ſermo nõ ſit de aſcenſu, tranſituque corporali, vt ex preſſis verbis docet *Chryſoſtomus homilia* 11. *in Epiſtolam ad Epheſios*, vbi ita ſcribit: *Iſta cum audis non eſt, quod trãſitum cogites: quòd enim Epiſt. quæ ad Philippenſes eſt, aſtruitur; illud, & hic igitur; quemadmodum illic de animi modeſtia. & humilitate admonens, Chriſtum inducit. ita, etiam hoc loco.* Sicut igitur Paulus in Epiſtol. ad Philippẽſes in illis verbis: *Chriſtus factus eſt obediẽs vſque ad mortem, & cætera*, agit de humiliatione, & exaltatione Chriſti: ita etiam hoc loco agit de deſcenſu eiuſdem vſque ad mortem, quem vult ſignificari per illa verba: *Deſcendit ad inferiores partes terræ;* & de aſcentione illius, id eſt, de exaltatione, qua ſuper omnem cœleſtem Angelicamque creaturam exaltatus eſt, ad dexteram Patris in cœlo conſedens. Ad eandem explicationem accedit Theophylactus in eodem loco, nec longè eſt D. Hieronymus ibidem, vbi ita ait: *Nunquid corporaliter omnes cœlos, & vniuerſas ſublimitates, & cœlorum circulos (quos Philoſophi Sphæras vocant) tranſiens, atque tranſcẽdẽs ſummo cœli fornicẽ, & vt ipſo verbo vtar, ab ſide? an certè omnia corporaliter contemnẽs, atque diſpiciens, & æterna contemplans ſupra cœlos, id eſt, ſuper inuiſibilia, ſtetiſſe, credẽdus eſt? Quod ego melius puto.* Fauet huic intelligentiæ Theodoretus ad eũdem locum, dum ait: *Deſcenſum, de quo Paulus, non ſignificare aliquam à loco ad locum tranſitionem; ſed diſpenſationem incarnationis, ſecundum quam Verbum Diuinũ ad terras dicitur deſcẽdiſſe.* Aſcẽſus dicitur, de quo agit, apud Theodoretum non ſignificabit tranſitionem de loco ad locum; ſed ſublimitatem gloriæ redemptoris: eſt enim conſtitutus ſuper omnem principatum ad dexteram Patris

Theophyl. Theodoret.

Patris ſedens. Accedat etiam Caſsiodorus, qui illa verba Pſalmi 17. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit ſupra pennas ventorum*, exponit de aſcenſu Chriſti in cœlum, quaſi ſentiat idē eſſe apud Paulum, aſcēdit ſupra omnes cœlos, quod eſt apud Pſalmiſtam, aſcendit ſupra Cherubim: qui aſcenſus non de motu, sed de ſublimitate naturæ, eſt explicā dus, vt à Caſsiodoro explicatur. Ex quibus patet Paulum in illo loco non intellexiſſe cęlos materiales, ſed ſpirituales, id eſt, omnes intelligentias, atq; creaturas rationales; quam explicationem probauerunt *Palatius, & Ouand. locis citatis.*

Caſsiodor. *Palatius.* *Ouand.*

18. Nam eadem ſignificatione accipiūtur cęli à Paulo ad Hebræos 7. *Excelſior cœlis factus*: cęlis, inquam, id eſt, Angelis, vt exponūt *Gloſſa Interlinearis, Ambroſius. Primazius, & Lyra in eodē loco*: nec inmeritò: quoniam (ſicut ibi ait Ambroſius) nemo dicitur fieri excelſior, niſi, qui in aliquo fuit humilior: Chriſtus autem nulla ratione fuit minor cœlis materialibus; benè tamen Angelis ſecundum humanam naturam: qui tamen ſua paſsione ſuper omnē cœli principatum conſtitutus eſt: & in hunc ſenſum explicat in ſequenti cap. 8. dum ait. *Habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis*, De hac igitur celſitudine intelligendus eſt in cap. 7. dum ait; *excelſior cœlis factus*. Quare de eadē intelligendus erit in citato loco ad Epheſios 4. dum ait: *Aſcendit ſuper omnes cœlos*: nec enim nouum eſt in ſacris literis *aſcendere* accipi metaphoricè, vt annotauit Ioannes Ferdinandus in Theſauro ſacrarum literarum verbo *aſcendere* n. 13.

Ad Heb. 7 *Ad Heb. 7* *Ad Eph. 4*

19. Porrò; ſi magis placet verba præcitata Pauli intelligere de cęlis materialib⁹ (quę fuit explicatio *Diui Anſelmi D. Thomæ, & Lyræ in eodem loco & plurium aliorū*) non proinde cogeris, vt dicas, ſanctos ſupra conuexum cęli Empyrei cōmorari: nam ideo Chriſtus ſuper omnes cœlos aſcendiſſe dicitur, quia ad ſublimiorem partem cœli Empyrei aſcendit, vt optimè aduertit Lyra. In quo etiam ſenſu ad Hebræos 4. dicitur Chriſtus penetraſſe cœlos; non quòd eos omnes corporaliter tranſcenderit; ſed quia ad ſupremam illorum partem tranſierit: nec ad hoc opus eſt, vt ita cęlos omnes aſcenderit, quaſi cę-

Quod ſi Paulus intelligatur de cœlis materialib⁹

lo Empyreo non locetur, vt volebat Ouādus: quid enim imperfectionis eſt, Corpus Chriſti penetratiuè cœlo Empyreo locari? Loquitur igitur ſine fundamēto: ſicut ſine fundamento Palatius nomine cœlorum eo in loco cœlos mobiles intelligit.

Suppoſita igitur hac ſententia, nullus datur locus dubitationi obiectæ: cū enim cœlum Empyreum ſit lucidum, & tranſparens, & medium aptiſsimum, vt per illud obiecta viſibilia ſuas ſpecies ad oculos beatorum tranſmittant: quia ex ſententia Ariſtot. 2. de Anima tex. 68. diaphaneitas, quæ & cœlo, & elementis eſt cōmunis, eſt prima ratio tranſmiſsibilitatis ſpecierum. Quare difficultas allata authoribus huius ſententiæ nullum poteſt negotium faceſſere: magnum tamen faceſsit illis, qui volunt, beatos in conuexo cœli empyrei habitaturos fore. 20.

Reſolutio.

§. 6.

Soluitur obiectio, ſuppoſita alia ſententia.

NOn nego probabilem eſſe ſententiam, quæ affirmat, beatos cum Chriſto ſupra ſuperficiem conuexam cęli Empyrei in æternum victuros: ſiquis igitur hanc opinionem potius probauerit; ad miraculum, modumque vidēdi ſupernaturalem confugiat, neceſſe eſt, ad quem confugit communior, & verior ſententia eorum, qui illam probant opinionem: nec enim audiendi ſunt, qui putant obiecta, quę ibi apparuerint, licet ſint ipſa corpora glorioſa, virtute naturali poſſe ſuas ſpecies, aut multiplicare per mediū vacuum; aut in oculo diſtanti immediatē ſine aliquo medio eas cauſare; quāuis non deſint, qui vno, vel altero modo id fieri poſſe affirment: nec enim agens creatum virtute ſibi naturali, aut in ſpatio vacuo aliquid poteſt agere; aut in rem diſtantē immediatè aliquid poteſt producere. Nō poteſt quidē aliquid agere in vacuo, quia omne agens creatum ſupponit ſubiectū, è cuius potentia formam educat: quoniā propria virtute nihil poteſt creare, nec formam aliquam accidentariā, niſi in ſubiecto inhęſionis producere, aut cōſeruare. 21.

Soluuntur argu. iuxta aliam ſententiam.

Nec etiam poteſt propria virtute immediatè agere in rem diſtantem: quia in omni agente, etiam infinito, vera eſt com- 22.

munis

munis Philoſophia Ariſtotelis, quòd debeat eſſe ſimul cum paſſo, illique immediatũ, immediatione ſuppoſiti; vt verior Philoſophorum, & Theologorum ſententia affirmat cum *D. Thoma, de qua Conimbricenſes 7. Phyſicorum cap. 2. q. 2. artic. 2.* nam ob hanc ſolam veriſsimam Philoſophiam Theologi ratione naturali conuincunt, Deum ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe vbique: quod ſi demonſtrationem iſtam vniuerſaliter, & in omni agẽte cum Scoto non admittis: non poteris cũ eodẽ eã nõ admittere in omni agente corporeo, cuius naturalis actio per ſe dependet à medio: hoc enim ex ſua natura habet, vt prius agat in medio, actione, vel eiuſdem rationis, vel alterius, vt latè explicat *Scotus in 2. diſt. 9. q. 1. & 2. lit. B. vbi lite. C.* putat hãc depẽdentiã neceſſariò comitari obiectum viſibile in emiſsione ſpecierum: prius enim, quàm in oculo diſtãti cauſet viſionẽ, debet producere ſpeciẽ viſibilem; cuius non ſolùm oculus, ſed interiectum diaphanum eſt ſuſceptiuum. Quod dixerim, vt excludam Angelum alteri Angelo loquentem: is enim ex ſententia Scoti immediatè agit in intellectũ Angeli, cui loquitur; nõ alia ratione, niſi quia in actionibus huius generis nullam ad medium habet dependentiam. Quare licet Scotus in Angelis hoc admittat; non putat tamen eſſe admittendum in corporibus viſibilibus, ꝓpter diſparem rationẽ.

D. Thom. *Conimbr.* *Scotus.*

23. Quare qui ſuperiorem probauerit ſententiam, ad miraculũ, modũq; ſupernaturalẽ vidẽdi *cum Caietano, cæteriſquè, quos citauimus*, confugiat, neceſſe eſt. ¶ At inter modos explicatos duo poſteriores videntur minus probabiles, qui ſpecierum, & viſionis efficientiam obiectis denegant: nam vt id fortè ſit factu poſsibile: non tamen decet perfectionem ſtatus beatifici; ad quam non parum conducit, vt ordo naturalis immutandi potentiam, quantum fuerit poſsibile, etiam ibi conſeruetur. Vnde Diuus Thomas in 4. diſt. 44. quæſtione 2. artic. 1. quæſtiuncul. 3. concludit, ſpecies ſenſibiles in Patria ab obiectis eſſe producendas. Cum igitur naturale ſit viſiuæ potentiæ moueri ab obiecto, vt ex Philoſophia patet; & ad perfectionem cæleſtium obiectorum hęc efficientia maximè pertineat; non eſt cur ab illis tollatur; maximè cum illa ſaltem ſupernanaturaliter ſit poſsibilis. Quare nõ ſatis videtur probabilis opinio, quæ putat in illo loco ſpecies viſibiles obiectorum à ſolo Deo eſſe producendas: & à fortiori non erit probanda, quæ aſſerit, illas ſpecies producendas fore ab ipſis beatis in proprijs oculis: hoc enim ad potentiæ viſiuæ perfectionem minimè ſpectat. Ob eandem rationem non eſt probabile, quod viſio ſine viſibilibus ſpeciebus fiat à beatis: nam vt omittamus, fortè id nec diuinitus fieri poſſe; non eſt, cur omnis naturalis videndi modus oculo beato auferatur. Ob quas rationes prædictæ opiniones non placuerunt Suario vbi ſupra, ſi in omnibus beatis generaliter intelligãtur: quia in Christo vtramque eſſe probabilem exiſtimat, ſaltem in ordine ad obiecta in quacumque diſtantia, de quo in ſequenti art.

Ad miraculũ neceſſario recurrẽdũ eſt. Quomodo id fiat? *Non probatur quorundã opinio.*

Nec adhuc probabilis videtur modus dicendi Medinæ, qui putat, obiecta ſuas ſpecies viſibiles per illud ſpatium vacuũ vſque ad oculum beati ſupernaturaliter multiplicare: quem dicendi modum plerique recentiorem putant eſſe impoſsibilem: Suarius verò ideo eum reijcit, quia ſine neceſsitate illam ſpecierum multiplicationem admittit. Illi inde probant impoſsibilitatẽ, quia non poſſunt ſpecies illę in vacuo productæ non creari: ad creationem verò creatura, nec inſtrumentaliter poteſt concurrere. Suarius verò quia admittit, creaturam poſſe, vt Dei inſtrumẽtum aliquid creare: ideo putat ſententiam illam ſine neceſsitate admittere miraculum creationis ſpecierum, & earum conſeruationis in vacuo ſine aliquo ſubiecto: poſſunt enim ſpecies illę immediatè poni in oculo, beati etiam ab ipſo obiecto diuinitꝰ eleuato: at fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora. 24.

Non probatur modu dicendi Medinæ.

Quare, ſuppoſita ſententia, quam ſupponimꝰ, probabilior eſt ſolutio, quæ affirmat, obiecta viſibilia ſupernaturaliter eleuata immediatè productura fore tales ſpecies in oculũ diſtantem: agens enim creatum, tanquam Dei inſtrumentum poſſe immediatè agere in rem diſtantem, nihil interim agendo in medium, non ſolùm fatetur Scotus, & qui eum ſequuntur; ſed etiam D. Thomas cum ſuis, vt videre eſt *D. Thom. 2. 2. quæſt. 178. artic. 2. ad 1. & 3. p. q. 48. Caietan. probant Caietanus 3. p. quæſtio. 13. artic. 2. Paludan.* 25.

Vera ſolutio.

Veiga. Bellarm. Suar. Conimbr. *& Paludanus in 4.diſt.1.q.1. Veiga lib.7. in Concil. Tridentin. cap.14. Bellarminus lib. 1. de Sacramentis in genere cap.11. conſentit Suarius 1.tom.ad 3.p.diſp.31.ſect.6. probāt Conimbr.lib.7.Phyſico. c.2.q.2.art.1.& 2.*

ARTICVLVS III.

An oculus beati videat obiecta in quacumque diſtantia?

§. 1.

Referuntur opinones

1. Opinio affirmans. PArtem affirmautem ſignificari à *Soto in 4.diſt.50.q. vnica art. 6.* teſtatur Suarius: ſed Sotus eo in loco nō agit de viſione ſenſitiua, ſed de intellectiua: eam tamen Sotus *ſignificat in 4.diſt.49. q.4.art.5.poſt 3.concl.§. Verumtamen reſpondetur ad 1.* Sotus. *expreſſe eam tenet Medina 1. 2.q.3.art.3.ad 3.* Medina. ob eam.ſ.rationem, quia acutiſsima illic erit acies, & acumen viſus, pluſquam aquilæ: ante eos eā tenuit Lyra in c. 7. Actorum in fine, & ſatis eam probat *Maior in 4.diſt. 49.q.14. ad argumenta contra 5.in fine.* Lyra. Maior. Auguſt. Pro hac opinione citari ſolet *Auguſtin.lib.22. de Ciuita. Dei c.penult.* fortè dum ait: *Si enim Propheta Eliſeus puerum Giezi abſens corpore vidit: quanto magis in illo corpore ſpirituali videbunt ſancti omnia, non ſolum ſi oculos claudant; ſed etiam vnde ſunt corpore abſens.*

2. Pars negans. Scotus. Suarius. Partem tamen negantem probauit *Scotus in 4.diſt.50.q.3. in principio corporis*: eā dē in omnibus beatis, vno excepto Chriſto Domino, probat *Suarius 2. tomo ad tertiam partem diſput.47. ſectione 6. §. Dices ergo eadem ratione*, eo ductus fundamēto; quoniam nec obiecta in quacumque diſtantia poterunt naturaliter ſuas ſpecies ad oculum tranſmittere; nec ad ſtatum beatorum pertinet, quod in quacūque diſtantia videant omnia viſibilia; de Chriſto Domino oppoſitum putat eſſe affirmandum, cui propter ſingularem quandam omnipotētiæ participationem, quam habet eius humanitas, vt eſt inſtrumentum coniunctum Verbi, vim habet ad videndum quodcumque viſibile, vbicūq; ſit; non quidem per ſpeciē acceptā ab obiecto; aut per efficientiam ipſius obiecti; ſed per efficientiam ipſius Chriſti, qui vel ſupernaturaliter poteſt efficere ſpeciem obiecti diſtantis in ſuo oculo, vel viſionem eius ſine ſpecie.

§. 2.

Vera reſolutio.

PRo reſolutione præmittendum eſt, viſum corporis glorioſi in ſuo genere, eſſe omnium perfectiſsimum; 3. Vera reſolutio. tùm ratione potentiæ; tùm etiam ratione diſpoſitionis organi, vt ſatis colliges ex *Proſpero lib.1. de vita contemplatiua cap.11. & ſatis aduertit D.Thomas in 4. diſt.44. q. 2.art.1.quæſtiun.4.ad 6. & poſt eum Maior in 4.diſt.50.q.1.§. Ad ſecundam dubitationem.* Proſper. D.Thom. Maior. Ex quo infertur, viſum glorioſum in genere viſus ſummam habere videndi aciem, & acumen. Quod adeo eſſe verum quidam exiſtimauerunt, vt teſte Auguſtino, putauerint, viſum corporeum ſua glorificatione, atque ſpiritualitate adeò eleuari, vt non ſolùm acrius videat, quàm aquila; ſed vt videat ſpiritualia obiecta, ad quæ viſus aquilæ non extenditur. Igitur viſum corporis glorioſi ſummam habituram eſſe videndi acrimoniam, ac pręſtantiam dubitari nec debet, nec poteſt: nam cum perfectione eſſentiali viſus, quę omnibus potentijs viſiuis eſt communis, atque indiuiſibilis, coniunctam habebit accidentalem perfectionem in gradu ſupremo ex parte organi: erit enim in corpore perfectiſsimo, & veluti ſpirituali, & per conſequens receptiuo ſpecierum viſibilium in ſumma earum immaterialitate. Quare licet in vita mortali homo in viſu à multis brutis animantibus ſuperetur (aquilæ enim, & lynces perſpicatius vident:) in beata tamen vita reliquis animantibus videndi acrimonia longiſsimè excedet.

Hoc præiacto fundamento, ſtatuitur hæc concluſio: *Viſus corporis glorioſi ex ſua natura longiſsimam quidem videndi ſphæram habiturus eſt: Certam tamen, & definitam per aliquem terminum; ſiue ille intrinſecus ſit, ſiue extrinſecus. Quare non ad quamcumque diſtantiam naturali ſua virtute pertinget.* 4. Concluſio. Huius aſſertionis poſteriorem partem expreſſè probarunt *Scotus, & Suarius* Scotus. Suarius. & ſatis mihi illa videtuc eſſe de mente *Diui Thomæ in quarto, diſtinctione 44.q.2. artic.1.quæſtiunc.4.ad 6.* D. Thom. dum ſolùm affirmat, oculum glorioſum ad maiorē diſtan-

tiam

tiam quàm nunc poſsit, tunc eſſe viſurũ. Exiſtimat igitur, non in quacumque diſtantia viſionem tunc poſſe fieri, ſed in lõgè maiori, quàm nunc poſsit. Idipſum ſatis etiam inſinuăt *Maior in 4. diſt. 50. q. 1. ad ſecundam dubitationem, & Baſſolius ibidem q. vlt. artic. 2. §. Et ideò verſ. quarto dico.*

Maior. *Baſſolius.*

5. Quorũdã cõfirmatio. Hæc ſentẽtia fortè ab aliquibus ex eo demonſtrabitur; quoniam omnes potentiæ actiuæ quoad ſpatium habent certam & determinatam ſphæram ſuæ actiuitatis, iuxta communem doctrinam Philoſophorum *in 1. libro de Cœlo capit. 11. vbi Conimbric. q. 3.* Cum igitur potentia viſiua corporis glorioſi ſit potentia quædam naturalis, & actiua, habebit certam ſuæ actiuitatis ſphæram. At tamen hæc Philoſophia accõmodari non poteſt actiuitati potentiæ viſiuæ; cum agat actione immanente, quę in ſpatium externum nõ erit. Poterit tamen accõmodari potentiæ actiuæ obiecti viſibilis, quæ ſuas ſpecies per ſpatiũ diffundit, & viſum naturaliter immutat; & ex conſequenti accõmodabitur potentiæ paſsiuæ ipſius viſus, quatenus ab obiecto actiuè eſt immutabilis. Cum igitur vis diffundendi ſpecies per mediũ, quæ in obiecto viſibili naturaliter reperitur, ſit naturalis, & finita; vtique non per quantamcunque ſpatij diſtantiam valebit immittere ſpecies, nec viſum immutare, ſed per certam ſphæram, & determinatam, iuxta explicatam Philoſophiam. Cũ verò potentia paſsiua actiuã reſpiciat; vtiq; ſi actiuitas obiecti viſibilis ad certã diſtantiã diffinitur, nõ poterit nõ eſſe diffinita paſsibilitas viſus à viſibili obiecto.

Conimb.

Non recipitur.

6. Illatio. Inde inferes, oculũ, etiã glorioſum, nõ ſub quocũq; paruo angulo pyramidis viſualis poſſe ab obiecto naturaliter immutari; ſed habere terminum paruitatis determinatum, ſiue ille determinetur intrinſecè, ſiue extrinſecè: hoc enim modo parum ad nos refert. Cum igitur, quò maior fuerit diſtantia, inter viſum, & viſibile, eò minor fiat augulus viſualis pyramidis; vtique ſi viſus non ſub quacumq; paruo angulo poteſt ab obiecto immutari, non in quacumque diſtanti[a] poterit obiectum naturaliter vedere: quidquid Medina oppoſitum ſine fundamento philoſophetur. Cui non fauent verba Auguſtini adducta pro ſententia affir[m]ante, quia ex eodem Auguſtino in ſequẽtibus conſtat ſe in illis verbis non agere de viſione corporali, ſed de intellectiua.

7. Cõfirmatur 1. pars aſſertionis. Prior verò noſtræ aſſertionis pars ex eadẽ perfectione viſus glorioſi ſatis ſufficienter demõſtratur à D. Thoma loco citato: nam quò viſus eſt perfectior, eò ſub minori immutatione facta ab obiecto poteſt illud percipere; & ex conſequenti tãtò ſub minori angulo viſualis pyramidis poterit videre obiectum. Ergo viſus, qui in perfectiſsima fuerit videndi acie, & acumine, longiſsimam videndi ſphæram habebit; naturalem tamen, & determinatam, ſeruata ſemper proportione ad magnitudinem obiecti, viſibilis: nam quę obiecta fuerint magnitudine maiora, illa ſub maiori diſtantia viſum glorioſum immutabunt, ſub minori verò, quæ minoris fuerint magnitudinis.

8. Determino diſtantię. Quanta autem futura ſit hęc diſtantia; certò diffiniri non poteſt: cõmunior tamẽ ſententia habet, ea obiecta, quæ in cẽtro terræ fuerint, & in inferno loco, eſſe extra ſphærã naturalis viſibilitatis: & ob eã rationẽ ſanctos in Patria oculis corporeis naturaliter nõ eſſe viſuros dãnatos in inferno exiſtentes: quæ eſt ſẽtẽtia Scoti & Maioris locis citatis. Quin potius ex mẽte Suarij extra eandẽ naturalem ſphæram erunt obiecta, quæ ſunt in terra: nec enim poterunt ſuas ſpecies viſibiles vſq; ad cœlum Empyreum naturaliter diffundere: de quo vide Lyram c. 7. Actorum in fine. Vtrùm verò idem dicendũ ſit de toto terræ elemento? ſtatim dicemus.

§. 3.

Vtrùm de facto aliquando eleuetur vltra naturalem Sphæram?

9. An aliquando eleuetur extra ſuam ſphæram. HÆc diximus de viſu corporis glorioſi ſeruato naturali ordine, & naturali facultate, tũ viſus, tũ obiecti viſibilis, nã ſi ſupernaturalẽ ordinem, diuinãq; potentiã ſpectemus; nulli dubium eſt, q[u]in poſsit oculus glorioſus à Deo ſupernaturalitater eleuari ad quamcunque diſtantiã, vt optimè aduertit Baſſolius, & poſt eum Suarius loco citato: nã obiectũ, quantumcunq; minimũ, ſi diuinitus eleuetur, poteſt ſuas ſpecies in quantãcunq; diſtantiã diffundere, oculũq; ĩmutare ſub quãtumcũq; minimo angulo pyramidali.

10. Non probatur quidam modus dicendi.

Addunt nõnulli, poſſe Deum, aut cauſare viſionem obiecti ſine ſpecie cum ſolo oculo: aut ſpeciem obiecti quãtumcũque diſtantis ſe ſolo producere in oculo glorioſo. Sed vterque dicendi modus eſt ſatis dubitabilis: quia ſine ſpecie viſui obiectum immediatè repræſentante fortè non poteſt fieri viſio: ſed de hoc diſputare non eſt huius loci.

11. Explicatur dubium.

Vtrùm verò oculus cuiuſcumq; beati de factò eleuetur diuinitus, vt vltra ſuam naturalẽ ſphæram in quantacumque diſtãtia videat? alterius eſt quæſtionis. Baſſolius dubitat: Suarius autẽ Chriſto Domino id concedit, negat tamen cæteris beatis. At quis horum arcanorũ fuit Dei conſiliarius: vide tamen, quæ in q. 7. ſequenti art. 3. dicemus.

ARTICVLVS IIII.

Quænam oculis corporeis in Patria videantur?

1. Quænã videantur. *Proſper.*

HAc de re vide Proſperum lib. 1. de vita contemplatiua cap. 11. vbi generaliter docet nullam creaturam oculum beatum latere: ita enim ait: *Ibi corporales oculos nihil viſibilis creaturæ latebit: quia incorruptibilium corporum viſus incorruptibilis erit, ac ita ſine comparatione viuitior, quam hic fuit, vt ei aliquid viſibilium clauſum eſſe non poſsit.* Quod ſatis etiã ſignificat *Laurentius Iuſtinianus in libr. de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis cap. 23.* (*Laurenti⁹ Iuſtinian.*)

2. videre debent Chriſtũ hominẽ.

Sed quidquid de hoc ſit; certiſsimum eſt, beatos oculis corporeis viſuros eſſe Chriſtũ hominẽ: quæ viſio inter accidentales beatitudines, & glorias erit omnium maxima. De hac autem viſione explicari poſſunt plura, quæ de ſanctis Agnũ circũſtantibus, atq; ſequentibus ſcribuntur in *Apocalypſi Ioannis, maximè c. 5.* (*Apoc. 5.*) Quin potius videbim⁹ beatiſsima Chriſti vulnera, nec enim audiendi ſunt, qui docent, Chriſtũ in gloria veſtibus eſſe indutũ ad contegenda vulnera, cũ quibus reſurrexit, & in cœlũ aſcendit: contra quos latè ſcribit Abulenſis Paradoxo quinto à c. 25. cum ſequentibus,

3. Videbũt B. Virginem.

Omnes etiam beati corporaliter videbunt beatiſsimã Virginem Deiparã ſupra omnes creaturas, etiam Angelicas, & dignitate, & loco eminentẽ. Videbunt præterea omnes beatos corpore glorioſos, coronis, atque aureolis decoratos: vna enim ibi adeſt cæleſtis reſpublica: vna inter eos ſenſibilis politia: cur igitur omnes ſe ſe corporaliter non videbunt? Id enim in maiorem ſingulorũ gloriã cedet, eritque beatitudinis accidentalis augmentum nõ paruũ, ſi mutuò ſe ſe omnes noſcãt, & familiariter cõuerſentur. Nec loci diſtãtia id impediet, quia nec totius cœleſtis aulæ amplitudo, etiam ſi magna ſit, & ſpatioſa, excedet adæquatã viſus glorioſi ſphærã. Si verò excedat; Deus obiectorum actiuitatem eam eleuando, ſupplebit. Nec hanc viſionem impediet claritas cuiuſque glorioſi corporis, vt lib. 5. dicemus.

Videbunt adhuc corpora cæleſtia, quatenus ſecũdum ſuas partes ſunt viſibilia. Quare videbunt omnia aſtra, & ſydera: nam ſicut illa ad terram ſuas ſpecies diffũdunt; cur eas naturaliter non diffundent vſque ad ſupremam ſedẽ cœli Empyrei? nam ſingula terram magnitudine excedunt, vt docent Mathematici. 4. Videbũt corpora cæleſtia.

Totam etiã terram fortè naturaliter videbunt: quia tota fortè poteſt ſuam ſpeciem vſque ad ſummum cœli Empyrei diffundere. Si qua tamen corpora miſta poſt diẽ Iudicij permãſerint; ea ob ſui exiguitatẽ naturaliter videre non poterunt: vnde modò, nec Chriſti oculi, nec Beatæ Virginis naturaliter vident in terra exiſtentes. Nec etiã ſancti dãnatos in Inferno naturaliter videbunt; quia hæc obiecta in tantam diſtantiã ſuas viſibiles ſpecies non tranſmittent: nam ſi quæ hìc à nobis agũtur ſãcti naturaliter videre poſſunt; vtiq; reuelationibus nouis nõ indigerent, quod eſt cõtra cõmunẽ Theologorũ doctrinã.

Vtrùm verò ſupernaturaliter ea videant. Saltẽ Chriſtus Dominus? noluimus ſupra definire: quia hæc à ſola Dei voluntate pendent; nec vlla de illis adeſt ſupernaturalis reuelatio. Probabilis tamen videtur Suarij opinio ſupra citata, quoniam hæc perfectio maximè decet oculos Chriſti corporeos: cũ tamen illa non ſpectet ad beatitudinem cæterorum beatorũ: licet enim ad eorum ſtatũ fortè pertineat videre pœnas damnatorum; nõ tamen ad illũ pertinet, quod illas videant, aut intelligibiliter per intellectum, aut ſenſibiliter per ſenſum in proprio genere; ſed ſatis 5. Fortè videbunt totam terram.

eſt

eſt, quod eas videant in Verbo viſione beata. Porrò ſi hanc perfectionē tribuis Chriſto Domino; ne dicas, eum illas videre, aut ſine ſpeciebus, aut per ſe ſpecies à ſe ipſo productas: ſatius eſt enim dicere obiecta diuinitus eleuata ſuas ſpecies ad Chriſti oculos transmittere; quod omnibus conſentientibus factu eſt poſsibile, & cum naturali videndi ordine magis conſentit.

7. Quæſtio de eleuatione ad viſionem diuinę eſſentiæ. Poſſet hoc loco dubitari; an oculi corporis glorioſi ad viſionē diuinæ eſſentiæ: & Angelorum diuinitus eleuentur? fuit enim hæc quæſtio olim controuerſa inter Patres: at de illa egimus *in 1. tom. lib. 4. q. 5. art. 3. vide in illo loco.*

ARTICVLVS V.

Vtrùm corpus opacum interiectum impediat viſionem oculi glorioſi?

1. Pars negans Abulenſ. QVæſtionis partem negantem videtur probaſſe Abulenſis Parodo xo. tertio cap. 30. dum ait, ſi corpora glorioſa veſtibus in Patria vterētur; veſtes impedire non poſſe, quominus corpora beatorum, etiam ſecundū partes interiores viderentur: veſtes autē ſunt corpora opaca.

2. Confirmatur. Cōfirmari poſſet hæc ſentētia: quoniā cum viſus corporalis beatorū ſit omniū perfectiſsimus, non videtur illi neganda quæcūq; naturalis perfectio; maximè illa quæ oculis quorundā animaliū conceſſa legitur. At naturales ſcribūt, lynces aſpicere ea, quę ſunt trās parietē, vt videre eſt apud *Cœliū Rodoginū lib. 16. c. 2.* idē de lynceo argonauta hiſtorici memoriæ prodiderunt: is enim non ſolū terra interpoſita videbat, quæ poſt illā erant; ſed etiā claſsē punicam Carthagine exeuntē, & numerū nauium ex ſpecula lybicana manifeſtiſsimè notabat: & quod eſt mirabilius, nouiſsimā lunā, & primā in ſigno arietis eodem die conſpexit, teſte Plinio libr. 2. cap. 17.

Rodoginus

3. Alia confirmatio. Adduci etiam poſſunt ij, qui aquarum inſpectores ſiue aquileges dicuntur: verè enim aquas ſub terra laten[illegible]s cōſpiciunt, de quorum experientia, & Fide vide Conimbr. 2. de Anima q. 9. art. 2. in quo loco id eſſe naturaliter poſsibile non ſine probabilitate defendūt: eten[illegible]a, vt ſcribit Cęlius Rodoginus loco citato, nullū eſt corpus omnibus modis opacū, ſed omne ſuā habet perſpicuitatem; quod inde confirmat; quia omne corpus capax eſt, cęleſtiū influentiarum, quę, mediante lumine, inferioribus cōmunicantur: maximè cum nullum ſit corpus, quod non habeat ſuos poros, intra quos poſsit lumen admittere, per quod ſpecies viſibiles ad oculum transmittantur. Licet autem lumen iſtud ſit exiguum, & perſpicuitas adeo remiſſa, vt pro nihilo habeatur, nec ſatis ſit, vt ad quemcūque oculū tranſmittat accōmodatas ſpecies; ſatis tamen eſt ad eas tranſmittendas ad oculum videndi acrimonia perſpicaciſsimum, cum reſpectu illius debitam habeat proportionem.

Quibus rationibus hæc pars videtur mihi ſatis probabilis, vt nō ſolū id oculo beato ſupernaturaliter cōcedatur; ſed etiam naturaliter, propter maximam illius videndi perſpicacitatem, & acrimoniam; ratione cuius nulla parua perſpicuitas, nullaque exiguitas luminis ad traijciendas ſpecies erit improportionata. 4. Hæc pars videtur probabilis.

Vtrùm verò corpus glorioſum interiectum alterius, ſiue glorioſi, ſiue non glorioſi viſionem impediat? explicabimus lib. 5. in q. de dote claritatis.

QVÆSTIO VII.

De Auditu.

COnſequenter ſecundo loco dicēdum eſt de auditu, qui poſt viſū ſecundum locum tenet ordine dignitatis, & perfectionis. De auditu igitur ſequentes excitabuntur articuli. Primus inquiret; an in Patria futurus ſit vſus ſenſus auditus? Secundus; quomodo in Patria fiet auditio? Tertius; an auditio fiet in quacumque diſtantia? Quartus, & poſtremus; quænam in Patria audientur?

ARTICVLVS I.

An in Patria futurus ſit vſus ſenſus auditus?

§. 1.

Refertur opinio negans.

1. Opinio negans & dubitans. *D.Bonau. Abulenſ. Scotus.*

AN auditus in Patria ſuum vſum habiturus ſit? non omninò conuenit inter Theologos. Quidam enim expreſsè negant, teſte *D.Thoma in 4.diſt. 44.q.2.art.1.quæſtiunc.4. Alij rem in dubio relinquunt, vt D.Bonau. in 4.diſt.49.ar. 3.q.1.nu.42.in fine, cui iudicio adhæret Abulenſ. in cap.17.Matth.q.116.lit.D.* vbi quęſtionem pro vtraque parte defendit. *Scotus etiam in 4.diſt.49.q.13.ad 2.ſub cōditione loquitur;* ſi nimirum in Patria detur ſonus per medium multiplicabilis.

2. Fundamentum.

Huius negantis partis fundamentū ſumitur; tùm ex parte obiecti, tū vel maximè ex parte medij. Ex parte quidem obiecti: quoniā in Patria nulla vox formari poteſt; nullus itē edi ſonus, qui ſolus eſt obiectum adęquatum auditus. Nō poteſt aliqua vox ibi formari; quia cum ibi nullus ſit aër, qui reſpiratione attract⁹ in vocali arteria feriatur, nulla poterit ibi formari vox, quæ non eſt aliud, quàm ſonus formatus ex ictu aëris ad vocalem arteriā reſpiratione attracti, vt cōſtāter ait Ariſt. 2.de Anima cap.8.tex.90. Nullus item alius in Patria poteſt edi ſonus: quia ſonus edi non poteſt, niſi ex percuſsione, & cōfractione alicuius corporis, ſiue illud confringatur ex colliſione duorum corporū, *Ariſtot.* vt vult *Ariſt. in d.c.8.text.78.& 79.* ſiue ex colliſione partiū eiuſdē corporis ſumma velocitate ſe ſe impellentium, vt ex *Simplicio Themiſtio, & Alberto docet Curſus Conimbr. in d.cap.8.q.1.art.1.* *Conimb.* Iam verò in cęlo Empyreo nullum datur corpus, quod percuſſum confringatur, vt ſonum edat; quod eſt notiſsimū, ſiue beati intra cœlū Empyreum penetratiuè commorentur, ſiue ſupra conuexum illius.

3. *Ariſtot.*

Ex parte verò medij id ipſum oſtenditur, quoniam ex *Ariſtot.2.de Anima c.8. tex.79.* mediū, quo ſonus ad auditū deuehitur, eſt tùm aer, tùm aqua: at in Patria, ſiue illa ſit ſupra conuexū cœli Empyrei; ſiue intra ipſum cœlū, nec datur aer, nec aqua: nullum igitur datur medium, per quod vox, aut ſonus deferatur ad auditū corporis glorioſi.

§. 2.

Affirmatiua eſt tenenda.

4. Vera eſt affirmans ſententia.

HIs tamen non obſtātibus, pars affirmatiua eſt omnino aſſerēda cū cōmuni Theologorū ſententia. Eā aſſerunt *D.Thom. in 4.diſt.44.q.2.art.1. quæſtiun.4. Richard. in 4.diſt.49.art.4.q.3 in corp.& ad 7. vbi Sotus q.4 art.5.concl.4. Ouand. propoſ. vlt. Maior q.14.concl.4. Idē Maior ibidem diſt.50.q.2. ad vltimam libri dubitationem, Henricus quodlib.7.q.7. Medina 1.2.q.3.art.3. in reſolut. huius quæſtionis, & argum. contra auditum, Viguerius in ſua Inſtitutione Theologica cap.14.§.2. verſu 3. Suarius 2.tom.ad 3.p.diſput.47.ſect.6. pag.899. ſatis eſt de mente Scoti in 4.diſt.49. q.13.ad 2.* nam licet ſub cōditione videatur loqui (ſi nimirum ibi ſonus eſt multiplicabilis) tamen non dubitat, poſt iudiciū futuram eſſe ſpecierum intentionalium multiplicationem. Denique eſt receptiſſima ſentētia inter Nouiores, & ſatis probatur *Palatio in 4.diſt.49.diſp.vlt. ad finē & Ioſepho Angles in ſuis floribus ad 4. in q. de Beatitudine art.5.dub.1. quæ licet Abul. in d.q.116. ſolum videatur probabilis, mihi tamen, & Suario videtur certa.*

D.Thom. Richard. Sotus. Ouand. Maior. Henricus, Medina. Viguerius. Suar. Scotus. Palatius. Angles. Abulenſ.

§. 3.

Quæ in hac quæſtione ſint certa?

PRo illius tamen maiori explicatione, exponemus, quæ in ea omninò ſint certa. Primò locō dubitari non poteſt beatos poſt reſurrectionem, quandiù in terris cum Chriſto permanſerint in iudicio, antequam cum eo in cœlum aſcendant vſuros eſſe ſenſu auditus: etenim auribus corporis percipient, & audient ſententiam iudicis voce ſenſibili prolatā, vt cum Anſelmo Scholaſtici docent: Iudicium enim illud futurum eſt ſenſibile: vnde omnes ſententiam iudicis voce prolatam, eſſe iuſtiſsimam propria voce confirmabunt. Audient præterea cætera omnia, quæ in illo generali iudicio ſenſibili agentur. ſ. fletum damnatorum, & maximè vlulatum, dum terra eos deglutiente in Infernum deſcendent: audient etiam diuinas laudes, quibus ſancti Chriſtum cum triumpho cœlum aſcendentem, illū comitantes laudabunt. 5. Quæ ſunt certæ.

Nec etiam dubitandū eſt; ſi aliquando beati ad hæc inferiora deſcendēt, familiares collocutiones, quas mutuò exercebūt auditūros: nā & Chriſtus Dñs, quandiu poſt reſurrectionem in terris egit, habuit vſum auditus, mutuis collocutionibus cum diſcipulis conuerſatus: & qui cum eo ſurre- 6. Audient, ſi aliquādo in hæc inferiora deſcēdū

ſurrexerunt, multis apparentes (vt in Euangelio dicitur) cum illis multa familiariter egerunt. Denique & Chriſtum, & beatam Virginem pluribus in terris apparuiſſe, memoriæ proditum eſt; in quibus apparitionibus familiaria colloquia habuiſſe, cum illis, quibus apparebant, nō eſt negandum: nam Chriſtus Pauli vocē audiuit, dùm in via ei apparuit: Paulo enim interroganti: *Quis es tu Domine?* Reſpondit, *Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris*, cum colloquijs ſequentibus.

§. 4.

Quid de beatis in patria iam commorantibus?

7. Quid de beatis poſt aſcenſionem in cœlum? Pars affirmans vera. *Auguſt.*

SOlùm igitur eſt difficultas de beatis poſt reſurrectionem in patria cōmorantibus; an. ſ. ibi vſum auditus habebunt? Nos partem affirmantem, nō tanquam probabilem, ſed vt certam iam affirmauimus: nam illam non obſcurè docuit *Auguſt. lib. 1. Retract. cap. 11.* ſi expēdantur, quæ de numeris corporeis explicat *ex lib. 6. de Muſica*: docet enim numeros corporeos non ſolùm reperiri in vocibus; ſed etiam in ipſo corpore, id eſt, in auditu ſonos percipiente: item in memoria, & recordatione; ac tandem in iudicio ſenſitiuo, quod conſenſu illorum delectatur, diſſonantia verò offenditur. Quæ omnia explicat *in d. libr. 6. à cap. 2. vſque ad 4.* in cuius fine concludit, corpora eò eſſe meliora, quò numeroſiora: animam verò his numeris carendo fieri meliorē; quia ſe auertit à carnalibus ſenſibus, & diuinis ſapientiæ numeris reformatur. Hęc omnia explicans *in d. lib. 1. retract. cap. 11.* ita ait: *Hoc non ſic accipiendum eſt, quaſi nō ſint futuri numeri corporales in corporibus incorruptibilibus, & ſpiritualibus; cum multò ſpecioſiora, & decentiora futura ſint, aut anima eos ſenſura non ſit, quādo erit optima: quemadmodum hic eis carendo fit melior: hic enim opus habet auertere ſe à carnalibus ſenſibus ad intelligibilia capienda; quia infirma eſt, & minus idonea vtrſque ſimul adhibere intentionem ſuam. Et in his corporalibus nūc illecebra cauenda eſt, quando anima allici ad delectationem turpem poteſt: tunc autem tàm firma erit, & perfecta, vt numeris corporalibus non auertatur à contemplatione ſapientiæ; & ita eos ſentiat, vt non alliciatur ab eis.* (*Auguſt.*) Hæc Auguſtinus; quibus verbis nihil poteſt dici clarius, ſuppoſito, quod in d. lib. 6. de Muſica per numeros corporeos intellexit vocales numeros in voce, & auditu, exiſtentes. Eandem ſententiam cōfirmat idem Auguſtinus *in lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 30. poſt principium*, dùm ait: *Omnes quippè illi, de quibus iam ſum locutus* (ſcilicet cap. 24.) *qui nunc latent armoniæ corporalis numeri, non latebunt intrinſecus, & extrinſecus per corporis cuncta diſpoſiti.* (*Auguſt.*) Sed clariùs id docuit idem Auguſt. in lib. Meditationum cap. 29. tom. 9. vbi deſcribens gaudia cœleſtis paradyſi, ita ait: (*Auguſt.*) *Nouas ſemper armonias, vox meloda concrepat, & in iubilum prolata mulcent aures, organa digna, per quem ſunt victores, reģ dant præconia.* Accedat D. Petrus Damianus *epiſt. 3. ad Blancam Comitiſſam c. 15. in fine tom. 3. Bibliotecæ Patrum ſecundæ editionis*, (*Petrus Damian.*) ita inquiens: *Illic beatorum aures armonicæ dulcedinis melodia permulcet*, D. etiam Petrus Abbas Collenſis *in tract. de panibus c. 7. in fine tom. 9. eiuſdem Bibliotecæ*, ita inquit: (*Abbas Collenſis.*) *In ore habitantium ſemper laus. Alleluya: quid aures, niſi laudes Dei, audient?* Adde Laurentium Iuſtinianum *in lib. de diſciplina, & perfectione monaſticæ conuerſationis c. 23.* vbi delitias ſingulorum ſenſuum percurrens, ita ait: (*Laurent. Iuſtinian.*) *Melodica cantica ciuium ſupernorum non mediocriter mulcebunt auditum.* Adde illud Eccleſiæ: *Clara ſonant iugiter organa Sanctorum*, de qua authoritate Viguerius. (*Canticum Eccleſiæ.*) 8.

1. ratio. Ratione id ipſum facilè oſtendi poteſt: quoniam certum eſt in patria futuras eſſe vocales Dei laudes, & familiares ſanctorum collocutiones, vt inferiùs oſtendemus. Erit igitur ibi ſenſibilis auditio: tùm; quia vox, & locutio humana, cum ſit quidam ſonus, eſt proprium obiectum auditus. 2. ratio. Tùm ſecundò; quia fruſtra eſſet ibi locutio, niſi eſſet illius auditio: loquimur enim non nobis, ſed alijs, quibus animi ſenſa ſenſibiliter explicamus: vnde, qui ab ortu ſurdi ſunt; etiam ſunt muti, nec ſermonem poſſunt efformare, quem nunquam audierunt, vt patet ex *Conimbricenſibus 2. de Anima cap. 8. q. 4. art. 1. in principio.* (*Conimbr.*) Præterea in patria ideò manebit locutio, vt per eam detur inter beatos humana, ac politica ſocietas, quæ poſita eſt in mutua, ac ſenſibili familiaritate: 3. ratio. familiaritas autem ſenſibilis per ſe includit, & communicationem conceptuum, ex-

preſsione vocũm, & eorundem perceptionem vocum auditione.

9. 4. ratio. Adde, quòd ſicut decet, vt beati Dei laudes perenniter linguis corporis efferant; ita etiam eſt conueniens, vt omnes laudes diuinas auditu percipiant: maximè cum non omnes ſimul; ſed aut ſinguli, aut per turmas alternis vicibus, & choris diuinas laudes decantent; vt ita diuina laudatio ſine requie in cœlo permaneat; iuxta illud Apocalypſis 4: *Requiem non habebant die, ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, & cætera.* Adde etiam, quæ de muſicis numeris ad mouendos animi affectus latè tradunt authores, de quibus *Conimbricenſes 2. de Anima c.8.q.4. art.1. in principio, & Maior in 4. diſt. 49. q.14. concl.4.* Præterea cum auditus ſit ſenſus diſciplinæ ex *Ariſtotele c.1. de ſenſu; & ſenſibili,* licet illo non neceſſario beati indigeant, vt doceantur: decet tamen, vt in patria etiam per illum doceantur plura ab alijs ſenſibiliter accipiendo. *Apoc. 4.*

10. Vltima ratio. Poſtremò; cum auditus poſt viſum dignitate excellat cæteros ſenſus; decet, vt in patria non ſolùm habeat ſuam vltimatam perfectionem, quę in actu ſecundo ponitur; ſed etiam eam habeat perfectiſsimã diuinas harmonias perpetuò audiendo: nec parùm perfectionis accedet beatis, ſi Chriſtum Dominum ſæpè cum ſingulis corporaliter loquentem audierint, aut familiariter tractauerint: vt omittamus familiarem cum Deipara Virgine, cæteriſque beatis ſocietatem, quæ beatitudinis accidentalis erit cumulus, atque conſummatio perfecta.

11. Ad argum. oppoſitũ. Quæ in oppoſitum ſuprà adduximus, facilem habent ſolutionem: nam in patria nec deerit ſonus, ſaltem vocalis, quia non deerit aer ad edendas voces, vt dicemus: nec deerit medium, per quod talis ſonus ad auditum deferatur, vt in ſequẽti art. dicemus.

ARTICVLVS II.

Quomodò in Patria fiat auditio?

§. I.

Quomodo apud nos auditio fiat?

1. VT in explicanda hac difficultate, diſtinctè procedamus; priùs præmittendum erit, quomodò apud nos in hac vita fiat auditio? de hac enim variæ ſunt inter Philoſophos opiniones: vt videre eſt apud *Conimbricenſes in 2. de Anima c.8.q.2. art. 2. in principio,* in quo etiam loco olim nos plura diximus. *Conimbr.*

Fuerunt, qui putauerint, auditionem naturaliter fieri ſine ſpecie intentionali per multiplicationem ſoni ſecundum eſſe reale vſque ad auditum. Alij ſpeciem quidem intentionalem in ſenſorio auditus receptam admittunt: putant tamen, ſonum auditionem non producere, niſi ſecundum ſuum eſſe reale per totum medium vſque ad auditum deferatur: quæ videtur ſententia *Alberti Magni in ſumma de homine tract. de auditu q. penultima.* Tertio loco hanc ſententiam quidam ita modificant, vt ſonus ſpeciẽ ſui non emittat, niſi priùs per aliquam ſpatij partem ſecundum eſſe reale multiplicetur. Quæ ſententia quibuſdam videtur eſſe *D.Thomæ in 2.diſt.2.q.2.art.2. ad 5.* Poſtremò ſunt, qui putent ſonum, & ſimiles qualitates ſecundas ſe ſe per medium realiter non diffundere; ſed abſque ſui per mediũ extenſione ſpecies intẽtionales ſui emittere, quibus à ſenſu percipiantur: contra quam ſententiam nullam poſſe conuincẽtem rationem adduci, putant Conimbricenſes vbi ſuprà pronunciato ſecũdo. 2. Variæ opiniones. *Albert.* *D. Thom.*

Pro reſolutione conſtituendum eſt cõtra primam ſententiam cum communi Philoſophorum ſine ſpecie intentionali ſoni, quæ ſaltem in ſenſorio auditus recipiatur, nullam dari poſſe auditionem; & fortè nec per potentiam diuinam. Quare admittendum eſt ſonum, ſicut cætera omnia ſenſibilia, ſpeciem ſui intentionalem emittere, qua percipiatur ab auditu, vt benè aduerterunt *Conimbricenſes in d. 2. pronunciato.* 3. Impugnatur 1. ſentẽtia.

Deinde cum iiſdem, eodem in loco cõſtituẽdum eſt, ſonum, cùm primum editur, & ab ea parte, in qua primò recipitur continuò emittere ſpecies intentionales; ſiue ille ſecundum eſſe reale multiplicetur per medium; ſiue non: quod ab iiſdẽ Conimbricenſibus hac ratione ſufficienter cõuincitur; quoniam ſi daretur aliqua pars ſpatij, in qua realiter eſſet ſonus ſine ſpecie; vtique in ea parte ſonus nõ poſſet audiri; quia nullum ſenſibile ſine ſpecie percipitur; iam verò ſonus in nulla parte ſuæ ſphęræ, per quam multiplicatur, non poteſt 4. Cum ſonus editur multiplicantur ſpecies.

poteſt non audiri. Alias plures rationes non contemnendas, vide apud eoſdem Conimbricenſes in citato loco.

5. Coroll. 1. Ex hoc infertur, ad auditionem non eſſe per ſe neceſſarium, vt ſonus ſecundũ ſuum eſſe reale per aliquod medium multiplicetur: cum enim auditio fiat per ſolam immutationem intentionalem ipſius ſoni; vtique ad eam ſatis erit, ſi ſolæ ſpecies ſoni primò editi ad auditũ deferãtur.

6. Corollar. 2. Ex quo rurſus colliges, in quonam ſenſu recipiendæ ſint tres poſtremæ opiniones: ſi enim ſecunda, & tertia opinio ita intelligatur, vt ſonus ſpecies intentionales non emittat; niſi prius vel per totum medium, vel per aliquam illius partem realiter diffundatur; neutra eſt recipienda. At tertia ſententia in eo ſenſu eſt admittenda, ſi dicat ad auditionem per ſe non requiri realem ſoni per aliquam partem ſpatij multiplicationem; non tamen neget, apud nos ſonum realiter multiplicari, ſaltem per aliquam partem ſpatij, vt admittit *D. Thomas in 2. diſt. 2. q. 2. art. 2. ad 5. & cum eo Conimbricenſes in loco citato pronunciato ſecundo.* (*D. Thom. Conimbr.*) Quod ſatis conuincit, tùm mora, quæ ſemper interiacet, antequam ſonus à lõge factus audiatur; tùm etiam ventus, qui, vt docet experientia; auditionem impedit; quanuis hæc non omnino rem conuincant; de quo latiùs alibi.

§. 2.

Referuntur opiniones, quomodò in Patria fiat auditio?

7. In quo ſit difficultas. VTrùm autem in patria naturaliter fiat auditio? & quomodò? non cõuenit inter Theologos: difficultas autem, & ratio dubitandi ſumitur, tùm ex impaſsibilitate corporis glorioſi: tùm ex loco, in quo beati commorantur. Nam propter impaſsibilitatem glorioſi corporis quidam moti fuerunt, vt dicerent, in patria auditionem futuram eſſe non per intus ſuſceptionem, ſed per extramiſsionem. Sed hanc opinionem cum D. Thoma, & communi Theologorum iam reiecimus in quæſtione præcedente: impaſſibilitas enim glorioſi corporis paſsionẽ corruptiuam impedit, non perfectiuam, vt ſuo loco dicemus: iam verò receptio ſpecierum intentionalium non eſt corruptiua, sed perfectiua. (1. opinio non recipitur.)

8. 2. opinio. Inter eos, qui putant ſenſationem in patria futuram eſſe per ſuſceptionem ſpecierum ſenſibilium; fuerunt nõnulli, qui exiſtimarunt, in patria naturalem ordinem immutandi ſenſus commutandum eſſe: quia nunc ſenſus interni recipiunt ſpecies obiectorum ſenſibilium à ſenſib⁹ externis: tunc autem externi ſenſus ab internis recipient ſpecies obiectorũ externorum; non verò ab ipſis obiectis. Vtrùm autem id futurum ſit naturali, an ſupernaturali modo? non explicant: ſicut etiam non explicant cauſam, cur naturalis ille ordo in patria ſit commutandus: fortè nullum medium agnoſcebant, per quod obiecta ſuas ſpecies ad auditũ trãſmitterent. Sed hanc etiam opinionem in præcedenti quæſtione cum D. Thoma, & alijs reiecimus. (Non recipitur.) Et præter argumenta ibidem adducta, hoc etiam poteſt afferri; quoniam cum ſpecies ſenſuum internorum ſint abſtractiuæ, non poſſunt immutare ſenſus externos ad externam, & intuitiuam obiecti ſenſationem. Addere poſſumus, quia in patria plura occurrent obiecta, quorum ſpecies ſenſus interni non retineant.

§. 3.

Quid dicendum ſit, ſi Sancti futuri ſint ſupra conuexum cœli empyrei?

9. SVppoſita vera ſententia, quòd in patria auditio fiat, per receptionẽ ſpecierum vocis, & ſoni, qui eſt naturalis audiendi modus; iam ſe ſe offert difficultas; quomodò fiat auditio, ſi in patria non datur aer, ex cuius colliſione, & in ore fit vox, & in corporibus reſultat ſonus? Hanc difficultatem priùs diſſoluemus apud eos, qui ponunt beatos in conuexo cœli empyrei; deinde apud illos, qui eos ponunt penetratiuè intra ipſum empyreum cœlum.

10. Quid ſi ſancti ſunt ſupra conuexum cœli empyrei? Quod igitur attinet ad eos, qui volunt beatorum habitationem futuram eſſe ſupra conuexum cœli empyrei; illi in ea ſunt opinione, vt dicant, auditionem in patria futuram quidem eſſe; modò tamen non naturali, ſed ſupernaturali: hunc tamen ſupernaturalem modum non omnes vno modo explicant, ſed varijs. Quidam volunt auditionem ſine ſpeciebus tunc eſſe eliciendam, ſupplente Deo ſpecierum concurſum. Alij ſpecies quidem admit-

admittunt; non tamen ab obiecto, ſed à ſolo Deo in ipſo auditu immediatè productas. Quidam exiſtimant, ſpecies quidem ab obiectis eſſe producendas, idque per medium vſque ad auditum; Deo tamen eas ſine ſubiecto ſupernaturaliter cõſeruante. Poſtremò quidam putant, obiecta ſupernaturaliter eſſe eleuanda, vt in auditum diſtantẽ ſpecies immediatè producant.

Variæ opiniones.

11. Non admittuntur.

Sed nos in præcedente quæſtione nec probauimus eos, qui putant, ſenſationem in patria futuram eſſe, aut ſine ſpeciebus: aut cum illis ab obiecto non productis: nec ſimiliter admiſimus Medinam, qui docet obiecta per medium vacuum ſuas ſpecies eſſe diffuſura, Deo ſpecies illas cõſeruante ſine ſubiecto. Admiſimus verò vltimam ſententiam, tanquam longè cæteris probabiliorem, & omnino tenendã, ſuppoſita opinione, quòd beati habitant ſupra conuexum cœli empyrei. Vide, quæ diximus in præcedente quæſtione art. 2. §. 6. *de ſpeciebus viſibilibus*; & omnia audibilibus ſpeciebus accõmodabis. Quã noſtram ſententiam probauit *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 2. pag. 900. col. 1.* vbi etiam aduertit id, quod nos aliquando etiam aduertimus; ſcilicet poſſe ſpeciẽ ſoni, ſiue vocis ad auditum deferri, non quidem per lineam rectam; ſed per media corpora beatorum loquentium, atque per cœlum ipſum empyreum, quod pedibus beati contingunt; & tandẽ per corpora beatorum audientium. Qui modus dicendi, etſi eſt poſsibilis, non tamen eſt decens; quia eſt ſatis imperfectus. Et hæc pro illorum opinione, qui putant, habitationem beatorum futuram eſſe in conuexo cœli empyrei.

12. Reſolutio.

§. 4.

Quid dicendum, ſi beatorum corpora penetratiuè ſunt intra corpus cœli empyrei?

13. Quid ſi ſancti ſunt penetratiue in cœlo empyreo?

Sed quia in præcedente quæſtione oſtendimus, opinionem, quæ Sanctorum habitationẽ penetratiuè collocat intra ipſum cœlum empyreum, longè eſſe veriorem: ideò propoſita difficultas conſentaneè ad hanc ſententiam eſt à nobis quàm diligentiſsimè explicãda: varij enim ſunt apud authores huius opinionis modi dicendi.

Primus eſt eorum, qui putant, in patria formãdas quidem eſſe voces, & vſq; ad auditum diffundendas per ſolas ſpecies intentionales; modis tamen nobis occultis. Et hæc fuit opinio *Soti in 4. diſtin. 49. q. 4. art. 5. ad finem quartæ concluſionis.* Ad eam proximè accedit opinio *Henrici de Gandauo quodlib. 7. q. 7. in fine.* Vbi ait, voces beatorum ab ipſis beatorum inſtrumentis miraculoſè (modo tamen nobis occulto) & efformari, & ad auditum deferri. Nec longè abeſt ab hoc dicendi modo opinio *Richardi in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. ad 7.* dùm ait, voces in patria in medio efformari; modo tamen quodam immateriali. Ad eãdem etiam accedit Maior ibidem q. 14. dùm aſſerit, Deum ſe ſolo formaturum eſſe ſenſibiles voces ſine aere, aliavè materia. ¶ Hæc tamen ſententia indigna eſt, quæ recipiatur; cum ad modos ſupernaturales, & occultos ſine fundamento, & neceſsitate confugiat; cum tamen ratio naturalis ſuppetat, ad ſuſtinẽdam naturalem vocis efformationem, transferendamque vſque ad auditum, vt ex dicendis patebit. Vnde *D. Thomas tùm in 2. diſt. 2. q. 2. art. 2. ad 5. tùm etiam in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3.* non recurrit ad miraculum; ſed naturali modo auditionem tũc eſſe futuram ſatis inſinuat.

14. Primus modus dicendi. Sotus. Henric. Richard. Non recipitur. D. Thom.

Secundus dicendi modus fuit eorum, qui intra ipſum cœlum empyreum fingunt magnas quaſdam cauitates aere plenas; & volunt beatos in illis habitaturos eſſe; & ideò in eo loco auditionem futuram eſſe eodem prorſus modo, quo nunc fit. ¶ Sed has cauitates fingere fictitium eſt, vt benè aduertit *Henricus in d. quodl. 7. q. 7. & latè eas impugnat Abulenſis parad. 5. c. 190. & 191.* Sicut etiam fictitium eſt id, quod fingit *Ioannes Maior in 4. diſt. 49. q. 14. in argum. contra quartam concluſionem* affirmans, in cœlo empyreo eſſe aerem ſimul, & penetratiuè cum eodem cœlo. Conſtat autem vtrunque dicendi modum eſſe paradoxum.

15. 2. modus dicendi. Improbatur. Henric. Abulen. Maior.

Tertius modus dicendi pleriſque antiquorum arriſit, qui volunt, materiam, ex qua beati formant voces, non eſſe aerem internum in corporibus manentem; ſed eſſe cœlum ipſum empyreum, quod ad vocalem arteriam repercuſſum, & lingua, dentibusque dearticulatum, & exterius motum reddit vocem, & eam defert ad

16. Tertius modus dicendi.

ad auditum; nõ ſecus atque aer. Quæ ſen-
tentia, teſte Maiore probata fuit cuidam
Mildelt. *Mildeltono, nec diſplicet D. Thomæ in 2.*
D. Thom. *diſt. 2, q. 2. art. 2. ad 5. in ſecunda ſolutione,*
Richard. *nec Richardo in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. ad 7.*
Medina, *nec eam reijcit Medina 1. 2. q. 3. art. 3. ad ar-*
gum. contra auditum in fine commenti. Si
verò inquiras; qua ratione cœlum empy
Obiectio. reum in ſe incorruptibile poſsit ad voca-
lem arteriam confringi, & repercuti, vt
ſecundum aliquas ſuas partes moueatur?
Reſpondent, cœlum empyreum, licet ſit
Solutio. incorruptibile, eſſe tamen diuiſibile, poſ-
ſeque proinde lingua, cæteriſque vocali-
bus inſtrumentis diuidi, & rurſus reuni-
ri; non ſecus atque aer, & aqua diuiſa re-
uniuntur: quod nequaquam cedit in il-
lius ignobilitatem, cùm non ſcindatur,
niſi à lingua corporis glorioſi, & vt ſit ma
teria diuinarum laudum. Nec hoc eſſe mi
rum; quia ex doctrina Mathematicorũ
inter duas ſphæras datur cœleſte corpus
diuiſibile, per quod planetæ motu epiſi-
cli moueantur: ita *D. Thomas, quod Richar*
D. Thom. *dus etiam confirmat authoritate Auguſtini*
Richard. *lib. 2. de Geneſi ad literam parum vltra me-*
Auguſt. *dium.* ¶ Porrò ſi non placet hęc cœli em-
pyrei diuiſibilitas; occurrit Richard. af-
firmans, in cœlo empyreo admittendum
eſſe modum quendam tremoris, ſiue po-
tiùs fluctuationis, quo in eodem loco ſe-
cundas ſuas partes fluat, & refluat; ratio-
ne cuius à beatis poteſt & inſpirari, & re-
ſpirari, non ſecus ac aer. Quæ ſententia
confirmari poteſt: quoniam à Ptolomeo,
& poſterioribus aſtrologis (quorum ſen-
tentia in ſcholis eſt communis) deprehẽ-
ſus eſt in cœlo motus acceſſus, & receſ-
ſus octauæ ſphæræ proprius, quem ap-
pellant motum trepidationis. Quare mo
tus fluxus, & refluxus non videtur re-
pugnare corpori cœleſti; & ſubinde nec
cœlo empyreo. Accedat etiam eorũ ſen-
tentia, qui admittunt dari cœlum aqueũ
conſtans ex vera natura aquæ ſupra cœ-
lum ſydereum collocatum.

17. Non admittitur. Hæc tamen ſententia non eſt admit-
tenda; quia naturalis diuiſio cœli empy-
rei non benè conſtat cum illius naturali
incorruptibilitate: diuiſio enim aliqualis
eſt corruptio, vt benè annotauit *Sotus lo-*
co citato: ob quam rationem Philoſophi
Sotus. corporibus cœleſtibus eam tribuunt in-
corruptibilitatẽ, quę excludat naturalem
illius diuiſionem; quaſi ſupponant incor-
ruptionem corporis cœleſtis cum natu-
rali illius diuiſibilitate non benè conſta-
re: & ideò docent, diuiſibilitatem, quę eſt
paſsio quantitatis, conuenire cœlo per ſo
lam non repugnãtiam, quatenus eſt quã-
tum; quamuis illi repugnet quatenus eſt
tale quantum. Et meritò, quia cœleſti
corpori ex ſua natura cõuenit omnimo- Confirmatur.
da ſoliditas, quæ naturali diuiſibilitati re-
pugnat. Quod ſatis colligitur ex verbis
Iob. 37: *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœ-* *Iob.* 37.
los, qui ſolidiſsimi, quaſi ære fuſi ſunt, & 2.
Paralypom. 6. cœlum dicitur firmiſsimũ
Dei habitaculum, & ideò Geneſis 1. ap-
pellatur firmamentum, propter illius ſo-
liditatem, & firmitudinem, qua nulli cor-
pori cedit. Ob hanc etiam rationem, quã-
do in ſacris literis cœli aſſeruntur aperti
(vt Geneſis 7. & 11. Ezechielis 1. Matth. *Gen.* 7. 11.
3. Actorum 7. & paſsim alibi) id non in-
telligitur de reali apertione; ſed de ima-
ginaria, vt patet ex D. Hieronymo in c.
1. Ezechielis, & Matthæi 3. & ex au-
thore operis imperfecti apud *Chryſoſto-*
mum homil. 4. & ex Beda, & alijs, ne cor- *Chryſoſt.*
poris cœleſtis ſoliditas ſine neceſsitate ad *Beda.*
mittatur violata. Nec admittenda eſt il-
lorum aſtrologorum doctrina; quæ pro
D. Thoma citatur. Quomodo autem fiat
motus epicicli? ad hunc locum explicare
non pertinet.

Ex ſoliditate corporis cœleſtis etiam 18.
infertur, non eſſe admittendam in cœlo Non admittitur Rich.
empyreo fluctuationem, quam fingit Ri
chardus: cui nihil fauet motus trepida-
tionis; acceſſus inquam, & receſſus, qui
octauæ ſphæræ fuit inuentus à Ptholeme-
meo; quia ille motus optimè conſtat cũ
ſoliditate eiuſdem ſphæræ; quia non cõ-
ſiſtit in fluxu, & refluxu partium, ſed
totius ſphæræ. Porrò cœlum aqueum ex
vera natura aquæ conſtans, vel non eſt
admittendum, vt verior Theologorum
habet ſententia: vel ſi cum pleriſque Pa-
trum admittatur; admittendum eſt cum
vera & perfecta ſoliditate, vt omnes il-
lius ſententiæ authores affirmant. ¶ Igi-
tur hic tertius dicendi modus communi-
ter reijcitur, vt patet ex *Abulenſi, Soto,*
Suario, cæteriſque recentioribus; quem mul-
tis improbat Ioannes Maior in 4. diſtin.
49. q. 14. ad argum. contra quartam con-
cluſionem.

Quar-

19. 4. modus di cendi. *Henric.* Quartus adhuc eſt dicendi modus, qui placuit *Henrico in d. quodlib. 7. q. 7.* qui putat, in patria voces efformādas eſſe in ore beatorum ex ſolo tranſitu linguæ, cæterorumq; inſtrumentorum vocalium per partes cœli empyrei, abſque aut illius, aut alterius corporis refractione: efformatas verò multiplicari vſque ad auditum: nam & corpora cœleſtia ex ſolo ſuo contactu, & motu rapidiſsimo, abſque vllius corporis refractione, aut colliſione concentum edunt ſuauiſsimum, iuxta ſententiā *Cicero. Philo Iud. Ambr. Anſelm.* *Pythagoræ, & Platonis; quam non ſolùm Cicero, alijq́; ex antiquis probauere; ſed etiam Philo Iudæus in lib. de ſomnijs, & D. Ambroſius in præfatione ad Pſalmos, & D. Anſelmus in lib. de imagine mundi, & ſatis videtur probare Laurentius Iuſtinianus in lib.* *Laurent. Iuſtinian. Iob. 38.* *de diſciplina, & perfectione cōuerſationis monaſticæ c. 23. in fine*: quibus fauere videntur verba Iob 38: *Concentum cœli quis dormire faciet?*

20. Non recipi tur. Sed etiam iſte dicendi modus reijciēdus eſt; quia conſtat ex trita, ac vulgari Philoſophia ſine aeris colliſione non dari vocem animalis, ne dùm hominis, vt docuit *Ariſtot. in 2. de Anima cap. 8. tex. 88.* *Ariſtot.* *cum ſequentibus*: in quo omnes Philoſophi conueniunt, vt videre eſt apud Conimbricenſes ibidem q. 3. art. 2. Quin potiùs dari non poteſt ſonus ſine alicuius corporis colliſsione, vt patet ex eodem *Ariſt. Conimbr.* *Ariſt. in d. c. 8. per totum, & ex Conimbricenſibus in eodem loco q. 1.* Quin potiùs fortè vera eſt opinio Philoponi, Alberti Magni, D. Thomæ, & Ægidij ſolam aeris colliſionem ſonum edere: quare non ſatis erit tranſitus linguæ beatæ, aliorumque inſtrumentorum vocalium, per partes cœli empyrei, ad edendum, aut vocem, aut alium ſonum. Nec admittendus eſt Concentus cœlorū nō admittitur. *Ariſt.* concentus ille ſonorum, quem in cœlo fingit Pythagoras, vt multis demonſtrat *Ariſtoteles 2. de cœlo c. 9.* vbi idem docent omnes illius interpretes cum *Conimbricēſibus ibidem q. 1. art. 2*: quem etiam concentum, tanquam veterum impoſtūram impugnat *Baſilius homil. 1. in Exameron*: eſſeque rationibus parum firmis à Pytha*Baſilius. Ambr. Iob. 38. explicatur.* gora conſtitutum, docet *D. Ambroſius lib. 2. Exameron c. 2*, Nec locus *Iob. 38.* citatus aliquid iuuat; quia intelligendus eſt de concentu mundano, qui poſitus eſt in optimo mundi ordine, atque ſtructura, quem ordinem nulla vis creata poteſt, aut inuertere, aut immutare. Vide D. Hieronymum, & cæteros Patres in eodem loco.

His igitur, & alijs explicandi modis reiectis; ille dicendi modus eſt omnino 21. Verus dicē di modus. probandus, qui admittit veram, ac realem vocem naturaliter efformari in ore beatorum, ex aeris repercuſsione ad vocalem arteriam, vt inferiùs dicemus in quæſtione de locutione beatorum: quæ in ore realiter efformata per cœleſte corpus nō realiter, ſed ſecundum eſſe intentionale vſque ad auditum naturaliter diffunditur: etenim cœleſte corpus eſt medium ſatis accommodatum ad ſpecies illas intentionales recipiendas in ſe, & deferendas ad ſenſorium: quanuis Ariſtot. huius medij non meminerit; quia nec hanc beatorum ſedem agnouit. Quæ explicandi ratio & facilis eſt, & naturalem audiendi modum conſeruat: vnde ab omnibus recentioribus Theologis, vno cōſenſu probatur, vt patet ex *Soto, & Suario, Medina,* *Sotus. Suarius. Medina. Viguerius Conimbr. D. Thom. Richard. Abulen.* *& Viguerio locis citatis, Conimbricenſibus 2. de Anima c. 8 q. 2. art. 2. ad 4. in fine articuli: probauit D. Thomas in 2. diſt. 2. q. 2. ar. 2. ad 5. in 1. ſolut. & in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. ad 4. nec diſplicet Richardo in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. ad 7. in 1. ſolutione, nec Abulenſi in c. 17. Matthæi q. 116. ad 4. lit. P.*

ARTICVLVS III.

An auditio fiat in quacunque diſtantia?

IN hac quæſtione ratio dubitandi ſumitur ex ſententia illorum, qui pu- 1. Ratio dubitandi. tant, patriam in conuexo cœli empyrei collocatam eſſe; & proinde auditionē non fieri, niſi modo ſupernaturali, Deo. ſ. eleuante obiectum, vt immediatè agat in auditum diſtantem: cum verò hæc eleuatio ſit ſupernaturalis, ad nullam diſtātiam erit determinata.

2. Vera reſolutio. Dicendum tamen eſt, ſiue patria, & beatorum habitatio ponatur ſupra conuexum cœli empyrei, ſiue intra ipſum cœlum empyreum; auditionem in beatis non fieri in quacunque diſtantia; ſed in certa, ac determinata. Pro cuius maiori explicatione ſupponendum eſt, auditum beati, licet in ſuo genere ſit omnium [illegible]æ ſtantiſsimus [illegible] vt vide[illegible]

etiam animantia excedat, à quibus in vita excedebatur; habere vim, & acrimoniã audiendi finitã, & ſubinde, ſi naturæ ſuæ relinquatur, vendicare ſibi ſphæram audiendi limitatam, & circunſcriptam: id, quod de viſu beato iam latè oſtendimus ſuprà q.6.art.3.

3. Corollar.

Ex quo inferes; ſi patria, & beatorum habitatio intra cœlum empyreum collocetur; ita vt auditio fiat naturaliter, dubitari non poſſe, quin vis audiendi in beatis certa audiendi ſphæra ſit circunſcripta; cũ ibi auditio, tùm ex parte obiecti, tùm ex parte potentiæ naturaliter fiat: iam verò quæcunque vis actiua creata certam habet ſphæram ſuæ actiuitatis, vltra quã agere non poteſt, vt in d.q.6.artic.3. demonſtrauimus.

4. Hæc ſphæra eſt maxima naturaliter.

Hæc autẽ audiendi ſphæra erit maxima, in qua auditio naturaliter poteſt fieri; quia & ipſa audiẽdi vis eſt omniũ audituũ maxima, & perfectiſsima: erit tamẽ lõgè minor, quàm ſphæra viſus; quia ſpecies audibilis magis ſunt materiales, quàm ſpecies viſibiles, de quo vide D.Thom.1.p. q.78.ar.3.& Conimbr.2. de Anima c.9. q.5.ar.1. in princip. Cui argumento eſt, quòd color nunquã realiter immutat medium, ſed ſolum intentionaliter: cũ tamen ſonꝰ apud nos nõ intẽtionaliter tantũ; ſed etiã realiter per aliquod medij ſpatiũ diffundatur. Et inde fit, vt ſpecies audibiles nõ in inſtanti, ſed in tẽpore ad auditũ deferantur: propinquiores enim prius tẽpore ſonũ audiunt, quàm ij, qui longiùs diſtant, vt docet *Ariſt. in lib. de ſenſu. & ſenſato c.7.* Flante etiã vento in aliã partẽ, ſoni in minori diſtantia audiuntur: cum tamen ſpecies viſibiles momento ad oculos traijcientur, nec impediantur vento in contrariam partem ſpirante: quæ omnia ex maiori materialitate ſpecierũ audibiliũ proueniunt, vt rectè aduerterunt *Conimbricenſes in 2. de Anima cap. 8. q.1. art.2. ad finem in ſolutione ad 1. & 2.*

Ariſtot.

Conimbr.

5. Erit etiam limitata, ſi beati ſunt ſupra conuexum cœli empyrei.

Non eſt etiã deneganda ſphæræ limitatio, & circũſcriptio, quanuis beati ſupra conuexum cœli empyrei habitent: quia licet auditus beati ab obiecto diſtanti ſupernaturaliter eleuato immediatè moueatur, iuxta probabiliorem ſentẽtiam, quã probauimus: & in ordine ad diuinam potentiam nulla poſsit dari certa, & determinata audiendi ſphæra; quia tamen ad ſtatũ beatorum non pertineat ex quacũq; diſtantia audire; ideò ſtatuit Deus cũ obiecto audibili non concurrere, niſi intra naturalẽ audiendi ſphæram contineatur: quod etiam de ſphæra viſus cum Suario probabilius diximus ſuprà *q.6. art. 3. §. 3.* quanuis *Baſſolius de hoc dubitet.* Ibidem etiam cum eodem Suario probabile exiſtimauimus hanc legem cum Chriſto Domino nõ obſeruari; ſed poſſe ad quancũq; diſtantiam, & ſonos, & voces audire.

Suarius. Baſſolius.

ARTICVLVS IIII.

Quænam in patria audiantur? & an auditio ſemper fiat?

1. Audientur voces, quibus Deus à beatis laudatur.

IN patria audiri debent beatorum voces, quibus, vel Deum laudabunt; vel inter ſe mutuo colloquentur. Audiẽdus etiam foret Pythagoricus cœlorum concentus, ſi ille daretur: vnde Laurẽtius Iuſtinianus in *lib. de diſciplina, & perfectione monaſticæ conuerſationis c.23. ad finẽ* docet, cœlorum armoniam eſſe ibi audiẽdam: porrò talem concentũ non dari iam ſuperiùs oſtendimus; vnde non eſt, quòd dicamus, illum audiendum fore. Igitur præter voces beatorũ nullus ibi audietur ſonus in patria factus: cum enim nullum ibi erit corpus, quod collidi poſsit; nullus alius in patria fiet ſonꝰ, qui audiri valeat, niſi vocalis locutio. Non audient tamen beati voces damnatorum, quę in inferno dabũtur: nec item ſonos, qui in terra fiẽt: ſunt enim extra naturalẽ audiendi ſphæram. Vtrûm verò tonitrua ibi audiant, quæ in media aeris regione fiunt? nec affirmare audeo, nec negare.

Præter voces beatorũ nullus erit ibi ſonus?

An tonitrua ibi audiantur?

2. An ſemper futuri ſint in actu audiendi? Suarius negat. Oppoſitũ probabile. *Apoc.4.*

Vtrùm verò beati ſemper futuri ſint in actu audiendi? Reſpondet *Suarius 2. tom. ad 3.p. diſp.47. ſect. 2. ad finem* huius rei nullam dari neceſsitatem; cum neceſſe non ſit, vt aliqui beatorum ſemper loquantur, aut canant. Crederem tamen in patria nullo vnquam tẽpore diuinas laudes defuturas, iuxta illud Apocalypſis 4: *Requiem non habebant die, ac nocte dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & cætera*: alternis enim choris beati perpetuò diuinas laudes celebrabunt. Hanc tamen perpetuitatem puto eſſe intelligendam non more philoſophico, ſed moraliter.

QVÆSTIO VIII.

De Odoratu.

POſt auditum ordine dignitatis cõſequitur ſenſus odoratus: de quo vnicum tantùm excitabimus articulum; an ſcilicet ſenſus odoratus in patria ſit futurus? etenim ex ſolutione obiectionum, quæ contra partem affirmantem, & veram fiunt, ſatis patebit, quomodò in patria odoratus fiat?

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm in patria futurus ſit ſenſus odoratus?

§. 1.

Refertur pars negans cum argumentis.

1. Pars negãs. NOn omnes admittunt, in patria futurum eſſe vſum odoratus: quin potiùs quidam eum expreſſè negant, teſte *D. Thoma in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiun. 4*: quorum ſententiam probauit *D. Bonauentura in 4. diſt. 49. art. 3. q. 1. n. 42.* Alij rem ſub dubio pro vtraq; parte probabilem relinquunt, quæ fuit ſententia *Abulenſis in cap. 17. Matthæi q. 116. litera D.* (D. Thom. D. Bonau. Abulenſis dubium.)

2. 1. arg. negãtis. Hæc negans opinio his argumentis cõfirmari poteſt primò; quia odor non datur, niſi in corpore miſto, teſte *Ariſtotele lib. de ſenſu, & ſenſibilic. 5.* docent Philoſophi *in 2. de Anima c. 9. cum Plinio lib. 15. naturalis hiſtoriæ c. 27.* Iam verò in patria nullum datur corpus miſtum, niſi corpus humanum, quod non eſt odorabile, vt patet experientia. (Ariſt. Plinius.)

3. 2. ratio. Quid ſit odor? Ne verò cum quibuſdam recurras ad corpus glorioſum; ſecundo loco id ipſum oſtenditur: quoniam odor vel eſt exhalatio corporis odorati, vt olim placuit *Heraclito, Platoni, Theophraſtro, Galeno, Auicennæ, Alfarabio, Damaſceno, & pluribus alijs, quos referunt Conimbricenſes 2. de Anima cap. 9: q. 1. art. 1. in principio*: vel ſi eſt qualitas odoratu ſenſibilis, vt verio habet opinio *Alberti, Ianduni, & Marcelli, quos probant Conimbricenſes in d. q. 1. art. 2.* illa qualitas ſine exhalatione non datur, vt probant *Anicen. lib. 6. natur. quæſt. 2 p. cap. 5. Galenus lib. 4. de ſimpl. medicam. facultatibus c. 21. Fernelius lib. 6. Phyſiologiæ c. 1. & fuit ſententia Alberti Magni in ſumma de homine in quæſtione, vtrum odor ſit qualitas art. 3.* At in corpore glorioſo nõ poteſt dari aliqua exhalatio fumea: cum enim hæc exhalatio ſit quædam ſubſtãtia, dari non poteſt ſine aliqua corporis reſolutione, quæ abſque corruptione corporis non conſtat. (Conimbr. Anicen. Galenus. Fernelius. Albert.)

Confirmatur hæc ratio ex vulgata diffinitione odoris: eſt enim qualitas ex primarum qualitatum comiſtione reſultãs, dominante ſiccitate, calore humidum decoquente; & excitante: de qua diffinitione ex mente Ariſtotelis deſumpta multa ſcribunt *Conimbr. in 2. dè Anima c. 9. q. 2. art. 1.* vbi concludunt, odorem non dari, niſi accedat vis caloris, quę humidũ quaſi diluat, & extenuet: quod multis poteſt experientijs confirmari, quas ibidem afferunt. At quis dicet, corpora beatorum incorruptibilia vi caloris dilui, & extenuari? Id enim illorum impaſsibilitati, & ſtabilitati repugnat. Non eſt igitur, quod quis dicat, corpora beatorum ex ſe ſuauiſsimum emittere odorem. Cum verô in patria nullum aliud ſit corpus miſtum, quod ſolum eſt ſubiectum adæquatum odoris; neceſſariò concedendum erit, in patria nullum dari corpus odorabile; & per conſequens nullum ibi dari odorem, quod eſt obiectum olfatus. 4. Confirmatur. (Conimb.)

Tertiò; vt in cœlo admitteretur aliquis odor; tamen ille à beatis percipi non poſſet: etenim ex cõmuni Philoſophorum, & Medicorũ ſententia olfatio ſine reſpiratione non datur, vt videre eſt apud *Conimbr. in d. lib. 2. de Anima c. 9. q. 4. art. 2. pag. 233. ad finẽ cũ ſequentibus*: *quod docuit Ariſt. ibidẽ tex. 98.* & ſatis indicat operculum, quo organũ olfatus tegitur: quod ipſum, niſi reſpiratione erigatur, olfatio nulla erit. Vnde inter multiplicem vſum, & cõmoditatem, quam inſpiratio affert olfatui; hęc eſt præcipua, quod remouet operculũ, vt odor percipi valeat. Iã verô beati poſt reſurrectionẽ nõ reſpirabũt, vt ſuo loco dicemus: quomodo igitur olfacient? 5. 3. ratio. (Conimbr. Ariſt.)

Accedit quartò; quoniã in patria non datur medium, quo ſpecies odorabiles ad ôlfatũ deferantur: nam ſi beati ſupra cœli empyrei conuexũ habitant, inter eos nullũ datur ſpatium plenũ, ſed vacuũ: ſi vérô intra ipſum cœlũ empyreũ cõmorãtur; ibi nec datur aer, nec aqua, quæ ſola ſunt duo media odorãdi ex *Ariſt. 2. de Ani. c. 9. text.* 6. 4. ratio. (Ariſt.)

tex. 97. & lib. 4. de hiſtoria animalium c. 8.

7. Vltima ratio. Poſtremò; operatio huius ſenſus nõ eſt data homini ad cognitionem, & philoſophiam, vt ex Themiſtio quidam referũt; ſed ad vitam conſeruandã: vnde odoratio ſecundùm ſe non eſt ordinata ad animæ perfectionẽ, ſed ad vitę conſeruationem: ordinatur enim in homine; primò, ad diſtinguenda noxia alimenta à ſalutaribus: ſecundò; ad corroborationẽ cerebri: tertiò; ad refectionem cordis, de quibus vtilitatibus latè agunt *Auic. in lib. de viribus cordis tract. 1. c. 9. Hippocrates in lib. de alimentis, Galenus de vtilitate reſpirandi c. 5. & lib. 7. de vſu partium, cum Conciliatore different. 155. ex quibus id docuerunt Conimbricenſes in d. lib. 2. de Anima c. 9. q. 5. ar. 1. ad finem.* Cum igitur operatio huius ſenſus ſolùm deſeruiat ad vitæ animalis cõſeruationem: non erit neceſſaria in patria cœleſti, vbi corpora non ſunt futura animalia; ſed ſpiritualia; nec ad ſui conſeruationem aliquo indigent extrinſeco.

Auic. Hippocr. Galenus. Conciliat. Conimbr.

§. 2.

Pars affirmans eſt tenenda.

8. Affirmatiua vera. HIs tamen non obſtantibus, pars affirmatiua, ſicut communior eſt; ita cenſenda eſt longè verior: eam probant *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. in corp. & ad 3. Richardus in 4. diſt. 49. artic. 4. q. 3. in corp. & ad 6. Maior ibidem q. 14. concl. 3. & diſt. 50. q. vltim. §. Ad vltimam libri dubitationem, Sotus in d. diſt. 49. q. 4. art. 5. concl. 5. ſatis Ouandus pro poſ. vlt. Medina 1. 2. q. 3. art. 3. in ſolutione quæſtionis, & ad argumenta contra olfatum ad finem cõmentarij, Viguerius in ſua inſtitutione theologica c. 14. §. 2. verſu 3. latè Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 6. pag. 900. ſatis eſt de mente Scoti in 4. diſt. 49. q. 13. ad 2. & Palatij ibidem diſput. vlt. ad finem, Ioſephi Angles in Floribus ad 4. in q. de beatitudine art. 5. dub. 1.* denique recipitur ab omnibus nouioribus, in quam etiam magis inclinat *Abulenſis in d. c. 17. Matthæi q. 116. litera D.* dùm ſoluit argumẽta in oppoſitum.

D. Thom. Maior. Sotus. Ouand. Medina. Viguerius Suar. Scotus. Palatius. Angles. Abulen.

9. Quod non repugnet olfatus. Et quidem quod Sancti poſt reſurrectionem non repugnet olfatus operatio, certiſsimum eſt: quia, vt dicemus ſatis eſt intentionalis receptio ſpecierum odoris: nullus autem negabit in [illegible]e iudicij, ſaltẽ ante ignem conflagrationis, pleraq; corpora futura odorifera: cur igitur Sancti illos odores non percipient? licet enim propter excellentiam corporis beati non percipient odores tetros, & fætidos damnatorum, tamen odores ſuaues, & decentes cur non ſentient? nam Chriſtum Dominum quandiu poſt reſurrectionem cũ diſcipulis in terris egit; ſuaues aliquorum corporum odores ſenſiſſe, ſatis eſt probabile: maximè, ſi in paradyſo terreſtri (qui adhuc non ſine probabilitate in ſua amenitate permanet) cum ſuis eſt commoratus: quod ſimiliter dicendum eſt de Sanctis, qui cum Chriſto iterum nõ morituri, ſurrexerunt.

10. Deſcendentes in terrã nihil olfacient. Admittimus tamen, ſanctos, ſi poſt aſcenſionem in cœlũ ad terras forte deſcendẽt, nullos odores fore percepturos; quia poſt mundi conflagrationem nullum in terris permanebit corpus miſtum, quod odorem emittat; ſed ſola pura elementa, quæ in ſua puritate non ſunt odorabilia, vt ex *Ariſt. in lib. de ſenſu, & ſenſato c. 5. & ex Plinio lib. 15. naturalis hiſtoriæ c. 27.* docent cõmuniter Philoſophi, vt iam diximus cum *Conimbricenſibus in d. 2. libr. de Anima c. 9. q. 2. art. 1. vbi vide Theophraſtum lib. 6. de Plantis c. 24. & 27. & Iandunum de ſenſu, & ſenſibili q. 26.*

Ariſt. Plinius. Conimb. Theophr. Iandunus.

11. Affirmant Patres. Quòd verò in loco patriæ olfatus ſuã habiturus ſit operationem, docet Laurẽtius Iuſtinianus *in lib. de diſciplina, & perfectione conuerſationis monaſticæ c. 23.* ita inquiens: *Flagrans quoq; ſuauitas cœleſtiũ odoramentorum mira liquefactione reſperget odoratũ:* D. etiã Anſelmus *in lib. de ſimilitudinib. c. 57.* poſtquã dixit totos beatos inenarrabili ſuauitatis abundãtia eſſe replendos, addit: *Quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, & cætera mirabili delectationis, & dulcedinis ſenſu replebũtur.* Petrus etiã Damianus *epiſt. 3. ad Blancã Comitiſſã c. 15. in fine,* ita ait: *Illic odoris ſuauitas cũctas excedit vires aromatum; omnem ſuperat fragrantiam pigmentorũ:* agit autẽ de actibus ſenſuum externorũ. D. etiã Petrus Abbas Cellenſis in tract. de panibus c. 7. in fine: *Quid nares, niſi vitæ inſpirãt odores?* Quidam citant Auguſtinũ, ſine authorẽ libri de ſpiritu, & anima c. 58. tom. 3: *Nec dici poteſt quantã habeat in guſtu voluptatẽ; quantã in ſapore iocunditatẽ; quantã in odore ſuauitatem.* Sed tamen cum author ille

Laurent. Iuſtinia. D. Anſelmus. Damian. Abbas Cellenſis.

loquatur de Deo, quo animæ ſine corpore nunc fruuntur loquitur metaphoricè.

13. Confirmatur ratione. Sed ratione etiã id confirmatur: quoniam cum ſenſus olfatûs in beatis permaneat, cur in patria operatio eius non dabitur? etenim non deerit in illa omniũ bonorũ affluentia odoris ſuauitas: hæc enim ad perfectum beatitudinis cumulum nõ parum cõducet. Vnde corpora glorioſa erunt miro quodã modo odorifera, vt docet cõmunis doctrina Theologorum, de qua *D. Thomas, Richard. Maior, Sotus, Viguerius, & Suarius in locis citatis, adde* Seraphin. *Seraphinum à Porrhecta in additionib. ad 3. p. q. 82. art. 4.* Quod D. Thomas confirmat ex eo, quod canit Eccleſia: *Odor ſuauiſsimus erunt corpora Sanctorum*: vbi tamen Eccleſia id canat, nunquam legi. Ex ſententia Maioris confirmari poteſt ex capite 27. Geneſis, Gen. 27. vbi Iſaac ſentiens fragrantiam veſtimentorum Iacob ait: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: quæ verba quidam myſticè interpretantur de Chriſti humanitate: alij de populo Chriſtiano: alij aliter; ſed ex mente Maioris non ineptè explicari poſſunt de corporibus glorioſis, quorum beatitudinem, & gratiam illa veſtimentorum fragrantia redolebat, vt ex verbis *D. Ambroſij lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 1.* Ambr. facilè colliges.

14. 3. confirm. Tertiò confirmari ſolet ex odore ſuauiſsimo, quo exanima Sanctorũ corpora plerunque fragrant, vt in hiſtorijs ſæpè legimus. Cur igitur hanc, & ſuauiorẽ fragrantiã corporib⁹ glorioſis denegabim⁹?

15. Poſtrema. Poſtremò poterit cõfirmari: quia probabiliſsimũ eſt, corpora damnatorum teterrimũ ex ſe odorem ſpiratura, vt docet Sotus. *Sotus in 4. diſt. 50. q. vnic. art. 4. concl. 5.* dũ agit de odoratu, & probat Suarius vbi ſuprà: id enim cedet in magnam illorũ cõfuſionem. Cur igitur beatorum corpora in maiorem eorum decorem, & gloriam ſuauiſsimum non efflabunt odorem?

16. Odor ille an conueniat naturaliter? Erit ſupernaturalis, 1. ratio. Vtrùm verò ille odor naturaliter cõueniat corporibus beatis, an ſupernaturaliter? res eſt mihi dubia: magis placet, odorem illũ futurũ eſſe ſupernaturalẽ: quia etſi odor ex primarum qualitatum cõmiſtione reſultet: nõ tamen reſultat ex quacunque, ſed ex certa quadam miſtione, in qua ſiccum, & calidum dominantur, vt Ariſtot. ex *Ariſt. de ſenſu, & ſenſibili c. 5. probãt Conimbric. lib. 2. de Anima c. 9. q. 2. artic. 1. in principio.* Conimbr. At non in omnibus corporibus beatis idem datur temperamentum: ſicut nec in vita idem fuit.

17. 2. ratio. Secundò; quoniam odor ille beatorũ corporũ lõgè excedet omnes huius vitæ odores, vt ex Petro Damiano, & alijs Patribus oſtendimus. Hoc autem humanis corporibus naturale eſſe non poteſt.

18. Maior, & Sotus reijciuntur. Quare non ſunt audiendi Maior, & Sotus, qui in citatis locis hunc glorioſorũ corporum odorem ex temperatiſsima illorum complexione deducunt: maximè ſi verum eſt, quod Suarius cum nonnullis alijs aſſerit, ideò beatorũ corpora ſuauiſsimum datura odorem, quia habebũt inteſtina odoriferis humiditatibus affecta. Ego dico, omnia corporis membra hanc habitura fore qualitatem: quæ omnia non naturaliter, ſed ſupernaturaliter illis conuenient. Non negamus tamen aliquot ex beatis corporibus ex ſua natura futura eſſe odorifera: nam de Alexandro Mecedone in eius vita ſcribit Plutharcus ſuauem odorem ex illius membris efflari, quia erat temperamenti corporis perferuidi, & ignei. Si quod igitur beatorum corpus ſimilis fuit temperamenti, cum in eodem ſit reſurrecturum, vtique naturalem etiam habebit odorem; ſupernaturaliter tamen perfectiorẽ, altioris gradus, & ſuauitatis.

§. 3.

In beatis, & potentia olfaciendi, & vſus erunt perfectiſsima.

19. Non vertitur in controuerſiam; an beatorum olfatus quoad perfectionem eſſentialem potentiæ ſit perfectiſsimus? nam cum eiuſdem ſit ſpeciei cum cæterorum animantium olfatu, parem habebit cum illis in natura ſpecifica perfectionem; quod ſtatuerunt *Conimbric. 2. de Anima c. 9. q. 5. art. 2. concl. 1.*

20. Quid inquiratur? Dubitatio ſolum eſt, de perfectione accidentaria, quæ in eo potiſsimũ cernitur, quod plures odorũ differentias percipiat, & è longiori diſtantia olfaciat. Ratio dubitandi. Ratio dubitandi ſumi poteſt: quoniã quoad vtrãq; perfectionẽ hominis olfatus eſt hebetior olfatu multorum animãtium: nam quod attinet ad perceptionem odorum ex longiori ſpatio, experientia docet, vultures, apes, ceruos, tigres, canes, & alias quaſdã belluas

belluas à remotiſsimis locis odorē ſectari: adeò, vt quidam ſcribant, vultures cadauerum odorē ad quinquaginta ſequi milliaria. At quod olfatus hominis pauciores odorum differentias percipiat, quàm pleraque animantia cum *Theophraſto, & pluribus alijs oſtendunt Conimbricēſes in d. q. 5.* Conimbr. Ariſt. Theophr. Plato. *art. 2. concl. 3. modò ſit ſatis authoritas Ariſtotelis in 2. de Anima c. 9. tex. 92. cum ſequentibus, & in lib. de ſenſu, & ſenſibili c. 4. & Theophraſti lib. 6. de cauſis plantarum c. 5. & Platonis in Tymæo*; qui omnes docent, olfatum in nobis hebetiorem eſſe, quàm in multis animantibus. Quæ odorandi hebetudo non oritur ex defectu potentiæ, ſed ex vitio organi, vt aduertit *Ariſt. in d. c. 9. text. 92. & Magnus Albert. lib. 2. de Anima tract. 3. c. 23*: nam in nobis Ariſt. Albert. odorandi ſenſorium eſt coniunctum cerebro: quod ſicut in homine maius eſt, quàm in cæteris animantibus; ita maiori abundat humiditate: hęc autem cum diffundatur ad inſtrumentum odorandi, impedit, quominus odorum differentias firmiter percipiat. Quin potiùs facit, vt odorum ſpecies in humido, quaſi ſopitæ obdormiſcāt; nec firmiter in ſenſu inurātur.

21. His tamen, & alijs (quæ inuenies apud Conimbr. in d. q. 5. art. 2.) non obſtantibus, dicendum eſt, olfatum in beatis futurum eſſe omnium perfectiſsimum, & vtraque perfectione olfatum cæterorum animantium longè ſuperaturum, quę eſt ſentētia *D. Thomæ in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1.* D. Thom. *quæſtiun. 4. ad 3*: nam ratione ſtatus humiditas cerebri nullo erit impedimēto, quominus odorū imagines in tota ſua firmitate, & dearticulatione in ſenſorio imprimantur: quin potiùs ſpiritualitas glorioſi corporis erit diſpoſitio omniū optima, vt imagines illæ perfectiſsmo modo in ſenſorio ponantur ad excellentias, & differētias odorū perfectè percipiēdas, & diſtinguēdas; idque in maxima, quæ perfectiſſimo olfatui naturaliter debetur diſtātia; quæ tamē naturaliter erit finita, vt de viſu, & auditu ſuperiùs diximus q. 6. & 7. Quibus autē circūſepiri debeat terminis? nobis eſt ignotum: illud tamen eſt quàm notiſsimum in ordine ad potentiam abſolutam Dei nullis terminis circumſepiri poſſe: ſicut etiam eſt certiſsimum, beatos nullum, niſi ſuauiſsimum beatorū corporum odorem, eſſe percepturos.

§. 4.

Soluuntur argumenta poſita §. 1.

Nec argumenta in 1. §. in oppoſitum adducta contra datam reſolutionem quidquam efficiunt. 22. Ad 1. Nam ad primum reſpondetur, corpora glorioſa, quæ ibi erunt olfatus obiecta futura eſſe miſta, & oderifera.

Ad ſecundum reſpondetur, odorem eſſentialiter non eſſe exhalationem corporis odoriferi; vt contra Heraclitū, Platonem, & cæteros antiquos Philoſophos docet *Ariſt. in lib. de ſenſu, & ſenſibili c. 5. & 6.* & hęc eſt communis Philoſophorū ſententia, de qua *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiun. 4. ad 3. Richard. in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. ad 6. Albert. Magnus lib. 2. de Anima tract. 3. c. 25. Iandunus in lib. de ſenſu, & ſenſibili q. 27. Marcellus 3. de Anima c. 31. latè Conimbr. in 2. de Anima c. 9. q. 1. art. 2.* vbi argumenta in oppoſitū latè diſſoluunt. 23. Ad 2. D. Thom. Richard. Albert. Iandunus. Marcellus Conimbr. Odor igitur cum ſit ſenſibile quoddam per ſe, erit quædam qualitas odoratu ſenſibilis, in odorato miſto exiſtens, tanquam in ſubiecto, quæ licet plerunque diffundatur per ſubſtantiam fumeam: talis tamen diffuſio non eſt per ſe, & ſimpliciter neceſſaria; ſed poteſt odor corporis odorati ſine vlla reali diffuſione ſe ſe ſolùm intentionaliter diffundere, vt docent *D. Thomas, & Richard. locis citatis. Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. concl. 5. Maior ibidem q. 14. ad argumenta contra 3. concl. Suarius in d. diſp. 47. ſect. 6. dum agit de odoratu, probant Conimbricenſes in 3. de Anima c. 9. q. 3. art. 1. concl. 1. Nec diſplicet Abulēſi in c. 17. Matth. q. 116. ad 3.* D. Thom. Richard. Sotus. Conimbr. Suar. Abulen.

Si verò quis inquirat; cur odor corporis oderati apud nos intentionaliter ſe ſe non diffundat ſine reali ſubſtantiæ odorabilis reſolutione, vt docet experientia? Solutio Soti. Reſpondet Sotus vbi ſuprà, id ideò contingere propter humiditatem, quę eſt ſedes odoris, quæ ipſa, vt odor diffundatur igne eſt reſoluenda. At tamen falſum eſt, humiditatem eſſe ſedem odoris, cum humiditas potiùs obſiſtat odori, & inde eſt, vt in re odorabili ſiccitas debeat humidū vincere.

Relicta igitur reſpōſione Soti ad quęſtionem propoſitam duobus modis reſpōderi poteſt. 24. Non recipitur. Vno modo, talem concomitantiam non per ſe, ſed per accidens ſe habere, ad intentionalem diffuſionem odoris:

ris:nam realis illa exhalatio per ſe ortum 1. ſolutio. habet ex mutua actione, & paſsione primarum qualitatum corporis miſti, quæ in corpore etiam non odorabili realem ſubſtantiæ exhalationem perpetuò cauſat, vt aduertit Abulenſis in d. q. 116. ad 3. Quare cum illa concomitantia non per ſe, ſed per accidens ſit neceſſaria; ſit, vt odor poſsit intentionaliter diffundi in corpore, in quo talis primarum qualitatum actio, & paſsio, vel nullo modo datur; vel non perpetuò. Igitur cum illa nõ detur in corpore glorioſo, vt in ſuperioribus oſtendimus; vtique in illis poterit odor intentionaliter diffundi abſque vlla fumea exhalatione.

25. 2. ſolutio. Altero modo reſponderi poteſt, odorem in miſtis corruptibilibus propter humiditatem, quæ in illis reſperſa eſt, non eſſe perfectè concoctum, nec perfectum, & ob id ſupprimi ab humiditate, & ab ea veluti ſopiri; maximè, quando frigore Conimb. comprimitur, vt docet experientia, de qua *Conimbricenſes in d. cap. 9. quæſt. 2. art. 1.* opus eſt igitur, vt calor, expulſo frigore, humiditatem relaxet, facta exhalatione, vt ſublato impedimento, odor quaſi expergiſcens ſuas ſpecies diffundat. Ex quo patet, exhalationem ad intentionalem odoris diffuſionom ſolùm eſſe neceſſariam per accidens; quia ſolùm requiritur, vt tollatur impedimentum, quo odoris diffuſio detinebatur. Cum igitur in corporibus glorioſis odor ita ſit perfectus, vt nulla humiditate, aut frigore ſupprimi poſsit, aut impediri; nulla eget reali reſolutione, vt ſe ſe diffundat; quæ eſt ſententia D. Thomæ, & Richardi locis citatis, conſentiunt Conimbricenſes in d. q. 3. art. 1. concl. 1. Pro cuius ſolutionis confirmatione, aduerte, ſpecies odorum minus ſpirituales eſſe, quàm viſibiles, & audibiles, vt benè annotarunt *ijdem Conimbricenſes in dicto cap. 9. q. 5. artic. 1. poſt principium*, quod rectè colligitur ex tarditate, qua ad ſenſoriũ deferuntur: nam vt ijdem Conimbricenſes aduertunt *in d. cap. 9. q. 3. art. 1. ad 3.* cum thus, aliaque odoramenta in ignem inijciuntur, prius videmus exhalationem fumeam, & audimus ignis crepitum, quàm ſentiamus odorem, ſicut igitur ſpecies audibiles, ideò quia ſunt minus ſpirituales, quàm viſibiles, vento in aliam partem flante, impediuntur, quominus ad auditum deferantur: ita ſpecies odorum humiditate, & frigore impediuntur, ne aut totaliter, aut ſaltem perfectè diffundantur; quod impedimentum calore humidum reſoluente, aufertur: cum igitur in patria nullum aut humiditatis, aut frigoris detur impedimentum; vtique ſine vlla reali exhalatione odor ſe ſe intentionaliter diffũdet.

Ex his patet ſolutio ad confirmationẽ eiuſdem ſecundi argumenti: nam vera, & realis odoris diffinitio eſt illa, quam colligunt ijdem Conimbricenſes, vt ſit qualitas ex primarum qualitatum, certa comiſtione reſultans dominante ſicco, & calido. Quod verò vlterius additur de calido humidum diluente, & attenuante, explicat modum ordinarium; non tamẽ per ſe neceſſarium odorandi: nec enim illa actualis humidi extenuatio cauſatiua fumeæ exhalationis eſt de eſſentiali, aut neceſſaria ratione odoris, vt iam diximus, & fatentur Conimbricenſes in d. c. 9. q. 3. art. 1. concl. 1. 26. Ad confirmationem.

Ad tertium negandum eſt antecedẽs. 27. Ad 3. Ad probationem dicendum eſt, reſpirationem ſimpliciter non eſſe neceſſariam ad olfationem: quia animantia aquatilia ſine reſpiratione olfaciũt, vt docet *Ariſt. lib. 2. de Anima c. 9. tex. 97. & lib. 4. de hiſtoria animalium c. 8. de quo Conimbr. in d. c. 9. q. 3. art. 2.* Ariſto. Conimbr. Ex quo infertur, nec reſpirationem eſſe neceſſariam ad olfaciendũ: etenim, exhalatio odorifera, & ſpecies odorabiles ex ſua natura hac, illac diffunduntur, & in ſublimè tendunt, & ſubinde ſine motu, & attractione aeris poſſunt mouere olfatum. Porrò reſpiratio in hominibus pro hac mortali vita non alia ratione erit neceſſaria, niſi ad remouẽdum tegmen, quo ſenſorium olfatus operitur: niſi enim hoc amoueatur, olfatio nulla erit. Verum hæc neceſsitas locum non habet in corporibꝰ glorioſis, in quibus operculum ſenſorij propter maximam olfatus perfectionem, & odorandi acritatem non poteſt olfationi eſſe impedimento; quãuis impedimẽto ſit pro hac vita mortali propter magnã huius ſenſus hebetudinẽ ortam ex vitio organi contracto ex maxima cerebri humiditate, propter quã ſpecies odorum potentiam olfatus leuiter laceſſunt, & facilè illo operculo impediuntur, ne ad ſenſorium perueniant.

Vt

Vt omittamus in arbitrio cuiuſque beati eſſe, illud operculum ſine reſpiratione remouere ad odorem percipiendum. In damnatis verò, etiam non amoto, ſeu eleuato illo operculo, ſemper fiet ſenſatio: quia tanta erit fœtoris vis, & acrimonia, vt etiam appoſito operculo, ſpecies illius ad ſenſum pertingant.

28. Alia ratio. Poteſt adhuc alia aſsignari ratio, cùr pro hac vita in nobis olfatio non fiat ſine reſpiratione, id eſt attractione aeris ad partes internas: nam cum aerem foràs expiramus, ſimul cum aere ſpecies odorabiles foràs mittimus; & ob id, niſi reciprocante motu aerem intus attrahamus, olfatio nõ fiet. Porrò ſi reſpiratio tandiu ſuſpendatur, vt ſpecies odorabiles ad ſenſoriũ motu ſibi naturali poſsint aſcendere; vtique ſine reſpiratione fiet olfatio. Quo fit, vt reſpiratio, etiam pro hac vita, per ſe non ſit neceſſaria ad olfationem; ſed vt illa celerius, & perfectius fiat. Vnde non mirum eſt, ſi in beatis illa fiat ſine reſpiratione,

29. Ad 4. Ad quartum reſpondetur, apud eos, qui putant, Sanctos ſupra conuexum cœli Empyrei habitaturos fore, odoratioñe fieri non poſſe, niſi ſupernaturaliter, eleuatis nimirum diuinitus corporibus glorioſis, vt immediatè agant in olfatum diſtantem ſicut de obiecto viſibili, & audibili diximus in præcedentibus quæſtionibus. Porrò ſi ſancti habitaturi ſunt intra cœlum Empyreum (quæ nobis videtur ſententia probabilior) ad argumentum negandũ eſt antecedens: nam licet aer, & aqua apud nos ſint media vſitata odoratus; non tamen ſunt media per ſe adæquata: quia corpus cœleſte eſt etiam mediũ ſatis accõmodatum, quamuis Ariſtoteles illud non cognouerit: affectio enim innominata odorum tradutrix, quam græci διόσμον appellant, eſt communis cœlo cum aqua, & aere.

30. Ad vltimũ. Ad poſtremum negandum eſt, odorationẽ in homine ſolùm eſſe à natura ordinatam ad conſeruationem vitæ: etenim etiam eſt ordinata à natura ad cognitionem intellectiuam: quia anima, niſi mediante olfatu, odorum notionem habere non poſſet. Quare ſuo etiam modo olfatus dici poteſt ſenſus diſciplinæ, quamuis proper obiecti limitationem talis non dicatur. Itaque olfatus varios fines habet, & varias cõmoditates: nam Medicis vtilis eſt ad vitæ conſeruationem: Philoſophis ad quorundam ſcibilium (odorum inquam) cognitionem: Metaphyſicis ad potentiæ actuationem: Theologis denique, vt per illũ excitetur animus ad Dei laudem, internamque deuotionem. Quare licet in Patria nõ ſit neceſſarius ad vitæ animalis conſeruationem, quæ eſt Medicorum conſideratio: erit tamen neceſſarius, tùm ad habendam notitiam cœleſtiũ odorum, quos glorioſa corpora inſpirabunt: tum ad perfectionẽ potentiæ odoratiuæ: tùm denique, vt beati huius ſenſus ſuauitate allecti in diuinas laudes in dies magis excitentur.

QVÆSTIO IX.

De ſenſu guſtus.

Qvarto loco conſequitur diſputatio de ſenſu guſtus; de quo vnicum articulum excitabimus: vtrum in Patria futurus ſit vſus guſtationis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Patria futurus ſit vſus huius ſenſus?

§. 1.

Refertur pars negans cum argumentis.

Facultatem, & potentiam guſtus futuram eſſe in beatis, ex ſuperioribus iam patet: in illis enim erunt omnes externi ſenſus, cum ad perfectionem naturalẽ corporis humani omnes pertineat. Tota difficultas erit de vſu guſtus, ſiue de guſtatione; an illa in Patria ſit futura? partem negantem nõnullos probaſſe, refert *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. eandem ſententiam negantem probauit D. Bonauentura in 4. diſt. 49. art. 3. q. 1. num. 42. quem ſequitur Ouandus ibidẽ propoſit. vltima: probabilem putat Abulenſis in cap. 17. Matthæi q. 116. litera D. nec eã omnino reijcit D. Thomas loco citato.* 1. Opinio negans. *D. Bonau. Ouand. Abulenſ. D. Thom.*

Fundamentum D. Bonauenturæ eſt, quoniam in Patria nec dabitur medium guſtus, nec obiectum, id eſt ſapor: nec enim 2. 1. Ratio.

enim ibi dabitur eſca, & potus; quod etiã fuit fundamentum Ouandi.

3. 2. Ratio. Secundo arguitur; quoniam guſtatio fieri nõ poteſt ſine reali immutatione, & alteratione organi guſtus, nimirũ linguę: hæc enim realis alteratio corpori glorioſo repugnat. Antecedēs porrò probatur: quoniam guſtatio, vel non fit per ſpecies, ſed per receptionē ſaporis in organo guſtus ſecundum eſſe reale, quę fuit aliquorum opinio; vel non fit ſine hac reali immutatione linguæ, quę eſt communis ſententia, probata *Conimbricenſibus 2. de Anima cap. 11. q. 3. art. 3. ad 2.* (Conimbr.) etenim lingua acrem ſaporem ſentit propria inciſione; ſalſum autem abſterſione: acerbum verò, corrugatione, vt docent Plato in Thymæo, & Galenus lib. 4. de ſimpl. medicamentorum facultatibus, alioquin guſtus poſſet guſtare abſentia guſtabilia, quod fieri non poteſt.

4. 3. Ratio. Tertio addunt alij: quoniam vſus huius ſenſus à natura eſt inſtitutus propter nutritionem, vt. ſ. animantia propter voluptatem, quã in ſũptione cibi percipiũt, ad ſumendum cibum alliciantur. Cum igitur nutritio in beatis corporibus non detur; vtique nec in illis dabitur guſtandi actus.

§. 2.

Pars affirmans eſt tenenda.

5. Pars affirmans eſt vera. Pars tamen affirmatiua, quòd. ſc. in Patria etiã futurus ſit vſus guſtus, cum cõmuni Theologorum ſententia probata eſt *D. Thomæ in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. in fine corporis, & ad 2. Richardo ibidem diſt. 49. art. 4. q. 3. in corp. & ad quintum: probant Maior ibidem q. 14. concl. 3. Sotus q. 4. art. 5. concl. 7. Medina 1. 2. q. 3. art. 5. ad finem Commenti. Viguerius in Inſtitutione Theologica cap. 14. §. 2. verſu 3; Suarius 2, tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 6. dum agit, de guſtu: ſatis eſt de mẽte Scoti in 4. diſt. 49. q. 13. ad 2. & Palatij ibidem diſp. vltim. ad finem, Ioſephi Angles in ſuis Florib[us] ad 4. in q. de Beatitudine art. 5. dub. 1. denique recipitur ab omnibus recentioribus; quam eandem putat eſſe probabilem Abulenſis in dicto cap. 17. Matthæi q. 116.*

(D. Thom. Richard. Maior. Sotus. Medina. Viguerius. Suarius. Scotus. Angles.)

6. Digna quæ recipiatur. Præmiſſũ. Quæ profectò ſententia, quamuis à D. Thoma nõ inſinuetur vt certa, eſt tñ probabiliſsima, & digna, quæ recipiatur, cedit enim in maiorem beatorum perfectioné.

Sed ante illius confirmationem, illud tan quã certiſsimũ præmitti oportet, vſũ guſti, ſi abſolutè loquamur, nec naturaliter, nec moraliter repugnare corpori glorioſo: nam cum certiſsimum ſit, Chriſtum poſt reſurrectionem eo tempore, quo cũ diſcipulis verſabatur, pluries veriſsimè co mediſſe; non poterit cum probabilitate negari, eũ cibi ſumpti ſaporem verè deguſtaſſe: tùm; quia nullum eſt incõmodum, id concedere, vt aduertit Suarius loco citato pag. 901. col. 2. in medio: tùm etiam; quia aderant omnia ad guſtationem naturaliter neceſſaria: nec decebat illã aliquo miraculo impediri, maximè cum illa ad veritatem humani corporis oſtendendam plurimum conduceret: etenim manducatio tunc debet naturalior, & verior cenſeri, cum illa eſt coniuncta cũ cibi manſi guſtatione. Porrò illam Chriſti manducationem fuiſſe naturalem, ſatis videntur innuere verba Petri Actorum 2. *Oportuit eum manifeſtum fieri, non omnibus, ſed teſtibus præordinatis à Deo nobis, qui manducauimus & bibimus cum eo.* Actor. 2. Quæ verba inſinuat, manducationem Chriſti fuiſſe per omnia ſimilem manducationi diſcipulorum, quæ cum guſtatione fuit coniuncta. Sicut igitur glorioſo Chriſti corpori actualis guſtatio nec naturaliter, nec moraliter repugnauit: ita etiam, ſi abſolutè loquamur, actualis guſtatio nec naturaliter, nec moraliter repugnabit corpori glorioſo aliorum beatorum. Vnde, ſi vlla, Deo diſpenſante, occurreret neceſsitas (quæ tamen nunquam occurret) non dedeceret ſanctos corpore glorioſos cibum aliquem deguſtare.

Tota igitur difficultas eſt; an guſtus in Patria ſuum debeat habere vſum? Nos cum communi Theologorum aſſerimus, partem affirmantem eſſe longè probabiliſsimam: primũ; quia eam aſſerunt plures ex Patribus: nimirum *Laurentius Iuſtinianus in lib. de Diſciplina, & perfectione conuerſationis monaſticæ cap. 23.* ita ſcribēs *Caro ſpiritualis effecta per omnes ſenſus ſuos multimodis exuberabit dilitijs*; & ſtatim *indicibilis videtur dulcedo omnium delectabilium, meliflua quadam, & iucunda, ſatietate oris ſagiuabit palatum.* D. Anſelmus in lib. de Similitudinibus cap. 57. *Oculi, aures, nares, os, & cætera mirabili delectationis, & dulcedinis ſen[ſu] rep[le]ntur.* Diuus Petrus 7. In quo ſit difficultas. Pars affirmãs probatur.

Abbas

Abbas Cellenſ.

Abbas Cellenſis *in tract, de panibus cap. 7. in fine* percurrens ſingulos ſenſus, de guſtu ita ait: *Quid guſtus? guſtat nempe, quàm ſuauis eſt Dominus*: non quidē in ſe, quia Deus guſtu non percipitur; ſed in obiecto, quod guſtui diuinitus præparabitur. Vt omittamus verba Auguſtini, ſeu potius authoris libri de ſpiritu & anima cap. 58. tom. 3. Nec dici poteſt, quantam habeat in guſtu voluptatem; quantam in ſapore iucunditatem.

8. Ratione cũ firmatur.

Ratione etiam idem vtcumque poteſt ſuaderi: primò; quia id in maiorem corporis gloriam cedit. Quare cum hæc perfectio corpori glorioſo non repugnet, vt iam oſtendimus in Chriſto Domino; cur in Patria denegabitur? Deinde; cum cæteri omnes ſenſus ſuis actibus ibi perficiantur; cur guſtus non perficietur? *Nec enim fas eſt* (vt Laurētius Iuſtinianus loco citato affirmat) *vt in illa cœlorum gloria quidquam vacet à Dei laude: quin potius iuſtum eſt, vt omnia corporis membra ſuum proprio modo efferant conditorem, ſicut ab ipſo ſumpſere principium; ita vt in illo deducat ſuæ beatitudinis finem, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Cædo? quomodo guſtus modo ſibi proprio ſuum in Patria efferet conditorem, niſi ſua propria operatione perficiatur? Deus enim, qui eſt omnium rerum finis vltimus, res omnes finalizat ſecundū ſuas vltimas perfectiones, ad quas naturaliter inclinantur. Adde; quia guſtus ieiunio, & abſtinentia animæ ad merendum plurimum inſeruiuit; cur igitur ſuo præmio, & perfectione priuabitur? Denique cum damnati in omnibus ſenſibus torqueri debeant; vt affirmant *Maior loco citato, & Sotus in 4. diſt. 50. q. vnica articu. 4. concl. 5.* rationi eſt conſentaneum, vt beati in omnibus ſenſibus præmientur.

Laurētius. Iuſtinian.

Damnati in omnibus ſē ſibus torquendi. *Maior. Sotus.*

§. 3.

Quomodo in Patria futura ſit guſtatio?

9. De modo quo fiet. Ratio dubitandi.

SEd iam de modo inquires, quo in Patria fiet guſtatio: ratio dubitandi in eo ponitur, quia conſtat inter omnes Patres, & Theologos, ibi non eſſe futurum alimenti vſum, & ſubinde nec vſū cibi, & potus, vt contra Sarracenos, & Iudæos in ſuperioribus iam oſtendimus, & latè probat *D. Thomas in 4 diſt. 44. q. 1. ar. 3. quæſtiunc. 4. & q. 2. art. 1 quæſtiunc. 4. in corp. & ad 2.* vbi etiam cōmuniter Theologi cum *Soto q. 1. art. 5. concl. 2. & diſt. 49. q. 4. art. 5. concl. 7.* vbi etiam *Richardus art. 4. q. 3. ad 5. Abulenſis in cap 17. q. 116. ad 2, & in cap. 22. q. 248. Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47 ſect. 5.* & ad hūc ſenſum Patres explicant corporum glorioſorum ſpiritualitatem; quia. ſ. cibo, & potu iam non indigebunt. Hac facta ſuppoſitione non eſt facilè explicare, quomodo in Patria dari poſsit obiectum guſtus, cuius immutatione guſtus ipſe ponatur in actu guſtationis.

D. Thom. *Richard. Abulen. Suarius.*

10. Communis opinio.

Communis tamen reſolutio eſt in lingua cuiuſque beati futurum eſſe humorē quēdam incorruptibilem ſaporis ſuauiſſimi, omnes huius vitæ ſapores lōgiſsimè ſuperantis, quo guſtus beati abſque vlla indignitate perpetuò afficiatur: ita *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. in corp. & ad 2. Richardus in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. ad 5. Maior ibidem q. 14. ad argumenta contra quintam, Sotus q. 4. art. 5. concluſ. 7. Abulenſis, Medina, Viguerius, & Suarius cū omnibus recentioribus.*

D. Thom. Richard. Maior. Sotus. Abulenſ.

11. Vnde oritur humor Non recipitur. Sotus.

Hunc humorem ex optimo qualitatū primarum temperamento oriturum fore exiſtimat Sotus: ſed in hoc nō eſt audiēdus; quia nec omnes beati idem habebunt temperamentum, vt omnes eundem habeant humorem: nec ex naturali aliquo temperamēto, qualitas illius ſaporis oriri poteſt. Alij putant illam qualitatē realiter cauſari à beatitudine animæ, quod nō diſplicet Richardo. At ſatius erit dicere, eam à ſolo Deo cauſari, vt idē Richardus, Suarius, & cæteri exiſtimant.

12. Qualitas illius humoris.

Plures affirmant ſapidum iſtum humorem, velut aliud manna, habiturū fore omnium ſaporū ſuauitatem; ita vt id cuique ſapiat, quodquis voluerit: ita *Maior, & Viguerius locis citatis*; qui volunt, hunc humorem ob hanc excellentiā appellari poſſe nectar ambroſeum, quo Dij, iuxta Poetarum fabulas in cœlo vtebātur. Imò addit Maior, manna in deſerto figuram fuiſſe vſus cœleſtis humoris. Ego tamen puto, in maiorem huiushumoris excellētiam cedere, ſi vnicum, ac cibi connaturalem habeat ſaporem omnium ſuauiſsimū, & cœlo dignum: nam manna omnium rerum ſaporem non naturaliter habebat, ſed miraculoſè, Deo naturam propriæ qualitatis ipſius manna miraculoſè mutante

Abulenſ. tante, vt videre eſt apud *Abulenſem Geneſis 13.q.249.& Exodi 16.q.13.& Matth. 14.q.117.* & pluribus alijs in locis, & hæc eſt communis aliorum ſententia. Iam verò immutabilitati Patriæ repugnat illius humoris ad cuiuſque libitum mutatio. Quare illa cœleſtis humiditas ex ſua natura futura eſt ſaporis præſtantiſsimi; & ad hunc ſenſum omnes ſapores virtute continebit, vt verè dicantur nectar ambroſeum.

§. 4.

Soluuntur argumenta poſita §.1.

13. Ad 1.arg. QVæ §.1.in contrarium obijciuntur, parum efficiũt. Nam ad primum negãdum eſt in Patria nec dari medium guſtus, nec obiectum: nam

Ariſtot. cum guſtus ſit quidam tactus ex *Ariſtotele de ſenſu, & ſenſibili cap.4.& lib.3.de Anima cap.12.tex.64. & 2. de partibus animalium cap.17*; habet medium internum, nẽ-

D.Thom. pe carnem linguæ, vt aduertit *D.Thomas in 4.diſt.44.q.2.articul.1. quæſtiunc. 4. in corpore.* Deinde in Patria dabitur cœleſtis illa humiditas omnium ſuauiſsima, de qua diximus in §.3. nec enim opus eſt, vt omnis res ſapida ſit cibus, & potus, vt male in argumento ſupponitur.

14. Ad 2. Ad ſecundum duobus modis reſponderi poteſt: vno modo negatione antecedentis: ad cuius probationem primũ negandum eſt, guſtationem fieri poſſe ſine ſpecie intentionali ſaporis, quæ eſt peripatetica ſententia, quam ſtatuit Ariſtoteles 2.de Anima cap.12.tex.121. dum abſolutè docet, commune eſſe ſenſibus recipere formas ſine materia; id eſt, ſpecies, & imagines obiectorum, ſine quibus nulla dari poteſt ſenſio: tùm; quia cognitio fieri non poteſt, niſi à ſimili: ſenſus autem per ſpeciem obiecti fit ſimilis obiecto. Tùm ſecundo; quoniam à re prorſus materiali (qualis eſt res ſenſibilis) ad rem in genere corporalium ſummè immaterialẽ (qualis eſt cognitio ſenſitiua, quæ ad naturam immaterialem propè accedit) interiectu ſpeciei (quæ minus habet materialitatis, quàm obiectum; plus tamen, quàm cognitio) fiat debitus, & connatu-

Conimbr. ralis tranſitus, vt benè aduerterunt *Conimbricenſes 2.de Anima cap.11.q.3.art.3. in fine.* Tùm denique: quia ſenſibile externum ſimul, & eodem modo immutat ſenſum communem, quo immutat ſenſum externum, vt docet *D.Thomas quodlibet. 1.q.2.art.1.& Caietan.in 2.& 3.de Anima vtrobique cap. vltimo*: quidquid nonnulli aliter doceant At ſenſibile externum nõ realiter immutat ſenſum cõmunem, ſed ſolum intentionaliter. Reijcienda eſt igitur, tanquam minus peripatetica ſententia in 1.memb.probationis adducta. D.Thom. Caietan.

Deinde in eadem antecedentis probatione, negandum eſt, guſtationem abſolutè fieri non poſſe, niſi lingua ſimul cum ſpecie à ſapore realiter ĩmutetur: id enim eſſe falſum inde conuincitur; quia Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem cum diſcipulis comedendo ſumptos cibos veriſsimè deguſtauit, vt ſuperius oſtẽdimus: cuius tamẽ lingua iam glorioſa ab extrinſeco cibo alterari non poterat, repugnante impaſsibilitatis dote. Concedendum eſt igitur, nõ ſolùm in tactu (vt dicemus in ſequenti quæſtione) ſed etiam in guſtu immutationem realem, tùm medij, tùm organi poſſe ſeparari ab immutatione intentionali, quæ fuit ſententia *D. Thomæ in 4.diſt.44.q.2.art.1.quæſtiunc.3. ad 2.& quæſtione 4.ad 1.Abulenſis in cap. 17.Matthæi q.114. ad 2.& ſpecialiter in guſtu id docuerunt Richardus in 4.diſt.49.art. 4.q.3.ad 5.Suarius in dicta diſp.47.ſect.6. & ſatis Scotus in 4.diſtin. 49.q.13. ad 2.& diſt.44.q.3.* Illi igitur Philoſophi, qui putant, ad guſtationem neceſſariam eſſe immutationem realem organi ſimul cũ intentionali, loquuntur in ſubiecto capaci naturalis immutationis, in quo qualitas ſapida, cum ſit actiua, non poteſt non realiter agere in linguam: vnde fit, vt immutatio illa realis organi non per ſe, ſed ſolũ per accidens coniuncta ſit cum immutatione intentionali, vt docuit D: Thomas cum cæteris, quos citauimus. Sed non ob ſolam ſaporis actiuitatem in ſubiecto capaci neceſſaria eſt illa accidentalis coniũctio immutationis realis cum intentionali; ſed etiam ob craſsitatem, & materialitatem ipſius guſtus, qui ideo dicitur quidam tactus: quia ſine præcedente tactu, & ſimul cum tactu ſentire non poteſt, quo fit, vt ob eã etiam rationem pro ſtatu vitæ in guſtu detur hæc coniunxio: nam ob eam datur in tactu, vt in ſequenti quęſtione dicemus. 15. Ex alio capit. negatur D. Thom. Abulenſ. Richard. Suarius. Scotus.

Ex his inferes, quod ſicut Chriſto cũ 16.

diſci-

Confirmatur ſolutio. diſcipulis comedenti ſatis fuit præſentia externi cibi in ore comeſti, ad intentionaliter, & ſenſibiliter immutandum, tùm medium, tùm ſenſorium guſtus, abſque vlla reali eorundē immutatione: ſic etiā ſatis erit præſentia cœleſtis illius humiditatis in ore cuiuſque beati exiſtentis, vt tam medium carnis linguæ, quàm ipſum guſtus ſenſorium ad actum intentionaliter immu... Quare vltima inſtantia nulla eſt: vel quia non datur ſpecies intentionalis ſine præſentia obiecti; vel ſi dari poteſt, nō concurret ad veram guſtationē, ſed ad apparentem tantum.

17. Alia ſolutio. Secundo etiam modo, & faciliori poteſt ſolui argumentū, ſi admittamus antecedens: adhuc enim vſus guſtus in beatis admitti poteſt, & debet; quoniam admittendum eſt, totam linguā beati, etiam ſecundum ſenſorium guſtus, humore illo cœleſti, quem ponimus, realiter eſſe perfuſam, & alteratam: non quidem de nouo, ſed ſtatim à primo inſtanti gloriæ corporis, cum quo eadem numero alteratio perpetuo immutabilis permanebit: vnde eadem met ſpecies intentionalis, quæ ſenſorium guſtus à principio ſenſibiliter immutauit; perpetuo immutabit ad eandem immutabilem guſtationem. Hanc ſolutionem videtur probare *D. Thomas in 4: diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. in fine corporis*, dum abſolute docet, *guſtum in beatis futurū eſſe in actu per immutationem linguæ ab humiditate adiuncta.* Quæ verba de vtraq; immutatione, reali. ſ. & intentionali accōmodatiſsimè explicari poſſunt. *D. Thom.*

18. Ad 3. Ad tertium, & poſtremum argumentum dicēdum eſt, inter principales fines, quorum gratia guſtus à Deo eſt inſtitutus, hunc enumerari, vt animantia ad capiendum alimentum ob illius voluptatē allicerentur, vt Philoſophi docent; hunc tamen finem non eſſe adæquatum: nullus enim negabit ſenſum guſtus etiam fuiſſe inſtitutum, vt anima haberet notitiam ſaporum omnium, & vt omnes ſaporum differentias diſcerneret: ob quā rationem ſuo etiam modo dici poteſt ſenſus diſciplinæ, ſuo modo inſtitutus ad Philoſophandum, tanquam ad id neceſſarius, vt ſcilicet omnia rerum naturalium attributa cognoſci poſſent: præterea etiā, vt anima allecta ſuauitate rerum corporalium magis alliceretur ad ſuauitatem ſpiritualium, quæ longè eſt altioris ordinis; atque ita adhæreret Deo omnium vltimo fini: vterque autē iſte finis in Patria permanet: nec enim anima omnium ſaporū haberet notitiam, niſi in Patria ambroſeum nectar ſenſibiliter perciperet, cuius perceptione, & vſu ad diuinas decātandas laudes non parum excitabitur.

QVÆSTIO X.

De ſenſu tactus.

VLtimum locum obtinet ſenſus tactus: quamuis neceſsitate ſit omnium primus; quia ſine eo vita animalis, nec per breue tēpus poteſt ſalua conſiſtere, vt ex Ariſtotele 2. de Anima cap. 2. tex. 25. & lib. 3. cap. 12. tex. 68. cōmuniter docēt Philoſophi. De eo tres excitabimus articulos. Primus eſt; an in Patria futurus ſit vſus huius ſenſus? Secundus; quænam in Patria à beatis tangentur? Tertius; vtrū beati neceſſariò ſentiant, quæ corporaliter tangunt?

ARTICVLVS I.

An in Patria futurus ſit vſus huius ſenſus?

§. 1.

Refertur pars negans cū fundamentis.

QVidam negantem partem probauerunt, ſicut innuit *Abulenſis in cap. 17. Matthæi q. 114. & 116. in principio:* ego, qui eam probauerit, inueni nullum, exceptis hæreticis, qui pauperes de Lugduno appellati ſūt: hi enim in hoc fuerunt errore, vt dicerent, beatos beatifica viſione ita rapiendos eſſe, & eleuandos, vt ſenſibus ſine beatitudinis, & viſionis remiſsione vti non poſsint: vnda etiā Chriſto reſurgenti vſum ſenſuum negauerunt; in quo hæreticè decepti ſunt. Huius erroris fundamentū nō habent aliud, niſi quod eſt explicatum; poſſet tñ error iſte fūdari in difficultate §. 3. ſtatim ponenda. 1. Pars negās *Abulenſ.*

§. 2.

Affirmatiua eſt tenenda.

Theo-

2. Affirmans vera. THeologi tamen omnes vnanimo conſenſu partem affirmantem probant, & beatis in Patria concedũt

D. Thom. Richard, D. Bonan. Maior. Ouand. Abulenſ. Medina. Viguerius. Suarius. Sotus. Palatius. Angles, vſum tactus: ita *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. in corp. & ad primum; Richardus in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. in corp. & ad 9. D. Bonauentura ibidem artic. 3. q. 1. nu. 42. Maior q. 14. concl. 2. Sotus q. 4. articu. 5. concl. 6. Ouandus propoſit. vlt. Abulenſis in capit. 17. Matthæi q. 116. litera D. Medin 1. 2. q. 3. art. 3. ad finem, Viguerius in ſua Inſtitutione Theologica cap. 14. §. 2. verſ. 3. Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 6. & ſatis eſt de mente Scoti in 4. diſt. 49. q. 13. ad 2; & Palatij ibidem diſp. vlt. ad finem, & Anglesin q. de Beatitudine art. 5. dub. 1.* Denique hãc ſententiam probant omnes Recentiores.

3. 1. Cõfirmatio ex D. Anſeelm. Hæc ſententia primò confirmari poteſt authoritate *D. Anſelmi in lib. de Similitudinibus cap. 57.* vbi ita ait: *Oculi, aures, nares, os, manus, mirabili delectationis, & dulcedinis ſenſu replebuntur.* Laurentius etiam

Laurẽtius. Iuſtinian. Iuſtinianus in libro de doctrina, & perfectione conuerſationis Monaſticę cap. 23. ita ſcribit: *Caro ſpiritualis effecta per omnes ſenſus ſuos multimodis exuberabit delitijs.* Et percurrẽs ſingulos ſenſus de tactu ita ait: *Ipſe demũ tactus congruis abundabit delitijs.*

AbbasCel. Id ipſũ explicauit D. Petrus Abbas Cellenſis in tract. de panibus capit. 7. vt poſt cæteros ſenſus ita inquit: *Manus quid concrectant? niſi verbum vitæ?*

4. Secundò euidenti ratione id ipſum oſtenditur: quoniam in corpore glorioſo nihil deeſt ad vſum tactus: adeſt ipſa ſentiendi potentia, eaque ideo omnium perfectiſsima; quia glorioſa: Adeſt mediũ, ſiue ſenſorium, in quo potentia ineſt, ſiue illud ſit caro, ſiue neruus, ſiue vtrumque ſimul. Non deeſt obiectum per ſe tangibile: quia corpora glorioſa per ſe ſunt tãgibilia, iuxta illud Chriſti: *Palpate, & videte.* Perfectio iſta decet ſtatum gloriæ, quia decet, vt in eo omnia ſint vltima perfectione conſummata, præſertim illa corporis inſtrumenta, quæ ad meritum fuerunt cooperata; interque non infimum locum habet ſenſus tactus, qui diſciplinis, alijſq; corporalibus afflictionibus non parum fuit mortificatus. Quid igitur deeſt, vt ſenſatio naturaliter non ſequatur? At inquies: tactus actualis dari non poteſt ſine reali immutatione, tàm medij, quàm ſenſorij. Sed de hac difficultate in ſequenti §. dicemus.

§. 3.

Soluitur obiectio ſumpta ex reali immutatione ſenſorij tactus.

TOta huius quæſtionis difficultas in eo eſt poſita; an realis immutatio tam medij, quàm ſenſorij ſenſus tactus per ſe ſit neſſaria ad actualem tactus ſenſionem? nam illam per ſe eſſe neceſſariam, probari videtur, ſi vera eſt eorum ſententia, qui putãt, tactum actualem nõ fieri per ſpeciem intentionalem, ſed per realem receptionem qualitatum tactiliũ. Imò iden etiam infertur ex communi, & recepta Philoſophorum ſententia, quam probant Conimbricenſes 2. de Anima c. 11. q. 3. art. 1. & 3. ſcilicet tactũ actualem, nec fieri ſine ſpecie intentionali, nec ſine reali, tam medij; quàm ſenſorij immutatione: nec enim ob aliam cauſam manus non ſentit obiectum æque calidum, niſi quia non poteſt ab illo alterari, quantum vis ſpeciem illius habeat. 5. Ad argum. aduerſariũ. Ad rationẽ dubitandi?

Huic difficultati cõmunis ſentẽtia noſtrorum Theologorum ita occurrit, vt dicat, actualem tactũ ſine ſpecie fieri non poſſe; benè tamen ſine reali, aut medii, aut ſenſus alteratione; ſaltem in ſubiecto incapaci nouæ alterationis: in hoc enim, vt volunt, poteſt alteratio intẽtionalis ab alteratione reali ſeparari; quia non habẽt ordinem inter ſe, ſed tantum concomitantiam reſpectu ſubiecti paſsibilis. Ita reſpõdent Nouiores, cũ quibus ſunt *Suarius, Sotus, Abulenſis vbi ſupra, & fuit ſolutio D. Thomæ, Richardi, Scoti, & Maioris locis ſupra citatis.* 6. 1. Solutio. Suarius. Sotus. Abulenſ. D. Thom.

Sed proſectò hæc ſolutio vim difficultatis non elidit, niſi aliquid addatur: nec enim citati authores rationem deſcriminis reddũt; ſcilicet, cur in ſubiecto capaci nouæ alterationis vſus tactus non detur; quin & medium, & ſenſus realiter immutentur; detur autem, vbi ſubiectum alterationis eſt incapax; quod diſcrimen petit allata difficultas. 7. Non recipitur.

Augetur adhuc vis difficultatis; quoniam, ſi ſatis eſt alteratio intentionalis ad vſum tactus, cur impedita noua alteratione in ſubiecto illius capaci (quando, ſcicet obiectum eſt æque calidum) non fit ſen- 8. Augetur vis difficultatis

ſenſio actualis; ſi tàm in medio, quàm in ſenſorio datur ſpecies intentionalis illius calidi? etenim quando obiectũ eſt æque calidum, licet non detur actio realis, realiter manũ alterans; datur tamen intẽtionalis alteratio per ſpeciem receptã in ſenſorio tactus, vt concedunt *Conimb. in d. c. 12.q.3.art.3.ad* 1. Ecce alteratio intẽtionalis ſeparata à reali non facit ſenſionem in ſubiecto paſsibili: cur igitur eã faciet in ſubiecto impaſsibili? *Conimbr.*

9. Propria ſolutio. Huius nodi ſolutionẽ in noſtris Theologis, tam antiquis, quã recentioribus ſemper deſideraui. Rem tñ conſideratius ſpeculanti nõ alia occurrit diſcriminis ratio, quæ ſeruatis Philoſophię regulis nodum ſoluat, quã nimia ſenſus tact⁹ materialitas, cui pro mortali ſtatu eſt cõiunctus, ratione organi, ſiue ſenſorij; ob quam pro ſtatu viæ in ſubiecto hominis eſt craſsiſsim⁹; & adeo craſſus, vt ſpecies obiecti tactilis nõ ſeruent debitã accõmodationẽ, & proportionẽ ad ſenſum tactus, niſi ab obiecto in ipſo ſenſorio ſecundũ eſſe reale inſidẽte, immediatè producantur; à qua materialitate, & craſsitie liber eſt, & ſolutus corporis glorioſi tactus; cui ſpecies tactiles minus craſſę, magiſq; attenuatæ ſũt proportionatæ ad ſenſionem eliciendam, quales ſunt ſpecies ab externo tangibili immediatè productæ, quamuis non producantur à qualitatibus tactilibus realiter inſidentibus in ſenſorio tactus.

10. Aduertẽtia. Pro huius ſolutionis maiore explicatione, aduertendũ eſt ſenſũ tactus eo obſcuriorẽ eſſe, & hebetiorẽ: quò organũ, in quo reſidet, materialioris, & craſsioris eſt temperamenti: hoc autẽ hac ratione facilè demonſtratur; quoniã conſtat hominẽ qui à pleriſq; animantium viſu, auditu, & olfatu ſuperatur, tactu cætera omnia animantia longiſsimè ſuperare, vt cõmunis Philoſophia docet cũ *Ariſto.2.de Anima c.9.tex.94.& lib.1.de hiſtoria animaliũ c. 15.* quam Philoſophiã probant *Conimbr. in 3.de Anima c.5.q.vnic.art.2.ad finẽ, & in 2.de Generat.cap.8.q.3.art.3.ad* 4. Cuius per ſe ratio non aliunde ſumitur, niſi quia bonitas tactus prouenit ex bonitate tẽperamẽti, in quo reſidet, & circa quod verſatur, vt ijdẽ Conimbricenſes, aduertrunt 3.de Anima loco citato. Iã verò temperamentũ hominis cæteris omnibus eſſe longè præſtantiſsimũ cõmunis eſt, tã Philoſophorũ, quam Medicorũ, cõſenſus, vt aſſerit *D.Thom.1.p.q.76.ar.5.& q.91.ar. 1.* conſetiunt plures, quos referũt, & probant iidem *Conimbricenſes 2.de Generatio, cap.8.q.3.art.3.in principio.* *Ariſtot.* *Conimbr.* *D. Thom.* *Conimbr.*

11. Quod etiã euidentius oſtẽditur in eodem homine: nã licet in qualibet parte corporis inſit tactus, vt verior habet ſententia, de qua Conimb.2.de Anima cap.11.q.1. art.1.concl.2. tamẽ magis viget tactus in externa cute; & maximè in ea, quæ volæ manus inuolucrũ exiſtit, vt aduertit *Galenus c.10.lib.1.de temperamentis*: idq; nõ ob aliam rationem, niſi quia hę partes corporis exactiorem temperamenti mediocritatem obtinuerunt: & meritò ſane; nã cum tactus dicatur ſenſus temperamẽti, vt cum Philoſophis aſſerunt Conimbricenſes in 2.de Anima cap.11.q.2. arti. 2. poſt principiũ: cum etiam primas qualitates habeat ad certam temperiem redactas, nec immutetur, niſi illa temperie immutata; inde fit, vt in meliori temperamento tactus ſit acutior, & melior. Denique ideò ſenſus tactus inter omnes externos ſenſus eſt obſcurior, & hebetior, non percipiens obiecta, niſi cohærentia (quæ eſt communis ſententia Diui *Thomæ prima parte quæſt.78.articulo tertio, & Conimbricenſium ſecundo de Anima cap. 9.quæſtio.5.articulo primo*:) quia ſenſorium, & organum habet cæteris omnibus materialius, & craſsius: quare inter tact⁹ ille erit hebetior, & obſcurior, qui fuerit organi craſsioris, vt ſupra conſtituimus. *Galenus.* *D.Thom.* *Conimb.*

12. Corollarium. Ex quo infertur, ſenſuũ tactus, quò hebetior fuerit, & quò habuerit organũ cõcretius; eò ad ſentiendum ſpecies craſsiores, & minus defęcatas ſibi poſtulare, quę eſt recepta ſententia: nam ob hanc cauſam auditus percipit obiecta minus diſtãtia, quàm viſus; & odoratus, quam viſus, & auditus: guſtus verò, & tactus ob ſuã craſsitiem ſola percipiũt attigua, & cohærentia, vt ex *D. Thoma, & Conimbr. locis immediatè citatis euidẽter colliges.* Id, quod in ſenſibus ſpecie diuerſis cernitur, in eodem ſenſu inueniri ipſa docet experiẽtia: nã qui imbecilla acie ſunt, & organũ viſ⁹ habent materialius, quò obiectũ longius diſtat, eò minus diſtinctè illud vident: quin potius à minori diſtãtia illud videre non poſſunt: non quod ad illam diſtantiã ſpecies obiecti nõ deferantur (quia in eadem *D. Thom.*

eadem diſtantia alius viſus acrioris videt obiectum) ſed quia organi ineptitudinē, & concretionem in ea diſtantia illas ſpecies non recipit ſibi proportionatas: ſenſus, enim, eò craſsiores ſpecies, tanquam ſibi proportionatas exigit, quò craſsior
13. eſt, & imbecillior. Cum verò ſpecies ſenſibiles eò ſint ſpiritualiores, & defæcatiores, quò longius ab obiecto diſtant; è cōuerſo autem eò craſsiores, quò propius illi appropinquant (interuallo enim maiori, vel minori magis, vel minus attenuantur, & immaterializantur) hinc fit, vt ſpecies tactus (ſimiliter eſt guſtus) nō ſint tactui accommodatæ: imò illi non imprimantur, niſi obiectum, quod repræſentant, ſit realiter coniunctum, & cohærens cū medio interno tactus, quod ipſū ſimul etiam eſt tactus ſenſorium. Et in hoc diſtinguitur tactus à cæteris ſenſibus; nam in cæteris obiectum poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem; benè tamen eam facit in tactu: ſiue illa fiat in parte ſenſorij immediatè ſequente, vt habet communis opinio; ſiue in ipſa eadem parte, quæ eſt verior ſententia, de qua *Conimbricenſes ſecundo de Anima cap.*
Conimb. 11. *quæſt.* 3. *art.* 2. *&* 3. vbi doctiſsimè aduertunt guſtui, & tactui hoc eſſe peculiare, vt inter potentiam, & obiectum non neceſſario requirant interuallum, quo ſpecies extenuentur; quia ſicut cæteri ſunt craſsiores; ita ſpecies ab obiecto proximè edita non poteſt illis eſſe accommodata.

14. Explicatur difficultas. Ex his iam conſtat enodatio difficultatis nodi, cuius ſolutionem inquirimus: etenim ratio diſcriminis in eo eſt poſita, quod ſenſus, ſiue tactus, ſiue guſtus; pro ſtatu mortali longè eſt craſsior, & materialior, quā futurus ſit in Patria: etenim in ea omnium conſenſu futurus eſt in ſūma perfectione, ad quam mortalis tactus nunquam perueniet; quia nec peruenire poteſt ad ſpiritualitatē ſenſorij, qua in Patria donabitur. Quare ſi ſenſus tact⁹, quo craſsior eſt, eò craſsiores poſtulat ſpecies; & è contrariò, quo eſt perfectior, & immaterialior, eò ſpecies immaterialiores exigit; neceſſario concedendum eſt, ſpecies tactiles pro mortali ſtatu tactui proportionatas, & accommodatas craſsiores eſſe, quàm ſpecies, quæ tactui glorioſo futuræ ſunt proportionatæ. Cū verò maior vel minor ſpecierum craſsities, vt debitè proportionatæ ſint tactui, non aliunde oriri poſsit, niſi, quia ſpecies immediatè fluunt à qualitate tactili ſecundum eſſe reale in organo incidente, vel illi contigua, & cohærente (etenim tactus, tam pro hoc, quàm pro illo ſtatu per ſe exigit realem obiecti cum medio, & ſenſorio contactum, contiguitatemque) fit, vt pro ſtatu viæ non ſatis ſit contiguitas tactilis cum ſenſorio, ſed adhuc ſit neceſſaria actualis ipſius ſenſorij actuatio ſecūdum realem qualitatem: at pro ſtatu Patriæ ſatis ſit realis contiguitas cum ſenſorio abſque vlla ipſius ſenſorij reali actuatione: Quod in hac materia eſt notandū.

ARTICVLVS II.

Quænam à beatis tangi poſſunt?

VT de obiecto tāgibili, & de modo, ſiue neceſsitate tangendi aliquid dicamus: pro explicatione huius articuli illud eſt certiſsimū, corpora glorioſa eſſe tangibilia: nam Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem ſæpius ſe præbuit diſcipulis tangendum, iuxta illud Lucæ vltimo, *Palpate, & videte.* 1. Luc. vlt.

Deinde certiſsimū eſt, ſi beati ad inferiora aliquando deſcendant, poſſe tangere terram ipſam, aquam, & ſi quæ alia inferius tunc fuerint corpora tangibilia.

Vtrùm verò tangere debeāt, & poſsint ipſa corpora cœleſtia? Affirmat Sotus *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 4. *art.* 5. *concl.* 6. & eadem ratione idem diceret de aere, & igne, ſi beati ad hæc duo elementa deſcenderent. At hoc eſt omninò falſum: cum enim careant qualitatibus tactilibus, de quibus agit *Ariſtot.* 2. *de Anima cap.* 11. nulla ratione poſſunt ſenſibiliter tāgi, vt docet D. Thomas 3. p. q. 54. art. 3. ad 2. vbi Caietanus, & Suarius in Cōmētario articuli. Nec obſtat, quòd cœleſte corpus reſiſtit: quia vt corpus ſit palpabile, non ſatis eſt, quod reſiſtat: poteſt enim reſiſtere ratione indiuiſibilitatis; ſed neceſſe eſt, vt ſit affectum qualitatibus per ſe tangibilibus, cōiunctis cum reſiſtentia, ratione denſitatis, & duritiei. Vide Suarium in dicto articulo. 3. 2. An tangent corpora cœleſtia. Soti opinio non recipitur.

Ex quo fundamento inferes, beatos, nec ignē, nec aerem poſſe ſenſibiliter tangere 3. Quæ non tangent.

gere: quia licet habeant qualitates per ſe ſenſibiles, deeſt tamen denſitas, & aliqualis durities, quæ faciant tangenti reſiſtentiam, ſine qua naturaliter non datur tactus. Cum igitur duo illa elementa propter maximam raritatem ſine vlla reſiſtentia cedant, & diuidantur, palpari, & tangi non poſſunt: Hæc tamen intellige de his elementis in ſua natura ſpectatis; nam ſi aer nimia agitatione cõmoueatur (vt fit, quando ingenti ruina turres decidunt, aut flabello hinc, inde aer cõmouetur) reſiſtentiam mendicant, & ob id ſentiuntur; nõ ſolùm ratione impetus; qui veluti quodã pondere impellit, ſed etiam ratione ſuarum qualitatum refrigerant: vnde ſancti, ſi ad nos deſcenderent, poſſent iſto modo aerem ſentire, imò etiam & ignem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm beati neceſſario ſentiant, quæ contingunt?

1. Dubitatio 3. Tertio loco dubitari poteſt; an beati, ſi corpora tangibilia contingãt, neceſſariò illa tactu percipiant? nã pro vtraque parte ſuppetit ratio dubitandi: nam vt in q. ſequente dicemus, in eorum poteſtate erit, ſe prębere palpandos; cur igitur non erit eis liberum, non percipere tactu corpora, quæ contingunt? *Ratio dubitandi prov traq; parte.*

¶ At pro altera parte illud facit; quia ſancti non poſſunt non videre viſibilia ſibi obiecta: nec poſſunt nõ audire ſonos melodiæ cœleſtis: nec non odorare corporũ glorioſorũ ſuauiſsimum odorem: deniq; nec poſſunt non guſtare dulcedinẽ cęleſtis humoris, quo lingua afficitur. Ergo non poterunt non palpare, tactuque non ſentire, quæ quantitatiuè contingunt: nã obiecta naturaliter operantur, & corpora glorioſa eorum ſpecies naturaliter recipiunt.

2. Difficultas hæc à Theologis in tacta adhibita diſtinctione reſoluetur: nam cũ liberum ſit beato ſua quantitate reſiſtere, vel non reſiſtere alteri corpori, vt latius dicemus *lib. 5. in q. de dote ſubtilitatis*; ſtatuenda eſt aſſertio bimembris: *Poteſt beatus corpus perſe tangibile tactu nõ percipere, ſi illud penetratiuè contingat: ſi autem velit ſua quantitate alteri reſiſtere; tunc non poteſt illud tactu non percipere.* Prior pars aſſertionis ex eo probatur: quia ſenſio tactus ex natura ſua poſtulat, vt tangens, & tangibile ad inuicem reſiſtant: ſi enim alterum ſine vlla prorſus reſiſtentia cedat, nõ dabitur ſenſibilis tactus: ſicut enim reſiſtentia nõ datur, niſi fuerit mutua; quia reſiſtens nõ reſiſtit, niſi reſiſtenti: ita palpabile, niſi à palpabili non ſentitur: palpabilitas enim conſequitur reſiſtentiam. *Reſoluitur. adhibita diſtinctione. Aſſerio bimembris. 1. Pars probatur.*

3. Poſterior autem pars aſſertionis ſatis confirmata eſt ratione adducta pro parte oppoſita: etenim inter illa extrema actio & paſsio eſt naturalis, atque neceſſaria; vnde non eſt in poteſtate beati ſe facere incapacem talis paſsionis antecedentis; & ex conſequenti nec actionis ſenſitiuæ. *2. Cõfirmatur.*

QVÆSTIO XI.

De ſenſibilitate paſsiua corporis glorioſi.

Egimus in ſuperioribus de ſenſibilitate actiua glorioſi corporis; & conſtituimus, omnes ſenſus futuros eſſe in beatis, non ſolum in actu primò ipſius potentiæ; ſed etiam in actu ſecundo, & vſu. Conſequenter eſt agendum de ſenſibilitate paſsiua eiuſdem glorioſi corporis, de qua vnicum excitabimus articulum: vtrùm corpora glorioſa poſsint aliorum ſenſibus percipi?

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm glorioſa corpora percipi poſsint aliorum ſenſibus?

1. Hvic quæſtioni reſpondendum eſt affirmatiuè, ſi vnum guſtum excipiamus: poterit enim corpus glorioſum naturaliter videri ſecundum ſuũ colorem in ſuperficie externa exiſtentem: vtrùm verò etiam videri poſsit ſecundum ſuam lucem, & tranſparentiam, quam habebit? Expendendum erit in quæſtione de dote claritatis libro quinto: præterea poterit, & debet audiri ſecundum propriam vocem, quam in Patria poteſt edere: odorari item ſecũdum proprium, ac ſuauiſsimum eius odorem: denique palpari, & tangi poterit; quia naturales habebit qualitates tactiles: *Affirmatiua vera.*

Confirmatur ex ſacris literis. guſtu tamen non percipietur; quia nunquam corrumpetur. Hæc omnia, quæ de viſibilitate, & palpabilitate corporis glorioſi diximus, expreſſè colliguntur ex ſacris literis; quia Chriſtus Dominus, & viſus, & palpatus eſt, poſt ſuam reſurrectionem: audibilitas verò, & odorabilitas euidenter colliguntur ex ijs, quæ de auditu, & olfatu diximus.

2. Illud eſt hoc loco aduertendum, omnes Theologos in hoc conuenire, in poteſtate beati eſſe ſe, aut videndum, aut palpandum præbere homini non beato: quia poteſt ſuſpendere emiſsionem ſpecierum intentionaliũ, vt latius dicemus libr. 5. in q. de dote claritatis, & ſubtilitatis. Idem ipſum dicendũ erit de auditu, & odoratu; poterit enĩ beatus pro ſuo arbitrio ſe præbere, vel non præbere audibilẽ, & odorabilẽ; ſuſpendẽdo. ſ. ſpecies ſoni, & odoris: eadem enim ratio militat in his, & in alijs ſenſibilibus.

3. Occurritur difficultati. Vna ſolũ ſupereſt difficultas; an. ſ. poſſit palpari à corpore non glorioſo prçuia ſola intentionali alteratione? an verò ſimul etiã ſit neceſſaria alteratio realis actione primarũ qualitatũ? Ego puto vtraque alterationem eſſe neceſſariam, ſi naturaliter ſentiri debeat: quia pro ſtatu viæ ad ſenſationem tactus vtraque alteratio eſt neceſſaria, vt ex ſuperioribus iam patet.

QVÆSTIO XII.

De ſenſibus internis corporis glorioſi.

1. Abſoluta diſpoſitione de ſenſibus externis, & vſu eorũ; conſequitur diſputatio de ſenſib⁹ internis: an omnes in corpore, glorioſo ſint futuri, tùm in actu primo tùm in actu ſecundo?

In hac quæſtione ſequentes excitabimus articulos. Primus; quot ſint ſenſus interni? & quot eorũ operationes? Secundus; an omnium ſenſuum internorũ vſus ſit futurus in corpore glorioſo? Tertius; vtrùm in illo futurus ſit vſus ſenſus cõmunis? Quartus; vtrùm phantaſia cũ ſuo vſu in illo ſit futura? Quintus vtrùm phãtaſia poſt reſurrectionẽ ſit miniſtratura intellectui? Sextus, & vltimus; quę nã res cadant ſub internos beatorũ ſenſus?

ARTICVLVS I.

Quot ſint ſenſus interni? & quot eorum operationes.

§. I.

Præmittuntur nonnulla.

1. Præmiſſ. Dicturi de ſenſibus internis corporis glorioſi, & de operationibus eorum; operæpretium erit, breuiter præſtingere, & numerum eorum, & ſingulas actiones, vt facilè explicetur, quæ nam earum in corpore glorioſo reperiantur?

2. Supponẽdum interim eſt, omnes ſenſus internos, qui in nobis pro ſtatu mortali dantur, futuros eſſe in corpore glorioſo pro ſtatu beatitudinis iam enim oſtendimus, nos reſurrecturos fore cũ omnibus potẽtijs ſenſitiuis, tam externis, quã internis. ¶ Aduertendum igitur eſt, cõtrouerſiam eſſe inter Philoſophos, quot nam ſint interni ſenſus? de qua relatè diſputant *in 3. de Anima cap. 3, vbi Conimbricenſes q. 1.* cuius reſolutio ad noſtrum inſtitutum parum pertinet; quia ad præſentem diſputationẽ ſatis erit tot in corpore glorioſo futuros eſſe ſenſ⁹ internos, quot in corpore mortali fuerunt. Quare vnuſquiſque de numero eorum contendat; dũ tamen tot in glorioſo corpore tot admittat, quot in corpore mortali admittendos putauerit. In hac tamen quæſtione pro certò habendum erit, dandũ eſſe ſenſum communem, vt cũ *Ariſtotele in 3. de Anima cap. 2. & cap. 7.* & alijs in locis docet peripatetica doctrina, de qua latè diximus in dicto cap. 2. & poſtea *Conimbricenſes id explicarunt ibidem q. 2.* *Conimbr.* *Ariſtot.* *Conimbr.*

3. Dandus eſt aliquis ſenſus intern9. Certiſsimum etiam eſt, pręter ſenſum cõmunem dandũ eſſe aliũ ſenſum internũ, quocumque nomine ille appelletur, vt contra Alenſem 2. parte q. 70. memb. 2. communi conſenſu docent tùm Philoſophi, tum Medici, de quo *Conimbricenſes in d. lib. 3. de Anima c. 3. q. 1. art. 2. concl. 1. & art. 3. §. penultimo*; quod nos etiam in eodem loco latius oſtendimus. Tertio, certum eſſe debet, ſenſum communem non eſſe cũ phantaſia confundendum, quamuis *Galenus eum cum phantaſia confundat in lib. de different. Symptom. capite tertio*; in quo tamen non eſt audiendus; *Conimbr.*

maximè cum ipſe ſibi non conſtet, dum phantaſiam confundit cum memoria lib. 2. de muſculorum motu.

§. 2.

Referuntur variæ ſententiæ.

4. De numero ſenſuum internorum. 1. Opinio. DE numero igitur ſenſuum internorum quatuor celebres inueniuntur ſententiæ: quarũ prima quinque ſenſus internos conſtituit: ſcilicet ſenſum communem, phantaſiam, imaginatiuam, æſtimatiuam, & memoriam: ita *Auicenna 6. natural. partè 4. cap. 2. Algazellus in libello de Anima tractat. 4. cap. 4. Albertus Magnus lib. 2. de Anima tractat. 4. cap. 7. Ioannes Gandauenſis in 2. de Anima quæſtio. 37.*

Auicena. Algazel. Albertus. Gandauen.

5. 2. Opinio. Secunda opinio quatuor tantum ſenſus admittit: ſenſum, inquam, communem, phantaſiam, ſiue imaginatiuam (has enim potentias hi authores non diſtinguunt) æſtimatiuam, ſiue cogitatiuam, & memoriam: hæc fuit opinio *Auerroes 3. de Anima comment. 6.* D. *Thomæ 1. p. q. 78. artic. 4. & Opuſculo 43. cap. 4. quem ſequuntur omnes Thomiſtæ, vt Caietanus in dicto art. 4. Ferrarienſis in 3. de Anima q. 4. probant Conimbricenſes ibidem cap. 3. q. 1. artic. 2. concl. 1. 2. & 3;* & eſt communior opinio inter Philoſophos, & Theologos. Hæc pinio à priori in hoc differt, quòd phantaſiam ab imaginatiua nõ diſtinguit; nec ponit potentiã peculiarem, cui proprium ſit munus ſpecies inter ſe componere, & diuidere: hoc enim munus quoad ſpecies ſenſatas concedit phantaſiæ, quoad inſenſatas verò cogitatiuę.

Auerroes. D. Thom. Caietan. Ferrar. Conimbr.

6. 3. Opinio. Tertia opinio agnoſcit tres dumtaxat potentias: ſed ſubdiuiditur, quidam enim cogitatiuam à memoria nondiſtinguunt: vnde has potentias numero ternario enumerant, ſcilicet ſenſum cõmunem, phantaſiam, & cogitatiuam. Alij verò phantaſiam confundunt cum ſenſu communi. Vnde eos tres ſenſus internos conſtituunt; phantaſiam, cogitatiuam, & memoriam: ita *Galenus, de differentijs Symptom. capite tertio Diuus Gregorius Nyſſenus libro 4. de viribus Animæ cap. 6. & 7. D. Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 17. Nemeſius de natura hominis cap. 6. in hãc potius inclinat Thomas de Garbo in Summa Medicinali quæſtio. 86. ad finem:* eandem eſſe cum ſecunda æquè probabilem affirmant *Conimbricenſes vbi ſupra art. 2. in fine.*

Galenus. Nyſſenus. Damaſce.

Poſtrema ſententia duos tantum admittit internos ſenſus: ſenſum inquam cõmunem, & phantaſiam, quam à cæteris enumeratis ſenſibus ſola ratione diſtinguit: hęc fuit ſententia cuiuſdam *Sebaſtiani Pirez in 2. de Anima cap. 3. eam probauit Fonſeca in 5. Metaph. cap. 28. q. 7. ſectio. 4.* Illam magis eſſe conſentaneam veritati aſſerunt *Conimbricenſes vbi ſupra art. 3;* & videtur magis conſentire cum Ariſtotele *in lib. 3. de Anima,* vbi ſolùm egit de ſenſu communi, & phantaſia, ſiue imaginatiua. 7. 4. Sententia.

Pirez. Fonſeca. Conimb. Ariſt.

§. 3.

Reſolutio ad inſtitutum pertinens. 8.

QVænam harum opinionũ ſit verior? non eſt noſtrum modo diligentius expẽdere: ſolùm enim agimus de actionib' ſenſuum internorũ; de quorum numero nulla eſt inter authores controuerſia, ſiue duo tantum ponantur ſenſus, ſiue plures. Quare ſingulas internas ſenſiones breuiter præſtringemus. Vera reſolũtio.

9. Datur aliqui ſenſus interni. Conſtat inter Philoſophos dati ſenſum aliquem internum, qui ſimul cum ſenſibus externis externa obiecta ſenſibiliter percipiat; actiones externas ſentiat; inter eas, earumque obiecta diſcernat; denique ſenſibus externis impertiatur vim ad obeundas ſuas functiones, communicando, ſcilicet illis ſpiritus animales, quos à ſe, veluti à fonte, ac primario ſentiendi inſtrumento effundit. Quæ omnia ex Ariſtotele euidenter oſtendunt Philoſophi *in 3. de Anima cap. 2. & 3. & vtrobique Conimbricenſes in omnibus quæſtionibus.*

Ariſtotel. Conimbr.

10. Species ſenſatę conſeruantur interius. Conſtat deinde in ſenſibus internis cõſeruari ſpecies ſenſatas, etiam in abſentia obiectorum: nam rerum abſentium idola interius, efformamus, & inter ſe variè cõponimus, & diuidimus; elicimuſque varias notitias internas.

11. Eliciuntur ſpecies non ſenſatæ. Conſtat tertio ex notitijs rerum ſenſatarum elici in nobis ſpecies non ſenſatas, rerum, inquam, quæ ſenſu percipi nõ poſſunt, vt verbi gratia amicitiæ, vel inimicitiæ; vtilis, vel nociui: ad quam notitiam cum iudicio ſenſitiuo coniunctam conſequitur cõmotio appetitus ſenſitiui, vt vel perſequatur rem, vel eam fugiat.

Poſtremò conſtat ſpecies iſtas tam ſenſatas, quàm inſenſatas interius conſeruari 12.

ſub ratione præteriti, vt earum rerum, quas repræſentãt, meminiſſe poſsimus. ¶ Hæc ſunt, aut omnes, aut ſaltem præcipuæ operationes ſenſitiuæ, quas, etiam in abſentia ſenſibilium, interius exprimimus: de quibus omnibus latè diſputant Philoſophi in 2. de Anima capite 2, & tertio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnium ſenſuum internorum vſus futurus ſit in corpore glorioſo?

1. Quæſtio. Explicatis ſenſuum internorũ operationibus, conſequenter expendendum eſt; vtrùm omnes illæ in corpore glorioſo reperiãtur? De qua re pauca ſcripſere noſtri Theologi; erit igitur non inutile rem iſtam diligentius explicare.

2. 1. Concluſ. Maior. Sit prima concluſio vniuerſalis: *Omnes ſenſus interni corporis glorioſi habebunt omnem ſuum vſum.* Concluſio in hac ferè generalitate ponitur à *Maiore in 4. diſt. 50. q. vltim. §. Ad vltimam huius libri dubitationem.* dum ait: *In omnibus alijs ſenſibus, tã exterioribus, quã interioribus erit ſibi correſpondens oblectamentum.* Eandem concluſionem poſuit Medina 1. 2. q. 3. art. 3. in 2. aſſerto ſecundæ dubitationis; Vbi eam tribuit Soto, qui tamen in hac generalitate eam non poſuit. Eandem probauerũt *Conimbricenſes 3. de Anima cap. 8. quæſtio. 8. ar. 2. ad finem.* Satis eam inſinuat *Suarius in 2. tomo ad tertiam partem diſput. 47. ſectio. 6. §. Quarto igitur certiſsimum etiam eſt.* Denique eam omnes doctores videntur ſupponere, & ſatis recipitur à Nouioribus. *Conimbr. Suarius.*

3. 1. Argum. Hanc concluſionem in hac generalitate probant omnia argumenta, quibus in quæſtione antecedente oſtendimus, omnes ſenſus externos habituros fore ſuas operationes: nam quilibet ſenſus naturaliter appetit ſuam vltimam perfectionẽ, quæ poſita eſt in actu ſecundo. Cur igitur in Patria ſenſus interni nõ habebunt ſuas operationes? Etenim decet ſtatum illum beatificum, vt in eo omnia ſint perfectiſsima.

4. Secundo. Secundo; cur pars ſenſitiua exterior, quæ inferior eſt, erit in Patria in perpetua vigilia: interior verò, quæ eſt ſuperior, & longè perfectior, erit in ſomno? Nam beatitudo animæ magis redundabit in partem ſenſitiuam interiorem, quàm in exteriorem.

5. Tertio. Accedit tertio; quia nullus eſt ſenſus interior, qui beato non fuerit inſtrumentum alicuius virtutis, & meriti. Omnes igitur, & ſinguli ſuo donabuntur prœmio: quo frui non poterunt, niſi ſint in actu ſecundo: nam ob hanc rationem in damnatis omnes ſenſus interni ſua peculiari pœna torquentur; quia alicuius vitij fuerunt inſtrumenta.

6. Poſtremũ. *D. Anſel.* Poſtremo id confirmant verba D. Anſelmi in lib. de ſimilitudinibus cap. 57. dũ generaliter, ait: *Totos beatos inenarrabili ſua vnitatis abundantia eſſe replendos: oculos. inquam, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, oſſa, medullas, & cuncta ſingulatim, ſingulaq; mẽbra in communi tam mirabilis delectationis, & dulcedinis ſenſu ita eſſe replenda, vt verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur.* Id ipſum confirmant verba *Laurentij Iuſtiniani in lib. de doctrina, & perfectione conuerſationis Monaſticæ cap. 23.* caro, inquit, *ſpiritualis effecta per omnes ſenſus ſuos multimodis exuberabit delitijs:* enumeratiſq; omnibus externis ſenſibus, ita concludit: *Fas enim non eſt. vt in illa cœlorum gloria quidquam vacet à laude Dei: quin potius iuſtum eſt, vt cuncta corporis membra ſuum proprio modo efferant conditorem; quatenus ſicut ab ipſo ſumpſere principium; ita & in illo deducant ſ[uæ] beatitudinis finem, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Ex qua generalitate omnium membrorum euidenter conſtat ab hac perfectione non eſſe eximendos internos ſenſus. *Laurent. Iuſtinian.*

ARTICVLVS III.

An in beatis poſt reſurrectionem futurus ſit vſus ſenſus communis?

1. De vſu ſenſus cõmunis Concluſio. De vſu ſenſus communis hæc ſtatuitur concluſio: *In corpore glorioſo ſenſus communis habet ſuum vſum.* Hec concluſio præter authores in præcedente articulo citatos probatur à *D. Thoma in 4. diſt. 44. quæſt. 2. artic. 1. quæſtiunc. 3. ad 3.* probat eam *Abulenſis in capite 17. Matthæi q. 114. ad 3. litera F. & Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 4. articulo 5.* Et videtur ſatis *D. Thom. Abulenſ. Sotus.*

euidens

euidens ex ijs, quæ de ſenſibus externis in præcedente quæſtione diximus. Sed vt illa fiat euidentior, præmittimus, primum officium ſenſus communis eſſe cõmunicare ſenſibus externis ſpiritus animales, vt poſſint actiones ſuas exercere: eſt enim primus vitæ fons, primumque vitæ ſenſitiuæ inſtrumentum, vt art. 2. diximus ex Ariſtotele.

Primum officium ſenſus communis.

2. 2. officium. Deinde à ſenſibilibus ſimul cũ externis ſẽſibus immutatus ea omnia percipit per eaſdem numero notitias, quibus ab externis ſenſibus percipiuntur: eſt enim veluti centrum; in quod omnes ſenſibilium ſpecies per externos ſenſus confluunt, vt docent Philoſophi cum *Ariſtotele* 3. *de Anima c. 7. tex.* 31: quin potiùs cũ ſenſibus exterioribus continuatus ſimul cũ illis efficit vnum ſenſum completum, vt benè aduertit *Ferrarienſis 2. cont. gent. c.* 66: vnde ob id appellatur ſenſus cõmunis; quia ſcilicet cum ſingulis veluti primum ſentiendi principium ad ſenſationem concurrit, vt docet Philoſophia.

Ariſt. Ferrarien.

3. 3. officium. Tertiò cognoſcit operationes externorum ſenſuum, & inter eas omnes, earumq; obiecta, tanquã omniũ æſtimator, & arbitrer diiudicat, idque actione ſibi ſoli propria, quam ſibi vendicat, prout eſt ſenſus ab externis diſtinctus; quæ eſt veluti reflexa, continens iudiciũ, non quidem enunciatiuum, ſed ſimplex, vt cum *D. Thoma* 1. *p. q.* 78. *art.* 4. *ad* 2. *ferè omnes docent, & cum Ægidio, & alijs*; imò cum *Ariſtotele in lib. de ſomno, & vigilia cap.* 2. *latiùs oſtendimus in* 3. *de Anima cap.* 2. *q. vnica, concl.* 3. *&* c. 3. *q.* 2. *art.* 1. 2. *&* 3. & vtrobique videndi ſunt Conimbricenſes,

D. Thom. Aegid. Ariſt.

4. Poſtremũ officium. Poſtremò ex ſpeciebus intuitiuis, quas à ſenſibilibus ſimul cum externis ſenſib⁹ accepit, efformat ſimiles alias abſtractiuas, eaſque tranſmittit ad phãtaſiam, quæ ob hanc rationem à pleriſque dicitur theſaurus ſenſus communis, conſeruans obiectorum ſpecies, vt in eorum abſentia illis vtatur.

5. Hæc omnia ſunt futura in beatis. Hæc omnia ſenſus communis munia futura eſſe in patria inde euidenter colligitur, quòd in patria futurus ſit vſus omnium ſenſuum externorum, quem vſum non miraculoſè, ſed naturaliter ſunt habituri: naturaliter autem eum habere non poterunt, niſi ſpiritibus animalibus ſint affecti. Cum igitur in hoc à ſenſu cõmuni naturaliter dependeant, non eſt dubitandum, ſenſum cõmunem hos ſpiritus illis perpetuò communicaturum; nõ quidem eos de nouo generando; quia ſemel geniti nunquam corrumpentur; ſed eos in primo reſurrectionis inſtanti ſenſibus communicatos perpetuò cõſeruando, & in eos conſeruatiuè influendo: ob quam rationem ad hoc nulla locali mutatione opus erit.

Erit primũ officium.

Eodem fundamento conſtat, ſenſum communem hàbiturum fore ſecundum officium: nam ſenſus externi ſuas proprias actiones naturaliter habere non poterunt, niſi ſenſus communis, tanquam primum ſentiens, cũ illis ſimul cõcurrat. 6. Erit 2. officium.

Immutatus verò ab ipſis externis ſenſationibus, non poterit non eas percipere, easque ſimplici iudicio non diſcernere; iudicando, viſionem non eſſe auditionem; colorem non eſſe ſonum, & cętera: quod eſt tertium munus ſenſus communis. Erit tertiũ.

Ex quo naturaliter conſequitur munus quartum: etenim naturale eſt ſenſui communi ex ſpeciebus intuitiuis abſtrahere ſpecies abſtractiuas earum rerũ, quæ intuitiuè videntur; vt hoc modo notitia intuitiua (quæ tranſit) in phantaſia, tanquam in proprio theſauro remaneat. 7. Erit 4.

Ex quo inferes cũ D. Thoma in beatis futura eſſe iudicia volubilia in ſenſu communi: cui reſolutioni non contradicit Auguſt. vt inferiùs ſuo loco dicemus:

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in beatis poſt reſurrectionem futura ſit phantaſia cum vſu?

DE phantaſia, & illius vſu hæc etiã ſtatuitur concluſio: *Phantaſia in beatis futura eſt cum ſuo proprio vſu.* 1. Concluſio. Nomine autem phantaſiæ hoc loco intelligimus omnes ſenſus internos præter ſenſum communem; prout ſcilicet cogitatiuam, æſtimatiuam, & memoriam ſenſitiuam complectitur; ſiue illa ſit vna tantùm potentia ſiue plures: nam nobis ſatis eſt oſtendere omnia munera ſenſuum internorum futura eſſe in beatis poſt reſurrectionem. Concluſio in hoc ſenſu explicata ſupponitur ab omnibus Theologis, dûm docent, beatos poſt reſurrectionem

nem, etſi in intelligendo à phantaſmatibus non dependeant; poſſe tamen res ſenſibiles intelligere conuertendo ſe ad phantaſmata: de quo inferiùs nonnihil dicemus. Quæ cõcluſio, & reſolutio, quo ad cogitatiuam, ſiue phantaſiam aſſeritur à *Proſpero lib. 1. de vita contemplatiua c. 4.* dùm aſſerit, *in patria futurum eſſe intellectũ ſine errore: memoriam ſine obliuione: cogitationem ſine peruagatione.*

Proſper.

2\. 1. ratio. Erit 1. munus.

Probatur autem primo quoad primũ munus cogitatiuę proprium; quod ipſum eſt ſenſibilium, etiam abſentium, idola interiùs efformare, eaque inter ſe componere, & diuidere, ex ſingularibus propoſitionibus circa ſingularia diſcurrendo: nam vt diximus in præcedente articulo, proprium, & naturale officium ſenſus cõmunis eſt, ex ſpeciebus intuitiuis ſenſibiliũ abſtrahere ſpecies abſtractiuas eorundem, easque reponere in phantaſia; quem naturalem ordinem beatitudo non tollit, ſed perficit. Cum igitur beati poſt reſurrectionem externis ſenſibus plura debeant ſenſibilia percipere, tàm ante aſcenſum in cœlum, quàm poſt; vtique illorum omnium ſpecies abſtractiuas ſenſus communis reponet in phantaſia. At nullus dixerit, eas in phantaſia reponi, earum tamen nullum vnquam futurum eſſe vſum: eſſet enim talis abſtractio omnino fruſtra, ac ſine fine: qui in ſolo vſu illarum ſpecierum eſt poſitus.

3\. Erit 1. munus.

Quòd ſi beati poſt reſurrectionem ſenſibilium idola efformabunt; vtique ea inter ſe diuident, & component, vt phantaſiando diſcurrant: hæc enim eſt propria humanæ cogitatiuæ excellentia, quam conſequitur ex coniunctione, quam habet cũ anima rationali; ratione cuius excellentiæ ſolet appellari ratio particularis; quod ex D. Thoma, & alijs Philoſophis optimè confirmat *Curſus Conimbricenſis 3. de Anima c. 3. q. 2. art. 2. concl. 2.* atque etiam ex *Ariſtotele 1. Metaph. c. 1. & 2. Poſteriorum cap. vltimo*: ſicut enim appetitus ſenſitiuus ob naturalem coniunctionem cum intellectiuo nonnihil participat libertatis ex voluntate; ita etiã phantaſia, ſiue cogitatiua aliquid rationis adepiſcitur ex conſortio intellectus: ita enim fit, vt ſupremum infimi attingat infimum ſupremi, iuxta receptam doctrinam Dionyſij de diuinis nominibus c. 7.

D. Thom. Conimbr. Ariſt.

Quòd ſi hæc perfectio (quæ ſumma eſt) veluti naturaliter cõuenit phantaſię, ideò quia eſt humana; profecto in patria non poterit non conuenire, vbi omnia ſunt perfectiſsima.

4\. Eliciet ſpecies nõ ſenſatas.

Secundò probatur concluſio quoad munus æſtimatiuæ proprium, quod eſt ex notitijs rerum ſenſatarum ſpecies non ſenſatas elicere. Hunc vſum poſt reſurrectionem futurum eſſe in beatis ex eo demonſtrari poteſt, quòd poſt reſurrectionem in beatis futurus eſt vſus appetitus ſenſitiui, vt inferiùs q. 13. oſtendemus: iam verò appetitus ſenſitiuus neceſſario ſupponit notitiam non ſolùm rei, quæ appetitur; ſed etiam bonitatis, aut malitiæ illius: appetitus enim tendit in bonum, & fugit malum. Hæc autem notitia cum ſit formalitatũ, & rationum inſenſatarum, naturaliter pertinet ad æſtimatiuam. Igitur de primo ad vltimum, ſi poſt reſurrectionem in beatis futurus eſt vſus appetitus ſenſitiui; in illis etiam erit vſus æſtimatiuę; non ſolùm quoad actum eliciendi ſpecies, & notitias rerum inſenſatarum; ſed etiam quoad actum diſcernendi, & iudicandi de illis: appetitus enim notitiam, & iudicium ſenſus interni immediatè conſequitur: licet enim in homine appetitus ſenſitiuus à voluntate moueatur; ab ea tamen mouetur, tanquam à principio ſuperiori, & primo; quia ad eam ſe habet, vti cœlum inferius, quod ſuperioris vertigine circumuoluitur.

5\. Conſeruabit ſpecies ſub ratione præteriti.

Tertiò probatur concluſio quoad munus memoriæ ſenſitiuæ, quod poſitum eſt in cõſeruatione ſpecierum ſub ratione præteriti: hunc enim vſum poſt reſurrectionem futurum eſſe in beatis, nullus negabit, qui illis vſum cògitatiuę, & æſtimatiuæ conceſſerit: nec enim fruſtranea erit illa ſpecierum conſeruatio ſub ratione præteritionis.

6\. Alia confirmatio.

Poſtremò hæc omnia phantaſiæ munera, quę explicauimus, in beatis eſſe futura, inde etiam non ineptè cõfirmari poteſt; quia negandum non erit, beatos eorum, quæ poſt reſurrectionem, aut in terris tempore iudicij, aut in patria poſt aſcenſionem in cœlum ſenſibus externis perceperint, abſtracturos eſſe actione intellectus agentis naturales ſpecies, quibus eorum naturaliter reminiſcãtur: nec enim hæc naturalis perfectio tunc erit intel-

intellectui agenti deneganda; abſtrahere ſcilicet ex ſenſibilibus ſenſatis intelligibiles eorum ſpecies, quibus naturalem eorum beatus habeat cognitionem. Admiſſa autem harum ſpecierũ abſtractione,& earum vſu,non poterit non admitti vſus phantaſiæ: quia hæc ſcientia per ſpecies naturaliter acquiſitas à phantaſmatibus dependet, vt ſuo loco dicemus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm phantaſia poſt reſurrectionem ſit intellectui miniſtratura?

§. 1.

Pro ratione dubitandi referuntur duæ ſententiæ,quæ non recipiuntur.

1. Ratio pro parte affirmante.

QVæſtio iſta pro vtraque parte rationem habet dubitãdi: nam quod phantaſia poſt reſurrectionem ſit intellectui miniſtratura, hac ratione videtur confirmari: quoniam gratia non euertit naturam: iam vero operatio phantaſiæ naturaliter comitatur actum intelligendi:oportet enim intelligentem phãtaſmata ſpeculari, vt communis Philoſophorum ſententia docet cum *Ariſtotele in 3.de Anima c.7.tex.30. & c.8. tex.39.* *Ariſtot.*

2. Partis negãtis Patroni.

Pars tamen negans probanda erit ijs, qui cum Auicenna in ſuo compendio de Anima putant, ad intelligendum ſpeculationem phantaſmatis nequaquam requiri:quam ſententiam, etiam probabũt, qui cum *Scoto in 1.diſt.3.q.3.§.Sed reſtat vnum dubium,& in 4.diſt.49. q.2.* exiſtimauerint,dependentiam, & colligationẽ intellectus cum phantaſmate fuiſſe pœnam originalis peccati: anima enim ex peccato Adami hanc contraxit infirmitatem,vt in intelligendo demiſſa ſit, & inflexa ad corpus,quod Scotus deduxit ex *Auguſtino lib.15. de Trinitate c.27.* Cum igitur in patria ab omni peccati pœna liberandi ſimus;ſit vt phantaſia ibi non ſolùm non debeat intellectui miniſtrare; ſed nec poſsit:quia omnis defectus,& infirmitas peccati ab illa beatitudinis perfectione longè aberit.

Opinio Scoti. *Auguſt.*

3. Sed nec vna. nec altera opinio probãda eſt; ſed dicendum,phantaſiam non neceſſariò in omnibus miniſtraturam eſſe intellectui; poſſe tamen ad libitum beati illi miniſtrare.

§. 2.

Pro reſolutione præmittuntur nonnulla.

4. 1. præmiſſ. ex triplici ſcientia in beatis.

SEd vt hæc facilius explicentur, præmittendum eſt primò, in beatis triplicem futuram eſſe ſcientiam; beatam ſcilicet infuſam,& acquiſitam: quod de Chriſto Domino communiter concedunt *Theologi cum D.Thoma 3.p.à q.9. cũ ſequentibus, & cum Magiſtro in 3. diſt.14. & de beatis id latè oſtendimus 2.tom.lib.12. & docent Theologi in 4. diſt. 49. & 1.2. q. 67.art.2.* *D.Thom. Magiſt.*

5. 2.præmiſſ. de duobus modis miniſterij.

Præmittendum eſt ſecundò, phantaſiam duobus modis poſſe intellectui in intelligendo miniſtrare: vno modo per ſe;altero modo per accidens, vt oſtendimus *in 3. lib. de Anima, & doctiſsimè aduertit Fonſeca 1.Metaph.c.2.q.3.ſect.6.pagina 152.* per ſe tũc intellectui miniſtrat, cum phantaſmate rei ſingularis oblato, complet repræſentationem ſpeciei intelligibilis;ita vt phantaſma ad intellectionẽ concurrat, tanquam forma intelligibiliter illi vnita.Per accidens verò tunc dicetur miniſtrare, cum intellectu aliqua obiecta contemplante, ſimul cum eo illorũ ſingularia quaſi obiter, & per quandam concomitantiam phantaſiatur.Priori modo concurrit phantaſma ad intellectionẽ rei ſingularis apud eos,qui ſpecies rerum ſingularium non admittunt, vt patet ex *Fonſeca loco citato, & ex Conimbricenſibus 3.de Anima c.5.q.3.art.3.ad 3 argument. partis affirmatiuæ.* Poſteriori modo concurrit phantaſma tùm ad intellectionem vniuerſalium;tùm ad intellectionem ſingularium apud eos,qui ſpecies ſingulariũ recipiunt. *Fonſeca. Fonſeca. Conimbr.*

6. 3.præmiſſ.

Tertiò præmittendum eſt,duobus modis intelligi poſſe, intellectum phantaſmata ſpeculari:vno modo per dependentiam naturalem, atque neceſſariam : altero modo per dependentiam voluntariã, & omnino liberam.Priori modo à phantaſmatibus dependet intellectus pro ſtatu viæ, & quandiu anima corpus mortale naturaliter informat. Hoc loco inquirimus;an intellectus in patria poſt reſurrectionem dependeat priori modo, an poſteriori?

§. 3.

Reſolutio quæſtionis.

His

7. Libere poteſt beatus non ſpeculari phantaſmate.

HIs ita præmiſsis, Theologi indiſtinctè docent, liberum fore beatis quamlibet rem ſine phātaſmate intelligere;quod ſatis explicat *D.Thomas 3.p.q.11.art.2.in corpore, vbi Caietanus cum cæteris D.Thomæ interpretibus;idē D.Thomas de Veritate q.20.artic.3. ad 1. Richard.in 4.diſt.49.art.4.q.3.ad 3.Conimbricenſes 3.de Anima c.8.q.8.art.2.ad finē, ſatis Suarius 1.tom.ad 3.p.diſp.28.ſect.1. aſſerto 2.* Ex quo infertur,miniſterium phantaſiæ in patria nec per ſe,nec per accidens neceſſarium eſſe ad res intelligendas.

D.Thom. Richard. Caiet. Conimbr. Suarius.

Dubitatio. ¶ Quæ ſententia quanuis in terminis, in quibus proponitur, ſit veriſsima; vt tamen materia clariùs intelligatur, adhuc eſt enucleatius explicanda:nam quāuis vniuerſaliter ſit veriſsimum, beatum poſſe quamlibet rem ſine phantaſmate intelligere:poterit tamen quis dubitare; an beatus qualibet ſcientia, qualibet etiam ſpecie intelligibili,quam habet, vti poſsit ſine phantaſmatis ſpeculatione. Quare, vt res iſta clariùs explicetur, ſequentes ſtatuimus concluſiones.

8. 1.concl. Sit prima concluſio: *Miniſtratio phantaſiæ nec per ſe, nec per accidens eſt ſimpliciter neceſſaria beato ad res quaſcunque intelligendas.* Hæc concluſio in his terminis eſt D.Thomę,& aliorum omnium,quos citauimus: & in ſe eſt ſimpliciter veriſsima: demonſtratur autem communi D. Thomæ fundamento: quoniam anima beata ad eum ſtatum poſt reſurrectionē diuinitus eſt eleuata, vt informans corp' nullo modo corpori ligetur, nec illi in operando ſubijciatur, ſubalterneturvè: quæ eſt communis ratio D. Thomæ, & eorum,quos retulimus.

9. Dependentia intellectus à phātaſia vnde oriatur? Sed vt huius argumenti vis, & efficacia magis appareat; aduertendum eſt,naturalem dependentiam,& ſubalternationem intellectus à phantaſmatibus per ſe, & tanquam à propria cauſa ortum habere ex ligatione,& ſubiectione,quam anima habet ad corpus, dùm naturæ ſuæ relicta illud informat: omnis enim forma naturæ ſuę relicta non poteſt aliquo modo non ligari ipſa materia, & illi ſubijci; ſi non ſemper in eſſendo (quoniam non omnis forma in eſſendo pendet à materia) omnis tamen ligata manet, ſaltem in operando. Quod indè facilè demonſtratur,quia omnis forma, ſaltem in actuando,dependet à materia,illique naturaliter ſubalternatur, vt conſtat: nam & anima rationalis iſto modo pendet à corpore. Igitur omnis forma actuans materiam, ſaltem in operando dependebit ab ea,illique ſubalternabitur: operatio enim,nō modo ſequitur ſubſtantiam formæ quoad materialitatem,vel immaterialitatem, vt in eſſendo talis ſit,qualis eſt forma:ſed etiam modum exiſtendi ipſius formę, ad hunc ſenſum, vt ſicut forma in actuando dependet à corpore; ita & operatio eius dependeat à corporis miniſterio.

Quæ tamē ſubalternatio,licet naturalis ſit: non tamen eſt eſſentialis, vt benè aduerterunt *Conimbr.3. de Anima c.8. q.8. art.2.ad finem,& lib.1.de Anima c.1.q.2. art.2.ad 1.* Vnde diuinitus poteſt tolli,ſi anima ad altiorem ſtatum eleuetur: ſicut enim ſubalternatio naturalis in eſſendo, quam habet forma ad materiam, poteſt diuinitus auferri, qūia forma materialis per diuinam potentiam poteſt eſſe per ſe ſine materia; ita etiam ſubalternatio naturalis in operando, quam anima in corpore exiſtens habet ad corpus, poteſt diuinitus tolli: & de facto tollitur,dûm anima beata corpus informat: ita enim illud informat,vt omnibus modis illud ſibi ſubijciat, atque ita ſpiritualizet, vt nulla ratione eam impediat, nec ab operationibus, quas ſeparata poterat obire, nec à modo obeundi. Quare ſicut ſeparata, & Deum & ſubſtantias ſeparatas, & ſe ipſam, & denique ſubſtantias materiales ſine phantaſmatibus intelligebat; ita etiam coniuncta corpori glorioſo ea omnia ſine phantaſmatibus intelliget. 10. Hæc ſubalternatio nō eſt eſſentialis. *Conimb.*

Secunda concluſio: *Vſus & miniſtratio phantaſiæ ad viſionem beatam diuinæ eſſentiæ, eſt omnino impoſsibilis: reſpectu verò rerum materialium, quas beatus videt in Verbo, dari poteſt per concomitantiam omnino liberam,& accidentariam.* Prior pars concluſionis eſt omnino indubitata,quia diuinæ eſſentię nulla phantaſmata dari poſſunt. Et eadem ratione vſus phātaſiæ erit impoſsibilis in ordine ad res ſpirituales, quæ in Verbo videntur. Poſterior verò pars,quæ de rebus ſenſibilibus agit,videtur etiam certiſsima: quia nihil impedit, quominus beatus, dûm res ſenſibiles in Verbo cōtēplatur,poſsit applicare phantaſiam ad cogitandum de iiſdem rebus. 11. 2.concl.

Tertia

12. 3. concluſ. Tertia concluſio: *Miniſtratio phantaſiæ ad vſum ſcientiæ infuſæ, nec per ſe, nec per accidens erit neceſſaria beato: poterit tamen beatus vti ſua ſcientia infuſa, reſpectu rerum ſenſibilium dependenter ad phantaſmata; dependentia omnino libera, & accidentaria.* Hæc concluſio quoad vtramque partem ab omnibus recipitur.

1. pars. D. Thom. Suarius. Conimbr. Et prior quidem pars probatur *D. Thom. 3. p. q. 11. art. 2. in fine corporis, vbi communiter ſcribentes: docet Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 28. ſect. 1. in 2. aſſerto, Conimbr. 3. de Anima c. 8. q. 1. art. 3. poſt principium, & in tractatu de anima ſeparata diſp. 4. art. 1. ad 3.* Probatio. Probatio autem ſumitur ex duplici cap. primo ex ſtatu animæ beatæ, vt patet ex dictis in 1. cõcluſ. 2. ex natura ipſius ſcientiæ per ſe infuſæ: nam cum ſpecies intelligibiles huius ſciẽtię ſint altioris ordinis, nec in modo repræſentandi commenſurentur ſenſibilibus (cum nec ab illis abſtrahantur) vtique in repræſentando ab illis non dependent; & ideò poterit beatus vti hac ſcientia infuſa, & his ſpeciebus ſine vlla dependentia, & ſpeculatione phantaſmatum.

2. pars. D. Thom. Suarius. Poſterior verò pars expreſſè ponitur à *Suario loco citato in 2. aſſerto, §. Accedit quartò, & ſatis probat D. Thom. 3. p. q. 11. art. 2. ad 3. & art. 4. ad finem corporis, & melius q. 12. art. 2. in corp.* Probatur autem eodem fundamento, quo ſecundam partem ſecundæ aſſertionis confirmauimus: poteſt enim beatus, cum contemplatur res ſenſibiles, quarum habet phantaſmata, mouere inſimul, & applicare phãtaſiam, & eaſdem res modo ſibi accommodato phantaſiari: quod ipſum eſt phãtaſmata ſpeculari: quæ tamen ſpeculatio omnino erit per accidens, non ſolùm accidentalitate concomitantiæ (quia poterat beatus ſine phantaſmate res illas intelligere) ſed etiam accidentalitate naturalitatis, quoniam talis concomitantia nõ eſt illi ſcientiæ naturalis; ſed accidentaria, vt ex ſequente cõcluſione facilè patebit.

13. 4. concl. Quarta concluſio: *Ad vſum ſcientiæ acquiſitæ circa intellectionem vniuerſaliũ miniſterium phantaſiæ non erit neceſſarium, ſed liberum: erit tamen accommodatum naturæ, tùm intellectus beati, tùm ipſius ſcientiæ.* Concluſio iſta etiam recipitur ab omnibus, dùm generaliter docent hanc eſſe beatifici ſtatus perfectionem, vt anima beata actuans corpus glorioſum à phantaſmatibus non neceſſariò dependeat: ſpecialiter verò recipitur à *Suario 1. tom. ad 3. partem diſp. 30. ſect. 1 aſſert. 2. & ſatis à Conimbr. 3. de Anima cap. 8. q. 8. art. 2. ad finem.* Suar. Conimbr. Et quoad duas priores partes ſatis demonſtratur argumento, quo primam concluſionem demonſtrauimus: quoad tertiam verò partem probatur à *D. Thoma 3. p. q. 11. art. 2. ad 3. & art. 4. in fine, & q. 12. art. 2. in corp.* D. Thom. nam cum ſcientia per ſe acquiſita ſimul cum ſuis ſpeciebus ſit connaturalis intellectui humano: cui etiã connaturale eſt à phantaſmatibus depẽdere, connaturalis etiam erit ſcientiæ acquiſitæ talis dependentia: vnumquodque enim recipitur ſecundum naturam, & cõditionem ſubiecti, vt annotauit *D. Thom. in dicta q. 11. art. 4. in fine, & Suarius in dicta diſp. 30. ſect. 1. in principio.* D. Thom. Suar. Et in hoc diſtinguitur vſus ſcientiæ acquiſitæ à vſu ſcientiæ infuſæ: licet enim vtraque ſciẽtia cum phantaſmatibus in beato contingenter coniungatur (quia poteſt non cõiungi) coniunctio tamen ſcientiæ infuſæ cum illis eſt accidentaria, vt accidentariũ contra naturale diſtinguitur: quæ tamen eſt ſecundum naturam ſcientiæ acquiſitę, vt diximus. Neque oppoſitum docuit *D. Thom. in dicta q. 11. art. 4:* D. Tho. oppoſitũ non docuit. nec enim dicit ſcientiam infuſam Chriſti inferiorem eſſe Angelis ex parte ſubiecti, quaſi recepta in anima Chriſti naturaliter coniũgatur phantaſmatibus, ſed quia poteſt cũ illis accidentaliter coniungi: hoc autem quodãmodo cedit in imperfectionem, ſaltem per denominationem extrinſecam.

Quinta concluſio: *Adminiſtratio phantaſmatũ, an ſit beato neceſſaria, vt per ſciẽtiã acquiſitam intelligat ſingularia ſenſibilia? non eſt omnino certum.* 14. 5. concl. Partem negantem probabunt, qui admittunt ſpecies proprias ſingularium: affirmantem verò, qui eas negant. Vtraq; pars probabilis. Et cum vtraque ſententia ſit probabilis; vtraque etiam noſtri poblematis pars, erit probabilis. Quod verò negatiua pars probanda ſit iis, qui admittũt ſpecies rerum ſingularium, inde oſtenditur: Defenditur negans. quoniam eadem eſt ratio in vſu ſpecierum vniuerſalium, & ſingulariũ. Quare cum ad vſum ſpecierum vniuerſalium non ſit neceſſarium phantaſiæ miniſterium; vtique nec etiam neceſſarium erit ad vſum ſpecierum ſingularium. Quod verò affirmatiua pars probanda ſit illis, Defendit affirmans qui

qui negant ſpecies rerum ſingularium, inde patet. quia apud hos auctores ſpecies vniuerſales non poſſunt diſtinctè repręſentare ſingularia, niſi perficiantur, & determinentur per phantaſmata, quę ſpecierum vniuerſalium repræſentationem complent, vt videre eſt apud *Fonſecam* 1. *Metaph. cap. 2. q. 3. & 6. fol. 153. & apud Curſum Conimbricenſem 3. de Anima c. 5. q. 3. art. 3. ad 3. partis affirmantis, pag. 343.* apud quos videbis, quomodo intellectus beati, ſi velit vti ſpeciebus acquiſitis ad intelligenda ſingularia, non per accidens, ſed per ſe pendet à phantaſmatibus: quia tunc phantaſmata non obiter, & per cõcomitantiam concurrunt cum ſpeciebus, ſed illas ad repræſentationem ſingulariũ determinant. Quare beati poterunt quidem ſine phantaſmatibus intelligere ſingularia rerum materialium: quia poterũt vti ſpeciebus infuſis: at ſi acquiſitis vti velint, opus eſt, vt per ſe & non per accidẽs phantaſmata ſpeculentur. Quod nullus Theologorum aduertit.

Fonſeca. *Conimbr.*

15. *Vltima cõcluſio.* Poſtrema concluſio: *Beatus ad nouas ſpecies intelligibiles rerum de nouo ſenſatarum abſtrahendas, & ad acquirendam de nouo aliquam ſcientiam experimẽtalem (quam de nouo eũ poſſe acquirere* ſupponimus, ex ijs, quæ diximus in ſecũdo tomo lib. 12.) *vti poteſt miniſterio phantaſiæ; an vero tali miniſterio indigeat? Thomiſtæ affirmabunt, negabunt Scotiſtæ.* Vtraque opinio eſt ꝓbabilis. ¶ Prima pars concluſionis facta prædicta ſuppoſitione probatur: quia dependentia intellectus agentis à phantaſmatibus in abſtrahendis ſpeciebus intelligibilibus eſt illi naturalis: vnde in beatis reperiri debet, in quibus reperiuntur naturalia, quæ imperfectionem non denotant: vnde in Christo Domino fuit hæc dependentia, vt docet *D. Thom. 3. p. q. 12. art. 2. communiter receptus.* Problema verò quod conſtituimus, dependet ex alio poblemate, an ſcilicet anima ſeparata poſſit ab obiectis nouas ſpecies abſtrahere? cuius poblematis vtraque pars eſt ꝓbabilis *Curſui Conimbricenſi in tract. de anima ſeparata diſp. 3. art. 5. concl. 2. & 3.* Cum igitur poſt reſurrectionem anima beata valeat omnia præſtare, quæ ſeparata pręſtabat, & eodem modo, profectò ſi ſeparata poterat actione intellectus agentis nouas ſpecies immediatè abſtrahere ab obiectis, vt putat Scotus in 4. diſt. 45. q. 2. quem plerique ſequuntur, vtique id ipſum poterit præſtare abſque vſu phantaſiæ poſtquam eſt beata. Porrò ſi nouas ſpecies ſeparata abſtrahere non valet, ſicut placet *D. Thom. 1. p. q. 89. art. 1. ad 3. quem Thomiſtæ ſequuntur*: vtiq; nec poſt reſurrectionem eas abſtrahere valebit ſe ipſa; ſed in hoc dependebit à phantaſmatibus, cum is abſtrahendi modus ſit illi naturalis.

1. pars. *D. Thom.* *Conimbr.* *D. Thom.*

§. 4.

Soluuntur argumenta oppoſita.

EX his patet veriſsimam eſſe noſtrã aſſertionem: & per cõſequens nec affirmantem ſententiam, nec negantem in ſua generalitate probandam eſſe. Nec fundamentum affirmantis aliquid probat: quoniam licet gratia beatitudinis non euertat naturam quoad eſſentialia, mutare tamen poteſt modum naturalem operandi, dùm. ſ. mutare poteſt, & de facto mutat animę ſtatum, eam ad altiorem eleuando, vt omnes admittunt, & docet *Curſus Conimbr. 3. de Anima c. 8. q. 8. art. 2. ad finem, & art. 4. ad 1.* Maximè cum probabiliſsimum ſit talem intellectus ſubordinationem ad phantaſmata, etiam pro ſtatu viæ, non eſſe naturalem quoad omnes in vniuerſum intellectus operationes, ſed quoad communes, & ordinarias, vt benè aduertit idem Curſus in dicto art. 2. in dicta aſſertione, & in fine art. Et inde eſt, vt non ſolùm in patria, ſed etiam in via intellectus rapi poſsit, & eleuari ecſtaſi perfecta, vt nullo vtatur ſenſu, ſiue externo, ſiue interno. Imò id poſsit naturaliter euenire pleriq; putant probabiliſsimum: de quo vide eũdem *Curſum in dicta q. 8. art. 3. ad 3. dubiũ.*

16. *Neutra opinio generaliter ſumpta eſt vera.* *Ad fundamentum affirmantis.* *Conimbr.*

Porrò ſententia Auicenæ negans vſũ phantaſmatis ad intelligendum, etiam in hac vita, communi conſenſu reijcitur, de quo idem *Curſus in dicta q. 8. art. 2.* Similiter etiam communi calculo exploditur opinio Scoti, dùm hanc dependentiam reuocat ad effectum culpæ originalis: id enim eſſe falſum, cęteri omnes docent, vt nos contra eum latè oſtendimus tùm in libris de anima, tùm in materia de peccato originali, & ſatis id docent *Conimbric. in dicto art. 2.* vbi optimè explicant Auguſtinum, ne Scoto faueat.

17. *Ad fundamentũ negantis.*

ARTI-

ARTICVLVS VI. & Vltimus.

Quæ nam res cadant ſub internos beatorum ſenſus?

1.

Quid ſit indubitatum? IN hac quæſtione indubitatum eſt omnia ſenſibilia cadere poſſe ſub internos beatorum ſenſus: quia omnia poſſunt cadere ſub ſenſus externos: non eſt tamẽ neceſſe, vt omnia illa actualiter cadant ſub illos, ita vt omnia ſentiant: quia id ad beatorum ſtatum minimè ſpectat: vnde non eſt opus, vt phantaſia beati omnium Vide de phãtaſia. ſenſibilium ſpecies in ſe habeat. Puto tamen poſſe beatum, ſi velit, ſingulorum, quæ vbique exiſtunt, phantaſmata efformare: nam cum habiturus ſit omnium rerum naturalium ſcientiam, tàm infuſam, quàm acquiſitam; poterit non ſolùm cuiuſque naturæ ſenſibilis phantaſma vagum efformare ratione ſcientiæ acquiſitæ; ſed etiam determinatum cuiuſque ratione ſcientiæ per ſe infuſæ: nam licet phantaſia pro ſtatu vię neceſſario dependeat à ſenſibus externis, vt nullas poſſit ſpecies habere, niſi ab externis ſenſibus tranſmiſſas: tamen in patria non ita dependebit: ſed poterit eorum omnium idolum in ſe formare, quæ beatus per ſpecies infuſas, vel acquiſitas cognoſcit: etiamſi illa ſenſu externo nunquam perceperit. Cui doctrinæ fauent Sotus, & Medina inferiùs citandi.

2. 2. indubitatum. Poterit etiam eorum omnium idola habere, quorũ in via habuit ſpecies: nam licet per mortem ſpecies illæ ſimul cum phantaſia euanuerint: tamen in reſurrectione, & phantaſia eſt reſtituenda, & ſpecies ſenſibiles, quas habuit, vt plerisque nouiorum placet: id enim ſpectat ad phãtaſiæ maius ornamentũ: nam omnes etiã habitus appetitus ſenſitiui, omnesq; morales virtutes in eo reſidentes eidem reſtituentur, vt omnes nouiores volunt, & inferiùs dicemus quæſt. 19. de habitibus appetitus ſenſitiui.

3. 3. indubitatum. Recordabuntur etiam omnium eorũ, quæ in vniuerſali iudicio viderunt: nimirum Chriſti Domini in throno ſedentis, ſententiam proferentis, amicorum, quos damnari viderunt, & cætera: denique recordabuntur omnium eorum, quę etiam in patria de nouo externis ſenſibus percipient: nam eorum omnium ſenſibiles ſpecies in phantaſia remanebunt.

Inquiri tamen poteſt; an Deus, aut ſubſtantia aliqua ſpiritualis poſſit tunc cadere ſub ſenſus internos? nam pro affirmante parte ſtabunt ij, qui cum *Auguſtino epiſt.* 111. exiſtimauerint poſt reſurrectionem ſenſus externos adeò eſſe eleuandos, vt intuitiuè videant diuinam eſſentiam. Quod ſi externis ſenſibus id concedatur, cur internis non concedetur? 4. Quæſtio de ſubſtantijs immaterialibus.

5. Vera reſolutio. Hac tamen ſententia reiecta, dicendũ eſt cum omnibus Theologis nec Deum, nec aliquam ſubſtantiam ſpiritualem poſſe, etiam in patria, cadere ſub internos ſenſus, ſi ſermo ſit de cognitione Dei per ſe, immediata atque diſtincta: ad hanc enim nec per potentiam diuinam ſenſus aliquis, ſiue externus, ſiue internus eleuari poteſt, vt latè diximus 1. *tom. libr.* 4. *q.* 5. *art.* 3. *& docet Medina cum omnibus nouioribus* 1. 2. *quæſt.* 3. *art.* 3. *& Sotus in* 4. *diſt.* 49. *q.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. *& latiùs q.* 2. *artic.* 2. *concl.* 2. *Conimbr. in* 2. *de Anima q.* 3. *art.* 2. *in fine*: nec de hoc poteſt eſſe aliqua dubitatio, vt loco citato latè oſtendimus. Medina. Sotus. Conimbr.

6. Alia quæſt. Dubitant tamen Theologi; an Deus aut ſubſtantia ſeparata ſaltem mediatè, remotè, atque confuſè, notitia (vt appellant) connotatiua poſſit cadere ſub ſenſum internum, nempe ſub cogitatiuam? Pars negãs. & partem negantem probat *Sotus in dicto art.* 3. *concl.* 2. *eandem ſequitur Medina loco citato concluſ.* 3. *&* 4. *in commentario primæ concluſionis D. Thom.* Sotus. Medina. Fundamentum eſt, quia ſpiritualia ſunt extra obiectum adęquatum cuiuſque ſenſus. Cum verò obijcitur triſtitiam de Deo offenſo, eiuſque timorem terminari ad Deum, & vtrumq; Fundamentum. actum dari in appetitu ſenſitiuo: in eo autem dari non poſſe ſine aliqua notitia Dei in imaginatiua, cuius apprehẽſionem ſequitur appetitus ſenſitiuus; reſpondent triſtitiam ſenſitiuam ſupponere quidem in æſtimatiua notitiam, tùm offenſæ Dei, tùm amicitiæ eius, & indignationis, quãuis ſint res inſenſatæ: ęſtimatiuam tamen non elicere hanc notitiam ex aliqua notitia Dei, etiã connotatiua, quæ præcedat in imaginatiua; ſed ex notitia & cognitione intellect⁹ abſtractiua Dei: hac enim ſuppoſita poteſt æſtimatiua elicere ſpeciem, & notitiam amicitiæ, & inimicitiæ, &

& ita lachrymas effundere propter Deũ offenſum, quem æſtimatiua ſub ratione amici percepit.

7. Opinio affirmans. Communis tamen opinio probat partem affirmantem; phantaſiam ſcilicet poſſe tendere in Deum cognitione aliqua cõnotatiua, quæ Deũ confuſè, & mediatè repræſentet; nimirum ſub aliqua ratione ſenſibili connotante Deum. Quæ ſententia teſte Medina fuit *Victoriæ, & eam communiter ſequuntur omnes Noniores* 1.2.q.3.art.3. *& cum illis Conimbr.* 2. *de Anima cap.*6.q.3.*art*.2. *in fine*. Et videtur hæc ſententia neceſſariò recipienda in ſenſu à nobis explicato: etenim neceſſariò concedenda eſt viſio imaginaria Deum repræſentans ſecundum aliquem modum corporeæ ſimilitudinis, vt docet *D. Thomas* 1.*p.q.*12.*art.*3.*ad tertium*: hoc autem deducit ex viſione imaginaria Iſaiæ.6. vidit enim Deum ſedentem ſuper ſolium excelſum: quæ corporea ſimilitudo Deũ remotè & confuſè connotabat, dùm eum repræſentabat ſub imagine regiæ maieſtatis. Et hoc idem Sotus (veluti ſui oblitus) admiſit in dicta diſtin.49.q.2.art.2. concluſ.2.

Victoria. *Conimbr.* Eſt tenẽda. *D. Thom,*

8. De æſtimatiua. Non eſt igitur, cur dicamus æſtimatiuam ad eliciendas ſpecies inſenſatas amicitiæ diuinæ, vel iræ moueri à ſola notitia Dei intellectiua, non quod ſenſus interni ad ſuas operationes ſubeundas à ſolo intellectu aliquando moueri non poſſint (oppoſitum enim ſuperiùs ſuppoſuimus) ſed quod in propoſito caſu nihil impedit, quominus æſtimatiua ſpecies illas inſenſatas, & notitias terminatas ad Deũ immediatè eliciat ex notitia Dei in imaginatiua exiſtente: ita enim fit, vt naturalis dependentia, & ſubalternatio illorũ ſenſuum, etiam in hoc caſu, ſeruetur: maximè cum intellectus pro ſtatu viæ nequeat Deum aliter concipere, niſi modo aliquo corporeo.

9. Ad difficultatem allatam. Ex quibus iam patet ſolutio propoſitæ difficultatis: nam ſenſus interni in patria naturam ſuam etiam in hoc conſeruabunt, vt in Deum immediatè, & diſtinctè nequeant tendere, ſed mediatè, atque confuſè: phantaſiando ſcilicet aliquam corpoream ſimilitudinem connotatiuam Dei modò ſuperius explicato. Habebunt tamen hanc extraordinariam perfectionem, vt in ſuis actionibus, & ſpeciebus eliciendis non neceſſariò ſubalternentur ſenſibus externis, ſed moueri etiam poſsint immediatè à cognitione intellectiua ad formanda idola ſingularium, quæ nullo ſenſu vnquam perceperunt, ſed ſolo intellectu, vt ſuprà aduertimus. Et in hoc probamus ſententiam Soti, & Medinæ.

¶ *Annotatio in ſequentes quæſtiones de appetitu ſenſitiuo.*

PRo clara explicatione eorum, quæ pertinẽt ad appetitum ſenſitiuum; præmittendum eſt duplicem dari in nobis appetitum ſenſitiuum: concupiſcibilem vnũ, iraſcibilem alterũ, vt eſt vulgaris Philoſophia. Cum verò appetitus concupiſcibilis ad iraſcibilem ſupponatur, tanquam illi adminiſtrans, vt omnes Philoſophi agnoſcunt. Prius dicemus de appetitu concupiſcibili, deinde de iraſcibili. Quia verò in vtroque appetitu dantur & actus, & habitus: prius dicemus de actibus vtriuſque appetitus: deinde de habitibus. Vltimo tandem loco agemus de fomite peccati, quia in via appetitum comitatur. 1.

Hoc igitur ordine procedemus, quia primo loco generaliter inquiremus; an poſt reſurrectionem in beatis dandus ſit appetitus ſenſitiuus cum ſuis actibus? Deinde explicabimus; an in illis maneãt actus appetitus concupiſcibilis? Tertio loco idem inquiremus de actibus appetitus iraſcibilis. Quarto loco dicemus de quibuſdam actibus, qui aliquo modo ad vtrumque appetitum reuocantur. Quinto loco agemus de habitibus vtriuſque appetitus. Sexto loco nonnulla dicemus de actibus appetitus in genere. Poſtremo tandem inquiremus, an in appetitu beati maneat fomes peccati? 2. Ordo procedendi.

QVÆSTIO XIII.

De appetitu ſenſitiuo corporis glorioſi in communi.

QVod attinet ad primum duos articulos excitabimus de appetitu ſenſitiuo in communi. Primus eſt, an appetitus ſenſitiuus

ſitiuus maneat in corpore glorioſo? ſecũdus; an in eo dẽtur actus huius appetitus?

ARTICVLVS I.

Vtrùm appetitus ſenſitiuus maneat in corpore glorioſo?

§. 1.

Ponitur vera reſolutio.

1. Vera reſolutio. IN hac quæſtione ſupponim⁹ in homine dari appetitum ſenſitiuũ diſtinctũ ab appetitu intellectiuo, qui eſt volũtas. De hoc igitur inquirimus; an in corpore glorioſo maneat? cui quęſtioni affirmatiuè reſpondendum eſſe ſatis conſtat ex his, quæ diximus ſuprà quæſt. 4. huius libri art. vnico: vbi generaliter oſtendimus in corpore glorioſo futuras eſſe omnes facultates, & potentias animæ ſenſitiuæ; inter quas abſque dubio enumeratur appetitus ſenſitiuus: & meritò, quia appetitus ſenſitiu⁹, ſicut & cęterę potẽtiæ naturales animæ ſenſitiuę, pertinet ad integritatem naturæ humanæ: quare cum natura humana debeat integra reſurgere: vtique reſurget cum appetitu ſenſitiuo, tam concupiſcibili, quàm iraſcibili, cum vterque ad eiuſdem naturæ integritatem pertineat. Vterq; manet.

2. Cum eodẽ numero reſurgemus. Non ſolùm reſurgemus cum vtroque appetitu ſenſitiuo; ſed etiam cum vtroq; eiuſdem numeri, qui fuit in vita mortali, vt contra Sotum, & alios oſtendimus ſuprà quæſt. 4. art. 2. vide quæ ibi diximus.

§. 2.

Soluitur quædam obiectio.

3. Obiectio. SEd huic veriſsimę reſolutioni obijci poteſt; quoniam appetitus ſenſitiu⁹ ex ſua natura ad malũ inclinat, iuxta illud Gen. 8: *Senſus hominis ab adoleſcẽtia ſua proni ſunt ad malum.* Quæ verba de appetitu ſenſitiuo ab omnibus intelligũtur: vnde teſte *Auguſt.* 12. *dè Trinit. c.* 12. appetitus ſenſitiuus fuit per ſerpentem adumbratus, qui primis parẽtibus peccatum ſuaſit: & à Paulo ad Galat. 5. appellatur concupiſcentia, & peccatũ: cuius paſſiones, & actus cõmuniter dicuntur animi ægritudines: & à Paulo ad Rom. 7. dicuntur paſsiones peccatorum: nam hæc eſt illius natura, vt aduerſus ſpiritum cõcupiſcat, teſte eodem Paulo. *Auguſt.* *Ad Galat.* 5. *Ad Rom.* 7.

4. Solutio. Ad hoc argumentum diſtinguendum eſt antecedẽs: nam duobus modis poteſt aliquid conuenire ex ſua natura: vno modo, vt idem ſit ex *ſua natura*, quod naturaliter, & neceſſario, prout naturale diſtinguitur contra rationale, & liberum: altero modo, prout intra genus moris is dicitur ex natura rei, quod illi conuenit abſolutè, & ſecundum ſuam naturalem inclinationem, vireſq; naturales, ſi ſoli ſibi relinquatur. Si igitur antecedẽs in priori ſenſu accipiatur, negandum eſt: nam licet appetitus ſenſitiuus ſumptus entitatiuè, & in genere rei, atque prout eſt potentia irrationalis (qualis eſt in ſolis brutis animãtibus) naturaliter id eſt neceſſariò fertur in bonum ſenſibile; vnde nõ pertinet ad genus moris: tamen prout eſt in homine propter cõiunctionem cũ intellectu, & voluntate ſuo modo ſortitur rationem potentiæ rationalis, & liberæ: quia talis eſt per participationem: cui, vt ſic, repugnat naturaliter, id eſt neceſſariò ferri in ſuum obiectum; cum liberè feratur. Quid de priori ſenſu?

5. Quid de poſteriori ſenſu? Porrò, ſi antecedens ſumatur in poſteriori ſenſu, concedendũ eſt; quia appetitus ſenſitiuus ex ſua natura ideſt relictus ſibi, ſuiſq; naturalibus viribus, verè inclinat ad malum morale, cum inclinet ad bonũ ſenſibile abſque pręſcripto rationis, & ob hanc rationem ex ſua natura in ſenſu explicato, id eſt, ſibi relictus, coniunctus eſt cum fomite peccati, tàm in actu primo, quàm in ſecũdo: quia ex ſe habet inclinationem ad bonum ſenſibile, & actualiter inclinat in illud, quantumuis recta ratio reclamet: vnde veriſsimè dicitur cõcupiſcentia, peccatum, ægritudo animi, & denique fungitur officio ſerpentis, vt argumentum optimè probat.

6. Appetitus in homine ſubiacet imperio volũtatis. Sed quanuis ſibi relictus hanc malam habeat inclinationem: cum tamen ex ſua natura rationalis ſit, prout eſt in homine, & ſubiaceat imperio rationis, & voluntatis ciuili obedientia, ita ex ſua natura fertur in malum, vt reuocabiliter feratur: quia fræno rectæ rationis, & reuocari poteſt ab illo malo, & reduci ad officium virtutis voluntatis imperio, & ſub eo cõtineri. Igitur ſibi relictus malus eſt; refrænatus tamen bonus: & ſubinde eſſentialiter non eſt malus: fuit enim in Chri-

ſto Domino, & reperitur in iuſtis: poteſt igitur reperiri in beatis.

7. Pro cuius maiori explicatione notandum eſt appetitum ſenſitiuum, quanuis ſibi relictus coniunctum habeat fomitem peccati, & in actu primo, & in ſecundo: tamen cum in homine ſit rationalis, vt diximus, non ſolùm refrænari poſſe per rectam rationem quo ad actum ſecundum quem elicit: ſed etiam poſſe quoad actum primum ligari, ne in actum ſecundũ prodeat: imò poſſe ab actu primo omnino expoliari, fomite prorſus extincto: nam & in Chriſto Domino fuit omnino extinctus, & Virgine Deipara, ſaltem poſt conceptionem Verbi diuini: vnde in beatis erit omnino extinctus, vt dicemus inferiùs quæſtione 19.

Poteſt ligari fomes peccati.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in corpore beato maneant actus appetitus ſenſitiui?

§. 1.

Referuntur omnes actus appetitus ſenſitiui.

1. SVppoſita veritate, quod in beatis poſt reſurrectionem dabitur vterq; appetitus ſenſitiuus: concupiſcibilis, inquam, & iraſcibilis; inquirendum eſt, an in illis actus vtriuſque appetitus dari debeant? ¶ Pro cuius difficultatis expli-

2. catione præmittendum eſt actus appetitus ſenſitiui generaliter diuidi in quatuor ſumma capita. ſ. in gaudium, & triſtitiã, ſpem, & timorem: minutius tamen diuidi in vndecim capita. ſ. in amorem, concupiſcentiam, ſiue deſiderium, delectationẽ, odium, fugam, triſtitiam, ſiue dolorem: ſpem, audaciam, deſperationem, timorẽ, & iram: quorum ſex priora capita ad cõcupiſcibilem ſpectant: quinque verò poſteriora ad iraſcibilem. Ex ſex prioribus ſpectantibus ad concupiſcibilem; priora tria ſe habent ad bonum: reliqua verò ad malum.

Præmiſſũ.

§. 2.

Refertur pars negans.

3. INquirendum eſt igitur, an appetitus ſenſitiuus in corpore glorioſo poſſit habere aliquẽm actum? & pro parte negante hoc vnicum facit fundamentũ: quoniam actus appetitus ſenſitiui ab Ariſtotele, & Philoſophis dicũtur animi paſſiones: paſſiones autem cadere poſſe in animum ſapientis, negabant Stoici, contendentes eum, qui verè ſapiens eſt, paſſionibus animi omni ex parte vacare: etenim paſſiones appetit⁹ ſenſitiui ſunt quędam animi perturbationes, & morbi, quibus caret verè ſapiens. Quæ Stoicorum ſententia, ſi non in omnibus, ſaltẽ in beatis, videtur recipienda: tùm; quia nomen paſſionis à ſanctis in malam partem ſolet vſurpari, & ideò paſſiones appetitus in Chriſto Domino non admittuntur *à D. Hieronymo in c. 5. & 26. Matth. & in epiſt. 22. ad Euthochium de cuſtodia virginitatis*; tùm etiam quia paſſio à Philoſophis deſinitur motus appetitus ſenſitiui ex apprehenſione boni, vel mali, cum aliqua mutatione nõ naturali corporis, vt videre eſt apud *Conimbr. in lib. Ethicorum diſp. 6. q. 3. art. 1*: omnis enim paſſio appetitus diſtrahit cor à motu ſibi naturali, vt ibidẽ oſtendunt. Quę cordis diſtractio fieri nõ poteſt ſine aliqua animi perturbatione, & noua alteratione. Hæc autem duo corpori glorioſo omnibus modis repugnãt.

Pars negãs.

Sententia Stoicorũ.

D. Hier.

Conimbr.

§. 3.

Affirmatio eſt vera.

DIcendum tamen eſt in beatis futuros eſſe aliquos actus appetitus ſenſitiui, an verò omnes ſint futuri, & an illi habere poſſint rationem paſſionis? inferiùs dicemus. Noſtram tamen ſententiam ſupponunt omnes Theologi antiquiores, & probant omnes nouiores, & cum illis *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 47. ſect. 6. in 4. aſſert. & 1. tom. diſp. 34. ſect. 3. aſſertione. 1. & 3.* vbi affirmat noſtrã ſententiam eſſe certiſsimam: & meritò ſanè, quia communis Sanctorum Patrum eam ſatis affirmant, dùm aliquos actus appetitus ſenſitiui tribuunt beatis, vt delectationem, ſiue voluptatem ſenſibilem, vt inferiùs oſtendemus. 4.

Vera eſt pars affirmans.

Suarius.

Quod etiã oſtendi poteſt ratione. Primò; quia cum cæteræ omnes potentiæ ſenſitiuæ futuræ ſint in actu, vt conſtat ex præcedentibus; non eſt, cur hanc perfectionẽ appetitui ſenſitiuo denegemus; cum ille omnibus alijs potentijs excellat. 5.

Probatur ratione prima.

Secundò; quia appetitus naturaliter ſequitur apprehẽſionem obiecti: nec enim eſt 6.

2. ratio.

eſt in noſtra poteſtate, viſis (id eſt apprehenſis) nō tangi, vt ait Auguſtinus: quod etiam in appetitu intellectiuo alibi diximus. Igitur cum in beatis futura ſit ſenſuum externorum, & internorum cognitio, non poteſt non admitti actualis appetitio boni illis propoſiti.

7. Tertiò; quia inter voluntatem, & appetitum ſenſitiuum eſt naturalis conſenſio, vt ſcilicet voluntas excitet, & moueat appetitum ad ſimilem actum: hic enim operandi modus naturaliter eſt accōmodatus animæ humanæ actuanti corpus; adeò vt in hac vita ſeruato ordine naturali volūtas mediante appetitu operetur: illi enim naturaliter ſubalternatur, ſicut intellectus phantaſiæ. Quanuis autem in patria vtraque potentia intellectiua diuinitus eleuetur ad altiorem operandi modum, vt. ſ. ſupra ſuam naturā poſsit vtraque operari ſine dependentia à potentijs ſenſitiuis: hæc tamen ſupernaturalis eleuatio non ſuſtulit naturalē operandi modum; vt. ſ. poſsit beatus (ſi velit) operari dependenter ab illis. Poterit igitur volūtas beata, quando placuerit, vti modo operandi naturaliter ſibi accommodato: vnde aliquando appetitum ſenſitiuum excitabit ad actus ſuos proportionatos: cum id nihil indecentiæ cōtineat, ſed plurimū decentiæ; quia decet, vt beatus interdum exerceat actiones modo accommodato ſuæ naturæ.

§. 4.

Solutio argumenti.

8. Ad argum. AD argumentum in oppoſitum adductum §. 2. dicendum eſt, dogma Stoicorum catholicæ veritati repugnare, ſi ita intelligatur, vt omnem motum appetitus velint eſſe vitioſum: id enim multis impugnant *Auguſtinus lib.* 14. *de Ciuitate Dei cap.* 9. *D. Ambroſius in tractatu de obitu Gratiani, & in libro de Incarnatione Domini c.* 7. *D. Gregor. Nyſſenus in diſp. de anima, & reſurrectione, & Lactantius lib.* 6. *c.* 15. quos omnes Patres referūt *Conimbr. in lib. Ethicorum diſp.* 6. *q.* 4. *art.* 2. (*Auguſt.* *Ambroſ.* *Nyſſenus.* *Lactant.* *Conimbr.*)

9. Explicātur Stoici. Nec Stoici, ſi benè expendantur, à ſapiente omnes paſsiones relegabunt; ſed eas ſolùm, quæ prodeunt extra limites rationis, vt eos rectè interpretatur *Auguſt. lib.* 14. *de Ciuitate Dei c.* 4. *relatus à D. Thoma* 2. 2. *q.* 123. *art.* 1. (*Auguſt.* *D. Thom.*)

10. Ad argum. Ad fundamentum verò dicendum eſt, neceſſarium non eſſe, vt actus, ſiue affectus appetitus ſenſitiui, ſemper, & in omnibus ſubiectis habeant rationem paſsionis proprijſsimè ſumptæ, vt inferiùs oſtendemus: dicemus enim dari poſſe huiuſmodi affectus ſine vlla prorſus alteratione, & mutatione corporis.

QVÆSTIO XIIII.

De Appetitu ſenſitiuo concupiſcibili.

1. APpetitum ſenſitiuū concupiſcibilē futurum eſſe in beatis, patet ex 1. art. quæſtionis præcedentis. In hac igitur quæſtione inquirimus; an omnes illius actus debeant in patria reperiri? pro cuius explicatione aduertimus appetitū concupiſcibilem habere ſe, tùm ad bonū, quod concupiſcit, tùm ad malum, quod fugit. De actibus illius in ordine ad bonū priori loco agemus: in ſequenti autē quæſtione agemus de actibus eius in ordine ad malum. In ordine autem ad bonum tres habet actus. Primus eſt amor: ſecundus deſiderium: tertius gaudium ſiue delectatio. (Actus appetitus concupiſcibilis.)

2. Quatuor igitur articulos excitabimus de appetitu concupiſcibili, vt reſpicit bonum. Primus eſt; an omnes huius appetitus actus in patria reperiri debeant? Secundus; vtrùm in corpore glorioſo dandus ſit amor ſenſibilis? Tertius; an in illo admittendum ſit ſenſibile deſiderium? Quartus & vltimus; an admittēda ſit ſenſibilis delectatio, gaudiumque ſenſibile?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in corpore glorioſo futuri ſint omnes actus appetitus concupiſcibilis?

1. Opinio negans. AN omnes actus & affectus appetitus ſenſitiui in communi, & abſolutè ſumpti poſt reſurrectionem futuri ſint in beatis? dubium eſt. Quidam negatiuè reſpondent cum *Suario* 2. *to. ad* 3. *p. diſp.* 47 *ſect.* 6. *aſſert.* 4. Fundamētum eſt, quia pleriq; illorū, vel includunt aliquod malum, vel ſaltem includunt carentiam boni conuenientis. Quare hæc eſt communis & vera reſolutio, quod ſolæ (*Suar.* Fundamentum.)

illæ affectiones appetitus in corpore glorioſo reperientur, quæ decentes ſint, & conſentiunt cum gloria, & perfectione ſtatus beatifici. Quæ verò hæ ſint? ex dicendis patebit.

2. *Vera reſolutio.* Ex qua reſolutione facilè colliges veram noſtri articuli reſolutionem: quoniã ſi ſermo ſit de actibus appetitus concupiſcibilis tàm ad bonum, quàm ad malũ tendentis: non omnes actus illiùs reperientur in beatis: quia in illis non reperietur dolor, aut triſtitia: nulla etiam deſperatio, vt in ſequenti quæſtione dicemus: ſi verò ſolùm ſit ſermo de actibus concupiſcibilis appetitus, qui bonũ reſpiciunt; omnes tales actus in beatis reperientur. Quod ex ſequentibus articulis facilè apparebit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in corpore glorioſo futurus ſit amor, ſiue dilectio ſenſibilis?

1. TRes eſſe affectiones ſiue operationes appetitus concupiſcibilis terminatas ad bonum, iam diximus: amorem. ſ. vel dilectionem: deſiderium, & delectationem. In hoc articulo dicemus de amore: quia fundamentum eſt duarum aliarum affectionem; & ideò ordine eſt primus.

2. *Aſſertio.* De quo hanc aſſertionem tanquã certam ſtatuimus: *Amorem ſenſibilem futurũ eſſe in appetitu cõcupiſcibili corporis glorioſi, dubitari non poteſt.* Ita affirmat *Suarius* (*Suarius.*) *1. to. ad 3. p. diſp. 34. ſect. 3. in 1. aſſerto*, & rectè quidem: quoniam cum iſte affectus circa bonum, & conueniens verſetur; quod eſt adæquatum obiectum appetitus ſenſitiui; non poteſt non eſſe primus actus eiuſdem appetitus, & principium omnis motus illius: à bono enim incipit appetitus: vnde amor ab Auguſtino dicitur pondus, quo appetitus fertur, quocũque fertur: illo enim inclinatur ad aliquid concupiſcendum, ſicut lapis grauitate propẽdet ad deſcenſum. Cum igitur iam conſtet appetitum ſenſitiuum futurum eſſe in corpore glorioſo quoad aliquem actum, & amor ſit primus actus, & principium omnis motus, & quietis eiuſdem; non poteſt amor non reperiri in appetitu beato. Quod profectò mihi ſenſit *Auctor libri de ſpiritu, & anima c. 64. apud Auguſt.* & *D. Anſelmus in ſuo proſologio c. 25.* dûm vterq; ita ſcribit: *Quid amas caro mea?* (appetitum ſenſitiuum intelligit) *ibi eſt, quicquid amas.* Quorſum id: ſi in patria appetit⁹ ſenſitiuus nihil debet actu appetere? Cũ igitur in patria futura ſit ſocietas ſenſibilis beatorum, & politia, cuius nexus, & vinculum, vt perfecta ſit, eſt amor; cur dubitabitur beatos ſenſibili amore ſe mutuo fore proſequẽdos? cur dicemus Chriſtum in cœlo non retinere eundem amorem, & eundem ſenſibilem affectum, quẽ in via erga Virginem matrem, & electos ſuos habuit? *Auguſt.* *Anſelm.*

3. *Intellectus concluſionis.* Eſt autem concluſio iſta intelligenda de vtroque amore; amicitiæ, inquam, & concupiſcentiæ: quia vterque in appetitu ſenſitiuo ſuo modo reperitur: cum enim in bonis, quæ cæteri beati poſſident, cõplacere debeamus, amor ille terminatus ad beatos erit amicitiæ, concupiſcentiæ verò; prout terminatur in ipſum bonum, quod illis concupiſcitur. Imò Chriſtum Dominum, quatenus ſuo aſpectu nos lętificat, tanquam adæquatum obiectũ noſtræ corporalis beatitudinis, amabimus amore concupiſcentiæ, quatenus ad illũ tanquam ad bonum noſtrum ſenſibile, noſter amor terminatur. Quin potiùs, & iſto modo Deum concupiſcibiliter amabimus, quatenus eſt autor noſtræ corporalis beatitudinis: nam & ad illum, prout nobis eſt bonum, amor intellectiuus cõcupiſcibilis voluntatis terminabitur, vt diximus *in 1. tom. q. 2. art. 3. n. 10. & latiùs in 2. tomo lib. 11.*

ARTICVLVS III.

An in corpore glorioſo admittendum ſit deſiderium ſenſibile?

1. EXcitato amore in appetitu ſenſitiuo boni oblati, ſi illud abſens ſit, naturaliter conſurgit illius aſſequendi deſiderium: quare inquirendum eſt, an in beatis poſt reſurrectionem dari poſſit affectus deſiderij circa aliquod bonum amatum quod non habent?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla ad reſolutionem quæſtionis.

2. *1. præmiſſ.* PRo explicatione quæſtionis propoſitæ pręmittenda ſunt nõnulla, quę ad illius explicationem conducũt.

Præ-

Duplex appetitus deſiderij. Præmittendum eſt primo duplicem appetitum deſiderij, ſiue cõcupiſcentiæ communiter diſtingui: abſolutum vnum, qui appellatur efficax: conditionatum alterum, qui communiter inefficax appellatur. Quæ diſtinctio licet cõmuniter fieri ſoleat de appetitu intellectiuo, qui eſt voluntas; tamen accommodari etiam poteſt & debet appetitui ſenſitiuo, vt omnes docent: conſtat enim in brutis animãtibus, quæ ſolo appetitu ſenſitiuo ducũtur, dari vtrumque actum circa idem obiectũ: cibum enim appoſitum aliquando efficaciter appetunt; quia ad illum actu mouẽtur: aliquando verò ſolum inefficaciter, dum ſcilicet ad illum accederẽt, niſi metu fuſtium impedirentur: nam & vaccæ, quæ à Philiſtinis arcã Domini ad Iudęos reuocarunt: dum retro aſpiciebant, & mugiebant, inefficaciter appetebant, cum ſuis fœtibus manere; pergebant tamen: id ipſum etiam conſtat in nautis, dũ merces in mare proijciunt: quas cuperent non proijcere, ſi poſſent vitam ſaluare: in quibus ſimul cum voluntate concurrere ſenſitiuum appetitum nullus dubitabit: quia ille immediatè mouet membra ad proijciendas merces; ſimulque dolet de proiectione earum. Denique in appetitu ſenſitiuo Chriſti Domini duo iſti actus circa paſsionem, & mortem reperti ſunt, quia efficaciter ſe obtulit immediatè mouendo corpus, dum ſe aduerſarijs comprehendendum, & immolandũ obiecit, & ſimul mouit ad triſtitiam, ſenſibilemque agoniam, vt conſtat.

2. 2. Præmiſſ. Præmittendum eſt ſecundo voluntatem rationalem, & intellectiuam à Theologis communiter diſtingui in voluntatem, vt naturam, & vt rationem, vt patet ex *D.Thom.* 1.*p.q.*41.*art.*2.*&* *q.*79.*artic.* 9.*&* 1.2.*q.*10.*art.*1.*&* *q.*74.*art.*7. *&* 3.*p.* *q.*18.*art.* 5. *& alibi ſæpe.* Quando verò operetur vt natura; & quando vt ratio, non facilè explicatur: quidam volunt voluntatem rationalem, tunc operari, vt rationem, cum ex efficaci intentione finis de medijs deliberat: vt naturam verò; cũ circa media non verſatur; quia tunc ſemper operatur ex naturali pondere, vel ipſius voluntatis, vel alicuius virtutis naturaliter inclinantis. Quare apud iſtos, voluntas tunc operatur vt ratio, quando ex deliberatione operatur: tunc autem; vt natura: quando operatur ſine deliberatione. Hæc eſt cõmunis explicatio, de qua *Maior in* 3.*diſt.*17.*q.*1.*contra* 3. *concluſionem, vbi etiam Durandus, & Capreol.* & ſatis eſt de mente *D.Thom.*3.*p.q.*18.*artic.* 4.*&* *q.* *& in locis ſuperius citatis.* Quæ tamen explicatio non placet *Suario* 1. *tom. ad* 3.*p.diſp.*38.*ſect.*2.§.*Scio nonnullos.*

Voluntas vt natura, & vt ratio. D. Thom. Maior. Durand. D. Thom.

3. In quo ſenſu Suarij opinio probãda ſit. Cuius opinio probanda eſt, ſi ſermo ſit de conformitate voluntatis cum diuino beneplacito: tunc enim latius patet volũtas vt natura, quã ſumatur in materia de libero arbitrio, in qua cõmunis explicatio probanda venit: nam cum voluntatẽ liberam à neceſſaria diſtinguimus; voluntas neceſſaria benè ſortitur rationem naturæ; cum proprium naturæ ſit ad vnum determinari: at cum ſermo incidit de cõformitate voluntatis cum beneplacito diuino, voluntas vt natura latius patet, quã voluntas neceſſaria: voluntas verò vt ratio minus latè patet, quam voluntas deliberata: conſtat enim voluntatẽ, qua Chriſtus recuſabat mortem (quam omnes agnoſcunt eſſe voluntatem vt naturã) fuiſſe deliberatã; quia facta deliberatione orauit, vt calix à ſe tranſiret; nec hoc cum probabilitate negabitur, & ſatis inſinuatur à *D.Thom.*3.*p.q.*21.*art.*2.*in corp.&* *ad* 2. Dicendum eſt igitur cum quibuſdam, quos Suarius probat, in propoſita materia voluntatem operari vt naturam, cum operatur ex appetitu proprij commodi, vel incommodi, ſiue neceſſario operetur, ſiue ex deliberatione: vt ratio verò tunc operabitur, cum ex alijs rationibus ſuperioribus, quam ex proprio cõmodo, operatur: quod facere non poteſt, niſi deliberate. Et merito ſane: quoniam voluntas non ſolùm habet rationem naturæ, quando ad actum neceſsitatur, vel quoad ſpecificationem; vel quoad exercitium; ſed etiam cum operatur ſecundum naturalẽ inclinationem, ex proprio nimirum cõmodo, vel alias conſentaneè ad propriam naturã, vt optimè aduertit *Fonſeca* 1. *Metaph. cap.*1.*q.*1.*ſect.* 5. *& ſatis inſinuat Suarius loco citato* §. *Primo igitur certum eſt.*

D. Thom. Fonſeca. Suarius.

§. 2.

Explicato ſenſu quæſtionis arguitur pro parte negante.

4. Appetitus an operetur & vt natura & vt ratio. SVppoſita hac diſtinctione appetitus ſenſitiui inquiri nõ immerito poteſt, an ſimili modo appetitus ſenſitiuus diſtin-

diſtingui poſsit vt.ſ.quędam operetur vt natura; quædam autem vt ratio participata, appetendo aliquid non ex impetu proprij cōmodi,ſed ex ſuperioribus alijs rationibus;ita vt vel contra,vel ſupra pro proprium commodum diuino beneplacito conformetur,& partem negantem videtur inſinuare *D.Thom.3.p.q.18.art.5.* dum prędictam diſtinctionem ſoli volūtati rationali accommodat,&non ſenſuali, quæ dicitur appetitus ſenſitiuus: quin potius euidenter ad primum eam videtur aſſerere,dum negat appetitum ſenſitiuum poſſe ſe extendere ad diuinum beneplacitum,

Pars negās. D. Thom.

5. Confirmari etiam poteſt hæc pars negās;quoniam de ratione beatitudinis eſt, vt perfectè ſatiat appetitum: quam Philoſophiam non ſolùm docuit *Ariſtoteles* 1.*Ethicorū cap.7.* ſed empreſſè colligitur ex Pſal.116.*ſatiabor;cum apparuerit gloria tua.* Appetitus autē nō perfecte ſatiatur, quandiù aliquid deſiderat:deſideriū enim importat carentiam boni concupiti; quæ carentia directè repugnat ſatiationi appetitus:

Ariſtot. Pſal. 116.

§. 3.

Affirmatio placet.

6. Affirmatio vera. Suarius.

Sed tamen oppoſitum puto eſſe dicēdum cum quibuſdam nouioribus ad 3.*p.D.Thom.in dicta q.18. art.5. quos ſequitur Suarius in Commentario eiuſdem articuli in ſolutione ad primum, & 1.tom. ad eandem 3.p.diſp.34.ſect.2.§.Dices ergo idē appetitus,& in q.15.eiuſdem 3.p.artic.7.in Commentario §.Explicandam vero ſententiam:*nam appetitus ſenſitiuus non ſolùm vt natura poteſt appetere, quæ ſibi ſunt commoda, & reſpuere,quæ ſunt incommoda; ſed etiam contra propriam naturam,& ſuper eam (motus tamen à voluntate operante ſecundum regulas ſuperiores) poteſt ſe conformare cū diuino beneplacito, & tendere in Deum,& ad ſpiritualia, modo corporali ſibi repreſentata, vt inferius dicemus: nā hoc modò appetitus ſenſitiuus Chriſti ſe cum diuino beneplacito conformando mortem etiā appetijt,& ſuis inimicis ſe ſe obtulit. Igitur appetitus ſenſitiuus poteſt operari vt natura, cum ex impetu proprij commodi ſe ipſum mouet: poteſt etiā operari vt ratio participata;cum.ſ.mouetur à volūtate operante vt ratione,& ſecundum regulas ſuperiores appetitum dirigente: & proin de poteſt ſe conformare cum diuino beneplacito,etiam in ijs, quæ tāquam natura refugit. Sed de his alibi plura diximus.

7. Concluſio generalis.

His ita præmiſsis ſtatuenda eſt hęc generalis concluſio: *Quamuis in beatis nullū poſsit dari abſolutum, & efficax deſiderium ſenſibile alicuius boni,quod ad perfectam,vel animæ,vel corporis beatitudinem pertineat: appetitui tamen beato ſimpliciter non repugnat actus deſiderij, ſiue concupiſcentiæ ſenſibilis ſanctæ,& honeſtæ,non ſolum efficax,ſed etiam inefficax: non ſolum per modum naturæ,ſed etiam per modum rationis participatæ: idque tam reſpectu ſui, quam reſpectu aliorū.* Hæc concluſio per ſingulas ſuas partes demonſtrabitur adhibitis nonnullis propoſitionibus.

8. 1.Propoſit.

Sit prima propoſitio: *In ordine ad ea, quæ ad naturalem perfectionem, & integritatem beatitudinis,tam animæ, quàm corporis ſpectant, nullum poteſt dari abſolutum,& efficax deſiderium in appetitu ſenſibili beati.* Hæc propoſitio, tanquam veriſsima ab omnibus ſupponitur, & ponitur à *Suario 1.tom.ad.3.p.q.7.art.4.in Commentario* §. *Vt breuiter explicemus.* Quæ etiam in appetitu intellectiuo locum habet.

Suar.

9. Fundamentū cōmuni.

Communi omnium fundamentum ſumitur ex ratione dubitādi initio adducta: eſt enim de intrinſeca ratione beatitudinis, vt omnem animi inquietudinem, & ſolicituditudinem auferat,omnem appetitum ſatiando. Iuxta illud Auguſtini: *Inquietum eſt cor noſtrū,donec perueniamus ad te:*quaſi ipſa Dei poſſeſsio ſit perfecta, & omnibus modis compieta quies, & ſatiatio appetitus: hęc autem perfecta quies conſtare non poteſt cum abſoluto alicuius boni deſiderio: amor enim, & concupiſcentia boni nondum habiti naturaliter mouet ad illius cōquiſitionem: quæ cum non detur ſine motu, non poteſt nō ſecum afferre inquietudinem atque ſolicitudinem animi,quæ imperfectionē denotat repugnantem ſtatui beatifico.

10. Nō placet.

Sed profecto hoc fundamentum deficit: quoniam licet beatitudo omnē animi inquietudinem & ſolicitudinem auferat: non tamen aufert omnem deſideriū: etenim, vt dicemus, in beatis multiplex reperitur deſideriū, nō ſolùm inefficax,

ſed

ſed etiam efficax : ex quo infertur cõtra minorem argumenti, & ſolutionis; quia non omne deſiderium neceſſario ſecum affert animi inquietudinem: & proinde non eſt de ratione beatitudinis ſemper omnibus modis ſatiare appetitum, vt latius dicemus §.7. huius articuli.

11. Vera ratio. Vera igitur, & per ſe ratio noſtræ propoſitionis ſumenda erit ex naturali conditione beatitudinis eſſentialis, ſiue illa ſit animæ, ſiue corporis: eſt enim ex ſua ratione, tam in ſe ſuaque eſſentia, quam in ſua naturali perfectione, & integritate inuariabilis; ſaltem poſtquam fuerit poſt reſurrectionem conſummata: quod addimus propter eos, qui volunt beatitudinem eſſentialem animæ poſt corporum reſurrectionem futuram eſſe intenſiuè maiorem: qui tamen libenter fatentur vtramque beatitudinem, facta corporum reſurrectione, futuram eſſe inuariabilẽ, & in ſua eſſentia, & in ſua naturali integritate: quod modo ſupponimus, tam quam omnino indubitatum. Suppoſita autem vtriuſque beatitudinis inuariatione, neceſſario infertur poſt reſurrectionẽ euacuandum eſſe omne abſolutum deſideriũ eorum, quæ ad integritatem vtriuſq; pertinent: cum vtraque perfectè, & integraliter ſtatim habeatur, & poſsideatur. De appetitu verò inefficaci, & conditionato, ſtatim dicemus.

12. 2. Propoſitio. Secunda propoſitio: *Appetitui ſenſitiuo in beatis ſimpliciter nõ repugnat actus deſiderij, ſiue concupiſcentiæ ſenſibilis ſanctæ, & honeſtæ: inhoneſta enim, & irrationalis cõcupiſcentia rectitudini illius appetitus omnino repugnat.* 2. Pars. Poſterior huius propoſitionis pars eſt notiſsima; quia ſicut appetitus intellectiuus eſt in bono confirmatus per omnimodam alligationem cum prima regula, vt in ſuperioribus iam oſtendimus; ita etiam appetitus ſenſitiuus eſt in beatis immobiliter rectificatus, quia rationi rectæ omnino ſubijcitur; ita vt eam præuenire nequeat, nec aliquo modo perturbare. 1. Pars. Prior verò pars aſſertionis probatur primo; quia voluntati beatæ ſimpliciter non repugnat actus deſiderij: conſtat enĩ animas beatas appetere gloriam corporis, vt docet *D.Thom. 1.2.q. 67.art.4.ad 3. ex Auguſtino 12. de Geneſi ad literam cap. 24.* & patet ex capite ſexto Apocalyſis. Ergo appetitui ſenſitiuo beati ſimpliciter non repugnabit actus deſiderij: hic enim appetitus ſequitur motum appetitus rationalis.

D. Thom. Auguſtin.

13. Alia ratio. Deinde, cũ Chriſtus Dominus in gloria pro nobis nunc interpellet; etiam nũc appetit noſtram ſalutem, & gloriam; non ſolùm appetitu intellectiuo; ſed etiã ſenſitiuo: nam vulnera ſua Patri offert: vnde etiam amore ſenſibili in Patria nunc amat ſuos electos. Quod par eſt ſentire de Virgine, & de cæteris, ſi qui alij in Patria cum corpore iam exiſtunt.

14. 3. Ratio. Tertio; beati poſt reſurrectionem expectabunt, & appetent videre Chriſtum cum gloria ad iudicium venientem: appetent etiam mundi renouationem: & denique cœleſtes ſedes poſsidere; videreq; pulchritudinem, & lucem corporum cœleſtium, maximè Empyrij, in quo habitaturi ſunt.

15. 1. Propoſitio. Tertia propoſitio: *Non repugnat in beatis reperiri ſenſibile deſiderium abſolutum, & efficax: quin potius de facto reperitur in Chriſto Domino, & Virgine & in cæteris, qui corpore iam ſunt in cœlo,* probatur quoniam in voluntate beata de facto reperitur deſiderium abſolutum, & efficax eorum, quæ nondum ſunt; voluntas autẽ beata, dum corpus glorioſum informat, poteſt mouere appetitum ſenſitiuum ad ſimile deſiderium. Huius rationis antecedens patet pro ſecunda parte: pro prima autẽ ab omnibus Theologis recipitur, qui docent beatos in Patria in omnibus, tàm formaliter, quàm materialiter ſuam voluntatem cum diuina abſolutè, & efficaciter conformare; ita vt omnia abſolutè velint, quæ vident Deũ abſolutè velle, vt docet *D.Thom 1.2.q.19.art.10.ad 1.& 3.p.q.18.art. 5. ad 3.* vtrobique communiter receptus. *D. Thom.* Cum igitur Deus: plura adhuc futura efficaciter velit, vt frumenti abundantiam, temporis ſerenitatem, & Petri viuentis ęternã ſalutem, vtique beati illa eadem efficaciter volunt, & deſiderant, & ob id videntes in diuina eſſentia, aut per nouam reuelationem voluntatem Dei eſſe, vt interceſsione illorum Petrũ ſaluet, & alia beneficia hominibus conferat, pro illis abſolutè, & efficaciter orant, & exaudiũtur: hęc autem oratio, & interceſsio ſine illarum rerum abſoluto, & efficaci deſiderio non datur. Igitur Chriſtus Dominus dum apud Patrẽ abſolutè pro

pro nobis interpellat; & Virgo mater, dũ pro amicis (quos ſuis precibus iuſtificandos, & ſaluandos nouit) Deum orat; non ſolùm appetitu intellectiuo, ſed etiam ſenſitiuo efficaciter illorum ſalutem deſiderat.

§. 4.

Quid de deſiderio inefficaci.

16. De deſiderio inefficaci. DVbitari tamen poteſt, an in beatis dari poſsit aliquod deſiderium inefficax appetitus ſenſiui? ratio dubitandi ſumitur; quia dubium eſt inter Theologos, an in voluntate beata reperiãtur actus inefficaces? negantem partem Pro negãte *Caiet.* abſolutè probat *Caietanus* 3.*p.q.*46.*art.*7. quo loco beatis omnem actum inefficacẽ negat; ſiue procedat à volũtate, vt eſt natura; ſiue vt eſt ratio. Affirmantem ex Pars affirm. diamatro oppoſitam admittit *Medina* 3. *Medina,* *p.q.*18.*art.*5.admittens in beatis vtrumq; illũ actum inefficacem: ad quam ſententiam videtur accedere *Suarius* 1,*tom.ad* 3. *Suarius.* *p.diſp.*38.*ſect.*2.*ad finem.* Cũ igitur in beatis appetitus ſenſitiuus in omnibus intellectiuum ſequatur; profectò ſi dubium eſt in intellectiuo dari actus inefficaces; id etiam dubium erit in ſenſitiuo.

17. 4. Propoſit. Sit tamen quarta propoſitio: *Non repugnat in appetitu ſenſitiuo beati reperiri ſenſibile deſiderium inefficax, & conditionatũ, tùm per modum naturæ, tùm per modum rationis.* Hæc concluſio, licet in his terminis à nemine Theologorum expreſſè ponatur, eſt tamen de mente quorundam nouiorum: poteſt autem hac ratione facile confirmari. Appetitus ſenſitiuus in beatis ſequitur intellectiuũ, & ad omnia poteſt ſuo modo ab intellectiuo moueri. Sed in voluntate beata poſſunt reperiri, & de facto reperiuntur actus inefficaces, & cõditionati. Ergo in appetitu ſenſitiuo poterunt illi reperiri. Maior propoſitio ex dictis patet: Minor autem probatur; quia non video; cur in voluntate beati actus iſti conditionati, & inefficaces reperiri nequeãt, ſaltem antequam abſolutè Dei 1. Ratio. voluntas illi manifeſtetur. Nam quod actus inefficaces, qui procedunt à voluntate, vt eſt ratio, in beatis reperiantur, inde patet; quia non eſt, cur beati ex charitate non deſiderent omnium hominum ſalutem; etiam ſi cognoſcant Deũ efficaciter nolle omnes ſaluari: nam Deus vult omnes homines ſaluos fieri voluntate antecedente, quæ non eſt abſoluta, ſed conditionata, & ſuo modo (vt plerique loquuntur) imperfecta: vnde Chriſtus Dominus, etiam ſecundum partem ſuperiorem omnium ſalutem deſiderauit, cum pro omnium ſalute ſe obtuleret, omneſque redemerit, ſi non efficaciter; ſaltem ſufficienter: quæ oblatio ſine aliquo deſiderio ſalutis omnium conſtare non potuit.

Deinde id videtur manifeſtè demonſtrari ex pugna Angelorum, de qua ſcri- 18. 2. Ratio. bitur Danielis 10: quã ſupponimus fuiſſe inter bonos Angelos contra Diuum Hieronymum cum *D. Gregorio libro.*17. *D. Gregor.* *D. Thom.* *Moralium cap.*7.*quem ſequitur D.Thom.*1. *p.q.*115.*artic.*8. quilibet enim illorum id, quod altero reſiſtente à Deo poſtulabat, non abſolutè poſtulabat, ſed ſub conditione diuini beneplaciti: nam cum primum Deus ſuam voluntatẽ illis reuelauit, ceſſauit pugna: fuit igitur vtriuſq: Angeli deſiderium inefficax, & conditionatum; Suarius nõ admittitur. quicquid oppoſitum ſupponat *Suarius* 1. *tom.ad* 3.*p.diſp.*38.*ſect.*5. *concluſione.*1.§. *Dices ergo*: nam voluntas efficax beati; cum in omnibus ſit diuino beneplacito conformis, non poteſt non impleri. Ex quo loco etiam colliges beatos poſſe pleraque a Deo poſtulare voluntate non efficaci; qualis eſt omnis illa, quæ aliquid poſtulat à Deo, antequam diuinum beneplacitum manifeſtetur: id enim, quod ait *Auguſtinus* 10.*de Trinitate cap.*5.*in fine, &* *Auguſtin,* *cap.*6. *beatos habere quicquid volunt*, intelligendum eſt de voluntate efficaci: per hanc enim nihil appetunt, niſi quod vident Deo efficaciter placere: vnde oratione abſoluta nihil petunt, niſi quod vidẽt eſſe Deo beneplacitum: & hoc modo cõciliandi ſunt *D.Thom.* & *Scotus*, dum ille *D. Thom.* vult ſanctos non orare Deum, niſi quan- *Scotus.* do vident Deum id velle, pro quo orant: hic verò docet Sanctos etiam orare antequam diuinum beneplacitum illis manifeſtetur: Scotus enim verum dicit de oratione conditionata, & inefficaci: D. autẽ Thom. de abſoluta.

Porrò quòd in beatis detur volunras, 19. vt natura inefficax, & conditionata pro- De voluntate vt natura. bat Suarius in dicta diſp.38.ſec.2.in fine: quia animæ beatæ in cœlo appetunt ſua corpora, & eorum gloriam: quem appetitum

titum putat eſſe inefficacem; quia (vt ait) eſt appetitus naturæ adhuc incompletæ; quaſi ſupponat in anima beata dari non poſſe deſiderium efficax per modum naturæ. Sed tamen exemplum non videtur accommodatum: illud enim deſiderium cum ſit diuino beneplacito conforme non poteſt non eſſe efficax: probari igitur poteſt hęc pars antecedētis ex velleitate quam vnuſquiſque beatorum habet, vt corporum reſurrectio, & gloria acceleretur: vt eorum orationes pro parentibus, & amicis exaudiantur: vt prædeſtinati forent, ſi qui eorum ſunt reprobi: denique ex velleitate, quam fortè habebunt vt alijs beatioribus forent æquales: quæ omnia beatos poſſe deſiderare, ſupponimus non repugnare, vt ſtatim dicemus,

Concluſio. Cum igitur ex dictis ſententia Medinæ ſatis videatur confirmata in appetitu voluntatis (in quo admittit actus inefficaces, & conditionatos, tùm per modum naturæ, tùm per modum rationis) non eſt, cur negemus huiuſmodi actus etiam reperiri in appetitu ſenſitiuo.

§. 5.

An detur, tam per modum naturæ, quam per modum rationis? Et in ordine ad quæ?

20. 5. Propoſitio. SIt quinta propoſitio: *In beatis, qui reſuſcitati iam ſunt in cœlo (vt in Christo Domino: beata Virgine: & ſiqui ſūt alij) datur deſiderium ſenſibile, tam efficax, quā inefficax, non ſolùm per modum naturæ, ſed etiam per modum rationis: tam reſpectu ſui, quam reſpectu aliorum*: quod detur deſiderium efficax, iam patet ex tertia concluſione; volunt enim, & efficaciter deſiderant fieri plura futura, quæ Deum efficaciter velle cognoſcunt: cū verò appetitus ſenſitiuus ſequatur intellectū: vtiq; ſimul ea ipſa efficaciter deſiderabit: & cū inter illa quædam deſiderentur ratione charitatis, & amicitiæ; quædam verò ratione proprij commodi, vt patet in exēplis allatis in dicta cōcluſione tertia; vtiq; in appetitu ſenſitiuo illorum erit deſiderium efficax, non ſolùm per modum naturæ; ſed etiam per modum rationis: nā Chriſtus Dominus efficaciter deſiderat gloriam iudicis vniuerſalis, quam in vltimo die eſt conſecuturus: deſiderat etiam omnium rerum cōſummationem, & totius mundi renouationem, vt euacuato omni principatu, poteſtate, & virtute, poſitiſque inimicis ſub pedibus ſuis, regnum ſuum omni ex parte iam conſummatum, & perfectum Patri offerat, vt ait Paulus 1. Corinth. 15. quod non ſolùm cedet in Patris honorem; ſed etiam in gloriam corporalem, & ſenſibilem Chriſti; quam idem Chriſtus vtraque voluntate, rationali. ſ. & ſenſitiua, ſumme deſiderat, nō ſolùm appetitu naturæ, ſed etiam rationis.

Datur deſiderīū efficax.

Eandem Chriſti gloriam, & totius mūdi innouationem vtroque appetitu concupiſcunt omnes, qui corpore, & animo iam fruuntur cœleſti beatitudine, vt ſimul cum omnibus ſanctis fruantur pulchritudine, & luce renouati mundi. Præterea concupiſcunt ſalutem, & gloriam omnium propinquorum, & amicorum, quos prædeſtinatos eſſe cognoſcunt: concupiſcunt etiam ſui nominis celebritatē apud omnes fideles viatores, cum intelligunt id placere Deo. 21.

Porro dari etiam in illis deſideria inefficacia, & conditionata, patet ex dictis in 4. Propoſitione: cum enim abſoluta Dei voluntas in omnibus non ſit illis manifeſta; adhuc datur locus deſiderijs conditionatis, & inefficacibus; tam per modum naturæ, quam per modum rationis, vt facile demonſtrabunt exempla adducta in 4. Propoſitione ſupra §. 4. & magis patebit ex ſequenti propoſitione. 22.

§. 6.

Quid dicendum poſt conſummationem regni Chriſti Domini?

VLtima propoſitio: *Poſt conſummationem regni Chriſti Domini (quæ tunc fiet, cum ſancti glorioſo triumpho cum Chriſto corporaliter aſcendent in cœlum) nullum erit in beatis deſiderium, ſiue efficax, ſiue inefficax: ſed omnis appetitus deſiderij, ita erit ſatiatus, & completus, vt nec abſolutè, nec conditionate aliquid amplius deſiderent.* Hæc cōcluſio ideo mihi placet, quia hæc perfectio maximè decet ſtatum beatificum, qui tunc omnibus modis erit abſolutus, & perfectus: cum enim deinceps ſit finis, vt ait Paulus 1. Corinth. 15. id eſt 23. Vltimo propoſitio.

con-

conſummatio ſæculi, omnimodaque rerum omnium perfectio vtique nihil erit, quod beatì aut ſibi, aut alijs, aut etiã Deo amplius abſolutè deſiderent.

24. Imò nec aliquid erit, quod cõditionate, & inefficaciter deſiderare poſsint: nã cũ vtraq; volũtas (rationalis.ſ.& ſenſitiua) ſit cum diuino beneplacito perfectiſsimè cõformis, illiq; in omnibus adhærens: vtiq; nihil boni vltra id, quod habent, etiam voluntate conditionata procedente ex impetu naturæ concupiſcent: non quidem propter ſolicitudinem, quæ concupiſcentiam comitetur (quia hæc concupiſcẽtia nullam ſecum affert ſolicitudinem, vt iam dicemus in §.ſequenti) ſed proter omnimodam conformitatem cum diuino beneplacito prouenientem ex ſumma vtriuſque appetitus rectitudine, quæ tollit omnem à diuino beneplacito difformãtem, etiam inefficacem, & conditionatã. Cum verò nihil mali diuina diſpoſitione illis euenire poſsit; nihil etiã naturali impetu voluntas reſpuet, in quo à diuina voluntate in volito diſcordet, vt optimè aduertit Maior in 3.diſt.17.q.1. dum arguit contra 3. concluſionem.

§. 7.

Pro ſolutione argumenti agitur de ſatiatione appetitus.

25. Ad rationẽ. dubitandi. SVpereſt, vt diſſoluamus rationẽ dubitandi allatam §.2: cui occurrendũ erit non eſſe de ratione beatitudinis, vt omnem ſatiet appetitum; nec pro omni tempore; nec denique vt illum ſatiet preſentia boni concupiti.

Præmiſſum. Pro cuius ſolutionis maiore explicatione præmittẽdum eſt de ratione eſſentiali beatitudinis eſſe, vt nullam animi ſolicitudinem, & curam; nullam item inquietationem admittat; non tamen de ratione illius eſſe, vt omne deſiderium ab appetitu excludat. Prima huius reſolutionis pars eſt notiſsima; quia in beatitudine
26. Non excludit omne deſiderium inefficax omnia pacata ſunt, & tranquilla. Poſterior verò pars de appetitu quidem conditionato, & inefficaci euidenter demõſtratur: quia Deus plura vult appetitu conditionato; vult enim omnes homines ſaluare, cum tamen non omnes ſint ſaluandi. Præterea Deus permittit hominum peccata, & ſæpe efficaciter vult punire homines; cum tamen voluntate inefficaci, & conditionata vellet, nec pœnam infligere, nec peccata fore, iuxta illud Ezechielis: *Nunc quid voluntatis meæ eſt mors impij?* Cum igitur diuina beatitudo à Deo non excludat voluntatem cõditionatam, ſed admittat potius: & adhuc admittat eã, quæ in volito non conformatur cum voluntate eius abſoluta (cum enim vellet omnes ſaluos fieri; non tamen abſolutè vult omnes ſaluare) nõ eſt mirum, ſi beatitudo creata hanc etiam inefficacem, & conditionatam voluntatem à beatis nõ excludat, ſed ſecum admittat: imò etiam admittat illam, quæ in volito, nec abſolutè Dei voluntati, nec ipſius beati ſit conformis: beatus enim conditionate vellet Patrem ſuum non damnari; cuius tamen dãnatio ideo abſolutè placet, quia abſolutè à Deo eſt volita.

Quin potius, nec beatitudo excludit 27. Nec excludit deſiderium efficax.
deſiderium abſolutum, & efficax: nam ex tertia propoſitione iam conſtat Deum, & beatos plura efficaciter velle, quæ adhuc futura ſunt; quorum voluntas eſt voluntas deſiderij, cum ſit voluntas alicuius boni nondum habiti; ſed futuri.

Ex quo primo infertur de ratione deſiderij eſſe quidem, vt boni concupiti carentiam admittat; non tamen vt ſecũ afferat animi ſolicitudinẽ, & inquietudinẽ. 28. Corollariũ.
Prior pars huius corollarij cõſtat ex Paulo: *Nam quod quis habet, quid ſperat?* & ex definitione deſiderij: eſt enim amor boni non dum habiti: Poſterior verò pars ex dictis conſtat: datur enim deſiderium, tùm in Deo, tùm in beatis, in quibus nulla animi ſolicitudo datur, nulla afflictio. Ratione etiam facilè oſtenditur: 1. Ratio.
quoniã deſiderium boni concupiti tunc affligit, cũ voluntas in illud tendit motu ſpei: id eſt voluntate abſoluta, vel ſub ratione ardui; vel ratione difficultatis, vel ratione incertitudinis, vel denique ratione dilatationis.

Ex quo patet, vt deſiderium ex boni 29. Quæ acquiratur ad moleſtiam.
carẽtia animam affligat, primum omniũ requiri, vt ſit deſiderium abſolutũ, & efficax: nam ſi bonum non abſolutè, & efficaciter concupiſciter; concupiſcitur concupiſcentia quadam ſimplici abſque vlla intentione illius aſſequendi; & ſubinde ſine vlla electionis voluntate: ſimplex autem alicuius boni concupiſcentia, ideo quia

quia volitione, & intentione aſſecutionis caret, & inquiſitione mediorum; nullo modo animam affligit: & inde eſt, vt quæ bona, tanquam acquiſitu impoſſibilia concipiuntur; ea concupita animum non ſolicitent; non alia ratione, niſi qua ſine intentione acquiſitionis con cupiſcuntur. De quo vide *Fonſecam* 1. *Metaphiſic. capite ſecundo, quæſtione tertia, ſectione ſexta pag.* 153.

Fonſeca.

30. 2. Ratio. ¶ Deinde, vt deſiderium deſiderantem ſolicitet, adhuc requiritur, vt aſſecutio efficaciter intenta coniuncta ſit cum difficultate; vel ratione incertitudinis (in certitudo enim boni efficaciter concupiti cauſat in deſiderante ſolicitudinem) vel ratione difficultatis, quæ cum aſſecutione coniungitur: (difficultas enim aſſecutionis curam ingerit:) vel denique ratione dilatationis, ſi bonum ſimpliciter concupiſcitur: dilatatio enim concupiti boni non poteſt non cenſeri ardua; & ideo nõ poteſt non affligere deſiderantẽ.

31. Nullam affert moleſtiam. Igitur deſiderium abſolutum, & efficax alicuius boni, nullam ſecum afferet moleſtiam, nullam ve curam; ſi cum infallibilitate, & facilitate aſſecutionis hoc habeat coniunctum, vt efficaciter non cõ cupiſcatur, niſi pro certo tempore, in quo aſſequendum cognoſcitur. Et ob hanc rationem animæ beatæ non affliguntur deſiderio vnionis ad corpus; quia cũ infallibili certitudine reſurrectionis abſq; vlla difficultate futuræ eam efficaciter non deſiderant, niſi pro tempore diuini beneplaciti: nec ſatis eſt certitudo infallibilis, vt ab efficaci deſiderio moleſtiã auferat, alioquin ſpes non affligeret viatores, qui per reuelationem de ſua ſalute certi ſunt facti: nec etiam affligeret animas purgatorij, quæ certiſsimæ ſunt de ſua beatitudine, excluſo omni timore: cum tamẽ certitudo iſta afflictionẽ ſpei mitiget, & eas conſoletur. Neque etiam ſatis eſt carentia difficultatis, & laboris in boni aſſecutione, vt afflictionem tollat: nã viator ille, qui de ſua beatitudine certus eſt factus, etiamſi nullam haberet difficutatem, adhuc dilatione beatitudinis affligeretur. Adhuc igitur neceſſe eſt, vt bonum efficaciter non deſideretur, niſi pro tempore, quo infallibiliter conſequendum cognoſcitur: quod inſinuauit *Medina* 1. 2. *q.* 4. *art.* 5. *ad* 3. *argumentum in fine Coment.*

Animę beatę nõ affliguntur deſiderio ad corpus.

Nec animæ Purgatorij ex deſiderio ſuæ beatitudinis.

Medina.

Secundo ex præmiſſa reſolutione infertur, non eſſe de ratione beatitudinis, vt omnem ſatiat appetitum, nec pro omni tempore: quod inſinuat Medina in loco immediatè citato, quamuis multis verbis rem potius confundat, quam explicet. Hoc corollarium ex his, quæ diximus facile demonſtratur: nam conſtat non omnia deſideria conditionata, & inefficacia beatorum compleri nec enim omnes homines ſaluantur; cum tamen beati omnibus beatitudinem conditionate exoptent: nec proinde nulla ſunt in mundo mala culpæ, aut pænæ, quod beati conditionate velint illa mala non fore. Deinde conſtat non omnia beatorum deſideria abſoluta ſtatim compleri, cum primũ inſunt: beati enim plurimorũ ſalutem & gloriam nunc efficaciter, & abſolutè deſiderant; cum tamen deſiderium hoc, non niſi futuro tempore ſit complẽdum. Denique id euidenter oſtenditur ex deſi derio animæ beatæ ad ſuũ corpus: quod deſiderium eſſe abſolutum, & efficax in ſuperioribus monſtrauimus. 32. 2. Corol.

Probatio 1ª.

Secunda.

Tertia.

Siquis quærat, in quo nam ſenſu beatitudo dicatur ſatiare appetitum? reſpondendum eſt id in hoc ſenſu eſſe intelligẽdum; quia ſatiat appetitum reſpectu vltimi finis; cuius conſequendi gratia in via omnia deſiderabamus: aſſecuto antem vltimo fine, ceſſat omnis appetitus finis *cuius*, qui proprie eſt appetitus, licet maneat appetitus finis *cui*: quicquid enim amplius beati deſiderant, in illius gloriam, & honorem deſiderant. Igitur ſatiatus eſt appetitus aſſequendi finem vltimum; non verò gratificandi, & glorificandi talem finem: Is enim appetitus oritur ex ſatiatione prioris; iuxta illud Eccleſiaſtici: *Qui edunt me, adhuc eſuriunt; & qui bibunt me adhuc ſitiunt.* Quæ verba nõ ſolũ explicari poſſũt in hoc ſen ſu; quia beati ſine faſtidio Deo fruũtur: ſed in hoc etiã; quia inde oritur appetitus, vt beati in omnibus placeant Deo, & omnia in illius gloriam referant. 33. In quo ſenſu appetitus ſatiatur beatitudine?

1. Explicatio.

Secundo illud Theologicum axioma intelligi poteſt, vt beatitudo ideo dicatur appetitum ſatiare; quia omnem appetitum, vel formaliter, vel radicaliter, & originatiuè ſatiat. ſciunt enim beati omnem appetitum, tam abſolutum, quàm conditionatum ſatiãdum fore: abſolutum qui- 34. 2. Explicat.

dem per realem boni concupiti præſentiam: conditionatum verò; per illius euacuationem, vt patet ex dictis §.6.

35. 3. Explicat. Poteſt adhuc illud axioma in hoc ſenſu exponi. vt beatitudo ideo dicatur omnem appetitum ſatiare; quia licet non omnem ſatiet præſentia boni concupiti: omnem tamen ſatiat excluſione totius moleſtiæ, vt §.6. oſtendimus.

Ex quibus iam conſtat explicatio dubitationis adductæ §.2. & confirmatio ſolutionis in initio huius §, poſitæ.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm gaudium ſenſibile, ſenſibiliſque delectatio admittenda ſit in corpore glorioſo?

1. De gaudio ſiue delectatione. Amorem boni præſentis excitare in appetitu delectationẽ, omnes Philoſophi fatentur: apud quos delectatio non eſt aliud, quam quies in bono tãquam in loco idoneo, & conueniente, in quo ceſſat motus potentiæ appetitiuæ. Vtrùm verò delectatio ſenſitiua ab amore ſenſitiuo realiter diſtinguatur? cõtrouerſum eſt: cuius controuerſiæ ſolutio ad præſens inſtitutum non ſpectat.

2. Futura eſt in beatis. Delectationem ſenſibilem, ſiue voluptatem in corpore glorioſo futuram eſſe pro certo habendum eſt: id enim ſupponunt omnes antiquiores tanquã quid notiſsimum: explicant omnes nouiores, inter quos *Sotus in 4.diſt.49.q.4.art.5.concl.2.in 2.illius argumento, latius Suarius 2. to. ad 3.p.diſp.47.ſect.6. §.4. igitur certiſsimũ eſt, & rurſus in fine ſect.§. Dices ergo. Obiter id tetigit. 1.tom.diſp.34.ſect.3.§.3. certum eſt.* Neque oppoſitum docuit *D.Thom.in 4.diſt.44.art.3.quæſtiunc.4.ad 3.in fine*, dũ ait ſolas delectationes ſpirituales ad beatitudinẽ requiri; quia ſi vis argumẽti, quod ſoluit, cõſideratius expendatur, non ſimpliciter negat delectationes corporeas ſtatui beatitudinis; ſed ſolũ negat ad eũ pertinere omnes delectationes corporis, quę pro ſtatu viæ inueniuntur: cum tamẽ omnes delectationes ſpirituales in beatitudine reperiantur: vnde 4.contra gent.c.91. & 92. nõ negat omnes delectationes, ſed venereas; & eas, quæ ad cibum, & potum ſpectant.

(Sotus. Suarius. D.Tho. nõ eſt cõtrario.)

3. Hanc communem, & receptam ſententiam docuere plerique ex Patribus: & ſpecialiter D.Anſelmus in lib.de Similitudinibus, vbi delectationem, & voluptatem corporis poſuit inter beatitudines Patriæ. Et ibidem capit.57. multis confirmat totos beatos inenarrabili ſuauitatis abundantia eſſe complendos; & tandem ait: *Quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur; cor, iecur, & cætera mirabili delectationis, & dulcedinis ſenſu replebuntur.* Laurentius etiam Iuſtinianus in libro de diſciplina, & perfectione conuerſationis Monaſticæ cap.23. poſt multa ita concludit: *Caro ſpiritualis effecta per omnes ſuos ſenſus multimodis exuberabit delitijs: delectabitur oculus in amabilis redemptoris aſpectu, & cætera.* Ante eos Nazianzenus oratione 10. in laudem fratris Nazarij agens de futura illius gloria, ita ait: *Cum cognatam carnem receperit, eam quoque ad gloriæ cœleſtis hæreditatem ſecum admittet; & quemadmodum ad naturæ coniunctionem ærumnarum ipſius particeps fuerat; ſic etiam iucunditates ſuas, cum ipſa communicabit, totum ſcilicet corpus in ſe ipſam aſſumens.* Irenęus etiam lib.5. contra hæreſes cap.8. ita ait: *Si pignus habentes clamamus Abba Pater, quid fiet, quando reſurgentes facie ad faciem videbimus eũ? quando omnia membra affluẽter exultationis hymnum protulerint?* Vidẽdi ſunt. D.Baſilius, & Theodoretus ad illa verba Pſal.149. *Exultationes Dei in gutture eorum, & D.Greg.8.lib.Moralium cap.31.D.Anſel.in Prologio c.25. D. Auguſt. lib.22.de Ciuit.Dei.c.30.* deniq́; apud eundẽ *Authorẽ lib.de ſpiritu, & anima c.64.* dũ cõcludit in Patria futura eſſe õnia bona corporis, & animę, qualia ocul⁹ nõ vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitauit.

(Ita D.Anſel. Laurent. Iuſtin. Nazianz. Irenæus. Baſilius. Theodore. Anſelm. Auguſtin.)

4. Ex ſacris literis. Pſal.149. Hæc veritas ex ſacris literis videtur colligi: & primũ ex Pſal.149. *Exultabũt ſancti in gloria; lætabuntur in cubilibus ſuis: exultationes Dei in faucibus eorũ.* Quæ verba de ſanctis in Patria cõmorantibus explicanda eſſe nullus dubitauit: vltima autẽ verba ſumpta in propria, & literali ſignificatione (quid enim cogit ea metaphorice ſumere?) euidẽter probant ſermonẽ ibi eſſe de exultatione beatorũ poſt reſurrectionem, non ſolùm ſpirituali, & intelligibili, ſed etiam ſenſibili: Sancti enim de Deo viſo exultantes prorumpent in laudes Dei non ſolùm intelligibiles, ſed etiam vocales, Hymnodias, Pſalmodias,

vt

vt explicant Baſilius, & Theodoretus ibidem.

5. *Iob. 8.* Accedit etiam illud Iob. 8, *Donec impleatur os tuum riſu, & labia tua iubilo*; quæ verba, ſicut à D. Gregorio 8. Moralium cap. 31. de Sanctis in Patria intelliguntur; ita ſenſibilem lætitiam, ex gloria animæ redundantem præ ſe ſignificant.

6. Oſtenditur ratione. 1. Ratio. Sed id ipſum ratione oſtenditur: & primo: quia delectatio, ſiue voluptas, ſi circa obiecta honeſta verſatur, eſt actus perfectus, & valde conueniens naturæ humanæ: non eſt igitur, cur appetitui beato deneguetur?

7. 2. Ratio. Deinde; quia delectatio ſenſibilis naturaliter conſequitur amorem boni præſentis, & ſenſibiliter aſſequuti; vt omnes Philoſophi docent. Cum igitur tanta futura ſint glorioſi corporis bona, perfectioneſque ſenſibiles, tàm naturales, quàm ſupernaturales, vt ex dictis conſtat, & ex dicendis magis conſtabit; non poteſt corpus glorioſum non habere mirabiles ſanctas, & honeſtas delectationes, quæ operationes perfectas naturaliter comitantur.

8. 3. Ratio. Tertio; ſi ſanctorum viatorum caro ex redundantia ſpiritualis gaudij ſenſibiles quaſdam, ac miras in Deo exultationes experitur, dum ſpiritui miniſtrat, iuxta *Pſalm. 83.* illud Pſalmi 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, vt Theologi admittunt, & docet *Diuus Thomas* 1. 2. *D. Bonau.* *quæſtione 30. articulo primo, ad 1. & Diuus* *D. Thom.* *Bonauentura in 4. diſtinctio. 49. quæſt. 3.* & plurimorum hiſtoriæ teſtantur (ſiue id fiat ſpeciali partis ſenſitiuæ eleuatione facta immediatè à Deo: ſiue per redundantiam quandam ex parte intellectiua, quæ eſt communior opinio D. Thom. & D. Bonauenturæ) quales quæſo exultationes ſenſibiles caro noſtra iam ſpiritualis effecta in Patria experietur? quo argumẽto vtitur S. Irenæus loco citato: nam efficacior eſt beatitudo Patriæ, quam viæ: vnde maior futura eſt redundantia appetitus intellectiui in ſenſitiuum, quem totum in ſuam ſpiritualitatem eſt aſſumpturus.

9. Vltima ratio ex Nazianzen. Poſtremo accedit ratio *D. Gregor. Nazianzeni*: nam ſi in via tanta eſt naturalis coniunctio vtriuſq; appetitus, vt inferior ſuperioris ærũnas naturaliter participet; cur in Patria non participabit ſuperiores delectiones? nã ibi pars ſuperior inferiorem eleuabit, vt ſuo modo ſenſibiliter tẽdat in eadem bona ſpiritualia, & diuina, de quibus anima beata affluẽtius delectatur.

10. Quibus delectationibꝰ affluent. Delectabuntur autem delectationibus non turpibus, ſed honeſtis, quæ ad honeſtas operationes ſtatuì beatifico conueniẽtes conſequentur: vnde procul erunt delectationes cereris, & veneris; quia ibi nec generatio erit, ne nutritio, vt cõtra quoſdam hæreticos, & contra Sarracenos, & Iudæos ſæpius oſtendimus.

11. De quibus delectabuntur. Delectabuntur autem; tùm de bonis ſuis; tùm de bonis aliorum ſanctorum, tùm denique de Deo, & circa Deum. De bonis quidem ſuis; quia propria ſunt: de bonis aliorum ſanctorum, quia cum eos diligant amore amicitiæ, complacebunt in bonis, quibus illi fruuntur: circa Deũ verò ſenſibiliter ſuo modo cõceptum; de cuius gloria, & honore lætitia quadam ſẽſibili mirabililer exultabunt, iuxta præcitata verba Pſalmi: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

QVÆSTIO XV.

De actibus appetitus concupiſcibilis circa malum.

EGimus in præcedenti quæſtione de actibus appetitus concupiſcibilis in ordine ad bonũ, quod cõcupiſcitur: agendum eſt conſequenter de actibus eiuſdem cõcupiſcibilis appetitus in ordine ad malum, quod refugit.

Tres autem ſunt actus appetitus concupiſcibilis reſpectu mali, oppoſiti tribus præcitatis reſpectu boni. ſ. odiũ amori contrarium: fuga contraria deſiderio: dolor ſeu triſtitia oppoſita delectationi.

Tres igitur articulos in hac quæſtione excitabimꝰ. Primus inquiret de odio. Secundus de fuga. Tertius de dolore, ſiue triſtitia.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in appetitu concupiſcibili beato futurus ſit actus odij.

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1. 1. Præmiſſ. QVod attinet ad odium, prçmittẽdum eſt, odium, prout contrariatur amori, & diſtinguitur à fuga, nihil aliud eſſe, quam ſimplicem quandam veluti diſſonantiam, & improportionem ād malum apprehenſum: ſicut enim ſimplex amor eſt ſimplex quædam complacentia appetitus: ad bonum, actualisq; adhæſio ſimplex cum illo; ita odium ſimpliciter ſumptum eſt ſimplex quædā appetitus diſplicentia, & ſimplex quædam auerſio à malo, vt docent Philoſophi, & ſatis *D.Thom.1.2.q.26.art.2. & q.29.art.1.* & vtrobique communiter Doctores. D.Thom.

2. Odium ſimplex quid. Odium igitur iſto modo ſumptū appellatur ſimplex odium; quia vt ſic adhuc non habet coniunctum motum fugæ, ſicut amor explicatus dicitur amor ſimplex; quia ſimpliciter tendit in bonū abſque vlla intẽtione executione ve aſſecutionis. ¶ Vt vero id melius intelligatur aduertendum eſt cum eodem D. Thom. in dicta quæſtione 26. artic. 2. quod ſicut agens naturale duplicem effectum inducit in patiens; quia primo dat formam; deinde motum conſequentem formam; ita etiam appetibile, quod eſt primū mouens appetitus, duplicem effectum in eū inducit: primo enim dat amorem, quo illum reddit ſibi ſimilem, & congruentem conſonantemque; idque per ſimplicem quandam adhæſionem conuenientiæ: deinde dat motum deſiderij, qui ad conuenientiam datam naturaliter conſequitur: & ex conſequenti tribuit appetitui diſſonantiam quandam, & improportionem ad malum ſibi cõtrarium: quæ eſt velut prima forma, à qua naturaliter reſultat intentio fugæ ſeu reſilitionis reſpectu executionis, ne ſcilicet malū apprehenſum adueniat. Suponimus autẽ amorẽ diſtingui à deſiderio, & odiū à fuga.

3. 2. Præmiſſ. Præmittendum eſt ſecūdo odium, ſimiliter, & amorẽ, habere duplicem terminum: vnum formalem, & vt quo: alterum materialem, & vt quod. Priori modo terminatur ad malum ſub ratione diſconuenientis, & nociui: poſteriori modo terminatur ad perſonam, cui malum nocet: ad hanc autem non vno: ſed duobus modis terminatur: quia vel terminatur ad perſonā amicam, à qua volumus malū declinari; aut ad perſonam inimicam, cui volumus nocumentum. Inde inferes appetitum duobus modis formaliter intendere in malum: vno modo per modum auerſionis, & diſſonantiæ, quatenus ſ, cupimus illud declinari, & auerti; & hoc odium immediatè oritur ex amore amicitiæ: nam quo amore alicui cupimus bonum, eo malum illi auertimus. Altero modo per modum concupiſcentiç, quatenus ſcilicet illud, quia nociuum eſt, alteri concupiſcimus: & hoc odium formaliter terminatum in malum, ortum habet ab inimicitia: ideo enim quia aliquis à me diſſonat, volo ei aliquid, quod eidem diſſonet: ita fit, vt ex diſſonantia perſonali ortū habeat cõcupiſcẽtia alicuius diſſonātis, & nociui; ſicut ex cõſonātia perſonali oritur concupiſcentia rei conuenientis.

Ex quibus inferes odiū primo diuidi in odium inimicitiæ; & in odium concupiſcentiæ. Dicitur inimicitiæ ratione termini materialis, nimirum ratione perſonæ, quæ nobis eſt diſſona &, aduerſa, & ſubinde inimica. Dicitur verò concupiſcentiæ; quatenus terminatur ad malum, quod tanquam nociuum alicui concupiſcimus. Porrò odium concupiſcentiæ diuiditur in odium concupiſcentiæ poſitiuæ, & auerſiuæ: Poſitiuæ quidem; quia poſitiuè volumus nocumentum perſonç: auerſiuæ verò; quia malum illud concupiſcimus auerti à perſona amica. Quatenus eſt odium concupiſcentiæ poſitiuæ, refertur ad inimicū: quia ex illius inimicitia ortū habet. At verò quatenus eſt odiū concupiſcentiæ auerſiuæ, refertur ad amicū, à quo malum auerti concupiſcimus. 4. Odij diuiſi. 2. Diuiſio.

In priori diuiſione odium cõuenit cū amore: quia datur amor amicitiæ, & concupiſcentiæ: etenim quod concupiſcitur, ſemper alicui concupiſcitur. At verò in diuiſione poſteriori differt ab amore; quia concupiſcentia amoris ſemper eſt poſitiua; & ideo ſemper terminatur ad amicū: cū tamen malū, ſub ratione mali, duobus modis cõcupiſci poſſit: poſitiuẽ. ſ. & auerſiuè, vt diximus: & ob hāc rationẽ odium terminatur, & ad amicū, & ad inimicū: ad amicū quidẽ auerſiuè; ad inimicū verò poſitiuè. Et ad hunc modum explicabis, quæ de diuiſione odij ſcribit *Caiet. 1.2. q. 29. ar. 1. & poſt eum Medina ibidem §. Nūc oſtendum eſt.* 5. Quomodo differat ab amore.

§. 2.

Pars affirmatiua confirmatur.

His

6. Concluſio. HIs ita præmiſsis ſtatuendum eſt: *Actum odij ſenſibilis non modo non repugnare appetitui beato; ſed de facto in eo reperiri: non tamen omne.* Hæc poſterior pars inde conſtat; quia in beatis non poteſt reperiri odium inordinatum, & quod includat aliquam imperfectionē.
1. Cōfirma. Prior verò pars non poteſt non admitti; nam cum certum ſit in beatis futurū eſſe amorem ſenſibilem, qui verſatur circa ſenſibile bonum, quo affluit; neceſſario in eiſdem futurum erit ſenſibile odium circa malum bono amato contrarium: nā qui accedit ad vnum terminum, non poteſt à contrario termino non recedere: vt omittam, quod contrariorum eadem eſt diſciplina.

7. 2. Cōfirma. Accedit etiam, quia datur odiū honeſtum, & ſanctum nullā includens imperfectionem: nam in Deo datur odium non ſolùm Methaphoricè; ſed etiam propriè, & formaliter, vt docet *D. Thom. 1. p. q. 20. ar. 2. ad vltimū, & Medina 1. 2. q. 29. ar. 6, in fine*: etenim *Deo odio eſt impius, & impietas eius.* Cur igitur in vtroque appetitu beati, intellectiuo. ſ. & ſenſitiuo, non reperietur aliquod odium? nam in vtroque Christi appetitu fiat odium iſtud ſāctum, vt rectè probat Suarius. 1. tom. ad 3. p. diſput. 34. ſect. 3. in 1. aſſerto.

D. Thom. Medina.

8. 3. Cōfirma. Tertio, ex dicendis patebit in beatis futuram eſſe aliquorū malorum fugam: ſimiliter, & timorem, non ſolum intellectiuum, ſed etiam ſenſitiuum: qui duo affectus ſine actuali odio eſſe nequeunt.

9. Igitur appetitus ſenſitiuus beati odio habebit omne malum contrarium bono ſenſibili quod poſsidēt, tam naturali, quā ſupernaturali. Deteſtabuntur igitur priuari actu eſſendi: dotibus gloriæ: cæteriſque beatificis perfectionibus; vnde oderunt redire ad corporis mortalitatem, cæteraſque vię imperfectiones. Quin potius beata caro, ſicut ex redundantia beatitudinis animæ exultabit in Deum viuum, diuina bona, & Deo, & ſibi, & cęteris beatis ſenſibiliter appetendo: ita etiā ſenſibili odio perſequetur, quę diuinis illis bonis contrariantur. Quare non ſolùm odio intellectiuo oderunt peccata; ſed etiam ſenſibili; non modo quatenus ſunt mala ſibi, & ſua naturæ; ſed etiam proter ipſorum turpitudinem, & prout diuinam continēt offenſam.

Quæ beato odio habebit. Odit malū ſibi contrarium.

10. Quale odiū habebit. Non ſolùm habebunt odiū concupiſcentiæ terminatum ad malum, quatenus malum; ſed etiam odium inimicitiæ terminatum ad perſonam inimicam: etenim habebunt odio dānatos, quos Deus etiam habet odio: cuius beneplacito in omnibus conformabuntur. Habebunt etiam vtrūque concupiſcētiæ odium, auerſiuæ. ſ. & poſitiuæ: quia appetent malū à ſuis amicis, quos dilligunt, auerti: damnatis verò quos inimicos habent, poſitiue concupiſcent malum, quod patiuntur: vt Deo in omnibus conformentur.

11. Peccata verò odio concupiſcentiæ deteſtabuntur; tùm proper ipſorum malitiam, & turpitudinem ſimpliciter conſideratam: tùm, quia diuinā continent offenſam: tum denique; quia ſunt mala ſuæ naturæ ſecundum ſe ſimpliciter poſsibilia. Ita fit vt appetitus illa deteſtetur, vt natura eſt, & vt ratio eſt. Et in hoc diſtinguitur à Deo: qui peccatum odio habet: non quod ſit malum naturæ ſuæ poſsibile, ſed quod ſecundū ſe, & ſimpliciter ſit malum, & turpe, & diuinæ bonitati eſſentialiter contrarium, & per cōſequens offenſiuum diuinæ bonitatis, Vide Suariū 1. tom. ad 3. p, diſp. 20. ſect. 2. in fine.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in appetitu beati futura ſit actualis fuga mali.

1. Quid de fuga. DVbitare aliquis poterit: an fuga mali ſit in appetitu beati, ſiue ſenſitiuo, ſiue intellectiuo? ratio dubitandi ſumi poteſt ex eo, quod ſuperius diximus, fugam includere actum, reſpicientē executionē: dicit enim actū, quo, appetit⁹ refugit & auertit à ſe vel ab alio realem executionē mali, quod odit, & auerſatur: quæ eſt communis doctrina explicata à *Suario 1. tom. ad 3. p. diſput. 20. ſectio. 2. in fine*: quare fuga mali ex ſua natura ſupponit malum imminens, & futurum. Cum igitur beatis nullum malum, vel pęnæ, vel culpæ poſsit accidere; nulla fuga mali in eorum appetitu, ſiue intellectiuo, ſiue ſenſitiuo, dari poterit.

Fuga quid includat. *Suarius.* 1. Confirm.

2. 2. Confirm. Confirmatur; quia ſi in beatis daretur fuga alicuius mali in eiſdem poſſet dari timor; qui tamen in illis non eſt admittendus, vt plerique Theologorum volunt.

Aſſirmatiua eligitur.

3. Affirmatiua vera. ¶ His tamen non obſtantibus reſpondendum eſt affirmatiuè cum omnibus Theologis, & Suario loco citato: quæ ſententia vera eſt, ſiue odium mali diſtinguas á fuga eiuſdem mali, ſiue non diſtinguas: nam ſi odium, & fuga nec re, nec ratione diſtinguuntur, vt plerique volunt: cũ conſtet in vtroque beati appetitu dari odium; neceſſario infertur in vtroq; dari etiam fugam, & auerſionẽ à malo, quod odio habetur. Si verò cum communiori, & veriore ſententia odium a fuga diſtinguas, idem dices: tùm, quia fuga mali abſentis naturaliter ſequitur ad odium eiuſdem mali: tùm ſecundo, quia talis fuga nullam in ſe includit imperfectionem; ſed perfectionem potius, vt patebit ex ſolutione allata dubitationis. Tùm denique; quia fuga mali eſſentialiter includitur in timore, vt conſtat: timorem autem ſanctum futurum eſſe in beatis contra nonnullos inferius oſtendemus.

4. Quæ fugiet. Fugiet igitur vterque beati appetitus, (intellectiuus inquam & ſenſitiuus) omne malum, tam naturæ, quam gratiæ contrarium, & ſubinde fugiet omne malum naturale, & ſupernaturale: idque, & vt natura eſt, & vt ratio eſt. Fugiet etiam nõ ſolum malum, quod eſt obiectum odij concupiſcentiæ, ſed & illud, quod eſt obiectum inimicitiæ: vnde fugiet peccata, & peccatores: illa ſimpliciter nolendo: hos, vero bona illis non concupiſcendo.

Solutio dubitationis.

5. Ad rationẽ dubitandi. ¶ Ad rationem dubitandi initio allatam dicendum eſt; fugam mali reſpicere quidem realem ipſius mali executionem, non tamen ſemper reſpicere executionem imminentem, & futuram; quia ſatis eſt ſi ſit poſsibilis, vt colliges ex *Diuo Thoma 3. parte quæſtione 7. artic. 6. ad primum & ex Caieta. ibidem, atq; Suario in dicta diſputatione 20. ſectio, 2. in 3. expoſitione, in fine diſputationis*: vide etiam Medinam 1. 2. quæſtione 42. ad finem Commentarij. Beatis autem, licet nullum malum immineat, aut futurum ſit. Diuina tamen potentia præciſe conſiderata abſolutè multa ſunt illis poſsibilia; quod ſatis eſt vt appetitus eorum poſsit refugere malum, quod odit. *D. Thom. Suarius.*

Ad confirmationem admittimus in beatis futurum eſſe timorem ſanctum, & caſtum, vt inferius latè dicemus. 6. Ad Cõfirm.

ARTICVLVS III.

An in eodem concupiſcibili appetitu dabitur aliquis dolor ſiue triſtitia?

§. 1.

Præmiſsis nonnullis ponitur pars negatiua.

DOlorem à triſtitia ſenſibili diſtingui penes obiectum atque motiuũ, omnes fatentur: nam obiectum cauſa ve doloris eſt læſio corporis ſenſu tactus percepta, ſiue illa ſit diuiſio continui, ſiue notabilis aliqua temperamenti diſſolutio; ſiue vtrumque, quæ eſt verior opinio de qua *Conimbricenſes 2. de Anima cap. 11. quæſt. 2. artic. 2. §. Aduerte in dolore*: obiectum verô, & cauſa triſtitiæ eſt malum ſiue notiuum præſens apprehenſum aliquo ſenſu interno, nimirum imaginatione, de quo *D. Thomas cum ſuis interpretibus 1. 2. quæſt. 35. artic. 2. & 3. p. quæſt. 15. artic. 6. in corpore.* Vtrumque autem eſſe actum appetititus docet idem *D. Thom. in dicta quæſt. 35. artic. 1. communiter receptus, de quo Conimbricenſes vbi ſupra*: quamuis plerique Medicorum hanc ſententiam de dolore non recipiant, docentes dolorem eſſentialiter eſſe actum tactus. At tamen cum læſio corporis non cauſet dolorem, niſi ſub ratione mali, & diſconuenientis, in hanc autem rationem non tendat ſenſus, ſed ſolus appetitus, vt conſtat, opinio D. Thom. vera eſt; & amplectenda. 1. Præmittuntur nõnulla. *Conimb.* *D. Thom.* Medici non recipiuntur

Quicquid tamen hac de re ſentias, illud certiſsimum ſemper erit (cum ſit de Fide) in beatis nullam futuram eſſe triſtitiam, nullumve dolorem ſenſibilem; imò nec intelligibilem in voluntate: id enim de beatis fuit olim prædicatum ab Iſaia cap. 25. vbi agens de Sanctorum beatitudine ita ſcribit: *Et præcipitabit mortem in ſempiternum & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & oppobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra; quia Dñs locutus eſt.* Et Apocalyp. 7. in fine ſcribitur: *non eſurient, nec ſitient amplius; nec cadet* 2. Nulla futura eſt triſtitia. *Apoc. 7.*

det ſuper illos Sol, nec vllus æſtus: quoniam Agnus, qui in medio terræ eſt, reget illos, & deducet eos ad fontes aquarum, & abſterget
Apoc. 21. *Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Denique Apocalypſis 21. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors non erit, nec luctus, nec clamor, nec dolor erit vltra: quæ prima abierunt.* Hæc verba ſatis euidenter excludunt à beatis omnem dolorem, omnemvè triſtitiam, non ſolum ſenſibilem appetitus ſenſitiui; ſed etiam intellectiuam voluntatis. Non poteſt igitur de propoſita concluſione dubitari; cũ ſit de fide. Vnde tamen omnis doloris triſtitiævè excluſio in beatitudine per ſe ortum habeat? non immerito dubitari poteſt.

§. 2.

Vnde omnis doloris ác triſtitiæ excluſio per ſe oriatur?

3. De cauſa excluſionis

DVbitari tamen poteſt, vnde nam per ſe oriatur in beatitudine excluſio omnis doloris, & triſtitiæ? variæ enim à varijs aſsignantur cauſæ, quæ fortè non ſufficiunt.

Opinio quorundam.

Nonnulli igitur eam per ſe ſumunt ex contrarietate, quæ cernitur inter delectationem, & triſtitiam, doloremvè; etenim plerique affirmant hæc inter ſe eſſe contraria, vt patet ex Palud. in 3. diſtin. 15. q. 2. cui opinioni videtur fauere D.
D. Thom. *Thom.* 1. 2. *q.* 35. *art.* 3. *& in* 4. *diſt.* 49. *q.* 3. *art.* 3. *quæſtiuncula* 1. vbi probat delectationem cõtrariam eſſe triſtitiæ. Cum igitur vterque beati appetitus maxima ſit delectatione, & voluptate perfuſus neuter triſtitiam, aut dolorem habere poterit: quia contraria in eodem ſubiecto naturaliter ſimul eſſe nequeunt. Inde inferunt in voluntate Chriſti Domini ſimul cum gaudio fuiſſe triſtitiam, non naturaliter, ſed per miraculum ex diuina diſpenſatione in Chriſto factum propter hominum redemptionem.

4. Non recipitur. 1. ratio.

Hæc tamen reſponſio non videtur admittenda. Primò; quia vt daremus delectationem, & triſtitiam abſolutè eſſe inter ſe contraria, non proinde ex hoc capite omnis triſtitia ab apetitu beati per ſe excluderetur: etenim iuxta veriorẽ ſententiam Philoſophorum (de qua Curſus Conimbr. 2. de Generatione c. 3. q. 8. art. 2. concl. 1.) duo contraria in gradibus remiſsis naturaliter ſimul eſſe poſſunt in eodem ſubiecto; quanuis in gradibus intenſis naturaliter ſimul eſſe nequeant, vt idem Curſus reſoluit loco citato artic. 3. At non in omnibus beatis datur delectatio in ſummo gradu, cum in vno ſit maior, quàm in alio.

Secundò & efficacius poſſumus arguere præcitatam ſolutionem: quoniam delectatio, & triſtitia verè & propriè nõ ſunt contraria, niſi in idem formale obiectum ferantur, id eſt in eandem rem, ſub eadem conſideratione, vt docet *D. Thom.* 1. 2. *q.* 35. *art.* 4. *&* 5. *&* 3. *p. q.* 46. *art.* 8. *ad* 1. *communiter receptus à Conimbricenſibus* 2. *de Generatione c.* 3. *q.* 8. *art.* 6. *concluſione* 11. *&* 12. *& à Suario* 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 38 *ſect.* 3. *ad finem*, §. *Aliter dici poteſt.* Si vero in diuerſa obiecta tendant, non ſunt contraria, ſi propriè loquendum eſt: nam in eodẽ ſubiecto naturaliter ſimul eſſe poſſunt, & de facto fuerunt in voluntate Chriſti Domini in ſumma intẽſione: etenim in ea fuit actus triſtitię circa propriã mortem, quatenus erat quoddam naturę malum; & ſimul fuit actus delectationis circa eandem, quatenus in Dei gloriam, & hominum redemptionem redũdabat. Nec oppoſitum docuit *D. Thom. in dicta q.* 35. *art.* 3: nam vt explicat art. ſequente in præcedenti articulo ſolùm egit de cõtrarietate generica, quę ſumitur ex communi contrarietate obiectorum, bonũ ſ. & malum, quæ in communi ſumpta genericè contrariantur: iam verò cõtrarietas generica non eſt propria contrarietas, ſed ſola ſpecifica, quæ ſumitur penes ſpecificam obiectorum contrarietatem: vnde ſicut non quodlibet malũ cuilibet bono contrariatur: nec quodlibet vitiũ cuilibet virtuti, vt conſtat: ita nec quælibet delectatio cuilibet triſtitiæ verè & propriè eſt contraria. Vnde delectatio beatitudinis ex hoc capite non omnem triſtitiam per ſe, & ex ſua formali ratione excludit: quia nec delectatio ex ſua ratione excludit omnem triſtitiam, ſed ſolam eam, cui propriè contrariatur, vt docet *Ariſtoteles* 7. *Ethicorum c.* 14. ſtatim citandus.

5. 2. ratio.

D. Thom. Conimbr. Suarius.

6. D. Thom. non eſt contrarius.

Ariſt.

Secunda cauſa.

7. 2. opinio.

¶ Secundò ad propoſitam difficultatem fortaſsis reſpondebit aliquis delectationem beatificam vtriuſque appetitus ideò om-

omnem dolorem, & triſtitiam per ſe excludere, quia in quocunque beato eſt perfectiſsima; quanuis non in omni beato ſit in ſummo intenſionis gradu: nam ex doctrina *Ariſtotelis 7. Ethicorum cap. 14.* ipſa experientia confirmata delectatio vehemens omnem triſtitiam naturaliter expellit, etiam eam, cui nõ cõtrariatur: quã doctrinam probant *Conimbricenſes in dicta q. 8. art. 6. concluſione 11*: dùm cum Ariſtotele reſoluunt delectationem, & triſtitiam mutuò ſe excludere; non ſolùm cum in idem obiectum feruntur, & propriè ſunt contraria; ſed etiam cum tendũt in res diuerſas, nec mutuò ſibi aduerſantur; ſi tamen alterum vehemens ſit: nam vt Ariſtoteles loco citato ait: *Delectatio qualibet naturaliter expellit triſtitiã ſibi cõtrariam: vehemens verò omnem abigit.* Quę ratio pro explicanda noſtra difficultate tangitur à *Medina 1. 2. q. 4. art. 8. & poſt eum à Suario in dicta diſputatione 38. ſect. 3. in fine*: inde colligens triſtitiam in voluntate Chriſti non potuiſſe, niſi per miraculum, ſimul eſſe cum ſumma eiuſdem voluntatis fruitione, & gaudio de Deo viſo: nam licet illa delectatio non eſſet cõtraria triſtitiæ de morte (erant enim obiecta diſtincta) tamen erat omnium perfectiſsima; & ſubinde ſuppoſita explicata doctrina erat naturaliter excluſiua cuiuſcunque triſtitiæ.

Ariſt. *Conimbr.* *Medina.* *Suar.*

8. Sed neque iſta reſponſio recipienda venit, ſi data Ariſtotelis philoſophica cõſideratius expendatur: nam cum delectationis vehementia, nec excludat omnem triſtitiam ratione contrarietatis (quia nõ omni triſtitiæ eſt contraria) nec ratione cõpletæ latitudinis ſuæ intenſionis (tum; quia non in omni beato datur completa latitudo intenſionis: tùm etiam, quia illa triſtitiæ expulſio non fit ratione ſummę intenſionis, ſed ratione contrarietatis) fit vt nõ alia ratione delectatio expellat omnem triſtitiam, niſi quia ita abſorbet, & rapit animam ad obiectum delectabile, vt ſoli illi tota impenſa, & applicata à cæterorum aduertentia auocetur, quod contingit propter imperfectionẽ viæ, in qua anima vehementer vni rei applicata à cęterarum omnium applicatione abſtrahitur, vt patet in ecſtaſi: quæ tamen imperfectio in patria non dabitur: in ea enim vehemens animæ operatio circa vnum obiectum non impedit intellectum, aut cogitationem circa alia, vt in ſuperiorib' iam diximus.

Nec iſta recipitur.

Vera cauſa.

¶ Reſpondendum eſt igitur ad propoſitam difficultatem propriam, & per ſe rationem expulſionis omnis triſtitiæ in patria ſumendam eſſe ex perfectione ſtatus beatifici: cuius hæc eſt natura, vt omne malum à beatis excludat: quia teſte Boetio, & Cicerone eſt ſecretis omnibus malis cumulata omnium bonorum complexio. Ex quo infertur beatitudinẽ ex ſua ratione excludere à beatis, omnem cauſam triſtitiæ, & doloris; & ſubinde omnem dolorem, & triſtitiam; quod profecto ex ſuprà citatis ſcripturæ locis non obſcurè colliges, ſi ſingula verba expendas. 9.

Vera cauſa.

Et præter hanc communem rationem incapacitatis ad omnem triſtitiam, & dolorem poteſt adhuc vtriuſque appetitus incapacitas ſpecialius demonſtrari ex dote impaſsibilitatis, & ex ſumma voluntatis beatę rectitudine: nam incapacitas doloris, & triſtitiæ ſenſibilis per ſe, & à priori ſumitur ex impaſsibilitate corporis glorioſi: cum enim ſenſibilis dolor ſine externa corporis læſione non detur, nec ſenſibilis triſtitia ſine alteratione, & vtrunq; impaſsibilitati corporis glorioſi repugnet, neutrum in appetitu glorioſo naturaliter dabitur. 10.

Alia cauſa.

Hæc etiam incapacitas doloris & triſtitiæ intellectiuæ à priori etiam benè demonſtratur ex ſumma rectitudine voluntatis beatæ: nam cum illa ſemper ſit diuinæ voluntati conformis, non poteſt non ſemper impleri: & inde eſt, vt quid, quid efficaciter vult, infallibiliter fiat, vt docent omnes Theologi, quia illud ipſũ vult Deus voluntate beneplaciti, quæ, cum ſit omnipotens, ſemper adimpletur. Ex quo infert *D. Anſelm. in lib. de ſimilitud. c. 68.* beatum ſuo modo eſſe omnipotentem, & proinde poſſe facere quicquid vult, non alia ratione (vt ille ait) niſi quia ipſum Deum omnipotentem ſuæ volũtati habet concordem. Quod etiam de beatis affirmat Auguſtinus: ex hac autẽ voluntatis beatę omnipotentia per ſe infertur nihil triſte poſſe illi cõtingere: triſtitia enim eſſe nequit, niſi de ijs, quę nobis nolentibus cõtingunt, vt docent Ariſtoteles, 11.

Alia demõſtratio.

D. Anſelmus.

ſtoteles, & Auguſtinus 14. de Ciuit. Dei cap. 7. docentes triſtitiam eſſe voluntatē in diſſenſione ab his, quæ nolumus.

12. Obiectio. Si verò obijcias beatorum appetitum non ſemper Deo conformari in volito; & proinde plura velle, quæ non fiunt, ſed oppoſita: volunt enim ſalutem parentū; quos tamen damnatos vident. Reſpondetur beati appetitum inefficacem, & cō-

Solutio. ditionatum non ſemper impleri; quia is non ſemper diuino beneplacito conformatur: ex hoc tamen beatos nullam ſumere triſtitiam: ſicut enim talis appetitus, etiam non impletus, nullam ſecum ingerit ſolicitudinem, nullamvè moleſtiā, vt ſuprà oſtendimus, ita etiam nullam infert triſtitiam: nam cum beati parentum ſalutem non velint, niſi conditionatè (ſi nimirum Deo id placeat) vtique cum vident illud Deo non placere, efficaciter volunt parentes damnari: & ſubinde tantùm abeſt, vt triſtentur, quod potiùs delectentur, ſicut benè adnotauit *Medina*

Medina. 1. 2. *q.* 4. *art.* 8.

13. Reprobatur quorundam ſolutio. Inde colliges inepte ſatis reſpondiſſe Theologos modernos relatos à Medina, in propoſito euentu adeſſe quidem beatis ſufficientem cauſam triſtitiæ, Deum tamen non concurrere ad eam; & ideò non triſtari. In hoc enim & ineptè philoſophantur, & ineptius theologizāt. Philoſophantur quidem inepte: quia cauſa ſufficiens triſtitiæ non eſt quæcunque nolitio eius, quod euenit, ſed nolitio abſoluta & efficax, vt ex dictis patet: beati autem parentum ſalutem, & alia huius generis efficaciter non deſiderant, ſed inefficaciter. Theologizant autem ineptius: primò; quia ſupponunt beatos eſſe naturaliter capaces triſtitiæ; quod eſt ineptū: alias triſtitia, quæ fuit in Chriſto moriente non fuiſſet miraculoſa, deinde; quia admittunt in beatis adeſſe ſufficientem cauſam triſtitiæ: nam cum nihil aliud, niſi malum, ſit cauſa triſtitiæ; vtique iam nō omne malum à beatis relegant: quod eſt erroneum. Denique; quia putant beatos videntes parentum damnationem ſine miraculo non poſſe non triſtari; cum potiùs dicendum ſit eos ob id triſtari non poſſe,

3. cum damnationem illam efficaciter velint, vtpotè diuino beneplacito conformes. Quo pacto igitur triſtabūtur de re, in qua vehemēter ſibi complacent? Quare ex dictis benè conſtat, cur triſtitia, & dolor à beatitudine prout abigantur.

QVÆSTIO XVI.

De appetitu ſenſitiuo iraſcibili.

SVpereſt, vt agamus de appetitu iraſcibili: ſupponimus autem cum communi & indubitata ſententia in eo dari quinque actus: ſcilicet ſpem, deſperationem, timorem, audaciā & iram. Pro quorum diſtincta explicatione aduertimus omnes iſtos actus verſari circa bonum, vel malum, non ſimpliciter, ſed vt ardua ſunt, & difficilia: etenim arduum & difficile eſt propriū obiectum appetitus iraſcibilis, cuius opera, & miniſterio remouentur impedimenta, & difficultates, quæ obſtant, ne adipiſcatur bonum, quod optat, vel ne propulſetur malum, quod fugit: quæ eſt Philoſophia apud omnes indubitata, ſicut indubitatum eſt horum actuum duos priores (ſpem. ſ. & deſperationem) verſari circa bonum arduum: tres verò poſteriores (timorem, inquam, audaciam, & iram) verſari circa malum, vt etiam eſt arduum, quod ſæpè docet *D. Thom.* 1. 2. *q.* 23. *ar.* 2. *& q.* 25. *ar.* 3. In explicandis his quinque actibus quatuor articulos excitabimus: Primus excitabitur de ſpe. Secundus de deſperatione. Tertius de timore. Quartus & vltimus de audacia, & ira. 1. Aduertentia de obiecto horum actuum. *D. Thom.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm in appetitu iraſcibili beato poſſit reperiri aliquis actus ſpei?

§. I.

Nonnullis præmiſſis ſtatuitur, quod in hac materia eſt indubitatum.

INter actus appetitus iraſcibilis primū locum obtinet ſpes, vt docet *D. Thom.* 1. 2. *q.* 25. *art.* 3: oblata enim aliqua re ſub ratione boni ardui, ſi datur iudicium, quod illa obtineri poteſt, ſtatim conſurget ſpes habendi illam: vnde ſpes dicit motum in bonum arduūm, vt eſt ſuperabile. 1. *D. Thom.* Spes primū locum obtinet.

2. Aduertimus deinde in appetitu ſenſitiuo

tiuo duplicem reperiri poſſe actum ſpei ſenſibilis: vnum naturalem, qui non poteſt tendere, niſi in naturale bonum naturalibus viribus cômenſuratum. Alterû ſuo modo ſupernaturalem, quo appetitus ſenſitiuus vel à Deo diuinitus eleuatus; vel ex redundantia partis intellectiuæ tendit in bona tûm naturalia, tûm ſupernaturalia, vt docet *D.Thom.1.2.q.24. art.3. ad 1. & melius q. 30. art.1. ad 1*: nam ſicut ex redundantia ſpiritualis gaudij caro Sanctorum in via experitur ſenſibiles quaſdam, miraſque in Deum exultationes, vt ſuprà diximus, & ex eadem redûdantia experitur ſenſibiles amores, & cô-cupiſcentias erga Deum, & bona ſpiritualia, atque ſupernaturalia; ita etiam ad eadem conſequenda ex eadem redundantia erigitur ſpe quadam ſenſibili.

Duplex actus ſpei.

D. Thom.

3. Non datur ſpes circa beatitudinē animæ, aut corporis. *Ad Rom. 8.* *D. Thom.*

His ita præmiſsis in hoc §. 1. illud pro certiſsimo haberi debet in patria poſt corporum reſurrectionē nec in volũtate dari poſſe actum ſpei circa beatitudinem animæ; nec in appetitu ſenſitiuo circa corporis beatitudinem: nam vt ait Paulus ad Romanos 8. *Quod videt quis, quid ſperat?* ſpes enim eſt reſpectu boni non dùm habiti. Vide *D.Thomam 2.2.q.18. artic.2. & 1.2.q.67. artic.4. ad 3. cum Theologis in 3. diſt.26.*

Quare in hac quæſtione non inquirimus de actu ſpei circa propriam beatitudinem corporis, ſed circa alia obiecta.

§. 2.

Refertur ratio dubitandi pro parte affirmante.

4. Quę faciũt pro parte affirmante. 1. ratio.

QVod in beatis dari poſsit aliquis actus ſpei circa alia obiecta à propria corporis beatitudine, aliquæ poſſunt dari rationes dubitandi. Prima ratio ex eo ſumi poteſt; quia actus ſpei non videtur repugnare ſtatui beatifico: nam animæ beatæ modo ſperant corporis ſui beatitudinem: cuius etiam ſpem habuit Chriſtus Dominus in via, vt videtur docere *D.Thom.3.p.q.7. art.4. in corp.*

D. Thom.

5. 2. ratio.

Secunda eſt; quia beati modò in patria ſperant beatitudinē ijs, pro quibus orant, & quos eſſe prædeſtinatos ſciunt; aliter enim pro illis non orarent: quæ ſpes in Chriſto Domino, & in beata Virgine, & in ijs, qui iam reſuſcitati in cœlo regnãt, poteſt eſſe ſenſibilis ex redundantia voluntatis reſultans.

6. 3. ratio.

Tertia ratio; quia quæſtione præcedēti art.3. conſtituimus, non ſolùm beatos, qui iam corpore ſurrexerunt, ſed etiam Chriſtum Dominum plura deſiderare, quæ non dùm ſunt, idque non ſolùm appetitu intellectiuo; ſed etiam ſenſitiuo: volunt enim, & efficaciter deſiderant fieri plura, quę Deum efficaciter velle cognoſcunt, verbi gratia, liberationem regni: famis: peſtilentiæque ceſſationem, affluentiamq; bonorum temporalium aliquibus prouintijs futuram: & totius mundi renouationem: Chriſtus etiam deſiderat gloriam iudicis vniuerſalis, quam in vltimo die iuditij eſt conſequturus: deſiderat quoque rerum omnium conſummationem, vt regnum ſuum omnibus numeris perfectum, & conſummatum Deo & Patri offerat. Quæ omnia non ſolùm appetitu intellectiuo appetuntur; ſed etiam ſenſitiuo, vt loco citato demõſtrauimus. Cum vero hoc bonum deſideratum iudicetur poſsibile; ad hoc deſiderium naturaliter ſequitur ſpes: nam propter eam Sancti de medijs conſiliantur, dûm Deũ orant pro horum bonorum, ſiue conſecutione, ſiue acceleratione.

§. 3.

Negatiua placet.

7. Negatiua vera. *D. Thom. Caiet. Durand.*

HIs tamen non obſtantibus aſſerēda eſt ſententia negatiua, quam aſſerit communis ſententia Theologorum: *D.Thom.1.2.q.67. art. 4. ad 3. vbi communiter Moderni, & 2.2.q.18. art. 3. vbi etiam ſcribentes: Caietanus 3. p. q. 7. art.4. Durandus cum cæteris in 3. diſt.26. q. 3.* qui licet principaliter agant de appetitu intellectiuo, & reſpectu ſupernaturalis beatitudinis; fundamentum tamen de vtroque appetitu concludit, & de quolibet bono à beatis deſiderato.

8. Fundamentum.

Vnicũm huius aſſertionis fundamentum ſumitur: quoniam obiectũ ſpei propriè ſumptæ eſt bonum arduum, & difficile, vt ex dictis patet. Iam verò reſpectu beati nullum bonum efficaciter deſideratum poteſt habere rationē ardui, & difficilis: vel quia habet cauſam ineuitabilem ſuæ conſecutionis, qualis eſt gloria animæ in ordine ad gloriam corporis futu-

futuram,vt ait *D.Thom.in dicta q.67. art. 4.ad 3.& 2.2.q.18.art.2.ad* 4: vel quia bonum deſideratum reſpectu beatitudinis animæ eſt paruum ex *eodem D.Thom. & Caiet.locis citatis*, vel potiùs (& eſt ratio vniuerſalior) quia vterque beati appetitus ex cõformitate cum diuino beneplacito omnipotenti habet quodammodò omnipotentiam, vt ex D.Anſelmo ſuperiùs diximus; ratione cuius omnipotentiæ nihil beato poteſt eſſe arduum, & difficile. Hoc igitur fundamento communis ſentẽtia cõcludit nullum actum ſpei, ſi propriè loquendum eſt, dari poſſe in beatis reſpectu boni futuri, quod deſiderãt. Quare talis expectatio eſt actus ſimplicis deſiderij, qui ad appetitum concupiſcibilem ſpectat. vt colliges ex *D.Thoma in dicta q.67.art.4.ad 3.& ex Caietan. Durando, & alijs citatis*, non eſt tamẽ negandum talem expectationem habere ſimilitudinem cum ſpe, & dici poſſe ſpem: nam & ſpes appellatur à *D.Thoma 3.p.q. 7.art.4.in corp.*

D. Thom. Caiet. *D. Anſelmus.* *D. Thom. Caiet. Durand.*

§. 4:

Defenditur commune fundamentum contra nonnullos.

9. Defenditur commune fundamentum.

HÆc tamen doctrina licet à Theologis communiter approbata, nõ ſatisfacit *Suario in commentario ad dictum art.4. §. Sed doctrina hæc.* Ex quo duplex colligi poteſt dubitandi fundamentum. Primum eſt; quia magnam habet quæſtionem; an ratio ardui, & non ardui, quæ pendet ex cauſa extrinſeca, vel ex ſtatu perfecto efficiat in actibus appetitus ſpecificam diuerſitatem? Cum igitur à beatis deſiderata ex ſua natura habeant difficilem, & arduam conſecutionem, quamuis rationes ſtatus beatifici, & omnipotentiæ coniunctę amittant rationem ardui, & difficilis, non proinde deſinunt eſſe propria, & per ſe obiecta veræ, & proprię ſpei, vt à deſiderio diſtinguitur. Ob quam rationem *eodem 1.tomo diſp.24.ſect.3.§.4.* de ſpe affirmat in Chriſto viatore verum fuiſſe actum ſpei, tùm reſpectu gloriæ corporis; tùm etiam reſpectu aliorum bonorũ ſenſibilium: quãuis enim hæc bona à Chriſto deſiderata ratione eximiæ potentiæ, quàm humanitas ex vnione hypoſtatica habebat, nõ cenſerentur difficilia: tamen quia viribus naturalibus eius difficilia erant; proinde veram eorum habuit ſpem. Quin potius (vt ait) plurimorum malorum deſperationem habuit.

1. ratio dubitandi ex Suario. *Suar.*

Alterum dubitandi fundamentum ſumit ex eo, quod illi actus expectandi, & deſiderandi gloriam corporis, & aliorum beatitudinem ſunt actus ſupernaturales, cum ſint de obiecto ſupernaturali. Ergo ex hoc ſolo capite ſunt difficiles, & ardui; etiamſi aliunde ardui non fingantur. ſ.propter improportionem, quam habẽt ad potentiam. Ex qua doctrina bene infertur in deſiderio eorum bonorum manere verum & formale obiectum ſpei. 10. 2. ratio ex eodem.

Non eſt tamen, cur commune Theologorum fundamentum non probemus. Nam quod attinet ad primum fundamẽtum dubitandi allatum à Suario; poteſt quidem eſſe quæſtio; magna tamen nunquam erit; quia ſemper erit vera ſententia, quæ docet bonum arduum ita eſſe de ratione ſpei, vt cum primum, & quocũq; modo rationem ardui amittat; ſiue id ſit ratione ſtatus, ſiue ex aliqua cauſa extrinſeca, ſtatim deſinat eſſe obiectum ſpei: quia reſpectu ſperantis bonum ſemper debet eſſe difficilis aſſecutionis: quæ fuit ſententia *D.Thom.1.2.q.67.artic.4.ad 3. & 2.2.q.18.art.2.ad 4.* in quo à cæteris communiter recipitur. Quare in appetitu ſenſitiuo Chriſti circa bona efficaciter concupita nullus actus ſpei admittendus eſt; ſicut nec admittendus eſt in voluntate eius: de quo plura dicere non eſt huius loci. 11. Ad 1. rationem. *D. Thom.*

Ad ſecundum eiuſdem Suarij fundamentum facilis eſt ſolutio: quia difficultas ſpecificans ſpem ſe tenet ex parte obiecti, nimirum boni deſiderari; non verò ex parte potentię deſiderantis. Porrò difficultas orta ex ſupernaturalitate actus potiùs ſe habet ex parte potentiæ, & in ordine ad eam. 12. Ad 2. rationem.

§. 5.

Soluuntur argumenta poſita §. 2.

13. Ad 1. principale.

SOluenda ſunt igitur, quæ pro ratione dubitandi adduximus in 2. §. & ad primam rationem negandum eſt antecedens: quia ex dictis cõſtat omnem actum ſpei repugnare ſtatui beatifico: ad obiectionem verò de beatitudine corporis, quam beatæ animæ nunc expectant,

&

& expectauit Chriſtus, quandiù fuit viator, dicendum eſt illam expectationem non eſſe actum ſpei propriè loquendo, ſed deſideriũ concupiſcentiæ pertinentis ad appetitum concupiſcibilem. Quæ ſententia in animabus quidem beatis fuit *D. Thom.1.2.q.67.art.4. ad 3.& 2.2.q.18. art.2.de Chriſto autem idem ſenſit D.Thom. 3.p.q.7.art.4.vbi de vtriſque idem affirmat Caietanus cum Durando, & communi in 3. diſt.26.& admittit idem Suarius 1.tom.ad 3.p.diſp.19.ſect.1:* tùm; quia nec eſt quid arduum, nec quid magnum: tûm etiam, quia habet cauſam ineuitabilem, vt diximus.

D. Thom. Caiet. Durand. Suar.

14. Ad 2. principale. Ad ſecundam rationem ſimili modo reſpondetur: expectatio enim beatitudinis, quam Sancti deſiderant viatoribus, non eſt actus ſpei, vt docet *D. Thom. in dicta q.18.art.2.ad 3. communiter receptus.* ¶ De ratione tamen huius doctrinæ poteſt eſſe aliqua dubitatio ſumpta ex eo, quod beatitudo aliorum poteſt eſſe obiectum ſpei, vt docet *D. Tho. receptus 2. 2. q. 17. art. 3:* vnde in via verè & propriè alijs beatitudinem ſperamus. Cur igitur in patria deſiderium, & expectatio, qua Sancti beatitudinem alijs expectant, non erit actus ſpei?

D. Thom.

15. Non recipitur quorundam reſpõſio. Nec ſatis eſt, ſi reſpondeas obiectum proprium ſpei eſſe bonum proprium ab ipſo ſperante poſsidendum, vt aſſerit *D. Thom.3.p.q.7.art.4.ad 3:* nam ex ſententia eiuſdem D.*Tho.2.2.q.17.art.3.* quanuis ſimpliciter & abſolutè loquendo ſpes ſit ſolius boni ad ſperantem pertinentis: tamen etiam eſt boni aliorum, prout per amorem vnum ſunt cum ipſo ſperante; vnde & proprium reputatur: ob quam rationem in via vera ſpe proximis noſtris beatitudinem ſperamus, vt diximus cum eodem D.Thom. in dicta q.17.ar.3. Iam verò ſicut in via per amorẽ proximi nobiſcum vniuntur; ita magis per eundem amorem vniuntur in patria. Cur igitur illa patriȩ expectatio non eritȩ propriè, & verè ſpes? reſpondetur tamen *D.Thomã 2.2.in dicta q. 18. artic.2. ad 3.* ideò illam beatorum expectationem ad ſpem non retuliſſe; quia cum vna & eadem ſpe in via & ſibi, & alijs beatitudinem ſperaret, euacuata ſpe in patria reſpectu propriæ beatitudinis, neceſſario etiam euacuabitur, reſpectu beatitudinis aliorum: ſicut amiſſa charitate, qua Deus diligitur; ſimul etiã amittitur charitas, qua diligitur proximus: non alia de cauſa, niſi quia vna & eadem charitate & Deus diligitur, & proximus.

D. Thom.

16. Quæſtio. Sed adhuc poteſt quis inquirere, cur euacuata ſpe Theologica, reſpectu propriæ beatitudinis, non manebit ſpes, quæ ad ſolam ſalutem proximorum terminetur? nam & ratio boni ardui, & ſuo modo proprij adhuc manet in patria; quatenus proximorum beatitudo ratione amoris debet propria cenſeri, & verè ſit difficilis ipſis proximis: amiſſa enim charitate, quæ vna ad Deum, & proximum tendebat; adhuc poteſt manere verus, & proprius amor; licet alterius rationis, quo proximus ametur. Hanc difficultatem à Theologis intactam inuenio.

17. Reſponſio. D. Thom. Reſponderi tamen poteſt pro defendenda allata ſolutione, & ad mentem (vt puto) eiuſdem *D.Thomæ in dicta q.17. ar. 3.* ſpem primò, & per ſe terminari ad bonum ſperantis verè proprium; ex conſequenti verò & indirectè ad bonum alienum, prout tamen per affectum, & vnionem amoris, tanquam proprium reputatur: cum vero, quȩ terminant motum indirectè, & per aliud, nequeant illum terminare ſine eo, quod per ſe motum terminat; proinde beatitudo aliorum, quantumuis per amoris vnionem cenſeatur propria; non poteſt terminare ſpem, niſi coniuncta cum propria beatitudine, quæ per ſe & ratione ſui eſt obiectum ſpei.

18. 1. corollar. Ex quo primò infertur nullam dari ſpem ad ſolam beatitudinem proximorũ terminatam; quia hæc ſpem terminat per aliud. Infertur ſecũdò euacuata ſpe theologica in patria circa propriam beatitudinem, ſimul etiam euacuari omnem ſpem circa beatitudinem proximorum: in quo ſpes diſtinguitur à charitate: licet enim charitas ſupernaturalis in ſuo per ſe obiecto ſimul vniat Deum & proximũ; charitas tamen in communi ſumpta (vt ſcilicet abſtrahit à ſupernaturali, & naturali) non neceſſariò Deum & proximum in ſuo per ſe obiecto coniungit; ſed poteſt dari charitas naturalis, & acquiſita per ſe & adæquatè terminata, vel ad Deum, vel ad proximum. Quare euacuata charitate ſupernaturali quoad Deum, non neceſſariò euacuatur omnis charitas quoad proximum:

ximũ: quia adhuc poteſt proximus amari amore alterius rationis, vt dixit *D.Th. in d.q.18.art.2. ad 3.* (D. Thom.) Porrò ſpes in communi ſumpta (abſtrahens. ſ. à ſupernaturali & naturali) in ſuo per ſe obiecto ſemper vnit bonum alienum cum bono abſolutè proprio; ita vt non poſsit terminari ad alienum bonũ, niſi quia terminatur ad propriũ: quare ſi ſemel euacuatur circa bonum ſimpliciter propriũ, neceſſario euacuabitur circa bonum propriũ per ſolam affectionẽ amoris, vt ex dictis patet.

19. Ad inſtantiam. Atque iſto modo ſolui videtur allata inſtantia. At tamen in hac doctrina illud Thomiſtis erit probandũ, quod ſine probatione ſumunt: ſ. ſpem primo & per ſe terminari ad bonũ ſperantis vere & realiter proprium: nam fortè bonum illud principaliter pertinet ad ſpem, non tamẽ primo & per ſe: nec oppoſitum cõcludit argumentum, quo vtitur D. Thomas in d.q.17.ar.3. Quare allatam difficultatem facillimè diſſoluemus, ſi dicamus ideò expectationem illam ad proximorum beatitudinem terminatam in patria verè & propriè non pertinere ad ſpem; quia ratio difficilis vt verè permaneat reſpectu viatoris: non tamen permanet reſpectu beatorum: iam verò nullum bonum, niſi ſperanti ſit arduum, poteſt terminare veram ſpem, vt in ſuperioribus oſtendimus.

20. Ad 3. princip. Ex quo fundamento etiam patet ſolutio ad 3. dubitandi rationem: quia bona illa, quæ beati deſiderant in patria, vel nullo modo ſunt propria, vel non ſunt ardua ipſis ſperantibus: ob quam rationem ad illorum deſiderium naturaliter non conſequitur ſpes.

§. 6.

A quanam virtute illa beatorum expectatio eliciatur?

21. Quæſtio noua. Opinio Caietani. SEd iam inſurgit non facilis difficultas, an actus expectationis, qui in beatis admittitur, ſit actus alicuius virtutis? & cuius? *Caiet. 3.p.q.7.art.4. §. Occurrit hic ſtatim dubium*, reſpondet ad nullum virtutis habitum pertinere: quia ad nullum niſi ad habitum ſpei pertinere poteſt, & de facto in viatoribus ad ſolam ſpem pertinet: iam vero oſtendimus illã beatorum expectationem ad ſpem pertinere non poſſe. Caietanum ſequuntur omnes, ſi Suario credimus.

22. Non recipitur. At tamẽ cum in beatis illa expectatio ſit actus moraliter bonus & honeſtus, nõ poteſt non pertinere ad aliquam virtutẽ: & cum in beatis ſit actus perfectus, ab aliqua virtute de facto elicietur, alioquin imperfectus eſſet. Quare hæc ſententia cõtra Caietanũ ſupponitur à *D.Tho. 2.2. q. 18. art. 2. ad 3.* & à pleriſque alijs, & nouiſsimè probatur Suario *in commentarijs ad 3.p.q.7.art.4.§. Sed doctrina hæc.* (Suar.) Quo in loco alio etiam argumento id ipſum cõfirmat: nam cum expectatio illa ſit ſupernaturalis (eſt enim de obiecto ſupernaturali) non poteſt non eſſe ab aliquo habitu infuſo: habitus enim infuſi non propter aliud ſunt neceſſarij, quam propter ſupernaturalitatem actus; ratione cuius erit potentiæ improportionatus, niſi per habitũ infuſum eleuetur, vt perfectè & naturali modo poſsit actum elicere. Quod profecto fundamentum ſatis eſt ſufficiens, ſi ſermo ſit de expectatione beatitudinis, vel proximorum, vel proprij corporis, aliorumvè bonorum ſupernaturalium, quæ beati viatoribus deſiderant, & illis expectant. At verò, ſi ſermo ſit de expectatione bonorum temporalium, quæ ſciunt à Deo viatoribus fore concedenda, prior ratio eſt ſufficientiſsima.

23. Non recipitur ſolutio Caietani. Nec vis illius eliditur reſponſione Caietani, dùm ait, ad perfectionem actus, & ad ſuperandam ſupernaturalitatis difficultatem ſatis eſſe diſpoſitionẽ, & eleuationẽ, quæ fit per viſionẽ, & fruitionem beatificam: nam vt benè aduertit Suarius cõtra Caietanũ, diſpoſitio, quæ fit per viſionẽ, & fruitionẽ, nõ eſt diſpoſitio intrinſecè eleuans potentiã ad eliciendum omnem actũ intellectus, & voluntatis: vnde præter viſionẽ neceſſarius eſt habitus, à quo voluntas eleuetur ad amandũ Deũ: ſicut etiã præter amorẽ Dei, quo beatus optimè diſponitur ad amorem ſui & proximi, adhuc requiritur habitus, quo proximè eliciatur amor amicitiæ, quo beatus ſe & alios diligit. Quare licet ſola viſio, & fruitio fortè ſatis ſint, vt ille actus, quoad ſubſtantiam eliciatur, non tamen ſatis erunt, vt quoad modum eliciendi ſit perfectus: etenim ſine habitu potentiam eleuante actus perfectè non elicitur quia nec elicitur cum tanta intenſione, nec elicitur modo connaturali ipſi potentiæ.

16. Ad dictum Caietani.

Quod verò addit Caietanus expectationem illam in beatis non eſſe eiuſdem rationis ex parte obiecti cum expectatione beatorum, nihil ad rem facit; quoniam licet illa diuerſa ratio faciat expectationem beati non eſſe informabilẽ per virtutem ſpei: non tamen efficit, ne ſit informabilis per aliam virtutem.

17. Cuius virtutis ſit illa expectatio?

¶ Sed cuiuſnam virtutis erit ille actus? in hoc etiam eſt controuerſia: nam D. Tho. loco citato cum cõmuni putat expectationem illam eſſe à charitate. At *Suarius vbi ſuprà id non probat*: imò exiſtimat eũ pertinere ad habitum, qui in via eſt habitus ſpei; quẽ non diſtinguit ab amore habituali concupiſcentiæ propriç beatitudinis: qui habitus licet in patria non maneat ſub ratione ſpei; manet tamen ſub ratione amoris concupiſcentiæ, ad quem pertinet elicere deſiderium, & expectationem illorum bonorum, quæ in patria & nobis & alijs deſideramꝰ & expectamꝰ.

Variæ opiniones.

18. Vera reſolutio.

Dicendum tamen eſt. Expectationem illam verè non eſſe à charitate theologica, quæ eſt circa Deum, vt benè aduertit Suarius; ſed eſſe ab habitu amoris, quo beati ſe ipſos, & alios diligunt, ſibique bona volunt, quem habitum plerique appellant amorem habitualem concupiſcentiç; ſed de nominibus non eſt curandum; ſatis eſt enim, quod ſicut datur in nobis amor noſtri diſtinctus ab amore Dei, ita datur elicitiuus illius amoris diſtinctus ab habitu charitatis Theologicæ. Ab hoc igitur habituali amore elicietur talis beatorũ expectatio: procedet enim immediatè ex amore beneuolentiç, qua beati ſe ipſos, & alios diligunt, qui amoris actus imperari quidẽ poteſt à charitate theologica; elici tamẽ nõ poteſt. Cũ vero ad amorẽ alicuiꝰ boni poſsibilis naturaliter ſequatur deſideriũ illius, & eiuſdẽ expectatio, ſi ſciatur infallibiliter eſſe futurũ; ꝓinde talis expectatio ab eodẽ habitu elicitur, à quo elicitur amor; quãuis mediate & ſecundario.

19. In quo non cõuenimus

In hoc igitur cõuenimus cũ Suario: nõ cõſentimus tamen cũ eo, quatenus ꝑutat illũ habitũ, prout erat in via, realiter non diſtingui ab habitu ſpei: cõſtat enim habitũ ſpei eſſentialiter eſſe theologicũ, & immediatè terminari ad Deum, vt eſt obiectum beatificum; cum tamen habitualis ille amor concupiſcentiæ, nec ſit theologicus, nec ad Deum immediatè terminetur. Sed de hoc contra eundem Suarium alibi latiùs diſputauimus.

ARTICVLVS II.

An actus deſperationis poſsit in beatis reperiri?

1. Nulla in beatis erit deſperatio.

QVæſtio iſta nullam habet difficultatẽ, quia apud omnes eſt certiſsimũ in appetitu beati, ſiue intellectiuo, ſiue ſenſitiuo nullam futuram eſſe deſperationẽ: cũ enim in vtroq; appetitu nullũ futurum ſit deſideriũ abſolutum, & efficax, quod non impleatur, aut ſuo tẽpore implendũ certo nõ ſciatur, vt antea diximus; nullũ reſpectu beati erit bonũ deſideratum, quod vel ſit arduum, vel iudicetur inſuperabile: deſperatio autẽ, vt ex dictis cõſtat, ſupponit in appetitu deſideriũ abſolutum, & efficax alicuius boni ardui, cuius aſſecutio exiſtemetur inſuperabilis: deſperatio enim eſt receſſus à bono arduo propter putatam inſuperabilitatem aſſecutionis. Vtrùm verô in appetitu ſenſitiuo Chriſti fuerit actus deſperationis ſenſibilis circa aliquod bonum ſenſibile? alterius eſt quæſtionis: affirmat Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 34. ſect. 3. §. *Quartò de Spe*: ego puto id eſſe negandum: & quanuis cõcederetur, inde inferri non poſſet deſperationẽ aliquam dari in beatis, propter diſparem rationem in beatis, & in Chriſto.

ARTICVLVS III.

An in appetitu iraſcibili ſenſitiuo poſt reſurrectionem detur, aut dari poſsit aliquis actus timoris?

1. De actu timoris.

COnſequenter agendum eſt de timore: qui actus verſatur circa malum non dùm præſens, quod appetitus refugit. Et quãuis diſputatio noſtra principaliter ſuſcipiatur de timore ſenſibili, cuius per ſe obiectum eſt malum ſenſibile: agendũ tamen eſt hoc loco de timore etiam intellectiuo volũtatis; tùm propter coniunctionẽ vtriuſque appetitus, ratione cuius timor voluntatis in appetitũ ſenſitiuum redundat, vt ſæpè diximus: tùm etiam, quia vna quçſtio comodê explicari non poteſt ſine altera. Inquirimus igitur, an actus timoris in vtroque appetitu beati ſit admittendus? quam quæſtionem eſſe difficillimam omnes fatentur, & videre eſt apud *Medinam* 1. 2. q. 42. *in propria iſta quæſtione*. *Medina.*

§. 1.

Ponuntur rationes dubitandi pro vtraque parte.

2. Argument. pro affirm.

PRo vtraque parte eſt non parua ratio dubitandi, quæ vtrãque reddit difficilẽ. Nam pro affirmãte (quod bſ.in eatis futurus ſit verus timor) adducitur illud Pſal. 18: *Timor Dei ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*. Ex quo loco plerique colligunt eſſe de fide timorem Dei (qui dicitur filialis, & caſtus) eſſe in beatis permanſurum. Vnde oppoſitum inter errores Petri Abbaylardi enumerat D. Bern. epiſt. 190. quos tanquam hæreticos damnauit Innocent. 3. in epiſt. quæ apud eundem Bernardum eſt 194.

1. ratio ex Pſalm. 18.

3. 2. ex Apoc. 15.

Pro eadem parte non parum facit illud Apocalypſis. 15: *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?* quæ verba ſunt beatorum in patria iam exiſtentium.

4. 1. ratio pro negante ex 1. Prouerb.

¶ At pro parte negante facit illud Prouerb. 1, *Qui me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato*. Quem locum Patres cõmuniter interpetrantur de beatis.

5. 2. ratio.

Deinde accedit hæc ratio: quia certum eſt in fide, in patria nullum malum eſſe futurum, nullamvè eminentis mali ſolicitudinem: at de intrinſeca ratione timoris (iuxta commune Philoſophorum placitum) eſt, quod ſit de malo arduo, & futuro: ob quam rationem timor eſt cũ ſolicitudine; & anxietate propter incertitudinem futuri mali: & ſemper eſt cum aliqua ſpe euadendi, vt docet *Ariſtoteles 2. Rhetoricorum c. 5.*

§. 2.

Referuntur varij modi dicendi.

6. Varij dicendi modi.

HÆc ſunt, quæ vtramque partem reddunt difficilẽ: vnde in explicatione huius quæſtionis Theologi ſunt varij: inter quos eſt D. Thomas: nam

Opinio D. Thom.

etſi in eo ſemper perſiſtit, quod timor ſeruilis, nec quoad modum, nec quoad ſubſtantiam manet in patria; manet tamen timor filialis; non tamen perſiſtit in eadẽ ſententia, an timor filialis quoad omnes ſuos actus maneat in patria: etenim negatiuẽ reſpondet 1. 2. *q. 67. ar. 4. ad 2. & de virtutib. q. 4. ar. 4. ad 2.* vbi docet manere quidem quoad actũ reuerẽtiæ erga Deũ, non tamen quoad actum timendi ſeparationem ab eo. At oppoſitum videtur docerẽ 2. 2. *q. 19. ar. 11.* dùm ait timorem filialem, vt dicit fugã huius mali, quod eſt Deo non ſubijci (quod idem eſt, quod à Deo ſeparari) manere in beatis. Inter alios doctores inuenitur controuerſia: quidam enim partem negantẽ videntur ſimpliciter probare, nimirum illi, qui volunt donum timoris (in quo timor filialis includitur) quoad actum non permanere in patria, quia nimirum in ea deeſt omnis materia mali futuri, ſine qua nullus dari poteſt actus veri timoris, iuxta ea, quæ pro parte negãte dicta ſunt. Hui⁹ opinionis videtur eſſe *Durand. in 3. diſt. 34. q. 3.*

Conſentit Durand.

7. 2. opinio.

Alij in oppoſita videntur eſſe ſentẽtia: admittunt enim in beatis verum & proprium actũ timoris reſpectu mali: in qua ſententia eſt *Suarius 1 tom. ad 3. p. diſp. 20. ſect. 2. & ante eum Medina ad 1. 2. q. 42. in fine commentarij*: & plerique autumant, hanc etiam fuiſſe mentem *Caiet. 3. p. q. 7. art. 5.*

Suar. Medina. Caiet.

Duplex ſenſus.

¶ Et Suarius loco citato hanc ſententiam duobus modis videtur explicare: vno modo vt ad perfectam rationem timoris ſatis ſit, quod terminetur ad malum, quod ſecundum ſe eſt malum, & repugnans diuinæ excellentiæ, quanuis nõ formidetur futurum, & in hoc ſenſu ſententiam iſtam videtur probare ad finem primæ explicationis, vbi putat timorem reuerentiæ, quo beati in conſpectu diuinæ eminẽtiæ ita ſe habẽt, vt veluti nõ audeant ad illã accedere, & formidẽt diuinã excellentiã in aliquo vſurpare; fugiátq; inueſtigare, vel cõprehendere illius mirabilia: & hunc affectũ, & fugam habere rationem, & denominationem perfecti timoris: idque ex mente Patrũ, Dionyſij, inquã, & Chryſoſt. quos citat, & id colligit ex verbis Apocal. immediatẽ citatis.

1. ſenſus.

8. 2. ſenſus.

¶ Altero modo candẽ ſententiã explicat: vt. ſ. vera ratio, & ſubſtãtia timoris ſaluetur, ſi terminetur ad malum ſecundũ ſe poſsibile: nunquã tamen futurũ. Cum igitur quicũq; beatus cõſiderata Dei omnipotentia, vt cõiuncta determinationi diuinæ voluntatis ad nõ infligendum malũ, ſit ſecuriſsimus nec timeat aliquod malum, vt exequendũ: tamen cõſiderata diuina omnipotentia ſecundũ ſe, & vt potens eſt malũ infligere poteſt timere, & de facto timet non ſolùm malum culpæ ex amore charitatis; ſed etiam malum pœnæ ex amore cõcupiſcentiæ, vt patet

ex ijs, quæ ſcribit in tertia expoſitione: & in hac ſententia perſiſtit, vt patet ex reſolutione quæſtionis, & ſolutione argumenti ad finem. ſec. quo loco docet hunc timorem eſſe eiuſdem rationis cum timore de malo futuro; quamuis non habeat omnem modum eius, & omnes effectus, qui imperfectionem important. Hanc putat eſſe mentem Caiet. loco citato. & eodem modo rem explicat Medina vbi ſuprà.

9. 3. opinio. Non deſunt, qui putent in patria quidem nullum futurum eſſe actum abſolutum timoris; bene tamen cõditionatum, & inefficacem: quilibet enim beatus timeret ſibi & malum pœnæ & culpæ, ſi illud eſſet in ſtatu beatitudinis: ita docent quidam *Moderni ad* 1.2.*q*.68. dùm inquirunt, an dona quoad actum in beatis ſint permanſura? Quæ fortè fuit mens *Capreoli in* 3.*diſt*.34. *q. vnica ad finem*. Capreol.

§. 3.

Præmiſsis nonnullis ponuntur quæ ſunt indubitata, & explicatur ſtatus difficultatis.

10. 1. præmiſſ. PRo reſolutione huius difficultatis poſitis ijs, quæ ſunt certa, explicabitur ſtatus cõtrouerſiæ, ſi interim præmittamus cum *D.Tho.*2.2.*q*.19.*ar*.2. timorem à Theologis diuidi in humanũ, qui dicitur mundanus, ſeruilem, filialem, & initialem. Mũdanus ſiue humanus eſt ille, quo quis à Deo recedit propter mala, quæ timet. Seruilis verò dicitur, quo quis timore pœnæ Deo ſubijcitur: filialis verò, ſi quis Deo timore culpæ ſubijciatur. Vterque duobus modis conſiderari poteſt: nam ſeruilis poteſt cõſiderari, vel ſecundum ſuam ſubſtantiam; vel ſub ratione ſeruilitatis: ſecundum ſuam ſubſtãtiam ſpectatur, cum expenditur præciſè prout ad pœnã terminatur, quæ eſt proprium, & per ſe obiectum illius, à quo ſumit ſpeciem: tunc verò ſub ratione ſeruilitatis expenditur, cũ ad pœnam terminatur, tanquam ad malum principaliter intentum, ratione cuiũs Deo obtemperat, aliàs nõ obtemperaturus, ſi nullũ adeſſet tale malũ: quæ ratio eſt accidentaria huic timori, quatenus ad pœnam terminatur: poteſt enim hæc pœna adhuc in Deum, tanquam in vltimum finem referri: ita vt illa ſit ratio motiua accedendi ad Deum.

D. Thom. Diuiſio timoris.

Seruilis duobus modis ſpectatur.

11. Similiter & filialis. Timor filialis, qui per ſe ad malum culpæ terminatur, duobus etiam modis poteſt ſpectari: vno modo prout à charitate imperfecta inchoatur. Altero modo prout charitate perfecta perficitur. Priori modo dicitur timor initialis, competitque ſtatui incipientium. Poſteriori vero modò ſimpliciter appellatur amor filialis, & caſtus, qualis inuenitur in ijs, qui in charitate profecerunt. Hæc omnia latiùs explicantur à *D.Thom.*2.2.*dicta q.*19.*per totam*. D. Thom.

12. Explicatur tradita doctrina. Quæ omnia intelliguntur de timore theologicè conſiderato, quatenus per ipſum vel conuertimur ad Deum, vel ab eo auertimur. Nam ſi timor philoſophicè conſideretur, ſolum habet terminari ad malũ ſub ratione mali, ſiue illud ſit corruptiuum naturæ, ſiue ſolum contriſtatiuum, ideò quia aliquo externo bono priuat abſque vlla naturæ corruptione. Eſt autem timor, ſi propriè loquamur, de malo, quod non ſubiacet noſtræ poteſtati, ſed prouenit à cauſa extrinſeca: vnde fit vt timor principaliter ſit de malo pœnæ, quod ex eo habet arduitatem, quod noſtræ non ſubiacet voluntati. Vnde malum culpæ: propriè loquendo, non eſt obiectum timoris: tùm; quia non ab omnibus concipitur vt malum, ſed potiùs vt bonum; ob quam rationem iniuſtus non timet malum iniuſtitiæ, vt ait Ariſtoteles *in ſecundo Rhetor.cap*.5: tùm etiã, quia culpa cum noſtræ ſubiaceat voluntati, propriè non habet rationem ardui: vnde propriè non timetur, niſi ſub ea ratione, quatenus timetur cauſa exterior inclinans ad peccandum; & ad hunc ſenſum Theologi docent malum culpæ eſſe obiectum timoris.

13. Nõ erit ibi timor mundanus. ¶ His ita præmiſsis ſtatuenda ſunt, quę in hac diſputatione nullam habent controuerſiam. Et primum extra omnem controuerſiam eſt, nullum timorem humanum, ſiue mundanum futurum eſſe in beatis; nam talis timor, cum faciat à Deo recedere, ſemper eſt malus, vt docet Diuus Thomas in dicta q.19. artic.2. & 3. Beati autem immobiliter adhærent Deo.

14. Nec ſeruilis ſub ratione ſeruilis. Deinde illud eſt certiſsimum in beatis nullum futurum eſſe timorem ſeruilem ſub ratione ſeruilitatis; id eſt quatenus terminatur ad pœnam vltimatè, tanquã princi-

principale malum: nam iſte timor, cum contrarius ſit charitati, eſt malus: beati enim omnia operantur ex charitate, & propter Deum, quem enixè diligunt, vide *D. Thom. in d. q. 19. art. 2. & 4.*

D. Thom.

Nec erit initialis.

Tertiò. Res eſt certiſsima in beatis non eſſe futurum timorē initialem; nō quod ille malus ſit (eſt enim ſecundum ſubſtātiam idem cum timore filiali, qui eſt timor ſanctus, & caſtus, vt docet *D. Thom. in d. q. 19. art. 8.*) ſed quod ſit ex charitate imperfecta, eamque ſupponat; ob quam rationem pertinet ad ſtatum incipientiū, vt idem D. Thomas docet *in dicto art.* 8. Iam verò charitas patriæ eſt perfecta, & conſummata, iuxta illud Pauli: *Cum venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt.* Agit autem de perfectione beatitudinis.

D. Thom.

15. Non erit timor ingerens ſolicitudinem.

Quarto loco inter omnes pro comperto habetur in patria nullum futurum eſſe timorem, qui pro vitando malo, quod timetur, ingerat ſolicitudinem, & anxietatem, vt inter alios bene aduertit *Medina 1. 2. q. 42. in vltimo dubio.* Quod docuit *Auguſtinus 14. de Ciuitate Dei cap. 9.* dùm timorem, quem in beatis admittit, appellat ſecurum, ſublata omni cauendi mali ſolicitudine, & cura: certitudo enim de æternitate beatitudinis beatos illos reddit ſecuros, ne aliquando malum aliquod incurrant: vnde omnem ſolicitudinem pro cauendo malo excludit; quia ſolicitudo, & anxietas per ſe prouenit ex incertitudine mali, quod timetur: & ob id timor facit conſiliatiuos ex *Ariſtotele 2. Rhetor. cap. 5. & D. Thom. 1. 2. q. 44. art. 2.* Beati igitur charitatis trãquillitate cau[ent] omne malum, vt docet Auguſtinus loco citato.

Medina. *Auguſt.* *Ariſt.* *D. Thom.*

16. In quo ſit difficultas.

¶ Tota igitur difficultas huius quæſtionis poſita eſt in timore filiali, qui ad malum culpæ terminatur, & in timore ſeruili, qui, prout ad pœnam terminatur, bonus eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam, vt ſuprà diximus: de vtroque enim timore, an in beatis maneat, quoad actum timendi, eſt inter Theologos controuerſia: nam D. Thom. negat manere in illis timorem pœnæ: affirmat tamen Suarius, vt vidimus. Timorem etiam filialem, quoad actum timendi in beatis non manere probat *D. Thom. 1. 2. quæſt. 67. artic. 4. ad ſecundum, & in quæſt. de virtutibus quæſt. 4. art. 4. ad 2.* Oppoſitum tamen docent Medina, & Suarius, vt vidimus, & in ea ſententia videtur eſſe D. *Thomas 2. 2. quæſt. 19. art. 11.* Huius controuerſiæ ſolutio dependet ex reſolutione ſequentis difficultatis, quare illam prius explicabimus in ſequenti §. 4. Deinde in §. 5. cum ſequentibus veram reſolutionē difficultatis principalis explicabimus.

Opinio D. Thom.

Alia opinio Medinæ, & Suarij.

§. 4.

Pro vera reſolutione explicatur, in quo poſita ſit propria ratio timoris.

17. In quo poſita ſit vera ratio timoris.

PRo vnico, & firmiſsimo futuræ reſolutionis fundamento, ſtatuendū eſt eſſentiam timoris, prout ab odio mali, & fuga illius diſtinguitur, ſaluari non poſſe, niſi terminetur ad malum, vel certò, vel ſaltem ex exiſtimatione futurum. Quare ſi malum aliquod concipiatur, vt nunquam futurum; quantumuis concipiatur ſub ratione mali, & ſub ratione repugnantis diuinę voluntati; imò etiam ſub ratione poſsibilis, nullum verum & proprium timorem cauſabit.

18. 1. confirm.

Hæc doctrina primò confirmatur cōmuni Philoſophorum conſenſu, qui ſimpliciter docent timorem per ſe terminari ad malum, vt futurum: quæ fuit ſententia Platonis in primo de legibus, & omnium antiquorum Philoſophorum, qui paſsiones animi ad bonum & malum terminatas vnanimo conſenſu diſtinxerunt per differentias præſentis, & futuri. Quæ etiam eſt peripatetica doctrina Ariſtotelis in 2. *Ethicorum multis in locis, & expreſsiùs in 2. Rhetoric. cap. 5.* de quo videndus eſt *Curſus Conimbricenſis in libr. Ethicorum diſput. 6. quæſt. 5. artic. 1. & 2. eodem modo idem docuit D. Thomas 1. 2. q. 25. art. 4. & quæſt. 41. art. 1. & 2. quæſt 42. artic. 2. quæſt. 43. artic. 1. & 2. 2. quæſt. 19. ferè per omnes articulos, & 3. parte quæſt. 15. art. 7. & mille alijs in locis*: cōſentiunt omnes Philoſophi, & Theologi, quos lōgum eſſet numerare, facit quod ſcribit *Caietanus 3. parte q. 7. artic. 6. ad primum,* dùm docet malum ex authore, tùm demum timeri, cum author mali præparatus eſt ad illius executionem: de qua re inferiùs nonnihil dicemus: nec adhuc aliquem, inueni, qui oppoſitum doceat, ſi Medinam, & Suarium excipias.

Ariſt. *Conimb.* *D. Thom.* *Caiet.*

19. 2. confirm. Secundò idipſum confirmatur; quoniam timor vt ab odio, & fuga mali diſtinguitur, pertinetque ad appetitum iraſcibilem, per ſe & eſſentialiter terminatur ad malum, vt eſt arduum, quæ eſt conſtans omnium doctrina. Cum igitur ratio ardui & difficilis in malo, quod timetur, poſita ſit in ratione victoriæ, quam malum, vt exequendum, habet ſupra timentem, ne facilè euitetur, vt patet ex D. Thom. *Diuo Thoma* 1.2.*q*.23.*art*.1.*&* 2.*&* *q*.41. *art*.1.2.*&* 3. neceſſario infertur timorem per ſe terminari in malum, prout exiſtimatur realiter futurum & exequendum: ſola enim mali poſsibilitas nudè concepta nullam in malo ponit arduitatem, & difficultatem in ordine ad illius fugam, & deuitationem, & per conſequens nulla ratione poteſt per ſe pertinere ad appetitum iraſcibilem.

20. 3. confirm. Tertiò accedit; quoniam ſpes, & timor contrariantur ex parte obiecti; quia ſpes ad bonum tendit, timor verò ad malum; ex *D.Thom*.1.2.*q*.23.*art*.2. At ſpes non D. Thom. datur de bono nunquam futuro, quantũuis exiſtimetur poſsibile, vt omnes admittunt: nam quod eſt impoſsibile, ſiue ſimpliciter, ſiue ex determinatione diuinæ voluntatis, ſperari non poteſt: ſpes enim ſupra amorem, & deſiderium boni ſuperaddit conatum quendam, motum, & tendentiam, ad illius boni aſſecutionẽ. Ergo nec timor dari poterit de malo, quod vt nunquam futurum concipitur; quantumuis exiſtimetur eſſe poſsibile: nam ſupra odium, & fugam illius mali ſuperaddit ſuppreſsionem animi ob inſuperabilem illius mali euentum; & ſimiliter conatum, vt euitetur, ſi datur ſpes euadendi: ob quam rationem facit conſiliatiuum ipſum timentem ex Ariſtotele in d.cap.5. ſecundi Rhetor.

21. 4. confirm. Arist. Quartò addimus ſententiam *Ariſtotelis in d. cap*. 5. dùm ait, quæ valde longè ſunt, non timeri: quod experientia etiam docet: homines enim ideò de morte non curant; quia eam, vt adhuc longè diſtantem concipiunt. Si verò huius rei per ſe cauſam inquiras; nullam aliam reddit *D.* D. Thom. *Thom*.1.2.*q*.42.*art*.2. niſi quia propter futuritionis diſtantiam, & elongationem euentus, hæc mala imaginamur, vt non futura; quantũuis ea eſſe non ſolùm poſsibilia, ſed certò euentura ſciamus: nam vt Ariſtoteles ibidem ait, quæ remouent futuri mali phantaſiam, & exiſtimationem, excludunt etiam timorem; quem tamen non excluderent, ſi ſola poſsibilitas eſſet ad verum timorem incutiendũ.

Poſtremò confirmatur hæc ſententia, 22. Vltima confirmatio. quia expreſſè probatur à D. Tho. vt ex pleriſque ſuæ doctrinæ locis euidenter deducemus: nam 1.2.*q*.67.*artic*.4.*ad* 2. D. Thom. ideò timorem pœnæ à beatis excludit; quia (vt ait) *nulla poſsibilitas ad pœnam remanet in patria*: quę verba non debent intelligi de poſsibilitate abſolutè ſumpta, ſed de ſola poſsibilitate ſecundùm legem ordinariam ex libera diuinæ voluntatis determinatione, ſecundum quam nullum malum futurum eſt in patria. Igitur ex mente D.Thom. timor per ſe ſpecificatur per malum, non vt ſimpliciter poſsibile; ſed vt ſimpliciter futurum, ſaltem timentis ex exiſtimatione. Idem colliges ex D.*Thom*.2.2.*q*.19.*art*.11. vbi ex- D. Thom. preſſe affirmat *in patria timorem pœnæ ſimpliciter excludi per ſecuritatem æternæ beatitudinis, quæ enim malum pœnæ à beatis relegat*. Iam verò ſecuritas illa non excludit poſsibilitatem pœnæ, ſed ſolam futuram illius executionem. Ergo ſi ſecuritas beatitudinis excludit omnem rationẽ timoris pœnæ. Igitur timorem per ſe ſpecificat, non poſsibilitas mali, ſed illius futuritio, ſaltem exiſtimata. Et vt alios D.Thomæ locos omittamus, idem colliges *ex* 1.2.*q*.42.*art*.2. dûm ex eo, quod D. Thom. Arist. *Ariſtoteles* 2.*Rhetor. cap*. 5. docet timorem prouenire ex phantaſia futuri mali, infert id, quod remouet futuri mali phãtaſiam, ſimul etiam remouere timorem. Quæ conſequentia non valeret, ſi ad timorem ſatis eſſet poſsibilitas mali ſublata eius futuritione.

23. Conclusio. Cõcludendum eſt igitur veram timoris rationem, & ſubſtantiã, prout ab odio & fuga mali diſtinguitur, ſaluari non poſſe, ſi malum ſolum concipiatur, vt poſsibile; nunquam tamen futurum.

¶ Ex hac veriſsima reſolutione primo 24. 1. corol. cõtra opinionem Medinæ. loco infertur falſam eſſe & veræ Philoſophiæ repugnantem ſententiam Medinæ, & Suarij, dùm putant ſubſtantiam veri, & perfecti timoris ſaluari poſſe cum ſola poſsibilitate mali, ſublata illius futuritione. Nec illis fauent D.*Thom*.2.2.*q*. Non fauet S. Thom. 19.*art*.11.*&* *Caiet*.3.*p*.*q*.7.*art*.5. dùm ad ratio-

rationem timoris filialis ſolam mali poſsibilitatē omni excluſa futuritione admittunt; quoniam agūt de timore filiali, qui verè, & propriè nō eſt timor, ſed ſimplex quædam fuga, & abominatio ſeparationis à Deo, ad quam ſatis eſt mali poſsibilitas ſine futuritione, vt dicemus in ſolutione argumentorū. Nec etiam fauet Medinæ hiſtoria duorum coniugum, qui ad focū collucuti quidnā ipſis foret, ſi vnicū filium amitterent, quem ſanum, & ſaluum habebant, miſerabiliter lamentati ſunt: quia reſpondemus illam triſtitiam non ex timore mali poſsibilis fuiſſe, ſed ex mortis præſentia, quā vis imaginationis illis præſentem faciebat ob vehementiam amoris.

25. 2. Corollariū contra opinionem Suarij. Secundo ex eadem reſolutione infertur, falſam eſſe, & reijciendam priorem Suarij explicationem, dum putat rationē veri, & perfecti timoris ſaluari ſi terminetur ad malum, præciſe vt in ſe eſt malum, & diuinæ excellentiæ repugnans, etiam ſi non formidetur futurum. Quæ ſententia præter ea, quæ adduximus, inde etiam conuincitur; quia ex ea ſequitur verum timorem dari in Deo, quod nemo admiſerit. Sequelam inde deducemus; quoniam Deus verè, & propriè odit malum ſecundum ſe, & ſub ratione mali, & ſub ea ratione illud auerſatur, vt conſtat ex ſacris literis, & idem Suarius fatetur.

Solutio. ¶ Si verò ad mentem illius reſpondeas, Deum quidem malum, vt malum eſt, ſimplici quodam odio auerſari; non tamen illud fugere, vt naturæ ſuæ poſsibile, quod requiritur ad veram rationem timoris: ſi inquam, ita reſpondeas; inſtabo nō eſſe de ratione fugæ, quæ ad odium conſequitur, vt quis fugiat malum, ſibi & ſuæ naturæ ſecundum ſe poſsibile: nam ſicut malum odio habemus, & nobis & amicis; ita illud, tam nobis, quām amicis fugimus, vt conſtat: quamuis igitur ſit de ratione fugæ reſpicere realem aſſecutionē mali, ſaltem vt poſsibilem, vt iam diximus; & in hoc à ſimplici odio diſtinguatur; non eſt tamen de ratione illius fugere malum ſibi, & ſuæ propriæ naturæ ſimpliciter poſsibile, cum malum etiam amicis poſsibile fugiamus. Ex quo infertur non omne malum fugæ Deo repugnare; ſed eam tantum, quæ proprium malū reſpicit; quia nullum malū eſt Deo poſſibile. Quare ſicut Deus ſimplici odio odit malum ſecundum ſe conſideratum, & prout repugnat diuinæ bonitati, & excellentiæ; ita auerſatur, & fugit, fuga reſpiciente realem illius executionē, non reſpectu ſui, ſed reſpectū creaturarū, vellet enim nullum dari malū culpæ, in ſuis creaturis; idque non alia ratione, niſi quia malum culpæ ſecundum ſe eſt malum repugnās diuinæ bonitati, quam vellet omnibus cōmunicari. Si ergo ad rationem veri, & proprij timoris ſatis eſt ratio mali ſumpta ſecundū ſe; vtique daretur in Deo verus timor, ſicut etiā datur verum odiū, quæ fuit ſequela. His addimus veram, & receptam Philoſophiam actus appetitus cōcupiſcibilis ab actibus iraſcibilis in hoc eſſentialiter diſtinguere; quia illi terminantur ad bonum, & malum abſolutè ſub ratione boni, & mali: hi verò non abſolutè, ſed ſub ratione ardui, vt conſtat ex *D. Thom.* 1. 2. *q.* 23. *art.* 1. *& ex Conimbricenſ. in lib. Ethic. diſp.* 6. *q* 1. *&* 5. Cum igitur timor propriè ſumptus ad appetitum iraſcibilem pertineat, & non ad concupiſcibilem: vtique ratio mali ſecundum ſe, & abſolutè ſumpta non poterit timorē ſpecificare; ſed odium, & fugam dūtaxat, quę ad concupiſcibilem ſpectant. Et hæc pro fundamēto futurę reſolutionis dicta ſint.

26. Alia confirmatio. *D. Thom. Conimbr.*

§. 5.

Demonſtratur in Patria nullum futurum eſſe timorem, aut intellectiuum, aut ſenſitiuum.

His præmiſsis pro parte negante (quā verio rē putamus) hāc ſtatuimus concluſionē. *In beatis nullus futurus eſt actus veri timoris, aut ſenſibilis, aut intelligibilis.* Hæc cōcluſio ex prœiacto fūdamento euidenter demōſtratur: quoniā de ſubſtantia, & eſſentiali ratione timoris eſt, quod terminetur ad aliquod malum futurum, ſaltem exiſtimatione: Sed in Patria nullū malū eſt futurū vt eſt de fide, & de hac veritate beati ſunt certiſsimi: ſciunt enim nihil ſe mali vnquā paſſuros fore. Ergo beati in Patria nullum habebūt, aut habere poterunt verum timorem.

27. Concluſio pro parte negante.

28. Quo ſyllogiſmo ſimilem concluſionē deducit Ariſtoteles. 2. Rhetor. cap. 5. ita ſcribens: *Cum igitur metus cum expectatione ſit patiendi aliquid, quod perdere valeat perſpi-* Ar[illegible]

perſpicuum, neminem eorum eſſe in metu, qui nihil ſe mali paſſuros arbitrantur: nec quenquam ea timere, quæ ſe non paſſurum putat: nec eos timere, à quibus nihil mali expectant: nec eo tempore formidare, cum nihil mali futurum exiſtimant. Neceſſe eſt igitur eos eſſe in metu, qui ſe aliquid mali paſſuros exiſtimant; & qui quæ paſſuri ſunt. & quo tempore cogitant. Quæ verba clariora ſunt, quã explicatione indigeant. Nec dici poteſt Ariſtotelem agere de timore cum extrinſecis circunſtantijs, & accidentarijs: nam cum hanc concluſionem inferat ex vera definitione timoris; eam vtique intelligit de timore ſecundum veram illius ſubſtantiam, & rationem: hæc enim vt iam oſtẽdimus, vere, & eſſentialiter poſita eſt in expectatione mali futuri.

§. 6.

Nullum eſſe timorem pœnæ.

29. Non erit timor pœnæ. QVæ ſane demonſtratio non ſolũ oſtendit in Patria nullum futurũ eſſe actum timoris pœnæ: qui ad timorem ſeruilem pertinet; ſed nec futurum eſſe actum timoris culpæ, qui ad timorem caſtum, & filialem ſpectat, & quidẽ quod ibi nullus futurus ſit actus timoris ſeruilis ad pœnam terminatus, etiam ſublata omni ſeruilitate, inde etiam poteſt oſtendi: quia timor ſeruilis, quatenus eſt ratio aliquid operãdi, duplicem habet ſtatum: vel enim eſt initium ſapientiæ, & dilectionis diſponens ad expulſionem peccati (iuxta illud Pſalmi 110. *Initium ſapientiæ timor Domini*: & illud Eccleſiaſt. 1. *Timor Domini initium dilectionis*, illud etiam Eccleſiaſt. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, vel prout eſt cum charitate cõiunctus, & ab ea imperatus; quatenus. ſc. is, qui eſt in charitate, ex timore pœnæ mouetur ad operandum ex amore iuſtitiæ: iuſtus enim ex timore pœnæ mouetur ad operandum ex amore iuſtitiæ: iuſtus enim ex pœnæ timore ſæpe excitatur ad amandum Deum. At ſecundum neutrum ſtatum poteſt dari in Patria. Non quidem ſecundum priorem ſtatum: tùm; quia beati nihil niſi ex amore Dei operari poſſunt: tùm etiam; quia ille actus timoris, licet ſecundum ſubſtantiam bonus ſit; eſt tamẽ imperfectus ſupponens priuationem charitatis: vnde nec

Pſal. 110.

Eccleſiaſt. 1.

Eccleſ. 1.

30. Oſtenditur primum.

in via datur ſimul cum ea. Sed illa introducta expellitur, vt ait Auguſtin. tract. 9. ad 1. Ioannis ad illa verba: *Timor nõ eſt in charitate*, vbi ita ait: *Timor cum ſit initiũ ſapientiæ, quaſi locum præparat charitati: cũ autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum*: eſt enim iſte timor ſupponens peccatum, quod expellit, & illud expellendo diſponit hominẽ ad charitatem, & eum habitat: ob quam rationem appellatur diſpoſitio extra diſponens, vt ait: D. *Thom. 2. 2. q. 19. artic. 7.* Ob eandem rationẽ dicitur initium primum ſapientiæ, & dilectionis Dei: quia nimirum ita primam charitatem introducit, vt ea introducta expellatur: etenim homo iuſtificatus iam amplius non mouetur, vel ad expellendum peccatum (cum illud iam non habeat) vel ad operandum ſolũ ex timore pœnæ, ſed ex amore iuſtitiæ. Vnde Auguſtinus loco citato comparat ſetæ, quæ introducit linum, cum aliquid ſuitur. Seta enim ita introducit linum, vt niſi exeat, linum non introducatur. Quandiù igitur permanet talis timor, non datur homini iuſtificatio, quia nõdum datur charitatis introductio; charitas autem iam non timet, vt peccatum deſerat; ſed vt ex dilectione operetur.

Auguſt.

D. Thom

Nec etiam in Patria poteſt permanere timor iſte ſecundum ſtatum poſteriorem: quia talis timor licet cum charitate imperfecta ſimul permaneat (pertinet enim ad timorem initialem) non tamen permanere poteſt cũ charitate perfecta: *Hæc enim foras mittit timorem*, vt dicitur 1. Ioannes 4: & ibidem dicitur, *Charitas pœnam non habet*, quod de charitate perfecta eſt intelligẽdum: perfectus enim iam nõ excitatur ad opera iuſtitiæ ex timore pœnæ, ſed ex amore iuſtitiæ, vt docet *Diuus Thom. 2. 2. q. 19. art. 8. in corp. & ad ſecundum, ibidem Caieta. cum cæteris.* ¶ Si igitur ex doctrina Ioannis, & Patrum perfecta charitas in via omnino excludit timorem pœnæ; vtique eum etiam excludet charitas conſummata Patriæ.

31. Oſtenditur 2.

1. Ioan. 4.

D. Thom.

At inquit *Suarius in d. diſp. 20. ſect. 2. ad finem*, ex dictis optimè concludi, non ita manere hũc timorem in Patria, vt propter illũ, beati fugiant culpam, aut aliquid honeſte operentur: id enim aliquo modo ſeruile eſſet: ex quo non infertur hũc affectum non habere locum in beatis; cũ ſit

32. Solutio ex Suario.

Explicatur magis.

ſit conſentaneus proprio amori ordinato, & ſupernaturali. Quæ ſolutio melius intelligetur, ſi cum Caietan. 2. 2. q.19. art. 8. ad 2. aduertas, timorem pœnæ dupliciter ſpectari poſſe: vno modo vt abſolutè terminatur ad pœnam, vt contrariam bono proprio timentis: altero modo prout eſt ratio operandi; quatenus. ſ. timens ex pœnæ timore mouetur ad benè agendũ.

33. Poteſt igitur quis pro Suario dicere, quæ adducta ſunt includere quidem in Patria non dari timorem poſteriori modo ſpectatum: quia non datur, vt beatis ſit ratio operandi: nec enim beati propter timorem pœnæ, aut fugient culpam, aut aliquid operabuntur: non tamen concludere timorem pœnæ non eſſe futurum in beatis, ſi priori modo ſpectetur: nam talis timor (vt ait Suarius) eſt cõſentaneus proprio amori concupiſcentiæ ſupernaturali, qui in beatis permanet, & nullam habet deordinationem, ſiue imperfectionem. Accedit etiã; quia actus ille ex ſententia Caietani ſimul ſtare poteſt cũ charitate perfecta viæ: nam creſcente charitate timor iſte decreſcit, vt habet cõmunis Theologorum, de quo D. *Thom.* 2. 2. *q.*19. *art.*10. Cur igitur non manebit in Patria? etenim charitas Patrię eadem numero eſt cum charitate viæ, ſolo ſtatu differens; quia ſcilicet in Patria, ideo quia inamiſsibilis eſt, conſummata eſt.

D. Thom.

34. Non recipitur ſolutio.

Solutio iſta forte placebit, ei qui nõ ſatis conſiderate rẽ expenderit: mihi tamẽ placere non poteſt: quin potius puto eã pugnantia continere, dũ admittit in beatis timorem conſideratum priori modo; non verò poſteriori: quam pugnantiam facile perſpicies, ſi cum D. Thom. & cõmuni Theologorum (de qua in ſuperioribus egimus) ſupponas beatos in Patria nihil libere operari, quod à charitate non imperetur, & quod actu non referatur in Deum. Si igitur beati habent timorẽ pęnæ ad pęnam abſolutè terminatum; vtiq; talem timorem charitas referet in Deum: in Deum autem referri non poteſt, niſi ipſe ſit ratio, & motiuum talis relationis; ita vt beatos ob timorem pœnæ excitetur ad diligendum Deum. Implicat igitur dari in beatis timorẽ pęnæ, qui ſimul non ſit ratio, & motiuum excitans ipſum beatum ad operandum. Cũ igitur timor pœnæ, vt ratio mouens, ex mente etiam Suarij non admittatur in beatis; vtique nec admitti debet, vt abſolutè terminatus ad pœnam; quia talis abſoluta terminatio ſtatui beatifico repugnat: quia beati ex efficacia dilectionis Dei nihil operari poſſunt, niſi in Deũ referatur; & quicquid in Deum non refertur, cenſetur inordinatum, & minus decens beatificum ſtatum.

Omnia in beatis à charitate imperantur.

35. De timorẽ pœnæ in priori ſenſu.

Nec his obſtat Caietani ſententia, quatenus cum charitate perfecta viæ admittit timorem pœnæ priori modo conſideratum. Ad hoc enim reſpondemus primo Caietani ſentẽtiam, vt in via admittatur, non proinde admittendam eſſe in Patria; quod idem Caiet. inſinuauit, dum de ſola via egit: eſt enim diſpar vtrobique ratio: quia in Patria beati nihil operari poſſunt, niſi cũ actuali relatione ad Deum; quod non neceſſario ſeruatur in via, quantuncũq; charitas ſit perfecta, vt ſupponimus. Quare admittimus in via poſſe aliquẽ per actum timoris abſolutè ferri in pœnam, vt eſt proprio bono contrariam abſque vlla actuali relatione in Deum: quod tamen in Patria non eſt admittendum.

1. Solutio.

36. 2. Solutio.

Reſpõdetur ſecũdo Caiet. ſententiam fortè nec in via eſſe admittendam: nam fundamentum, quo vtitur, in eum retorquetur: etenim doctrina cõmunis, quod creſcente charitate, minuitur timor pœnæ, non eſt intelligenda de charitate perfecta, ſed de inchoata: cui illud eſt argumento; quoniã timor pœnæ adhunc etiã ſenſum dicitur initium ſapientiæ, & dilectionis; quia introducit ad charitatẽ perfectam, vt ait D. Thom. in dicta q.19. art.8. ad 1. Quare acquiſita charitate perfecta, omnis timor pœnæ excluditur. Deinde creſcẽte charitate ideo diminuitur timor pœnæ, quoniam qui in charitate creſcit, minus mouetur ad agendum ex timore pœnæ: vnde timorem habet adiunctum ſub ratione motiui: quem timorem ſola charitas inchoata admittit; excludit verò perfecta, teſte D. Thom. & Caiet.

Explicatio communis Theologiæ.

37. 3. Solutio.

Poſtremo; quia timor abſolutè terminatus in pœnam cum ſit moraliter bonus, erit in Deum referibilis. Si igitur ſimul eſt cũ charitate perfecta, poteſt per eã in Deũ referri; & ſubinde habere rationem motiui, & ſub ratione pœnæ charitatem ipſam perfectam excitare ad agẽdum ex amore iuſtitiæ; quod Caietan, & alij negant. Ex his in eam adducor ſententiam,

vt

vt timor pęnæ, etiam prout abſolutè in pęnam terminatur, ſimul eſſe nequeat cũ charitate perfecta.

38. Confirmatur ſuperior reſolutio. Ex qua reſolutione magis confirmatur impugnatio datæ ſolutionis, & veritas concluſionis principalis, quam ſtatuimus ſcilicet *in Patria nullum futurum eſſe timorem pœnæ quocumque modo, & in quocumq́; ſtatu conſideretur.* Quę concluſio de timore pęnæ, vt eſt ratio motiua operandi, ab omnibus recipitur, etiam à Suario, vt vidimus, abſolutè verò ſũpta eſt cõmunior inter Theologos; quam, præter eos, quos pro ſententia negante citauimus, probarunt *D. Thom. 1. 2. q. 67. artic. 4. ad 2. & de virtutibus q. 4. art. 4. ad 2, & 2. 2. q. 19. art. 11. & Medin. 1. 2. q 42. ad finem Commenti, Caietan. 2:2. q. 19. art. 8. ad 2. D. Thom. Durand. in 3. diſt. 34. q. 3. num. 5. & q. 6. num.* 4. videtur eſſe ſententia *Auguſtin. tracta. 9. in 1. Ioan. & lib. 14. de Ciuitate Dei c. 9.* dum omnem timorem à Patria relegat, quem charitas foras excludit: charitas autem non ſolum excludit omnem timorẽ mundanum ſibi contrarium, & proinde malum; ſed etiam ſimilem, prout eſt bonus; ſiue ille ſit charitatis initium, ſiue cũ illa in timore initiali coniunctus, vt apud eum eſt videre.

D. Thom. Caietan. Medina. Durand. Auguſt.

§. 7.

Nullum futurum eſſe timorem culpæ.

39. Non erit timor culpæ. Quod verò in Patria nullus etiam futurus ſit timor culpæ, aut ſeparationis à Deo ſpectans ad timorem caſtum & filialem, ſi de verò timore ſit ſermo ſatis euidenter demõſtrat ratio generalis ſuperius adducta: nam beati certi ſunt, & ſecuri quod nullum vnquã peccatum admittent: ob quod fundamentum noſtram ſententiam expreſſe probauit *D. Thom. 1. 2. & de virtutibus in locis citatis, nec oppoſitum voluit 2. 2. q. 19. art.* 11. vt inferius videbimus: eandem ſentẽtiam probauit *Durand. vbi ſupra: eandem mihi probat Auguſt. in dicto cap. 9. diſputãs enim*, an in Patria maneat timor caſtus; & ſub dubio colligens partem affirmantem ex verbis Pſalmi, *Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi*; tãdem magis inclinat quod amor ille, ideo dicitur in ſæculũ ſæculi permanere; quia ſemper permanet Deus, ad quem ille timor perducit; quaſi inſinuans actum timoris caſti, quo culpa timetur, & ſeparatio à Deo, non manere in beatis. Poſita autem hac reſolutione ſimpliciter cõcludit nullum timorem in illis permanſurũ.

D. Thom. Durand. Confirmatur ex Auguſtin.

40. Placet hæc ſententia. 1. Cõfirm. Quam ſententiam ego puto eſſe veriſſimam; quam præter allatam demonſtrationem multis poſſumus confirmare. Primo ex cõmuni doctrina Theologorum; malum culpæ per ſe quidem non eſſe obiectum timoris, ſed propter occaſiones & circunſtantias adiunctas, quæ cauſã timendi habent ab extrinſeco: cum enim culpa ſit voluntaria, & noſtræ ſubiaceat poteſtati, non eſt malum arduum, ſi per ſe conſideretur; bene tamen ſi conſideretur ratione propriæ infirmitatis, & aliarũ circuſtantiarum, quæ ad peccatum ita inducunt, vt difficile ſit illud vitari; *De quo latè D. Thom. 1. 2. q. 42. art. 3. vbi Medina q. 2. & Theologi in 3. diſt. 34. vbi Durand. q. 4.* quod adeo verum eſt, vt ex ſententia D. Thom. occaſiones illæ potius dicantur timeri, quã culpa. At in beatis nulla adeſt circunſtantia, quę ad peccandum inducat, nulla propria infirmitas, nulla denique peccandi occaſio, quæ propriè timeri poſſit. Ergo nullus in bèatis dabitur verus timor culpæ.

D. Thom. Medina.

41. 2. Cõfirm. ex Caietan. Deinde confirmari poteſt: ex doctrina *Caietan. 2. 2. q. 19. art. 8. & 10.* timorẽ caſtum, & filialem, quatenus terminatur ad ſeparationem à Deo per culpam, vt futuram, & poſsibilẽ, eo plus diminui, quo charitas plus augetur, & creſcit: quanuis enĩ creſcente charitate magis æſtimetur, & apretietur malũ culpæ, & ſeparationis à Deo; & ob hanc rationem appetitus magis fugiat, & abominetur malum illud: timor tamen illius mali ex illius poſsibilitate naſcens magis decreſcit, & diminuitur: quia nimirum iudicatur minus poſsibile quoad executionem, & futuritionem, ex cuius exiſtimatione inſurgit timor. Ex qua veriſsima doctrina ab omnibus recepta, etiam ab Auguſt. in dicto tract. 9. nõ ſolùm infertur charitatem eo eſſe magis perfectã, quo minorem includit timorem executionis poſsibilis; & è contrariò eo imperfectiorem, quò cum maiori timore coniuncta eſt: ſed etiam infertur charitatem tandiù eſſe imperfectam, quandiù aliquem timorem in ſe includit: niſi enim ex timore incluſo imperfectionẽ aliquã ſumeret; profectò nõ eo redderetur perfectior

fectior, quo magis à timore ſoluitur, ac veluti defęcatur: cũ vero negandum non ſit charitatem Patriæ eſſe perfectiſsimã ſublata omni imperfectione; Profecto concedendum eſt, eam in Patria eſſe liberam ab omni timore culpæ.

41. Obiectio. Si verò dicas fieri nõ poſſe, vt charitas, etiam in Patria, ab illa imperfectione omnino liberetur; quia mali poſsibilitas, auferri non poteſt, quæ ſatis eſt ad timorẽ, Reſponſio. reſpondebo ſatis eſſe hoc abſurdum, vt aduerſariorum opinio improbabilis cenſeatur: nam ſi cætera beatitudinis bona in Patria ſũt ab omni imperfectione libera; qui fieri poteſt, vt ſola charitas, quæ omnib⁹ illis antecellit, ſit imperfecta? Quod ſi hoc abſurdum non eſt admittendum, ſed concedendum in Patria omnem timoris fæcem a charitate caſto vt timore auferri; ſtatuendum eſt neceſſariò timorem ex natura ſua terminari ad malum ſecundum futuram executionem poſsibile, & hanc creſcẽte charitate ideo diminui; quia diminuitur poſsibilitas futuræ executionis; & per conſequens vbi nulla poſsibilitas futuræ executionis permanet, nullũ permanere verum timorem, etiam filialem. Cum igitur in Patria charitas ſit conſummata, quia facta eſt inamiſsibilis; vtique charitas Patriæ erit libera ab omni prorſus timore, etiam filiali; cum iam ab ea ſublata ſit omnis poſsibilitas futuræ executionis: nam licet maneat abſolutè poſsibilitas exequendi; nulla tamen manet poſsibilitas, quod executio ſit futura: licet enim Deus abſolutè loquendo potuiſſet malum illud inferre; poſita tamẽ determinatione diuinæ voluntatis de nõ inferendo illo malo, nulla manet poſsibilitas futuræ executionis, quæ eſt veri timoris obiectum.

43. 3. Argum. Tertio poſſumus ad hominẽ argumentari contra Medinam, qui à beatis omnẽ timorem pœnæ nobiſcum excludit: nam ſi ſola abſoluta poſsibilitas culpæ ſatis eſt, vt in Patria maneat verus eius timor; cũ eadem poſsibilitas abſoluta maneat ad malum pœnæ, cur non etiam manebit verus timor pœnæ? quare melius quoad hoc Theologizauit Suarius, qui vtrumque timorem admiſit ratione poſsibilitatis abſolutæ vtriuſque mali.

44. Solutio ex Medina. Huic tamen difficultati ocurrit Medina in fine præcitati Cõmentarij inquiens diuerſam eſſe rationem inter malum pœnæ, & culpæ: tum; quia malum pœnæ nõ decet illum ſtatum: tùm ſecundo; quia timor pœnæ oritur ex amore proprio: beati autem ſi timent, propter amorem Dei timent. At neutra ſolutio difficultatem tollit: non prima; quia malum culpæ magis dedecet ſtatum beatificum. Nec ſecunda; quoniam etiã ſi timor pœnæ oriatur ex amore proprio, & ex eo immediatè eliciatur; tamen ſublata ſeruilitate poteſt ſimul ſtare cũ charitate, & ab ea imperari; cur igitur talis timor benè ordinatus non erit in Patria, ſi in ea manet proprium, & per ſe illius obiectum? Et hæc ſatis ſint pro confirmatione noſtræ ſententiæ. Non recipitur.

§. Octauus, & vltimus.

His omnibus, quæ reſoluimus maximè videntur obſtare argumenta, quæ pro parte affirmante adduximus §. 1: ſed ex ijs, quæ de dono timoris latius dicenda ſunt in libro 5, facilè intelliges illa, quę adducuntur in contrariũ, intelligenda eſſe de actu timoris largè, & impropriè ſumpti; qualis eſt actus, tùm doni timoris; tũ timoris filialis: nec eni hi timores habent veram; & propriã rationem timoris, vt in citato loco latius oſtẽdemus. 45. Ad fundamentum adueſariorũ.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in appetitu iraſcibili maneant actus aut audaciæ, aut iræ?

Actum audaciæ in beatis non futurum, res eſt ſine vlla controuerſia: cum enim aggrediatur pericula ardua propter vitandum malum iminẽs, quod exiſtimatur futurum, vt patet ex *D. Thom: 1. 2. q. 23. artic. 2. & 45. artic. 1.* & eſt recepta omnium ſententia: in Patria autem nullum imineat malum, quod à beatis vitandum ſit, ne veniat, nullum etiam detur periculum ſubeundũ ad euitandum malum; neceſſariò infertur nullum in beatis futurum eſſe actum audaciæ, quod fatetur *D. Thom. 1. 2. q. 67. art. 1.* ſupponit enim actus iſte imperfectionem ſtatus, nimirum quod ille ſit malis & periculis expoſitus, cum tamen ſtatus gloriæ ab omnibus malis, & periculis ſit ſegregatus. 46. De audacia. *D. Thom.* *D. Thom.*

Quid

Quid de Ira.

2. De Ira. ¶ Idē dicendū eſt de ira, cuius actus propter imperfectionem, quam includit, nō poteſt eſſe in beatis: etenim teſte Ariſto. 2. Rhet. cap. 2. Ira eſt libido cum dolore ſperatæ punitionis, & vindictæ: vnde per ſe includit, tùm dolorem, ſiue triſtitiam; tùm etiam appetitum vindictæ, & punitionis; cauſatur enim ex malo iam exiſtē-
D. Thom. te, vt paſsim docet *D. Thom.* 1. 2. q. 46. *ar.* 1. *&* 3. *p. q.* 15. *art.* 9. Ex quo malo, & triſtitia exardeſcit animus, tùm vt à ſe malū depellat: tùm vt de eo vindictā ſumat ab authore illius. Cum igitur nec vllum futurum ſit malum, quod depellatur; nec vlla triſtitia, vt iam oſtendimus; nulla etiā in Patria poterit eſſe ira propriè ſumpta.

Quod ſi in ſacris literis, vel apud Patres ira tribuatur beatis (vt tribuit Agno Dei
Apoc. 6. Apocalypſis 6.) id eſt intelligendum de ira metaphoricè ſumpta, vt omnes exponunt.

QVÆSTIO XVII.

De quibuſdam actibus, qui ad appetitum ſenſitiuum pertinent.

Antequam dicamus de habitibus appetitus ſenſitiui, operæpretium erit nonnulla dicere de quibuſdam actibus, qui ad appetitum ſenſitiuum reducūtur; nimirū de admiratione, riſu, & fletu: tres igitur erunt huius quæſtionis articuli. Primus; vtrum in beatis dari debeat admiratio? Secūdus; an in illis futurus ſit riſus? Tertius; an aliquis fletus futurus ſit in eis?

ARTICVLVS I.

An in beatis dari debeat admiratio?

§. I.

Ad quam potentiam admirationis pertineat?

1. De admiratione. Vt res iſta clarius explicetur, inquirendum prius erit, ad quam nam potentiam admiratio pertineat: an pertineat ad appetitum? an verò ad intellectum potentiamque cognoſcitiuam, qualis eſt cogitatiua? Eſt enim de hoc nonnulla controuerſia.

2. Quod pertineat ad appetitum. Quod pertineat ad appetitum, tam intellectiuum, quàm ſenſitiuum, ſatis docet *D. Thom.* 3. *p. q.* 15. *art.* 9. vbi admirationē inter actus appetitus poſuit: quin potius admirationem formaliter conſiſtere, vel in affectu deſiderij, vel in affectu timoris, ſatis explicat 1. 2. *quæſtio.* 32. *artic.* 8. *& q.* 41. *art.* 4. *& de veritate q.* 26. *art.* 4. *ad* 7: nam in primo loco expreſsè ait admirationem eſſe deſiderium ſciendi: in ſecundo autem & tertio eam enumerat inter ſpecies timoris; denique affirmat admirationem eſſe actum appetitus, à duobus explicatis non diſtinctum: quem in hoc plures ſequūtur, inter quos eſt *Suarius* 1. *tom. ad* 3. *p. q.* 15. *art.* 9. *in Commentario art. in fine:* quam opinionem non reijcit *Curſus Conimbricenſ.* 3. *de Anima cap.* 13. *q.* 1. *art.* 5. *in fine.* D. Thom. Suarius. Conimbr.

3. Quod pertineant ad intellectum. Oppoſitam tamen ſententiam, (quod ſcilicet admiratio non pertineat ad appetitum, vel intellectiuum, vel ſenſitiuum, ſed ad intellectū atque cogitatiuam) plures amplectuntur; & hanc ſententiā eſſe probabiliorem putat *idem Curſus Conimbric. loco citato*, vbi non ſolùm docet admirationem nō pertinere ad appetitum: ſed etiam addit, ſi ad appetitum etiam pertineat; eam non pertinere ad ſenſitiuū, ſed ſolum ad intellectiuum. ¶ In quo tamē nō eſt audiendus: nā cū cauſa admirationis nō ſolùm detur in intellectu; ſed etiā in cogitatiua (etenim ſicut intellectus poteſt aliquid nouum concipere, quod ſit inuſitatum; ita etiam cogitatiua circa effectus ſenſibiles) vtique in vtroque appetitu, intellectiuo ſcilicet, & ſenſitiuo, dabitur admiratio. Conimbr. Non recipitur.

4. Vera reſolutio. Vera reſolutio ſit admirationē ad appetitum potius pertinere; non dari tamē ſine actu intellectus, quo cauſa admirationis appetitui præſentetur. Porrò ex parte intellectus non datur vnicus actus, ſed plures: quia primum occurrit obiectum cauſans admirationē: deinde cognoſcitur ratio cauſa vè admirationis: tertio conſequitur fictio quædam mentis, ſiue cogitationis: 1. fixa quædam, & intenſa conſideratio, ſiue cogitatio talis rei, cum ſuſpēſione animi, vt optimè annotarunt Conimbric. loco citato, & ſatis eſt de mente *D. Thom.* 1. 2. *q.* 41. *art.* 4. *ad* 5. dum ait, qui admiratur, primū quidem ſuſpenſum tātiſper fieri, quaſi ſententiæ defectum, & errorem

errorem timeat;& tandem cauſam indagare: nam ex admiratione ortum habuit Philoſophia ex Ariſtot. 1. Metaph. cap. 1. Et in hac animi ſuſpenſione atq; fixione ex parte intellectus admiratio formaliter conſiſtit, vt idē Conimb. aduerterūt.

5. De cauſa admirationis. Quamuis autē hæc mentis fixio vnius ſemper ſit rationis; tamen duo priores actus non ſemper ita ſe habent: nam res, quæ admirationem cauſat interdum poteſt eſſe bona,& interdum mala, vt aduertit *D. Thom. 1. 2. q. 41. artic. 4. ad 2.* Ratio autem,& cauſa admirandi non ſemper eſt eadem: nam: vt ait Auguſt. Epiſtol. 102. *Cauſa admirationis ſunt, cum vel ratio cuiuſque rei latet: vel eadem res vſitata nō eſt, ideo, quia vel ſingularis, vel rara eſt.* Auguſtinus igitur duplicem admirationis cauſam aſsignat: nimirum, vel ignorationem cauſæ rei, quæ nos in admiratione tenet; vel nouitatem ipſius; quia nimirum rara eſt & inſolita. Ob priorē cauſam Philoſophi à principio naturales rerum effectus admirati ſunt; eorum enim cauſas ignorauerunt,& hæc admiratio fuit philoſophādi initium: Nos etiam modo admiramur ſupernaturales effectus; quia nimirū illorū cauſa, & ratio noſtram intelligendi facultatem excedit. Ob poſteriorem verò admiramur ea, quæ, licet naturaliter contingunt; tamen vel raro contingunt; vel nouo quodā,& inſolito modo; & ob id, ſi qui in aliqua perfectione, vel roboris, vel ſciētiæ, vel etiā ſanctitatis notabiliter excedunt, ſunt nobis in admiratione.

6. Ad has cæteræ reducuntur. Ad has igitur duas cauſas cæteræ ōnes reuocantur: nā quādo cauſa naturalē noſtrā facultatem excedit (vt cōtingit in miraculis) licet intelligamus cauſam illius miraculi eſſe Deū, modum tamē quo fit, ignoramus: quare vnicā,& non duplicem admirationis cauſam tetigit D: Tho. 1. 2. q. 33. art. 8. quando verò ex incōprehenſibilitate alicuius excellentiæ inſurgit admiratio, ad eandem etiam cauſam reduci poteſt, vt dicemus.

7. Quomodo ſit eiuſdem rationis. Ex dictis inferes ex parte quidem intellectus admirationē alterius eſſe rationis; non tamen ex parte appetitus: primū patet; quoniam, etſi admirationis obiectum, ſimiliter etiā ratio, & cauſa illius nō ſemper eſt eiuſdem rationis, vt ex dictis patet; tamen ipſa mentis fixio,& ſuſpenſio eandē ſēper rationem habet. Secūdum autē facilè colliges ex his, quæ in citatis locis docet D. Tho. & aduertit Suarius vbi ſupra: nam ſi res, quæ in admiratione eſt, bona eſt, admiratio ex parte appetitus, vel eſt deſideriū ſciendi cauſam, vel cōplacētia cauſans laudationē. Si autē eſt incōmoda, & malum aliquod inferēs; tunc admiratio formaliter cōſiſtit in quodam timore, qui ex diuerſitate cauſæ, & circuſtantiarum eius appellatur, vel admiratio ſimpliciter, vel ſtupor, vel agonia vt colliges ex D. Tho. 1. 2. q. 41. ar. 4. quę latius explicare, non eſt huius loci.

§. 2.

Ponitur reſolutio quæſtionis.

HIs ita præmiſsis ad propoſitā quæſtionē dicendū eſt primo certiſsimū eſſe nullam in beatis dari admirationē, quæ ex malo aliquo, & incōmodo ortum habeat. Probatur: tū; quia in Patria, nec vllum poteſt dari malum; nec vllus verus timor, vt iam oſtēdimus. Iam verò admiratio orta ex malo ad aliquam ſpeciem timoris pertinet. 8. Reſolutio. 1. Aſſertū.

Deinde certiſsmū eſt nullam futuram eſſe in beatis admirationem circa aliquē naturalem effectum: nā cum beati omniū rerum naturalium perfectam habeant ſcientiam; omnium effectuum cauſas perfectè cognoſcunt. 9. 2. Aſſertū.

Tertio certiſsimum eſt dari in beatis verā,& propriam admirationem, diuinæ excellentiæ. & perfectionis. Concluſio eſt *D. Gregor. 17. Moralium cap. 15. in principio*: explicans enim illa verba Iob. 26. *Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutū eius*: hæc ſcribit verba: *Ipſæ quoque virtutes cœleſtium, quæ hunc ſine ceſſatione conſpiciunt, in ipſa ſua contemplatione contremiſcunt: ſed idem tremor, ne eiſdem pœnalis ſit, non timoris eſt, ſed admirationis.* Videntes igitur beatæ mentes incomprehenſibilitatē diuinæ excellentiæ, ſupendunt mētes, ac refugiunt iudicium ferre, & altius diu iam maieſtatem perſcrutari: quod etiam colliges ex *D. Dionyſio cap. 13. de cœleſti Hierarchia*, & ex Chryſoſt. in cap. 6. Iſaiæ, dum viſionem ibi relatā explicant. Cauſa verò huius admirationis, quāuis ad vtrāq; ab Aug. explicatā reuocari poteſt; potius tamē reuocabitur ad priorem: quāuis enim admiratio illa ex ignorantia pro- 10. 3. Aſſertū. *D. Grego. Iob. 26.* *D. Diony. Chryſoſt.*

priè non procedat; procedit tamē ex imperfectione ſciētiæ creatæ, quæ cū ſit ordinis inferioris diuinā excellentiā cōprehendere nō valet. deficiēs igitur in illius contemplatione admiratur, & ſuſpenditur: quæ ſuſpenſio in voluntate cauſat nō quidem deſiderium comprehendendi (quia id eſt impoſsibile) ſed complacentiam quandam, & deſiderium laudandi diuinam maieſtatem.

11. 4. Aſſūptū. Quarto loco nō dubito in die Iudicij, & poſt illum futuram eſſe in beatis admirationem, etiam ſenſibilem; quia pleraq; videbunt noua, & inſolita, quæ erunt admirationi: videbunt enim miraculoſam omnium corporum reſurrectionem: corporum beatorum inſolitam pulchritudinem, & moſtruoſam damnatorum diffor mitatem: videbunt gloriam Chriſti venientis atque ſedentis; videbunt denique cœlorum perfectiones; quæ omnia, tanquam noua, & inſolita non poterunt non admirari, etiam ſenſibiliter. Quin potius cum in Patria in perpetuum futuræ ſint multorum mirabiliū illuminationes; cur non dabuntur in beatis admirationes, etiam ſenſibiles?

ARTICVLVS II.

Vtrùm in beatis poſt reſurrectionem dandus ſit riſus?

1. De riſu. NOn erit à noſtra diſputatione alienum aliquid dicere de riſu, & fletu: quoniam etſi riſus formaliter conſiſtit in quadam oris, & faciei deductione; quod pertinet ad potentiam loco motiuam: fletus verò in lachrymarum ex oculis effuſione: quia tamen riſus ad explicandum gaudium; fletus verò ad triſtitiam ſignificandā eſt inſtitutus; vterq; ad appetitum ſenſitiuum aliquo modo ſpectat.

2. Non eſt dādus. D. Gregor. De riſu ex ſacris literis nihil habemus; at illum non eſſe futurum in Patria expreſsis verbis docuit *Diuus Gregorius lib.* 8. *Moralium c.* 31. ad illa verba Iob. cap. 8. *Donec impleatur os tuum riſu*, ita ait; agens de ſtatu Patriæ: *Non autem tunc riſus erit corporis: ſed riſus cordis: riſus enim nunc corporis de laciuia diſſolutionis; nam riſus cordis tunc de lætitia naſcetur ſecuritatis.* Quibus verbis, & riſum denegat beatis, & cauſam huius negationis aſsignat: *riſus; (inquit) corporis; de laciuia diſſolutionis eſt*: quia ea, quæ riſum mouent, ſunt res leues, & ludicræ, habentes argutiam quandam, & concinnitatem ad aliud, *vt ex Fra Fracaſtorio in libro de Sympath capi.* 25. *docent Conimbricenſ.* 3. *de Anima cap.* 13. *quæſtio. prima, articulo ſexto*, & ob id ſenes, & viri graues ac Philoſophi non facile rident: & plerique de Chriſto Domino ſcribunt, quod nunquam riſerit. Fra Fracaſtor.

ARTIVLVS III.

An futurus ſit actus fluendi.

QVod in Patria nullus futurus ſit fletus, res eſt de Fide certa Iſaiæ 25. *Auferet enim Dominus lachrymam ab omni facie.* Apocalypſis 7. *Et abſterget omnem lachrymam ab oculis eorum.* Et cap. 21. ſcribitur: *Mors vltra non erit, nec luctus*: nulla enim ibi erit triſtitia, nullus dolor, qui luctum cauſet. Et quia hæc de fide ſunt certa, ſatis ſit hæc dixiſſe. 1. Non eſt fletus.

QVÆSTIO XVIII.

De qualitate actuum appetitus ſenſitiui?

SVpereſt duo inquirere de actibus appetitus ſenſitiui: vnum eſt; an omnes actus illius in beatis futuri ſint voluntarij? alterum eſt; an in illis habituri ſint veram rationem paſsionis?

ARTICVLVS I.

An omnes actus appetitus ſenſitiui futuri ſint voluntarij in beatis?

CVm appetitus ſenſitiuus in homine ſit rationalis ſecūdum participationem, poteſt dirigi, & non dirigi à ratione; quia poteſt rationem præuenire; & poteſt eam non præuenire: ſed ab illa moueri. Porrò à ratione moueri poteſt duobus modis: vno poſsitiuè; quādo ſ. à ratione cum poſitiuo, & perfecto voluntatis conſenſu mouetur: altero modo permiſsiuè; vt quando præcedente rationis aduertentia voluntas permittit appetitum operari, quæ illi ſunt propria: qui operan- 1. An futuri ſint voluntarij.

Suarius operandi modus ex ſententia *Suarij primi tom. ad. 3. p. diſp. 34. ſect. 1. §. Sed quæres* potuit eſſe in Chriſto, & probabiliter in eo fuit: cuius portio ſuperior ſæpius permiſsit inferiori operari quæ illius erant propria. Inquirimus igitur; an appetitus ſenſitiuus beati eos actus, quos in Patria habebit, ſemper habiturus ſit à voluntate voluntarie imperatos; non quidem permiſsiuo, ſed poſitiuo conſenſu: ſupponimus enim appetitum in beatis non poſſe rationem prçuenire, ſed neceſſario ab ea ſemper præueniri, vt inferius dicemus *in quæſt. 19. in qua de fomite diſputabimus.*

2. Ratio dubitandi pro negante. Ratio autem dubitandi ſumi poteſt ex ſententia, quam immediate ex Suario retulimus: nec enim iſte modus operandi fuit neceſſarius in Chriſto: ſed ſatis illi fuit, vt præeunte rationis aduertentia portio ſuperior permitteret inferiorem operari, quæ illius erant propria. Ex quo infertur hunc operandi modum ex ſua ratione nullam imperfectionem includere; licet minus ſit perfectus quam ille prior.

3. Alia ratio. Accedit; quia non videtur vnde deducatur neceſsitas operandi priori modo, vt ſcilicet appetitus ſenſitiuus ſemper moueatur in beatis à poſitiuo voluntatis conſenſu: neq; enim hæc neceſsitas neceſſario deducitur ex perfecto, & abſoluto dominio, quod anima beata habet in corpus glorioſum: quia licet hoc dominium inferat, appetitum ita ſubijci animæ, vt ab ea ſemper, & in omnibus præueniatur; non tamen videtur neceſſarium inferre eum debere ſemper præueniri à conſenſu poſitiuo, quaſi voluntas ſemper debeat poſitiuè velle, quod vult appetitus.

4. 3. Ratio. Denique; cum hoc ad experiendam voluntatis libertatem ſpectet; non videtur beatis denegandus talis operandi modus: quamuis prior, tanquam perfectior, futurus ſit ordinarius.

5. Ratio pro parte affirmante. Pro altera parte illud vehementer vrget; quia beatus omnia debet operari propter Deum, in ordine ad Deum: ex hoc enim habet ſuam impeccabilitatem: iam verò omnis operatio propter Deum poſitiuum habere videtur conſenſum.

Tu rem conſideratius expende.

ARTICVLVS II.

An actus appetitus in beatis habituri ſint veram rationem paſsionis.

EX dictis conſtat in beatis futuros eſſe affectus, & actus appetitus ſenſitiui; qui in nobis verè, & propriè dicuntur paſsiones. Inquiri igitur poteſt; an in beatis ſimiliter dici poſsint, & debeant paſsiones? Et pro parte negatiua facit; quoniam *Diuus Hieronymus Matthæi 5. & 26. ad illa verba cæpit triſtari & in Epiſt. 22. ad Euſtochium* de cuſtodienda virginitatę refugit admittere in Chriſto nomen paſsionis ſimpliciter dictum. Ergo nec etiam ſimpliciter admittendum eſt in beatis. 1. An actus illi ſint paſsiones.

¶ Pro affirmante tamen parte facit ſententia oppoſita, quæ affirmat præcitatos affectus in Chriſto verè, & propriè fuiſſe paſsiones: nam, & Concilia, & Patres, & Theologi ſimpliciter docent in Chriſto fuiſſe paſsiones appetitus ſenſitiui, vt videre eſt apud *Suarium in dicta diſp. 34. ſect. 1. §. vltimo.* Cur igitur in beatis nõ dicentur paſsiones? 2. Pro affirmãte.

Reſpondendum tamen eſt negatiuè; *Hos ſcilicet affectus in beatis non habere rationem paſsionis, nec ſimpliciter dici poſſe paſſiones*: non propter fundamentum Diui Hieron. quia, ſcilicet nomẽ paſsionis ſimpliciter dictum in malam partem vſurpatur, vt dicat effrænem quandam, & inordinatam concupiſcentiam: nam licet hoc nomen in malam partem aliquando ſumatur; non tamen ſemper: vnde præcitati actus appetitus ſenſitiui nõ ob eam rationem dicti ſunt paſsiones, quod præueniant rationem, & ſint inordinati; ſed ob eam ſolùm, quia fiunt cum aliqua nõ naturali mutatione corporis: hæc enim eſt diffinitio paſsionis quæ à Philoſophis traditur, vt patet ex *Conimbric. in Ethicis diſp. 6. q. 3. articu. 1. de quo D. Thom. 1. 2. q. 22. & de veritate quæſt. 26. art. 3.* & paſsim alibi. Cũ igitur in corpore glorioſo ratione ſuæ incorruptibilitatis non poſsit dari noua alteratio, mutatioque realis; ne dũ mutatio non naturalis, vt libro quinto dicemus; actus appetitus ſenſitiui in beatis non habebunt rationem paſsionis propriiſsimè ſumptæ, quæ ex diſpoſitione ſecundum naturam perducit ad eam, quæ ſecundum naturam non eſt. Quin imò nec 3. Negatio vera. Non recipitur ratio. D. Thom. Conimbr. 4.

nec dici poſſunt paſsiones propriè ſumptæ; prout, ſcilicet paſsio propriè ſumpta importat receptionem alicuius rei cum abiectione alterius, tanquam contrarij: quia nec talis corruptio datur in corpore glorioſo: bene tamen dici poſſunt paſsiones lato modo; prout paſsio ſolum importat receptionem alicuius rei abſtrahendo, quod per eam aliquid abijciatur, vel non abijciatur: quia appetitus beati vere, & realiter recipit ſuos actus, cũ ſint immanentes.

5. Diſpar ratio in Chriſto & in beatis. Nec eſt eadem ratio de beatis, & de Chriſto viatore: quia corpus Chriſti viatoris; cum adhuc eſſet paſsibile, capax erat paſſionis ſtrictiſsimè ſumptæ cuius modo iam non eſt capax, cum ſit glorioſum.

6. Non eſt de ratione paſſionis fieri cũ alteratione. *Suarius.* Ex quibus inferes non eſſe de ratione affectuum appetitus ſenſitiui, quatenus illius ſunt, quod fiant cum aliqua reali paſsione, alteratione ve corporis, vt benè annotauit *Suarius ſecundo tomo. diſput.* 47. *ſect.* 6. §. 4. *igitur*: fient tamen cum aliqua locali motione, vel ſpirituum vitaliũ, vel ſanguinis, aliorum ve humorũ: quia hæc localis mutatio, cum ſine alteratione poſsit fieri, non repugnat corpori glorioſo, vt idem Suarius aduertit, & nos ſuperius diximus.

QVÆSTIO XIX.

De habitibus appetitus ſenſitiui.

IN ſuperioribus diximus de actibus appetitus ſenſitiui, & explicauimus qui nam illorum maneãt in Patria? conſequenter agendum eſt de habitibus eiuſdem appetitus; & inquirendum; an habitus, & virtutes appetitus ſenſitiui maneant in Patria? Pro cuius difficultatis explicatione duos articulos in hac quæſtione excitabimus.

Primus inquiret; an in appetitu ſenſitiuo dentur aliqui habitus, tam naturales, quam infuſi?

Secundus directè inquiret; an illi habitus in reſurrectione ſint beatis reſtituendi?

ARTICVLVS I.

An in appetitu ſenſitiuo dentur aliqui habitus?

HÆc quæſtio non poteſt non præmitti ante quæſtionem ſequentem: cum enim in ſequenti articulo inquirere debeamus; an beatis reſurgentibus redituri ſint habitus appetitus ſenſitiui; neceſſario ſupponimus in eo dari habitus. Oportet igitur expendere huius ſuppoſitionis veritatem. 1. An in appetitu dentur habitus.

Ad quæſtionem igitur affirmatiuè reſpondendum eſt: nam licet non parua ſit controuerſia inter Theologos; an virtutes morales in appetitu ſenſitiuo ſubiectentur; an verò in ſola voluntate? (his partem affirmantem cum D. Thom. illis negantem cum Scoto defendentibus) omnes tamen conueniunt vtrumque appetitum, concupiſcibilem, ſcilicet, & iraſcibilem, eſſe ſubiectum habitus boni, & mali, quibus appetitus ſenſitiuus benè, vel male circa proprias paſsiones diſponatur: Vnde qui negantem partem probant, admittunt habitus in vtroque appetitu, quãuis negent eos habere perfectam rationẽ virtutis: quæ fuit ſententia *D. Bonauen. in* 3. *diſt.* 33. *artic.* 1. *quæſt.* 3. *& Richard. ibidem art.* 1. *quæſt.* 1. *quam ſequutus eſt Scotus in eodem loco cum ſuis omnibus. Eandem probarunt Nominales, ſ. Ochamus in* 3. *quæſt.* 10. *&* 11. *& quodlib.* 2. *quæſt.* 16. *Gabriel. in* 3. *diſt.* 33. *q.* 1. *& diſt.* 23. *q.* 1. *Almain. in ſuis Moralibus tractat.* 3. *cap.* 6. *Buridan.* 1. *Ethic. q. vltima; & fuit Henric. quodlib.* 4. *q.* 22. quam ſententiam plerique ex recentioribus putant eſſe probabiliorem. 2. Affirmatio vera. *D. Bonau. Richard. Scotus. Ocham. Gabriel. Almain. Buridan. Henricus.*

3. 1. Ampliat. Imò eam ampliant, vt velint in appetitu ſenſitiuo generari poſſe habitus adiuuantes vſum earum virtutũ moralium, quæ omnium conſenſu in ſola voluntate ſubiectantur: quales ſunt iuſtitia, religio, & cætera, quæ non circa moderandas paſsiones, ſed in ordine ad aliũ ſe habent: poteſt enim appetitus aſſueſcere actibus amãdi, deſiderandi, & ſperandi bonum alterius, & timendi malum, & gaudendi cũ ab altero poſsidetur bonũ. Quin potius appetitus ſenſitiuus aliquo modo excercetur, & vi conſuetudinis diſponitur ad actus, qui verſantur circa Deum. ſ. ad dolendum de peccatis; ad gaudendum de rebus diuinis & cæt. Cur igitur ex hac aſſuetudine, & exercitio non relinquetur habitus in appetiu ſenſitiuo?

4. 2. Ampliatur. Ampliatur ſecundo; vt appetitus ſenſitiuus capax ſit habituum, & virtutum mora-

moralium infuſarum, vt patet Ex *Medina* 1. 2. *q.* 63. *art.* 3. *in vltimo dubio*, quæ ſẽtentia licet aliquibus non placeat; probanda tamen eſt illis, qui cum D. Thom. putant virtutes morales recipi in appetitu ſenſitiuo. *Medina.*

5. Quicquid tamen ſit de veritate harum opinionum; ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt omni conſenſu admittendos eſſe aliquos habitus in appetitu ſenſitiuo. Vnde merito inquirimus; an habitus atque virtutes, quæ dantur in ſenſitiuo appetitu, ſint in Patria reſtituendi?

ARTICVLVS II.

Vtrùm habitus appetitus ſenſitiui ſint beatis reſtituendi?

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

1. Variæ ſententiæ. 1. Opinio negat. DE hac quæſtione varias inuenio ſententias. Prima eſt ſimpliciter negatiua, quę pluribus placuit; qui ſimpliciter negãt habitus vtriuſque appetitus ſenſitiui futuros eſſe in Patria poſt reſurrectionem, ſiue illi acquiſiti ſint, ſiue infuſi: quæ ſententia ſatis videtur placere *Durand. in* 3. *diſt.* 33. *q.* 4. vbi admittit quidem habitus virtutum moralium, qui in voluntate inſunt, manſuros eſſe in beatis; non tamen illos, qui ſunt in appetitu ſenſitiuo. Hæc opinio nonnullis rationibus confirmatur. *Durand.*

2. 1. Ratio. Prima ſumitur ex eo quod Philoſophi antiqui in beatitudine naturali, quã poſt mortem agnoſcebant, nullas virtutes morales admittebant. Ergo nec agnoſcerent aliquos habitus in appetitu ſenſitiuo. Cõſequentia videtur nota. Antecedens verò ꝓbatur teſtimonio Ciceronis in ſuo Hortenſio, vbi antiquorum Philoſophorum placitò hanc probat opinionem.

3. Confirmat. Confirmatur; quoniam ex ſententia Ariſt. 10. Ethic. c. 8. ridiculum eſt in Angelis ponere virtutes morales: at poſt reſurrectionem beati erunt ſicut Angeli, vt habetur Matthæi 22.

4. 2. Ratio. Secunda ratio ex eo ſumitur; quia in Patria non dabuntur actus illarum virtutum, & habituum moralium, qui ſunt in appetitu ſenſitiuo. Ergo nec dabuntur illorum habitus: cõſequentia videtur nota: quia habitus operatiuus ex ſua natura eſt propter actum; cum ad illum, tanquã ad finem ordinetur: alioquin in Patria eſſet otioſus. Antecedens verò probatur: tùm; quia habitus ſiue virtutes, quæ ſunt in appetitu ſenſitiuo, verſantur circa proprias paſsiones, tanquam circa obiecta: in Patria verò non erunt paſsiones, quæ regulentur: tùm ſecundo; quia fortitudo verſatur circa pericula, moderando timorem, & audaciam: temperantia circa concupiſcentiam ciborum, venereorum, & ſimiliũ: at in Patria nõ erunt cõcupiſcentiæ, nec timores, nec audaciæ: tùm tertio; quia *D. Gregor.* 6. *Moralium: capit.* 29. *ante finem*: affirmat opera vitæ actiuæ tranſire cum corpore: ea igitur non erunt futura in beatitudine cœleſti, quod etiam affirmat Auguſt, in ſermone de aſſumptione Domini. *D. Greg.*

Tertia ratio inde deducitur, quod appetitus ſenſitiuus corrumpitur per mortẽ; & ex cõſequenti cum eo corrumpentur omnes habitus, & virtutes in eo exiſtentes; non eſt igitur quod reſtituãtur: quibus ſi addas eundem numero habitum corruptum nec per diuinam potentiã reſtitui poſſe, vt plerique volunt; nulla ratione dici poteſt habitus appetitus ſenſitiui in Patria permanere. 5. 3. Ratio.

¶ Alij ſentiam ex diametro oppoſitam amplectuntur, ſimpliciter affirmantes in Patria futuras eſſe omnes virtutes morales; nõ ſolùm quoad habitum; ſed etiã quoad aliquẽ earum actum: quæ ſententia inter Theologos eſt cõmnior: quam probat D. *Thom.* 1. 2. *q.* 67. *artic.* 1. *& ſatis videtur placuiſſe Aug* 14. *de Ciuitate Dei c.* 9. Cũ verò ex virtutibus moralibus plures ſint in appetitu ſenſitiuo, vt in 1. art. cõſtituimus, benè infertur appetitui ſenſitiuo beatorũ reſtituendos eſſe habitus virtutum moralium. 6. Opinio affirmans. *D. Thom. Auguſt.*

Inter vtramque iſtam ſentẽtiam quidam, veluti medij incedunt: ſed non omnes eadẽ via: etenim D. Thom. olim exiſtimauit virtutes morales acquiſitas ſimpliciter nõ permanere in Patria; benè tamen infuſas: ita, *D. Thom. in* 3. *diſt.* 33. *q.* 1. *art.* 4. *& de virtutibus cardinalibus artic.* 4. Alij putant tres quidẽ virtutes cardinales (prudentiam, inquam, fortitudinem, & temperantiam) nulla ratione, aut quoad actum, aut quoad habitum permanere: 7. Media opinio variat.

benè tamen iuſtitiam: illæ enim tres verſantur circa paſsiones moderandas, quæ in Patria non dabuntur: hæc verò verſatur circa Deum, cui tribuit debitam ſubiectionem, & ſeruitutem. Quæ ſententia non omnino videtur improbabilis *Auguſtin. 14. de Trinitate cap. 9.* Non deſunt, qui nullius virtutis moralis actum in Patria admittant: admittant tamen habitū earum, quæ ſunt in voluntate; non tamē earum, quæ ſunt in appetitu ſenſitiuo: hæ enim, vel non redeunt; vel ſi redeunt, non redeunt eædem numero, quæ fuerunt, & ob id non propriè dicuntur permanere. Hæc eſt ſententia *Durandi in 3. diſtinct. 33. quæſt. 4.* Denique eſt opinio, quæ putat omnes quidem virtutes morales quoad habitum quidem manere in beatis; non tamen omnes manere quo ad actum. Ita *Conimbric. in tract. de Anima ſeparata diſp. 3. art. 3. ad 3. & in Ethicis diſp. 7. q. 5. art. 3. in fine.*

Durand. *Conimbr.*

§. 2.

Affirmatiua eſt tenenda.

8. Affirmatiua vera. EX his ſententijs affirmatiua eſt probāda: dicimus igitur appetitui ſenſitiuo non ſolùm reſtituendos eſſe habitus, & virtutes, tam acquiſitas ordinis naturalis, quàm infuſas ad ordinem ſupernaturalem pertinentes; ſed etiam donandas eas, quæ in via defuerunt: & hæc ſententia eſt cōmunior inter Theologos: cuius veritatem propoſitis nonnullus propoſitionibus euidenter confirmabimus.

9. 1. Propoſit. Sit igitur prima propoſitio fundamentum, & baſis eorum, quæ dicenda ſunt: *Appetitus ſenſitiuus in beatis futurus eſt naturaliter, & ſupernaturaliter omnimodè perfectus.* Probatur quoniam beatitudo Patriæ eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: & ob id ex communi Patrum, & Theologorum doctrina nulla erit, aut animæ, aut corporis potētia: quæ non ſit ornata, & naturali & ſupernaturali ſua perfectione.

10. 2. Propoſit. 2. Propoſitio: *Appetitus ſenſitiuus nō eſt reſtituēdus beatis nudus: id eſt ſine ſuis habitib⁹.* Probatur, quia appetitus nude ſumptus exiſtens veluti tabula quædā raſa, eſt imperfectus; quia exiſtit cū potentia eſſentiali ad actum primum, & ſecundum; quę potentia imperfectionem includit. Cum igitur ex prima propoſitione appetitus beatis fututus ſit perfectus; non poterit reſtitui omnino denudatus.

¶ Accedit; quoniam illa potentiæ eſſentialis imperfectio ſimpliciter tolli non poteſt, niſi per habitus, & virtutes, quibus appetitus in actu primo operandi reponatur: actus autem primus eſt propria, & intrinſeca cuiuſque potentię perfectio: vnde habitus, & virtutes ab *Ariſtot. 7. Phyſicorum cap. 3. tex. 17.* dicuntur diſpoſitiones perfecti ad optimum, id eſt ad actū ſecundum: quia nimirum potentia per habitum in ſe ipſa redditur ſimpliciter perfecta perfectione ſimpliciter neceſſaria; vt benè aduertit *Caiet. 3. p. q. 7. art. 2. ad 3.* quia .ſ. ſine eà non poteſt eſſe intrinſece perfecta, & cum ſola ea ſimpliciter perfecta manet: etenim actus ſecundus eſt quidem perfectio vltima potentiæ; extrinſeca tamen; non quod non recipiatur intrinſecè in ea, quando eſt actus imanens, ſed quia non ſemper cōmitatur potentiā: vnde fit vt potentia per ſolùm habitum intus, & in ſe ipſa reddatur ſimpliciter perfecta, licet non ſit in actu ſecundo, vt patet ex definitione virturis, quā ex Ariſtotele adduximus: quæ tamen ſine habitu perfecta non dicitur; quia nimirū perfectius agit ſimul cum habitu, quam cum agit nuda. Ob quam rationem plerique Theologorum nolunt Chriſtum primam gratiam meruiſſe, ne admittant, in Chriſto operationem imperfectā, id eſt à nuda potentia ſine habitu charitatis elicitam: vnde nec potentia ſine habitu; nec actus ſine eo perfectiſsimè elicitur. Cum igitur habitus, & virtutes appetitus ſenſitiui ipſum appetitum ſimpliciter perficiant, tanquam propriæ, & intrinſecæ illius perfectiones; non poteſt beatis reſtitui nudus. Sed cum ſuis habitibus, & virtutibus ornatus reſtituetur.

Ariſt. *Caiet.*

Eandem veritatem alio medio demōſtrabimus: quia conſtat appetitum ſenſitiuum in beatis futurum eſſe omnibus modis ſubiectum animæ beatæ, ita vt illi in omnibus, & per omnia perfectiſsime, & ſuauiſsime obediat: hanc aut obedientiam, & ſubiectionem habere non poterit, niſi ſuis habitibus, & virtutibus ſit perfectiſsimè diſpoſitus: etenim perfectio habituum, & virtutum in hoc eſt poſita 11. 1. Demonſtratio.

ſita

ſita, & formalis effectus illorum in hoc conſiſtit, vt potentiam perfectam, & facilem reddant ad optime operandũ, iuxta definitionem virtutis ab Ariſtotele ſuperius allatam: ſuæ enim regulæ naturali vel ſupernaturali ſuauius ſubijcitur; cum propria & intrinſeca facilitate illi ſubiectatur; quam cum ſubijcitur facilitate ex trinſecus accepta: tunc enim ex ſua natura, ac veluti naturaliter ſuæ regulæ ſubditur. Quare etſi beatitudo animæ per ſui redundantiam, & influentiam in appetitu ſit prima cauſa huius ſubiectionis, & obedientiæ: proxima tamen & intrinſeca eſt perfectio ipſius appetitus, & diſpoſitio, quæ fit per habitus, & virtutes: ob quam rationem, vt appetitus ſuauiter & conſentanee ad ſuam naturam operetur, neceſſariæ erant virtutes & habitus: nam cum talis operandi modus ſit illi naturalior, eſt etiam perfectior, & ideò debitus illi ſtatui: nam vnio hypoſtatica Verbi cũ natura humana efficacior erat ad reddendum appetitum ſenſitiuum in omnibus ſubiectis animæ Chriſti; & tamẽ propter allatam rationem appetitus Chriſti, non nudus extitit; ſed proprijs ſuis habitibus, & virtutibus perfectiſsimè exornatus, vt naturalius, ſuauius, & perfectius hanc obedientiam præſtaret: quod in propoſito eſt diligenter aduertendum.

13. Aliæ rationes. Omitto, quod habitus & virtutes non ſolùm ſunt neceſſariæ propter actus; ſed etiam quia ex ſe ſunt maximum animæ ornamentum: vnde licet actus illarum in patria deeſſent (quod non damus) adhuc in patria permanerent: nam ob hanc rationem in Chriſto viatore fuerunt pleræque virtutes morales, quarum actus nunquam exercuit; quia ſatis fuit animæ ornamentum, vt illis donaretur.

14. Denique cum cæteræ potentiæ, tàm animæ, quàm corporis ridire debeãt ſuis habitibus ornatæ, non eſt cur hæc perfectio appetitui ſenſitiuo denegetur.

15. 3. propoſit. Tertia propoſitio: *Appetitus ſenſitiuus in beatis exornari debet omnibus habitibus, tàm acquiſitis, quàm infuſis, quorum eſt capax.* Hæc propoſitio non videtur admitti à *D. Thom. in 3. diſt. 33. q. 1. art. 4. & de virtutibus cardinalibus, art. 4.* quatenus negat virtutes morales ordinis naturalis, & per ſe acquiſibiles non eſſe futuras in beatis: at tamen poſtea videtur reuocaſſe ſententiam 1. 2. q. 67. art. 1. dùm docet omnes virtutes morales in patria eſſe futuras: cum igitur eas in appetitu collocet tanquam in proprio ſubiecto, non ſolùm acquiſitas, ſed etiam infuſas, vt ſupponimus, vtique noſtram probat concluſionem, quam etiam omnes ſui probauerũt. Et hæc videtur eſſe ſententia *Auguſtini 14. de Trinitate c. 9.* dùm admittit in patria reditum omnium moralium virtutũ. Nec (vt puto) in hoc repugnant Scotus, & cæteri, qui in appetitu ſenſitiuo non agnoſcunt virtutes morales, ſed habitus quoſdam illis reſpondentes.

Non admittitur à D. Thoma.

Reuocabit ſententiam

Auguſt.

16. Probatur propoſitio. Noſtra autem propoſitio ex duabus prioribus ſatis videtur inferri: nam ex prima propoſitione appetitus ſenſitiuus futurus eſt naturaliter & ſupernaturaliter perfectiſsimus: talis autem eſſe non poteſt, niſi habeat omnes naturales, & ſupernaturales perfectiones, quarum vel ex ſua natura, vel ex diuina ordinatione eſt capax. Iam verò ex ſua natura capax eſt omnium habituum, & virtutum ordinis naturalis, quæ circa actus paſsionũ moderandos verſantur: ex diuina verò ordinatione capax eſt omnium virtutũ infuſarum, quæ præcitatis virtutibus reſpondent (ſupponimus enim dari virtutes morales per ſe infuſas, & pleraſque earũ appetitui ſenſitiuo infundi) ergo appetitus ſenſitiuus in patria erit exornatus omnibus vtriuſque ordinis habitibus.

17. 2. probatio. Accedit; quoniam appetitus ſenſitiuus in patria non ſolùm erit ſubiectus animę beatæ illum dirigenti ſecundum regulas ſupernaturales, & ſuperiores; ſed etiam ſecundum regulas rectæ rationis: nam in via vtroque modo dirigebatur ab anima, vt ſupponimus cum *D. Thom. 1. 2. q. 67. art. 1.* dùm ait in patria manere formale harum virtutum erga rectam rationem. Sed talis ſubiectio, cum ſit & ſuauiſsima, & perfectiſsima (quia nimirum conſentanea ad naturalem operandi modum appetitus) immediatè fit per virtutes, & habitus morales, vt diximus in ſecunda propoſitione in ſecundo argumento. Ergo appetitus beati exornatus erit, virtutibus vtriuſque ordinis.

D. Thom.

18. 3. ratio. Tertiò, quod appetitus ſenſitiuus habiturus ſit omnes virtutes, & habitus morales acquiſitos ordinis naturalis, inde etiam demonſtratur; quoniam appetitus ſenſi-

ſenſitiuus eſt in potētia naturali, habetq; naturalem appetitum ad omnes perfectiones naturaliter ſibi debitas; inter quas enumerantur habitus, virtutesque morales naturaliter acquiſibiles: etenim quælibet harum virtus eſt propria illius perfectio. Ergo in reſurrectione omnes virtutes morales naturalis ordinis habebit, alioquin non redibit naturaliter ſatiatus, nec perfectus: quod non eſt admittendū.

19. 4. & poſtrema ratio. Poſtremò: cum in patria permanere debeat recta ratio, & rectus rationis ordo in ijs, quæ ad ſtatum beatificū pertinent; & in illo ſtatu futura ſint plura obiecta habituum, qui reſident in appetitu ſenſitiuo (ſunt enim futuri in eo plures actus circa guſtum, & tactum, cæteraque obiecta ſēſibilia, qui omnes recto naturalis, & ſupernaturalis ordine moderabūtur; quę eſt formalis ratio virtutis moralis ex D. Thom. 1. 2. q. 67. art. 1.) cur non manebunt virtutes, & habitus morales in ipſo appetitu? Quod fundamentum fuit vnicum D. Thom. vt priorem relinqueret opinionem.

20. 4. propoſit. Quarta propoſitio: *Appetitus ſenſitiuus in patria non ſolùm habebit habitus naturales, quos habuit in via; ſed etiam eos, quos nūquam habuit.* Hæc propoſitio eſt corollarium præcedentis propoſitionis: nam in patria habere debet omnes habitus, & virtutes morales ordinis naturalis, vt tertia habet propoſitio. Habebit igitur & eas, quas in vita habuit, & eas, quas non habuit, ſi fortè aliquas non acquiſiuit. ¶ Intereſt tamē inter vtroſque habitus; quoniam priores habebit iure reſurrectionis: quia ad perfectiſsimam reſurrectionem (qualis eſt reſurrectio futura) pertinet, vt reſurgens reſurgat cum omnibus accidētibus, quæ habuit in via, & cum quibus è vita migrauit, vt ſæpiùs oſtendimus. Poſteriores autem habitus habebit, non ratione reſurrectionis; ſed ratione ſtatus beatifici; ad quem pertinet, vt potentiæ beatorum ſint omnibus modis perfectæ, tàm perfectione naturali, quàm ſupernaturali: ob quam rationem damnati, habebunt omnes habitus, & virtutes morales ordinis naturalis, quas in via acquiſierūt; non tamen recipient eas, quas non habuerunt; quia ratione ſtatus reſurgent imperfecti. Ex quo infertur aliud diſcrimen inter habitus præcitatos, nam priores dicuntur reſtitui, & ſubinde permanere, ſiue reſtituantur eidem numero, qui fuerunt, ſiue numero diuerſi. Iam verò habitus poſteriores, qui nunquā in via fuerunt, de nouo à Deo donabuntur: nec verè dicentur reſtitui aut redire, quia non redit nec reſtituitur, niſi quod prius fuit.

(margin: 1. diſcrimē; 2. diſcrimē)

21. 5. propoſit. Quinta propoſitio: *Habitus & virtutes naturalis ordinis, quibus appetitus ſenſitiuus exornabitur, habebunt naturalis intenſionis, & rectitudinis ſummum, & perfectum gradum: vnde in omnibus erunt æqualis perfectionis: non tamen eadem erit ratio, & perfectio in virtutibus infuſis.* Prior pars omnibus recentioribus probatur apud *D. Tho.* 1. 2. *q.* 67. *art.* 1. Quorum ſententia ſatis confirmatur authoritate Plotini, qui animo purgato ſublimitatem quandam virtutis concedit; ob eam rationem, quia hoc maximè ſpectat ad perfectionem illius ſtatûs. Quare virtutes, quæ in via fuerūt imperfectæ, perficientur in patria; quod tamen damnatis non continget. Poſterior verò pars inde oſtenditur: quia virtutes infuſæ reſpondent meritis, quæ in patria non erunt æqualia. Vtrum verò in patria debeant habere æqualem cum charitate intenſionem? alterius eſt quæſtionis, de qua diſputari ſolet prima ſecundæ q. 67. art. 1. D. Thom.

22. 6. propoſit. Sexta propoſitio: *Probabilius eſt virtutes & habitus, qui fuerunt in via in appetitu, eoſdem numero redituros.* Hæc propoſitio ſatis confirmatur ex ijs, quæ de accidentibus ſæpiſsimè diximus: hæc enim identitas numerica virtutum & cæterorum accidentium, licet non ſit ſimpliciter neceſſaria ad veritatem reſurrectionis eiuſdem hominis, & eiuſdem potentiæ; eſt tamen neceſſaria ad perfectionem reſurrectionis futuræ, quæ omnibus modis erit perfectiſsima. Nec oppoſitū docuit *D. Thom. in* 4. *diſt.* 44. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 6. *& opuſc.* 3. *c.* 154: quanuis nonnulli oppoſitum velint; quia ſolùm docet identitatem numericam accidentium non eſſe per ſe neceſſariam ad veritatem reſurrectionis eiuſdem numero hominis: nec video legem ordinariam, qua Deus ſtatuerit non reuocare idem numero, quod ſemel perijt: quanuis quidam ex nouioribus contrarium affirment. D. Thom.

23. Poſtrema propoſit. Poſtrema propoſitio: *Virtutes, & habitus, qui in patria in appetitu ſenſitiuo remane-*

manebunt, non eundem operandi modum habebunt; nec omnes viæ actus operabuntur; nõ tamen erunt, niſi actu. Statuitur propoſitio contra eos, qui negant virtutes morales manſuras eſſe quoad actũ: noſtra propoſitio eſt *D. Thom.* 1. 2. q. 67. *art.* 1. ſi benè expendatur: imò eſt *Auguſt.* 14. *de Trinitatẽ c.* 9. vbi poſtquam oſtendit iuſtitiam permanere in patria, de tribus reliquis virtutibus cardinalibus ita ſcribit: *fortaſsis & aliæ tres virtutes: prudentia ſine vllo iam periculo erroris: fortitudo ſine moleſtia tolerandorum malorum: temperantia ſine repugnatione libidinum erunt in illa felicitate: vt prudentiæ ſit nullum bonum Deo præponere, vel æquare: fortitudinis, ei firmiſſimè cohærere: temperantiæ, nullo defectu noxio delectari: nunc autem quod agit iuſtitia in ſubueniendo miſeris: quod prudẽtia, in præcauendis inſidijs: quod fortitudo, in præferendis moleſtijs: quod temperantiæ, in coercendis delectationibus prauis; non ibi erit, vbi nihil omnino mali erit.* Hæc Auguſt. quæ ferè omnia ad verbum tranſtulit *D. Thom. in d. q.* 67. *art.* 1. quaſi cum Auguſtino ſenſiens aliquas harum virtutum operationes futuras tunc eſſe in beatis, non tamẽ omnes. Quod vt facilius explicaret, aduertit in his virtutibus aliquid eſſe materiale, & aliquid formale: materiale (vt ait) eſt inclinatio appetitus ad paſsiones; formale verò, ordinem ſtatuere, vt appetitus iuxta regulam rectæ rationis in paſsiones tendat. Quoad materiale igitur (inquit D. Thomas) non manebunt: quia non manebunt concupiſcentiæ, & delectationes ciborum, & venereorum: manebunt tamen quoad formale; quia perficient, & diſponent ad actus ibi manentes ſecundum rectam rationem.

D. Thom. August. D. Thom.

24. Explicatur præcedens doctrina.

Hanc D. Thomæ doctrinam non ita intelligas, quaſi quoad totum materiale omnino non maneant; quoniam re vera manebunt aliqua materialia obiecta, vt patebit: non manebit tamen totum materiale illarum, quia non manebunt omnia obiecta; ad quæ in via ſe extendunt: nec enim manebunt delectationes Cereris, & Veneris, quas hic temperantia moderatur: nec manebunt ma[illegible] & pericula timoris & audaciæ, circa quæ fortitudo in via verſatur: ſicut etiam nõ manebunt commutationes, & diſtributiones bonorum temporaliũ, nec item miſeriæ, quibus ſubuenit iuſtitia. Itaque non manebit ibi totum materiale harum virtutum: manebit tamen formale illarum, quod eſt appetitum perficere ad ſequẽdam rationem in ijs, quæ tanquam materialia obiecta ad illum beatitudinis ſtatũ pertinent.

Quæ obiecta non manebunt.

25. Non manebit harũ virtutum formale. Caiet.

¶ Quin potiùs nec ibi manebit formale harum virtutum, quoad omnem perficiendi, & concurrendi modum, vt bene aduertit *Caiet. in d. q.* 67. *art.* 1. quia cum ibi non dentur paſsiones prauæ; nec appetitus toto impetu, & veluti naturali feratur in obiecta ſenſibilia, quæ ibi erunt; non manebunt præfatæ virtutes, vt refrœnantes, aut impellentes, aut firmantes paſsiones immodicas ſecundum rectæ rationis modum: manebunt tamen quoad id, quod per ſe primò pertinet ad formale illarum, quod eſt perficere appetitum ad ſequendam rationem rectam in ſuis actionibus; in quo eſſentialiter ponitur totum illarum formale: quod ipſum ibi permanet, quanuis ibi nullus detur, aut exceſſus, aut defectus, qui vel fræno indigeat, vel calcari. Et ad hunc ſenſum intelligendus *D. Thom. in d. art* 1. dùm ait, virtutes morales manſuras quidem, ſed alio modo: quia nimirum alium modum perficiendi appetitum circa ſua obiecta obſeruabunt. Quod ſatis videntur explicare verba Auguſtini vbi ſuprà, dum inquit: *manebit prudentia ſine vllo periculo erroris, & cætera.*

D. Thom. August.

26. Iuſtitiæ virtus quo modo manebit.

Sicut igitur in patria virtus iuſtitiæ (quæ eſt in voluntate) manebit, non vt perficiat quoad cõmutationes, & diſtributiones bonorum temporalium; quia nullæ ibi dabuntur: nec quoad ſubueniẽdum miſerijs proximorum; quia miſeriæ à patria exulabunt: ſed ſolùm vt perficiat quoad reddendam Deo debitam ſubiectionem, cultum, & honorem; quæ obiecta in patria manebunt: ita etiam manebit temperantia, non vt diſponat appetitum ſenſitiuum coercendo prauas libidines, quia ibi nullæ dabuntur, ſed vt appetitum perficiat circa proprios ſuos actus, quos ibi manſuros oſtendimus: & circa delectationes ſenſibilium obiectorum, quas ibi exercebit, vt in ijs omnibus delectabiliter ſequatur ductum rationis rectæ, à qua dirigitur. Manebit etiam fortitudo, non vt moderetur timoris, & audaciæ moleſtias: quia his patria carebit; ſed

Manebit fortitudo.

ſed vt firmiter Deo cohæreat, ſicut ait Auguſtinus cum D. Thoma locis citatis. Addunt nonnulli gaudia quædam completa de ſuperatis terribilibus viæ, moderatisque paſsionibus, quæ volunt eſſe *Medina.* actus fortitudinis, & temperantiæ, vt patet ex Medina cæterisque interpretibus *ad primam ſecundæ q. 67. art. 1*: cæterum gaudia illa reſpondent quidem illis virtutibus: non tamen ſicut principio eli- *D. Thom.* cienti, ſed ſicut radici, vt docet *D. Thom. in 3. diſt. 33. q. 1 art. 4.*

27. Reſolutio quęſtionis. ¶ Concludendum eſt igitur virtutes; & habitus, qui ibi manebunt, habituros fore ſuas operationes circa ea obiecta, quæ in patria reperientur; non verò circa ea, quę ibi non erunt: quod intellige de actibus abſolutis, & externis: nam actus interni, & conditionati dari poterunt in patria, etiam circa obiecta, quæ ibi non manent: apprehenſa enim materia caſtitatis, poterit beatus eligere, quid ſibi faciendum foret, ſi talis occaſio offerretur; & ſic de cæteris virtutibus, & obiectis à patria alienis: qui actus conditionati prodeunt ab eodem habitu, à quo prodeunt abſoluti: quæ eſt communis ſententia Nouiorum 1. 2. q. 67. art. 1.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

28. Ad 1. arg. NEc his obſtant, quæ pro ratione dubitandi ſupra adduximus §. 2. Ad primum enim argumentum dicimus antiquos Philoſophos cum Cicerone hac de re fuiſſe deceptos; quia poſt mortem nec corporum reſurrectionem nouerunt, nec aliquam felicitatem, præter cōtemplatiuam; in quo non ſunt audiendi, nec audiuntur ab Auguſtino 14. de Trinitate c. 9.

29. Ad cōfirm. *D. Thom.* Ad confirmationem verò omiſſa ſolutione *D. Thom. in d. q. 67. art. 1. ad 1.* dicendum eſt homines poſt reſurrectionē ad hunc ſenſum futuros eſſe, ſicut Angelos; quia ſicut Angeli ad ſui, aut ſpeciei cōſeruationem nec indigent nutritione, nec generatione: ita etiam homines tunc his actionibus non indigebunt, quæ ad animam vegetatiuam ſpectant. Porrò cum vera corpora tunc habituri ſint; veras etiam actiones animæ ſenſitiuæ habebunt; & proinde habebunt obiecta virtutum moralium, circa quæ cùm laude, & gloria verſabuntur.

Ad ſecundam rationem reſpondetur primò negatione antecedentis, vt conſtat ex vltima propoſitione: ex qua etiam patet ſolutio ad primam obiectionem: quoniam in patria dantur obiecta materialia virtutum; quanuis nō dentur ſecundum totum habitum obiecti: nec enim paſsio, vt praua, & immoderata, eſt obiectum adęquatum virtutis, vt malè ſupponit argumentum. Et eodem modo ſoluitur obiectio ſecunda. Ad tertiam dicendum eſt Gregor. & Auguſt. agere de operibus miſericordiæ, & vitæ actiuæ ſecundum modum viæ: quomodo non manebunt in patria, ſed ſecundum alium, vt ex D. Thoma diximus in vltima propoſitione: 30. Ad 2. 1. ſolutio obiectionis *Auguſt.*

¶ Reſpondetur ſecundò conſequentiam non valere, etiam ſi antecedens eſſet verum: quia habitus & virtutes adæquatè non ſunt ſolùm propter actus; ſed etiam propter animæ, & potentiæ decorem, & ornamentum: qui effectus in patria permaneret propter ſtatus perfectionem: nam ob hanc rationem pleræque virtutes fuerunt in Chriſto, & in Virgine, quarum actus nunquā exercuerunt: imò quarum materia in illis locum nō habuit: etenim ex plurimorum ſententia, & in Chriſto, & in Virgine fuit virtus pœnitentiæ; in quibus tamen nullum fuit peccatum, quod eſt pœnitentiæ materia. 2. ſolutio.

Ad tertiam rationem dicendum eſt. 31. Ad 3. Virtutes corrumpi quidem per mortem ſimul cum appetitu ſenſitiuo, in quo reſident: at reſtituto per reſurrectionem appetitu, ſimul etiam reſtitui quæ in eo fuerunt in eadem numerica entitate; idque propter reſurrectionis perfectionem, vt ſæpè diximus: atque in monimentū victoriæ de paſsionibus, & difficultatibus per virtutes illas reportatæ: nam ob hanc rationem cicatrices vulnerum permanſerunt in Chriſto, & permanebūt in martyribus. Quod ſi vis eaſdem numero virtutes nō ridere, ſed alias eiuſdem ſpeciei; non multum repugnabo: ſed adhuc in ornamentum, & ſignum victoriæ redibunt, & verè dicentur reſtitui; quia in loco priorum ſuccedent; in quibus priores dicuntur permanere, quicquid Durandus reclamet *in 3. diſtinctione 33. quæſt. 4.* *Durand.*

QVÆ-

QVÆSTIO XX.

De fomite peccati, qui in appetitu ſenſitiuo reperitur.

1. QVONIAM certiſsimum eſt de fide in omnibus viatoribus ſecluſo priuilegio dari fomitem peccati, vt ſupponimus; operæpretium erit inquirere; an fomes peccati maneat in beatis reſuſcitatis? ſed quoniam quæſtio iſta commodè explicari nequit, niſi prius explicemus, quid ſit fomes peccati; & in quonam ſit tanquam in ſubiecto, & quomodo ligetur, atque etiam tollatur? ideò has quæſtiones priùs explicabimus: deinde ad excitatam quæſtionem veniemus.

2. Articuli excitandi. Primo igitur loco inquiremus, in quo nam ſit fomes peccati, tanquam in ſubiecto? deinde quid nam ſit peccati fomes? Tertio loco, an fomes peccati detur in nobis? Quarto loco, an poſſit ligari, & omnino tolli? Quinto, quomodo ligetur? Sexto, & vltimo; quomodo tollatur?

ARTICVLVS I.

In quonam ſit fomes peccati tanquam in ſubiecto?

§. 1.

Referuntur opiniones.

1. Variæ opiniones. VT omnia diſtinctè explicentur; primo loco explicabimus, in quo nam ſubiecto ponatur fomes peccati? huius enim quæſtionis explicatio plurimum conducit ad explicandū, quid nam ſit fomes?

2. 1. opinio. De hac quæſtione variæ ſunt ſententiæ. Prima fomitem ponit in anima, tanquam in ſubiecto immediato: ita ſenſit *Magiſter in 2. diſt. 30. vbi etiam D. Bonau. art. 2. q. 1. & diſt. 31. art. 2. q. 1. 2. & 3. eandem probauit Gregor. in 2. diſt. 30. q. 1. ar. 2. litera M. conſentiunt Adamus ibidem, & Holcoth relatus ab Almain. in 3. diſt. 3. q. 2. fol. 11. col. 4.* vbi docet hanc opinionem eſſe probabilem: nec eam omnino reijcit *Gabr. in 2. diſt. 30. q. 2. art. 2. concl. 6.* ſuppoſito quod admittantur duæ qualitates morbidæ, vna in carne; altera in anima: hoc enim admiſſo putat qualitatem, quæ eſt in anima eſſe ipſum fomitem. (Magiſt. D. Bonau. Gregor. Adamus. Holcoth. Gabr.)

Oppoſita ſententia defendit fomitem exiſtere in corpore, tanquam in ſubiecto, non verò in anima: & hæc eſt ſententia aliorum omnium Theologorum, quos in ſequenti art. citabimus: quam eandem vt probabiliorem probant *Almainus, & Gabr.* qui tamen omnes non eodem modo ſuam explicant ſententiam. ¶ Sit igitur ſecunda ſententia eorum, qui fomitē ponunt immediatè in ſubſtantia ipſius carnis: quæ fuit ſententia Henrici, vt patet ex ijs, quæ de ipſo referemus in ſequenti artic. in tertia opinione. 3. 2. opinio. (Almain. Gabr.)

Tertia opinio erit *Angeſti in ſuis moralibus c. 15. not. 2*: in ea enim eſt opinione, vt fomes nec immediatè ponatur in anima; nec immediatè in ſubſtantia carnis; nec immediatè in appetitu ſenſitiuo; ſed in complexione ipſius carnis; quicquid illa ſit, vt intelliges ex quarta opinione, quam in ſequenti art. adducemus. 4. 3. opinio Angeſti.

Quarta, & vltima opinio fomitem immediatè collocat in ipſa potentia, facultateque appetitus ſenſitiui: & hæc eſt cōmunis ferè omnium ſententia, vt ex ſequenti art. facilè intelliges. 5. 4. opinio.

§. 2.

Vera reſolutio.

NOs hanc vltimam ſententiam approbamus: pro cuius explicatione ſequentes ſtatuimus cōcluſiones. Sit prima concluſio: *Fomes peccati (quicquid ille ſit) nulla ratione immediatè poni poteſt in ſubſtantia animæ: ſed neceſſariò ponendus eſt in corpore.* Hæc concluſio ponitur contra primam opinionem; in qua conueniunt omnes aliarum opinionum Patroni; vnde communiſsima eſt inter Theologos; quod ſatis eſt, vt concluſio iſta cenſeatur probabiliſsima. 6. Vera reſolutio. 1. concl.

Deinde videtur expreſſè deduci ex Paulo ad Rom. 7. & ad Epheſ. 3. dùm legem peccati (quam appellamus fomitē) vocat legem in membris: peccatum habitans in carne, & plura in hanc ſententiam: quos locos explicās *Auguſtinus lib. 10. de Geneſ. ad literam c. 12.* vbi poſtquam docuit carnem ſine anima nihil poſſe cōcupiſcere, oſtendit carnalem cōcupiſcentiam nec eſſe in anima ſola, nec in ſola carne; 7. Probatur ex Paulo. (Auguſt.)

carne; ſed in vtroque ſimul: vnde ait, carnem ibi accipi pro conſtituto ex carne, & ex anima; nimirum pro carne animata, vt habet delectationem repugnantem ſpiritui. Ergo ex ſententia Auguſt. concupiſcentia, quæ eſt fomes, non eſt in ſubſtantia animæ, tanquam in ſubiecto; ſed in coniuncto, compoſitoque ex corpore & anima, nimirum in corpore animato. Ad hunc ſenſum intelligendus eſt *Aug. 5. contra Iulian. c. 7.* dùm ait cōcupiſcentiam dici carnalem, quia anima ſecūdum
Auguſt.
carnē concupiſcit, nam intelligitur, quod concupiſcit anima, prout eſt forma carnis conſtituens corpus viuum, quod ipſum
8. eſt concupiſcens, vt quod. Quem ſenſum ſatis explicauit *Auguſt. lib. 1. de nuptijs, & concupiſcentia c. 31.* dùm ait, carnem ibi appellari ab Apoſtolo non quidē ipſam corporis cōſtitutionem, ſeu ſubſtantiam corporalem ſecundum ſe ſumptam, ſed prout in ea eſt morbidus quidam carnis affectus. Iam verò corpus ipſum non poteſt habere illam morbidam affectionē, vt concupiſcat, niſi affectum ſit anima, quare ex Auguſt. fomes non in anima immediatè ponitur, ſed in corpore actuato anima. Id etiam colliges ex eodem *Aug. in lib. de opere monachorum cap. 22. in*
Auguſt. *fine;* vbi in homine duas conſtituit partes ſibi contrarias: alteram appellat mentem; alteram concupiſcentiam: mentem appellat partem illam, quæ à Paulo ad Roman. 7. dicitur homo interior: concupiſ-
Ad Rom. 7. centiam verò eam, quæ dicitur homo vetus & exterior: in qua diuiſione corpus ſeu caro non contraponitur animæ, prout ſunt duæ partes phyſicæ componentes hominem; ſed prout homo vtraque dicitur homo: illa interior; iſta exterior: homo autem interior eſt totus ipſe homo, prout intellectu & voluntate (parte rationali) dirigitur: homo verò exterior dicitur idem totus homo, prout gubernatur parte ſenſitiua, quæ ipſa non ſolùm complectitur carnem; ſed etiam animam, vt eſt forma corporis tribuens eſſe ſenſitiuum. Quæ ipſa pars gubernatur per partem intellectiuam. Quare Auguſtinus docet in hac parte ſenſitiua eſſe concupiſcentiam, legemque peccati: quod etiā ſatis docet Author *libri de ſpiritu, & litera c. 3. & 4. apud Auguſt. tom. 3. & ſatis colli-*
Auguſt. *ges ex eodem Aug. 15. de Ciuit. Dei cap. 5.*

¶ Accedit; quoniam in illa parte ponenda eſt concupiſcentia, quæ poteſt caſtigari, & in ſeruitutem redigi, cohiberique 9.
per continentiam ex Auguſt. 2. de peccatorum meritis cap. 22. & quæ in gloria eſſe debet ſine concupiſcentia, vt ait idē Auguſt. lib. 1. retract. c. 15. vbi expreſſē probat peccatum originale eſſe in voluntate: concupiſcentiam verò, quæ militat aduerſus animam, non eſſe in voluntate, ſed in corpore. ¶ Ex quibus patet non *Almain. reijcitur.* eſſe audiendum *Almain. in 3. diſt. 3. q. 2. poſt principium, fol. 11. col. 4.* dùm ait, Paulum ideò fomitem vocaſſe legem membrorum, quia qualitas, quæ eſt in anima cauſatur ab aliqua diſpoſitione corporis: oppoſitum enim colligitur ex Aug. & ex ipſis verbis Pauli, ſi benè expendantur. Argumenta verò, quæ idem Almainus refert, nihil efficiunt, vt facilè quiſque intelliget.

Secunda concluſio: *Fomes peccati non* 10.
poteſt eſſe tanquam in ſubiecto, aut in ipſa 2. concl.
carnis ſubſtantia; aut in complexione ipſius carnis; ſed neceſſariò immediatè ſubiectatur in appetitu ſenſitiuo, & eo mediante in car-
ne, eiuſque complexione. Hæc concluſio ex 1. confirm.
eo primùm probatur; quia vno excepto Henrico, & altero Angeſto, cæteri om-
nes eam recipiunt. Deinde confirmatur: Secunda.
quoniam fomes peccati ex ſua natura eſt concupiſcentia immediatè operans actū peccati, id eſt motionem, & operationem inordinatam. Sed non poteſt talem operationē immediatè operari, ſi immediatè ſubiectatur in carne. Ergo immediatè in ea non ſubiectatur, ſed in appetitu ſenſitiuo. Maior expreſſè deducitur ex *Paulo*
ad Rom. 7: agens enim de malo peccati *Rom. 7.*
ſumpto pro motione illa inordinata, ità ait: *nunc autem iam non ego operor* (ſcilicet illud malum) *ſed quod inhabitat in me pec-*
catum, id eſt fomes peccati, quod à Paulo *Ad Galat. 5.*
appellatur peccatum. Ad Galatas 5: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum:* idque mediante concupiſcentia, quæ dicitur fomes. Quare ex Paulo fomes eſt concupiſcentia, quæ motiones inordinatas excitat, quæ fuit maior. Porrò minor inde oſtenditur: quoniam ex receptis regulis Philoſophię ſubſtantia non poteſt immediatè aliquid ſe ipſa operari, ſed quicquid operatur, operatur mediante potentia, quę illi eſt agendi inſtrumentum. Ergo caro

motiones illas inordinatas (quæ ſunt actus ſecundi ipſius fomitis) immediatè operari non poteſt; ſed eas neceſſariò operabitur mediante appetitu concupiſcibili, tanquam naturali inſtrumento dato ſibi à natura, vt actu concupiſcat: vnde nec ſpiritus (qui ex Paulo in dicto capite 5. concupiſcit aduerſus carnem) poteſt actu concupiſcere, niſi mediante appetitu ſpirituali, qui eſt voluntas. Ergo caro ipſum fomitem immediatè non ſubiectat in ſe ipſa, ſed mediante appetitu concupiſcibili; & ſubinde in illo immediatè ſubiectatur fomes; ita vt ipſa concupiſcibilis potentia, & caro mediante illa per fomitem conſtituatur in actu primo ad inordinate concupiſcendum. Iam verò quod alicui agenti eſt actus primus agendi, immediatè ſubiectatur in ipſa potentia, qua mediante agens agit, vt patet in actibus immanentibus, & vitalibus: ob hanc enim rationem ſpecies intelligibilis immediatè non ſubiectatur in anima, ſed in intellectu: & habitus morales immediatè in ſola voluntate.

12. *Alia confirmatio.* Confirmatur id ipſum: quoniam iuſtitia originalis, quæ carnem rectæ rationi ſubijciebat, immediatè non ſubiectabatur in carne, aut in complexione illius, ſed in appetitu concupiſcibili, vt ſupponimus. Ergo fomes ipſe habitualis (quicquid ille ſit) immediatè non ſubiectabitur in carne, ſed in ipſa potentia: etenim habitus, aut quaſi habitus contrarij in eodem ſubiecto immediatè recipiuntur.

13. *Vltima cõfirmatio.* Denique cum fomes ipſe eſſentialiter ſit concupiſcentia, vt omnes fatentur; immediatè erit actus illius, cui per ſe conuenit concupiſcere: ſed caro ſe ipſa non poteſt concupiſcere, ſed mediante appetitu concupiſcibili, vt oſtendimus. Ergo fomes non poterit immediatè ſubiectari, aut in ipſa carnis ſubſtantia, aut in complexione ipſius carnis; ſed in ſolo appetitu concupiſcibili.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

14. *Ad obiectiones in contrarium.* Contra hanc opinionem non video argumentum, quod vel apparenter objiciatur, niſi quis objiciat verba Pauli in locis citatis, in quibus ipſum fomitem appellat legem habitantem in membris, & in carne; denique carnem ipſam concupiſcere aduerſus ſpiritum. Sed hæc parùm vrgent: quoniam fomitem eſſe in carne, & in membris non arguit eum immediatè ſubiectari in ipſa carnis ſubſtantia: etenim benè ſaluatur eum eſſe in carne, quamuis in ea ſit mediante appetitu: nam cum ex ſua ratione ſit concupiſcentia habitualis, ex ſua ratione habet, quod mediante appetitu, & membra, & carnem mediante appetitu afficiat; cum & caro & membra nihil, niſi mediante potentia appetitiua valeant concupiſcere, vt oſtendimus.

ARTICVLVS II.

Fomes pecati quid ſit?

De natura fomitis peccati variæ fuerunt Theologorum ſententiæ: & quamuis omnes conueniat fomitem eſſe id, quod mouet ad concupiſcendum: non tamen omnes conueniunt, quidnam hoc ſit? & vt varias ſententias clariùs explicemus, eos in duas claſſes diuidemus. In prima ponentur illi, qui volunt fomitem eſſe morbidam qualitatem, & diſpoſitionem. In ſecunda verò erunt, qui hanc qualitatem non admittunt; ſed fomitem ponunt in mala appetitus inclinatione in aliquod ſenſibile præter, aut contra rectam rationem. Vtraque claſsis in varias dicendi vias deſcendit: omnes afferemus: deinde explicabimus quidnam dicendum ſit? 1. *Quid ſit fomes?*

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

Prima ſententia eſt *Magiſtri in 2. diſt. 30. §. 6. & 7. & diſt. 31. §. 1. &* 2. Magiſter igitur putat fomitem peccati eſſe concupiſcentiam, ſeu potiùs vitium quoddam, quod facit nos concupiſcere, quæ ſunt præter, aut contra rationẽ: & ob id appellatur concupiſcentia. Hoc vitium concupiſcentiæ ponit in anima, & illud appellat legem carnis, & peccatum habitans in carne; ideò quia tale vitium ex carne reſultat in animam: ideò quia caro corrupta peccato Adami, & 2. *1. opinio Magiſt.*

& eo polluta, animam per generationem ex Adamo infuſam inficit, & corrũpit, dùm illi communicat quoddam vitium quo fit prona, & inclinata ad malè concupiſcendum. Hæc omnia habes ex Magiſtro locis citatis. Addit deinde hoc vitium communicatum animæ formaliter eſſe ipſum peccatum originale, quandiù à Deo imputatur in culpam: poſt baptiſmum verò, ratione cuius tale vitium in culpam non imputatur, appellari fomitem peccati; quia iam non manet ſub ratione peccati, ſed ſub ratione fomitis ex peccato Adami reſultantis. Quare ex ſententia Magiſtri fomes non eſt ipſa carnis pollutio, qua inficit animam; ſed eſt vitium concupiſcentiæ, quod ex pollutione carnis cauſatur, & relinquitur in anima. Vtrùm autem hoc vitium ſit aliqua qualitas poſitiua non explicat Magiſter.

D.Bonau. Magiſtrum ſequitur *D. Bonauent. in 2. diſt.30.art.2.q.1.& diſt.31.art.2.q.1. 2. & 3.& diſtin.32.artic.2.q.1. & in eadem diſt.32.in litera Magiſtri n.2.* Ex quibus locis colliges fomitem eſſe concupiſcentiam immoderatam boni commutabilis, id eſt eſſe vitioſitatem quandam, qua anima ex carnis corruptione, & rebellione fit prona ad concupiſcendum immoderatè bonum commutabile.

3. 2. opinio Gregorij. Secunda ſententia eſt *Gregorij in ſecũdo diſtinct. 30. quæſt. 1. artic. 2. litera M.* quæ ferè conſentit cum ſententia Magiſtri: docet enim fomitem eſſe morbidam quandam qualitatem in anima exiſtentem realiter cauſatam ex alia morbida qualitate carnis, qua anima redditur prona ad carnaliter concupiſcendum, id eſt ad concupiſcendum ſecundum carnem aduerſus ſpiritum. In quo non ſolùm conſentit cum Magiſtro; ſed etiam illius opinionem declarat, dùm vitium, quod in anima admittit Magiſter, appellat qualitatem morbidam: cum quo etiam conſentit, dûm putat morbidam illam qualitatem eſſe ipſum peccatum originale, quandiù eius reatus non remittitur: differt tamen à Magiſtro; quia vult pollutionem illam carnis cauſatam fuiſſe ex venenoſo afflatu ſerpentis, qui primos parentes decepit: caro enim illorum ex ipſo venenoſo afflatu, quodammodò manſit venenata, atque toxicata quadam qualitate venenoſa à flatu ſerpentis impreſſa in carne Adami: ex qua venenoſa qualitate cauſatur in anima in ſui infuſione alia qualitas morbida realiter ſuperaddita animæ, & ab illa realiter diſtincta: Et in hoc ſenſu cum Magiſtro conſentit. Cum hac Gregorij opinione conuenit *Adamus in ſecundo diſtinctione 30.* in hoc tantùm ab eo diſſentiens; quia putat morbidam illam qualitatem non eſſe cauſatam ex flatu ſerpentis, ſed ex ipſo cibo vetito, quem Adamus comedit. Hanc Gregorij ſententiam non reijcit *Gabriel in ſecundo diſtinctione 30. quæſtione prima art. 2. & 3.* Eandem eſſe probabilem docet *Almain. in 3. diſtinct.3.quæſt.2. poſt principium, vbi pro Gregorio refert Holcoth*, locum tamen non explicat. *Adamus.* *Gabr. Almain.*

4. 3. opinio Henric. Tertia ſententia fuit Henrici, quam ego colligo ex *quodlibet.2.quæſt.11.& ex quodlib.5.q.23.ad 1.& ex quodl. 6. quæſt. 32.litera L.& S.* Pro explicatione aduertendum eſt Adamum peccando non ſolùm amiſiſſe iuſtitiam originalem, & cũ ea pronitatem ad bonum; ſed etiam conſecutum eſſe quoddam vitium in voluntate, id eſt quandam vitioſam diſpoſitionem, quà voluntas manſit prona, & obliqua ad malum. Ex qua voluntatis deordinatione cauſata eſt in ipſa Adami carne quędam quaſi diſcratia, id eſt quoddam diſtemperamentũm naturale, quo caro ipſa cœpit rebellare contra ſpiritum: ex illo enim diſtemperamento, morbidaque diſpoſitione, & qualitate, in ipſa carne commoti ſunt quidam primi motus carnalis concupiſcentiæ vitioſi, & deformes: carne autem Adami infecta iſto modo, dûm aliam generat carnem communicat illi vtrumque vitium, rebellationis ſcilicet contra ſpiritum, & commotionis quorundam primorum motuum, voluntatem ipſam antecedentium: noſtra autem caro hoc modo infecta inficit animam, incuruando illius voluntatem, & obliquando, vt prona ſit, & obliqua ad malum, cum reatu ad pœnam, in quo putat Henricus poſitam eſſe rationẽ peccati originalis.

5. Quid ſit fomes apud Henricum. ¶ Ex ijs, quæ ex Henrico diximus, iam patet fomitẽ peccati formaliter non eſſe ipſam voluntatis obliquitatem & incuruationem; quia hæc voluntatis obliquitas & incuruatio eſt quid conſequens ad fomitem:

mitem : & eadem ratione fomes non eſt ipſa carnis diſcratia,&diſtemperamentū: quia motus illi primo primi,& ipſum carnis diſtemperamentum, ſunt effectus ipſius fomitis. Erit igitur fomes ipſa morbida diſpoſitio, ſeu qualitas carnis communicata illi ex traductione ex Adamo: ex qua inſurgũt illi motus primo primi & ipſa actualis rebellatio carnis contra ſpiritum.

In quo differat à Magiſtro, & Gregorio. ¶ Differt igitur hæc opinio ab opinione Magiſtri, & Gregorij; quia illi volunt,fomitem eſſe morbidam illam diſpoſitionem exiſtentem in anima; & ideò volunt ipſum fomitem eſſe peccatum originale. At verò Henricus fomitē ponit in ipſa ſubſtantia carnis: etenim admittit fomitem exercere ſuum actum ante omnem actum appetitus ſenſitiui.

Diffinitio fomitis ex Henrico. ¶ Quare apud Henricum fomes ita diffiniri poteſt: eſt diſpoſitio, ſeu qualitas quædam morbida exiſtens in carne; ex qua in illa inſurgunt motus carnalis concupiſcentiæ, qui rationem ipſam antecedunt. Hi autem apprehenſi à ſenſu mouent appetitum ſenſitiuum ad concupiſcendum, ex qua concupiſcentia excitatur voluntas ad peccandum, & ob hanc rationem dicitur fomes peccati. Hæc ex Henrico colligimus: qui tamen non explicat, an hæc diſpoſitio ſit à carne realiter diſtincta?

6. Quarta opinio. Quarta ſententia vult fomitem nihil eſſe aliud,quàm complexionē ipſius hominis(quicquid illa ſit)quatenus diſtituta iuſtitia originali ipſum hominem reddit pronum ad malum, atque vitium: ita *Angeſt.in ſuis moralibus c.15.notab.2.n.3. fol.190.pag.1.in fine* (Angeſtus.): quo in loco contra Greg. non admittit qualitatem ſuperadditam complexioni;ſed vult ipſam hominis complexionem, vt inclinatam & pronam in bonum ſenſibile abſque frœno iuſtitiæ originalis eſſe fomitem.

7. 5.opinio. Quinta opinio admittit morbidam illam qualitatem inclinantem ad malum: non tamen admittit eam eſſe in anima aut in carne complexionevè illius; ſed in appetitu ſenſitiuo. Hanc opinionem probarunt ferè omnes Nominales *Ochamus quodlib.3.q.10.& in 3.q.2.in principio, Gabr.in 2.diſt.30.q.vnica,art.3. dub.1. & in 3.diſt.3.q.2. art.1.* (Ocham. Gabr.) qui licet non omnino reijciat opinionem Gregorij, quod qualitas illa ſubiectetur in anima: tamē cum

Ochamo magis inclinat, quod ſubiectetur in appetitu ſenſitiuo. Quod etiā fuit iudicium *Almaini in 3.diſt.3.q.2.poſt principium* (Almain.): eſſe opinionē probabilē teſtatur *Cordubenſis lib.1.quæſt. q.45. ad finem primi puncti,pag.383.col.2.vbi pag.381. col. 2. in principio* (Cordub.) affirmat hanc opinionem probaſſe ferè omnes antiquos, & plures ex modernis.

8. 6.opinio. Sexta opinio docet fomitem realiter eſſe ipſum appetitum cum connotatione tamen, quod tendat in illicitum præter rationem: ita *Maior in 3.diſt.3.q.1.§. Dubitatur; an fomes* (Maior.), & probant ferè omnes Nominales.

7.opinio. Septima eſt opinio docens fomitē nihil eſſe aliud, quàm inclinationem habitualem appetitus ſenſitiui in aliquod delectabile ſecundum ſenſum præter rationis imperium. Ita ſentit cõmunis opinio cuius patronos citabimus inferiùs §.3.concl.8. hi omnes docent fomitem nihil aliud addere ſupra appetitum ſenſitiuum, quam habitualem inordinationem ad bonum ſenſibile cõtra rationem. Addunt tamen perfectam, & abſolutam rationem fomitis compleri, per hoc, quod talis inordinatio relicta ſit, & cauſata in appetitu ſenſitiuo ex peccato,& ex amiſſione iuſtitiæ originalis:ob quam rationē (inquiunt) habitualis inordinatio eiuſdē appetitus in homine creato in puris naturalibus fomes dici non poſſet.

9. 8.opinio. Octaua opinio cū hac præcedenti aſſerit fomitem eſſe quidem inclinationem illam appetitus in bonū delectabile præter rationem;non naturalem,ſed præternaturalem, id eſt non talem, qualem homo in puris naturalibus haberet naturaliter inclinantem;ſed talem vt præternaturali modo vehementiùs,& intenſiùs ad bona ſenſibilia inclinaret, quàm rationis ordo requirit:quam prçternaturalitatem habuit ex peccato & deſtitutione iuſtitię originalis, quæ erat veluti frœnum, quo cohibebatur: vnde ſicut fera fractis vinculis magis efferatur & ſæuit, quam antea ſuæ relicta libertati: ita etiam appetitus ſenſitiuus antea frœno originalis iuſtitiæ rationi ſubditus, poſtquam ab illo ſolutus eſt, maiori impetu in ſenſibilia præcipitatur, quam præcipitaretur, ſi homo creatus foret in puris naturalibus: & propter iſtam præternaturalem cor-

Corduben. Richrad. corruptionẽ dicuntur naturalia eſſe vulnerata. Ita *Anton. Corduben. in d. q. 45. in 1. p. illius, & videtur fuiſſe opinio Richard. in 3. diſt. 3. art. 1. q. 4. ad 2.*

10. 9. & vltima opinio. Nona & vltima opinio ſignificat fomitem nihil aliud eſſe, quàm motum, ſiue motionem inordinatam appetitus ſenſitiui inclinantem, & allicientem ipſam voluntatem ad aliquid contra rationem; quaſi fomes ſit actus ſecundus, & non aliquis actus primus. Hanc opinionem colligo ex *Bellomont. 1. tom. ad 3. p. diſp. 61. cap. 8. n. 48. & 2. tom. diſp. 118. c. 4. n. 45.* Bellom.

§. 2.

Præmittuntur nonnulla.

11. 1. præmiſſ. Explicauimus varias de propoſita quæſtione ſententias: vt vero quid dicendũ ſit facilè aperiamus; præmittendum eſt primò fomitem peccati nõ ideò appellari peccati fomitem, quod in ſe ſit peccatum, vt diffiniuit Tridentinum ſeſſ. 5. canone 5. de peccato originali, ſed ideò appellari peccati fomitẽ, quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, vt idem Tridentinum ibidem declarat. Vnde etiam dicitur fomes peccati, quia eſt fomentum, & materia, in qua peccatum ſuo modo conſeruatur; cùm ſit radix illius, vt patet ex *Aug. epiſt. 29. cap. 1.* dùm dicit, *nullum eſſe ſine radice peccati,* id eſt, ſine peccati fomite: idem ſatis docet 22. *de Ciuitate Dei c. 22.* ob quam rationem fomitem peccati appellat matrẽ peccati, vt patet *in lib. 50. homil. homil. 42.* c. 8. tom. 10. iuxta illud Iacobi 1: *Concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum.* Auguſt. Iacob. 1.

12. 2. not. Secundò notandum eſt fomitem peccati conuerti cum concupiſcentia; quaſi ſint ſynonima, vt patet ex Trident. vbi ſuprà in illis verbis: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem*: quaſi idem ſit fomes peccati, quod peccati concupiſcentia; vnde fomitem ipſum ſtatim appellat concupiſcentiam; & ſatis confirmatur ex verbis Iacobi, vbi per concupiſcentiam intelligit fomitẽm, ex communi Patrum, & Auguſt. conſenſu. Accedit quoniam *Paul., ad Rom. 7. & 8. & ad Colloſſ. 3.* fomitem peccati appellat legem membrorum & carnis; hanc autẽ legem eſſe concupiſcentiam carnis paſſim docet Auguſt. Trident. Probatur ex Paulo.

13. 3. notandũ. Præmittendum tertiò fomitem peccati duobus modis conſiderari poſſe, ſcilicet in actu primo, & in actu ſecundò, vt eſt vulgata doctrina. Fomes in actu ſecũdo eſt actualis motio, actusque ipſius fomitis: in actu vero primo eſt id ipſum, quod eſt fomes (quicquid ille ſit) à quo motio illa inordinata veluti oritur: vnde oportuit prius explicare; quid ſit fomes in actu primo, vt ſciamus, quidnam propriè ſit actus ſecundus illius.

14. 4. notandũ. Præmittendum quartò fomitẽ ſumptum quoad actum primum duobus modis poſſe in aliquo manere: vno modo ſolutum, vt poſſit exire in actum ſecundũ: altero modo ligatum, ne in actum exeat: tùnc verò totaliter non manere, cum totaliter ab homine aufertur. An verò poſſit aut omnino tolli, aut ſaltem ligari? & quomodò? dicemus art. 2. 3. & 4.

§. 3.

Explicatur vera opinio.

15. Vera opin. 1. concluſio contra Bellomont. His ſuppoſitis pro vera difficultatis reſolutione nonnullas ſtatuemus concluſiones. ¶ Prima concluſio: *Fomes formaliter ſumptus non eſt motio ſiue motus actualis appetitus inclinans, & alliciens voluntatem ad aliquid contrà rectam rationem.* Hæc concluſio ſtatuitur contra Bellomõt. relatum in vltima opinione: & profectò ſi mens illius eſt fomitem eſſentialiter eſſe ipſam actualem motionem inordinatam, quæ eſt actus ſecũdus, opinio erit paradoxa, & improbabilis: ſolus enim Bellomontanus eam excogitauit contra communem cæterorum conſenſum: omnes enim aut docent, aut ſupponunt fomitem conſiderari, aut in actu primo, aut in actu ſecundo: habere autem veram rationem fomitis prout inexiſtit per modum actus primi, non autẽ ſecundi: nec ſane ſine fundamento; ſumitur enim ex verbis Pauli ad Rom. 7. vbi ipſam actualem motionem, quæ voluntatem actu inclinat ad peccandum, diſtinguit ab ipſo peccato, per quod ex cõmuni explicatione intelligit fomitem: agens enim de malo, quod eſt inordinata motio appetitus, & quod nolens operabatur, ita ait: *iam non ego operor* (ſ. tale malum, taleq; inordinatã motionem) *ſed quod inhabitat in me peccatũ*, id eſt, ſed fomes peccati, atque lex carnis in me inhabitans: expreſſè igitur Probatur ex Paul. Roman. 7.

igitur diſtinguit ipſum peccati fomitem (quem appellat peccatum) ab ipſo actuali malo, id eſt ab ipſa actuali motione inordinata, quam nolens operatur, id eſt, quæ in appetitu contra voluntatem excitatur: fomes eſt operans motum ipſum inordinatum tanquam effectum à ſe operatum. Et inde eſt vt caro affecta fomite ſit, quæ concupiſcit aduerſus ſpiritum (ad Galatas. 5.) quæ elicit inordinatos ipſos motus contra legem ſpiritus.

16. Probatur ratione. Accedit etiam commune argumentũ: quoniam in pueris in vtero conceptis, aut recenter natis nulla datur actualis motio rationi repugnans: & tamen in illis datur verus fomes, vt docet fides, vt omittamus in aliquo iuſto poſſe manere fomitem ligatum; in quo tamen nulla datur inordinata motio.

17. Non admittitur ſolutio Bellom. Nec ſatis eſt cum Bellomontano reſpondere eodem recidere dari motionem inordinatam, & poſſe dari: etenim licet vnus & idem actus, qui actu datur, fuerit in potentia ſuæ cauſæ, vt dari poſſit; tamen non idem eſt effectus virtualiter exiſtens in cauſa, & ipſa cauſa, in qua virtute continetur. Quare opinio Bellomõtani & parum eſt philoſophica, & non ſatis tuta, ſi fomitem eſſentialiter ponit non in actu primo, ſed ſolùm in ſecũdo:

18. 2. cõcluſio. Secunda concluſio: *Fomes pecati non poteſt eſſe aliquod vitium cauſatum in anima, quodcunque illud ſit, id eſt, ſiue ſit aliqua morbida qualitas animæ, ſiue ipſa pronitas in malum eiuſdem animæ. Hæc concluſio deducitur ex prima concluſione poſita in primo art.* vbi diximus fomitem non poſſe ſubiectari in ipſa animæ ſubſtantia.

19. 3. cõcluſio. Tertia concluſio: *Fomes non poteſt eſſe vitium aliquod (quodcunque illud ſit) immediatè ſuperadditum, aut carni, aut complexioni illius: ſed neceſſariò debet eſſe vitium appetitus ſenſitiui.* Hæc concluſio ponitur contra Henricum, & Angeſtum, quæ euidenter colligitur ex 1. art. concluſ. 2.

20. 4. cõcluſio. Quarta concluſio: *Fomes peccati formaliter non eſt ipſa naturalis, & habitualis inclinatio appetitus ſenſitiui, prout abſolute tendit ad bonum ſenſibile.* Contra hanc concluſionem nonnullos docuiſſe ſatis inſinuat Bellomontanus in locis ſuprà citatis §. 1. in vltima opinione: ſed neminẽ legi, qui illi repugnet; vnde puto eam ab omnibus recipi. Pro illius explicatione notandum eſt primò: quamcunque realem potentiam, quæ actu elicito in ſuum obiectum tendit, habere vim quãdam actiuam, quæ dici poteſt aptitudo, ſiue poſsibilitas potentialis illius; quia per eam poſitiuè apta eſt elicere actum circa proprium ſuum obiectum. 1. not.

¶ Notandum eſt ſecundò in quacunque actiua potentia dari appetitum naturalem in proprium obiectum, tanquam in proprium bonum, propriamque perfectionem; quo appetitu potentia illa naturaliter inclinata eſt ad tendẽdum actu elicito in ſuum obiectum, tanquam in proprium bonum: qui appetitus realiter eſt ipſa potentia, vt naturaliter inclinata in obiectum; formaliter verò eſt ipſa naturalis inclinatio, & pronitas, qua naturaliter in obiectum inclinatur: cum verò talis inclinatio ſemper ipſam potentiam comitetur, dici ſolet inclinatio habitualis. 21. 2. not.

¶ Notandum eſt tertiò, quod licet appetitus ſenſitiuus in genere rei conſideratus naturaliter appetat quodcunque bonum ſenſibile, quia quodcunque tale in genere rei eſt bonum illi naturale: tamen quatenus eſt potentia quædam moralis rigulabilis per rationem, in tantùm naturaliter appetit ipſum ſenſibile bonum, in quantum illud iuxta ordinem, atque pręſcriptum rationis appetit: quod verò cõtra hunc ordinem concupiſcit: contra naturam dicitur concupiſcere, vt dicemus concluſione 8. Ex quo infertur appetitum ſenſitiuum ſecundum ſe indifferentem eſſe ad tendendum in bonum ſenſibile ſecundum præſcriptum, & ordinem rationis, & contra illum. 22. 3. not.

¶ His poſitis probatur concluſio: nam inclinatio naturalis appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile abſolutè ſumptum abſtrahendo à modo tendendi. iuxta vel cõtra rationis ordinem, indifferens eſt ad bonum, & ad malum morale: & per ſe pertinet ad eſſentiam, & quidditatem appetitus ſenſitiui, vt eſt in homine: vnde ſine tali inclinatione nec dari, nec concipi poteſt: fomes autem peccati ſemper eſt ad malum: eſt enim concupiſcentia praua ad peccatum inclinans, ob quam rationem dicitur fomes peccati: vnde poteſt ab appetitu ſenſitiuo penitus auferri, vt inferiùs videbimus artic. 3. & 4. Probatur concluſio.

Ergo talis inclinatio, & pronitas naturalis ita præciſè ſumpta nullo modo dici poteſt fomes peccati.

23. 2. probatio Accedit; quia talis inclinatio eſt à natura, cum pertineat ad quidditatẽ, & poſitiuam perfectionem talis potentiæ, quę per ſe eſt bona: fomes autem non eſt à natura ſaltem per ſe intentus.

3. probatio. Tertiò adde; quoniam illa naturalis inclinatio, & pronitas ad bonum ſenſibile fuit in ſtatu innocentiæ, in quo erat concupiſcentia boni ſenſibilis ſecundũ præſcriptum rationis, vt ſupponimus: fomes autem peccati in illo ſtatu non fuit. Ergo talis inclinatio, & pronitas non eſt fomes peccati.

24. 5. cõcluſio. Quinta concluſio: *Fomes peccati eſt quædam habitualis inclinatio, & pronitas, qua appetitus ſenſitiuus pronus eſt ad malum ſenſibile rationi repugnans; & difficilis ad bonum ſenſibile rectæ rationi conueniens.* In hac concluſione omnes conueniunt, vt facilè intelliges, ſi ſingulas opiniones ſuperius poſitas expenderis: & ſatis euidẽter colligitur ex Paulo Roman.7: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis:* etenim ex Paulo in eo loco euidenter colliguntur duo effectus fomitis. Primus eſt pronitas ad malum præter aut contra rationem: ſecundus eſt difficultas ad operandum bonum rationi conſentiens. Primum effectum ſatis probant verba illa *repugnãtem legi mentis meæ*, quæ lex eſt ipſa recta ratio. Secundum verò effectum explicat in alijs verbis eiuſdem capitis: *velle* (.ſ. bonum) *adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio: non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago.* Et ſatis explicauit ad Galat.5: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis.* Igitur fomes peccati & inclinat ad malum rationi contrarium, & diuertit à bono rationi conſentaneum: & vtrumque affectum in appetitu ſenſitiuo operatur, reddens illum pronum ad malum, & difficilem ad bonum. In hoc igitur omnes opiniones conueniunt: tota difficultas eſt, quidnam ſit hæc pronitas appetitus ad malum, & difficultas ad bonum? in quo Doctores variant, & difficultatẽ adhibitis cõcluſionibus nitimur diſſoluere.

Probatur ex Paulo Roman.7.

Duo fomitis effectus.

Ad Rom. 7.

Ad Galat. 5.

25. 6. concluſ. Sit igitur ſexta concluſio: *Fomes peccati, quo appetitus ſenſitiuus inclinatur ad malum, & auertitur à bono, non eſt aliqua qualitas realis appetitui ſuperaddita.* Hanc morbidam qualitatem realiter ſuperadditam in terminis impugnat *Augeſtus in ſuis moralibus cap.15. §. Huic opinioni, & §. Prima concluſio*: eam non admittit *Bellomont.1.tom.ad 3.p. diſp.61.cap.8. n.47. in fine, & 2.tom. diſp.118. cap.4. n.43.* vbi aſſerit opinionem iſtam eſſe ſine vllo fũdamento excogitatam: opportebat tamẽ illam impugnare: nos tamen latè eam impugnauimus in noſtro tractatu de peccato originali: nunc eam ex eo impugnamus; quod fomes peccati, vitiumque cõcupiſcentiæ relictum eſt in nobis ex peccato Adami per amiſsionem iuſtitiæ originalis, quæ potentias inferiores rationi ſubijciebat. Sed per peccatum Adami, & expoliatione iuſtitię originalis nulla qualitas morbida potuit in nobis cauſari. Ergo fomes peccati non poteſt eſſe aliqua qualitas morbida. Maior ſatis euidenter probatur ex *Tridentino ſeſsione 5. canone vltimo de peccato originali*, dùm diffinit fomitem ſiue concupiſcentiam, ideò à Paulo dici peccatum, quia à peccato Adami orta eſt. Minor verò facilè oſtenditur: quoniam qualitas illa naturaliter non reſultat ex homine ſumpto in puris naturalibus; quare iuſtitia originalis naturalem illius reſultantiam impediret: nullus enim hanc naturalitatem in hac morbida qualitate poteſt agnoſcere. Quod verò fuerit communicata Adamo ex veneno ſo ſerpentis flatu (vt Gregorius exiſtimat) plane eſt fictitium, vt ab omnibus improbatur, vt latè oſtendimus in dicto tractatu de peccato originali. Vbi etiam oſtendimus improbabiliter dici qualitatem illam in primis parentibus cauſatam fuiſſe ex fructo vetito, quem comederunt, quæ fuit opinio Adami, & quorũdam aliorum: etenim cum arbor ſcientiæ boni & mali eſſet ordinis naturalis, non poterat fructum producere per ſe malũ, aut homini moraliter exitialem, vt colliges ex *Auguſt. 13. de Ciuitate Dei cap.20.* dûm ait, Deum non ideò fructum illius arboris interdixiſſe, quod per ſe malus eſſet, aut homini exitialis, ſed ob aliam cauſam, quam explicare non eſt huius loci.

Augeſtus.

Bellomon.

1. argum.

Trident.

26. Non reſultat ex pura natura.

27. Non ex flatu ſerpentis

28. Nec ex fructu vetito.

Auguſt.

loci. Quæ doctrina veriſsima eſt, ſiue arbor illa fuerit vitis, ſiue frumentum, ſiue ficus, ſiue pomus: hæ enim arbores fructum ex ſua natura exitialem non producunt; ſed ſalutiferum, & ſalubrem. Quin potius cuiuſcumque ſpeciei arbor illa fuerit, cum fuerit ordinis naturalis, licet poſſit eſſe venenoſa in ordine ad ſalutē corporalem; non potuit producere effectū, qui virtutem naturalis cauſæ excederet: iam verò morbidam illam qualitatem efficere, vt appetitus præter rationē in bonum ſenſibile feratur, excedit virtutem naturalem cuiuſcumque cibi: cum effectus, qui illi qualitati tribuitur, potius ſpectet ad morbum ſuo modo moralem, quā ad morbū ſimpliciter naturalem, qui ſolùm dari poteſt in ordine ad vitæ corporalis exitium.

29. Contra opinionē Adami. Quare Adami opinio ſine fūdamēto aſſeritur. Sicut etiā ſine vllo aſſeritur qualitatē illā reſultaſſe in Adamo ex inordinatione primarū qualitatum, ſiue humorū, ex quibus complexio illius componebatur: nam ex in humorum inordinatione nulla morbida qualitas cauſari poteſt, niſi in ordinem ad corporalem hominis ſalutem diſponentem ad interitum corporis, non verò ad interitum animæ, qui eſt moralis. Quibus accedit, quia Adamus comedēs per aliquod tempus in eadē permanſit humorum proportione, quam habebat, antequam comederet: etenim cibus ille, cum naturaliter operaretur, non in inſtanti, nec in breuiſsimo aliquo tempore operari poterat: cum tamen Adamus ſtatim atque comedit, in fomitem peccati incurrerit. Quare nec in hoc audiendus eſt Angeſtus, illam probans opinionem. Minor igitur noſtri diſcurſus, veriſsima eſt, quatenus habet morbidam illam qualitatem non potuiſſe naturaliter in nobis cauſari ex carentia iuſtitiæ originalis, nec ex aliqua alia cauſa naturali.

(Nec reſultat ex primis qualitatibus.)

30. Alia probatio. Confirmatur etiam; quoniam remota quacumque qualitate ſuperaddita appetitui ſenſitiuo, ex ſola ſpoliatione iuſtitiæ originalis datur in ipſo appetitu inordinata concupiſcentia vt patebit ex concl. 8. Ergo talis qualitas eſt ſuperflua. Et hæc ſatis ſint pro impugnanda morbida illa qualitate ſuperaddita, aut animæ, aut carni; nam eā latius impugnare pertinet ad materiam de peccato originali.

Nec obſtat, quod fomes ab Auguſtino aliquando dicatur affectus malæ qualitatis, vt patet de nuptijs, & concupiſcentia cap. 25. tom. 7. etenim nomine qualitatis vtitur Auguſtin. ſatis large; ideo quia eſt ægritudo quædam, & mala affectio naturæ: ægritudo autem ſolet appellari qualitas, & habitus, vt aduertit D. Thom. 1. 2. q. 82. articul. 1. & refert Corduben. lib. 1. quæſtion. q. 45, in fine primi puncti. 31. Solutio obiectionis.

Septima concluſio: *Fomes peccati formaliter non eſt ipſa poſsibilitas aptitudoque negatiua, ſiue potius non repugnantia ad concupiſcendum bonum ſenſibile præter, vel contra præſcriptum rationis, quæ in appetitu ſenſitiuo relicta eſt ex carentia iuſtitiæ originalis.* Hæc concluſio in his terminis probata eſt *Ioannis Driedoni lib. 1. de gratia, & libero arbitrio tract. 3. p. 9. ad 4. fol. 118. pag. 1. & Pallatio in 3. diſt. 3. diſp. 3. pag. 53. col. 2.* Probatur hęc concluſio: quoniā fomes peccati non fuit in Adamo ante peccatū: etenim in eo, & in nobis cauſatus eſt ex peccato, vt Eccleſia ſemper docuit ex Tridentino ſeſſ. 5. Canone. 5. de peccato originali. Iā verò in appetitu ſenſitiuo Adami fuit poſsibilitas, & aptitudo, hoc eſt non repugnantia ad peccatum, & ad reſiſtendum rectę rationi: nam de facto peccauit, & appetitus eius ſenſitiuus rectæ rationi reſtitit, Ergo talis poſsibilitas ſeu aptitudo non eſt ſatis ad rationem fomitis. 32. 7. Concluſ. Driedo. Pallatius. 1. Ratio.

Accedit; quoniam talis poſsibilitas ſeu non repugnantia ad peccandum, cum ſit radicalis potentia peccati cōueniens creaturæ rationali ex eo, quia eſt ex nihilo; non habet ortum ex peccato, ſed ex intrinſecis creaturæ principijs: vnde formaliter non poteſt eſſe peccati fomes. 33. 2. Ratio.

Octaua concluſio: *Fomes peccati de facto eſt pronitas, & inclinatio habitualis appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile præter, aut contra rectam rationem, præciſe in nobis exiſtens ex ſpoliatione iuſtitiæ originalis propter Adami peccatum.* Hæc concluſio omniū fere conſenſu recipitur vt patet ex Authoribus, quos pro ſeptima opinione citāuimus. Quod hæc fuerit opinio D. Thomæ dubitari non poteſt, vt patet ex locis citatis in dicta opinione ſeptima: in illis enim omnibus expreſſe declarat fomitem importare concupiſcentiam, & inclinationem appetitus ſenſitiui in dele- 34. 8. Concluſ.

ctabile præter ordinem rationis. Nec etiã *Eſt Durãd.* dubitari poteſt hanc fuiſſe mẽtem *Durandi in 3. diſt. 3. q. 3. num. 6.* ita enim ſcribit: *fomes nihil aliud eſt, quam inclinatio habitualis appetitus ſenſitiui in aliquod delectabile ſecundum ſenſum præter imperium rationis:* quare non ſunt audiendi, qui oppoſitum illi imponunt: vtrũ verò reprehendẽdus ſit, quatenus ait fomitem iſtum ſecundũ ſe tolli non poſſe? inferius dicemus: modo ſolùm agimus de quidditate fomitis, in qua explicanda nobiſcum conſentit. Cũ Durando eiſdem verbis noſtram ſententiã explicat *Hernæus in 3. d. 3. q. 1. poſt quartam opinionem §. Ad cuius euidentiam:* *Hernæus, Paludan. Caietan. Medin.* expreſſe etiam conſentit *Palud. in 3. diſt. 3. q. 2. in 2. cõcluſione fol. 25. col. 3. Conſentiũt omnes Thomiſtæ, & ſatis Caietan. 3. p. q. 27. art. 3. ad 1. & ſecundum dubium, vbi etiam Medin. in principio, & idem Medina 3. p. q. 15. art. 2.* Denique eſt cõmunior Theologorũ ſententia.

35. *Explicatio cõcluſionis.* Dixi *relicta in nobis ex peccato Adami*; quia nunc agimus de fomite peccati, qui de facto in nobis datur: hic autem in nobis relinquitur ex peccato Adami, vt fides docet apud Trident. in dicta ſeſsio. 5. Canone 5. de peccato originali; vbi ideo dicitur fomes peccati; quia eſt ex peccato, & in peccatum inclinat. *Quæſtio incidens.* Vtrùm verò de ratione fomitis abſolutè ſumpti ſit, quod relinquatur ex peccato; an verò ſatis ſit ipſa habitualis pronitas inclinans ad peccatum, & ad bonũ ſenſibile, quod eſt contra rationem? quæſtio eſt inter Theologos, de qua dicemus in ſequenti concluſione: modo illũ ſolùm ſtatuimus fomitẽ in ſua ratione per ſe includere talem habitualem pronitatem: & per conſequens cum ex peccato Adami ſit in nobis relicta; non poteſt non dici verus peccati fomes.

36. *Probatur cõcluſio.* Hæc concluſio hac ratione euidenter demonſtratur: quoniã fomes peccati propriè ſumptus eſt quoddam vitiũ ex peccato Adami in noſtro appetitu ſenſitiuo relictum, quo appetitus habitualiter eſt pronus, & inclinatus ad bonum ſenſibile præter, aut contra rationem. Sed appetitus ſenſitiuus noſter ex eo præciſe, quod per Adami peccatum fuit priuatus iuſtitia originali, manſit cum habituali pronitate, & inclinatione ad bonum ſenſibile præter, & contra rectam rationem. Ergo pronitas, & inclinatio habitualis ad bonũ ſenſibile præter, & contra rationẽ ſe ipſa per ſe, & formaliter eſt fomes peccati. Maior huius rationis ab omnibus, tanquam indubitata admittitur: omnes enim opiniones, quas citauimus, in hoc conueniũt, vt fomes peccati formaliter ſumptus ſit aliquod vitium relictum in appetitu ſenſitiuo ex peccato Adami, & ex priuatione iuſtitiæ originalis, quo appetitus manſit habitualiter pronus ad concupiſcendũ bonum ſenſibile præter, & cõtra regulas rectæ rationis: dubitant tamen, per quidnam mãſerit ita inordinatè pronus. Quare maior illa apud omnes eſt indubitata.

Minor autẽ facilè probabitur, ſi aduer 37. *Probatur minor.* tamus appetitũ ſenſitiuum in homine dupliciter conſiderari poſſe: vno modo abſolutè, & in genere rei; quomodo eſt eiuſdem rationis cum appetitu ſenſitiuo brutorum. Altero modo vt eſt appetitus hominis: ſub qua ratione ſuo modo eſt rationalis, & voluntarius nimirum per participationem, vt docet *D. Thom. in 3. diſt. 17. q. 1, art. 1. quæſtiunc. 3.* & ſub hac conſideratione ex ſua natura habet, quod rationi, & volũtati ſit ſubijcibilis, & ab vtroque poſsit gubernari, ex eodem D. Tho. *D. Thom.* 1. 2. q. 75. art. 7. ad 1. & ſatis colligitur ex *Ariſtot.* Ariſtot. 1. Politic. cap. 3. ſubijcitur autem non ſubiectione deſpotica. i. ſeruili; quaſi non poſsit non obedire; ſed ſubiectione politica, & ciuili; quia. ſ. poteſt contra rationis ducatum rebellare, & illi non obedire, vt ſatis expreſſe docet Ariſtot. cum D. Thom. vbi ſupra; & ſatis Paul. ad Ro- *Ad Rom. 7.* man. 7. dum ait: *Non enim quod volo bonũ hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago:* vnde infertur poſſe appetitum ſenſitiuum aliquid concupiſcere repugnante ratione, & voluntate: vnde idem Paul. in dicto c. 7. dicit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et ad Galat. *Ad Galat. 5.* 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; & ſpiritus aduerſus carnem.* Cum igitur appetitus ipſe ſecundum ſe ſit naturalis; voluntarius autem per participationem; ex ſua natura indiget fræno, vt à naturalitate, & determinatione, quam habet ad bonum ſenſibile, remoueatur, ne in tale bonum, aut ſine ductu rationis, aut contra illum feratur.

Et inde eſt vt ſi ſuæ naturæ abſq; vllo 38. fræno relinquatur; feratur in bonum ſenſibile

ſibile; voluntariè quidem (quia eſt appetitus voluntarius per participationem) ad modum tamen ſuę naturę, ex qua habet, quod relictus ſibi ſine fræno rationis toto impetu feratur in bonum ſenſibile cōtra ducatum rationis, vt doctiſsimè aduer-

Scotus.

tit *Scotus in 2. diſtin. 32. q. 1. §. contra iſtam viā verſ. contra, ſicut in poteſtate*: cū enim ex ſua natura ducatur ab obiecto, non verò à ratione imperioque volūtatis; niſi frænum habeat, quo voluntati ſubijciatur, toto impetu feretur in bonum ſenſibile, non ſolùm præueniendo rationem; ſed etiam contra illam rebellando: quod in hac materia eſt diligenter aduertendū.

Cōcluditur minor.

Ex quo iam patet veritas minoris propoſitæ: patet enim ex dictis hanc habitualem pronitatem appetitui ſenſitiuo naturaliter conuenire ex ipſa præciſa ſpoliatione fræni (qualis in Adamo erat ipſa originalis iuſtitia) abſque vlla vitioſa qualitate ſuperaddita: quæ fuit minor probāda. Ex qua ſimul cum maiore neceſſario infertur fomitē peccati formaliter nihil aliud eſſe, quam ipſam habitualem pronitatem, & inclinationem appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile præter, aut contra rationis præſcriptum in nobis relictam ex peccato Adami, & ex priuatione iuſtitiæ originalis. Quæ fuit noſtra concluſio.

39. Nona & vltima cōcluſio.

Nona, & vltima concluſio: *De intrinſeca ratione fomitis nec eſt, eſſe relictum ex peccato Adami: nec etiam, quod intenſius in bonum ſenſibile inclinet, quam inclinaret in puris naturalibus. Quare pronitas morboſa, quæ ineſſet in homine, ſi in puris naturalibus crearetur, vere eſſet fomes peccati, & morbus in peccatum inclinans.*

Cōtra Cordubenſem.

Hæc concluſio ſaltem quoad ſecundam partem ſtatuitur contra *Corduben. lib. 1. quæſtion. q. 45. in 2. punct. §. Et hæc tertia opinio, pag. 382. colu. 2*;

Contra Richard.

quam ſatis videtur approbaſſe *Richard. in 3. diſt. 3. art. 1. q. 4. ad 2*, dum ait fomitem dicere corruptionem, quæ nō eſſet in homine in puris naturalibus. Statuitur autem ad mentem *Soti lib. 1. de natura, & gratia, cap. 3. poſt principium, & cap. 11. pag. 33 colum. 1. & cap. 13. pag. 43. col. 1. ad mentem etiam Caieta 12. q. 82. art. 1. §. Ad primum horum dicitur, & q. 109. artic. 2, §. Secundo autem dubio.*

Eſt Soti & Caietan.

40. Probatur 1. pars.

Prima pars huius aſſertionis ex eo euidenter probatur; quoniam ex peccato Adami plura mala incurrimus, quæ non ſunt peccata, nec ad peccatum inclinant; vt mors, infirmitas corporalis, & alia huius generis; quare ad rationem fomitis nō ſatis eſt eſſe relictum, & cauſatum ex peccato Adami.

41. 2. Pars probat.

Secunda verò pars aſſertionis ex eo euidenter oſtenditur; quoniam ad rationem fomitis ſatis eſt, quod ſit pronitas, & inclinatio appetitus ſenſitiui ad peccatū. Ergo fomes ex ſua intrinſeca ratione nō habet, quod intenſius, & modo præternaturali inclinet ad peccatū; ſed ſatis eſt quod in illud inclinet. Cōſequētia videtur nota qā ſi ſine tali præternaturalitate poteſt inueniri vera, & propria ratio fomitis, vtiq; ratio fomitis per ſe nō ponitur in illa prę ternaturali inclinatione: nihil enim dari poteſt ſine ſua eſſentia. Porrò antecedēs probatur; quia ex *Trident. in dicta ſeſſ. 5. Canone 5.* de peccato originali fomes ſiue concupiſcentia ideo dicitur peccatū, quia inclinat ad peccatum: & merito; quoniā Paulus ad concupiſcentiam, ſiue fomitem nihil aliud requirit, quam repugnantiam ad legem mentis: *video* (iquit ad Roma. 7.) *Aliā legem in mēbris meis repugnantem legi mētis meæ.* & ad Galat. 5. *Caro cōcupiſcit aduerſus ſpiritū: ſpiritus antē aduerſus carnē:* quæ verba ſatis denotāt ad cōcupiſcentiā legemque peccati in membris exiſtentē ſatis ſuperque eſſe repugnantiam cōtra ſpiritum, & legem mentis.

Trident. Roma. 7. Galat. 5.

Alia ratio.

Cui doctrinæ accedit quoniam magis, & minus in intenſione non facit diſcrimen eſſentiale, ſed ſolùm accidentale, vt eſt Philoſophia vulgata. Quare inclinationem aliquā magis, vel minus inclinare in bonum ſenſibile præter, vel contra rationem non facit eſſentiale diſcrimen inter vnam, & alteram concupiſcentiā, vt vna verè, & eſſentialiter dicatur fomes; nō vero altera: & hinc eſt, vt fomes (qui verè datur in nobis) nō in ōnibus ęqualiter inclinet ad malum contra rationem; ſed magis inclinet in his, quam in illis, vt omnes Theologi admittunt.

42. Soluitur obiectio.

Nec huic reſolutioni obſtat, quod fomes interdum inclinet ad bonū, vt patet in illo, qui ante matrimonium inclinabat ad non vxorem, poſt matrimonium verò cum eadem inclinet ad eam, vt ad vxorē: non obſtat inquam; quoniam licet ea inclinatio, & pronitas, quæ inclinabat ad

mulie-

mulierem non dum vxorem, inclinet ad eandem iam vxorē: non tamen poſt matrimonium habet rationem fomitis, quā tamen habebat ante matrimonium. Vnde falſum eſt, quod Cordubenſis ſumit, ad rationem fomitis non ſatis eſſe inclinationem ad delectabile ſenſibile contra rationem: oppoſitum enim iam demonſtrauimus.

43. Corollarium. Ex dictis infertur vltima noſtræ aſſertionis pars. ſ. *Pronitatem morboſam, quæ ineſſet in homine creato in puris naturalibus, habituram fore veram ratione fomitis, & morbi in peccatum inclinantis.* Hæc vltima pars conclusionis ex dictis, euidenter probatur, quoniam pronitas, & inclinatio appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile inclinās ad malum contra regulam rationis, eſſentialiter eſt verus fomes peccati, vt iā oſtēdimus, & ſatis docet *Auguſti. lib. 6. contra Iulian. cap.* 16. Sed in appetitu ſenſitiuo hominis creati in puris naturalibus reperitur pronitas illa habitualis, & habitualis inclinatio ad bonum ſenſibile excedens limites rectæ rationis; & ſubinde reperitur pronitas ad bonum ſenſibile rationi contrarium, vt ſatis patet ex Auguſtin. loco citato. Ergo in appetitu creato in puris naturalibus reperirietur verus fomes peccati.

Cōfirmatū. *Auguſt.*

44. 1. Cōfirm. Confirmatur; quoniam peccatū Adami ideo nos in deterius commutauit ſecū dum corpus, & animam; quia, & gratiā, & iuſtitiam originalem à nobis abſtulit; & ſimul cū illis omnia bona, quæ ex eis in nobis reſultabant: fuit enim cauſa omnium noſtrorum malorum, & defectuū tam naturalium, quàm moralium, tanquā remouens prohibens, id eſt, tanquam remouens id, quod in nobis omnia illa mala prohibebat, & bona oppoſita largiebatur. Sed omnium illorū, quibus nos per peccatum priuati ſumus, homo in puris naturalibus creatus habet veram negationē. Ergo omnia mala, quæ ex ſpoliatione originalis iuſtitiæ nos cōſequūtur; conſequētur etiam hominem in puris naturalibus ex negatione eiuſdem iuſtitiæ: etenim priuatio non inducit maiorem negationē formę in ſubiecto priuato, quam inducat pura negatio in ſubiecto negato. Quæ ratio ſpecialiter locū habet in appetitu ſenſitiuo, vt optimè demonſtrat *Scotus in 2. diſt. 32. q. 1. §. Contra iſtam viam*: nam appetitus ſenſitiuus ſibi derelictus, cum naturaliter feratur in delectabile ſecundum ſenſum, ſicut non habet in ſua poteſtate non delectari; ita nec modum delectandi. Quin potius non poteſt non toto impetu, & ſecundum vltimum potentiæ. Iam verò appetitus ſenſitiuus æqualiter derelictus eſt ſibi in homine creato in puris naturalibus, atq; eſt in nobis; quia in vtroque æqualis eſt negatio donorum ſupernaturalium, & virtutum moralium: imò etiam æqualis eſt negatio prauorum habituum. Ergo appetitus ſenſitiuus in tali homine, quantum eſt ex ſe ferretur in delectabile ſecundum totum potentię connatum. Quia à ratione per aliquod donū impediri, & moderari non poteſt.

Scotus.

Ex quibus patet veriſsimam eſſe doctrinam *Caietani, & Soti locis citatis* hominem creatum in puris naturalibus ſolùm differre ab homine, qui ex peccato Adami fuit ſpoliatus iuſtitia originali, vt differt homo nudus, qui nunquam fuit veſtitus, ab homine denudato à veſtibus, quibus induebatur. Quo fit, vt appetitus ſēſitiuus poſt peccatūm Adami non propēſius, aut magis præternaturaliter feratur in bonum ſenſibile, quam ferretur in homine creato in puris naturalibus: idque ſi vtrumque hominem ſpectemus ſecundum ſe, & vt vterque ſuæ naturæ relinquitur, denudatus tùm à bonis, quibus eſt ſpoliatus; tùm à malis habitibus, quos poſtea quilibet proprijs actibus eſt conſecutus. 45. Doctrina Caietani, & Soti placet.

46. Ad 1. argū. Nec obſtant argumenta Cordubenſis: nam ad primum, quo ſingula membra impugnantur. dicimus fomitem eſſe inclinationem illam naturalem, qua appetitus ſenſitiuus ad ſenſitiuum bonum inclinat; non ſecundum ſe ſumptam, & prout indifferens eſt ad hunc, vel illum modū inclinandi: quia vt ſic aliquando poteſt inclinare ad bonum; cum tamen de ratione fomitis ſit ſemper inclinare ad malū; ſed quatenus ex ſe abſque rationis regula inclinat ad bonum ſenſibile; Ex quo ſequitur, quod inclinet ad illicita. Id autē, quod obijcitur de fomite inclinante ad copulam cum non ſua, & cætera; dicendum eſt: poſtquam iam eſt ſua, non inclinare, quatenus eſt fomes, quia iam regulatur iudicio rationis.

47. Ad 2. Ad ſecundum, quod ex vulneratione natu-

Scotus. naturalium ſumitur, patet ſolutio: quia talis vulneratio, quatenus eſt infirmitas non eſſet maior, quam foret in puris naturalibus, vt Caietan. & Sotus, & alij cōmuniter docēt, & probat *Scotus in 2, diſt. 29. q. 1. ad 3.*

46. *Ad Anſ.* Quæ verò obijcit ex *Anſelmo in lib. de Conceptu virginali cap. 3. 4. & 5.* non concludunt, vt intuenti facile patebit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm fomes peccati detur in nobis?

§. 1. *Refertur opinio Catholica.*

1. Fomitū dari in nobis ē de fide.

HVius quæſtionis pars affirmatiua eſt de fide, vt patet ex Tridentino ſeſſio. 5. Canon. 5. de peccato originali, vbi in hæc verba: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem hæc ſancta Synodus fatetur, & ſentit.* Quæ veritas in Eccleſia ſemper fuit indubitata, & eam communis Patrum, & Theologorum conſenſus ſemper docuit, & ſatis *Ad Rom. 7.* Paul. ad Rom. 7. vbi poſt multa, quæ docuit de concupiſcentia carnis, eiuſque rebellione ita ſcribit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,* *Ad Galat. 5.* Et ad Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; & ſpiritus aduerſus carnem.*

§. 2. *Præmiſsis nonnullis ponitur quædam difficultas.*

2. 1. Præmiſſ.

PRo explicatione difficultatis, quæ aduerſus explicatam veritatem inſurgit, duo ſunt præmittenda. Primum eſt appetitum ſenſitiuum dupliciter conſiderari poſſe: vno modo abſolutè, prout eſt eiuſdem rationis cum appetitu brutorum: altero modo, prout eſt appetitus hominis, vt ſatis colliges ex *D. Thom.* *Diuo Thom. 1. 2. q. 82. art. 3. ad 1. & 3. & 3. p. q. 15. art. 2. ad 2.* Priori modo cum ſit appetitus naturalis, naturaliter fertur in ſuum obiectum, quod eſt bonum ſenſibile. Poſteriori autem modo, ideo, quia in homine coniunctus eſt cum parte rationali, aliquo modo eſt rationalis, diciturque volūtas participatiuè, *D. Thom.* ex eodem *D. Thom. in 3. diſt. 17. q. 1. art. 1. quæſtiūc. 2.* & inde eſt vt ex ſua natura ſubijciatur rationi, & volūtati, & ab ea gubernetur, vt idem Thom. docet *1. 2. q. 75. art. 7. ad 1. & ſatis colligitur ex Ariſtot. 1. Politic. cap. 3.* *Ariſt.*

3. 2. notabile

Secundo loco aduertimus appetitum ſenſitiuū ſubijci rationi, & voluntati ſubiectione nō deſpoſita ideſt ſeruili; ſed politica, & ciuili, qua ita ſubiectus eſt, vt poſsit contra rationem rebellare, & illi nō obedire, vt eo loco docet Ariſtot. & ſatis *Ad Rom. 7.* Paul. ad Roman. 7. dū ait: *Non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.* Ex quo infertur poſſe appetitū ſenſitiuum aliquid concupiſcere repugnante ratione: vnde idem Paul. in dicto cap. 7. ait: *Video aliam legem in mēbris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et ad Galat. *Ad Galat. 5.* 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.* ¶ Ex quibus facilè confirmatur veritas Catholica, quam præmiſimus, in qua ſupponitur dari in nobis fomitem, & concupiſcētiam contra rectam rationem.

4. Difficultas. *D. Thom.*

Contra hanc Catholicam reſolutionē ſe ſe offert non facilis difficultas, ſumpta ex doctrina *D. Thom. 1. 2. q. 82. artic. 3. ad 1. & 3. p. q. 15. art. 2. ad 1.* vbi docet appetitum ſenſitiuum naturaliter eſſe ſubiectum rationi, & ab ea naturaliter agi, cuius doctrina ab omnibus recipitur: qua ſuppoſita iam inſurgit difficultas: quoniā quæ naturalia ſūt, ſūt immutabilia. Ergo ſi appetitus ſenſitiuus naturaliter ſubijcitur rectæ rationi, & ab ea naturaliter agitur; qui fieri poteſt, vt contra ipſius rationis regulas nō ſolū inſurgat, ſed etiam naturaliter inſurgat?

§ 3. *Soluitur allata difficultas.*

5. 1. Præmiſſ.

VT huic difficultati reſpondeamus, præmittendum eſt appetitum ſenſitiuum, vt eſt in homine, ſpectari poſſe, aut in genere rei, aut in genere moris: priori modo ſpectatur in ſua entitate abſolutè ſumpta, & prout eſt eiuſdē rationis cum appetitu brutorum: poſteriori verò modo ex coniunctione cum ratione, & volūtate ſuo modo participat rationalitatem, & voluntatem; vnde iſto modo voluntariè ſubijcitur rationi, cum illi ſubijciatur ſubiectione politica, & ciuili, quæ ita obedit rationis dictamini, vt poſsit non obedire, vt diximus: vnde ſub

iſta

iſta conſideratione actiones eius ſuo modo dicuntur naturaliter bonæ, aut malæ, vt eſt recepta Philoſophia. Quare cum D. Thom. & Philoſophi docent appetitũ ſenſitiuum hominis naturaliter ſubijci rectæ rationi, intelliguntur non de naturalitate phyſica, quæ ad vnum eſt determinata; ſed de naturalitate morali, quæ expenditur penes naturalem decentiam; hæc autem admittit naturalem indecentiam contra rationis rectitudinem: & ſecundum hanc conſiderationem actiones bonæ dicuntur actiones ſecundum naturam; malæ autem contra naturam; ſcilicet naturalitate, & innaturalitate morali.

Intellectus datæ doctrinæ.

6. Reſolutio. Igitur ſtatuendum eſt appetitum ſenſitiuum, vt eſt in homine, & prout in eo participat rationem voluntarij, ita ſubijci rationi rectæ, vt poſsit non ſubijci, ſed illi rebellare. Quare in homine ex ſua natura eſt ſubijcibilis rationi; nõ tamen ex ſua natura eſt determinate ſubiectus illi, ita vt in actum exire nequeat ſine aliquo rationis ductu; quia poteſt præuenire rationẽ: ſicut etiam ex ſua natura eſt ſubijcibilis rationi, quia ex ſua natura (vt ſcilicet eſt in homine) habet quod poſsit operari ductus à ratione præcedente, & concupiſcere id, quod ratio recta dictat: non tamen ex ſua natura (etiam vt eſt in homine) eſt determinate ſubiectus, aut rationi rectæ, aut non rectæ; quia ex ſua natura, & ex ſubiectione ciuili habet, quod aut rectæ rationi obediat; aut illi, quæ corrupta bonum illi proprium ſuadet. Quare cũ D. Thomas, & Philoſophi docent appetitum tunc agere ſecundum naturam, cum rectæ rationi obtemperat; contra naturã vero, cum ab ea diſcordat, intelligendi ſũt de natura moraliter ſumpta, non phyſicè.

7. Nota Philoſophiam. Quare hæc duo optimè conſtant: ſcilicet appetitum ſenſitiuum, vt eſt in homine, ſecundũ conſideratiõe moralem tũc naturaliter operari, cum operatur ſecundum rectam rationẽ: & tamen poſſe cõtra ſuam naturam operari ſtante rationis repugnantia. Et cum vtroque cõſtat, quod ſibi relictus abſque vlla freni moderatione, qua rationi rectæ ſubijciatur, ex ſua natura toto impetu feratur in bonum ſenſibile, vt ſupra diximus cum *Scoto in 2. diſt. 3 2. q. 1. §. Contra iſtam viam verſ. contra ſicut in poteſtate*: nam cum appetitus in homine ſit potentia per ſe naturalis, libera autem ſolùm per participationem, ex ſe habet, quod non ducat, ſed ab alio ducatur: cum verò relictus ſibi non ducatur ab aliquo, quo rectæ rationi ſubiectetur; ex ſua natura ducetur à ſola bonitate obiecti ſenſibilis; vnde in illud feretur toto connatu ad modum naturæ, etiam contra rationis dictamen: quia in illa caſu magis mouetur à bono proprio, quam à bono rationis.

Scotus.

Et iſto modo facilè diſſolues allatã difficultatem, & ea, quę in illius confirmationem adduci poſſunt.

ARTICVLVS IIII.

An fomes peccati poſsit tùm ligari; tùm etiam tolli?

§. 1.

Quid ſit fomitem ligari; quidve tolli?

VT quæſtio iſta clarius explicetur, præmittẽdum eſt, quidnam ſit fomitem ligari; quidve tolli? ex hoc enim pendet vera explicatio principalis difficultatis. Aduertendũ eſt igitur quęſtionem iſtam nõ excitari de fomite materialiter ſumpto. 1. de re quę denominatur fomes, qualis eſt appetitus ſenſitiuus, vt pronus eſt, & inclinatus ad bonum ſenſibile: fomes enim hoc modo ſumptus cũ ſit naturalis hominis potentia, non poteſt ab eo tolli: vnde hoc modo, & fuit in Chriſto, & in Virgine, & erit in beatis. Sermo igitur eſt de fomite ſumpto formaliter. 1. de ipſa formalitate fomitis, quæ, vt iam diximus poſita eſt in ipſa inordinata inclinatione appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile contra regulas rectæ rationis: ab hac enim, vt dicta eſt inordinata, appetitus ipſe dicitur fomes, & ſine qua fomitis rationem habere non poteſt. 1.

1. Quęſtio nõ excitatur de fomite materialiter ſed formaliter.

Hoc pręmiſſo iam inquiri poteſt, quidnam ſit fomitem ligari; quidve tolli? in hoc enim non omnes cõſentiunt: etenim *Paludan. in 3. diſt. 3. q. 2. ar. 3. concl. 1. & 2.* vult fomitem omnino tolli idẽ eſſe qdod fomitem non poſſe exire, & inclinare in actum, qui ſimpliciter eſt peccatum, quale eſt peccatum mortale, licet poſsit in aliquem actum peccati ſecundũ quid, quale eſt peccatũ veniale: probat hoc; quia ratio in ſomno dicitur ligari, nõ quia non poteſt 2.

2. Quæſtio. Opinio Paludan.

teſt exire in aliquē actum; ſed quia nō poteſt exire in actū, qui ſimpliciter dici debeat actus rationis: quia tūc homo vſum rationis perfectę non habet: diceretur autem tolli, quando in nullum actum poſſet exire. Similiter igitur in propoſito,

3. Opinio Durand. Durandus duobus modis rem explicat: vno modo abſolutè, & iuxta ſententiā, quam putat eſſe verā. Altero modo iuxta ſententiā cōmunē: etenim ſi fomes poteſt ſimpliciter tolli, vt cōmunis probat opinio; tūc fomes dicitur ligari, quādo appetitus ſenſitiuus per aliquā cauſam extrinſecā impeditur, ne actu feratur in malum contra rationem: auferri verò dicitur, quando per aliquē habitum intrinſecum impeditur, ne exeat in actum malum. Porrò iuxta propriam ſententiam, quam probat, fomes tunc dicitur ligari, cum manens in appetitu impeditur ne exeat in actum malum, ſiue impediatur extrinſecè, ſiue intrinſecè: auferri verò tunc dicetur cum id, quod verè, & propriè eſt fomes, nullo modo in appetitu manet. Hæc eſt propria opinio Durandi, cuius priorem partem explicat *in 3. diſt. 3. q. 3. num. 8. & 10. quoad poſteriorem verò eam inſinuat ibidem numero ſexto, & ſeptimo.* (Durand.)

4. Neutra admittitur. Neutra tamen harum explicationum admittenda eſt: non prima: quia fomes nō ſolum ligari poteſt, ne exeat in actū peccati mortalis: ſed etiam ne exeat in actū peccati venialis: quare fomitem tolli non eſt eum non poſſe exire in aliquem actū peccati mortalis, aut venialis. Nec admittenda eſt prima Durandi explicatio: quoniam, vt ex dicendis patebit, fomes non ſolum poteſt ligari per formam extrinſecam, ſed etiam per intrinſecam. Secunda verò admittenda eſt, vt ex dicendis patebit. (Contra Durand.)

5. Vera reſolutio. Dicendum eſt igitur, fomitem ligari non eſſe aliud, quam fomitem adhuc manentem impediri, ne in aliquem motum prauum exeat: nam quod ligatur, manet: impeditur tamen, ne ſuo poſsit fungi munere: in hoc enim ſenſu homo dicitur cōpedibus ligari; quia ipſis compedibus impeditur, ne poſsit pedes ad ambulandum mouere: in eodem etiam ſenſu in ſomno & in ebritate ratio dicitur ligari; quatenus manens in homine impeditur à ſua operatione. Porrò fomitem auferri, & extingui (Quid ſit fomité ligari.) eſt fomitem, quoad ſuam formalem rationem omnino non manere: quod tunc dabitur, cum inclinatio, & pronitas appetitus ad bonum ſenſibile ita ſubijcitur rationi, vt moueri non poſsit, niſi ratione præuentus: hoc enim modo affectus non manet in eo habitualis pronitas ad cōcupiſcendum aliquid præter, aut contra rectam rationem; imò oppoſitum in eo inuenitur: nam poſita forma (ſiue extrinſeca, ſiue intrinſeca) qua ita eſt ſubiectus rationi, vt nihil niſi ab ea præuentus, & directus valeat concupiſcere, habet inclinationem habitualem, vt nihil, niſi ſecundum rectam rationem concupiſcat: quæ habitualis pronitas omnino tollit pronitatem habitualem in oppoſitum. Hoc explicari poteſt exemplo equi ferocis: in eo enim feritas tunc dicitur eſſe omnino ſublata, cum poſt longam aſſuetudinem iam ita eſt domitus, vt nec fræno indigeat; quandiù verò talis eſt, vt indigeat fręno, ne ſua vtatur feritate; feritas illius nō dicetur ſublata per frænum, ſed ligata. Similiter igitur dicendum eſt in appetitu ſenſitiuo inordine ad feritatem pronitatis in bonum præter; aut contra rectam rationem. Et hæc eſt vera, & communis explicatio ligationis, aut extinctionis ipſius fomitis: quam nobiſcum probauit Durand. in ſua ſecunda explicatione. (Quid ſit fomité extingui.) (Declaratur exemplo.)

6. Fomes dupliciter poteſt tolli. Notandum tamen eſt, fomitem dupliciter poſſe tolli: vno modo totaliter: altero modo non totaliter: totaliter tollitur; quando ita tollitur, vt appetitus rectæ rationi ita ſubiectus maneat, vt non ſolùm non poſsit moueri contra rectam rationem; ſed nec præter eam: quod tūc continget; cum appetitus, nec mortaliter, nec venialiter poteſt à recta ratione deficere; ſed ita ſubiectus eſt illi, vt pronus ſit nunquam moueri in bonum ſenſibile, niſi ſecundum præſcriptum rectæ rationis: quæ ſubiectio omnino excludit, non ſolùm motum contra rationem, ſed præter eam. Tunc verò fomes non totaliter ſublatus eſt, cum ſolùm ſubijcitur ducatui rationis, vt nihil contra illius regulas cōcupiſcat; nō tamen vt nihil cōcupiſcat præter regulas illius: & hæc fomitis ſublatio reperitur in illis, qui confirmati ſunt, ne mortaliter peccēt: non tamē ne pecent V. ¶ Similis diſtinctio admittēda eſt in ligatione fomitis: poteſt enī fomes

ligari totaliter, & non totaliter: totaliter; quando ita ligatur, vt exire nequeat in aliquem actum, aut contra, aut præter rationẽ; & ſubinde ne exeat in peccatum, aut mortale, aut veniale. Non totaliter verò ligabitur, cùm ſolum ligatur, ne exeat in mortale.

§. 2.

Referuntur variæ opiniones.

7. His ita præmiſsis, iã inquiri poteſt; an fomes poſsit, tũ ligari, tùm etiã auferri? in qua quæſtione omnes conueniunt fomitem ligari poſſe, tùm in via; tùm in Patria: nã cum in Patria nullum poſsit eſſe peccatum, *vt diximus 2. tom. lib.* 11. non poteſt non concedi fomitem in Patria, aut omnino eſſe ſublatum; aut manere ligatum. Idem dicendum eſt de Chriſto Domino, & de Virgine Matre: nam in Chriſto nullum potuiſſe eſſe peccatum fides docet: in Virgine autem nullum fuiſſe peccatum actuale admittit totius Eccleſiæ conſenſus, tàm in Chriſto quàm in Virgine neceſſario admittendũ eſt fomitẽ, aut omnino fuiſſe ſublatum; aut fuiſſe ligatum. Quare quod fomes ligari poſsit, nulla eſt controuerſia.

Fomitẽ poſſe ligari, indubitatum.

8. Eſt tamen nõnulla, an poſsit, aut in via, aut in patria auferri ab homine? quidam abſolutè negant. Et hanc fuiſſe Durandi ſententiam ſatis patet, ſi expendãtur, *quæ ſcribit in* 3. *diſt.* 3. *q.* 3. *nu.* 6. 7. *&* 8. nam licet *num.* 8. *&* 10. doceat aliquo modo ſaluari poſſe opinionem, quę admittit fomitem poſſe tolli, in ea tamen opinione perſiſtit, vt fomes auferri nequeat, ſi propriè de fomite loquendum eſt.

An poſsit tolli cõtrouerſum.

1. Sẽtentiã negatiua.

9. Secunda ſententia, eaque cõmunis ſimpliciter affirmat fomitem tolli poſſe, tam in via, quàm in Patria.

2. affirmat.

10. Tertia ſententia eſt media affirmans fomitem in Patria quidem tolli poſſe; nõ tamen in via. *Ita Henric. quodlib.* 5. *q.* 25. *ad* 1. *Greg. in* 2. *diſt.* 30. *q.* 1. *artic.* 2. *ad* 2. *& art.* 4. §. *Notandum etiã eſt, Ocham. quodlib.* 3. *q.* 10. *& in* 3. *q.* 2. *art.* 1. *vbi etiã Gabriel. diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 1. *not.* 2. *& in* 2. *diſt.* 30. *q.* 1. *art.* 1. *poſt princ. & art.* 2. *dub.* 4. Hi omnes volunt fomitem quoad ſubſtantiã in hac vita tolli non poſſe; benè tamen in Patria.

3. eſt media *Henric. Gregor. Ocham. Gabriel.*

11. Quarta opinio eſt Maioris in 3. diſtin. 3. quæſtione 1. §. *Dubitatur an fomes*: ait enim fomitem tolli non poſſe, nec in hac vita nec in Patria: at tamen tolli poſſe fomitem. Fundamentum eſt, quia fomes eſt ſubſtantia conſtituta ex corpore, & anima: hæc autem manente homine tolli non poteſt: quia tamen ſubſtantia hominis non habet rationẽ fomitis, niſi prout inclinat ad malum, & hęc inclinatio poteſt auferri etiam in hac vita. Hæc maioris opinio cum opinione ſecunda conſentit, ſi modus loquendi Nominalium expendatur: nam dum negat fomitem tolli poſſe, cum fomes ponatur ante verbum intelligitur de fomite ſumpto materialiter, vt ſit ſenſus appetitum ſenſitiuum, (qui realiter eſt fomes) non poſſe tolli ab homine, quod omnes fatentur. Cum verò admittit tolli poſſe fomitem, cum fomes ponatur poſt verbum, intelligitur de fomite formaliter ſumpto pro ipſa inclinatione ad malum. Vnde conſentit cũ ſecunda opinione, & ita tres ſolùm manent opiniones: duæ oppoſitæ; tertia media.

4. Opinio Maioris.

§ 3.

Affirmatiua ſententia ſimpliciter eſt vera.

In hac quæſtione omnino tenenda eſt ſecunda opinio affirmatiua, tanquam certiſsima: Prima autẽ ſentẽtia, quę eſt Durandi, dũ abſolutè negat fomitem propriè ſumptum auferri poſſe, falſa eſt, & periculoſa: & idem dicendũ puto de 3. ſententia, dum negat fomitem in via auferri poſſe. Quare abſolutè dicendum eſt fomitem auferri poſſe, nõ ſolùm in Patria, ſed etiam in via. Et quidem ſi ſermo ſit non de potentia ordinaria, ſed de abſoluta; im probabilis eſt media opinio: quod enim Deus de lege ordinaria facit beatis in Patria; poteſt ex priuilegio facere viatoribus in via: nam ſi in Patria fit, non implicat fieri; & ſubinde de potentia abſoluta poteſt fieri, etiam in via. 12.

12. Affirmatiua eſt tenẽda.

Opinio Durandi periculoſa ſimiliter, & 3. opinio.

Sententia autẽ Durandi, & falſa eſt, & periculoſa: quia ex ea neceſſario infertur fomitẽ quoad actum primũ fuiſſe tam in Chriſto quàm Virgine, & futurũ eſſe in beatis: quæ omnia ſatis ſunt periculoſa: & quidẽ quod in ſtatu glorię fomes ſit omnino auferendus oſtendemus q. 1. art. 2. vbi oppoſitã ſententiam, tanquã pericu- 13.

13. Contra Durandũ.

 ſolam

loſam reijciemus. Quod in beata Virgine
Non fuit in Virgine. ſaltē poſt Verbi conceptionē fomes omnino fuerit ab ea ſublatꝰ, eſt cōcluſio adeo vera, vt oppoſita ſit omnino temeraria, vt cum cōmuni Patrū, & Theologorum doctrina latè oſtendemus in noſtro tract. de Sanctificatione Virginis, quē Deo volēte breui prælo dabimus. Deniq; in Chriſto Dño nullum fuiſſe fomitē negari nō po-
Fomitē fuiſſe in Chriſto, error. *Ad Rom. 8.* teſt ſine errore, vt in materia de Incarnatione latè oſtendimus, & ſatis docet Paul, ad Rom. 8. *Miſit Deus filiū ſuū in ſimilitudinē carnis peccati.* Ex quibus verbis euidēter patet Chriſtū ex doctrina Pauli non habuiſſe carnē peccati, ſed ſimilitudinem illius; per carnē autem peccati intelligit carnem ſubiectā legi peccati. Porrò ſi in Chriſto, & in Virgine nullus fuit peccati fomes; nec futurus ſit in beatis; neceſſario infertur fomitem peccati ab appetitu ſenſitiuo poſſe totaliter auferri.

14. Probatur ex ſacris literis *Rom. 7.* Quæ veritas, & ex ſacris literis, & ex Patribus, & ratione euidēter cōfirmatur. Cōfirmatur ex ſacris literis: quoniā illa ſatis deducitur ex verbis Paul. ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis liberauit me à corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtū:* quæ verba intelliguntur de liberatione totali à fomite peccati. Supponit igitur Paulus fomitem poſſe auferri: alioquin fruſtra talem liberationē deſideraret: nec enim deſideramus, niſi quæ ſunt poſsibilia. Idem etiam colligitur ex Paul. 2. Co-
2. Cor. 12. rint. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet,* quæ verba plures Sanctorum intelligunt de fomite peccati: & tamen Paulus ter Dominū rogauit, vt diſcederet ab eo talis ſtimulus, tolleretur q; talis fomes: quod ꝓfecto non peteret, niſi etiam in via tolli poſſet,

15. Probatur ex Patribus. Deinde confirmatur teſtimonio omniū illorum Patrum, qui docent, nec in Chriſto, nec in Virgine fuiſſe fomitē, nec futurum eſſe in beatis. Sed ſatis ſit Aug. lib. 1. de peccatorum meritis cap. vltimo; vbi in hæc verba: *Nam nec grandibus hoc præſtatur in baptiſmo (niſi forte miraculo ineffabili omnipotentiſsimi creatoris) vt lex peccati, quæ ineſt in membris repugnans legi*
Auguſt. *mentis penitus extinguatur, & non ſit.* Ecce verbis expræſsis admittit Aug. per Dei miraculum legem peccati, id eſt fomitem propriè ſumptum, poſſe ab homine penitus extingui, ita vt non ſit,

Deniq; id ipſum poteſt hac ratione oſtendi: quoniā fomes peccati, etiā quoad 16.
actū primū, verè fuit effectus peccati ori- 1. Ratio.
ginalis, vt docet Trid. in d. ſeſſ. 5. Can. 5. de peccato originali, dū declarat fomitem ideo dici peccatū à Paulo, quia ex peccato eſt: vnde nō fuit in Adamo in ſtatu innocētiæ, vt tanquā veriſsimum ſupponimus. Igitur ex ſua natura eſt totaliter ſeparabilis ab appetitu ſenſitiuo.

Deinde demōſtratur: quoniam fomes 17.
ſubſtātialiter ſumptus, & quoad actū pri- 2. Ratio.
mum nihil aliud eſt, quā habitualis inclinatio, & pronitas appetitus ſenſitiui ad bonū ſenſibile cōtra, vel præter regulā rectę rationis, vt late oſtendimus art. 2. ſed appetitus ſenſitiuus poteſt habitualiter diſponi, & habituari, vt in nullū tendat obiectum ſenſibile, niſi motus, & regulatus à recta ratione. Ergo illa habitualis inclinatio ad delectabile præter regulā rationis ſeparabilis eſt ab appetitu ſenſitiuo: & per cōſequens ſeparabilis eſt fomes ipſe. Maiorē huius diſcurſus eſſe veriſsimā patet ex dictis art. 2. Minor verò ex eo probatur: quoniā appetitus ſenſitiuus poteſt ita diſponi, vt in agendo in omnibus, & per omnia ita ſubalternetur parti rationali, vt nō agat, niſi motus, & directus ab ea, vt patebit ex art. 6, cū ſequentibus: generaliter ex eo oſtenditur; quoniā vt diximus ex Ariſtotel. appetitus ſenſitiuus ex ipſa coniunctione cum parte rationali habet, quod ſit potētia moralis aliquo modo particeps rationis; & ſubinde ex eadē coniunctione habet aptitudinē, vt per rationem reguletur, & illi per omnia ſubijciatur, receptis in ſe virtutibus moralibus, quæ cū habitualiter determinant ad bonū ſenſibile ſecundū rationis regulā. Poteſt igitur ita diſponi, & habituari, vt in bonum ſenſibile nō aliter inclinetur, niſi ſecundum rationis ductum; quæ pronitas omnino excludit pronitatem in oppoſitum, quā vendicat ſibi relictus.

§. 4.

Soluitur duo arngumenta in contrarū.

CONtra hanc veriſsimā reſolutionē 18.
obijcit *Durand. in 3. diſt. 3. q. 3. n. 6.* Arg. primū
§. qualiter autē fomes: quoniā natu- ex Durād.
ralis inclinatio rei ad aliquod obiectū, licet poſsit impediri, ne in actum 2. exeat; nō poteſt auferri quoad aptitudinē: quia ſemper res illa apta erit, vt poſsit in actū

exire. Sed habitualis inclinatio fomitis ad bonum ſenſibile præter, aut contra rationẽ eſt naturalis appetitui ſenſitiuo. Ergo talis pronitas, licet impediri valeat, & ligari, ne exeat in actum præter, aut contra rationis ordinẽ; non tamen poteſt ab ea auferri, quod ex ſua natura apta ſit, & potens exire in talem actum. Minorẽ vt indubitatam ſupponit Durand. Maiorẽ verò probat in accidente; à quo licet virtute diuina auferatur actualis inhærentia in ſubiecto (vt patet in Sacramento altaris) non tamen ab eo aufertur, aut auferri poteſt aptitudo ad inhærendum: non ob aliam rationem, niſi quia illa aptitudo, cũ ſit naturalis illi, non eſt aliud, quam ipſa natura accidentis: & ob id eſt omnino inſeparabilis ab eo.

19. 2. Arg. Secundo obijci poteſt: quoniã inclinatio ad bonũ, quæ datur in noſtra voluntate, nõ poteſt omnino tolli ab ea, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 85. art. 2. cõmuniter receptus; quod etiã docuit Aug. in Enchyrid. c. 12. & in lib. de ſpiritu, & litera ad Marcel. c. 28. vnde hæc naturalis inclinatio ad bonum nec in dãnatis ſublata eſt ex eodẽ D. Tho. in d. art. 2. ad 3. Ergo inclinatio appetitus ſenſitiui ad malũ (quæ ipſa eſt fomes) nullo modo poteſt tolli.

20. Ad 1. Ad primum (quod eſt totum fundamentũ Durandi) neganda eſt minor: nec enim inclinatio habitualis ad bonum ſenſibile præter, aut contra rationem eſt ſimpliciter naturalis appetitui ſenſitiuo; ſed ſolùm ſi nudè ſumatur, & prout ſuæ naturæ ſimpliciter relinquitur. Durandus autem in hoc fuit deceptus, quia non diſtinxit inter naturale ſimpliciter, & naturale, quod conſequitur rem, prout nudè, & ſoli ſibi relictæ ſumitur: nã licet vtrumq; ſuo modo dici poſsit naturale; intereſt tamen plurimum inter vtrũque: nã quod eſt ſimpliciter naturale: cõſequitur eſſentiã rei, & ideo ſeparari nõ poteſt ab ea, ſaltem quoad modum aptitudinalẽ: at quod conſequitur rem, non ſimpliciter, ſed nudè ſumptã ac ſibi relictam, eſt ab eã ſimpliciter ſeparabile: nam aptitudo ad eſſendum in loco extenſo, quia conſequitur eſſentiã quantitatis, à quãtitate nõ poteſt ſeparari: actualis verò exiſtẽtia in loco extenſo ſeparari poteſt, quia nõ ſimpliciter ſequitur quãtitatis eſſentiã; ſed ſolũ prout naturæ ſuæ relinquitur: eodem igitur modo aptitudo naturalis appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile abſolute ſumptũ non poteſt ab appetitu ſeparari: Quia ſimpliciter eſt illi naturalis: ſeparari tamen poteſt aptitudo ad ſenſibile contra rationem, quia non cõuenit illi ſimpliciter, ſed prout nudẽ ſumitur.

¶ Pro huius maioris explicatione aduertendum eſt appetitum ſenſitiuum, etiam vt eſt in homine, & vt eſt quædam voluntas participata, per ſe primo reſpicere bonum ſenſibile, tanquam obiectũ adæquatum abſtrahendo à modo tendendi bene, vel male, hoc eſt; ſecundum regulam rationis, aut contra illam: ad hoc enim ex ſe ſuaque natura eſt indifferens, vt ipſemet *Durandus fatetur in d. q. 3. n. 7.* vbi in appetitu ſenſitiuo, & in ſua potentiali inclinatione admittit indifferentiam ad tendendum in obiectum ſenſibile, ſiue ſecundũ imperiũ rationis, ſiue contra, vel præter. Quare ex ſua natura determinatè non habet, quod male, & contra rationem feratur in ſenſibile obiectum: ſicut etiam ex ſua natura determinate non habet, quod bene feratur in illud, & ſecundũ rationis imperium. Indiget igitur aliqua determinatione, qua determinetur, vel ad benẽ tẽdendum, vel ad tendendũ male. Et quamuis ex ſua natura habeat, quod cum vna, vel altera determinatione naturaliter feratur, vel in bonum, vel in malum: tamen ex ſua natura determinatè non habet: quod feratur male, aut quod feratur benè; ſed indifferens eſt ad vtrumque tendendi modum. 21. Aduertẽdũ. *Durand.*

22. Corollariũ. Ex quo infertur in appetitu ſenſitiuo & in eius naturali pronitate ad bonũ ſenſibile duplicem diſtinguendam eſſe naturalem aptitudinẽ ad ſenſibile bonum: vnã primam, & radicalem, alteram proximã, & immediatam. Aptitudo radicalis per ſe primo reſpicit bonum ſenſibile abſtrahẽdo ab hoc, quod conſonum ſit rationi, vel diſſonum: cum verò ſub hoc obiecto vtrumque hoc bonum contineatur, ex ſe ſuaque natura habet aptitudinem radicalẽ, vt in vtrũq; poſsit ferri tendentia quadã, veluti ſecundaria, & ex conſequenti. Aptitudo proxima, & immediata eſt illa, quaappetit⁹ eſt in ꝓxima diſpoſitione, vt determinate feratur in hoc obiectũ cõſonũ rationi; vel in hoc, quod ratiõi eſt diſſonũ. Aptitudo prima, & radicalis ſĩpliciter eſt

eſt naturalis appetitui ſenſitiuo, & oritur à principijs naturalibus illius; & ideo eſt ab eo inſeparabilis: nã licet in ſua eſſentia nõ habeat, quod determinate feratur ex ductu rationis: nec etiã determinate habeat, quod feratur male, & contra regulã rationis: tamẽ ex ſua eſſentia habet, quod poſſit benè, vel male ferri. Aptitudo verò proxima, & immediata ſeparabilis eſt ab eo, tam illa, qua immediatẽ fertur ad bonum, quã ea, qua ĩmediatẽ feertur à malũ.

23. Quæſtio incides. ¶Si verò inquiras; per quid appetitus ſẽſitiuus determitetur ad bonũ; & per quid ad malum: reſpondeo determinari ad bonum per aliquid, quo rectæ rationi plene ſubijciatur: quid autem hoc ſit? in ſequentibus explicabimus. Ad malum verò determinatur eo ipſo, quod nudus ſibi ipſi relinquitur, iuxta veram ſententiã quã probamus: & ratio eſt; quia vt ſic determinatur ab obiecto ſenſibili ſub præciſa ratione boni ſibi proprij, & delectabilis, & ita facilè diſſoluitur argumentum Durandi.

24. Ad 2. Ad ſecundum reſpondendum eſt concedendo antecedens, & negando conſequentiam: & ratio eſt; quia illa habitualis inclinatio voluntatis ad bonum virtutis in communi naturaliter conuenit voluntati, quatenus eſt appetitus rationalis, qui per bonũ virtutis ſpecificatur, & ad quod per lumen naturale ſyndereſis inuariabiliter dirigitur: nam quamuis ad vſum, & actualem tendentiã (quæ reſpicit hoc vel illud bonum practicè operandum) diminui poſsit per habitus vitiorum: tamẽ radicalis ipſa inclinatio, quę tendit ad bonum in cõmuni per lumen ſynderiſis inuariabiliter oſtenſum tolli nequaquã poteſt. Porrò inclinatio fomitis cum nõ ſit præciſe ipſa inclinatio appetitus ſenſitiui in bonum ſenſibilẽ abſolutè ſumptum, ſed prout habet deordinationẽ, nõ conuenit illi naturaliter; quin potius poteſt ab illo ſeparari, vt diximus ad primum.

ARTICVLVS V.

Quomodo fomes ligetur.

§. 1.

Variæ ſententiæ.

1. QVomodo fomes ligetur, non conſtat inter Theologos: Paludanus in 3. diſt. 3. quæſtio. 2. artic. 2. concluſio. 1. cum ſequentibus putat fomitem propriè non ligari per cauſam extrinſecam, nempe per prouidentiam diuinam impedientem, ne in actum exeat; ſed neceſſario debere ligari per aliquid intrinſecum in ipſo appetitu ſenſitiuo exiſtens: apud quem art. 3. concl. 1, & 2. fomes tunc dicitur tolli, cum omnino non inclinat in peccatum, ſiue ſit peccatum ſimpliciter, ſiue ſecundũ quid: ligatur autem, quando tollitur, ne inclinet in peccatum ſimpliciter, quale eſt mortale, nec in peccatum ſecundum quid, quale eſt veniale: nã homo compedibus ligatus, licet ambulare non poſsit omnino expedite: aliquo tamen modo poteſt ambulare.

Durandus tamen in 3. diſt. 3. q. 3. n. 8. docet ligationẽ fomitis ſolũ fieri, cum per cauſam aliquam extrinſecam fomes impeditur, ne in actum prauum exeat; verbi gratia per diuinam aſsiſtentiam. 2.

At D. Tho. 3. p. q. 27. art. 3. & ar. 4, ad 1. putat fomitẽ ligari per cauſam, tùm intrinſecam, tùm exrinſecam, nempe per diuinam aſsiſtentiam: totaliter tamen ligari non poſſe per ſolam cauſam intrinſecam; ſed adhuc eſſe neceſſariam cauſam extrinſecam, nempe diuinam aſsiſtentiam, tanquam complementum totalis ligationis: & hanc opinionem communiter ſequũtur Theologi. 3.

§. 2.

Præmittuntur nonnulla.

PRo explicatione quæſtionis pręmittendum eſt primo id, quod reſoluimus in præcedente artic. fomitem tunc ligari, cum manens ſecundum eſſentiã in appetitu ſenſitiuo impeditur à ſuis effectibus. Ex quo infertur de ratione ligationis eſſe, quod ſit obſtaculum, & impedimentum retrahẽs appetitũ, ne exeat in actũ prauum fomite habitualiter renitente, & ad talẽ actũ inclinante, ita vt appetitus in illum exire, niſi impedimento illo cohiberetur, & veluti refrænaretur. Ex quo virtus colliges impedimentũ ipſũ, & ligamẽ ſua ligatione nõ remittere fomitem, ſed illum exiſtentem, & habitualiter renitentem ligando refrænare. Vtrùm autem dari poſsit aliquo ligamẽ, quod ſimul remittat ipſũ fomitẽ, & actu 4.

illum refrænet, ne exeat in actum? alterius eſt quæſtionis de qua inferius aliquid dicemus.

5. Præmittendum ſecundo; quæſtionem an fomes ligari valeat per cauſam intrinſecam; an verò per extrinſecam, aut per vtrămque; duobus modis poſſe intelligi: vno modo de cauſa intrinſeca, vel extrinſeca in ordine ad ipſum appetitum: altero modo in ordine ad hominem appetenté: etenim aliqua, quæ appetitui ſunt extrinſeca, intrinſeca ſunt homini appetenti: ſicut etiam dari poteſt cauſa ligans appetitum, quæ ſit extrinſeca, tùm homini appetenti, tùm ipſi appetitui: talis autem eſt diuina aſsiſtentia, qua Deus poteſt hominem cum ſuo fomite impedire, ne in actum prauum exeat, vt dicemus: quæ tamen diuina aſsiſtentia, & ipſi appetitui, & homini appetenti eſt extrinſeca: vnde ſimpliciter dicitur extrinſeca: non ita ſe habet, aut ratio ipſa, aut gratia gratum faciens, quibus appetitus ligari poteſt, vt ex D. Thoma oſtendemus: etenim, tùm ratio, tùm gratia extrinſecè ſe habent in ordine ad appetitum; intrinſecè verò ad ipſum hominem appetentem.

6. Præmittendum eſt tertio; multis modis fomitem ligari poſſe, vt colligitur ex Diuo Thoma loco citato: vno modo per rationem refrænantem impetum fomitis: ſecundo modo per gratiam gratum facientem: tertio modo per diuinam aſsiſtẽtiam. Nonnulli addunt quartum modum; ſcilicet negationem concurſus generalis, vt volunt Nominales: ſed modus iſte non videtur admittendus: tùm, quia non eſt ordinarius: cum Deus de lege nulli deneget concurſum generalem: tùm etiam; quoniam ſi propriè loquendũ eſt, hoc non eſt ligare: etenim ligare ſupponit, quod virtus ligati eſt in ſuo vigore, ratione cuius ligamini renititur, cuius renitentia per ligamen cohibetur, & refrenatur: iam vero ſi Deus ſuum concurſum deneget, appetitus nõ renititur, quia non applicatur ad agendum, nec conatur agere: vnde non renititur, vt eius renitẽtia ligetur & cohibeatur: quare tres illi ligandi modi admittendi ſunt.

7. Et quidẽ quod ratio ſuperior poſsit appetitum ſenſitiuum aliquando ligare, ne in actũ prauum exeat, ex eo patet; quia appetitus in agendo rationi ſubijcitur, tãquam agenti ſuperiori; vnde ab ea poteſt ſæpe numero impediri, ne prodeat in actum: hanc enim vim habet, ex eo, quia dominatur appetitui dominio politico vt ſupra diximus. Et talis refrenatio ſæpe poteſt fieri virtute ſolius rationis abſque auxilio ſpeciali, etiam in peccatoribus: peccator enim aliqua peccata vitare poteſt, vt dicitur in materia de gratia.

Quod verò gratia etiam poſsit ligare appetitum ſenſitiuũ, ſatis patet ex Paul. 2. Corin. 12. *Nam cum* ter Dominum rogaret, vt ſtimulus carnis à ſe diſcederet; reſpõdit Dominus; *Sufficit tibi gratia mea.* Adde etiam illud ad Roman. 7. *Quis me liberabit à corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum.* Quod non ſolùm intelligi debet vt poſsit nõ conſentire motibus excitatis, ſed etiam vt ſæpe ipſum appetitum poſsit refrænare, & ligare, ne actus prauos excitet; apponendo, ſcilicet ei efficacem volitionem boni virtutis: cõſiderationem diuinorum: ſublationẽ occaſionum, & aliorum, quibus cogitatiua abſtrahatur ab apprehenſione, ſaltem fixa boni delectabilis: ſine qua appetitus in actum exire non poteſt. ¶ Denique eiſdem modis, diuinam prouidentiam nobis aſsiſtentem ligare poſſe noſtrum appetitum, nullus eſt, qui dubitare poſsit. Vtrũ verò alijs modis appetitus ligari valeat? ex 2. concluſione patebit. 8.

Quarto, & vltimo præmittendum eſt id, quod in præcedente art. præmiſimus 9.
§. 1, n. 6; fomitem duobus modis poſſe ligari: vno modo totaliter, quando. ſci. ligatur in ordine ad omnem actũ malum, aut præter, aut contra rationẽ: quomodo ita ligatur, vt nec exeat in actũ malũ mortalẽ, nec venialẽ: tunc enim ſimpliciter, & abſolutè ligatus manet in ordine actum prauum. Altero modo ligari poteſt non totaliter: quod tunc continget, cum ligabitur, ne exeat in actum malum M. eo manente ſoluto in ordine ad malum V. Prima ligatio, iuxta plurimorum ſententiam fuit in Virgine vſque ad Cõceptionem Verbi: 2. verò ligatio fuit in Apoſtolis poſt aduentum Spiritus Sãcti, à quo tẽpore nõ potuerunt peccare mortaliter; bene tamen venialiter. Nos hoc loco agimus de ligatione totali; & ex ijs, quæ de illa dicemus, facile intelligetur, quomodo ligetur non totaliter.

§. 3.

§. 3.
Reſoluitur Quæſtio.

10. 1. concl. HIs ita præmiſsis, pro reſolutione quæſtionis ſequentes ſtatuimus aſſertiones. Prima aſſertio: *ſi ſermo ſit de cauſa intrinſeca, vel extrinſeca non in ordine ad ſolum appetitum, ſed in ordine ad hominem appetentem, negari non poteſt fomitem ligari poſſe per cauſam tùm extrinſecam; tùm etiam intrinſecam.* Concluſio euidenter probatur; quoniam, vt ex dicendis patebit, ad ligandum fomitem poteſt cooperari non ſolùm cauſa ſimpliciter extrinſeca (qualis eſt aſsiſtentia diuina:) ſed etiam cauſa intrinſeca homini appetenti: etenim ad ligationem fomitis poteſt concurrere, tùm ipſa ratio propter dominium politicum, quod habet in appetitũ: tùm etiam gratia gratum faciens & charitas, aliæque ſimiles virtutes exiſtentes tùm in intellectu, tùm in voluntate. Conſtat autem & rationem, & gratiam cæteraſque virtutes eſſe intrinſecas homini concupiſcenti, qui refrænatur vt quod; licet extrinſecæ ſint ipſi appetitui. Quare in hoc ſenſu non eſt recipienda opinio Durandi; quatenus docet fomitẽ ligari per ſolam cauſam extrinſecam.

11. 2. concl. Secunda concluſio: *Si ſermo ſit de cauſa intrinſeca, vel extrinſeca in ordine ad appetitum, quæſtio eſt pro vtraque parte probabilis: ego tamen non video, cur appetitus non poſsit ligari per aliquam cauſam illi intrinſecam.* Quod appetitus ſolùm poſsit ligari per cauſam extrinſecam, non verò intrinſecam, & in eo inhærentem, adduci poteſt D. Thom. in d. q. 27. art. 3. quatenus ad ligationem fomitis tres tantùm cauſas enumerat; ſcilicet rationem ipſam: gratiã gratum facientem: & diuinam aſsiſtentiam; quæ tres cauſæ appetitui ſunt extrinſecæ, vt diximus. Poteſt etiam confirmari: quoniam cauſa ligans, & refrænans fomitem, ipſum fomitem non remittit, ſed ſolùm ligat: iam verò cauſa appetitui intrinſeca ipſum fomitem remitteret: habitus enim exiſtentes in appetitu fomitem minuunt; quia ſuo modo inclinant appetitum in bonum rationi cõſonum, vt dicemus in vltima concluſione: at quod fomitem refrænat, ſolum illum refrænat: refrænare autem non eſt appetitum inclinare in bonum; ſed eum à malo cohibere. 12. ¶ Quod verò fomes poſsit etiam ligari per cauſam intrinſecã, id eſt, per aliquem habitum in eo exiſtẽtem, ex eo mihi fit probabile; quia non video, cur habitus virtutis in appetitu exiſtentes illum aliquo modo non impediant, & veluti refrænent, ne in actum malum exeat: etenim habitum virtutis habitualiter inclinare appetitum in bonum, non infert habitum appetitum etiã non refrænare, ne exeat in actum malũ: imò inclinando illum in bonum, eum refrænat à malo.

13. 3. concl. Tertia concluſio: *Licet ratio ſuo politico dominio, & gratia gratum faciens, imò etiam habitus virtutis exiſtens in appetitu cooperari poſsint ad ligationem fomitis: totaliter tamen eum ligare non poſſunt ſine aſsiſtentia diuinæ prouidentiæ: vnde ligamen fomitis completur, & abſoluitur per aſsiſtentiam prouidentiæ diuinæ.* Hæc concluſio eſt *D. Thomæ locis citatis,* & recipitur cõmuniter. *D. Thom.* Et quoad priorem partem ſatis patet ex dictis not. 3: nam ratio, maximè cum à gratia & charitate adiuuatur, poteſt appetitum refrœnare, vt ibidem diximus. Cæterum talis alligatio non eſt ſufficiens & omni ex parte firma: (Nõ ſatis eſt ratio hominis.) etenim licet appetitus ſenſitiuus, quatenus eſt potẽtia inferior, moueatur à ratione, quę eſt potentia ſuperior: tamen ratione organi, in quo eſt appetitus, non omnino illi ſubijcitur: nam cum ratione organi nõ poſsit appetitus ſenſitiuus non moueri, & pati ab apprehenſione ſenſus, & imaginationis: cum etiam ratio pro ſtatu viæ ex ſe non poſsit præuidere, nec impedire omnem ſenſationem, & ſenſibilem imaginationem; fit, vt ſicut repentinę imaginationes ſenſibilium malè & prauè excitantur abſque rationis imperio, ita etiam in appetitu excitentur motus praui ſubiti, & repentini ratione illos non imperante. Præterea cũ diſpoſitio organi, in quo eſt appetitus, non ſubijciatur imperio rationis, poteſt cõtingere, vt ratione ipſius diſpoſitionis appetitus ſæpe efficaciter non obediat rationi, ſed ea renitente aliquid concupiſcat: ſicut etiam ratione imperante aliquem actum, nempe lætitiam, & mœrorem poteſt appetitus illum non elicere ex defectu diſpoſitionis accommodatæ ad tales actus, vt docet *D. Thom. 1. 2. q. 17. art. 7. vbi etiam Caietanus.* *D. Thom. Caiet.*

14. Non ſatis eſt gratia gratum faciens.

¶ Quo eodem fundamento oſtenditur alligationem, quæ fit per gratiam, cæteroſque habitus explicatos, non eſſe ſatis ad fomitem totaliter alligandum: nam cū gratia non operetur, niſi mediante ratione: ratio autem, etiam adiuta per gratiam, non ſit adeo vigoroſa, vt aut præueniat omnia exteriora: aut omnes difficultates efficaciſsimè ſuperet: hinc eſt, vt ex ſe ſola efficaciam non habeat ad firmiter, & in omni euentu religandum fomitem; & inde eſt, vt gratia, etiam perfectiſsima, qualis in Baptiſta, & Apoſtolis, non omnino fomitem illis religauerit; ſed potiùs reliquerit locum vſui; quoniam contra illum pugnabant, vt patet ex Paulo; imò aliquando ab eo vincebantur; cum venialiter aliquando peccauerint.

15. Neceſſaria eſt diuina aſsiſtentia.

¶ Ex quo iam infertur probatio poſterioris partis; ſcilicet ad firmam, & omnimodam fomitis religationem neceſſariam eſſe aſsiſtentiam diuinæ prouidentiæ permanenter nobis donatam: hæc enim & ad omnia exteriora, quæ præuideri, & præueniri debent, at qui etiam ad omnes difficultates vincendas efficaciſsimè ſe poteſt extendere: vnde per diuinam prouidentiam completur, & abſoluitur ligatio fomitis, quæ per rationem, & gratiam incœpit,

16. 4. concl.

Quarta concluſio: *Quanuis Deus ſine gratia gratum faciente fomitem totaliter de facto non ligauerit per ſolam ſuam aſsiſtentiam: id tamen poteſt facere, ſi voluerit, quãuis de lege non faciet.* Concluſio eſt notiſſima; quoniam aſsiſtentia diuina ſe ſola potens eſt & efficax ad impediendum omnem deordinatum appetitus motum. At tamen cum de lege fomitem non liget, niſi perſonis ſibi delectis; imò in ſola Virgine cum totaliter ligauerit; ſtatuit Deus eum ligare mediante etiam gratiæ plenitudine.

17. 5. concl.

Pro cõplemento huius materiæ duas adhuc concluſiones ſtatuemus. Sit quinta concluſio: *Secundum legem ordinariam fomes peccati non omnino tollitur, nec totaliter ligatur, quandiu in via ſumus.* Hæc cõcluſio eſt communis omnium Theologorum; & ſatis apertè ponitur *ab Auguſt. lib. 1. retract. c. 19. & ſermone 45. de Tempore c. 5. & 8. & lib. 5. contra Iulian. cap. 6. ad finem & lib. 6. contra eundem c. 16. deniq; lib. 1. de peccatorũ meritis cap. vltimo.* Eam in d. ſermone 45. cap. 8. ſatis deducit ex

Auguſt.

Paulo ad Rom. 7: *Quis liberabit me à corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum*: non quidem in hac vita, ſed in patria, vt exponit Auguſt. & docet D. Thomas ibidem lect. vltima: nam in hac vita (inquit Paulus) *igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei; carne autem legi peccati.* Cum verò Paulus eo in loco illa omnia dicat in perſona Iuſti, quam repræſentat, benè infertur ſecundum legem ordinariam fomitem peccati manere in iuſtis ad pugnam, & vt virtus Dei huiuſmodi infirmitatibus perficiatur; vt etiam colliges ex eodem Paulo 2. Cor. 12: *Ter Dominũ rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi Dominus, ſufficit tibi Paulè gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Vnde fomitem manere in baptizatis ad pugnam definiuit Trident. ſeſſ. 5. can. 5: de peccato originali: in Clement. *Ad noſtrum*, de hæreticis damnatur aſſertio Begardorũ, quæ aſſerebat ſenſualitatẽ noſtram poſſe in hac vita perfectè rationi, & voluntati ſubijci; quæ aſſertio de lege ordinaria dãnatur: non vero ex priuilegio extraordinario.

Probatur ex Paulo.

2. Cor. 12.

Trident. Clem. Ad noſtrum de hæreticis.

Sexta & vltima concluſio: *Fomes peccati in via, ſicut per habitus prauos ſuperadditos intenditur in malis; ita in iuſtis minuitur.* Concluſio expreſſè eſt *Auguſtini in locis citatis* in præcedente concluſione: eam admittit *Greg. in 2. diſt. 30. q. 1. ar. 2. ad 4. & art. 4. §. Notandum eſt*: vbi expreſſè concedit fomitem in hac vita minui poſſe, non tamen tolli: quod de lege ordinaria eſt intelligendum: nam ex priuilegio eum poſſe totaliter auferri, oſtendimus in præcedente art. ¶ Hanc tamen aſſertionem non admittit *Henric. quodl. 5. q. 23. ad 1.* vbi ait fomitem, quoad ſuam eſſentiam in hac vita minui non poſſe: bene tamen quoad feruorem actus, in quem inclinat.

18. 6. & vltima concluſio.

Auguſt. Greg.

Non admittit eam Hẽricus.

Dicendum tamen eſt aſſertionem noſtram eſſe veriſsimam, ſi fomes ſumatur pro habituali inclinatione deordinata ad bonum ſenſibile; quæ eſt propria fomitis acceptio: etenim ipſa deordinata pronitas appetitus ſenſitiui magis & minus eſt deordinata, iuxta maiorem, aut minorem gratiam, & charitatem cæteraſque virtutes morales, bonoſque habitus, qui ex bonis actibus contra fomitis renitentiam in appetitu relinquuntur: hi enim habitus

19. Explicatur aſſertio.

cum

cum ipſum appetitum habitualiter inclinent in bonum ſecundum rationis regulam (is enim eſt formalis effectus boni habitus) non poſſunt non minuere habitualem pronitatem fomitis in bonum contra rationis regulam: nam vnus habitus minuit habitum contrarium, vt docet vera Philoſophia: cur igitur non minuet pronitatem illam quaſi habitualem, quæ eſt fomes?

ARTICVLVS VI.

Quomodò fomes ab appetitu penitus auferatur?

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

1. Variæ opiniones. 1. opinio. QVonam modo fomes peccati ab appetitu ſenſitiuo auferatur, non conſtat inter Theologos. Quidã putant fomitem tolli non poſſe ſine aliqua forma intrinſecè appetitum informante, & in eo inhærente: ita *Durand. in 3. diſt. 3. q. 3. n. 9. & Palud. ibidem q. 2. art. 2. atque Heruæus q. 1. opin. 4.* nec deſunt, qui putent hanc eſſe mentem *D. Thomæ 3. p. q. 27. art. 3.* & videtur cõmunis opinio.

Durand. Palud. Heruæus. D. Thom.

2. 2. opinio. Non deſunt nouiores, qui velint fomitem auferri poſſe per cauſam omnino extrinſecam, id eſt, quæ extrinſeca ſit non ſolùm appetitui; ſed etiam ipſi homini appetenti, quia fomite purgatur.

3. 3. opinio media. Tertia ſententia veluti media interiacet, & docet ad ablationem fomitis, nec ſatis eſſe cauſam, quæ ſimpliciter ſit extrinſeca & appetitui, & homini appetenti, vt docet ſecunda opinio: nec neceſſario requiri formam ipſi appetitui intrinſecam, & in eo inhærentem, vt habet prima opinio: ſed ſatis eſſe formam, quæ appetitui quidem eſt extrinſeca; intrinſeca tamen homini appetenti, cuius fomes purgatur. Hanc opinionem non poſſunt non probare, qui volunt gratiam gratum facientem, ſi magna fuerit, poſſe omnino fomitem auferre; quam opinionem nonnullis placuiſſe inferiùs oſtendemus: gratia verò, licet ſit intrinſeca homini, cuius fomes tollitur; eſt tamen extrinſeca appetitui ſenſitiuo.

4. Authores etiam primæ opinionis adhuc inter ſe variant: quidam enim volũt ad tollendum fomitem ſatis eſſe, virtutes morales, ſiue infuſas, ſiue acquiſitas, in ipſo appetitu ſenſitiuo exiſtentes, ſi tamen fuerint in gradu perfectiſsimo. Alij hanc vim negant quibuſcunq; virtutibus moralibus, cuiuſcunque ſint perfectionis: vnde requirunt alios habitus altioris rationis, & ordinis longè altioris. Nec deſunt qui haſce opiniones veluti concilient: vt. ſ. virtutes morales in gradu perfectiſſimo, ſatis fuerint in Christo Domino ad fomitem tollendum: in cæteris verò non eſſe ſatis. Alij opinionum varietates.

Denique eſt etiã controuerſia, an formæ poſitiuæ, ſiue appetitui intrinſecæ ſint, ſiue etiam extrinſecæ; intrinſecæ tamen homini, ſatis ſint, vt ſine diuina aſsiſtentia (quæ eſt forma ſimpliciter extrinſeca) poſsint fomitẽ omnino extinguere? quidam ſimpliciter negant, tàm in via quàm in patria: alij ſimpliciter affirmãt, & in patria & in via: nonnulli veluti medij id negant, ſi fomes alicui viatori auferendus ſit: affirmant autem, ſi auferẽdus ſit in patria. ¶ Has opiniones ex noſtris Theologis hac de re diſputantibus, non ſine labore collegi: quas ſingulas ſingilatim oportet expendere, vt veritas omni ſublata confuſione diſtinctiùs appareat. 5. Vltima controuerſia.

§. 2.

Pro reſolutione præmittuntur nonnulla.

PRo clariori & abſoluta huius difficultatis explicatione notanda ſunt nonnulla. In primis notandum eſt id, quod in ſuperioribus ſæpè diximus, appetitum ſenſitiuum ex ſua intrinſeca ratione habere inclinationem ad bonum ſenſibile abſolutè ſumptum: quod verò in illud actualiter tendat contra vel præter rationis regulam, indifferenter ſe habere: ob quam indifferentiam capax efficitur habituum moralium, quibus aut bene aut male ſe habeat ad bonum ſenſibile. Quanuis autem, quatenus eſt potẽtia quædam naturalis ſumpta in genere rei, naturaliter appetat bonum ſenſibile, & ad hoc ſit determinata: tamen quatenus eſt potentia moralis aptaque ex natura ſua moueri, & dirigi à ratione: non eſt determinata ad bene vel male appetendum tale bonum, ſed ad vtrumque eſt indif- 6. 1. præmiſſ.

indifferens, ratione cuius indifferentiæ eſt ſubiectum capax virtutis, & vitij, vt docet moralis Philoſophia, *& D. Thom.*
D. Thom. *1.2.q.50.art.3.ad 3.*

7. 2.notab. Deinde notandum eſt ex eo, quod appetitus ſenſitiuus ex ſua natura habet, tûm inclinari naturaliter ad bonum ſenſibile: tùm etiam ſubiectione politica, & ciuili obedire rationi, duo inferri in hac materia diligenter aduertenda: alterum eſt appetitum ſenſitiuum ex ſe, id eſt ſibi derelictum habere veluti innatam pronitatem habitualem, vt præter aut contra rationis regulam feratur in bonum ſenſus: quæ pronitas eſt veluti quædam naturalis diſpoſitio conſequens ipſum appetitum nudè ſumptum, qua delectabiliter fertur in bonum ſenſibile; nec ad hoc indiget habitu ſuperaddito. Ex hoc alterum infertur, ſcilicet appetitum ſenſitiuum, etiam quatenus volũtati ſubijcitur, ex ſua natura non habere, vt faciliter, & delectabiliter auellatur à ſuo delectabili, vt optimê aduertit *Scotus in 2. diſt.29. q. 1. litera B. §. Quod ſi dicatur*: imò in hoc
Scotus: ſentit difficultatem, ratione cuius virtutes in eo exiſtentes dicuntur verſari circa difficile, ex *Ariſtotel. 2. Ethicor. cap.3.*
Ariſt. Indiget igitur virtute ſuperaddita, qua delectabiliter auertatur à bono ſenſibili, quod rationi repugnat, & inclinetur in bonum ſenſibile, prout rationi conuenit; quod Scotus loco citato etiam aduertit.

8. 3.notab. Notandum eſt tertiô, quod cum fomes ſit veluti diſpoſitio quædam intrinſecè exiſtens in appetitu ſenſitiuo, eum habitualiter inclinans ad appetendum præter & contra rationis ordinem; tolli necquaquam poteſt ab appetitu, niſi per aliquid, quod illum habitualiter inclinet, vt non, niſi iuxta rationis regulam tendat in bonum ſenſibile: nam licet habitus inclinans potentiam ad actum, ad quem ſumpta ſecundum ſe non eſſet habitualiter inclinata, poſſit ab illa potentia tolli abſque hoc, quod illa ad actum oppoſitũ habitualiter inclinetur, vt patet in habitu ſcientiæ, qui poteſt & à Deo, & naturaliter tolli abſque hoc, quod per contrariũ habitum in actum oppoſitũ habituetur: tamen quando potentia ſecundum ſe eſt habitu, veluti naturali inclinata ad vnum actum, non poteſt illa naturali diſpoſitione, & pronitate ſpoliari, niſi per aliquid, quo talis potentia in actum oppoſitum habitualiter inclinetur: quoniam talis potentia eius eſt naturæ, vt niſi per aliquid ſibi ſuperadditum habituetur ad actum, ad quem nudè ſumpta contrariam habet inclinationem. Ita ſe res habet in propoſito: nam appetitus ſenſitiuus, niſi per aliquid ſibi ſuperadditum habitualiter inclinetur ad bonum ſenſibile rationi conſonum, non poteſt non inclinari in bonum oppoſitum.

Notandum eſt quartò, appetitum ſenſitiuum duobus modis in bonum ſenſibile abſque rationis regula habitualiter per fomitem inclinari: vno modo; quia reſiſtente, atque repugnante ratione inclinat & excitatur ad bonum ſenſibile: vt quãdo concupiſcit aliquod bonum ſenſibile de ſe malum; vel quando immoderatè tale bonum concupiſcit; iuxta illud Pauli ad Rom. 7: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Altero modo; quia inclinat, & excitat motus inordinatos præuenientes rationem, quos motus primo primos appellamus. Ex quo inferes, vt fomes omnino tollatur ab appetitu ſenſitiuo, non ſolum opus eſſe habituetur, vt nihil concupiſcat, niſi bonum à ratione regulatum; ſed etiam, vt habituetur, vt non concupiſcat aliquid, niſi imperante, & dictante ratione: & in hoc poſita eſt perfecta appetitus ſenſitiui ſubiectio ad rationem.

9. 4.notab. Ad Rom. 7.

§. 3.

Reſoluitur prima difficultas nonnullis propoſitionibus ſubiunctis.

10. His ita præmiſsis pro reſolutione primæ difficultatis (quę in primis tribus opinionibus excitatur) non nullas ſtatuimus propoſitiones. Sit prima propoſitio: *Fomes non poteſt in appetitu ſenſitiuo extingui per ſolam extrinſecam aſsiſtẽtiam diuinæ prouidentiæ: ſed ad illius extinctionem neceſſaria eſt aliqua forma poſitiua & intrinſeca.* Hæc propoſitio ſtatuitur contra ſecundam opinionem: quæ ſatis videtur confirmari; quia omnes, qui hac de re ſcripſerunt, eam tanquam veriſsimam ſupponunt: nec ego aliquem contradicentem inueni, exceptis quibuſdam Nouioribus. Sed puto illorum opinionẽ non ſatis eſſe philoſophicam: nam licet 1.propoſit.

illa

illa aſsiſtentia ſatis ſit ad fomitem ligandum, vt diximus in præcedente art. non tamen ſatis eſſe poteſt, ad illum penitus extinguendum, & tollēdum: & ratio eſt, Confirmatur. quoniam aſsiſtentia diuinæ prouidentię, licet ſatis ſit, vt impediantur obiecta, ne in appetitu excitent motus prauos: non tamen ſatis eſt, vt ipſum appetitum poſitiuè reddat habitualiter pronum non ferri in bonum ſenſibile, niſi iuxta ordinem rationis: ad hoc enim requiritur forma poſitiua intrinſecè exiſtens in appetitu, vt dicemus in quarta propoſitione.

Secunda propoſitio: *Fomes peccati po-*
11. *teſt tolli ab appetitu ſenſitiuo per aliquid po-*
2. propoſit. *ſitiuum illi ſuperadditum, quo omnino ſubijciatur rationis imperio; ita vt non ſolum nihil poſsit concupiſcere: niſi rationi rectæ conſentaneum; ſed etiam vt non poſsit moueri ad concupiſcendum, niſi ad imperium rationis.* Hæc propoſitio in terminis, in quibus proponitur, ab omnibus conceditur: & facilè probatur; quoniam in ſtatu innocentiæ fomes fuit omnino ab Adamo ſublatus per donum iuſtitiæ originalis, & per virtutes, quæ illud donum comitabātur; vt ex conſenſu omnium ſupponim⁹, & ſatis colliges ex *D. Thoma 1. p. q. 95. ar.* D. Thom. *3. in corp.* In Chriſto etiam ex ſententia *eiuſdem D. Thomæ 3. p. q. 15. art. 2.* virtutes illi collatæ ſufficientes erant ad tollēdum fomitem. In beatis quoque fomes per donum gloriæ omnino tolletur, vt in ſequentibus articulis dicemus. Denique in Virgine fomes omnino fuit extinctus etiam per dona poſitiua illi collata, quibus appetitus ab intrinſeco omni ex parte fuit rectæ rationi ſubiectus, vt alibi latiùs oſtendimus.

12. Tertia propoſitio: *Fomes non poteſt au-*
3. propoſit. *ferri per aliquam formam poſitiuam extrinſecam appetitui, intrinſecam tamen homini appetenti: vnde auferri non poteſt per gratiā gratum facientem, quantumcunq; ſit ſumma.* Hæc propoſitio ſtatuitur aduerſus tertiā ſententiam: & quod attinet ad gratiā, charitatem, cæteroſque habitus, qui ſunt in intellectu, aut in voluntate, expreſſè probatur à *Durando in 3. diſt. 3. q. 3. n. 9.* vbi Durand. docet fieri non poſſe, vt fomes peccati auferatur per ſolam gratiam gratum facientem: quod etiam ſatis eſt de mente Palud. *Paludani ibidem q. 2. art. 2. & Heruæi q. 1.* Heruæus. *opin. 4.* & ſatis deduci poteſt ex ijs, quæ dicemus in 4. propoſitione; in ea enim oſtendemus fomitem tolli non poſſe, niſi per aliquod donum poſitiuum in appe- Probatio concluſionis. titu ſenſitiuo inhærens: tolli enim non poteſt, niſi per habitualem inclinationē eiuſdem appetitus in bonum ſenſibile ſecundum ordinem rationis. At verò gratia, cum ſit in anima, aut in voluntate (ſi à charitate non diſtinguitur) non poteſt reddere appetitum habitualiter inclinatū modo explicato, vt patet, nec hoc negat Cordubenſis nobis aduerſarius; quia ſolùm docet virtutem gratiæ redundare in appetitum ſenſitiuum, quatenus inclinādo voluntatem ad bonum, reprimit inclinationem appetitus ad peccatum: iam verò reprimere fomitem potiùs eſt eum ligare, quàm tollere, vt patet ex art. præcedente. Virtus igitur gratiæ ſolùm ex- 13. tenditur ad hoc, vt voluntas ad bonum virtutis affecta comprimat fomitem appetitus, ne exeat in actum: quod ipſum non eſt habituare appetitum, vt in actū fomiti oppoſitum inclinetur. Et in hoc poſita eſt vis argumenti Durandi, quatenus ſumit pro medio, quod gratia & charitas ſolùm efficiunt, vt voluntatis actus ſit efficax ad bonum: quod ipſum licet inferat per ipſum reprimi poſſe appetitum, non tamen infert appetitum habitualiter inclinari in idem bonum; in quo poſita eſt ratio extinctionis fomitis.

Confirmatur hæc ſententia; quia iux- 14.
ta cōmuniorem ſententiam iuſtitia ori- Confirmatur. ginalis per ſe non ſatis erat ad tollendum fomitem; ſed illum tollebat ratione habituum annexorum, qui appetitum in bonum ſecundum rationem habituabant, & rationi perfectè ſubdebant: eodem igitur modo dicendum eſt de gratia ratione ſui; quæ ſi de facto refrænat appetitum ſenſitiuum, illum refrænat per virtutes infuſas, quæ illam comitantur, vt docet D. Thomas de veritate q. 24. ar. 9. ad finem.

Hanc noſtram tertiam propoſitionem 15.
non admittit *Cordubenſis libr. 1. Quæſt. q.* Non recipitur à Cordubenſi. *45. ad finem*, vbi putat tantam poſſe eſſe gratiam, vt omnino tollatur fomitis inclinatio ad malum; idem ſentit *q. 46. ad finem primæ opinionis de beata Virgine, pag. 389. col. 1. in fine*; quibus in locis pro ſe citat *D. Bonauenturam in 2. diſt. 32. in gloſſa* D. Bonau. *§. 2. & in 3. diſt. 3. art. 2. q. 2. & Scotum in* Scotus. *4. diſt. 4. & in 2. diſt. 32. & Gabrielem ibidē* Gabr.

q. 1.

q.1.concl.3. & D.Thomam 1.p.q.95.& in 2.diſt.32.q.1. Melius citaret Richardum in 3.diſt.3.art.1.q.4. vbi hanc opinionem expreſſe tenuit, quam etiam videtur probare Medina 3.p.q.27.art.3. ad finem. ¶ Fundamentum Cordubenſis eſt, quoniam licet gratia formaliter, & intrinſecè non perficiat appetitum ſenſitiuum, nec formaliter cõtrarietur fomiti; tamen virtus eius redundat in illum, & ob id fomiti virtualiter contrariatur quoad effectum: cũ enim inclinet ad bonum peccato contrarium, reprimit inclinationem appetitus ad peccatum. Et per conſequens remittit ipſum fomitẽ; nõ quidẽ in eſſentia, ſed in effectu; quoniam peccatũ eo magis reprimit, quo magis inclinat ad bonũ peccato contrariũ. Hoc eſt fundamentũ Cordub.

D.Thom. Richard. Medina. Fundamentum.

16. Confirmatur ex Aug. Confirmari etiam poteſt ex *Aug. lib.* 83. *Quæſtionum q.*36. dùm ait, *Augmẽtum charitatis eſſe imminutionem cupiditatis, perfectionem autem illius eſſe nullam cupiditatem.* Ergo per charitatem perfectam poteſt omnino tolli cupiditas, & fomes.

17. Improbatur Cordubenſis. Sed nec fundamentum aliquid facit; nec doctores, quos pro ſe refert illius, pbant opinionem Richardo, & Medina exceptis: etenim D. Bonauentura tantũ abeſt, vt illius ſententiam probet, vt in noſtram potiùs deſcendat, dùm dicit, in Virgine fomitem fuiſſe extinctum non per gratiam gratum facientem, ſed per aliud donum ſpeciale: *Scotus autem loco citato in 2.q.1. art.1. §.Contra iſtam viam,* non loquitur ex propria ſententia, ſed argumentatur ex datis: *in 4. verò diſt. 4. q.7. in principio,* ſolùm agit de diminutione fomitis quantum ad effectum; non verò de ablatione. Gabriel verò nihil dicit, quod ad propoſitum faciat. Denique *D. Thom. in 2. agit de diminutione fomitis: & licet 1.p.in d. q.95. art.1. in fine corp.* dicat per gratiam inferiora ſubdita fuiſſe rationi in Adamo; id intelligendum eſt de gratia, quatenus in ea fundabantur originalis iuſtitia, & dona illi annexa, quibus inferior pars rationi ſubdebatur, vt expreſſè docet art. 3.

D.Bonau. non eſt pro eo. Nec Scotus. Nec Gabr. Nec D.Th.

18. Ad fundamentũ Cordubenſis. Fundamentum porrò potiùs concludit fomitem per gratiam ligari, quam tolli. Quod verò ex Auguſtino adducitur ſolùm probat charitatem viæ minuere fomitem, in patria verò illum tollere.

19. Quarta propoſitio: *Fomes peccati non poteſt tolli ab appetitu ſenſitiuo, niſi per aliquod poſitiuum illi intrinſece inhærens: quo habitualiter inclinetur appetitus ad bonum ſenſibile ſecundum rectæ rationis imperium, & regulam.* Statuitur hæc propoſitio pro prima opinione: & ſatis eſt de mente *Paludani in 3.diſt.3.q.2.art. 2. & 3. & Durandi ibidem q.3.n.8. & 9. atque etiam D. Thomæ 3.p.q.27.art.3. in fine corp. & art.* 4. *ad* 1. quatenus aſſerit ad fomitis ligationem eſſe neceſſariam diuinam prouidentiam, cuius non meminit in ablatione eius. Probari autem poteſt: quoniam fomes, cum ſit naturalis quædam & habitualis inclinatio appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſus abſque rationis regula, non poteſt ab eo tolli, niſi ille habitualiter inclinetur ad non cõcupiſcendum bonum ſenſibile, niſi ad rationis normam. Hoc autem modo habituari nequaquam poteſt, niſi per habitum aliquem illi ſuperadditum, in eoque exiſtentem: potentia enim non poteſt habitualiter inclinari ad aliquem actum, niſi per habitum, quem in ſe habeat: nam talis habitualis inclinatio, cum ſit effectus formalis intrinſecus, ſine cauſa formali dari non poteſt, etiam per potentiam diuinam.

4.propoſit. Palud. Durand. D Thom.

Hæc quarta propoſitio non recipitur à grauiſsimo quodam Theologo: olim enim exiſtimauit, quod licet Deus de facto fomitem ab aliquo non ſubſtulerit, niſi per intrinſecos habitus appetitus ſuperadditos; tamen de potentia abſoluta (vt aiebat) fomitem poteſt totaliter auferre ſine aliquo habitu in appetitu inhærente. Fundamentum illius erat; quoniã iuſtitia originalis totaliter auferebat fomitem, vt omnes concedunt; quæ tamen inerat non in appetitu ſenſitiuo; ſed in eſſentia animę, iuxta ſententiam *D.Thomæ 1.2.q.83.art.2.ad 2. & Caietani ibidẽ, idem D. Thomas in quæſtionibus de malo q. 4.art.4.ad 1*: exiſtens autem in animę eſſentia abſque alio habitu in appetitu exiſtente reddebat appetitum habitualiter ſubiectum rectæ rationi: cumque rationi omnino ſubderet, etiamſi nulla in appetitu eſſet virtus. Quod etiam docuit *Cordubenſis vbi ſuprà q.46.pag.389.col.2.* Ergo ſimiliter Deus de potentia ſua abſoluta poteſt reddere ipſum appetitum rationi ſubiectum abſque aliquo habitu, aut gratia illi ſuperaddita. 20.

Non recipitur à quodam moderno. Fundamentum illius. D. Thom. Caiet. Cordub.

Hoc

21. Ad argum. illius moderni.

Hoc tamen argumẽtum parum facit: quoniam etiam apud D. Thomam iuſtitia originalis per ſe ſolam nõ ſatis erat ad ſubijciendum appetitum rationi, niſi ſecum haberet annexas quaſdam virtutes, quæ in appetitu ſubiectarentur, illumq; redderent quietum, & tranquillum: ita *Sotus 1. de natura & gratia c. 5. dub. 1. pag. 17. col. 1. & Cumel. 1. p. q. 95. ar. 3. in diſcurſu art. pag. 639. col. 2. in medio, & ante eos Palud. in 3. diſt. 3. q. 2. art. 2. concl. 4. & ſatis eſt de mente D. Thomæ in d. art. 3.* quatenus ex eo, quod iuſtitia originalis partẽ inferiorem rationi ſubijciebat, infert in Adamo fuiſſe omnes virtutes: quæ conſequentia non valeret, niſi ſicut à gratia oriũtur virtutes infuſæ; quibus potentiæ animæ perficiuntur: ita à iuſtitia originali orirentur virtutes perficientes inferiores potentias: in quo etiam cõuenit *Scotus in 2. diſt. 29. q. 1. lit. B. & cum eo ſentit Gabriel in 2. diſt. 30. q. 1. artic. 3. dub. 3. nec diſplicet Cordubenſi in d. q. 46.* Quare ad argumentum negãda eſt minor.

Sotus. Cumel. Palud. D. Thom. Scotus. Gabr. Cordub.

§. 4.

An virtutes morales in appetitu ſenſitiuo exiſtentes ſatis ſint ad tollendũ fomitẽ?

22. Quæſtio.

IN præcedentibus quatuor propoſitionibus explicauimus primam difficultatem, & reſoluimus cum prima opinione fomitem non poſſe extingui per aliquam formam appetitui extrinſecam; quamuis homini ſit intrinſeca: expendẽda eſt ſecũda difficultas, quæ inter authores noſtræ ſententiæ verſatur; vtrùm ne ſatis ſint virtutes morales, ſiue infuſæ, ſiue acquiſitæ ad tollendum fomitem?

23. 1. opinio negans. *Palud.*

Partem negantem probat *Palud. in 3. diſt. 3. q. 2. artic. 1. in impugnatione tertiæ concluſionis fol. 24. col. 3. & art. 2. concl. 4.* vbi negat fomitem tolli poſſe per virtutes morales acquiſitas, vel infuſas; imò nec per aliquem habitum infuſum, vel acquiſitum, qui eiuſdem ſit rationis cum virtutibus moralibus: quæ opinio pluribus ex Nouioribus placuit; & inter eos *Suario 1. tom. ad 3. p. q. 15. art. 2. §. Sed adhuc difficile eſt, & ſatis inſinuat in 2. tomo diſp. 4. ſect. 5. §. Aduertendum eſt ſecundò, pag. 72. col. 1. B. & ſect. 6. §. Ad explicandum exactè, pag. 74. col. 1. B.*

Suarius.

24. 2. affirmat.

Affirmantem verò opinionem plerique probauerunt aſſerentes fomitẽ poſſe tolli per virtutes morales exiſtentes in appetitu ſenſitiuo, in gradu tamen perfectiſsimo: quam ſententiam deducunt ex *Diuo Thoma 3. p. q. 15. art. 2.* dùm ſimpliciter docet Chriſtum Dominum, ideò nullum habuiſſe fomitem; quia in eo fuerunt virtutes perfectiſsimæ, id eſt, in perfectiſsimo gradu. Adduci etiam poteſt idem *D. Thomas de virtutibus q. 1. art. 4. ad 7. & artic. 10. ad 14.* vbi docet fomitem tolli non poſſe per virtutes morales, niſi fortè miraculoſè, id eſt, in gradu extraordinario collatas. *D. Thom.*

Mediam ſententiam videtur approbaſſe *Caiet. 3. p. in d. q. 15. art. 2.* vbi ſecundam opinionem putat verã eſſe in Chriſto Domino: primam autem ſolum in viatoribus. Fundamentum eſt; quia in Chriſto naturalia manſerunt integra, & ob id ſatis fuiſſe ad fomitem impediendum, & extinguendum: in alijs verò eas non ſatis eſſe; quia in illis naturalia integra non manſerunt: ob quam rationem in illis requirit aliud donum ſpeciale diſtinctum à gratia virtutibuſq; moralibus. 25. Media opinio Caiet.

Pro reſolutione hanc quintam ſtatuo propoſitionem: *Longe probabilius eſt fomitem extingui non poſſe per virtutes morales, quantumcunq; ſint in gradu perfectiſsimo, ſi ſolum habeant eam vim, & efficaciam, quã ex quidditate ſui generis ſibi vendicant: ſecus ſi Deus illis tribuat virtutem aliquam de nouo ſupra earum naturam.* Et fortè hæc fuit mens *D. Thomæ in q. 9. de virtutibus,* quando docuit fomitem, & virtutes morales tolli nõ poſſe, niſi fortè miraculoſè: ſenſus enim eſt, niſi fortè Deus illis nouam aliquam vim, & efficaciam tribuat diſtinctam ab ea, quam habent, quatenus morales ſunt. 26. 5. propoſit.

Pro concluſionis explicatione aduertendum eſt primò extinctionem fomitis à duobus pendere: nimirum à ſubiectione, & obedientia appetitus ad rationem, quando actu eum dirigit; & præterea, vt nunquam rationem præueniat, ſed in omnibus ſuis motibus eam expectet, vt ſatis docet *D. Thomas de veritate q. 14. art. 9. & 3. p. q. 27. art. 4. ad 1:* & inde eſt, vt ad extinctionem fomitis præter ſubiectionem ad rationẽ eum actu dirigentẽ, neceſſariò requiratur, vt appetitus nunquã ſoli ſibi reliquatur, ſed ſemper in omni motu à ratione præueniatur: nã cũ ex ſua eſſentia 27. Notab. 1. Fomitis extinctio à duobus pendet. *D. Thom.*

ſit potentia formaliter irrationalis; rationalis autem ſolum per participationem: quia. ſ.poteſt à ratione dirigi, & imperari; vtique ſi ſibi, ſuæque naturæ relinquatur, non poteſt non ferri in obiectũ ſenſibile, ſiue illud ſit contra rationem, ſiue præter illam: quare ſi obiectum ſenſibile illi applicetur, ratione ad talẽ applicationẽ non concurrente, non poteſt non ferri in illud toto conatu, tanquam in bonum ſibi proprium; quantumuis rationi ſit contrarium. Vnde ſi ſibi relinquatur obiecto ſibi ratione non concurrente applicato, non poteſt non habere fomitem ſibi annexum. Opus eſt igitur, vt per aliquam actualem perfectionem (quæcunque illa ſit) ita rationi ſubalternetur, vt nunquam ſibi ſoli relinquatur; ſed ſemper ratione præueniente moueatur. Quare ſicut ad extinguendum fomitẽ neceſſe eſt, vt per aliquos habitus ſibi intrinſecos fiat habitualiter pronus ſubijci rationis imperio, & habitualiter inclinari in bonum ſenſibile rationi conſonum, vt diximus in quarta propoſitione: ita etiam ad eandem fomitis extinctionem neceſſariũ eſt, vt ita diſponatur, vt ad nullũ bonum ſenſibile moueri valeat, niſi præueniente ratione. Quare videndum eſt; an ſolæ virtutes morales, ſaltem in ſummo gradu, poſſint appetitum non ſolùm habilitare, vt rationi eum actualiter dirigẽti obediat, vt nihil poſſit appetere contra rationis directionem; ſed etiam, vt nihil appetat, niſi à ratione præuẽtus. In qua quæſtione 2. opinio ſimpliciter affirmat: tertia verò, quæ eſt media, id negat in puris viatoribus; admittit tamen in Chriſto Domino, & in Adamo: noſtra tamen quinta propoſitio primam probat opinionem, tàm in viatoribus, quàm in Chriſto, & Adamo, ſi virtutes morales etiam in perfectiſsimo gradu ſumptæ, ſolùm habeant vim, & efficaciam, quam ex virtute ſui generis, & intra limites virtutum moralium ſibi vendicant.

28. Per quid extingatur.

29. 2. notabile.

Pro cuius reſolutionis cõfirmatione ſecũdò notamus virtutes morales ex ſuo genere ſolũ habere verſari circa moderãdas paſsiones, & operationes appetitus ſenſitiui; vt. ſ. teneant mediũ à ratione prudẽtiali ſibi dictatũ. Quare ex ſuo genere ſolũ habent inclinare appetitũ, vt iuxta regulas prudentiæ bonũ ſenſibile oblatum ſibi cõcupiſcant. Vnde ex ſua natura, & quatenus ſunt virtutes morales ſolũ diſponunt, & habilitant appetitum, vt facilè obediat rationi, quãdo ab ea dirigitur, & imperatur; non tamen vt non moueatur, niſi ratione præueniente, atq; dirigente: qui effectus longe diuerſus eſt à priori, & vim atque naturam virtutis moralis excedit, in quocunque illa ſit gradu, vt omnes fatentur: nec enim virtutes morales ex ſua natura habent impedire, ne obiecta ſenſibilia ſenſibus obijciantur; nec itẽ vt ipſam rationem applicent, & veluti ligent, vt ſit in perpetua vigilia ne appetitu præueniatur; ſed ſemper eũ præueniat.

Munus proprium virtutum moralium.

Quare cum fomes peccati non ſolum inclinet appetitum, vt moueatur contra & præter rationis dictamen; ſed etiam vt motu ſuo præueniat rationem, & poſsit ſine ea moueri: virtutes autem morales quantumcunque ſint perfectiſsimæ, licet efficere valeant, vt poſito rationis ductu appetitus facilè obediat; non tamen poſſunt efficere, vt appetitus ſemper à ratione præueniatur, vt oſtendimus: inde bene infertur, virtutes morales ſumptas ſecundum ſuam naturam in quantumcũq; perfectiſsimo ſint gradu, non poſſe ſe ſolis fomitem omnino extinguere: ſed neceſſario indigere, aut nouis donis ſupernaturalibus, quibus appetitus non niſi ratione præueniente moueatur: aut noua aliqua virtute ipſis moralibus virtutibus communicata, qua poſsint appetitum ipſum ita cum ratione coniungere, vt non moueatur, niſi ratione eum mouente. De quo in ſequenti propoſitione vltima aliquid dicemus. Nunc ſatis ſit iuxta concluſionem quinto loco poſitam virtutes ipſas morales in appetitu ſenſitiuo exiſtentes, ſiue acquiſitæ ſint, ſiue infuſæ, etiam in gradu perfectiſsimo, ex ſua natura non eſſe ſatis ad fomitem extinguẽdum; quia ex ſua natura ſatis non ſunt, vt appetitum diſponant, ne niſi ratione præueniente, moueatur. 30.

Per ſe ſolas non poſsũt fomitẽ tollere.

§. 5.

An ſine diuina aſsiſtentia dona ſupernaturalia poſsint fomitem auferre? 31.

Vltima difficultas de neceſsitate aſsiſtentiæ diuinæ.

SVpereſt explicanda vltima difficultas, quæ tangitur in vltima controuerſia relata ſuprà §. 1. an. ſ. per dona

na illa diuinit⁹ efficacia (de quibus in præcedente quinta propoſitione mentionem fecimus) fomes peccati poſsit auferri, ſine aſsiſtentia diuinæ prouidentiæ? de hoc enim etiam controuertitur inter Theologos, vt diximus §. 1. in vltima difficultate. Nonnulli de propoſita quæſtione tres referunt ſententias. Prima ſimpliciter negat poſſe fomitem auferri per quæcunq; dona in appetitu exiſtentia; ſed neceſſario indigere aſsiſtentia diuinæ prouidentiæ; idque tàm in via, quàm in patria. Alij ſimpliciter affirmãt, poſſe tàm in patria, quã in via extingui fomitem per virtutes, & habitus à Deo ad id miraculosè eleuatos, nec eſſe neceſſariam aſsiſtentiam diuinã. Nonnulli veluti medij vtramque conciliant opinionem: vt prima opinio vera ſit in via: ſecunda verò in patria. Ego neminẽ inueni, qui in terminis propoſitis primam aut ſecundam probet opinionem: inueni tamen aliquos, qui mediam ſententiam probauerint: & inter eos poſſumus referre *Suarium in 2. to. ad 3. p. diſp. 4. ſect. 2. §. Aduertendum 2. pag. 72. col. 1. B. &* §. *Secũdo modo id intelligi poteſt, pag. 52. col. 2. A.* vbi opinionẽ 2. non admittit in viatore Deũ non vidente; quaſi aliter ſentiat in homine beato: & ſatis id videtur eſſe de mente *D. Thomæ de Verit. q. 24. art. 9.* vbi opinionem ſecundam non admittit in puro viatore: eam tamen admittit in Chriſto Domino, ideò quia erat comprehenſor: quibus verbis ſatis ſignificant tertiam opinionem eſſe admittendam.

Variæ opiniones. *Suarius.* *D. Thom.*

32. Pro reſolutione ſit ſexta & vltima cõcluſio: *In patria ſufficienter tolletur fomes ſine ſpeciali aſsiſtentia, & cuſtodia diuinæ prouidentiæ per ſola dona, quæ ſunt in beatis: in via tamen de facto non tollitur ſine ea; poteſt tamen tolli.* Primam huius aſſertionis partem oſtendemus in ſequente quæſt. 21. art. vltimo. ¶ Secundam verò hac ratione confirmamus: quoniam fomes non poteſt penitus extingui, niſi appetitus ſenſitiuus ita in agendo ſubijciatur, & ſubalternetur rationi, vt non ſolùm habitualiter ſit pronus obedire illi actui eum dirigenti; ſed etiam vt non poſsit moueri ad aliquid concupiſcendum, niſi ratione præuentus. Sed hæc tam perfecta obediẽtia, & ſubalternatio pro ſtatu viæ illi de facto non conuenit ſine aſsiſtentia diuinę prouidentiæ. Ergo vt fomes in via totaliter extinguatur de facto præter habitus ſupernaturales neceſſaria eſt diuina aſsiſtentia. Maior ſatis eſt nota ex dictis in præcedente quinta propoſitione. Minor verò ſatis oſtenditur ex ijs, quæ ſcribit *D. Thom. de Veritate q. 24. art. 9*: etenim ratio pro ſtatu viæ quantũcunque ſit habitibus etiam infuſis perfecta non ſatis eſt, vt poſsit appetitum ita ſibi ſubijcere, vt nihil, niſi ipſa præueniente, poſsit appetere: nam vt ait D. Thomas pro ſtatu viæ eſt impoſsibile, vt ratio ſemper ſit actualiter intenta ijs, quæ poſsint à ſenſibus, aut à cogitatiua apprehendi: virtutes autem morales appetitus, quantumcũq; ſint perfectiſsimæ, ex ſua natura non habent diſponere, vt appetitus non niſi à ratione præueniente moueatur; cum ex ſua natura non habeant, vt rationem ipſam perpetuò alligent appetitui, vt illum in omnibus ſuis motibus præueniat: alia autem dona, quibus appetitus poteſt diſponi, vt moueri nequeat, niſi à præcedente ratione, propriè non pertinent ad viam; ob quam rationem naturalius eſt Deum ſe ipſo, ſuaque aſsiſtentia illud in appetitu operari. 33.

6. & vltima concluſio. *1. pars.* *Secunda.* *D. Thom.*

Tertia verò pars noſtræ aſſertionis (quatenus aſſerit fomitem in via poſſe tolli per aliqua dona intrinſeca viatori ſecluſa Dei aſsiſtẽtia) facilè probatur; quoniam cum id in patria admittendum ſit, vt inferiùs dicemus, admittendum eſt, id non implicare: poterit igitur Deus per dona aliqua ſupernaturalia nõ ſolùm diſponere appetitum, vt ſine rationis ductu non moueatur; ſed etiam diſponere intellectum & voluntatem, vt appetitum in omnibus præueniant: hoc autem modo fomitem fuiſſe ablatum ab Adamo ſatis ſignificat Scotus in 2. diſt. 29. q. 1. lit. B. dũm præter virtutes morales exiſtentes in appetitu, poſuit in eo duo dona ſupernaturalia; vnum in concupiſcibili; alterũ in iraſcibili, quibus appetitus rationi ita ſubdebatur, vt nihil, niſi imperante ratione cõcupiſceret: & in voluntate infudit iuſtitiam originalem, qua ſpeciali modo poterat præuenire appetitum, vt ſine ea nihil concupiſceret. Et ad hunc etiam modum apud nonnullos fomes fuit in Virgine extinctus: potuit etiam Deus diſponere imaginatiuam, vt nullum bonum ſenſibile poſſet appetitui obijcere, niſi 34.

3. pars aſſertionis.

quod eſſet rationi conſonum ex Paludano loco citato.

Sed quoniam hoc non niſi extraordinario, & ineffabili miraculo fieri poterat; admittenda eſt potiùs ſecúda pars noſtræ aſſertionis: vno excepto Chriſto viatore: quia ratione vnionis omnes illius operationes cognoſcitiuæ, & appetitiuæ erant theandricæ.

QVÆSTIO XXI.

De fomite peccati in ordine ad beatos.

1. EXplicauimus in quæſtione 20. præcedente, quæ ad rationem fomitis generaliter pertinebāt: quidnam ſit? in quo ſubiecto ſit? an detur in nobis? an poſsit ligari? & penitus auferri? quomodo ligetur? & denique quomodo auferatur? ſupereſt explicare id, quod ad noſtrum pertinet inſtitutum; an ſcilicet maneat in beatis? ſi verò non manet, quo modo ab illis auferatur?

2. Variè diuiditur fomes 1. diuiſio. Pro quo aduertimus fomitem varijs modis cōſiderari poſſe; vno modo in actu primo, altero modo in actu ſecundo. Cōſideratur in actu primo ſecundū id, quod eſt eſſentialiter: in actu verò ſecundo nihil eſt aliud, quàm actualis motio, & affectio ſenſibilis appetitus ſenſitiui præueniens rationem, & ad peccatum inclinās, vt quæ ſit ad obiectum rationi contrariū terminata.

3. 2. diuiſio. Deinde præmittimus fomitem quoad actum primum duobus modis manere poſſe in appetitu: vno modo ſolutum, vt poſsit exire in actum: altero modo ligatum, ne in actum exeat: tunc verò in appetitu non manere, cum totaliter ab eo aufertur.

4. Articuli excitandi. De fomite igitur in ordine ad beatos ſequentes articulos excitabimus. Primus eſt; an maneat in illis aut manere poſsit quoad actum ſecundum? ſecundus; an maneat quoad actum primum totaliter ligatus; an vero in illis penitus ſit extinctus? tertius articulus inquiret, an ablatio fomitis in beatis facta ſit ſolum ab intrinſeco: an verò ſolum ab extrinſeco: an vtroque modo? Quartus & poſtremus inquiret; vnde nam per ſe & adæquatè fiat ablatio fomitis ab appetitu beati?

ARTICVLVS I.

An fomes peccati in beatis maneat, aut manere poſsit quoad actum ſecundum?

1. An maneat in beatis?

DE propoſita quæſtione nulla vnquam fuit inter Theologos dubitatio: omnes enim partem negantem vt indubitatā ſupponunt. Quare pro reſolutione hanc aſſertionem ponimus: *In beatis nec manet, nec manere poteſt fomes quoad actum ſecundū.* Cōcluſio eſt de fide: (Vnica concluſio.) deducitur enim ex ſacris literis: primum ex Paul. 1. Cor. 15: *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* (1. Cor. 15.) Hæc autē ſpiritualitas omnium Patrū conſenſu in hoc conſiſtit, vt nulla ratione cōtra ſpiritum aut rebellet, aut rebellare valeat; ſed in omnibus & omnibus modis illi ſubiaceat. Itē ex illis verbis eiuſdem capitis: *Caro regnū Dei non poſsidebit, nec corruptio incorruptionē.* Quo loco nomine carnis intelligitur non carnis ſubſtantia, ſed conditio; dùm aut actu, aut habitu exercet opera vitioſa carnis, excitatque motiones ſpiritui cōtrarias. (Rom. 7.) Adde Paul. Rom. 7. vbi agens de actu fomitis: nimirum de pugna, & rebellione carnis aduerſus ſpiritum ita ait: *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et reſpondet: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Gratia, inquam, non viæ; quia ſtatim addit: *igitur ego quidem mente ſeruio legi Dei: carni autē legi peccati.* Quare agit de gratia conſummata patriæ, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, vt ibi Gloſſa ordinaria, & Lyra cum cæteris aduertērūt. Optimè etiā deducitur ex Paul. 1. Cor. 15: (1. Cor. 15.) *Cum mortale hoc induerit immortalitatē, tūc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: abſorta eſt mors in victoria: vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? ſtimulus autē mortis peccatū eſt: virtus vero peccati, lex.* Quæ verba nō ſolū intelligūtur de immortalitate corporū, qua mors abſorbetur: ſed etiā de immortalitate, & incorruptione peccati, qua omnino abſorbetur peccatū, nō ſolū quoad culpā; ſed etiam quoad fomitem.

2. Et cū hæc veritas ex ſacris literis tàm euidenter deducatur, non eſt, quod in referendis Patribus, & Theologis immoremur: ſatis ſit vnanimam Patrū doctrinam docere beatos omnino eſſe impeccabiles, vt oſtēdimus *in 2. tom. lib. 11. q. 16. art. 2. n. 8. & 9.* Iam verò, qui ita ſunt in

in bono confirmati, vt peccare non poſſint, nullum habent fomitem: vnde Eccleſia cœleſtis dicitur deſcendere de cœlo *tota noua, à Deo parata, tanquam ſponſa ornata viro ſuo.* Apocalyp. 21. Iam verò fomes peccati ad vetuſtatem pertinet, & ad veterem hominem; ob quam rationẽ exuta in cœlo omni vetuſtate, & illa exuitur.

3. Confirmatur ratione. Sed & ratione theologa eadem veritas confirmatur: quoniam hæc appetitus motio inordinata eſt defectus humanæ naturæ ex peccato contractus, vt docet fides: nec enim erat in ſtatu innocentiæ, vt omnes volunt: at in patria nullus aut defectus, aut peccati effectus permanebit.

2. ratio. Accedit; quoniam ex perfecto dominio animæ beatæ in corpus, & ex corporis ſumma ſpiritualitate conſequitur appetitus omnimodã ſubiectionem ad ſpiritũ, vt nullo modo poſſit rationem præuenire, ſed omnis eius actio debeat eſſe imperata à voluntate cum perfecto conſenſu. Talis ergo motio de obiecto prauo in patria eſſet peccatum. At in patria nullũ peccatum eſt poſſibile. Ergo nec poſſibilis erit talis motio fomitis.

ARTICVLVS II.

An fomes in beatis maneat quoad actum primum totaliter ligatus: an ſit omnino extinctus?

§. 1.

Opinio Durandi.

1. Quæſtio. EX præcedente concluſione infertur fomitem quoad actum in patria non manere ſolutum; ſed ibi vel omnino extinguendum fore, ita vt ſimpliciter non maneat: aut ſi manet, maneret perpetuô, & totaliter ligatũ: eſt igitur inquirendum; an in patria fomes omnino extingui debeat? an perpetuò ligari?

2. Opinio affirmans. Quod nõ debeat extingui, ſed manere quoad actum primum, totaliter tamen ligatus, ne vnquam exeat in actum ſecundũ affirmabunt, qui putant fomitem nullo modo poſſe extingui, totaliterque auferri ab appetitu ſenſitiuo. Hanc opinionem probare videtur *Dur. in 3. diſt. 3. q. 3.* Opinio Durandi. *ſi expendantur, quæ docet n. 6. §. Qualiter autem fomes*: putat enim fomitem ab appetitu nullo modo auferri poſſe: licet autẽ n. 8. putet opinionem, quæ in beatis oppoſitũ docet, aliquo modo ſaluari poſſe, ſi fomes dicatur auferri, quando per aliquam intrinſecam qualitatem, ſiue diſpoſitionem impeditur, ne exeat in actum; tamẽ in ea perſiſtit opinione, vt propriè loquendo non auferatur; quia ſemper manet habitualis inclinatio, vt in actũ exeat, licet impediatur. Argumenta pro hac opinione iam adduximus in præcedente quæſtione 20. art. 4. §. 4. n. 18.

§. 2.

Vera opinio.

HAnc tamen opinionem eſſe periculoſam iam aduertimus in d. q. 20. art. 4. §. 3. n. 13. & merito quoniam euidenter deducitur ex locis ſacræ ſcripturæ, quos in præcedenti art. adduximus: nam Paul. 1. Cor. 15. ita ait: *Seminatur corp⁹ animale, reſurget ſpirituale*: quæ verba non intelligũtur de corpore, & ſpiritu ſubſtantialiter ſumptis (quia in reſurrectione corpora non erunt ſubſtantialiter ſpiritualia, ſed corporalia, vt lib. 1. cõtra nonnullos hæreticos oſtendimus) ſed de corpore, & ſpiritu, vt in concupiſcendo inter ſe contrariantur: vt corpus ideò dicatur animale; quia ſpiritui reſiſtit; ſpirituale autem; quia illi in omnibus, & per omnia ſubijcitur. Hæc autem ſubiectio, & obedientia in hoc eſt poſita, vt non ſolum rationi illo actu dirigẽti obediat; ſed etiam ad nihil, niſi ratione præueniente moueatur: in hoc enim poſita eſt perfecta ſubiectio partis inferioris cum ſuperiori: quæ omnem fomitis rationem excludit, vt in præcedente quæſtione cum communi ſententia ſæpè diximus.

3. Opinio Durandi periculoſa.

1. Cor. 15.

Accedant etiã verba eiuſdem cap. 15: *Caro regnũ Dei non poſſidebit, nec corruptio incorruptionẽ*, vbi nomine carnis nõ intelligitur carnis ſubſtãtia; quia hæc verè erit beata; ſed intelligitur caro peccato vitiata, non alio vitio, quàm fomitis: qui ipſe quantumcunque ſit ligatus, ipſam carnẽ vitiat vitio peccati, nõ ſolùm quia ex peccato fuit; ſed etiam quia ad peccatum inclinat: hæc igitur caro vitiata per actum primum fomitis non poſſidebit regnum Dei; nec illius corruptio (quantumcunq; ſit habitualis, & ſolum quoad actum primum) poſſidebit beatitudinis corporalis incorruptionem: quia talis incorruptio omnem corruptionem excludit, etiam illam, quæ eſt in actu primo.

4. 2. locus 1. Cor. 15.

5. 3. locus ad Rom. 7. Sed tertius locus ad Rom. 7. eandem veritatem efficaciter oſtendit: *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius?* & reſpondet: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Optat igitur Paulus liberari à fomite, & affirmat ſe liberandum fore per gratiam Dei ex meritis Chriſti: cum verò in via non fuerit ab eo liberatus (nam ibidem ait ſe carne ſeruire legi carnis) vtique ab ea liberari ſperat in patria per gratiam conſummatam, qualis futura eſt gratia patriæ, quæ ideò dicitur conſummata, quia omnes effectus gratiæ in beatis exercet, & per cõſequens eos à fomite penitus liberat. Satis igitur docet Paulus iuſtos in patria à lege fomitis futuros eſſe omnino liberãdos.

6. 4. locus 1. Cor. 15. Accedat quarto loco Paulus 1. Corint. 15. dùm affirmat mortis victoriam poſt reſurrectionem eſſe penitus abſorbendam, tùm quoad peccatum; tùm quoad ſtimulum, & legem peccati cum corpus noſtrum induerit immortalitatem. Ergo ex doctrina Pauli in reſurrectione ſicut nulla iam erit corpõralis mors; ita nullus erit aut ſtimulus, aut lex peccati: nõ quidem quoad actum ſecundum ſolum; ſed etiam quoad actum primum; quoniam actus primus fomitis inter mortis ſpolia enumeratur; cum & ipſe primus fomitis actus per peccatum ſit introductus.

7. 5. loc. Apocalyp. 21. Quinto loco accedit illud Apocalypſis 21. *Deſcendit de cœlo tota noua à Deo parata, tanquam ſponſa ornata viro ſuo.* Ecce cœleſtis Eccleſia deſcendit tota noua; & ideò tota noua; quia à Deo parata eſt, & ornata. Si tota noua. Ergo nihil ornamẽti veteris ſecum afferet; ſed omnino totũ hominem veterem exuit, & ex conſequenti exuit quicquid vetuſtatis per peccatum ad hominem veterem pertinebat. Iam verò fomes non ſolùm quoad actum ſecundum; ſed etiam quoad primum pertinet ad hominem veterem; cum etiam quoad actum primum per peccatum fuerit introductus ex Tridentino ſeſſ. 5. canone 5. de peccato originali.

8. Apoc. 22. 1. Petr. 1. Ad Ephe. 5. Denique ex Apocalypſi 22: *Omne maledictum non erit amplius*: fomes autem ad maledictum pertinet. Primæ Petri primo hæreditas cœleſtis inter alia erit incontaminata: iam verò fomes eſt quid contamminatum. Ad Epheſios quinto, *Eccleſia cœleſtis non habebit maculam nec rugam, ſed erit ſancta, & immaculata.* Satis igitur ex ſacris literis conſtat in beatis, poſt reſurrectionem, nec quoad actum primum fore manſurum, & oppoſitum eſſe errorem.

Quæ Durandus in contrarium obiecit ſatis diſſoluimus ſuprà quæſt. 20. art. 4. §. 4. num. 20.

ARTICVLVS III.

An in beatis fomes ablatus ſit ab intrinſeco, an ab extrinſeco; an vtroque modo?

§. 1.

Explicatur in quo ſit poſita difficultas?

Svppoſita veriſsima opinione præcedentis articuli, quod in beatis fomes ſit omnino ſublatus, iam inſurgit quæſtio; vnde nam proueniat, omnimoda fomitis extinctio? vtrùm ne inflexibilitas illa appetitus ſenſitiui à regula rationis veniat ab intrinſeco? an verò ab extrinſeco? an denique tùm ab intrinſeco, tùm etiam ab extrinſeco? 1.

In hac quæſtione præmittimus in ea eſſe ſolum ſermonem de cauſa ſimpliciter extrinſeca; qualis eſt, quæ intrinſeca eſt tùm ipſi appetitui, tùm homini appetenti: de qua diximus in præcedente quæſtione art. 5. §. 2. n. 5: talis autem eſt ſola diuina aſsiſtentia, vt ibidem aduertimus: nam de cauſa extrinſeca appetitui, intrinſeca vero homini appetenti, dicemus in ſequenti art.

Hoc ſuppoſito in hac quæſtione illud certiſsimum eſt hanc fomitis extinctionem non fieri ſolùm ab extrinſeco, per ſolam nimirum extrinſecam Dei prouidentiam, qua vel impediuntur obiecta, quæ excitare poſſunt motus fomitis, vel illis oblatis negatur concurſus ad eoſdem motus, quod iam oſtendimus in præcedenti quæſtione articulo 6. §. 1. propoſitione 1. numero 10: etenim diuina aſsiſtentia ſatis erit ad ligandum fomitem; non tamen ad extinguendum, vt ibidem latè probauimus. 2. Non fit ſolùm ab extrinſeco.

Quare tota difficultas poſita eſt; an talis extinctio fomitis fiat ſolùm ab intrinſeco; an verò partim ab intrinſeco; partim ab extrinſeco. 3. Vbi ſit difficultas.

§. 2.

§. 2.

Referuntur opiniones.

4. 1. Opinio. DE hac re variæ poſſunt adduci opi
niones: nam qui putant fomitem
in via extingui ab intrinſeco per
habitus, qualitateſque inhærentes, ita per
fectas, vt per ſolam intrinſecam informa-
tionem contineat appetitum, ne contra,
aut præter rationem moueatur, forte idẽ
dicent de extinctione fomitis in Patria:
nam ſi hæc vis, & efficacia reperitur in
habitibus, & virtutibus viæ; à fortiori ea-
dem, vel maior erit efficacia habituum, &
virtutum, quæ manent in Patria.

5. 2. Opinio. Porrò qui putant nullos habitus, nul-
laſve virtutes, quantumvis perfectas, eſſe
ſufficientes ſine extrinſeca Dei aſsiſten-
tia (inter quos eſt *Suarius* 1. *tom. ad* 3. *p. q.*
Suarius. D. Thom. 15. *art.* 2. *in Cõmentario, & 2. to. diſp.* 4. *ſect.*
5. §. *Aduertendum eſt ſecundo, & ſect.* 6. §.
Ad explicandum exacte, & ante eum D.
Thom. de veritate q. 24. *art.* 9. *in corp.*) For-
te idem dicent de virtutibus, & habitibus
Patriæ: & ſubinde præter eos ad fomi-
tis extinctionem in Patria requirent ex-
trinſecam Dei prouidentiam, quæ ſentẽ-
Scotus. tia forte non diſpliceret Scoto, & illis, qui
putant ad impeccabilitatem beati neceſſa
riam eſſe extrinſecam prouidentiam Dei,
quos retulimus 2. to. lib. 11. in diſputatio
ne de cauſa impeccabilitatis.

6. 3. Opinio. Tertiam adhuc ſententiam inuenire
quis poterit, quæ fomitem à beatis non
tollit per aliquid appetitui intrinſecum;
ſed per aliquid extrinſecum quidem ap-
petitui, intrinſecum tamen beato: nimi-
rum per viſionem, & amorem beatificũ.
Itaq; vidẽtur ſentire ad extinctionẽ fomi
tis in Patria non eſſe neceſſariam aſsiſtẽ-
tiam Dei beato extrinſecam: quam ſen-
tentiam mihi videtur præſentire Suarius
in citatis locis.

§. 3.

Reſoluitur quæſtio.

7. Vera reſolutio. PRo reſolutione duas ſtatuo conclu-
ſiones: ſit prima concluſio: *Extin-
ctio fomitis in beatis non fit ſine aliqua
intrinſeca diſpoſitione, & informatione appe*
1. Concluſ. *titus ſenſitiui.* Probatur: quoniam extrin-
ſeca aſsiſtentia poteſt quidem ligare fo-
mitem (vt dicebamus:) tollere autẽ non
poteſt: nam fomes eſſentialiter eſt veluti
habitualis quædam inclinatio in bonum
ſenſibile contra, vel præter regulam ratio
nis: hæc autem habitualis inclinatio tolli
non poteſt, niſi per aliquam intrinſecam
diſpoſitionem, quæ ad oppoſitum incli-
net: vnus enim habitus per alium tolli-
tur: diuina autem eſſentia, cum ſit extrin
ſeca non eſt talis. Et hinc apparet ratio,
cur in via non ſatis eſt diuina aſsiſtentia
ad extinguendum fomitem; benè tamen
ad eum ligandum. Et profecto iſte extin
guendi modus ſatis eſt accommodatus, &
conſentiens cum ſuaui Dei prouidentia,
quæ cauſis ſecũdis tribuit intrinſecà prin
cipia ad producendũ ſuos effectus. Quare
vt appetitus ſenſitiuus ſuauiter ſemper ſe
quatur rationis ductum, & conſentanee
ad regulas diuinæ prouidẽtiæ, neceſſariũ
fuit, vt per principia intrinſeca appetitus
hanc facilitatem, & pronitatem nanciſca-
tur; maximè cum ſibi relictus naturaliter
habeat contrariam veluti habitualem in-
clinationem. Hinc eſt, vt in ſtatu innocẽ
tiæ ad fomitem extinguẽdum datũ fue-
rit donum iuſtitiæ originalis, quo portio
ſuperior Deo; inferior autem ſuperiori
ſubijciebatur. Simile donum conceſſum
eſt Virgini, quando fomes in ea fuit ex-
tinctus, vt docet *D. Thom.* 3. *p. q.* 27. *art.* 3. D. Thom.
quin potius in Chriſto fomes fuit extin-
ctus medijs habitibus, vt docet idem *D.
Thom.* 3. *p. q.* 15. *art.* 2.

Secunda concluſio: *Ad extinctionem* 8.
fomitis in Patria non eſt neceſſaria extrinſe- 2. Cõcluſio
*ca Dei prouidentia, ſine aſsiſtentia aut cuſto-
dia: ſed per principia beatis intrinſeca, & in
illis exiſtentia ſufficienter extinguitur.* Hæc
propoſitio ſtatuitur contra ſecundam ſen
tentiam. Probata autẽ fuit noſtra propo-
ſitio D. Thomæ de verit. q. 24. ar. 9. & ar.
11. ad 4. Facilè autem demonſtratur: quo
niam fomes tunc dicitur extinctus, cum Fomes quã do dicatur extinctus.
portio ſuperior eſt Deo perfectiſsimè ſub
iecta; & inferior (nẽpe appetitus) eodẽ
modo ſubiecta eſt ſuperiori; ita vt ſupe-
rioris motionem, & applicationẽ præue-
nire nõ poſsit; ſed illi in agendo omnino
ſubalternetur: hæc autem vtriuſque por
tionis ſubalternatio in beatis non indiget
extrinſeca Dei aſsiſtentia, & protectione
ſpeciali; ſed ſufficienter ponitur per pro-
priam vtriuſque partis diſpoſitionẽ, quæ
in parte ſuperiori eſt viſio, & amor; in ap-
petitu verò ſunt, tùm habitus perfectiſsi-

mi; tùm redundantia beatitudinis animæ in eum, de qua in art. ſequenti: his enim poſitis, & ratio ſuperior ſufficiēter fit ab intrinſeco impeccabilis, vt contra Scotū late oſtendimus in 2. to. lib. 11. appetitus item ſimili modo fit ſubiectus, & obediēs, vt oſtendemus in eodem ar. Quod adhuc confirmatur ex ijs, quæ ex Paulo ſtatim dicemus.

9. Obiectio. Obijciet aliquis; ad impeccabilitatem volūtatis, & extinctionem fomitis in via neceſſariam eſſe extrinſecam Dei aſsiſtē-tiam, quę hominē ſpecialiter dirigat iuxta veriorem, & cōmunionem ſentētiam, quam alibi latius confirmauimus. Solutio. ¶ Ad hoc argumentum conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia ex mente D. Thomæ in d. ar. 9. etenim diſpar ratio eſt in impeccabilitate Patriæ & viæ. 1. Ratio. Prima ratio ſumitur ex diſpari vtriuſque ſtatus perfectione: nā ſicut ſtatus Patriæ eſt perfectior; ita perfectiore indiget confirmatione in bono: perfectior autem, & nobilior confirmatio eſt, quæ fit per ſola principia intrinſeca, ſublato quocunque extrinſeco. 2. Ratio. Secūda ratio inde ſumitur; quia origo totius peccati (quæ conſiſtit, tùm in errorre rationis; tùm in interceptione iudicij, cum ratio præuenitur à paſsione) in via nulla ratione poteſt tolli per principia intrinſeca, vt probat D. Thomas: nam licet per donum ſapientię, & conſilij omnis error intellectus poſsit auferri: tamē per nullum donum, aut habitum poteſt effici, vt iudicium rationis ab appetitu nūquam præueniatur: nec enim per aliquē habitum viæ fieri poteſt, vt ratio ſemper ſit in actu contemplationis; aut vt appetitus in bonum ſibi proprium abſque rationis motione non feratur: vide D. Thomam in dicto ar. 9. oppoſitum tamen reperitur in Patria: quia in ea per viſionem, & amorem ratio ſemper eſt in actuali cō templatione rectè agendorū, & voluntas in actuali, & efficaci deſiderio nihil appetendi, niſi propter Deum: vnde nunquā poſſunt ab appetitu præueniri: ſed cum in omnibus ſemper præueniūt; vt omittamus appetitum ex redundantia beatitudinis ſibi quaſi naturaliter vendicare, nūquam moueri, niſi à ratione imperioque voluntatis moueatur:

10. 1. Cor. 15. Quam doctrinam optimè confirmat illa comparatio, qua Paulus vtitur primæ Cor. 15. dum viatores paruulis; beatos verò viris comparat: quia ſcilicet beati, tanquam viri perfecti, & ſui iuris iam poſsūt ſe ipſos regere abſque extrinſeca pedagogi cuſtodia: qua tamen indigent viatores; quia adhuc habent paruulorum infirmitatem: nam, vt ait Paulus ad Rom. 8. *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ob id Spiritus Sanctus adiuuat infirmitatē noſtram poſtulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8 Igitur quod viatoribus præſtat extrinſeca Dei cuſtodia, & aſsiſtentia, id præſtat beata viſio beatifica, & beatificus amor: inde enim prouenit portionis ſuperioris perpetua conſideratio de rebus agendis: quæ appetitum ſemper præuenit, ne ſine voluntatis imperio, & ductu moueatur.

ARTICVLVS IIII.

Vnde adæquate proueniat totalis ablatio fomitis.

§. 1.

Oppoſitæ opiniones.

1. SVpereſt inquirere; vnde nam per ſe, & adæquatè fiat totalis fomitis ablatio? cuius quæſtionis reſolutio pendet à reſolutione alterius: an appetitus in beatis totaliter liberetur ſolùm intrinſecè per diſpoſitionē in appetitu inexiſtē-tē; an verò adhuc indigeat aliqua aſsiſtentia intellectus, & voluntatis: quę licet appetitui ſit extrinſeca; eſt tamen intrinſeca beato.

2. 1. Opinio. Quod ſatis ſit diſpoſitio intrinſeca per habitus, & virtutes in eſſe heroico, quibus exornatur, defendent, qui putant fomitē in via ſufficienter extingui per virtutes perfectas abſque diuina aſsiſtentia, quæ opinio nonnullis probata eſt, vt diximus in præcedente quæſtione 20. art. 6. §. 4. n. 24. A fortiori igitur illæ ſatis erunt in Patria. Ad quam opinionem non poteſt nō accedere *Caietan. in d. q. 15. art. 2.* Caietan. vbi opinionem illam non admittit in viatoribus, ideo quia propter peccatum non habent integra naturalia: eam tamen admiſit, nō ſolùm in Chriſto Domino; ſed etam in Adamo pro ſtatu innocentiæ, in quibus naturalia fuerunt integra: eandem igitur admittet in beatis, quibus naturalia ad priſtinam integritatem meliori modo ſunt reſti-

reſtituenda. Quæ opinio confirmari poteſt argumento *D.Tho.in dicto art.2.* quo habitus eſt perfectior; eo magis minuit fomitem. Ergo ſumme perfectus abſque aliquo alio eum extinguet: iam vero in Patria habitus appetitus ſunt perfectiſſimi.

3. 2.Opinio. Oppoſitam tamen ſententiam probabunt alij, qui negāt fomitem in via totaliter extingui poſſe ſolùm ab intrinſeco abſque Dei aſsiſtentia: quam opinionem plures probare diximus *in dicto art. 6. §. 4. num.* 23 & quamuis illa opinio agat de ſola aſsiſtentia diuinæ prouidentiæ; fundamentum tamen ſatis probat diſpoſitionem illam etiam in gradu heroico nō eſſe ſatis, vt ſe ſola ſine aliqua extrinſeca aſsiſtentia fomitem auferat: quod fundamētum locum habet in beatis: vnde in illis neceſſaria erit aliqua extrinſeca aſsiſtentia, ſaltem intellectus, & voluntatis.

§. 2.

Vera reſolutio.

4. Vera ſententia. Sit tamen hæc concluſio: *Vt fomes in beatis totaliter auferatur, præter habitus, & dona appetitus, neceſſaria eſt aſſiſtentia intellectus, & voluntatis; quæ licet appetitui ſit extrinſeca; eſt tamen intrinſeca ipſi beato: vnde fomes aufertur ab illis non ſimpliciter ab extrinſeco; ſed ab intrinſeco.* Prima pars aſſertionis de neceſsitate principiorum intrinſecorum ſatis confirmata manet ex quæſtione præcedente *ar.6. Propoſitione 4.n.9.* Secūda verò pars, quod non ſatis ſit diſpoſitio intrinſeca ſatis oſtēſa eſt *in dicto §.4. Propoſ.5.num.26.* oportet igitur vt etiam ab extrinſeco proueniat completa extinctio fomitis: cū verò illa prouenire non poſsit à ſola aſsiſtentia diuina, vt in præcedente art. oſtendimus; neceſſario proueniet ab aliqua aſsiſtentia extrinſeca appetitui; intrinſeca autē beato appetenti; qualis eſt aſsiſtentia intellectus, & voluntatis.

5. Alia quæſt. Sed iam inquiri poteſt; vnde nam intellectus, & voluntas habeant, vt appetitum ſemper præueniant? Reſpondetur primo loco has duas potentias ex viſione & amore ſufficienter habere, quod appetitum ſemper præueniant: etenim inde habent primam radicem impeccabilitatis, vt oſtendimus 2.*tom.lib.*11.*q.*16.*art.*4. §. 2.*num.* 7. cum verò impeccabilitas ſemper habeat annexam fomitis carentiam: cū viſio, & amor ſint primæ radices īpeccabilitatis; erunt etiam primæ radices extinctionis fomitis.

Ego modū extinguendi fomitem perfectiorem ita philoſophandum puto: vt ſcilicet appetitus nunquā valeat niſi voluntatis imperio moueri, ex redundantia beatitudinis animæ in ipſum: quæ nō eſt aliqua qualitas in appetitum effuſa ab anima; ſed eſt intrinſeca quędam cōiunctio appetitus cum anima quatenus beata: ex hac enim conſequitur, vt in agendo ſemper ſubalternetur rationi, & volūtati: etenim proprium eſt animæ beatæ, vt numquam moueat corpus prçciſe vt eſt ſentiens; ſed ſemper vt eſt intelligēs: hinc infertur appetitū beati, eſſentialiter ſubalternari rationi; ita vt agere nō poſsit niſi à ratione dirigatur. Hoc exemplo facilè declaratur: nam inter omnes conſtat appetitum ſenſitiuum ex coniunctione cum anima rationali, conſequi rationalitatem quandam participatā, quæ non eſt aliqua qualitas illi ſuperaddita; ſed aptitudo, vt per rationem poſsit dirigi, ex quo conſequitur ſubalternationem quādam; & eſſe potentiam moralem. Quam moralitatem conſequitur ex redundantia voluntatis in appetitum. Similiter igitur ex coniunctione appetitus cum anima beata conſequitur vt ſemper ſit potentia rationalis rationalitate participata: quia. ſ. ex tali coniunctione habet, vt nunquam, niſi à ratione prçueniente directus operetur: ſitque proinde rationi eſsētialiter ſubalternatus; ſubalternatione, quæ non mutat ſpeciem & eſſentiam appetitus ſenſitiui, ſicut nec æſtimatiua hominis ſpeciem ſuā amittit, quando ex redundātia intellectus (.i. ex coniunctione cum intellectu) fit diſcurſiua circa ſingularia. Itaque appetitus ſenſitiuus ex redundantia beatitudinis (.i. ex coniunctione cum anima beata) habet, quod à nullo ſenſibili moueri poſsit, niſi præſentato per rationem: quia .ſ. anima beata, vt eſt beata, habet, vt corpus non moueat, præciſè vt ſenſitiua; ſed ſemper vt intellectiua: & ob id corpus beatum dici poteſt ſpirituale. Qūod in hac materia eſt notandum. Igitur per hanc beatitudinis redundantiam formaliter, & perfectè tollitur fomes à beatis, quæ non tollit aſsiſten-

6. Propria ſententia.

aſsiſtentiam intellectus, & voluntatis in dirigendo appetitum; ſed facit, vt ſit aſsiſtentia ex natura rei, ſupernaturaliter tamen, ſubalternans ſibi appetitum. Quæ eſſentialis ſubalternatio in via non reperitur: quia licet appetitus ſubalternetur rationi; ſubalternatur tamen ſubalternatione non eſſentiali; ſed accidentali proueniente non ex natura illarum potentiarum; ſed ex ſola ac libera Dei ordinatione. Et hæc de extinctione fomitis in Patria.

QVÆSTIO XXII.

De Potentia loco motiua.

SVpereſt agere de potentia loco motiua, quam eſſe veram animæ potentiam omnes Philoſophi admittunt: & quia inter animæ potentias vltimum locum tenet, ideo de illa vltimo loco agimus.

Quænã in hac quæſtione tractentur. De hac ſequentes excitantur articuli. Primus eſt: quot ſint ſpecies huius potẽtiæ? & quænam ſint illæ? Secundus vtrũ omnes iſtæ potentiæ ſint beatis in reſurrectione reſtituẽdæ eædem numero, quæ fuerunt in via? Tertius: an in beatis futurus ſit motus progreſsiuus? Quartus: vtrùm beati poſsint mouere omnes ſui corporis partes, vt mouebãt in via? Quintus: an poſsit anima beati totum corpus ſe ipſa immediatè mouere ad omnem locum? Sextus: an beati in Patria poſsint reſpirare? Septimus, vtrùm poſsint loqui voce ſenſibili? Octauus, & vltimus: quo modo in Patria fiet hæc ſenſibilis loquutio? & in qua lingua?

ARTICVLVS I.

Quot ſint ſpecies potentiæ loco motiuæ? & quæ?

1. Conimbr. Potentiæ motiuæ diuiſio. POtentia motiuã in communi varias ſpecies complectitur, vt oſtendit *Curſus Conimbricen. in tract. de anima ſeparata diſp. 6. art. 4.* nam, & in cognoſcẽtibus, & non cognoſcentibus reperitur; vnde primum diuidi poteſt in potentiam vitalem, & non vitalem: non vitalis reperitur in elementis, quæ ſua grauitate, aut leuitate motum efficiunt. Reperitur etiã vis quædam occulta in magnete, electro, & ſimilibus ad localiter trahendum ad ſe aliqua corpora, ſimili etiam modo in omnibus corporibus ineſt vis quędam occulta, qua ſe mouent ad replendum vacuum. De hac locali potentia non eſt nobis ſermo, ſed de ſola vitali.

Porrò potentia loco motiua vitalis dicitur illa, quæ reperitur in ſolis viuẽtibus, quatenus ſunt viuentia. Hæc autem eſt in duplici genere: quædam enim eſt ſpiritualis: quæ reperitur in ſubſtantijs ſpiritualibus, Angelis, ſcilicet, & animabus ſeparatis ad mouendum ſe, & alia: altera eſt corporalis, quæ in ſolis animantibus cernitur. De ſpirituali aliquid dicemus inferius in 5. art. de corporali verò eſt principalis noſtra diſputatio. 2.

Hæc adhuc eſt duplex: naturalis vna; animalis altera, vt Philoſophi cõmuniter docent de quo *D. Thom. Opuſc. 35. de motu cordis, & Conimbr. 3. de Anima cap. 13. q. 5. art. 2.* Naturalis eſt, quæ ſolo naturæ impetu agit, nec vllam antecedentẽ cognitionem requirit. Animalis verò illa dicitur, quæ prærequirit antecedentẽ cognitionem, quam ſequatur; ob quam rationem motus illius dici ſolet arbitrarius. 3. D. Thom. Conimbr.

Naturalis porrò facultas loco motiua diuidi poteſt in naturalem ſimpliciter, & in vitalem, iuxta communiorem ſententiam, quæ tria genera facultatum diſtinguit: naturalium, vitalium, & animalium: de quo iam egimus in ſuperioribus. Ad potentiam motiuã naturalem referri poſſunt quædam facultates motiuæ deſeruientes nutritiuæ, quæ eſt facultas quædam naturalis naturam cõſeruans, hæ autem ſunt; vis attractiua alimenti: diſtributiua eiuſdem, atq; decernens eam, de quibus egimus ſupra in quæſtionibus de potentia animæ vegetatiuæ, & de illis agunt *Conimbricenſ. 1. de Generatione capit. 5. q. 3. art. 3.* Ad motricem vitalem ſpectãt vis pulſatilis, quæ reſidet in corde, & ipſum cor ciet motu dilatationis, & contractionis; & pulſat arterias vt in d. q. diximus, & docent *Conimbricenſ. cap. 5. q. 1. artic. 2.* Vtrùmque hoc genus facultatum ad animam vegetatiuã ſpectat, & de illis iam diſputauimus in dicta quæſtione de facultatibus animæ vegetatiuæ: vnde modo nihil de illis dicemus. 4. Diuiſio facultatis motiuæ. Conimbr. Conimbr.

Facul-

5. Facultas motiua animalis cum omniũ conſenſu ſpectet ad animam ſenſitiuam, vt patet ex *Conimbric in dicto capit.* 5. *q.* 1. *art.* 1. ad noſtrum pertinet inſtitutũ: agimus enim hoc loco de facultatibus animæ ſentientis. ¶ Hæc plures ſub ſe ſpecies complectitur, vt colliges ex eijſdem *Conimbricenſibus* 3. *de Anima cap.* 13. *q.* 5. *art.* 2. *ante primam concluſionem*, eas tamen non explicat. Poteſt tamen in vniuerſum diuidi in potentiam motiuam ipſius animalis, & in eam, quæ apta eſt mouere alia ab animali: cõſtat enim animalia perfecta, & præcipuè hominem animalium perfectiſsimum, & ſe ipſum, & alia à ſe loco mouere. Porrò alia à ſe mouet, vel pellẽdo ea à ſe; vel ad ſe trahendo; vel in ſe vehendo, vt patet ex *Ariſtot.* 8. *Phyſicor.* ſe ipſum verò mouet homo, vel ſecundũ totum, vel ſecundum partem: ſecundum totum mouet ſe motu progreſsionis: ſecundum partẽ verò varijs modis: pleraq; enim corporis membra motu arbitrario mouentur, vt patet de pedibus, manibus digitis, capite, & pleriſque alijs partibus corporis.

Conimb. *Conimb.* *Ariſt.*

6. Duæ adhuc ſunt potentiæ loco motiuæ, quæ nec mouent id, quod ſimpliciter eſt pars intrinſeca corporis, nec id, quod eſt omnium extrinſecum: ſed mouent aerem qui eſt intus: potentia, inquã, reſpirandi, & potentia loquendi; per illum enim aer externus attrahitur ad cor: per hanc verò aer ex pulmonibus emiſſus ad arteriam vocalem repercutitur vt vocem edat. Et quidẽ de potẽtia loquẽdi nulla eſt difficultas, quin ſit cũ facultatib⁹ animalibus adnumeranda. Etenim motus eius eſt omnino arbitrarius: de potentia tamẽ reſpirandi eſt dubitatio, an dicenda ſit naturalis, an verò animalis? & quamuis maior pars Philoſophorum, & Medicorum conſentiat, eam partim eſſe naturalem, & partim animalem: eſt tamen deceptatio, an magis dicenda ſit animalis, & voluntaria, an è contra? Plerique Medicorum cum Galeno volunt eam magis eſſe voluntariam quam naturalem: contrariam partem determinat *Curſ. Conimbr. in lib. de Reſpiratione cap.* 2. *ad finem.* Non deſunt qui cum Auicenna velint æque participare vtrumque extremum. Id diligentius expendere non eſt huius loci: ſatis nobis eſt vtrumque extremum eam participare vt de illius reſtitutione, & vſu poſt reſurrectionem aliquid dicamus: etenim præcipuum inſtitutum noſtrum eſt per ſingulas animales partes diſcurrere.

Galen. *Conimb.* *Auicen.*

Atque proinde expendere, an ſingulæ potentiæ loco motiuæ animales inſint in corpore glorioſo? ſupponimus enim hanc potentiam loco motiuã genere diſtingui à nutritiua, ſenſitiua, & intellectiua, vt multis docet *Ariſtotel.* 2. *de Anima cap.* 3. *tex.* 27. *& lib.* 3. *cap.* 9. *D. Thom.* 1. *p. q.* 78. *art.* 1. *Curſ. Conimbricenſ.* 2. *de Anima cap.* 3. *q.* 2. *art.* 1. *&* 2.

Ariſtotel. *D. Thom.* *Conimb.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnes explicatæ potentiæ ſint reſtituendæ iuſtis reſurgentibus in eadem numerica vnitate.

Potentiam loco motiuam manere in Patria ſupponunt Theologi, diſputantes de dote agilitatis, vt patet ex *Durand. in* 4. *diſt.* 44. *q.* 7. *Scoto diſtin.* 45. *q.* 14. *vt alios omittamus.* Et meritò, quia hæc potentia eſt vera ac naturalis facultas animæ ſentientis ad executionem motus localis: vt cum communi Philoſophorũ docet *Curſus Conimbr.* 3. *de Anima cap.* 13. *q.* 5. *art.* 3. Ergo verê pertinet ad integritatem naturæ humanæ, & per conſequẽs redibit ſimul cum illa. Etenim naturam humanam reſtituendam eſſe cũ tota naturali ſua integritate ſuperius oſtẽdimus. Nam redibunt etiam inſtrumenta omnia huius potentiæ, vt pro ijs, quæ rectè gecerunt in gloria ſenſibiliter præmientur. Adde etiam, quia in Patria erit vſus huius potentiæ, vt nulla naturalis perfectio deſit corpori beato, de quo inferius. 1.

Durand. *Scot.* *Conimb.*

Redibit autem eadẽ numero; quæ fuit in via iuxta communem ſententiam contra Sotum, & quoſdam alios: contra quos latê diximus iam ſupra: vbi videbis D. Thomam non repugnare huic ſententiæ, quia redibit eadem numero, non quidem ad veritatem reſurrectionis, ſed vt reſurrectio ſit omnibus modis perfecta. 2.

Sot. *D. Thom.*

ARTICVLVS III.

An in beatis futurus ſit motus progreſsiuus?

Quod attinet ad primum ſunt qui poſt reſurrectionem non admittant in beatis motũ progreſsiuũ: quod 1.

Quorundã opinio.

Scot. Gabr. quod ſatis ſignificauit *Scotus in 4. diſt. 49. q. 14, litera B. verſ. & confirmatur.* Et ſatis eſt de mente *Gabr. ibi q. 18. ad finem.* Fundamentum eſt, quia potentia loco motiua, quæ nunc eſt organica, tunc organica non erit; ſed æque primo totum corpus reſpiciet ad motum.

2. Vera reſolutio. Durand. Sco. Ouand. Suar. Dicendum tamẽ eſt motum progreſſiuum non eſſe denegandum beatis poſt reſurrectionẽ: quæ eſt cõmunis opinio nouiorum Theologorum, quam probauit *Durand. in 4. diſt. 49. q. 7. art. 2. num. 10. Et Scotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 7. concl. 2. §. Dubium autem eſt. Ouand. ibi propoſitione 34. dũ agit de agilitate: Suar. 2. to. diſp. 48. ſect. 4. poſt principium*, vbi inſinuat id eſſe de fide: quod ſatis probaret, ſi vera foret ſententia Durandi, qui putat nullam aliam in beatis poſt reſurrectionem futurã eſſe potentiam loco motiuam. Etenim de fide eſt poſt reſurrectionem futurum eſſe vſum potentiæ loco motiuæ: Ergo ſi ſola tunc erit potentia ad motum progreſſiuum, non poterit negari beatis vſus progreſsionis. At ſententia Durandi cõmuniter reijcitur à Theologis, qui in beatis, & aliam potentiam, & alium motum agnoſcunt, nempe ſimplicem, quo ſe totos ad omnes loci differentias moueant.

3. 1. Argum. Probabitur igitur hęc veritas, tùm exẽplo Chriſti reſurgentis, tùm authoritate, tùm etiam ratione. Exemplo quidem Chriſti reſurgentis, quia certiſsimum eſt Chriſtum Dominum poſt reſurrectionẽ ambulaſſe, vt affirmat *Suar. 2. to. diſp. 47. ſect. 6. verſ. hinc etiam eſt certum*; & id eſſe de fide aſſerit *in dicta diſpu. 48. loco citato.* Suar. Et quãuis Sacra Scriptura verbis expreſſis id non explicet, colligitur tamẽ ex verbis quibus variæ Chriſti apparitiones referuntur: maximè ex apparitione facta Diſcipulis euntibus Emaus, *Ecce duo ex Diſcipulis* (inquit Lucas cap. vltimo) *ibãt ipſa die in Caſtellum*, & cæt. Luc. vlt. *Ibant*, inquit, de ambulando, *& ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis.* Et inferius, *Et appropinquauerunt Caſtello, quo ibant, & ipſe finxit ſe lõgius ire.* Simul igitur, tanquam verus comes viæ, & vt verus homo naturali greſſu cum illis ſimul ibat, deambulando, inquam, vt ſe verum hominem naturali actione confirmaret. At Chriſti reſurrectio eſt noſtræ reſurrectionis exemplar.

4. 2. Argum. Deinde id ſignificant verba Iſaiæ 40. *Current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Iſai. 40. Similiter quæ Sapientiæ 3: Sapien. 2. ſcribuntur, *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Ex quibus Theologi communiter probant vſum potentiæ motiuę futurum eſſe in beatis: ſimiliter igitur ex eiſdem deſumi debet, futurum eſſe vſum motus progreſsiui.

5. 3. Argum. Tertio ratione id ipſum oſtenditur: quoniam in corpore glorioſo manet potẽtia apta efficere progreſsionis motum: membra item erunt ad eum aptiſsimè diſpoſita: & talis motus nõ dedecet beatũ, cum in Chriſto poſt reſurrectionem fuerit: quin potius talis motus pertinet ad naturalem perfectionem illius potentiæ, & ad oſtendendam veritatem, & integritatem naturalium: cur igitur denegabitur beatis? maximè cum motus ille ſimplex quo beati etiam moueri poterunt, & de facto mouebuntur non erit illis naturalis ſed ex ſupernaturali perfectione, vt oſtẽdemus in quæſt. de dote agilitatis.

6. Fundamento Scoti reſpondetur. Nec fundamentum pro Scoto allatum officit: nam negandum eſt potentiã, quæ nunc eſt orgãnica effectrix progreſsiui motus, tunc futuram eſſe non organicam, ac principium motus ſimplicis, vt in præcitata quæſtione contra Scotum oſtendemus: & vt Scoto id donemus non proinde infertur eam, & organicè, & non organicè pro voluntatis arbitrio nõ poſſe tũc mouere corpus. Mouebitur igitur illud vtroque modo.

§. 2.

Per quæ media ambulabunt?

7. Soti opinio. Ambulabunt autem, inquit, *Scotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 7. §. Dubium autẽ eſt.* Per corpora ſolida, non per ea, quæ firma non ſunt: vnde (ſicut ait) neque per aera, nec per ignem ambulabunt, ſed per ea corpora mouebuntur volantiũ inſtar motu ſimplici: bene tamen per cęlum Empyreum, quod eſt corpus ſolidum, & per terram, ſi quãdo ad eam deſcederint.

8. Reijcitur. Ouand. Sed in hoc Sotus à poſterioribus relinquitur, qui de dote agilitatis agunt: inter quos eſt *Ouand. in 4. diſt. 49. propoſ. 34. ad finem.* Etenim firmitas, & ſoliditas medij ad greſſum eius corporis eſt neceſſaria, quod gradiendo grauitat: vnde nec aqua greſſum Chriſti Domini fefellit, dũ ſuper mare

mare ambulauit. Poterunt igitur beati ſi voluerint pro ſuæ voluntatis arbitrio etiã per aera gradiendo aſcẽdere, & deſcẽdere, vel etiã per mediũ illius in tranſuerſũ deambulare, nec ad exercendũ iſtum motũ neceſſaria erit dos agilitatis, ſed ſola grauitationis impeditio, qua beatus pro perfecto animæ in corpus dominio impedire poteſt.

ARTICVLVS I.

Vtrùm beati poſsint mouere omnes ſui corporis partes vt mouebant in via?

1. Reſolutio. Affirmatiuè reſpondendũ eſt: nam ſicut beatis nõ repugnat motus progreſsiuus, quo de loco ad locũ toti moueantur: ita etiã illis nõ repugnat motus ſingularium partiũ, quæ ab anima moueri ſolent in via. Quare poterũt pedes, & manus mouere, ac digitos, cæteraq; mẽbra corporis. Nã Chriſt⁹ Dñs in Caſtello Emaus ad menſã cũ diſcipulis diſcubuit, & manibus proprijs *Accepit panẽ, benedixit ac fregit*, & *porrigebat illis*, Luc. vlt. vbi etiã manducans cũ diſcipulis, ſumpſit reliquias, dedit eis, quæ omnia ſine motu manuũ fieri non poterãt: ſicut nec vera mãducatio ſine maxillarũ motu, quo cib⁹ ſcinditur, & cibi iã attriti deglutione, ſiue traiectione ad ſtomachũ mittũtur: manus & pedes diſcipulis oſtẽdit, & digito fixurã clauorũ ac latus præbuit Thomæ, eiuſque accepit manum, vt eã in latus mitteret. Cur igitur beati hæc facere nõ poterunt? poſſunt quidẽ, & pleraq; membra mouebunt, nihil tamen efficient, quod aut eos dedeceat, aut leuitatem redoleat. Quare credendũ eſt in die iudicij parẽtes & charos ſe mutuis amplexibus, & oſculis ſanctis ſalutaturos. Chriſtus in iudicio in throno corporaliter ſedebit: ſimiliter & qui cũ eo ſunt iudicaturi: in cœlo ſancti ſæpe genuaflectent Chriſto Dño, illũ adorantes, vt Sotus ait: laudes Deo etiam alternis choris ducendo choreas perenniter ducent, vt ſtatim dicemus: in quibus laudũ choris vnus alium ſæpe ducet: deniq; cũ ibi futura ſit ſocietas politica, qui longius diſtant ſæpe ſæpius ſe inuiſent, & ambulabunt, vt etiam teſtatur Sotus.

[Margin: *Luc. vlt.* — *Sot.* — *Sot.*]

ARTICVLVS II.

An beati in Patria reſpirabunt?

Qvod attinet ad potentiã reſpirãdi, qua poſſumus, & attrahere, & emittere aerẽ, certũ eſt, eã in ſanctis reſuſcitatis permanſurã, ſicut & cæteras potentias. De vſu verò reſpirationis maior eſt difficultas: in qua illud eſt certiſsimũ, reſpirationis vſum nõ eſſe futurũ ad vitã conſeruandam; quia tunc nulla erit, aut refrigerãdi caloris in corde exiſtentis, aut reſtaurãdi ſpiritus neceſsitas: ob quas cauſas natura principaliter reſpirationẽ introduxit: vt docet *Fernel. lib. 6. Phyſiologiæ c. 28. & Conimbr. 2. de anima cap. 8. q. 3. art. 2. & in paruis naturalibus in lib. de reſpiratione cap. 2.* 1. Reſolutio.

[Margin: *Fernel.* — *Conimbr.*]

2. Difficultas Quorundã opiniones. Vtrũ tamen ad vſum locutionis reſpiratio ſit ibi neceſſaria, ſicut etiã neceſſaria eſt in via, maior erit difficultas. Pleriſq; placet pars negatiua: tùm etiã quia locutio ſine reſpiratione aeris interni fieri poteſt. At pars affirmatiua alijs etiã ex antiquioribus nõ diſplicet. Vnde ſicut ſtatim dicemus, etiã in cęlo Empyreo aerẽ admittũt externũ, qui & ad locutionis vſum, & inſpiretur, & reſpiretur: quin potius nõ deſũt q dicãt, beatos corp⁹ ipſũ cęli empyrei (quod fluidũ omne volũt) nõ ſec⁹ atq; nũc aerẽ, inſpirare, & reſpirare, quæ ſentẽtia nõ diſplicet *Rich. in 2. d. 49. ar. 9. q. 3. ad 7.*

[Margin: *Richard.*]

3. Vera ſentẽ. Mihi ea ſententia probatur quæ putat reſpirationẽ etiam aeris extrinſeci nõ repugnare corporibus glorioſis: quin potius illius vſum forte eſſe aliquãdo futurũ, nõ cauſa neceſsitatis, ſed recreationis. Nã Chriſtũ Dñm poſt reſurrectionem apud nos agentẽ potuiſſe aerẽ reſpirare, & forte eũ reſpiraſſe, dum loquebatur, probat *Suar. to. 2. diſp. 47. ſec. 6.* dũ agit de Chriſti locutione §. *Dices locutionẽ*: igitur ſancti, quando in terris poſt reſurrectionẽ fuerint, & reſpirare poterũt, & reſpirabunt ſi voluerint. Similiter, & quãdo (id, quod facere poſſunt) ad terram deſcendent: quod facili ratione probari poteſt: quoniã ex parte corporis glorioſi erit eadẽ reſpirandi facultas, & potentia actiua, & eadem reſpirandi inſtrumenta: & ex parte aeris eadem propinquitas, & diſpoſitio. Cur igitur reſpirare nõ poterunt? In cęlo tamẽ Empyreo, cũ null⁹ aer extern⁹ detur, nullum talem aerem reſpirabunt. At internũ cur, & intus trahere, & rurſus vſq; ad vocalem arteriam emittere non poterunt? quare non video cur reſpirationis

[Margin: *Suar.*]

aliquis vſus in beatis reſucitatis nõ detur: de quo vide, quæ ſtatim de locutione dicemus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Patria futura ſit locutio ſenſibilis.

1. Quorundã opinio.

NOn eſt apud Theologos omnino indubitatum, an in beatis futura ſit vocalis locutio, & laus: ſicut etiam apud eos non fuit indubitatum, an in Patria futurus eſſet vſus auditus. De locutione igitur quidem negauerunt teſte

D. Thom.

D. *Thom. in 4. diſt. 49, q. 2. art. 1. q. 4. in corpore: & ad 4.* illi ſcilicet qui negauerũt in Patria futuram eſſe auditionem. Alij putant eam eſſe incertam, & pro vtraq; parte opinabilem.

Aliorũ ſententia. D. Bonau. Abulenſ. Scot. Ouand.

Ita *D. Bonauent. in 4. diſt. 49. art. 3. q. 1. num. 42. Abulenſ. in c. 17. Matth. q. 116. lite. D. Proximè accedit Scotus in 4. diſt. 49. q. 13. ad 2. dum ſub conditione loquitur inquiens: ſi eſt ibi ſonus. Et ſatis Ouand. ibi prop. vltima,* dum opiniones recitat, & affirmat rem eſſe difficilem: rationes dubitandi inſequenti §. adducem⁹.

2. Vera ſentẽ. Probatur; 1.

Dicendũ tamen eſt rem eſſe certam, futuram eſſe in cœlo locutionem vocalem. 1. quia hæc eſt cõmunis ſententia Theologorum.

D. Thom. Richard. Maur. Sco. Pallat. Henric, Medin. Viguerius Suar. Angl. Conimb.

Eam aſſerit *D. Thom. in 4. loco citato, & in 2. diſt. 2. q. 2. art. 2. ad 5. Richard. in 4. diſt. 49. art. 9. q. 3. ad 7. Maur. ibi q. 14. & diſt. 4 Sotus q. 4. artic. 5. & diſt. 4. Pallatius diſp. vltima ad finem.* Probat etiam *Henric. quolibet. 7. q. 7. Medina 1. 2. q. 3. art. 3. ad argumenta contra auditum: Viguerius in ſua inſtitut. Theologica cap. 14. §. 2. verſ. 3. Suar. 2. tom. diſp. 47. ſect. 6. §. 6. hinc etiam ſit. & dum agit de auditu:* Angl. *in q. de Beatitudine art. 5. dub. 1. Curſ. Conimb. 2. de anima c. 8. q. 2. art. 2. in fine,* & eſt inter nouiores recepta ſententia.

3. Probatur 2. Irenæus.

Secũdo, & efficacius id probatur, quia hæc eſt ferme omniũ Patrum recepta doctrina. Ita docuit *Irenæus 5. aduerſus hæres c. 8.* explicans enim illa verba *Pauli ad Roman. 8. In quo clamamus Abba Pater:* ita ait, *Si pignus habentes clamamus. Abba Pater, quid fiet, quando reſurgentes facie ad faciem videbimus eum; quando omnia membra affluenter exultationis hymnum protulerint?*

D. Grego.

D. etiam Gregor. lib. 8. Moralium c. 31. Bene, inquit, *Os riſu implere dicimus, & labia iubilo, quia in illa æterna Patria cum iuſtorũ mens in exultationem rapitur, lingua in ſenſum laudis eleuatur. Diuus Baſilius* exponens illa verba Pſalmi 149. *Exultationes Dei in gutture eorum, hymnodias intelligit, Et Theodoretus, ibi cum Gloſſa Interlin.* Quę per guttur ibi linguam intelligit:

Gloß.

Gloſſa Ordinaria eo in loco illa verba de laudibus vocalibus interpretatur inquiens, *Qui in corde & in lingua non deſinunt laudare eum à quo æterna habent.*

Gloſſ. D. Aug.

Gloſſa etiam Auguſt. ibidem, ſic lætantur in cubilibus, & faucibus, id eſt; in corde, & lingua. Sed clarius idem *Auguſt. in lib. Meditationum cap. 26. tom. 9.* deſcribens Paradyſi gaudia ita ait, *Nouas ſemper harmonias vox melodica concrepat, & in iubilum prolata mulcent aures organa, digna per quem ſunt victores regi dantur præconia.* Satis etiam euidenter id explicauit Aug. *lib. 22. de Ciuit. Dei c. 30. & 1. Retract c. 11.* Si ſupponamus Auguſt, per numeros corporales, de quibus ibi, intelligere voces muſicas, vt latè explicauit *lib. 6. de muſica.* Hoc ſuppoſito ita ait Aug. *in d. cap. 30. Omnes quippè illi, de quibus iam ſum locutus, qui nunc latens, harmoniæ corporalis numeri nõ latebunt intrinſecus, & extrinſecus per corporis cuncta diſpoſitis. At in d. c. 11. lib. 1. retract.* ita ſcribit: *Hoc nõ ſic accipiendũ eſt, quaſi non ſint futuri numeri corporales in corporibus incorruptibilibus, & ſpiritualibus: cũ multo ſpecioſiora, & cæc.* Et ſtatim *de anima beata* ſic ait, *Tunc autem tam firma erit, & perfecta, vt numeris corporalibus non auertatur à contẽplatione ſapientiæ.*

Laurent.

Laurent. Iuſtin. in lib. de diſciplina, & perfectione monaſticæ conuerſationis c. 23. ita ait, *Melodica cantica ciuium ſupernorũ non mediocriter mulcebunt auditũ.*

Petr. Damian.

Petrus item Damian. epiſt. 3. ad Blancã *comitiſſã c. 15. in fine to. 3. Bibliotecæ. Patrũ 2, editionis, ita inquit. Illic beatorũ aures harmoniacæ dulcedinis melodia permulcet.*

Petr. Abb.

Petrus etiã Abbas *cellenſis in trac. de panibus. c. 7. in fine to. 9. eiuſdẽ Bibliotec. In ore, inquit, habitantiũ ſemper laus, alleluia. Quid enim aures niſi laudes Dei audiẽt?* Poſtremò Eccleſ. teſte.

D. Thom. Vign.

D. Tho. in 4. d. 44. ar. 1. q. 4. ita canit, *Odor ſuauiſſimus carmina ſãctorũ.* Et clari⁹ teſte *Viguer. clara ſonant iugiter organa ſanctorũ.* tot igitur Patrũ teſtimonijs noſtra ſentẽtia cõfirmata non debet omnino in dubiũ vocari.

5. Probat. 3.

Accedũt 3. loco ſacrarum literarum loca. Nam *Pſalm. 149.* ita habetur, *Exultationes Dei in gutture eorum.* Siue vt habetur in hebraica, & Græca, *Exaltationes Dei in faucibus eorum.* Quæ verba de laudibus vocalibus

libus à ſanctis ore, & lingua celebrandis ferè omnes interpretantur, vt patet ex *Gloſſa Interlin. Ordinar. & Auguſt. ex Lyra* & alijs. Adde etiam Baſilium. & Theodoretum ad eundem locum: quid enim impedit illa verba ad literam de laude vocali explicare, vt benè aduertit *Sotus? Apocal.* etiam 4. de animalibus ita ſcribitur. *Requiē non habebunt die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quæ etiam verba cur in ſenſu literali de vocali laudatione non explicabuntur? Adde etiam, quia Chriſtus poſt reſurrectionem per 40. dies diſcipulis apparens ſæpe ſæpius cum illis familiarib⁹ colloquijs cōuerſatus eſt vt patet. *Actorū 1. Matthæi 24. Marc. 16. Luc. 24. & Ioann. 20. & 21.* Illi etiam, qui cū Chriſto ſurrexere, de quibus Matth. 27. *Exeuntes de monumentis venerunt in ſanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis*, cum quibus vtique familiariter egerunt, & de Chriſti Domini reſurrectione multa dixerunt. Chriſtus poſt aſcenſionem cū Paulo locutus eſt Actorum 9. Cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* qui dixit, quis es Domine? & ille, *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.* Denique in iudicio vniuerſali Chriſtus voce ſenſibili ſententiā pronuntiabit: quam apoſtolici viri, qui cum eo ad iudicādū ſedebunt, vocali etiā ſermone confirmabūt.

Gloſſ. inter Ordin. & Auguſt. Lyra. Sot. Apoc. 4. Actor. Matth. 24 Marc. 16. Luc. 24. Ioann. 20. & 21. Matth. 27 Act. 9.

6. Probatur. 4 Poſtremò rationibus id confirmatur. Prima eſt; quoniam in patria inter beatos futura eſt ſocietas humana, & politica, ſunt enim animalia rationalia, & ſubinde ſenſibiliter ſociabilia: Nā id illius vitæ cōpletam iucunditatem ſpectat. Hæc autē humana politia poſita eſt in mutua, ac ſenſibili familiaritate, qua humano more ſe ſe communicant. Non poterit igitur ibi non eſſe locutio, qua conceptus formatione vocum exprimantur: non propter indigentiam, ſed propter naturalem perfectionem: quomodo enim homines beati erunt muti?

7. Probatur 5 Accedunt quę de muſicis numeris, nō ſolū ad mouēdos animos, ſed etiā ad oblectandos latè tradunt Authores relati à *Curſu Conimbr. 2. de Anima cap. 8. q. 9. art. 1. in princ. & Ioan. Maur. in d. q. 14. concl. 4.* Nec decet, vt ſtatus qui omniū bonorū aggregatione perfectiſsimus eſt, hac tanta careat perfectione.

Conimb. Ioann. Maur.

Sicut etiam decere non poteſt, vt beati, & mente, & corpore Deum non laudent: ſed decet potius, vt ſicut Eccleſia militans vocali voce, & corporali lingua perennes Deo cantat laudes: ita etiam faciat Eccleſia triumphans, vt non ſolùm mente, ſed etiam corpore triumphos celebret; Deumq; quem, & ſpiritu, & corpore cognoſcit, etiā mente, & corpore laudet. Perennēs igitur, & mente, & corpore Deo laudes decantabunt beati alternis vicib⁹, & choris choreas agētes, quos Chriſtus ſæpè familiariter alloquetur, vt benè aduertit Sotus. 11.

Sot.

ARTICVLVS VII.

Quomodo in Patria fiat hæc ſenſibilis locutio?

§. 1.

Propoſita ratione dubitandi referuntur variæ ſententiæ.

Sed iam explicemus quomodo in Patria futura ſit locutio: id enim aduerſarijs negotium faceſsit. Ratio verò dubitandi in eo ſita eſt, quia in Patria nullus futurus eſt aer, qui reſpiratione attractus in vocali arteria feriatur: nulla igitur ibi poterit vox formari. Vox enim omnium Philoſophorum conſenſu nihil eſt aliud, quam ſonus formatus ex ictu aeris ad vocalem arteriā reſpiratione attracti, vt conſtat ex *Ariſt. 2, de anima c. 8. tex. 9.* 1. Ratio dubitandi proponitur.

Ariſt.

Hæc difficultas nō procedit niſi in Patria, i. in cœlo Empyreo, vbi nullus datur aer, qui ad edendam vocem feriatur. Nā in ſanctis reſuſcitatis antequam aſcendāt in cœlum, vel ſi aliquando deſcendant ad terras, difficultas non procedit; quia in terra datur aer, quem ſancti reſpirare poterunt, ſicut, & Chriſtus quandiu poſt reſurrectionem cum diſcipulis apud nos cōuerſatus fuit, illum reſpirare poterat, vt *Suarius* voluit *in dicta diſp. 47. ſect. 6, §, Dices ad locutionem.* Niſi forte reſpondeas, beatos etiam in terris exiſtentes reſpirare non poſſe: quæ ſententia quamuis pleriſque placeat, nobis tamen ſuperius, ar. 6. non placuit. 2.

Suar.

Igitur procedit difficultas in cœlo Empyreo, in quo non datur aer, qui reſpiretur: quę adeo pleroſq; torquet, vt in varias & peregrinas cogat abire ſententias. Quidā fingūt in cęlo Empyreo magnas quaſdam 3. 1. Sententia

dam cauitates aere plenas, in quibus ſancti habitent: vnde ex illo aere reſpirare
2. Sententia poſſunt, & formare voces. Alij nō admittētes illas cauitates, tanquā fictitias voluerunt in cęlo Empyreo ſimul cū cœlo eſſe aerem penetratiue, & ex illo formare voces: quę imaginatio non diſplicuit *Maiori in 4. diſt. 49. q. 14. in argum. contra 4. concl.* Sed vtraq; ſententiā eſſe puram, & fictitiam imaginationē nullus non videt. Cōtra priorem latè ſcripſit *Henric. quodlib. 7. q. 7.* & latius *Abul. Paradox. 5. cap. 190. & 191.* poſterior verò eſt aliena à recepta Philoſophia.

4. 3. Sententia Tertia ſententia affirmat materiā locutionis in Patria eſſe cœlū ipſum Empyreum, quod volunt eſſe diuiſibile, & proinde poſſe ad vocalem arteriā repercuti, & lingua, ac dentibus dearticulari, vt vocem edat: maximè apud eos, qui volunt, cœlum Empyreum eſſe fluidum, poſſeque proinde, & ſpirari, & reſpirari. Hæc ſententia fuit quorundam antiquorum: nec diſplicuit *D. Thom. in 2. diſt. 2. quæſt. 2. art. 2. ad 5. in 2. ſolutione.* Probat eam *Richard. loco cit.* nec eam reijcit *Medina 1. 2. q. 3. art. 3. ad argum. contra auditum*: & fuit olim cuiuſdam *Midiltoni*, vt refert *Maior vbi ſupra.* Sed profectò non minus paradoxa cēſēda eſt hęc ſētētia, quoniā diuiſio, & fluctuatio cœli conſtare nequeunt, cū cœli incorruptibilitate, & ſoliditate, quā omnes agnoſcunt. Reijcitur igitur hæc ſentētia à *Soto, Maiore, Suario*, & à cæteris communiter, & latè ab *Abulenſi dicto 5. Paradoxo*: quam, & nos cum cæteris ſententijs impugnauimus ſupra.

D. Thom. Richard. Medin. Midilton. Maior.

Scot. Maior. Suar. Abulenſ.

5. 4. Sententia Henric. Accedit quarta opinio, quę placuit *Henrico in dicto quodlibet. 7. quæſtione 7.* qui putat voces in Patria efformādas eſſe in ore beatorum ex ſolo tranſitu linguæ, aliorumque inſtrumentorum vocalium per partes cœli Empyrei, abſq; vlla illius aut alterius cuiuſuis corporis refractione, ſiue diuiſione: nam ſine ea formatur concentus cœli à Pythagora inuectus, & à pleriſque Philoſophis, & Patribus probatus. Sed vt dicebamus ſupra loco citato, nec vox animalis ſine refractione aeris nec ſomnus aliquis ſine colliſione alicuius corporis naturaliter dari poterit: quod eſt axioma peripateticum.

6. 5. Opinio. Quinto loco accedit quorundam opinio, qui difficultati ſuccumbentes putant locutionē in Patria fieri, vel à Deo, vel à nobis, occultis quibuſdā modis: ita docuit *Henric. in dicto quodlibet. 7. quæſtio. 7. in fine*, & probat *Sotus vbi ſupra ad finem 4. concluſionis*: ad quem etiam proximē accedunt *Richardus, & Maior. locis citatis.* Sed hanc ſententiam etiam ſupra reiecimus: quia non eſt Philoſophorū ad modos incognitos recurrere, vbi adeſt naturalis explicandi modus.

Henric. Sot. Richard. Maior.

§. 2.

Vera reſolutio.

DIcendum eſt igitur aerem eſſe materiam locutionis, quæ in Patria futura eſt: non quidem aerem externum, qui ab extra trahatur, & extra os rurſus emittatur, ſed internum, quem intra pleraſque corporis partes manſurum omnes fatentur, vt in ſuperioribus diximus: manebit enim in pulmone, in arteria vocali, in pallato, & in ore, & in pleriſque alijs partibus: ex hoc igitur aere interius manente formabuntur voces Sanctorum in cœlo. Nec enim ad formandam vocem neceſſarius eſt aer externus, qui ſpiratione, & reſpiratione trahatur: quin potius ex *Ariſtotele ſecundo de Anima capite octauo, text. 91. in fine*, ſpiratio, & reſpiratio potius impediunt formationem vocis, quam iuuent: cuius ſignum eſt (inquit Ariſtoteles) nō poſſe quemquam vocem edere ſpirantem, aut reſpirantem, ſed aerem retinentem. Quare aere interno ad vocalem arteriam librato, & lingua, dentibus, ac reliquis vocalibus inſtrumentis repercuſſo formabitur vox in ore beatorum: quæ fuit ſententia *Diui Thom. in 2. diſtinctione ſecunda articulo ſecundo ad quintum*, quem ſequitur *Curſus Conimbricenſis 2, de Anima capite octauo, quæſtione ſecunda, art. ſecundo in fine, & Suarius in dicta diſputat. 47. ſectione ſexta §. Nec obſtat difficultas.* Et eſt inter nouiores ſententia recepta.

7. Vera ſentē. ex *Ariſt.*

D. Thom. Conimbr. Suar.

§. 3.

Explicatur difficultas contra dictam reſolutionem.

8. Difficultas quædā proponitur.

SEd contra hāc veriſſimam reſolutionem inſurgit non contemnenda difficultas, quonam pacto aer internus ſine reſpiratione ad vocalem arteriam librari poſſit, vt repercuſſus vocem edat? etenim niſi muſculi thoracis, & intercoſtales

tales aerem receptum è pulmone vehemẽter cõprimant, & compreſſum per vocalẽ arteriam ad laringem, ſiue guttur vſque ad os impellant, vox formari non poteſt, vt cum *Ariſtotele* probat *Curſus Conimbr.* 2.*de Anima cap.*8.*q.*3.*artic.* 1. hoc autem fieri non poteſt ſine ſpiratione aeris è pulmone, cæteriſque partibus inferioribus.

Ariſt. Conimb.

9. *D.Thom. Suar.*

Hanc difficultatem nec *D.Thomas* tetigit, nec *Curſus Conimbric.* quin potius ſi credendum eſt *Suario*, ex ſententia *D.Thomæ*, vox in beatis fit ſine vlla aeris ſpiratione, & impulſione ad arteriã vocalem. Quam ſententiam Suarius non recipit, quin potius docet nulla ratione poſſe vocem formari, niſi aer à partibus inferioribus corporis per motum localem impellatur ad arteriam vocalem vſq; ad os, & ibidem repercutiatur: vnde concludit, ad locutionem abſolutè nõ eſſe neceſſariam attractionem aeris intrinſeci, nec eius expulſionẽ extra os: eſſe tamen neceſſariã impulſionem aeris interni ad os, atque repercutionẽ illius. Vtrũ tamen talis impulſio aeris fiat per ſpirationem nõ declarat: quin imò negare videtur, vt ſatis colliges ex ſolutione ſequẽtis obiectionis. Obijci enĩ poteſt, quomodo à partibꝰ interioribꝰ corporis beati impellatur aer vſq; ad os, quin illæ maneãt vacuæ? cui obiectioni reſpõdetur negatione ſequelæ, quia (vt ait) illic ſtatim ſuccedit alius aer ex partibus propinquis: vel per rarefactionẽ (quę illi aeri nõ repugnat, cum nõ ſit pars corporis) vel certè per ſolũ motum localem, & quaſi circulũ quendã totius aeris exeuntis, & ſubintrantis ſecundum diuerſas partes ſuas in diuerſas partes corporis, idq; per penetrationẽ: vnde fit, vt aer, qui vna via expellitur, alia via reuertatur ad eaſdẽ partes. Hæc Suarius: ex quibus iam patet ex mente illius, impulſionẽ illam aeris fieri per motum ſimplicẽ localem, abſq; ſpiratione. Nam ſi ſpirationẽ aliquã admitteret, profectò nõ incideret in tot, ac tantas anguſtias. Cum enim aer ille ſpiratione impellatur, cõtractione, tùm ipſius pulmonis, tùm etiam thoracis, nullus relinquitur locus vacuo, cum vacuitas pulmonis, & thoracis cõpreſſa fiat minor, & aere in ea manente ſatis repleatur. Quare non indiget ſubintratione alterius aeris ad replendum vacuum: & inutilis manet circulus, quem fingit. Vt omittamus aerem illum ſolidas partes glorioſi corporis penetrare non poſſe: tùm quia non eſt aliquod corpus glorificatũ; tùm etiam quia ſi tale foret, partes alias glorificatas nequaquã penetraret, vt ſuo loco dicemus. Quare cauitates pulmonis, & thoracis, facta cõpreſsione per ſpirationem, cũ fiant minores, plenæ manẽt: quę, finita locutione p̃ reſpirationẽ, & dilatationẽ pulmonis & thoracis, eundẽ aerem rurſus recipient. Igitur ſi illa aeris impulſio per ſpirationẽ fiat, res eſt ſine vlla difficultate.

Obiectio.

Reſponſio Suarij.

Reijcitur, & reſpondetur obiectioni.

10. Reſoluitur difficultas initio propoſita.

Puto igitur propoſitam difficultatẽ de locutione vocali ſanctorũ in Patria ſic eſſe reſoluendã: vt locutio illa fiat quidẽ ex aere interno, qui in pulmone, in thorace, in vocali arteria, & in ore manet; neceſſariã tñ eſſe aeris interiorũ partiũ impulſionẽ vehementẽ, vt per anguſtas vocalis arteriæ vias tractus, & ſimul cũ aere ibi exiſtente cõpreſſus, ac detentus aptus fiat, vt inſtrumentis vocalibus repercuſſus, ac fractus ſonet: nec enim qui in vocali arteria manet, & in gutture, ſatis eſt vt repercuſſus vocem edat: quia aer vt ſonet debet comprimi, & compreſſus frangi: quod ſine illa impulſione aeris à partibus inferioribus accõmodatè non fiet. Et in hoc puto ſentẽtiam Suarij eſſe veriſsimã. Addo tamen talem impulſionem, & motum fieri per ſpirationem aeris vſque ad os, modo explicato: nimirum per contractionem pulmonis, & thoracis: quæ ad edendam vocem in Patria, contrahi, & dilatari poſſunt, quod ipſum propriè eſt ſpirare, & reſpirare. Poſita enim ſpiratione aeris à pulmone, & thorace, per vtriuſque compreſsionem nullus dabitur locus vacuo, & ſubinde fruſtraneus erit Suarij labor. Erit igitur in beatis ſpiratio, & reſpiratio, nõ quidem ad vitæ conſeruationem, aũt ſpirituum vitalium reſtaurationem neceſſaria, ſed ad locutionem: vnde beati non ſæpe reſpirabunt, ſed ſolùm cum loqui voluerint: ita tamen vt aer ille nunquã foras extra os emittatur, ſed finita locutione ad partes internas reſpiratione, & pulmonis, ac thoracis dilatatione recipiatur. Nec quatumcũque pluries in ore beatorum refrangatur, poterit deeſſe: quia millies refractus non corrũpitur: vnde nullus locus datur fundamento Soti negantis, aerem internum eſſe poſſe materiam locutionis.

Sotus.

§. 4. & vltimus.

Quanam lingua beati in Patria loquantur?

11. 1.Opinio. COnſtitutò iam quod beati in Patria loquentur, conſequẽter inquirendum eſt quonam idiomatè loquantur? in qua quæſtione quatuor eſſe poſſunt inter ſe diſsidẽtes ſententiæ. Prima affirmat beatos poſt reſurrectionem omnium nationũ linguis vſuros eſſe. Hãc piam, & probabilem putat *Salmeron to.1. Prologom.14.fol.268.* (Salmeron.) Coniecturaque probari poteſt: quippe Ieruſalem terreſtris, (Probatur 1.) quæ ad cœleſtis exemplar ædificatur, linguis omnibus diuinas intonat laudes, dũ vbique terrarum pro gentium diuerſitate vernaculo cuiuſque ſermone Deum confitetur, & laudat: ſi ergo diuerſus iſte linguarum vſus eſt in Eccleſia; idem profectò erit in cœlo cuius ſpeciem, & ſimilitudinem illa refert in terris; vt inquit *Greg.* (Gregor.) Accedit, quoniam Spiritus Sanctus viſibili linguarum forma è cœlo miſſus, idiomatis diuerſitatem Apoſtolis ingeſsit, (Probatur 2.) vt eodem penè modo in omni lingua diuinam maieſtatem dilaudarẽt in terris, quo poſt reſurrectionem illa in cœlo eſſet dilaudanda. Quod non obſcure indicare videtur *Paulus ad Philippenſ. 2. & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* (Paul.)

12. 3.Opinio. Secunda ſententia aſſerit beatos latina lingua in Patria locuturos; quam qui in terminis probauerit licet neminem inueniam; nonnullos tamen eam probaſſe refert *Galatin.lib.12.cap.4.* (Galatin.) Probarique poteſt ex ijs, quæ *Abulenſis* affert *in cap.38. Geneſ.* (Abulenſ. Probatur.) ſub initium: quoniam beati ſi aliqua peculiari lingua vti debent, ea certè vtentur, quæ omnium fuerit perfectiſsima. Cum ergo latina lingua cæteras omnes perfectione ſuperet; fit conſequens beatos latino idiomatè vſuros fore. Antecedens nullus negauerit: conſequentia autem monſtratur ex natura finis, vt fit in cæteris artificiatis (eſt enim ſermo quoddam artificium ad conceptus animi exprimendos vt *Ariſtotel. docet lib.1. de interpretatione*) quia maior, vel minor perfectio in ſermone penes id attenditur, ſecundũ quod eſt magis certificatiuus eius rei, quã per ipſum volumus exprimere: hoc autẽ clarius apparet in latina lingua, quã in hebrea, aut quauis alia; cũ in ea pauciores ſint æquiuocationes, & amphibologiæ, quæ paſsim confuſionẽ pariunt in ſignificando, vt latè oſtendit *Abulenſ.* loco citato: (Abulenſ.) ea igitur vt perfectiſsima beati vtẽtur. (Confirmatur.) Accedit quod Eccleſia Catholica, quæ ad cœleſtis Eccleſię paradigma conſtructa eſt, vt ſupra notauimus, maiori ex parte latino idiomatè diuinas celebrat laudes; quod notauit *Galatin. lib.12. cap.4.* (Galatin.)

13. 3.Opinio. Tertia ſententia eſſe poteſt; harũ linguarum, quæ modo inter homines ſunt, nullum in cœlo vſum eſſe futurum: ſed nouũ alium, & nobiliorem ſermonem à Deo beatis eſſe infundendum, qui glorioſum corpus, & beatam illam ſanctorũ politiam deceat. Hanc inſinuare videtur *Cornelius à Lapide* ex verbis *Pauli 1. Cor. 13. ſiue Prophetiæ euacuabuntur ſiue linguæ ceſſabunt.* (Cornelius.)

4.Opinio. Quarta, & vltima ſententia affirmat hebrææ linguæ vſum in cœlo fore cõmunem. At quænam harum ſententiarum verior ſit? inferius apparebit.

Reſolutio Quæſtionis.

14. 1.Concluſ. ¶ Pro quæſtionis reſolutione ſit prima concluſio. *Beati in Patria omniũ linguarũ peritiam habebunt: non tamen earum omniũ, & cõmunem, familiarẽ vſum.* Quoad primã partem concluſio eſt cõmunis; nã inter Theologos dubiũ non eſt beatos poſſe omnium gentiũ linguis loqui; conſtat enim gratias omnes, quæ imperfectionẽ non ſupponũt, beatis in Patria eſſe infundẽdas: cum autẽ linguarum ſcientia nullã, ex ſe ſupponãt imperfectionẽ, pro certo haberi debet linguarum peritiã ineſſe beatis. Quoad 2. partẽ ita facilè ſuadetur: primo, quia id decere videtur beatam illam, & optimo ordine diſpoſitam rempublicã vbi ne quidem confuſionis vmbra erit admittenda, ſed omnia potius, quę animorũ videantur redolere concordiã: ad quod non parũ conducit vnius tantum linguæ cõmunis, & familiaris vſus: quia quẽadmodum in beata illa politia vnum erit omnium beatorum cor, & vnus animus, ita cõmodius eſſe debet cordis vnius vnicũ idioma: quod præter *Haimonẽ* adnotarũt nonnulli. 15. Id quod nõ parum ſignificari videtur apud *Sophoniã c.3. Reddam populis labiũ electũ, i. vnicũ.* (Haimon. Sophon.3.) *Paulus* item *1. Corint. 13. Siue Prophetiæ euacuabuntur, ſiue* (Paul.)

linguæ

linguæ ceſſabunt: vbi Apoſtolus lingua-
rum, non linguæ ceſſationem ingerit; vt
Cornelius. præter alios diligenter annotauit Corne-
lius ad eundem locum. Addo ſecundò
Apoſtolos, cæteroſque omnes, quibus
linguarum donum conceſſum eſt, eo nō
vti, niſi cum aut neceſsitas coegiſſet, aut
exigiſſet occaſio: & hinc eſt quod extra
Paulus. neceſsitatem linguis loqui vetet *Apoſto-*
lus 1. *Corint.* 14. *Ne quod erat donum datū*
inſignum infidelibus, vt crederent, in ſcan-
dalum ipſorum, propter vanam ita loquē
tium oſtentationem, verteretur: quia do-
num iſtud tantùm propter Eccleſiæ fru-
ctum, & publicas functiones Apoſtolis
datum eſt: quæ ratio Caietanum mouit
Caiet. vt beatæ Virgini doni linguarum gratiā
denegaret. Ego tamen crediderim potiùs
cum *Alberto in mariali, & D. Antonino* 4.
Albert. *p. tit.* 15. *cap.* 19. §. 8. beatam Virginem
D. Anton. hanc etiam habuiſſe gratiam, qua vſa fuit
tùm in excipiendis Magis, tùm in Ægy-
pto, tùm denique ſæpiſsimè Ieroſolimis,
quo omnes eius ætatis fideles confluebāt
Virginem conſulturi, tanquam religio-
nis magiſtram, & veritatis oraculum, vt
Ignat. *Ignatius, & Rupertus* aiunt: ita enim ne-
Albert. ceſsitas, & occaſio poſtulabant. Cum er-
go beati neque neceſsitatem vllam, neq;
occaſionem habere poterunt loquendi
communiter & familiariter linguis om-
nibus: conſequens eſt omnium linguarū
vſum non eſſe in patria futurum com-
munem, & familiarem.

16. Secunda concluſio: *Hebræa lingua erit*
2. concl. *in communi vſu politiæ beatorum, qua ipſi*
inter ſe familiariter vtentur. Hanc conclu-
ſionem deducunt plurimi ex ſacris lite-
Sophon. 3. ris, & primo ex Sophonia cap. 3. *Reddam*
populis labium electum, vt inuocent in no-
mine Domini. Quo ex loco non Rabbini
Galatin. tantùm eam deduxere, vt refert *Galatin.*
Hieron. *lib.* 12. *cap.* 4. *ſed etiam D. Hieronymus ibi-*
Origen. *dem, & Origenes in Nume. & Galatin. ipſe*
Salmer. *loco citato, item Salmeron tom.* 1. *Prologom.*
Lorinus. 14. *Lorinus in actor. c.* 2. *verſ.* 4. & pleriq;
alij, qui per *labium electum* hebraicum ca-
piunt idioma, poſt reſurrectionem beatis
infundendum. Idem colligitur ex Tobia
Tob. 13. 13. *Portæ Ieruſalem ex Sapphiro, & Sma-*
ragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioſo
omnis circuitus murorum eius, & per vicos
eius Halleluia cantabitur. Quæ verba cū
de cœleſti Ieruſalē intelligenda ſint, iux-
ta interpretationem *Clementis Alexan-* *Clem. Ale*
drini ſub finem lib. 4. *Stromat.* notandum *xand.*
eſt vocem *Halleluia*, quæ ibi cantabitur
hebræam eſſe, tanquam propriam illius
beatiſsimæ ciuitatis. Quod non obſcurè
mihi ſignificat Ioannes in Apocalypſi, *Apocal.*
dùm eandem vocem hebræam *Halleluia*
retinuit ſæpiſsimè, cum græcè ſcriberet,
qua nimirum cœleſtes ciues diuinam bo-
nitatem, tanquam ſermone ſibi proprio
efferebant. Idem colligunt Haimo, Re- *Haim.*
migius, Cornelius ex verbis Pauli 1. Co- *Remig.*
rint. 13. *Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue* *Cornel.*
linguæ ceſſabunt. Ex ſcholaſticis eam pro- 1. *Cor.* 13.
bauit *Viguerius in inſtitutionibus c.* 9. §. 1.
verſ. 8. *& inſinuare videtur Caiet. ad citatū*
locum Pauli. Citantur etiam à Lorino Pa
latius in 3. & Sot. in 4. apud hos tamen
nihil potui hac de re inuenire. Ratione
autem ſic probari poteſt: quoniam ea lin 17.
gua beati inter ſe communiter, & fami- 1. Ratio.
liariter vti debent in patria, quam ſibi
Deus ſemper habuit chariorem, quæque
ab antiquitate, & excellentia dignius cō-
mendatur: hoc autem hebraicæ linguæ
competere, ita monſtratur. Et primò
quòd Deo fuerit charior ex eo manifeſtū
fit, quòd ſacroſancta Dei myſteria, ſiue
Trinitatis perſonarum, ſiue vnitatis ſub-
ſtantiæ, ſiue creationis, & prouidentiæ,
ſiue arcanum mirabile incarnationis, ac
cætera omnia, quæ ad Dei laudem, & ho-
minum ſalutem ſpectant in hoc idiomate
reuelauerit primùm Deus, ac monimen-
tis perpetuis conſignauerit, & ex eo in
cæteras linguas græcam, latinam, atque
alias deinceps transfuderit: electum ſibi
populum in hac lingua continuerit, &
veluti amoris, & electionis ſignaculo à
cæteris gentibus diſcriminauerit: adeò
vt eam in domo Heber poſt linguarum
diuiſionem cōſeruaret, nec tamen in om-
nibus eius poſteris, ſed in eis tantùm à
quibus per rectum ordinem deſcendit
Chriſtus Dominus, vt latè proſequitur
Auguſt. lib. 16. *de Ciuitate Dei cap.* 11. *Auguſt.*

Probatur ſecundò ab antiquitate eius 18.
linguæ, quam aliarum omnium eſſe ma- 2. ratio.
tricem, & mundo coæuam cum *Auguſt.* *Auguſt.*
docet Hieronymus in Sophoniam, & epiſtol. *Hieron.*
142. *ad Damaſum de viſione Iſaiæ, & Ori-* *Origen.*
gen. homilia 11. *in Numer. Euſebius* 10. *de* *Euſeb.*
præparat. Euang. cap. 2. & cōmuniter eam *Geneſ.* 11.
deducunt Patres ex illo Geneſ. 11. *Erat*

terra labij vnius, & ſermonum eorundem, & latè id probat *Bonauentura Bertramus in comparatione linguarum Hebraicæ, & Aramicæ*: vnde non eſt audiendus *Theodoretus quæſt. 59. in Geneſ.* dùm exiſtimat Syriacam linguam omnium eſſe antiquiſsimam; nec *Ioannes Goropius, qui ridiculè putat in ſuis originibus Antuerpianis* Cimbricam linguam primæuam eſſe: nam cō munis eſt Authorum ſententia, Adamū hebraicè locutum, vt cum Abenezra probant recentiores *Galatin. loco citato, Pereira in Geneſ. cap. 2. verſ. 20. & alij communiter.*

19. Ad Auguſtinum. Quod ſi obieceris *Auguſt. lib. 16. de Ciuitate cap. 43.* affirmare hebraicam linguam poſt Noe tempora inuentam eſſe: cum Bellarmino reſpondet Gretſerus in defenſione cap. 1. lib. 2. non abſolutè eſſe inuentam, ſed tantùm reſpectu populi Dei iam multiplicati. Clariùs tamen dicēdum eſt cum Leonardo Coquæo eiuſdem Auguſtini ſcholiaſte eam linguam poſt Noe non eſſe inuentam, ſed tunc primùm ab Heber vocari cœpiſſe linguā hebræam. Quam ſolutionem rectè etiam *Eucherius.* explicauit *Eucherius ad cap. 11. Geneſ.*

20. 3. ratio. Probatur tertiò ex linguæ dignitate, & excellentia; ea enim vtebantur primi parentes, cum adhuc inſontes eſſent in Paradyſo: futuraq; illa erat communis in ſtatu innocentiæ, vt citati Authores docent. Illudque non parum eius dignitatem commendat, quòd tres illi principes trium legum promulgatores hac lingua locuti ſunt Adamus, Moyſes, & Chriſtus Dominus; naturalis, veteris, & nouæ legis Authores. Vnde merito ea lingua cæteris omnibus debet anteferri, quod & obſeruatum eſt in triumphali crucis titulo tribus linguis conſcripto, vbi primum locum habuit hebræa, iuxta Ioan- *Ioan. 19.* nem 19. *Erat ſcriptum* (inquit de titulo Crucis) *hebraice, græce, & latine.*

21. Ex ijs propoſita concluſio mihi ſit maximè probabilis, eius tamen veritatem, & certitudinem felix, Deo duce, nos docebit experientia.

Argumenta autem aliarum opinionū facilè ſoluuntur, & ad ea, quæ pro prima ſententia obiecta ſunt, dicendum eſt, non ideô Eccleſiam linguarum dono eſſe donatam, vt in eo cœleſti patriæ aſsimiletur, ſed vt diuerſarum linguarum pē orbem diſperſis populis fidei agnitionē inferret, atque in vnam veluti arcem cōfæderatos vniret, quos ſuperbia quondam, & coniurationis crimen diſperſerat, vt Nazianzenus obſeruauit oratione 44. in Pentecoſt. Cyrillus Ieroſolymit. *Catech. 17. Cyprian. ſerm. de Spiritu ſancto,* & alij communiter. 22. Ad 1. arg. *Nazianz. Cyrillus. Cyprian.*

Ad ſecundæ ſententiæ argumentum reſpondeo: licet latina lingua in eo commendetur: plura tamen eſſe, & nobiliora, quibus hebræa cæteras omnes longiſſimè anteuertit; nempe quod genus magis explicet, vt obſeruat Abulenſis: quod diuinis myſterijs reuelandis ſit aptior, vt Galatinus: quod pura & ſimpliciſsima, ac ſui tantùm ſimilis, vt Salmeron: quod denique emineat ſanctitate, caſtimonia, dignitate, alijsque innumeris proprietatibus, quas apud Patres paſsim adnotatas inuenies. Addiderim tamē truncationū, & amphibologiarum multitudinem, qua modo ſcatet lingua ſancta, ortum fortaſſis habere ex ea, quæ nunc eſt, linguæ imperitia, & ignorantia; quarum beati in patria expertes erunt. Ad confirmationem dices id commodius fieri in Romana Eccleſia, ob communem latinæ linguę in Europa frequentiam; ne ſimile argumentum Græci de græca faciant. 23. Ad 2. Ad confirmat.

Tertiæ ſententiæ, cum nullum habeat fundamentum, non eſt cur reſpondeamus; præſertim cum nullæ ſint in lingua ſancta imperfectiones, quæ ſanctos illos patriæ cœleſtis ciues dedeceant; imò plurimæ in ea inſint perfectiones, & tantis ciuibus, & ſolo dignæ cœlo. 24.

Finis huius libri quarti.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM HVIVS LIBRI QVINTI.

¶ Præfatio ad totum Librum.

QVÆSTIO I.
¶ *De admittendis ſupernaturalibus perfectionibus in corpore glorioſo.*

Art.vnic. An in corporibus iuſtorum poſt reſurrectionem admittendæ ſint aliquæ ſupernaturales perfectiones.
§.1. *Referuntur nonnulli errores.*
§.2. *Catholica reſolutio.*

QVÆSTIO II.
¶ *De quatuor corporis glorioſi perfectionibus ſupernaturalibus, quæ ab omnibus admittuntur.*

Art.vnic. An in corporibus glorioſis admittendæ ſint quatuor vulgatæ perfectiones: ſcilicet impaſſibilitas: claritas: agilitas: & ſubtilitas.
§.1. *In corporibus glorioſis non vna tantùm, ſed plures perfectiones ſupernaturales admitti debent.*
§.2. *Reſolutio articuli.*

QVAESTIO III.
¶ *De ſingulis quatuor perfectionibus ſupra explicatis.*

Art.1. Vtrùm in corpore glorioſo detur impaſſibilitas?
§.1. *Refertur hæreſis, quæ negat.*
§.2. *Quot corpora iuſtorum futura ſint impaſſibilia, & incorruptibilia, eſt veritas Catholica.*
§.3. *Solutio argumentorum.*
Art.2. An impaſſibilitas corporis glorioſi conueniat illi ab intrinſeco; an verò ſolum ab extrinſeco?
§.1. *Refertur opinio quod conueniat ſolùm ab extrinſeco.*
§.2. *Refertur, & eligitur ſententia oppoſita.*
§.3. *Soluuntur argumenta.*
Art.3. An in omnibus ſit æqualis?
Art.4. & poſtremus: An vſus ſenſuum tàm internorum, quàm externorum repugnet impaſſibilitati corporis glorioſi?

QVÆSTIO IIII.
¶ *De claritate corporis glorioſi.*

Art.1. Vtrùm in corpore glorioſo futura ſit claritas?
Art.2. Quid nam ſit hæc claritas in corpore glorioſo?
Art.3. Vtrùm hæc claritas futura ſit in ſola ſuperficie externa; an in toto corpore?
§.1. *Opinio quod non tota corpora glorioſa ſint lucida: cum argumentis.*
§.2. *Quod futura ſint tranſparentia; & ſubinde tota lucida.*
§.3. *Solutio argumentorum.*
Art.4. An hæc claritas futura ſit eiuſdem rationis cum claritate elementorum?
Art.5. A quo fiat hæc claritas?
Art.6. Vtrùm poſſit ab oculo mortali videri?

QVÆSTIO V.
¶ *De agilitate corporis glorioſi.*

Art.1. An in corpore glorioſo futura ſit agilitas?
Art.2. Vtrùm corpora beata præter motum membrorum, & motum progreſſiuum moueantur motu ſimplici, quo totum corpus æque primo vno impetu moueatur?
Art.3. A quâ nam virtute iſte motus fiet?
Art.4. Vtrùm hoc motu poſſit moueri beatus ab extremo ad extremum in inſtanti trãſeundo per medium?

Art.

Art. 5. Vtrùm poſsit moueri ab extremo ad extremum non tranſeundo per medium?
Art. 6. An agilitas iſta habeat determinatã, & finitam velocitatem?
Art. 7. De velocitate, & agilitate motus progreſsiui?
Artic. 8. Vtrùm hæc agilitas in omnibus ſit æqualis?
Art. 9. & vlt. Quidnam ſit iſta agilitas? & vnde oriatur?

QVAESTIO VI.

¶ De perfectione ſubtilitatis:

Art. 1. Vtrùm ſubtilitas reperiatur in corpore glorioſo?
Art. 2. In quonam poſita ſit hæc ſubtilitatis perfectio?
Art. 3. An poſita ſit in penetratione alterius corporis in eodem loco?
Art. 4. Quidnam ſit hæc ſubtilitas? & in quo formaliter ſit poſita?
Art. 5. Vnde conueniat corpori glorioſo?
Art. vlt. An iſtam perfectionem habeat beatus in ordine ad omnia corpora?

QVAESTIO VII.

¶ De numero perfectionum ſupernaturalium corporis glorioſi.

Art. 1. An perfectiones ſupernaturales corporis glorioſi panciores ſint quam quatuor?
Art. 2, An plures ſint quam quatuor?
§. 1. Refertur opinio affirmatiua cum argumentis.
§. 2. Admittenda eſt opinio negatiua.
§. 3. Pro ſolutione primi argumenti expenditur; an requiratur aliqua ſupernaturalis perfectio, vt corpus perfectè ſubijciatur animæ beatæ, tùm quoad actuationem ſubſtantialem; tùm quoad vſum potentiarum ſenſitiuarum.
§. 4. Pro ſolutione ſecundi argumenti expenditur; vnde nam habeat beatus poſſe ſuſpendere actiones corporis?
§. 5. Soluuntur duo poſtrema argumenta.

QVAESTIO VIII.

¶ De ratione dotis in ordine ad quatuor explicatas perfectiones.

Art. vnicus. An quatuor perfectiones explicatæ habeant rationem dotis?

QVÆSTIO IX.

¶ De aureolis corporum beatorum.

Art. 1. Quid ſit aureola?
Art. 2. Quotuplex ſit aureola?
Art. 3. Ad quam potentiam pertineat aureola?
Art. 4. De aureola Martyrum.
Art. 5. De aureola Doctorum.
Art. 6. De aureola Virginum.
Art. 7. An aureolæ in omnibus erunt æquales?

QVAESTIO X.

¶ De donis Spiritus Sancti.

Artic. 1. Quot ſunt dona Spiritus ſancti? & quæ?
Art. 2. Vtrùm maneant in patria in beatis?
Artic. 3. Vtrùm donum timoris maneat in beatis?

QVAESTIO XI.

¶ De fructibus.

Art. 1. Quid ſit fructus?
Art. 2. An in beatis maneant?

QVAESTIO XII.

¶ De gratia gratis data.

Art. 1. Quid & quot ſint gratiæ gratis datæ?
Art. 2. An, & quæ reperiantur in beatis?

* Finis Quæſtionum huius libri quinti.

Appendix trium Quæſtionũ ad finem huius libri reſeruatarũ.

QVAESTIO I.

De comprehenſione diuinæ eſſentiæ: & de ijs, quæ beati in Deo vident.

QVAESTIO II.

An beatitudo eſſentialis futura ſit intenſior poſt reſurectionem?

QVAESTIO III.

De appetitu beatitudinis.

LIBER

LIBER QVINTVS.

DE BEATITVDINE CORPORIS GLORIOSI,

id eſt de perfectione ſupernaturali illius.

Præfatio ad totum Librum.

1. Continuatio cũ præcedentibus. IN Præfatione ad totum iſtum tertium tomum de beatitudine corporis diſtinximus duplicem perfectionem corporis glorioſi: vnam naturalem; ſupernaturalem alteram. In quatuor libris præcedentibus, præmiſſa in primo libro lata diſputatione de futura Sanctorum reſurrectione, in alijs tribus egimus de perfectionibus naturalibus illius tàm ſubſtantialibus, quàm accidentarijs; tàm de ijs, quę pertinent ad eſſe ipſius glorioſi corporis; quam de illis, quæ ſpectant ad naturales facultates, naturaleſque illius potentias: ſupereſt agere de perfectionibus ſupernaturalibus, quibus corpora Sãctorum ſunt, & dicuntur glorioſa. Quibus explicatis dicemus de quibuſdã alijs perfectionibus, quæ in Sanctis poſt reſurrectionem reperiuntur: ſ. de Aureolis: de donis Spiritus Sancti: de fructibus: denique de gratijs, quæ dicuntur gratis datæ: quibus explicatis abſoluetur tota noſtra diſputatio de beatitudine animæ, & corporis.

2. Ordo dicẽdorum. Quod attinet ad perfectiones ſupernaturales corporis glorioſi, in illarum explicatione hunc ordinem ſeruabimus: primo loco excitabimus quęſtionem an eſt, & inquiremus, an in corporibus iuſtorũ poſt reſurrectionem admittendę ſint aliquæ ſupernaturales perfectiones? deinde oſtendemus, non poſſe non admitti quaternarium perfectionum, quod communiter admittitur; impaſsibilitatis ſcilicet; claritatis, agilitatis, & ſubtilitatis. Tertio loco de ſingulis illis ſpecialiter diſputabimus, vt ſingularum natura, & ratio appareat. Quarto loco inquiremus; an præter quatuor illas ſupernaturales perfectiones ſint aliæ admittendæ? tandem expẽdemus, vtrùm illæ quatuor perfectiones verè & propriè habeant rationem dotis?

QVÆSTIO I.

De admittendis ſupernaturalibus perfectionibus in corpore glorioſo.

QVOD attinet ad primum, quod inquirendum proponitur, vnicum tantùm articulum in hac quæſtione excitabimus: in quo agemus de quæſtione an eſt?

ARTICVLVS VNICVS.

An in corporibus iuſtorum poſt reſurrectionẽ admittendæ ſint aliquæ ſupernaturales perfectiones?

§. 1.

Referuntur nonnulli errores.

CIrca propoſitam quæſtionem variẽ erratum eſt: quidam omnem perfectionem corporeã beatis negaue- 1. Referuntur errores.

gauerunt: vel quia putarunt corporum reſurrectionem eſſe impoſsibilẽ: vel quia exiſtimarunt corpora non poſſe reſurgere, niſi cum mortalitate, & corruptione. Priorem errorem habuerunt quidam Philoſophi antiqui, qui teſte *Tertull. in lib. de præſcript. hæretic. cap. 7.* negauerunt poſt mortem omnem reſtitutionem, atq; reparationem carnis; inter quos fuerunt Epycurei, & Stoici, quos ſecutus eſt *Plinius lib. 2. ſuæ hiſt. c. 7. & lib. 7. c. 55.* & ex Iudæis idem ſenſerunt Saducæi, vt patet *Matthæi 22. & Marc. 12. & Actorum 23.* Inter hæreticos verò id ſenſit Marcion, vt teſtatur Tertull. loco citato. Poſteriorem verò errorem nõnulli probauerunt, vt refert idem Tertull. in lib. de reſurrectione carnis: putauerunt enim corpora poſſe quidem reſurgere, non tamen cum immortalitate, & incurruptione, aliavè corporis gloria; ſed cum mortalitate, & corruptione, quæ ipſis beatis potiùs eſſet impedimento ad exercendas actiones ſupernaturales, quam adiumento. Quem errorem probauit *Porphyr. teſte D. Thom. 1. 2. q. 4 art. 6. & Auguſt. lib. 12. & 22. de Ciuitate Dei, vtrobique cap. 26.* ad quem etiam videntur accedere Marcioniſtæ.

Auctores primi errores. Plinius in hoc errore. Auctores poſterioris erroris. Error Porphyrij.

2. Porrò inter eos, qui corporum reſurrectionem admittunt, quidam in beatis corporibus nullam aliam perfectionem agnoſcunt, quàm naturalem, & materialem: vnde nullum aliud genus felicitatis, aut voluptatis in beatis recipiunt, quam quod ex rebus corruptibilibus, earumq; naturali vſu, & alteratione conſurgit: ita de quibuſdam refert *Dionyſ. de eccleſiaſt. Hierarchia c. 7. in 1. p.* Qui error tribui ſolet Cerintho, & ſequacibus, vt ex Dionyſ. Alexandrin. referunt *Euſebius lib. 3. ſuæ hiſt. c. 38. & Nicephorus lib. 3. c. 14. & & Auguſt. de hæreſibus hæreſi 8. & Iſidorus in lib. de doctrina fidei cap. 24.* Ad quẽ errorem accedunt Iudæi, & Sarraceni. Ad eundem propiùs videtur accedere Origenes, ſi verum eſt, quod de illo ſcribit Theophylus Alexand. in 2. libro ſui Paſchalis: ſenſit enim (vt ait) corpora ſanctorum poſt reſurrectionem futura mortalia, & tandem in nihilũ redigenda fore.

Alij hæretici. Error Cerinthi. Error Origenis.

3. Huius erroris nullum inueni fundamentum: nec verè aliud habere poteſt, niſi Authores illius dicant perfectiones ſupernaturales, quas Catholici in corpore glorioſo admittimus, cum vera humana natura ſimul eſſe nonpoſſe; ſed eam omnino deſtruere: quare ſicut ex hoc fũdamento quidam hæretici admittentes in corporibus beatorum perfectiones ſupernaturales negauerunt corpora illorũ futura eſſe humana, ſed alterius naturæ altioris (qui fuit error Eutichij, teſte *D. Greg. 14. Moral. cap. 29. & Origene, vt ex Methodio, de eo refert Epiphani' hæreſi 64.*) ita etiam ex eodem fundamento ij hæretici admittentes vera corpora humana in beatis, in illis ſupernaturales perfectiones admittere noluerunt.

Fundamentum erroris. D. Greg.

§. 2.
Catholica reſolutio.

4. HVnc tamen errorem tanquam veræ fidei contrarium omnes Catholici cum catholica Eccleſia ſemper damnauerunt: omnes igitur Catholici poſt reſurrectionem in corpore beatorũ plures ſupernaturales perfectiones admittunt, quibus corporis humani conditiò, & ſtatus in melius tâm ſubſtantialiter, quàm accidentaliter cõmutatur. Hęc fuit perpetua Sanctorum Patrũ doctrina: ita *Dionyſ. c. 7. de Eccleſiaſtica hierarch. in 1. p. capitis: Tertull. in lib. de reſurrectione carnis c. 51. & in lib. 5. contra Marcionem cap. 10 Dionyſ. Alexand. apud Euſebium lib. 3. ſuæ hiſt. c. 38. Irenæus lib. 3. contra hæreſes: Athanaſius in lib. de Incarnat. Verbi: Hieronymus in Iſaiam c. 24. & 66. & in c. 5. Amos: Nyſſen. in diſputat. de anima, & reſurrectione, pag. 219. Cyrillus Alexand. lib. 12. in Ioannem c. 58. Aug. 13. de Ciuitate Dei c. 18. & lib. 20. c. 20. & lib. 22. c. 20. & vltimo, & in lib. de hæreſibus hæreſi 8. & in lib. meditat. c. 26. & epiſt. 146. & in lib. de cognitione veræ vitæ c. 46. & ſermone 143. de tẽpore,* & alij innumeri, quos in ſingularum perfectionum, & dotum diſputatione referemus. Hæc etiam eſt communis omnium ſcholaſticorum *in 4. diſt. 44. & 49. D. Thomæ 1. 2. q. 4. artic. 6. latè Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 48. ſect. 1.*

Veritas catholica. Dionyſ. Tertull. Dion. Al. Irenæus. Athan. Hieron. Nyſſenus Cyrillus. Auguſt. D. Thom. Suar.

5. Hanc ſententiam catholicam eſſe inferiùs multis confirmabimus: generatim verò nunc eam deducemus ex Paulo 1. Corint. 15: ex quo loco ſancti Patres fidem iſtam communiter deducunt: etenim Paulus ibidem ex profeſſo cõfirmat gloriam

Ratio generalis.

gloriam corporis reſurgentis cõtra nonnullos, qui eam negabant: ita igitur ait: *Dicet aliquis; quomodo reſurgent mortui; in quo corpore venient?* Ecce in his verbis Paulus duplicem excitat difficultatem: primam de poſsibilitate reſurrectionis: ſecundam de qualitate corporis reſurgentis. Ad primam difficultatem reſpondet his verbis: *Inſipiens tu; quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur.* Qua ſimilitudine debito modo intelligenda ſatis expreſſe aſtruit poſsibilitatem reſurrectionis mortuorum: de qua latè diximus ſuprà libro primo, vbi vide.

1. Cor. 15.

6. Ad ſecundam verò (quæ ad noſtrũ pertinet inſtitutum) his verbis reſpondet: *Et quid ſeminas? non corpus, quod futurum eſt, ſeminas; ſed nudum granum; vt puta tritici, aut alicuius cæterorum: Deus autem dat illi corpus, ſicut vult: & vnicuiq; ſeminum proprium corpus: non omnis caro eadem caro, ſed alia hominis; alia pecorum; alia volucrum; alia piſcium. Et corpora cœleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cœleſtiũ gloria; alia autem terreſtrium: alia claritas ſolis: alia claritas lunæ: & alia claritas ſtellarum: ſtella enim differt à ſtella in claritate: ſic & reſurrectio mortuorũ.* His verbis Paulus primum oſtendit corpus in ſepulchro nudum fuiſſe ſeminatũ: at non fore reſurrecturum nudum; ſed cum gloria: nõ quidem eiuſdem rationis, & æqualitatis; quia (vt ait) alia eſt gloria cœleſtium, alia terreſtriũ: reſurget igitur ex Pauli ſentẽtia cum gloria, & perfectione: non ſolùm naturali, quæ terreno corpori naturaliter conuenit; ſed ſupernaturali, quæ mutet corporis ſtatum, vt mox docebit: in qua ſupernaturali perfectione, & gloria non omnes erunt æquales: quia *alia eſt claritas ſolis, & cætera, & ſtella à ſtella diſtat in claritate.* Quæſo quid clarius pro catholica veritate potuit dici? mutabunt quidem corpora conditionem naturæ; non tamẽ naturam: quia licet ſecundum ſubſtantiã ſint terrena: tamen ſecundum conditionem erunt cœleſtia propter cœleſtes, & ſupernaturales perfectiones, quibus beatorum corpora exornabuntur.

7.

8. Alia verba Pauli.

¶ Et vt ab omni nos dubitatione liberet, ſtatim concludit his verbis: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate; ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate; ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale*, nunquid hæ perfectiones ſunt corpori humano naturales? non adeò deſipient hæretici illi, vt dicant perfectiones à Paulo enumeratas naturales eſſe humano corpori: etenim ex Paulo corpus humanum ſeminatum eſt in qualitatibus oppoſitis illis, in quibus reſurget. Porrò, ſi perfectiones illæ ſunt ſupernaturales (vt verè ſunt, ex communi Patrum doctrina) vtique in corpore beato admittendæ ſunt ſupernaturales perfectiones; quod erat probandum.

9. Alius locus Pauli.

Idem Paulus eandem doctrinam in capite eodem repetens, ita ſcribit: *Ecce myſterium vobis dico: omnes quidẽ reſurgemus; ſed non omnes immutabimur: in momento; in ictu oculi: in nouiſsima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur: oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatem: tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt; abſorta eſt mors in victoria: Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum.* Hæc Sanctorum immutatio quoad corpus, quæ eos à damnatis diſtinguit, nunquid naturalis erit? nõn vtique: quia compoſitum ex contrarijs, ſi ſuæ naturæ relinquatur, neceſſariò corrumpetur. Incorruptio igitur, & immortalitas, de qua Paulus agit, ex ſua natura denotat perfectionem ſupernaturalem, qua humanum corpus àb omnibus imperfectionibus naturalibus diuina liberalitate modo perfectiſsimo liberabitur: quod Paulus ſatis exprimit, dùm affirmat victoriam illam à morte reportatam tribuendam eſſe meritis Chriſti.

10. *Ad Rom.* 8.

Idem Paulus hoc ipſum expreſsit ad Romanos 8: agens enim de futura gloria filiorum Dei, quæ in illis reuelabitur in reſurrectione; ne quis eam de ſola gloria animæ intelligeret (quam eſſe ſupernaturalem nullus dubitat) concludit his verbis: *ſed etiam nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, ad optionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri.* Expectamus (inquit) redemptionem corporis noſtri; non qualemcunque; ſed eam, quæ ex primitijs ſpiritus, & ex adoptione filiorum Dei nobis debetur. Nunquid hęc redemptio erit mediante aliqua naturali perfectione? non vtique, ſed ſupernaturali; qualis

qualis debetur ſupernaturali adoptioni in

11. Alia confirmatio.

filium. Adde etiam; quia illa redemptio futura eſt à mortalitate, & corruptibilitate, in quam per peccatum incurrimus: ab ea liberabimur, & reſtituemur ad immortalitatem, & incorruptionem: non ſolùm ad eam, quam in ſtatu innocentiæ habuimus; ſed etiam ad longe maiorem, & perfectiorem, vt docet *Auguſtinus in loco citato, & cum eo Bernardus in Pſalmo Qui habitat ſermone* 11. Ab hoc igitur loco deſumemus argumentum: quoniam immortalitas ſtatus innocentiæ non erat naturalis, ſed ſupernaturalis proueniens nobis ex dono iuſtitiæ originalis. Ergo à fortiori immortalitas, & incorruptio corporum beatorum (quæ longè eſt maior) non erit naturalis, ſed ſupernaturalis.

Auguſt. *Bernard.*

12. Aliud argumentũ, quo vtitur Paulus 1. Cor. 15.

Eandem catholicam doctrinam confirmare poſſumus argumento, quo vtitur *Paulus* 1. *Corint.* 15. ſi tamen præmittamus Chriſtum Dominum eſſe perfectiſsimum exemplar noſtræ reſurrectionis, ad hunc ſenſum, vt iuſtorum reſurrectio futura ſit conformis reſurrectioni Chriſti: & ſubinde ad illius ſimilitudinẽ futura ſit perfectiſsima: etenim ſicut De⁹ Author naturæ, quod in vnoquoque genere eſt perfectiſsimum, propoſuit tanquam exemplar perfectionis cæterorũ: ſic etiam Deus inſtitutor gratiæ ipſum Chriſtum primitias reſurgentium conſtituit exemplar reſurrectionis omnium iuſtorum, vt omnes in gloria, tàm animæ, quàm corporis cum illo conformẽtur: quod non obſcurè expreſsit Paulus ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*: quem locum de Chriſto, vt eſt homo, communiter exponunt Patres: ita *Chryſoſtomus, Hieronymus*, & cæteri omnes tàm Latini, quàm Græci in eodem loco: vt ſit ſenſus omnes prædeſtinatos eſſe electos, vt in gloria conformes ſint Chriſto homini; ita vt ille ſit exemplar ad inſtar cuius omnes prædeſtinati ſunt beandi: in quo etiã ſenſu locum communiter explicant recentiores; *Caietanus, Sotus, Lacerda cum cæteris, & placet D. Thom.* 3. *p. q.* 56. *art.* 1. *ad* 3. *in fine.* Scio locum iſtum à pleriſque exponi de Chriſto, vt Deo, qui eſt naturalis imago Patris, cui prædeſtinati per adoptiuam filiationem in anima conformabuntur illius ſimilitudinem erga Deũ imitantes: hęc enim fuit expoſitio *Gloſſæ interliniaris, & ordinariæ, Lyræ, D. Thomæ ibidem, &* 3. *parte q.* 23. *art.* 1. *ad* 2. *& q.* 24. *art.* 3: ſed non poſſunt non aſſerere priorem explicationem eſſe menti D. Pauli magis accommodatam: nam in eodem capite ita ſcribit: *Si ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in nobis; qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora noſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis.* Quæ verba ſatis denotant conformitatem, de qua in præcitatis verbis fuit locutus, etiam extendi ad conformitatem gloriæ corporis.

Chriſtus eſt exẽplar noſtræ reſurrectionis.

Ad Rom. 8.

Explicatur de Chriſto homine.

13. Explicatur etiã de Chriſto vt Deo.

Prima explicatio eſt accommodatior menti Pauli.

¶ Sed clariùs hæc corporis conformitas ad conformitatẽ gloriæ corporis Chriſti reſurgentis ex pleriſque alijs Pauli locis colligitur. Nam ad Roman. 6. ita ſcribit: *Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius; ſimul & reſurrectionis erimus.* Ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritati ſuæ.* 1. Corint. 15: *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Et ſtatim: *qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis; tales & cæleſtes; ſicut portauimus imaginem terreni: portemus & imaginem cæleſtis.* Ex quibus iam patet noſtram reſurrectionem futuram eſſe ad exemplar reſurrectionis Chriſti.

Alia confirmatio.

Ad Rom. 6. *Ad Phil.* 3. 1. *Cor.* 15.

¶ Hac ſuppoſita Catholica doctrina euidenter demonſtratur noſtra aſſertio, quã nitimur confirmare: etenim fides docet noſtram corporum reſurrectionem futuram eſſe ad exemplar reſurrectionis Chriſti; ita vt corpora iuſtorum reſurgant ſimilia corpori reſuſcitato Chriſti. Sed corpus Chriſti reſurgẽtis reſurrexit cum pluribus perfectionibus ſupernaturalibus. Ergo & iuſtorum corpora cũ perfectionibus ſupernaturalibus reſurgent. Maior huius diſcurſus eſt de fide, vt ex Paulo ſatis oſtẽdimus: minorem, nullus, niſi hæreticus, negabit: expreſſe enim cõfirmatur ex gloria transfigurationis, de qua *Matt.* 17. *& Luc.* 9. quam Lucas appellat maieſtatem; Petrus autem 2. cap. 1. non ſolùm vocat gloriam magnificã; ſed etiam ipſam magnitudinem gloriæ: & ſatis ſignificat Paulus ad Philip. 3. in illis verbis: *Configuratum corpori claritatis ſuæ.* Vnde corpus Chriſti appellatur cœleſte 1. Cor. 15. in verbis ſuperiùs adductis:

14. Proponitur argumentũ

Matt. 17. *Luc.* 9. 2. *Petr.* 1. *Ad Phil.* 3.

Quare

15. Eadem veritas oſtenditur ex alijs Scripturæ locis. Quare ex ſacris literis manifeſtè colligitur in corporibus iuſtorum reſurgentium plures futuras eſſe perfectiones ſupernaturales. Sed eandem veritatem ex pluribus alijs locis ſimpliciter oſtendamus. Illam expreſsit Paulus in præcitatis verbis ad Philippenſes 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* (*Ad Phil. 3.*) Ad Romanos 8. apertè docet nos ſpiritum Dei habentes expectare redemptionem corporis noſtri, vt per eam à mortalitate, cæteriſque terreni corporis imperfectionibus perfectiſſimè liberemur. (*Ad Rom. 8.*) Accedat etiam; quia Apocalyp. 21. Ioannes poſt reſurrectionem, & iudicium vniuerſale *vidit ſponſam agni deſcendentem de cœlo, nouam, à Deo paratam, & ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* (*Apoc. 21.*) Nouam (inquam) non quidem nouitate naturali mentis, & corporis; ſed nouitate parata à Deo, qui (vt ibidem dicitur) noua facit omnia: quatenus mentem noſtram efficit nouam perfectionibus gloriæ: corpus autem nouum facit ſupernaturalibus ornamentis, qualia decent ſponſam è cœlo ad nuptias deſcendentem. Addi poſſunt verba Chriſti Domini Matthæi 22. *In reſurrectione erunt homines, ſicut Angeli Dei.* (*Matt. 22.*) Quæ verba de corporis perfectionibus ſunt intelligenda: erunt autem homines, ſicut Angeli; quia illorum corporalis natura angelicis perfectionibus exornabitur. Denique Matthæi 13. *Fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris mei*: quod etiam colligitur ex Daniele c. 12: hæc autem refulgentia non poteſt non eſſe ſupernaturalis. (*Matt. 13. Dan. 12.*)

16. 1. ratio. Nec deſunt rationes congruentiæ. Prima tangitur à Tertulliano in libro de reſurrectione carnis, ſumpta ex eo, quod iuſti non ſolùm ſunt deſponſati cū Chriſto ſecundum animam; ſed etiam ſecundum carnem: etenim cum illo deſponſati ſunt per ſacramentum baptiſmi; fiunt autem cum illo vna caro per ſacramentum Euchariſtiæ, vt ex Photio, Cyrillo, & ex alijs Patribus videre eſt apud Turrianum, de ſacramento Euchariſtiæ cap. 5. Ratio igitur poſtulat, vt non ſolùm anima ornetur bonis cœleſtibus; ſed etiam caro, vt exornata fiat dignū talis animæ receptaculum.

17. 2. ratio. Secundam rationem aſsignat idem Tertullianus ita ſcribens: *Quia caro eſt cardo ſalutis animæ: ea enim abluitur, vt anima emaculetur: ea inungitur, vt anima conſecretur: caro ſignatur, vt anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur: caro corpore, & ſanguine veſcitur, vt anima Deo ſaginetur: denique caro particeps eſt laborum, quibus anima cœleſte meretur præmium. Oportet igitur vt merces coniungat, quas opera coniungit: nec decet vt ſocia bonorum operum à cœleſti præmio arceatur: ſicut nec decet malorum ſociam à ſupplicijs ſecernere.*

Tertia ratio ſit: quoniam cum anima ex natura rei operetur per corpus, congruum eſt, vt eleuata anima ad perfectiſſimum ſtatum; ſimul etiam ad altiorem ſtatum corpus eleuetur, vt animæ imperanti ſine vllo impedimento valeat miniſtrare. 18. 3. ratio.

Quartam adhuc rationem videtur aſſignare *Diuus Thomas prima ſecundæ q. 4. artic. 6*: quoniam ſi corpus adhuc manet animale & graue, mens à viſione diuina auertetur. 19. 4. ratio. *D. Thom.* Vt igitur mens toto conatu, & impetu ſine vllo impedimento retardationevè in Deum feratur, opus eſt, vt corpus reddatur ſpirituale. Quam rationem deſumpſit *Diuus Thomas ex Auguſtino duodecimo de Geneſi ad literam cap. 35*: quæ tamen ratio ſolùm vim habet, (*Auguſt.*) ſuppoſita Auguſtini ſententia, quod anima non poſsit non retardari, & aliquo modo diſtrahi à tota intentione viſionis beatæ, ſi vel nondùm eſt in corpore, vel eſt in eo adhuc animali, & animam grauante. Cum verò hæc Auguſtini opinio communiter non recipiatur, vt inferiùs in hoc libro dicemus; ideò hæc ratio à pluribus non recipitur: etenim anima beata Chriſti mortali corpori coniuncta perfectiſsima Dei viſione fruebatur; etiā dùm in cruce patiebatur: viſio enim beata ita rapit animam, vt nulla corporis moleſtia à viſione retardari valeat.

¶ Sed poteſt hæc ratio ita explicari, vt non inducat neceſsitatem, ſed congruentiam: 20. Corroboratur ratio. cum enim corpus animale, quantum eſt ex ſe, animam diſtrahat à diuina viſione; congruum eſt, vt corpus animæ beatæ ita ſpiritualizetur, vt nihil ſit in eo, quod diuinam animæ contemplationem non iuuet: tunc autem eam iuuabit, cum cœleſtibus perfectionibus ſpiritualizabitur.

Reſolutio.

21. Reſolutio. ¶ Concludendum eſt igitur in corpore beatorum dandas eſſe aliquas ſupernaturales perfectiones, quæ non mutent corporis humani naturam; ſed ſolùm immutent naturalem illius conditionem, & ſtatum; ita vt corpus maneat alterum, non tamen aliud; ſicut de facie Chriſti transfigurati teſtatur Luc. c. 9. Quare immutabitur corpus beati, non natura; ſed gloria, vt habes ex *Tertulliano de reſurrectione carnis cap. 51. ex Hieronymo in c. 5. Amos; ex Aug. in Enchyridione cap. 91. & lib. 1, retract. c. 17. Gregor. 14. Moralium cap. 31. Anſelmo in ſuo Proſologio c. 25. & ex alijs.*

Luc. 9. *Tertull.* *Hieron.* *Auguſt.* Gregor. *Anſelm.*

22. Ad fundamentũ hæreticorum. Ex quo ſatis deſtructum manet fundamentum hæreticorum, quod ſupponunt perfectiones ſupernaturales gloriæ cum vera, & ſubſtantiali humani corporis natura non poſſe ſimul cõſiſtere; quod & falſum eſt, & hæreticum.

QVÆSTIO II.

De quatuor corporis glorioſi perfectionibus ſupernaturalibus, quæ communiter admittuntur.

Ex prima quæſtione iam conſtat in iuſtorum corporibus poſt reſurrectionẽ admittendas eſſe aliquas perfectiones ſupernaturales; quibus corpora ſecundum ſuam naturã animalia reddantur ſpiritualia, iuxta illud 1. Corint. 15: *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale*: conſequenter explicandum erit; an perfectiones iſtæ futuræ ſint plures? & quot? verum quia certus harum perfectionum numerus diſtinctè explicari nequit, niſi prius conſtitutum ſit, & quatuor vulgatas perfectiones eſſe admittendas; & niſi ſimul explicata ſit ſingularum ratio, & natura (quoniam difficultas illa vtrũque iſtud ſupponit) ideò pro maiori, & clariori reſolutione prius explicari debent quatuor vulgatæ perfectiones. Quare in hac quæſtione vnum excitabimus articulum, qui generaliter inquiret; an quatuor illæ vulgatæ perfectiones (ſcilicet impaſsibilitas: claritas: agilitas: & ſubtilitas) admittendæ ſint in corporibus glorioſis?

1. Cor. 15.

ARTICVLVS VNICVS.

An in corporibus glorioſis admittendæ ſint impaſsibilitas: claritas: agilitas: & ſubtilitas. Quæſtio.

§. 1.

In corporibus glorioſis non vna tantùm, ſed plures perfectiones ſupernaturales admitti debent.

1. Sunt plures perfectiones ſupernaturales in corporibus beatorum.

In quæſtione propoſita ſupponitur tãquam certiſsimum in corporibus beatorum non vnam tantùm, ſed plures futuras eſſe perfectiones ſupernaturales: & meritò id ſupponitur, tanquam indubitatum: quia id euidẽter deducitur, tùm ex ſacris literis; tùm ex Patribus; tùm etiam ratione. Id colligitur ex ſacris literis: quoniam ex Paulo 1. Corint. 15. non vna tantùm, ſed plures enumerantur corporis reſurgentis perfectiones: *Seminatur* (inquit) *in corruptione; ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate; ſurget in gloria, & cætera.* Accedat etiam illud Pſalmi 20: *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo*: non quidem vno, ſed pluribus; imò etiam omnibus pretioſis lapidibus, quibus corona perfecta ornari ſolet: vnde numero illo ſingulari indeterminatè ſumpto denotauit Pſalmiſta pluralem numerum omnium lapidum prætioſorum: quod ſatis colligitur ex verbis immediatè præcedentibus: *Praeueniſti eum in benedictionibus dulcedinis*: nec enim in beatitudine corporis exornanda vna tantùm benedictione beatum præuenit, ſed pluribus. Quare poſuit in capite illius coronam non vno, ſed pluribus ornatã lapidibus prætioſis, ob quam etiã rationem corona iſta dicitur corona anni diuinæ benignitatis, vt habetur Pſalmo 64: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*: nam ſicut anni corona ex Dei benignitate hominibus data non vnius tantùm fructus fœcunditate ornatur; ſed pluribus: ornatur enim frugibus, fructibus, herbis, floribus, & alijs terræ fœtibus: ita etiam corona poſita in capite iuſti reſurgentis (qua beatitudo corporis denotatur) non vno tantùm prætioſo lapide, vnaque tantùm ſupernaturali perfectione ornabitur, ſed pluribus. Quare nomen ſingulare pro plurali ponitur: ſicut etiam poni-

1. Cor. 15. *Pſal. 20.* *Idem Pſal.* *Pſal. 64.*

Pſal. 64. ponitur in verbis eiuſdem Pſalmi 64. *Campi tui implebuntur vbertate*, id eſt omnium fructuum fertilitate.

2. Vnde hæc ſemper fuit communis Patrum doctrina, vt ex dicẽdis patebit: modò ſatis ſit Hieronymi teſtimonium: explicans enim præcitata verba Pſalmi 64: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, ita ait, *quia nimirum ſanctos præmijs, & temetipſum eorum agminibus coronabis*. Denique ratione facilè id demonſtrabimus; ſi ſupponamus, quod ſicut animæ glorioſæ ſpeciales quædam perfectiones tribuuntur, ad remouendos ſpeciales defectus, qui cũ illius beatitudine conſtare non poſſunt; ita etiam corpori glorioſo donabuntur ſupernaturales perfectiones ad tollendos ſpeciales defectus ſibi naturales: iam verò in corpore mortali non vnus naturalis defectus corporis beatitudini repugnans reperitur, ſed plùres, vt ex dicendis ſatis cõſtabit, & colligitur ex verbis *Pauli* 1. *Cor.* 15. ex quibus colliges in corpore mortali dari corruptibilitatem, infirmitatem, tarditatem, & plures alios huius generis defectus. Oportet igitur, vt ad eos remouendos plures in corpore beato dentur ſupernaturales perfectiones.

Hieron.

Ratione cõ firmatur.

1. Cor. 15.

§. 2.

Reſolutio Articuli.

3. Reſolutio.

SVppoſita autẽ hac veritate, ſcilicet, in corpore glorioſo plures futuras eſſe ſupernaturales perfectiones: iã reſtat oſtendere inter illas neceſſariò enumerandas eſſe quatuor vulgatas, ſ. impaſſibilitatem, claritatem, agilitatem, & ſubtilitatem. Et quanuis illas eſſe admittendas in dubium verti non poſſit; quia ſingulas admittit fides, vt in ſequentibus dicemus: vt tamen ordo doctrinę ſeruetur, oportet hoc generaliter oſtendere.

Admittendæ ſũt quatuor vulgatæ.

4. Hanc igitur veritatem primo loco oſtendemus ex Paulo in d. c. 15. perfectio enim impaſſibilitatis euidenter ſignificatur per illa verba: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione*. Item per illa in eodem capite: *Oportet enim mortale hoc induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatem*. Claritas autem ſatis etiã ſignificatur ab eodem Paulo in eodem loco per illa verba: *Seminatur in ignobilitate; ſurget in gloria*, hoc eſt in claritate:

1. probatio ex Paulo 1. Cor. 15.

gloria enim ex ſe dicit quendam ſplendorem. Clariùs id exprimitur Matth. 13. *Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum*. Et Danielis 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti*. Agilitas vero ab eodem Paulo explicatur in illis verbis: *Seminatur in infirmitate; ſurget in virtute*: vbi nomine virtutis denotatur agilitas, vt dicemus inferiùs q. 5. Subtilitas denique denotatur per illa verba eiuſdem Pauli: *Seminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale*, vbi per ſpiritualitatem omniũ conſenſu intelligitur ſubtilitas, vt quæſt. 6. dicemus.

Quod etiam ratione confirmatur: etenim (vt iam diximus) imperfectiones, quæ corpus mortale naturaliter comitantur, tollentur in reſurrectione per qualitates ſupernaturales. Sed corpus mortale naturaliter comitantur quatuor naturales defectus; ſcilicet deformitas, infirmitas, tarditas, & corruptio, vt docet *Aug. lib.* 22. *de Ciuitate Dei c.* 20. *in fine*: agens enim de tollendis defectibus corporis mortalis, ita ait: *Tantùm abſit omnis deformitas: omnis infirmitas: omnis tarditas: omnis corruptio*. Deformitas autem per claritatem tollitur; infirmitas per ſubtilitatẽ; tarditas per agilitatem; corruptio deniq; per incorruptionem, ſiue impaſſibilitatem, vt patet. Ergo iſtæ quatuor perfectiones in corpore glorioſo reperientur; ita vt corruptibilitati occurrat incorruptio, impaſſibilitasque: ignobilitati claritas, quæ omnium corporalium perfectionum eſt ſuprema: tarditati agilitas: infirmitati denique virtus nomine ſubtilitatis ſignificata. Quibus perfectionibus occurritur defectibus, qui in corpore mortali reperiuntur, tùm quoad eſſe; tùm quoad agere.

5. Ratione cõ firmatur.

Auguſt.

QVÆSTIO III.

De impaſſibilitate corporis glorioſi.

IVXTA ordinẽ in præfatione propoſitum tertio loco ſpecialiter diſputãdum eſt; de ſingulis explicatis quatuor ſupernaturalibus perfectionib⁹. Et vt explicemus ordinem ſeruandum in explicatione illarum, aduertimus id, quod ſuprà iam inſinuauimus: quod ſicut

1. Ordo quæſtionum.

quatuor explicati defectus ita ſe habent, vt duo priores ſint defectus in eſſendo; corruptibilitas ſcilicet, & ignobilitas: duo verò poſteriores ſint defectus in agendo; agilitas. ſ. & ſubtilitas; ita etiam ex illis quatuor perfectionibus duæ perficiunt corpus quoad eſſe; ſcilicet impaſsibilitas, & claritas: duæ verò quoad agere; agilitas inquam, & ſubtilitas. Quare priores duæ & ordine naturæ, & doctrinæ, merito antecedunt duas poſteriores: prius igitur agemus de impaſsibilitate, & claritate, quam de agilitate, & ſubtilitate: nam eſſe antecedit agere, vt docet Philoſophia. Porrò prius diſputabimus de perfectione impaſsibilitatis, quam de claritate: ſimili modo priùs dicemus de agilitate, quàm de ſubtilitate. Ratiò inde ſumitur; quia licet impaſsibilitas, & claritas perficiunt corpus glorioſum quoad eſſe; tamen impaſsibilitas perficit illud quoad eſſe ſubſtantiale; quia tollit corruptibilitatē, quæ eſſe ſubſtantiale reſpicit; claritas verò perficit idem corpus quoad eſſe accidentale; quia tollit ignobilitatem, ſiue deformitatem, quæ erat accidentarius defectus: nobilitas enim corporis, & pulchritudo inter accidentarias perfectiones enumerātur: vnde defectus mortalitatis (cui impaſſibilitas occurrit) intimior eſt corpori humano, quàm ignobilitas eſſendi: meritò igitur priori loco diſputandū erit de impaſsibilitate corporis glorioſi, quàm de illius claritate; idque ſeruato ordine naturę in eſſendo: nam ſeruato ordine dignitatis, atque doctrinæ prius de claritate agēdum erat; quia inter quatuor ſupernaturales perfectiones eſt dignior: ob quam rationem plerique prius diſputant de perfectione claritatis, quàm de perfectione impaſsibilitatis. De agilitate verò ideò prius diſputandum eſt, quia in agendo eſt perfectior, & intimior, quàm ſubtilitas, vt ſuo loco dicemus.

Primo loco dicendū eſt de impaſsibilitate ordine naturæ.

2. *Quæſtiones quatuor*

Quare hac de re quatuor excitabuntur quæſtiones. Prima erit de impaſsibilitate corporis glorioſi. Secunda de illius claritate. Tertia de agilitate eiuſdem. Quarta denique de illius ſubtilitate. In hac autem quæſtione tertia (quæ eſt de impaſsibilitate) ſequētes excitabimus articulos. Primus inquiret; an in corpore glorioſo admittēda ſit perfectio impaſsibilitatis? ſecundus; an impaſsibilitas corpori glorioſo conueniat ab intrinſeco; an verò ſolùm ab extrinſeco? Tertius; an illa conueniat per aliquam qualitatem poſitiuam? Quartus; an in omnibus ſit æqualis? Quintus & poſtremus; an vſus ſenſuum tàm internorum, quàm externorum repugnet impaſsibilitati corporis glorioſi?

ARTICVLVS I.

An in corpore glorioſo detur impaſsibilitas?

§. 1.

Refertur hæreſis, quæ negat.

1. *Qui nam hæretici ne gent.*

Ex dictis quæſt. 1. iam conſtat plures fuiſſe hæreticos, qui docuerūt corpus humanū nulla ratione fieri poſſe incorruptibile, & impaſsibile: in quo errore videntur fuiſſe illi, cōtra quos diſputat Paulus 1. Cor. 15: *Sed dicet aliquis* (inquit Paulus) *quomodo reſurgūt mortui? quali autem corpore venient.* Quæ verba ſatis innuūt iſtos, contra quos Paulus agit, non admittere corpora mortuorum poſſe reſurgere cum incorruptibilitate, & impaſsibilitate. Eundem errorē habuit Porphyriūs, teſte *Aug. libr. 12. & 22. de Ciuitate Dei vtrobique c. 6.* Eundem probaruntMarcioniſtæ cum ſuo Marcione, diſcipuloq; Apelle; quos ſecutus eſt Cirinthus cum ſuis.

Negabant nonnulli tē pore Pauli 1. Cor. 15.

Negauit Porphyr. Marcioniſtæ.

2. *Variant inter ſe.*

Porrò diuiſi ſunt: quoniam nonnulli eorum negant reſurrectionem, non vt ſimpliciter impoſsibilem (vt plures aliorum vòluerunt) ſed vt minimè congruētem beatitudini: cum enim exiſtimarent corpora non poſſe reſurgere immortalia & impaſsibilia, ſed paſsibilia, & mortalia; ſimul exiſtimarunt reſurrectionem non poſſe non eſſe impedimento ad obeūdas beatificas operationes: ita exiſtimarunt Porphyrius, & Marcioniſtæ. Alij admittentes corpora nō poſſe reſurgere impaſſibilia; ſimul admittebāt reſurrectionem fieri in corporibus mortalibus; quia docebant beatos reſurgentes aliquando corrumpendos fore, & in nihilum redigendos, ſi vera ſīnt, quæ de Origene ſcribit *Theophylus Alexandr. in 2. lib. ſui Paſchatis.* Vtrique igitur hi hęretici partem negantē approbarunt; fieri ſcilicet non poſſe, vt corpora reſurgentium ſint immortalia, & impaſsibilia.

Error Origenis.

Fun-

3. 1. Ratio. 2. Ratio. Fundamentum primum illorum eſt; quia de eſſentia hominis eſt, quod ſit animal rationale mortale. Secundum; quia corpus humanum ex ſua natura eſt corpus miſtum, & ſubinde compoſitum ex contrarijs qualitatibus: vnde neceſſario conſtat ex materia priuata, cuius priuatio per ſe eſt origo, & fons corruptibilitatis.

4. 3. Ratio. Tertio; quia corpus reſurgentium futurum eſt palpabile: tale enim fuit corpus Chriſti, iuxta illud Ioannis 20: *Palpate, & videte.* Iam verò ex doctrina *D. Gregor. homil. 26. in Euangelia poſt principium*, quod palpatur, corrumpi neceſſe eſt. *D. Gregor.*

5. 4. Ratio. Quartò; quod eſt in potentia ad formam alterius, eſt paſsibile. Corpora autẽ ſanctorum ſunt in potentia ad formam cuiuſq; alterius corporis. Ergo ſunt paſſibilia. Maior eſt Ariſtotelis in primo de Generatione. Minor ex eo probatur; quia communicat in materia cum corpore elementi: nam in via cum illo cõmunicabant.

6. Poſtremò; quia habebit operationes ſenſuum, tam externorum, quàm internorum, vt diximus lib. 4. præcedente: hæ autem operationes ſine reali paſsione fieri non poſſunt.

§. 2.

Quod corpora iuſtorum futura ſint impaſsibilia, eſt veritas Catholica.

7. Futura ſunt impaſsibilia. CAtholica veritas ſemper agnouit donum impaſsibilitatis, & incorruptibilitatis in corporibus beatorum: id enim ſacra pagina adeo euidenter reuelauit, vt nullus dubitationi relinquatur locus: nam Paul. 1. Corinth. 15. ita ait: *Seminatur incorruptione, ſurget in incorruptione.* Et inferiùs: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.* Et rurſus: *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, & cætera.* Ad Roman. 2: *Is quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionẽ quærunt.* Ad Epheſ. 6. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in incorruptione.* Probatur ex Paul. 1. Corinth. 15. *Rom. 2.* *Ad Epheſ. 6.*

8. Obiectio quorundam. Siquis dicat hæc Pauli teſtimonia euidenter probare corpora iuſtorum ſurrectura fore in incorruptione; non tamen in impaſsibilitate: etenim apud eundem Paulum incorruptio ab impaſsibilitate diſtinguitur: damnati enim reſurgent incorrupti ex eodem Paulo in dicto capit. 15, primæ ad Corinthios: *Mortui reſurgent incorrupti; ſed nos immutabimur:* quæ verba euidenter probãt omnes mortuos, etiã damnatos ſurrecturos fore in incorruptione: cum tamen damnati non reſurgent impaſsibiles.

Huic obiectioni reſpondebo verba illa Pauli non ſolùm euidenter conuincere dari duplicem incorruptibilitatem: vnam quæ impaſsibilitatem nõ habet: alteram; quæ cum illa eſt coniuncta: ſed etiam cõuincere in verbis præcedentibus Paulum nõ agere de incorruptibilitate priori modo ſumpta (quæ dici poteſt incorruptio excludens mortem;) ſed de incorruptibilitate ſumpta modo poſteriori, quæ nõ ſolùm mortem excludat; ſed etiam omnem cauſam ex ſua natura diſponentem ad mortem; qualis eſt omnis paſsio corruptiua ſubiecti: hæc autem incorruptio per ſe includit impaſsibilitatem excludẽtem omnem corruptionem; vnde per hãc ſolam corpus ex ſua natura mortale, & corruptibile poteſt perfectè immutari; quia per hanc ſolam fieri poteſt incorruptibile, & immortale ab intrinſeco. 9. Solutio. Duplex incorruptio.

Damnati igitur reſurgent cum incorruptione, quæ opponitur corruptioni ſubſtantiali; qualis eſt ſola corruptio interitus, & mortis, quę poſita eſt in ſola ſeparatione animæ à corpore: etenim damnati nunquam morientur: attamen non reſurgẽt incorrupti incorruptione, quæ excludit omnẽ corruptionis cauſã, qualis eſt paſsio corruptiua: hãc enim habebũt, quamuis in eis nunquam cauſabit mortẽ, & interitum, Deo ita diſponente. Quam explicationem ex *Ambroſio, & Hieronymo probat D. Anſelmus in eodem Pauli loco:* agens enim de corruptione, quæ in damnatis dabitur, ita ſcribit: *Incorrupti enim reſurgent integritate membrorum: ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum. Habebunt quidem corruptionẽ carnis, in qua doleant, nõ in qua moriantur: ad hoc enim reſurgent incorrupti, vt poſsint æterna ſuſtinere ſupplicia.* Paulus igitur in præcitatis verbis ſatis efficaciter probat dandam eſſe in beatis impaſsibilitatem: quoniã agit de incorruptibilitate 10. Qualis ſit incorruptio dãnatorũ. *Anſelm.*

bilitate, qua corpora ſupernaturaliter immutātur: hæc autem per ſe includit impaſsibilitatem, vt diximus, & ſatis explicat D. Thomas in eodem loco Pauli lect. 6. ita ſcribens: *Dicitur autem hic incorruptio, non ſolum ad excludendū ſeparationē animæ à corpore* (quia hanc incorruptionem habebunt etiam damnatorum corpora) *Sed ad excludendum, tam mortem, quam quālibet noxiam paſsionem ſiue ab interiori, ſiue ab exteriori.*

11. Doctrina eſt de Fide. Dubitari igitur non poteſt Fidem Catholicam docere in beatorum corporibus futuram eſſe perfectionem impaſsibilitatis: quæ eſt cōmunis & Patrū, & Theologorum doctrina, & cum illa apud Catholicos ſit certiſsima, non eſt quod in citandis Patrib⁹, & Theologis immoremur: Nō excluditur paſsio perfectiua. ¶ Illud tamen aduertimus doctrinam iſtam intelligendam eſſe de impaſsibilitate excludente paſsionem corruptiuam; non verò de illa, quæ eſt perfectiua: quæ etiam eſt communis doctrina; de qua, & de noſtra reſolutione videndi ſunt Theologi *in 4. d. 44. & 49. & ſatis ſit D. Thomas in dicta d. 44. q. 2. ar. 1. quæſtiū. 1. & d. 49. q. 4. artic. 6. quæſtiun cula 3. & in additionibus ad 3. p. quæſt. 82. art. 1.* D. Thom.

§. 3.
Solutio argumentorum.

12. Ad 1. arg. D. Thom. Anſelm. Argumenta in contrarium adducta §. 1. facilè ſoluuntur. Ad primum reſpondet *D. Thomas in 4. in d. quæſtiuncul. 1. ad 1.* negatque eſſe mortale pertinere ad hominis eſſentiam, quaſi differentiam eſſentialem illius: quæ eſt doctrina *D. Anſelmi lib. 2. cur Deus homo c. 11. poſt principium*; & id ſatis infertur ex doctrina Catholica, quam adduximus: etenim ſi eſſe mortale eſſet de eſſentiali hominis ratione, non poſset homo fieri immortalis; ſicut non poteſt fieri irrationalis. Particula autem illa *mortale* ideo à Philoſophis antiquis poſita fuit in definitione hominis; quia non nouerunt futuram hominis reſurrectionem, & ſupernaturalem illius immutationē, vt ait Anſelmus: & ideo de homine iudicarunt ſecundum ſtatum naturalē huius vitæ mortalis: cum enim cognouiſſent hominem ex ſua eſſentiali ratione vendicare ſibi cōpoſitionem ex contrarijs, quam corruptibilitas, & mortalitas naturaliter conſequitur; ideo exiſtimarunt mortalitatem eſſe de hominis eſſentia: aliter ſenſiſſent, ſi ſupernaturalem hominis immutationē agnouiſſent: agnouiſſent enim compoſitionē ex contrarijs neceſſariò conſequi mortalitatem, nō neceſsitate abſoluta, ſed naturali, quædiuint⁹ eſt ſeparabilis. Vide *D. Thomam vbi ſuprà. & Abulenſem in dicta q. 111. ad 1.* D. Thom. Abulenſ.

Ad ſecundum communis ſolutio admittit manere in beatis compoſitionem ex quatuor qualitatibus contrarijs; negat tamen inde inferri corpora illorum eſſe paſsibilia: & ratio eſt, quia qualitates illæ tunc non habebunt actus corruptiuos, repugnāte dote impaſsibilitatis, à qua impedientur. Quomodo autem impediantur? in ſequenti articulo explicabitur. In hac ſolutione conueniunt omnes, *D. Thomas vbi ſuprà ad 3. Abulenſ. in dicta q. 111. ad 3. fol. 236. col. 3. lite. I. Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. §. Et per hoc reſpondetur pag. 627. col. 2. & Suar. 2. tom. ad 3. p. diſpu. 48. ſect. 3. pagin. 921. §. Ex quo diſcurſu*: apud quem compoſitio ex contrarijs eſt cauſa prima, & radicalis paſsibilitatis corruptiuæ, non tamen proxima: quia talis non eſt, niſi ratione actionū contrariarū, quas exercent: cum verò ab illis impediantur; non ſatis eſt illorum compoſitio, vt corpora formaliter reddat paſsibilia. Quod verò objicitur in corporibus glorioſis manere materiam priuatam, quæ eſt fons, & origo corruptionis; ita ſoluendum eſt; vt negemus materiam in corpore glorioſo manere priuatam priuatione, quæ per ſe eſt radix corruptibilitatis: nec enim quæcunque priuatio formæ eſt, per ſe cauſa corruptionis: etenim materia cœli habet carentiam aliarum formarum; cum apud eos, qui eam ponunt eiuſdem ſpeciei cum materia, tùm aliorum orbium, tùm horum inferiorum (quam opinionem *cum noſtro Aegidio veriorem putauimus in libris de Generatione*) ſit vera priuatio formæ in ſubiecto apto nato: & tamen non eſt principium corruptionis, vt omnes Illius opinionis Authores admittunt: & licet ſimpliciter doceant priuationem contrarietatis (id eſt, quæ ex cōtrarietate oriatur) per ſe eſſe principium corruptionis in eo tamen ſenſu id docent, vt priuatio ſit talis contrarietatis, quæ ad actum reduci valeat 13. Ad 2. D. Thom. Abulenſ. Sotus. Suar. Aegidius.

valeat: talis autem non datur in corpore beatorum.

14. Ad 3. Ad tertium admittimus corpus glorioſum eſſe palpabile, vt bene argumentum probat: negamus tamen omne palpabile eſſe actu corruptibile: licet enim, quod palpabile eſt, corruptibile ſit per ſuam naturam; poteſt tamen eſſe incorruptibile per gratiam, vt docet *D.Thom.* 3.*p.q.*34.*art.*3. *ad* 2. *& in* 4. *diſt.* 44. *q.*2. *art.*2.*in fine corporis,& ad* 1. in quibus locis affirmat D.Gregorium ita explicaſſe ſuam doctrinam. *D. Thom.*

15. Ad 4. Ad quartum communis ſolutio eſt ex *D.Thoma, Abulenſe, & Soto locis citatis*, vt maior ſit vera de potentia materiæ, quæ ſoluta eſt, & ſibi relicta: falſa tamen, ſi eſt ligata, ne ad actum reduci valeat: communis autem Ariſtotelis Philoſophia intelligitur de materia ſoluta, non verò de ligata, qualis eſt materia corporis glorioſi.

16. Ad vltimũ. Ad poſtremum patet ſolutio ex ijs, quæ ad finem §.2. diximus; in hac enim quæſtione non eſt ſermo de paſsione perfectiua; ſed de ſola corruptiua: vnde in corpore glorioſo erunt actus ſenſuum tàm externorum, quàm internorum, qui ſine paſsione corruptiua inſunt: de quo latè diximus in 4.lib. præcedente.

ARTICVLVS II.

An impaſsibilitas corporis glorioſi conueniat illi ab intrinſeco; an verò ſolùm ab extrinſeco?

1. Difficultas excitanda. SVppoſita hac catholica veritate, inſurgit difficultas, quæ inquirit cauſam, & modum, quo corpora glorioſa fiunt impaſsibilia: an ſcilicet impaſsibilitatem habeant ab intrinſeco; an ab extrinſeco? & quomodo? cuius difficultatis explicatio ita nonnullis viſa eſt difficilis, vt difficultati, & incertitudini ſuccumbentes eam non explicauerint, affirmantes vix eam poſſe definiri, ita *Lorca* 1.*tom.ad* 1.2.*q.*4.*art.*6.*annot.*1. *circa dotes corp. pag.* 130. *col.* 1: ſed non eſt quod rei difficilis explicationem fugiamus. *Lorca.*

2. Varij excitantur articuli. In hac igitur explicanda difficultate variæ ſunt Theologorũ opiniones: nam licet omnes in duas claſſes generaliter diuidantur, quælibet tamen earum nõ vna, ſed varijs incedit vijs. Quare vt hæc difficultas diſtinctè explicetur, plures debẽt excitari articuli: quia verò prima illius difficultas, veluti fundamentalis ex eo pendet; an impaſsibilitas iſta corpori glorioſo conueniat ab intrinſeco? an verò ſolùm ab extrinſeco? ideò in hoc ſecundo articulo hanc difficultatem primo loco explicabimus.

§. 1.

Referuntur opiniones, quod conueniat ſolùm ab extrinſeco.

IN hac igitur difficultate plurimorum Theologorum opinio affirmat impaſsibilitatem corpori glorioſo non poſſe ab aliquo intrinſeco conuenire: ita exiſtimarunt. qui apud *D.Thomam in* 4.*diſt.* 44.*q.*2.*art.*1.*quæſtiunc.*1. primam, & ſecundam opinionem probarũt. Ad quam etiam accedunt, qui volunt corpora glorioſa eſſe impaſsibilia ex ceſſatione motus cœli: eandem probauit quidam *Landulphus relatus ab Abulenſi in d. q.* 111. *§. Contra prædicta, pag.*236. *col.*1: in terminis ita exiſtimant *Scotus in* 4.*diſt.*49. *q.*1. *vbi Maior q.*17: *Durand. in* 4.*diſt.*44. *q.*4. *Supplementum Gabrielis ibidem q.*2. referri ſolet pro eadem ſententia *D.Thomas* 3. *p. q.*45.*art.*1.*ad* 3. vbi ait, ſolam claritatem eſſe qualitatem intrinſecè inhęrentẽ corpori glorioſo. 3. Variæ opiniones quòd ſit ſolùm ab extrinſeco? Qui eam probarunt. *Landulph. Scotus. Maior. Durand. Supplem.*

Sed quanuis hi omnes cõueniant, quod impaſsibilitas ſolùm inſit ab extrinſeco, & nullo modo ab intrinſeco: non omnes tamen eodem modo, ſed varijs ſuam explicant opinionem. Prima opinio cauſam huius impaſsibilitatis ſumit; quia putat in beatis manere quidem elementa quoad ſubſtantiam; nõ tamen quoad ſuas qualitates actiuas, & paſsiuas. Ita ſenſiſſe nonnullos refert *D. Thomas in* 4. *diſt.*44. *q.*2.*art.*1.*quæſtiunc.*1. *& in additionibus q.* 82.*art.*1. Authores huius opinionis ex eo ſumunt fundamentum; quoniam ſi primæ qualitates remanerent; non poſſent corpora glorioſa non eſſe paſsibilia: haberent enim in ſe ipſis principium corruptionis, quod ponitur in mutua contrariorum pugna; quæ ſine aliqua corruptione dari non poteſt. Hi igitur Authores ſentiunt impaſsibilitatem corpori glorioſo conuenire, non per aliquid poſitiuum; ſed per negationem principij paſsionis, & corruptibilitatis. Sublata autem corrup- 4. 1. opinio. Fundamentum.

corruptionis cauſa corpora ipſa manebũt impaſsibilia.

5. 2. opinio. Secunda opinio inde ſumit cauſam incorruptibilitatis; quia licet in beatis maneant primæ qualitates contrariæ; in illis tamen non habebunt proprias actiones, ex quibus ſequitur corruptio. Ita ſenſiſſe nonnullos refert *D. Thom. loco citato*: ſublata enim cauſa corruptionis, quæ ponitur mutua qualitatum pugna, non poſsũt corpora ipſa non manere incorruptibilia, & impaſsibilia. Cum verò cauſa iſta non ſit poſita in aliquo poſitiuo, ſed in negatione principij corruptionis, vt præcitati authores volunt; hinc eſt, vt apud illos impaſsibilitas non conueniat ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco.

D. Thom.

6. 3. opinio. Tertia ſententia ferè accedit ad ſecundam; ſeu potius illam declarat: docent igitur nonnulli in beatis futuras quidem eſſe primas qualitates contrarias: & præterea futuras eſſe abſque vlla actione, & paſsione; non ob aliam rationem, niſi quia poſt iudicium ceſſabit motus cœli; ſine quo nullum agens naturale aliquam poteſt habere actionem. Quare hæc opinio in eo ſolùm differt à ſecunda, quod ſecũda cauſam, cur qualitates illæ contrariæ ſuis actionibus priuabuntur, in diuinam voluntatem, & diſpoſitionem reuocat; idque ad conſeruationem corporis humani: hæc tamen opinio tertia cauſam ſumit ex ceſſatione motus cœlorum.

7. 4. opinio. Quarta adhuc opinio communiter refertur, quæ cauſam impaſsibilitatis ſumit ex decreto diuinæ voluntatis, qua Deus ſtatuit non concurrere cum aliquo agente extrinſeco, ad alterandum corpus glorioſum. Hæc eſt ſententia *Scoti in d. q. 13. §. Dico ergo, litera D.* in qua videtur perſiſtere in reportatis in 4. *diſtinct.* 49. *q.* 12. Cum Scoto conſentiunt *Tartaretus in ſuis reportatis ad 4. Scoti in d. diſt. 49. quarti ſent. in d. q. 13. & ibidem Ouand. propoſit. 14. Angles in ſuis floribus de beatitudine ar. 5. difficuit. 1. in 2. concluſ. pag. 336. probabiliorem putat Nicolaus de Niſſe in ſua reſolutione Theologica tract. 7. p. 3. portione 3. quæſt. 2. concl. 3. fol. 625. pag. 1. Cum Scoto conſentiunt Maior in dict. q. 17. & Durand. etiam in d. q. 4. n. 13. & 14. & Gabriel ibidem q. 2. art. 2. concl. 5. 6. & 7.* qui omnes in hoc conſentiunt, vt impaſsibilitas iſta non oriatur ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco ex diuina aſsiſtentia, quæ non coagit cauſæ ſecundæ corruptiuæ. Vnde iſta quarta opinio verè coincidit cum ſecunda. Illa enim (vt ait D. Thomas) cauſam, cur contrariæ qualitates nullam habeant actionem, reuocat in diuinam voluntatẽ, quæ illarum actionibus nõ coagit: in hoc tamen hæc ſententia à ſecunda differt, quod negationem coagentiæ non ſolùm ponit in ordine ad ipſas qualitates, quæ intrinſecè inſunt in corpore beato; ſed etiam in ordine ad agentia extrinſeca, ne ſcilicet actione corruptiua poſsint agere in corpus beatum.

Scotus. Tartaret. Ouand. Nicol. de Niſſe. Maior. Durand. Gabriel.

Omnes igitur hæ quatuor opiniones in hoc conueniunt, vt impaſsibilitas iſta corpori beato ab intrinſeco per aliquid poſitiuum non conueniat; & per conſequens nec per aliquam qualitatem ſuperadditam, ſed ſolùm ab extrinſeco, id eſt, per aliquod extrinſecum impediens, vel fluxum primarum qualitatum ab elementis, vt volebat prima opinio: vel actionem, aut paſsionem tùm ipſarum primarum qualitatum, vt ſecunda opinio volebat, tùm etiam cuiuſcunque alterius agentis extrinſeci, iuxta tertiam & quartam opinionem: quarum vtraque melius philoſophatur, quam aut prima, aut ſecunda: inter quas melior eſt Philoſophia quartæ, quàm tertiæ, vt ex dicendis patebit. 8. Omnes opiniones in quo conueniunt.

Hanc reſolutionem in ſua generalitate (quatenus. ſ. reſoluit, impaſsibilitatem non ab intrinſeco, ſed ſolùm ab extrinſeco conuenire) eſſe probabilem, facileq; & intelligi, & defendi poſſe exiſtimat *Ioannes de Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 5. art. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 17. n. 140. pag. 611. col. 2.* affirmatque hanc reſolutionem ſaluare omnia, quæ ad illius rationem, & ſupernaturalem perfectionem pertinent, nec indignam eſſe, quæ rationem dotis admittat. Quæ ſententia prius fuit *Palatij in 4. diſt. 44. diſp. 2. §. Quod ſi in hac re obſcura, pag. 41. col. 2.* Vbi, & in fine diſputationis affirmat quęſtionem eſſe problematicã. Quin potiùs *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 48. ſect. 2. pag. 918. col. 2. ad finem,* fatetur hãc ſententiam non poſſe euidenti argumento falſitatis conuinci: ob quæ verba Salas ſcribit, Suarium hanc ſententiam dixiſſe probabilem. Illius argumenta inferiùs adducemus. 9.

Salas. Palatius. Suar.

§. 2

§. 2.

Refertur, & eligitur ſententia oppoſita.

10. Vera ſententia proponitur. Oppoſitam tamen ſententiam probauit cõmunior & antiquorum, & recentiorum conſenſus: antiqui enim, & communior nouiorum opinio docet, impaſsibilitatem, quidquid illud ſit, corpori glorioſo conuenire non ab extrinſeco ſolum, ſed ab intrinſeco. In hac ſententia fuerunt Authores tertiæ opinionis, quam refert *D. Thom. in 4. diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 1. & eandem amplectitur idem *D. Thomas ibidem, & in additionibus ad* 3. *p. q.* 82. *art.* 1. in quibus locis affirmat impaſsibilitatem conuenire corpori ex perfecto dominio, quod anima glorioſa habet in ſuum corpus, ex quo ita ipſum corpus diſponit, vt nulla poſsit ei ineſſe mutatio: quare ex D. Thoma impaſsibilitas conuenit corpori beato, non ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco: in quo conueniunt omnes Thomiſtæ: ſimiliter & illi omnes, qui volunt impaſsibilitatem conuenire per aliquam ſupernaturalem qualitatem, quos inferius citabimus in ſequenti articulo, & in ea expreſſè eſt *Henric. quodlib.* 9. *q.* 16. *per totã.* Quæ ſententia licet non poſsit efficaciter demonſtrari, vt benè aduertit *Suarius in d. diſp.* 48. *ſect.* 2. *pag.* 918. *col.* 2. *ad finẽ*: tamen digna eſt, quæ ab omnibus probetur. Primò, quia cum iſte dicendi modus ſit poſsibilis, & lõgè ſit perfectior, quàm cæteri, quos §. 1. adduximus; magis decet perfectionem beatifici ſtatus. Accedit ſecundò; quia iſte dicendi modus magis eſt conſentaneus modo loquendi ſacræ ſcripturæ: etenim incorruptibilitas, & impaſsibilitas ex Paulo talis eſſe debet, vt à corpore ſuo modo induatur. iuxta illud 1. Corint. 15. n. 54. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Iam verò id, quod extrinſecum eſt non ſatis accommodatè induitur, vt benè Suarius aduertit. Cui ponderationi Salas non aliter potuit occurrere, niſi affirmando impaſsibilitatẽ, licet ab extrinſeco proueniat, in ſe tamẽ eſſe intrinſecam: quod tamen Authores aduerſariæ ſententiæ nolunt admittere.

D. Thom. *Thomiſtæ.* *Henric.* *Suar.* Prima ratio. Secunda. *1. Cor. 15.* *Salas.*

11. Addimus & illud Pauli in eodem loco; *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Mortui quidem reſurgent incorrupti, ſed nos immutabimur.* Ex quibus verbis ſatis colligitur, incorruptionem corporum iuſtorum futuram eſſe cum immutatione ſupernaturali: immutatio autem, ſi propriè loquendũ eſt, non fit per extrinſecam protectionem, ſed per aliquid intrinſecum in corpore exiſtens. Accedit; quoniam impaſsibilitas, vt inferiùs dicemus, habet veram rationem dotis: iam verò rationem dotis habere non poteſt, niſi ſit aliquid poſitiuum, vt inferiùs dicemus, & iam diximus *in* 2. *tomo lib.* 11. *q.* 2. *art.* 2. *n.* 2. quo argumento vtitur *D. Thom. in* 4. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. §. *Cum præterea.* Vbi tertiam opinionem à ſe relatam ideò non recipit, quia ex ea ſequeretur, impaſsibilitatem rationem dotis habere non poſſe, ideò quia in corpore glorioſo nullam poneret diſpoſitionem. Dos enim cum ex ſua ratione includat, quod ſit ornamentum datum ſponſæ, non poteſt non dicere aliquid poſitiuum in ea exiſtens, iuxta illud Pſalmi, *Omnis gloria eius ab intus*: vt omittamus quod de ratione dotis eſt, vt in ſola patria reperiatur, vt diximus in dicto *lib.* 11. *q.* 2. *ar.* 2. *n.* 4. Impaſsibilitas autem per extrinſecam Dei protectionem non in ſola patria reperitur, ſed etiam in via. Satis adhuc colligitur ex verbis *Aug. epiſt.* 56. *ad Deoſcorum tom.* 2. *tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius beatitudine redundet in corpus plenitudo ſanitatis, & incorruptionis vigor,* quibus verbis ſatis ſignificat impaſsibilitatẽ corporis beati non eſſe aliquid extrinſecum, per ſolam remotionem lædentium cõuenientem; ſed eſſe aliquid poſitiuum, quo corpus glorioſum in ſe ipſo intrinſecè vigoratur, ne lædi valeat. Vigor enim propriè loquendo hoc ſignificat: quem ſenſum ſatis ex eo confirmat Auguſtinus, dùm ait, hunc vigorem in corpus redundare ex animæ beatitudine: redundantia autem vnius ex altero non ſolùm dicit cauſam, ob quam aliquid conuenit, ſed denotat emanationem, & quendam fluxum ab eo, vt patet. Quod efficacius etiam colliges ex verbis eiuſdem *Auguſtini epiſt.* 146. *ad Conſentiũ*: agens enim contra nonnullos de hoc incorruptionis, & impaſsibilitatis dono ita ſcribit, *Valet igitur diuina potentia de iſta viſibili, ac tractabili natura corporum quibuſdam manentibus auferre, quas voluerit quali-*

Tertia. *D. Thom.* *Pſal.* 44. 12. Quarta. *D. Aug.*

qualitates, ac per hoc valet etiam membra mortalia, formæ lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortua, ſtabili vigore firmare, vt abſit lædens, & cætera.

13\. Quod verò à læſione ſolùm ab extrinſeco impeditur, defenditur quidem ne lædatur (quaſi ſupponat lædi poſſe) non tamen in ſe ipſa ſtabiliter vigoratur, & firmatur ne lædi valeat, & vt Auguſtinus ſuam mentem magis explicet, poſtquam docuit, trium puerorum corpora, ideò ab igne Babylonico non fuiſſe læſa, quia diuinitus facta ſunt læſionis incapacia, adducit quorundam ſolutionem, & illi reſpondet, ita ſcribens, *Quod ſi quiſpiam dicit, non carni trium illorum virorum additam contra ignem incorruptionem, ſed ipſi igni detractam corrumpendi facultatem: quid veremur, ne carnem facere nequiuerit non poſſe corrumpi, qui fecit ignem non poſſe corrumpere? nam ſi illud non de carnis, ſed de ignis mutatione intelligitur, multò eſt mirabilius, &c.* Ex ijs euidenter colligitur Auguſtinum ſenſiſſe, corpora trium puerorum pro illo tempore facta fuiſſe incorruptibilia, non ab extrinſeco impediente Deo ne ignis illa læderet, vt ſolutio adducta volebat, ſed ab intrinſeco per vigorem quendam ſuperadditum, quo à læſione ſeruabantur, vt ſatis oſtendunt verba ſuperius adducta. Quare cum ab hac doctrina incipiat Auguſtinus in illa epiſtola explicare incorruptibilitatem, & impaſsibilitatem corporum beatorum poſt reſurrectionem, dubitari non poteſt Auguſtini mentem fuiſſe, illam ab intrinſeco cõuenire, vnde in diſcurſu eiuſdem epiſtolę concludit, beatorum corporum incorruptelam, & immutationem eius eſſe rationis, vt corpora per eam nullam pati valeant corruptionem: nulla illis poſsit nocere corruptio.

D. Aug.

14\. Denique hæc eius opinio confirmatur aliarum omnium impugnatione: etenim prima nec digna eſt, quæ recipiatur: nam corpora ſanctorum reſurrectura eſſe cum omnibus ſuis facultatibus, & ſimiliter cũ omnibus quatuor primis qualitatibus, cum communi doctrina Patrũ, & Theologorum latè oſtendimus in 4. libro præcedente, vbi oſtendimus quatuor primas qualitates pertinere ad veritatem naturæ humanæ, & ideò in reſurrectione futuras eſſe in corporibus beatorum. Vndè hanc opiniònem tanquàm abſurdam improbauit *D. Thomas in 4. diſtinct. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. in prima opinione, & in additionibus q. 82. art. 1.* & ob eandem cauſam illius nullam faciunt mentionem, qui de hac re ſcribunt: fundamentum autem futile eſt; quoniam in corpore glorioſo nullam habebunt contrarietatis pugnam, quæ ſola eſt proxima corruptibilitatis ratio: aut ſi aliquam habebunt, eam habebunt ſine vlla paſsione corruptiua. Vide quæ diximus in d. lib. 4.

5\. ratio ex aliarum opinionum impugnatione. Prima reijcitur.

D. Thom.

15\. Secunda opinio reijcitur à *D. Thoma locis citatis*: nec recipitur ab *Abulenſi in cap. 17. Matthæi q. 111. fol. 135. col. 4. litera A.* nec *à Soto in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. §. Et eodem pacto, pag. 614. col. 2.* Sed omiſſis, quæ contra illam adducuntur (quoniã opinio quæ à primis qualitatibus in corpore glorioſo manentibus omnem tollit actionem tàm productiuam alterius, quã conſeruatiuam temperamenti, & complexionis non recipitur ab omnibus, vt latè oſtendimus in præcitato lib. 4. in hac propria quæſtione: vel ſi aliqua actio admittatur, illa non eſt corruptiua, ſed conſeruatiua, quæ non eſt corruptionis principium: vnde ſemper admittendum erit qualitates primas in corpore glorioſo impediri à ſuis actionibus corruptiuis, quod eſt illius opinionis fundamentum) omiſſis, inquam, quæ contra eam adducuntur; vera illius impugnatio ex eo ſumenda eſt, quia fundamentum, quo nititur ſolùm probat, corpora glorioſa à ſe ipſis, & à ſuis proprijs principijs corrumpi non poſſe: non tamen probat quod non poſſint corrumpi ab aliquo extrinſeco corrumpente. Vnde neceſſariò debet recurrere ad quartam opinionem, quæ recurrit ad diuinam prouidentiam, quam ſtatim nõ admittemus. Accedit etiam, quòd hæc impaſsibilitas iſto modo expoſita veram rationem dotis habere non poſsit, vt ſuprà oſtendimus.

2\. improbatur. *D. Thom. Abulenſ. Sotus.*

16\. Tertia opinio, quæ ad ceſſationem motûs cœli recurrit, minus eſt probabilis: tûm quia cum præcedentibus admittit corpora glorioſa ab intrinſeco eſſe paſsibilia, cõtra quod docuit Auguſtinus: tùm quia corpora damnatorum eodem modo eſſent impaſsibilia, quo futura ſunt corpora beatorum, contra quod docuit *Paulus in locis ſuprà citatis*: tùm tertiò, quia Chri-

3\. impugnatur. *D. Aug.* *D. Paul.*

Chriſti corpus, & corpus Virginis, cæterorumque in quibus corporis reſurrectio iam eſt completa, non eſſent impaſſibilia, quod dici non poteſt: tum quartò quia falſum eſt, ceſſante motu cœli nullam poſſe dari in ijs inferioribus actioné corruptiuam, & naturalem. Etenim ceſſante non ſolùm motu cœli, ſed etiam omni cœli influxu, adhuc poterit dari motus, & variæ actiones in his inferioribus, vt communis habet opinio, quam nos probauimus in libris de Cœlo, & probant communiter Recentiores cum *Conimbricenſibus* 2. *de cœlo c.3.q.4. art.* 2. & probat *Sotus vbi ſuprà fol.*611.*col.*1.§. *Quarto ſuppono.* Adhuc enim ignis admotus ſtupæ eam combureret, vt cum Pariſienſibus, & Conimbricenſibus ſuppono. Tùm primò, quia motus cœli iuxta communiorem, & veriorem ſententiam, non ceſſabit, niſi finito iudicio, & poſt aſcenſum Chriſti cum beatis in cœlum: at nullus dicet corpora glorioſa poſt reſurrectionem ante triumphum Chriſti, aſcenſionemque in cœlum non habere donum impaſſibilitatis.

Curſus Conimbr. Sotus.

17. Quarta refellitur. Quarta tandem opinio ſatis impugnata eſt ex ijs, quæ in noſtræ aſſertionis cõfirmationem adduximus: ſatis enim videntur confirmare impaſſibilitatem corporis glorioſi ab intrinſeco illi conuenire, ita vt ab intrinſeco nec à ſe, nec ab alio agente pati poſſit paſſione aliqua corruptiua, vt ex Auguſt. diximus, cuius authoritas in hac materia magni facienda eſt.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

18. Obiectiones primæ ex D. Aug. Contra hanc noſtram & communem ſententiam nõnulla adducuntur, à nobis hoc loco diſſoluẽda. Primo loco obijcitur *Auguſt. epiſtola* 146.*ad Conſentium*, ita inquiens, *Quod ſicut pueri in fornace Babylonis non lædebantur igne: ita Deus corpora glorioſa à corruptione ſeruabit.* Pueros autem illos Babylonicos ſeruauit impediendo ignis actionem ne illos læderet: vnde illos impaſſibiles fecit ſolum ab extrinſeco.

19. 2. ex Diuo Thoma. Secundò obijcitur *D. Thomas* 3. *p. q.* 45. *art.*1. *ad* 3. dùm ait, *ex dotibus corporis ſolam claritatem eſſe qualitatem intrinſece inhærentem.*

20. Tertia. Tertiò, quia vix poterit explicari quo modo impaſſibilitas ab intrinſeco poſſit conuenire: cum tamen facilè intelligatur quomodo conueniat ab extrinſeco.

Quarta. Quibus accedit: quoniam hæc impaſſibilitas nullo efficaci argumento impugnari poteſt, vt Suarius fatetur: & omnia ſaluantur, quæ de dote impaſſibilitatis à Sanctis, & Theologis adducuntur.

21. Reſpondetur primæ. Hæc facilè ſoluuntur. Ad primũ enim negandum eſt illa verba eſſe Auguſtini: ea enim Auguſtinus adducit ex ſententia aduerſariorum, qui volebant fieri non poſſe, etiam à Deo, vt corpora beatorum ita in ſe ipſis ſint impaſſibilia, vt in ſe ipſis habeant non poſſe pati. Hi enim obijciebant Auguſtino, corpora trium puerorum ideò fuiſſe impaſſibilia, quia Deus actionem ignis lædentis impediuit, vt patet ex illis verbis, *Quod ſi quiſpiam dicit, non carni trium puerorum, &c.* Cui obiectioni reſpondet, & argumentum retorquet inquiens, *Si Deus ab illo igne potuit detrahere corrumpendi facultatem, cur non potuit carni illorum concedere incorruptibilitatem, ne poſſit pati ab igne?* Vide quę ex Auguſtino adduximus §. 2. & ibi videbis Auguſtinum in ea eſſe ſententia, vt Deus tribus illis pueris poſitiuam incorruptibilitatem conceſſerit, ne ſcilicet ab igne pati poſſent. Vtrùm autem iſta opinio admittenda ſit in illis pueris, alterius eſt quæſtionis: nobis ſatis ſit, noſtram opinionem non ſolùm non repugnare Auguſtino, ſed eum habere patronum: vnde non eſt cur recurramus ad ſolutionem *Salæ vbi ſuprà pag.*612.*col.*2.*in medio*: nec enim Auguſtinũ in proprio fonte vidit.

D. Auguſt. exponitur.

Salas.

22. Reſpondetur ſecũdę. Ad 2. dicendũ eſt D. Thomam non dicere inter dotes ſolam claritatẽ eſſe qualitatem, ſed ſolam eam eſſe qualitatẽ, aſpectu perceptibilẽ, ita vt propria perſona viſibiliter percipi poſſit in ſe ipſa immutata, & transfigurata: quoniã tres reliquæ dotes cũ in ſe ipſis viſu nõ percipiantur, nõ poſſunt facere, vt perſona in ſe ipſa videatur: quę ſenſum ſatis explicant verba immediatẽ poſita, *Aliæ verò tres dotes non percipiuntur, niſi aliquo actu, motu, ſeu paſſione.* Et clariùs illa alia in fine poſita: *Sed propter ſolam claritatem, quæ pertinet ad aſpectũ perſonæ ipſius.* Quæ eſt cõmunis explicatio, de qua *Suarius in eodẽ loco, & Sot⁹ vbi ſuprà pag.*611.*col.*2.§. *His ſuppoſitis.*

Suar. Sotus.

23. Reſpondetur tertiæ. Ad tertium patebit ſolutio ex dicendis in ſequenti articulo: quod autem impaſsibilitas corpori glorioſo ſolùm ab extrinſeco conueniat nec verbis Pauli conuenit, nec doctrinę Auguſtini, nec rationi dotis, nec denique perfectioni ſtatus beatifici, vt in ſuperioribus ſatis oſtendimus. Et quanuis opinio oppoſita ratione naturali non poſsit efficaciter impugnari, ſatis tamẽ efficaciter impugnatur, ſuppoſita doctrina Pauli, & Patrum, de qua ſuprà: ex qua facilè colliges ſine impaſsibilitate intrinſeca non ſatis ſaluari, quæ de dote impaſsibilitatis à Patribus, & Theologis docentur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm impaſsibilitas corpori glorioſo conueniat per aliquid poſitiuum illi ſuperadditum, & quidnam illud ſit?

1. Difficultas. Conſtituto quod perfectio impaſsibilitatis corpori glorioſo conueniat non ab extrinſeco, ſed ab aliquo intrinſeco; iam inſurgit haud facilis difficultas, quidnam ſit hoc poſitiuum, per quod illi conueniat impaſsibilitas?

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

2. Opiniones de illa. 1. opinio. De hac difficultate variæ ſũt Theologorũ opiniones. Prima opinio eſt eorum, qui putant impaſsibilitatem iſtam optime ſaluari poſſe ſine aliqua ſupernaturali qualitate ſuperaddita: quia ſatis ſufficiẽter ſaluatur per æqualitatem primarum qualitatũ quoad pondus, ita vt omnes æquales ſint quoad gradum, vt nonnulli volunt, inter quos eſt *Palatius in 4. diſt. 44. diſp. 2. pag. 42. col. 1.* vel per æqualitatem earum quoad iuſtitiam, ita vt licet qualitates illæ in gradu ſint inæquales, ita tamen ſint inter ſe cõtemperatæ, vt tanta ſit actiuitas vnius, quanta eſt reſiſtentia alterius, quã æqualitatem qualitatum communiòr opinio admittit in beatis, vt latè oſtendimus ſupra libr. 4. tùm in quæſtione de primis qualitatibus, tùm de illarum actionibus. Et iuxta vtrãque opinionem omnis ceſſat actio & paſsio: ceſſabit igitur in beatis iuxta primam opinionem, quia actio & paſsio ſemper fit inter contraria inæqualia. Ceſſabit etiam iuxta ſententiam poſteriorem, quia actio ſemper requirit exceſſum actiuitatis ad reſiſtentiam alterius. Hoc eſt totum huius opinionis fundamentum: quam opinionem vt maximè probabilem vel excogitauit, vel elegit *Palatius vbi ſuprà:* vbi in beatis admittit æqualitatem primarum qualitatũ, non ad iuſtitiam, ſed ad pondus: quæ facit cõplexionem perfectiſsimam excludentẽ (vt putat) omnem actionem, & paſsionẽ. *Palat.* Ad hanc opinionem ſatis videtur accedere *D. Bonauentura in 4. diſt. 49. art. 4. q. 1. n. 54.* vbi docet impaſsibilitatem corporis glorioſi prouenire tùm ex temperata primarum qualitatũ mixtione, quæ eſt ad iuſtitiam, vt colliges ex illo *n. 57.* ratione cuius actu nõ pugnant. Tùm ſecundò ex quietatione elementorum, ex quibus cõtrariæ illæ qualitates oriuntur: ex qua quiete non poteſt dari pugna in illis qualitatibus in illa temperie exiſtentibus. Tùm tertiò ex conſeruatione animæ influentis in quatuor illa elementa, & quatuor illorum qualitates: ex qua cõſeruatione habent quod non poſſunt nõ quieſcere. Ita habes ex D. Bonau. loc. cit. *D. Bonau.*

Secunda opinio excogitata eſt à *Palatio in citato loco, pag. 41. col. 2. §. Quod ſi in hac re.* Docet igitur primam & radicalem cauſam impaſsibilitatis, & incorruptionis corporis glorioſi ex eo ſumendam eſſe, quia materia illius diuinitus orbata eſt appetentia alterius formæ, ob quam rationem materia nullo modo poteſt eſſe ratio alicuius paſsionis corruptiuæ. Materia enim ex doctrina *Ariſtotelis, & Cõmentatoris*, ideò eſt principium corruptibilitatis, & paſsibilitatis, quia ſemper machinatur corruptionem formæ, quam habet, & nouæ alterius introductionem. Cum verò hoc non ſit de eſſentia illius, poteſt ab ea hoc vitium diuinitus auferri, quo ſublato, corpus eo ipſo manebit impaſsibile & incorruptibile, quoniam materia illius bene ſatiata erit forma, quã actuatur. Nam corpus cœleſte nõ ob aliã rationem eſt impaſsibile, & omnino incorruptibile, niſi quia materia illius plenè ſatiata eſt forma ipſa cęleſti, qua actuatur, ita vt nullam habeat alterius formæ appetentiam: vnde corruptionem propriæ formæ non machinatur. Hæc habes ex Palatio vbi ſuprà. 3. 2. opinio. *Palatius.* *Ariſt.* *Comment.*

4. 3. opinio.

Tertia opinio nõ admittens duplicem explicatam cauſam eſſe ſufficientem ad impaſsibilitatem glorioſi corporis, docet impaſsibilitatem iſtam ortum habere ex materia quintæ cuiuſdam eſſentiæ cœleſtis, quam admittunt in cõpoſitione corporis glorioſi, qua elementa, & eorũ qualitates ita temperat vt ipſum corpus reddat impaſsibile, prohibendo omnem paſſionem. Hanc opinionem nonnullos probaſſe refert *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. ar. 1. quæſtiunc. 1. & in additionibus q. 82. art. 1. & D. Bonauent. vbi ſuprà n. 53. cum Abulenſi, Soto, Salas, & Suario in locis ſtatim citandis.* Verum duobus modis hanc Suarius explicat: vno, vt hæc materia quintæ eſſentiæ non reperiatur in corpore viatoris, ſed ſolùm in corpore glorioſo: in quo ſenſu hãc opinionem refert *Abulenſis in Matthæum cap. 17. q. 111. fol. 235. col. 4. litera H.* Alij volunt materiam iſtam etiam venire in compoſitionẽ corporis humani etiam mortalis: attamen pro ſtatu viæ impaſsibilitatem non cauſare, quia pro tali ſtatu materia elementaris prædominatur: cum verò pro ſtatu patriæ illa prædominetur, ideò pro ſtatu patriæ materia iſta impaſsibilitatem cauſat. In hoc ſenſu hanc opinionem referũt *Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. in 3. opinione, pag. 624. col. 2. & Suarius 2. tom. ad 3. part. diſp. 48. ſect. 3. pag. 915. col. 1. §. Referunt autem D. Thomam, & Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 5. ar. 5. tract. 2. diſp. 19. ſect. 17. pag. 610. poſt principium*, & ſatis ſignificat D. Thomas in locis citatis. Quin potiùs Suarius, & Salas volunt hanc ſententiam ſatis ſignificaſſe *Alenſem 3. p. q. 27. nu. 2. ad argumenta, §. Ad aliud dicendum.* Sed Alenſis eo in loco licet hanc quintam eſſentiã in cõpoſitione humani corporis non admittat, eam tamen admittit in ordine ad locum cœli empyrei, & vt motus ſurſum ad eum glorioſo corpori ſit naturalis. An tamen illa ſit admittẽda in ordine ad perfectionem impaſsibilitatis nihil declarat: ſicut nec id declarant, quos refert *D. Thomas 1. p. q. 76. art. 7. & 3. p. q. 57. art. 3.*

D. Thom. D. Bonau. Abulen. Sotus. Salas. Suarius. Sotus. Suar. D. Thom. Salas. Suar. Alen. D. Thom.

5. 4. opinio.

Quarta opinio primam & radicalem cauſam impaſsibilitatis ſumit ex perfecta ſubiectione corporis beati ad beatam animam, & per conſequens ex perfecto dominio, quo anima beata in ſuum corpus beatum dominatur: ita expreſſe ſcribit *D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiũc. 1. ad finem corporis, & in additionibus q. 82. art. 1. idem Sanctus Thomas in d. q. 2, art. 1, quæſtiunc. 2. & in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 5. quæſtiunc. 3.* Probant *Abulenſis in d. c. 17. Matthæi q. 111. fol. 236. col. 1. in principio, §. Dicendum ergo videtur.* Satis conſentit *Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. §. Ratio ergo quinta eſt, pag. 625. col. 1.* & ſatis ſignificat *Capreolus in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. concluſ. 3.* ſatis etiam *Alexander Pezantius in additionibus ad 3. p. q. 82. art. 1. & Viguerius in reſolutione Theologica cap. 14. §. 1. verſ. 3. pag. 143.* Quam ſententiam ſi benè explicetur probabilem eſſe affirmat *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſput. 48. ſect. 2. in 5. opinione, pag. 919. col. 1. & 2. & pag. 920. col. 1.* & cum bono ſenſu eam defendi poſſe teſtatur *Salas vbi ſuprà in d. ſect. 17. n. 138. pag. 611. col. 1. poſt principium.*

D. Thom. Abulen. Sotus. Capreol. Alexan. Pezant. Viguer. Suar. Salas.

6. Opinio 4. varié explicatur. Prima explicatio.

Hi tamen Authores, non eodem modo explicant hanc opinionem. Quidam enim hoc animæ dominium in corpus glorioſum tribuunt perfectiſsimæ informationi, qua anima beata beatum corpus informat, quæ ideò erit indiſſolubilis, quia anima ex ipſa viſione diuina, quæ eſt immobilis ſic corpus informat, vt ab actu informandi à nullo agente naturali, aut imminui, aut vinci poſsit. Cum verò paſsio corruptiua in aliqua ſubſtantia dari non poſsit, niſi virtus informatiua formæ ab agente contrario vincatur (omnis enim paſsio fit per victoriam agentis ſupra paſſum) vis autem qua anima beata beatum corpus informat, à nullo agente creato nec in aliquo minimo vinci valet. Hinc eſt, vt ipſa actualis informatio, qua anima beata informat corpus, ſit indiſſolubilis, & ob id ipſum corpus beatũ reddit ſimpliciter impaſsibile. Ita impaſsibilitatem iſtam philoſophatur *Sotus loco citato in quinta opinione, pag. 625. colum. 1.* quam magis explicat, & confirmat *pag. 626. col. 1. §. Verumtamen quicquid ſit*, quã ibidem latè cõfirmat, & tandem *pag. 627. col. 1. in medio*, ita concludit, *Itaq́; non erit aliud incorruptibilitas, quam indiſſolubilis informatio, & coniunctio animæ cum corpore.* Quia ſcilicet illa perfectiſsima informatio habet, quod à nullo contrario agẽte vinci valeat. Alij hanc explicationem non admittunt, ſed perfectum iſtud dominium animæ beatæ in ſuum corpus in

Sotus.

7. 2. explicatio.

hoc eſſe poſitum, vt corpus beatū imperiō voluntatis beatæ ita ſubdatur, vt ſicut nihil agere pōſſit, niſi imperante volūtate; ita etiā nihil pati valeat, niſi voluntate paſsionē illam imperante: cum verò volūtas habeat, vt nō poſsit imperare vllā corruptiuā paſsionē, quia immobiliter Deo adhæret; inde fit, vt corpus glorioſum nihil poſsit corruptionis in ſe recipere, & ob id ſit omnino impaſsibile. Hanc opinionē nonnullos probaſſe ſatis ſignificat *Suar. in d. diſp. 48. ſect. 2. in 5. opin. pag. 919. col. 1.* Sed clariùs id affirmat *Sotus vbi ſup. pag. 626. col. 2. §. At verò propterea.* Vbi affirmat nōnullos docere D. Thomam impaſsibilitatē iſtam in voluntatem animæ beatæ retuliſſe, vt ſicut ipſa ſubdita eſt diuinæ voluntati, ita etiā habeat corpus ſuę volūtati ſubiectū, vt nihil nocumēti pręter eius arbitriū poſsit accidere. *Suar. Sotus. D. Thom.*

8. Tertio loco alij hoc dominiū animæ beatæ in corpūs ita philoſophantur, vt non ſit poſitū in ſola extrinſeca protectione volūtatis animæ beatæ, ſed in poteſtate actiua data animæ beatæ, ad conſeruandas naturales diſpoſitiones ſui corporis, idque efficacitate quadā longe maiori quam ſit naturalis, quę à nullo naturali agēte vinci queat. Pro cuius explicatione ſupponūt actionē naturalis agentis impediri ex alterius agētis reſiſtentia, nō ſolùm formali (quæ eſt per qualitatē contrariā formaliter repugnantem, & ita ſubiecto adhærentem, vt à virtute actiua agentis cōtrarij ſuperari nō valeat) ſed etiā effectiua, quo pacto calor productus ab igne in aliquo ſubiecto effectiuè cōſeruatur ab igne præſēti, ne à cōtrario agēte ex eodē ſubiecto expellatur. Qua Philoſophia ſuppoſita, dicūt hi authores, animā informantem corpus præter cauſalitatē formalē, quam habet in illud, habere poſſe cauſalitatē effectiuā circa cōſeruandas diſpoſitiones primarum qualitatū, & conſeruandū temperamentū, & naturalem illius cōplexionē: poterit igitur anima beata corpus beatū informans, præter formalē cauſalitatem, qua corpus beatū actuat, habere actiuam quandam efficaciam datā ſibi à Deo, qua effectiuè cōſeruet naturales ſui corporis diſpoſitiones: quæ actiuitas & efficacia talis ſit, vt ſicut à nulla contraria virtute aliquo modo vinci valet, ita nullā in eo corruptiuā paſsionē fieri permittit: idq; non per reſiſtentiā formalē, ſed per effectiuā. Nam hoc modo Angelus poteſt cōſeruare corpus exiſtens in aliquo loco, ne ab alio Angelo minoris virtutis ab eo loco moueatur, idq; nō formaliter alteri reſiſtēdo, ſed effectiuè per actionē actiuam, qua corpus illud in eodē loco ſiſtit, & cōſeruat. Hanc ſententiā iſto modo expoſitā putat eſſe probabilē *Suar. in d. ſect. 2. in 5. ſent. pag. 919. col. 2. §. Reſpōderi poteſt in fine.* *Tertia explicatio. Suar.*

Tandē ſunt alij, qui putāt impaſsibilitatē corporis glorioſi, ideò ex dominio animæ beatæ in ſuū corpus ortū habere, quia ex illa plenaria poteſtate animę beatæ redundat quædam qualitas in corpus beatū, quæ omnem paſsionē corruptiuā prohibens formaliter, illud reddat ſimpliciter impaſsibile. Hæc eſt ſententia *Capreoli in 4. diſt. 44. q. 2. art. 3. ad argumenta Scoti primo loco adducta*, vbi multis oſtendit hanc eſſe mentem D. Thomæ, & in hoc facilè conſentiunt Authores quintæ opinionis, quam iam explicamus. 9. *4. explicatio. Capreol.*

Quinta & poſtrema opinio cōſtanter docet corpora beatorū fieri & eſſe impaſſibilia per quandā qualitatē à Deo illis infuſam, & ipſis inhærentē, per quā corpora ipſa ſimpliciter, & ab intrinſeco ſunt incapacia omnis paſsionis, alterationisvè corruptiuæ. Hanc opinionē in terminis probauit *Richard. in 4. diſt. 49. art. 4. q. 2.* eandē in terminis probat *Henric. quodl. 9. q. 16.* vbi ſæpè docet impaſsibilitatē eſſe quid poſitiuū exiſtens in corpore glorioſo, vt patet *litera G. & litera K. & L.* hoc poſitiuum appellat diſpoſitionem ex redundantia gloriæ animæ infuſam corpori: & idem in fine quæſtionis eam appellat qualitatem de ſpecie ſecūda qualitatis. Expreſſè etiam *Altiſiodorenſis 4. p. Summæ tract. 12. q. 2: & Capreolus vbi ſuprà ad argumenta Scoti fol. 168 col. 2. artic. 3. poſt principium*: & eandem ſententiam ſæpè repetit *tùm ad argumenta Scoti, tùm ad argumenta Aureoli, & Durandi.* Capreolum ſequitur *Soncinas in d. diſt. 44. q. 2. ad argumenta Scoti Aureoli, & Durandi contra tertiam concluſionem.* Eandem ſimpliciter *Ferrarienſis* probat *in 4. contra gentes c. 86. §. Etiam ſecundum, fol. 492. col. 3.* Hanc opinionem eſſe tenendam abſolutè affirmāt *Salas 1. tomo ad 1. 2. quæſt. 5. artic. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 17. n. 142. pag. 612. col. 1.* Eſſe ſimpliciter veram probat *Henric.* 10. *5. opinio. Eius authores. Richard. Henric. Altiſiodorenſis: Capreol. Soncin. Ferrarien. Salas. Henric.*

de

de Vltimo fine hominis c.27.in tex.poſt principium,& in commento litera E. Simpliciter illam probat *Valentia tom. 4. diſp.11, q.5.punct. 1.pag. 1962. & 1963. & ſatis*
Valentia. Suarius. *Suarius 2.tom.ad 3. p. diſp.48.ſect.3. in 6. & vltima ſententia per totam paginã 920. cum ſequentibus.* In eam magis inclinat
Paludan. *Paludanus in 4.diſt.44. q.2. art.3.n.28.§. Si quis vult tenere primam opinionem*, & Abulen. mihi eam probat *Abulenſis in d. cap. 17. Matthæi q.111. §.Secundo eodem, fol.236, col.2.* Denique inter antiquiores, & recentiores eſt communior: nam ex aduerſarijs plures eam volũt eſſe probabilem,
Palatius. inter quos eſt *Palatius in 4.diſt.44.diſp.2. vbi pag.40.col.1: §.Verum his nonobſtantibus*, hanc ſententiam putat eſſe vetus placitum Theologorum, & *pag.41.col.2. §.Quod ſi in hac re*, eam appellat probabi-
Sotus. lem: & *Sotus in d.q.4.art.5.§.Hæc autem, pag.626. col.1.* libenter fatetur hanc opinionem non carere probabilitate. Eandem plerique tribuunt D. Thomæ, ſed de hoc inferiùs.

§. 2.

Vera eſt opinio vltima.

11. Opinio tenenda.

EX his tam varijs opinionibus ego cum vltima puto ſimpliciter aſſerendum eſſe corpus beatum formaliter fieri impaſsibile per aliquã qualitatem poſitiuam ſupernaturalem, per quam corpus glorioſum formaliter ita fiat impaſsibile, vt nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco pati poſsit paſsione aliqua corruptiua. Quam opinionem ex eo primum puto eſſe amplectendam, quia inter antiquos, & modernos eſt communior, vt ex dictis patet.

12. Eſt Auguſtini. Deinde; quia puto eam abſque dubio fuiſſe Auguſtini, quicquid Suarius *in d. opinione 6.reclamet,pag. 920.col.1.poſt medium.* Quod facilè eſt oſtẽdere ex ijs, quę ex Auguſtino adduximus ſuprà ar. 2. huius quęſtionis §.2: ſatis enim vrgent, quę
1.locus. adduximus ex *epiſt.56.ad Diſcorum to.2. pag.99. col.2.* B: poſtquam enim corporis immortalitatem appellauit perfectam illius ſanitatem, ita ait: *tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius beatitudine redundet in corpus plenitudo ſanitatis, & incorruptionis vigor.* Ex quibus verbis (vt in d. §. 2. dicebamus) non ſolùm colligitur impaſsibilitatem corporis beati non eſſe aliquid extrinſecum, ſed intrinſecum potius, atque ideò poſitiuum quid (ſanitas enim corporis eſt aliquid poſitiuũ in eo exiſtens) & eſſe vigorem quendam ex beatitudine animæ in ipſum corpus redundantem: quod autẽ ex aliquo in aliud redundat, non poteſt non eſſe quid poſitiuum ſuperadditũ ei, in quod redundat: quod enim poſitiuũ non eſt, ab alio fluere, & emanare non poteſt: porrò ſi impaſsibilitas corporis beati eſt quid poſitiuum illi ſuperadditum; cũ nec poſsit eſſe ſubſtantia, nec quantitas; vtique erit aliqua qualitas, qua corpus glorioſum immutetur, vt ait Paul. 1. Corin. 15. *Mortui* 1. Cor. 15.
quidem reſurgent incorrupti, & nos immutabimur: nimirum in incorruptelã, cui nulla poſsit nocere corruptio, vt ait Auguſt. epiſt. 146. ad Conſentiũ tom.2. pag. 260. col. 1. C. Quibus addo verba eiuſdẽ Au- 13.
guſtini *in eadem epiſt. pag. 259. col. 2. D. vt* 2. locus.
eos, qui mortales erant facere immortales, in pertiendo dominicam gratiam, non ſeruilem iniuriam retinendo. Ex quibus patet apud Auguſtinum corpus beati fieri immortale, & impaſsibile per gratiam diuinitus illi collatam: aſsiſtentia verò diuina, qua amouentur lædentia, licet poſsit dici gratia lato modo; non tamen propriè dici poteſt gratia donata ex beatitudine redun- 14.
dans, & emanans. Accedant etiam verba 3. locus.
eiuſdem *epiſt. 146. pag. 258. col. 2. E. valet igitur diuina potentia de iſta viſibili, ac tractabili natura corporum quibuſdam manentibus auferre, quas voluerit qualitates; ac per hoc valet etiam membra mortalia formæ liniamentis manentibus; corruptione verò mortalitatis emortua, ſtabili vigore firmare, vt abſit labes, &c.* Iam verò aſsiſtẽtia extrinſeca, qua lædentia prohibẽtur, licet læſionẽ impediant; mẽbra tamẽ ipſa in ſe ipſis nõ vigorant, aut firmant; ſed firmãtur vigore poſitiuo ſuperaddito. Quę eſſe qualitatẽ (etiam ex mente Auguſtini) nõ dubitabit, qui expenderit Auguſtinum in verbis præcedẽtibus agere de qualitatibꝰ corruptionẽ inducentibus. Denique pro 15.
hoc expẽdo verba Aug. in d.p.258.col.2 4. locus.
B. vbi oſtẽdit poſſe à Deo fieri corpora incorruptibilia incorruptibilitate nõ ab extrinſeco aduenıẽte, ſed ab intrinſeco corpori ſuperaddita: ita enim ſcribit: *Si autẽ hoc in tribus viris miraculũ factum eſſe non dubitat quiſq; de diuinis operibus rectè ſapit;*

cur non creditur, qui fecit illa corpora (ſcilicet beatorum reſurgentium, de quorum immutatione diſputat) *non poſſe igne corrumpi, feciſſe illud corpus ne igne, nec fame, nec morbo, nec ſenio, nec vlla vi alia corrũpi.* Et adducens ſolutionẽ quorũdam, quod tribus illis pueris non fuit ſuperaddita incorruptio, ſed ab igne detractam fuiſſe corrumpendi facultatem; & ita incorruptionem illam non fuiſſe ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco (ita enim ait, quod: *ſi quiſpiam dicat, non carni trium illorum virorum additam contra ignem incorruptionẽ: ſed ipſi igni detractam corrumpendi facultatem:*) huic ſolutioni occurrens ita ſcribit: *Quod ſi quiſpiam dicat, & cæt. quid veremur, ne carnem facere nequiuerit non poſſe corrũpi, qui fecit ignem non poſſe corrumpere? nam ſi illud non de carnis, ſed de ignis mutatione intelligitur: multo eſt mirabilius, & cæt.* Ex quibus verbis patet Auguſtinum docere carni reſurgentium ſuperadditam eſſe incorruptibilitatem, & impaſsibilitatẽ poſitiuam ab intrinſeco illi conuenientem; cum conueniat per ipſius carnis mutationem. Quomodo autem hæc Auguſtini verba poſsint ad vtramque partem exponi, ego plane non video, quidquid oppoſitum ſcribat Suarius.

16. Eſt D. Thomæ. Tertiò ideo huic opinioni adhæreo, quia puto eam eſſe D. Thomę, ſi quæ varijs in locis ſcribit conſideratiùs expendantur: nam in 4. diſt. 44. q. 2. art. 3. q. 1.

1. locus. in corp. expreſſè docet *perfectam corporis glorioſi ſubiectionem ad dominiũ animæ beatæ prouenire ex aliqua perfectione ab ipſa anima emanente in corpus, per quam corpus ipſum redditur habile ad perfectam ſubiectionem.* Ecce corpus ſubijcitur animæ per quandam perfectionem â dominante anima emanentem in corpus: iam verò dominium animæ beatæ in corpus, ſiue materialiter ſumatur, ſiue formaliter, non eſt aliquid emanans ab anima in corpore receptum: etenim dominium formaliter eſt quædam relatio, & ſubindè nec p[o]teſt eſſe perfectio, nec aliqua forma emanans ab anima, nec denique poteſt eſſe aliquid receptum in corpore: quia relatio dominij recipi non poteſt, niſi in ipſo dominante: vt omittamus, quod relatio dominij iuxta veriorem ſententiam non eſt realis, ſed rationis. Si verò dominium ſumatur materialiter, ſiue fundamẽtaliter, nihil aliud eſt, quàm poteſtas animæ beatæ ſibi ex diuina viſione conueniens, qua poteſt ſubijcere ſibi corpus: hæc autem poteſtas non eſt aliquid emanans ab anima beata, quod in corpore recipiatur: nam cum ſit fundamentum relationis dominij, non poteſt non eſſe in ipſa anima dominante, vt ex Philoſophia ſupponimus. Quare cum D. Thomas docet ab anima beata emanare perfectionem quãdam, per quam corpus redditur habile, vt in omnibus dominio animæ perfectè ſubijciatur; nomine perfectionis emanantis intelligi non poteſt ipſum animæ dominium; ſed aliquid poſitiuum in corpore receptum tanquam forma accidentaria. Quod ſatis exponit idem D. Thomas in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. quęſtiunc. 3. vbi docet *claritatem, impaſsibilitatem, & agilitatem corporis glorioſi cauſari ab anima per formas quaſdam accidentarias ab ea in corpus diriuatas.* Quæ verba ſatis euincunt impaſsibilitatem apud D. Thomam eſſe veram qualitatem: nam cum apud eum ſint formæ accidentariæ; nec ſint aut quantitates, aut relationes; vtique erunt qualitates. Quod ſatis euincunt, quæ docet D. Thom. 1. p. q. 97. artic. 1. dùm ait, *id, quod exiſtens corruptibile ſecundum naturam fit incorruptile per gloriam, fieri tale per aliquam diſpoſitionem ipſi inhærentem, per quam à corruptione totaliter prohibetur.* Hæc autẽ diſpoſitio, cum realiter inhæreat corpori glorioſo, non poteſt non eſſe aliqua forma accidentaria, vt idem D. Thomas expreſsit in 4. diſt. 49, loco citato. Porrò, ſi apud D. Thomam eſt forma accidentaria nec ſit, aut quantitas, aut relatio; vtique erit qualitas, vt immediatè dicebamus. Denique hanc eſſe D. Thomæ ſententiã ſatis colliges ex eo, quod donum impaſſibilitatis appellat dotem corporis glorioſi, vt patet *in 4. diſt. 44. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. & diſt. 49. q. 4. art. 5. quæſtiunc. 2, & 3.* Dotem autem apud eundẽ D. Thomam eſſe formam, & qualitatem poſitiuam oſtendimus ſupra *in 2. tom. lib. 11. q. 2. art. 2.* ¶ His igitur moti plures Thomiſtarum f[a]tetur impaſsibilitatem apud D. Thomam eſſe qualitatem ſupernaturalem: ita *Capreol. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 3. ad 1. Scotiſ ol. 168. col. 2. & 3. vbi etiã Soncinas q. 2. ad argumenta contra tertiam, & Caiet. 1. p. q. 97. art. 1. cum pleriſque notiorum,*

Marginal notes: 17. 2. locus. — 18. 3. locus. — 19. 4. locus. — Qui hanc opinionem tribuunt D. Thom. Capreol. Soncin.

Scotus. *rum, quos citauimus ſuprà §. 1. in 3. opinione: cum quibus eſt Scotus in 2. diſt. 19. q. 1.* vbi hanc opinionẽ D. Thomæ attribuit. Neque eſt audiendus Ferrarienſis 4. *contra gent. c. 86. fol. 492. col. 3. §. Sed licet expreſſe*, dùm aſſerit D. Thomam nunquam expreſſè docuiſſe impaſsibilitatem dicere formam poſitiuam exiſtentem in corpore; ſed ſolùm id inſinuaſſe: non eſt inquam audiendus, quoniam ex locis citatis manifeſtè apparet D. Thomam impaſſibilitatem appellaſſe formam accidentariam inhærentem in corpore. ¶ Neque huic opinioni obſtat, quod D. Thom. 3. *p. q. 45. art. 1. ad 3.* ſcribit ex dotibus corporis ſolam claritatem eſſe qualitatem intrinſecè inhærẽtem: non obſtat inquam; quoniam D. Thomas abſolutè non dixit ſolam claritatem eſſe qualitatem, ſed ſolam eſſe qualitatem viſu perceptibilem, vt diximus *ſuprà art. 3. §. 3. ad 2.* ¶ Neq; ſecundò obſtat, quod D. Thomas expreſſè docuerit impaſsibilitatem prouenire ex perfecto dominio animæ in corpus, vt patet ex locis citatis §. 1. in 4. opinione: non obſtat inquam: quoniam D. Thomas ideô docuit impaſsibilitatem prouenire ex tali dominio; quia ex illo prouenit, vt ex anima beata reſultet in corpus qualitas iſta, qua formaliter fiat impaſsibile, vt ex *Capreolo diximus §. 1. in fine quartæ opinionis; conſentit Soncinas in 4. diſtinct. 44. q. 2. ad argumenta contra 3. & approbat Salas in d. diſp. 14. ſect. 17. nu. 144, pag. 613. col. 1. poſt medium:* in hoc non audiendus, quod putat D. Thomam mutaſſe ſententiam.

Reijcitur Ferrar.

20. Ad 1. locũ in contrarium. *D. Thom.*

Ad 2. locũ.

Capreol. Soncinas. Salas.

21. Probatur ratione.

Quarto loco ideò hanc opinionẽ probo; quia talis qualitas eſt poſsibilis: nulla enim dabitur contradictio, aut impoſsibilitas, vt ex ſolutionibus argumentorũ patebit. Deinde; quia iſte impaſsibilitatis modus non ſolùm eſt omnium perfectiſſimus; cum fiat per formam poſitiuam, intrinſecam inhærentem, & à beatitudine animæ emanantem: ſed etiam eſt connaturalis tùm Deo agenti, cui connaturale eſt agere mediante cauſa formali: tùm ipſi corpori, vt glorioſum eſt: iam verò quod perfectiſsimum eſt, & ſtatui beatifico connaturale, eſt beatis tribuendum. Denique hic dicendi modus eſt intellectu facilis, & ad difficultates diſſoluendas accommodatiſsimus.

Tandem ideò mihi placet hæc opinio; quia cæteri dicendi modi non ſatis ſunt accommodati, vt in ſequenti §. oſtendemus. 22. Vltima confirmatio.

§. 3.

Impugnantur cæteri dicendi modi.

Oportet igitur oſtendere cæteros dicendi modos non ſatis eſſe accõmodatos ad oſtendẽdam corporis glorioſi intrinſecam, & perfectam impaſsibilitatem. Quod facilè oſtendemus, ſi ſingulos breuiter percurramus. Quod attinet ad primum dicendi modũ, quem poſt D. Bonauenturam approbauit *Palatius in locis in 1. opinione citatis:* illum nec recentiores communiter recipiunt, nec antiquiores. Ex recentioribus in terminis eum non recipit *Salas in dicta ſect. 17. n. 139. pag. 611. col. 1. §. Suppono quintò; nec eum recipit Suarius in d. diſp. 48. ſect. 2. pag. 917. col. 1. A:* nec ego eum recipio. Primò; quia hæc opinio ſi quid concludit ſolùm cõcludit corpus glorioſum eſſe impaſsibile à ſuis proprijs, & intrinſecis principijs, ſuiſque qualitatibus; cum in ipſo ſint redactæ ad æqualitatem, vel quoad pondus, vel quoad iuſtitiam. Iam verò hæc primarum qualitatum æqualitas licet fortè excludat actionem, & paſſionem mutuam inter ſe, & proinde inferat non poſſe corpus ab ipſis corrumpi: non tamen infert corpus illud non poſſe pati, corrumpique ab aliquo agente extrinſeco; nempe ab igne, aliove corrumpente vel naturali, vel ſupernaturali: etenim æqualitas primarum qualitatũ quoad iuſtitiam fuit in Adamo in ſtatu innocentiæ: & tamen ab extrinſeco agente pati, & corrumpi pòterat. Ob quam rationẽ vtraque iſta æqualitas indiget forma aliqua intrinſeca, quæ impediat actionem extrinſeci agentis, ne per illam diſſipetur, atque diſſoluatur, vt diximus ſuprâ lib. 4. in quæſt. an in corpore glorioſo dentur primæ quatuor qualitates?

23. Impugnantur cæteri dicendi modi.

Impugnatur primus modus.

Salas. Suar.

Fundamentum.

¶ Sed nec recipiendus eſt ſecundus dicendi modus, qui Palatio maximè placuit: nam licet admittamus materiã ideò eſſe principium non eſſendi, corruptioniſvè; quia habet appetentiam alterius formæ ab ea, à qua actuatur, vt ex Philoſophia ſupponimus: non tamen admittimus talem appetentiam poſſe à materia, 24. Impugnatur ſecũdus modus dicendi.

etiam diuinitus auferri, niſi per aliquam perfectionem, diſpoſitionemvè poſitiuã, qua ipſa materia ab intrinſeco reddatur incapax ad recipiendam aliquam alterationem, paſsionemvè, quæ ad corruptionem propriæ formæ diſponat, vt ex *Auguſtino, & D. Thoma oſtendimus* §. 2.

25. Annotatio. Pro cuius maiori explicatione aduertimus duobus modis poſſe aliquid dici incorruptibile: vno modo ſecundum naturam: altero modo ſecundum gratiã. Priori modo dicitur incorruptibile, quod vel caret materia, ſicut Angelus; vel quia habet materiam, quæ ad vnam tantùm formam eſt in potentia, ſicut corpus cœleſte apud doctrinam D. Thomæ. Poſteriori modo ſunt incorruptibilia, quæ cum ſecundum ſuam naturam ſint corruptibilia, fiunt tamen incorruptibilia per gratiam, vel ab extrinſeco ex parte efficientis; vel ab intrinſeco ex parte formæ, vt colliges ex *D. Thoma* 1. *p. q.* 97. *artic.* 1. *in corp. & art.* 3. *ad* 1. D. Thom. Quare cum corpus glorioſum ſecundum ſuam naturam ſit corruptibile; vtique ſecundum ſuam naturã habebit appetentiam alterius formæ. Oportet igitur vt hæc appetentia ab eo diuinitꝰ auferatur, ſicut hęc opinio fatetur: auferri autem non poteſt per ſolam gratiam ab extrinſeco aſsiſtentem: quia hæc licet impediat actum corruptionis; non tamen aufert ipſam corruptibilitatem ſecundum naturam, vt omnes admittunt. Ergo neceſſario debet auferri per aliquã formam in ipſo corpore intrinſecè exiſtentem, qua materia reddatur incapax ad recipiendam alterationem, quę ex ſua natura ad corruptionem diſponat. Quare vt admittamus authoribus huius opinionis impaſsibilitatem corporis glorioſi ſumendam eſſe ex eo, quod materia illius diuinitus orbata eſt appetentia alterius formæ (hoc enim in omni opinione admittendum eſt:) nõ proinde admittemus hanc impaſsibilitatẽ formaliter non cauſari ex diſpoſitione aliqua poſitiua, qualitatevè inhærente in ipſo corpore: quia appetentia alterius formæ, quæ datur in materia ſecundum ſuam naturam ſumpta, ab ea auferri non poteſt, niſi per qualitatem ſupernaturalẽ corpori ſuperadditam, vt oſtendimus.

26. ¶ Tertius dicendi modus, ſiue vno, ſiue altero modo explicetur ab omnibus reijcitur tanquam omnino improbabilis: eum reijciunt D. Thomas, D. Bonauent. Abulenſ. Sot. Suarius, & Salas cum cæteris, quos citauimus ſuprà §. 1. in tertia opinione: nos etiam eam vt verè improbabilem reijcimus, ſiue illa intelligatur de materia, quę ſit aliqua pars ſubſtantialis materiæ cœleſtis; in quo ſenſu communiter intelligitur: ſiue de materia, quæ ſit aliqua qualitas propria cœleſtis corporis; in quo ſenſu hanc ſententiam probauit Alenſis teſte Suario in d. diſp. 48. ſect. 2. pag. 916. col. 1. §. *Poſterior ſenſus.* Impugnatur tertius modus dicẽdi.

Si hęc opinio in priori ſenſu intelligatur (ſcilicet de materia quæ eſt pars ſubſtantialis corporis cœleſtis) non ſolùm eſt improbabilis in Philoſophia, ſed etiã in fide non ſatis eſt tuta, vt colligitur ex *D. Thoma in* 4. *diſt.* 44. *q.* 2. *ar.* 1. *quæſtiunc.* 1. *& ex Soto in* 4. *diſt.* 49. *q.* 4. *art.* 5. *pagina* 624. *col.* 2. § . *Tertia ergo opinio, & ex Suar. in d. diſp.* 48. *loco citato, col.* 1. *A. B.* Pro cuius explicatione illud aduerto, opinionẽ illam duobus modis explicari: vno modo, vt materia illa ſit connaturalis corpori humano, veniens in naturalem illius cõpoſitionem: altero modo, vt illa non ſit humano corpori connaturalis, & ideò nõ ſit in corpore mortali, ſed ſolùm in corpore iuſti reſurgentis: in vtroque enim ſenſu ab authoribus explicatur. Si explicetur in priori ſenſu, eſt omnino improbabilis in Philoſophia: ſi verò in poſteriori, non ſolùm in Philoſophia eſt improbabilis, ſed etiam in fide parùm tuta. 27. D. Thom. Sotus. Suarius. Aduertentia.

Quod opinio illa in priori ſenſu ſit apud Philoſophos paradoxa, ex eo primùm oſtenditur, quia communis Ariſtotelis, & Philoſophorum Philoſophia nullam aliam in corpore humano ſubſtantialem compoſitionem admittit, niſi ex quatuor elementis: corpus enim hominis in hoc conuenit cum cæteris corporibus mixtis: quare talis humani corporis compoſitio non ſolùm paradoxa eſt, & inaudita, ſed etiam commentitia. Deinde materia cœleſtis eſt ſpecie diuerſa à materia ſublunari, vt communior ſententia affirmat, & admittunt huius opinionis authores. Iam verò ſicut materia ſublunaris nõ poteſt ſubſtantialiter vniri cum forma cœleſti: ita nec materia cœleſtis ſubſtantialiter vniri poteſt cum forma ſublunari, vt cum ea faciat vnum ſubſtantiale cõpoſitum, 28. Opinio in primo ſenſu eſt improbabilis. 1. ratio. 29. 2. ratio.

Concludit. poſitum, vt docet cōmunis Philoſophia: quam probant *Conimbricenſes lib. 1. de Cœlo. cap. 2. q. 6. art. 5. ad quartum.* Quæ doctrina non poteſt non eſſe veriſsima, ſi ſupponatur duas iſtas materias ſpecie eſſe diſtinctas. Anima igitur humana nullo modo poterit informare talem materiā.

3. Ratio. Tertio obijcitur, quoniam ſequeretur hominem non eſſe vnum compoſitū per ſe, quod naturali Philoſophiæ repugnat: ſequela oſtenditur: nam cum iſta materia cœleſtis ſit alterius ſpeciei cum materia horum inferiorum, vt ſupponimus; non poteſt talis materia conſtituere vnā materiam cum materia elementari corporis humani. Quare anima humana non vnam informabit materiam, ſed plures ſpecie inter ſe diſtinctas: quod vel eſt impoſsibile, vt plures exiſtimant: vel repugnat vnitati ſubſtantialis compoſiti: Etenim ſi vna, & eadē forma plures materias ſpecie, vel numero diuerſas informaret, non vnum reſultaret ſubſtantiale compo-

Fonſec. ſitum, ſed plura; vt ex Philoſophia ſupponimus cum *Fonſec. in 5. Metaph. cap. 4. q. 4. ſect. 5. pag. 265. & 266?*

31. 4. Ratio. Quarto accedit, quoniam materia illa cœleſtis incapax eſſet alterationis corruptiuæ: ergo ſi ab anima informaretur, non poſſet ab ea naturaliter ſeparari; & ita fieret vt anima rationalis non poſſet naturaliter manere ſeparata ab omni materia, quod & Philoſophiæ repugnat, & fidei. Quod ſi admittas animam poſſe à tali materia ſeparari, ſicut per mortē naturaliter ſeparatur à materia elementari, cum talis materia ſine forma ſaltem naturaliter non poſsit exiſtere, illa naturaliter informaretur forma cadaueris, alijſq; formis, per ipſius cadaueris reſolutionē, quod in Philoſophia inauditum eſt, & fictitium: quare nullo modo dici poteſt, materiam iſtam cœleſtem venire in naturalem humani corporis compoſitionem.

32. Opinio in 2. ſenſu eſt parum tuta in fide. Quod opinio illa in poſteriori ſenſu ſit, & in Philoſophia improbabilis, & in fide parum tuta facilè oſtenditur. Etenim ſi materia illa in ſubſtantialem compoſitionem corporis reſurgentis veniret, non ſolum ſequeretur non reſurgere eundem

Opinio. numero hominē, qui cecidit, ſed nec reſurgere hominem eundem ſpecie: Vtrūque eſſe contra fidem patet ex ijs, quæ late docuimus *in lib. 4. præcedente,* vbi oſtendimus Fidem Catholicam docere, in generali mortuorum reſurrectione non ſolùm reſurgere eundem numero hominem, qui fuit in via, ſed etiam eundē ſubſtantialiter hominem. Sequela verò euidenter patet ex ijs, quæ in tertia confirmatione prioris partis immediate diximus. Etenim anima rationalis in reſurrectione informaret plures materias, non ſolùm numero, ſed ſpecie diuerſas: ergo homo reſurgens non eſſet vnus, & idem homo, ſed plures, vt in eodem argumento oſtendimus: imò nec eſſet vnus homo ſpecie, cum eo, qui vixit, ſiquidem ſubſtātialiter conſtaret ex materijs ſpecie diuerſis; quæ diuerſitas ſatis eſt, ad conſtituēdum compoſitum diuerſæ ſpeciei, vt ex Philoſophia ſupponimus.

Deinde ſequeretur impaſsibilitatem non fore tribuendam virtuti Chriſti, ſed virtuti naturali huius materię cœleſtis, vt arguit *D. Tho. in d. diſt. 44. loc. cit.* Sequela probatur, quia licet cœleſtis illa materia ſupnaturaliter donetur corpori glorioſo; impaſsibilitas tamen illius naturaliter oritur ex naturali illius materiæ virtute, ſi verā ſunt, quæ docet hæc opinio. Etenim ideò hanc cœleſtem materiam in corpore glorioſo ponit, vt per illius incorruptibilitatem ipſum corpus reddat incapax omnis corruptiuæ alterationis. Conſequens autem eſſe contra fidem ſatis conuincunt verba Pauli 1. Corinth. 15. *Factus eſt primus Adam in animam viuentem: ſecundus Adam in ſpiritum viuificantem: qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.* Et ad Philip. 3. *Ipſe reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Vt omittamus, quod ſicut cæteræ dotes virtuti Chriſti tribuuntur, vt de ſingulis oſtendemus: ita & dos impaſsibilitatis eidem virtuti tribuenda eſt. Nam cum ſupernaturalis ſit non poteſt cauſari à virtute naturali, ſed à ſola ſupernaturali. 33. 2. Ratio. D. Thom. 1. Cor. 15 Ad Philip. 3.

34. Concluſio. Ex quibus iam patet portionem iſtam cœleſtis materiæ in corpore glorioſo, tanquam impaſsibilitatis cauſam, non ſolùm in Philoſophia improbabiliter admitti, ſed etiam in Theologia temerariè contra fidem: quia non ſolùm repugnat cum vera corporis humani generatione, & corruptione, ſi ponatur illi connaturalis, ſed etiam cum fide reſurrectionis, ſi ſolùm in corpo-

Vltima impugnatio. corpore glorioſo admittatur, vt doctiſsime aduertit Suar. vbi ſuprà. Quibus ego addo, hanc opinionem ex eo etiam eſſe reijciendam, quia materia iſta cœleſtis efficere non poteſt impaſsibilitatē, ad quā cauſandam confingitur. Etenim ſi rem iſtam diligenter expendamus, nullo modo poteſt corpus glorioſum reddere impaſsibile: quod aduertit *D. Thom. in 4. diſt. 44. loco citato, & poſt eum aduerterunt Sot: & Suar.* D. Thom. Sotus. Suar.

35. Etenim materia iſta non poteſt materiæ elementari ſuam impaſsibilitatem communicare, niſi aut eam trāſmutando in naturam cœleſtem; aut ita illi prædominando, vt eam faciat ab intrinſeco incapacem alicuius paſsionis corruptiuæ: nec enim alius modus excogitari valet. Iam verò certiſsimum eſt, materiam iſtā cœleſtem, nec poſſe elementarem in ſeipſam ſubſtantialiter tranſmutare; quia hoc ſolius eſt diuinæ poteſtatis: nec ſi poſſet, de facto eam trāſmutaret; quia de fide eſt, corpora glorioſa eſſentialiter eſſe humana: humana autem non eſſent, niſi ſubſtantialiter eſſent elementaria: de quo multa diximus in 4. lib præcedente.

36. Quod verò cœleſtis iſta materia non ita prædominetur elementari, vt eam naturaliter reddat incapacem omnis corruptiuæ paſsionis ex eo probat D. Tho. quia cum tali dominio natura corporis glorioſi ſemper manet elementaris: iam verò ab elementari natura nulla virtute naturali auferri poteſt, aut prima, & eſſentialis capacitas ad recipiendam corruptiuam alterationem (quia hæc, cum ſit eſſentialis, nec auferri poteſt, nec aufertur per ſupernaturalem qualitatem quam admittimus, cum glorioſum corpus ſemper ſit corruptibile ſecundum naturam) aut capacitas proxima, cum iſta ad primam, & radicalem capacitatem naturaliter cōſequatur; vnde niſi ſupernaturaliter auferri nō valet. Et hæc eſt vera huius reſolutionis demonſtratio, qua confirmatur fundamentum D. Thomæ: quæ enim à Suario adducitur, ſumpta ex diuerſitate, tùm vtriuſque materiæ, tùm quantitatis, & ſitus, tùm denique diſpoſitionum, parum habet efficaciæ.

37. Hæc ſatis ſuperque conuincunt tertiū iſtum dicendi modum eſſe reijciendum, ſi nomine materię intelligatur pars aliqua ſubſtantialis corporis cœleſtis. Sed nec recipiendus eſt, ſi nomine cœleſtis materiæ intelligatur aliqua qualitas corpori cęleſti propria, quamuis in hoc ſenſu hūc dicendi modum eſſe tolerabilem affirmet Suarius: quod benè aduertit *Salas in dicta ſect. 17. pag. 610. col. 2. §. Sed fictio hæc.* Suarius. Salas. Etenim fere omnia, quæ adducuntur cōtra partem ſubſtantialem materiæ cœleſtis, adduci etiam poſſunt contra iſtam cœleſtem qualitatem. Nam paradoxum eſt in Philoſophia, corpus humanum conſtare aliqua qualitate corpori cœli propria: Ariſtoteles enim, & omnes Philoſophi, ſicut in cæteris corporibus ſublunaribus nullam admittunt qualitatem cœleſtem, ſed ſolas elementares: ita nec in humano corpore. Cui argumento eſt, quod in corpore humano non maior reperitur reſiſtentia ad paſsiones corruptiuas, quam in cæteris miſtis: imò minor reſiſtentia reperitur in eo, vt docet experientia. Iam verò ſi in ſolo corpore humano hæc cœleſtis qualitas reperiretur, vtiq; in eo maior eſſet reſiſtentia ad corruptionem.

38. Impugnatur ſolutio. Si verò dicas, hanc cœleſtem qualitatem, nō reperiri in homine pro ſtatu vitæ mortalis, ſed pro ſtatu gloriæ poſt reſurrectionem: inde inferam impaſsibilitatē corporis glorioſi, nec ſupernaturalem eſſe, 1. Ratio. nec ſoli virtuti Chriſti eſſe tribuendam, ſed virtuti naturali huius cœleſtis qualitatis: hoc autem non eſſe tutum in fide iam oſtendimus. 2. Ratio. Accedit etiam, quoniā nulla qualitas propria corporis cœleſtis poteſt corpus glorioſum reddere incorruptibile ab intrinſeco. Etenim ipſum corpus cœli per nullam ſuam qualitatem formaliter ſit incorruptibile, ſed per ſolam ſuam materiam, apud eos, qui eam à materia ſublunari ſpecie diſtinguunt: hæc enim ſicut ex ſua natura ſolum eſt potentia receptiua huius formæ cœleſtis: ita ſolùm eſt potentia receptiua harum qualitatum, & nullo modo earum, quæ habent contrarium. Porrò ſi nulla qualitas cœleſtis ex ſua natura corpori cœleſti tribuit impaſsibilitatem, quomodo poterit eam tribuere corpori elementari? & hęc dicta ſint pro impugnatione huius tertiæ opinionis.

39. Impugnatur quartus modus. ¶ Sed nec admitti debet quartus dicendi modus, qui Soto probatur, vt corporis glorioſi impaſsibilitas præciſe oriatur ex perfectiſsima informatione, qua anima beata

beata corpus informat, quæ ex eo, quod ab anima immobiliter beata procedit, ſeipſa ſit immobilis, & abſque alia qualitate ſuperaddita faciat corpus ipſum incapax cuiuſcumque paſsionis corruptiuæ. Hũc dicendi modum reijci ab alijs Theologis etiam Thomiſticæ ſcholæ teſtatur *Suar in dicta diſp. 48. ſect. 2. pag. 916. col. 2. in fine: vbi latè eam impugnat, maximè pag. 917. col. 2. §. Supereſt ergo.* Eundem etiam impugnat Salas *vbi ſuprà pag. 610. colum. 2. §. Supponimus etiam.* Cum quibus ſtatuimus impaſsibilitatem corporis glorioſi ſumi non poſſe ex ſola perfectiſsima informatione, qua anima beata corpus informat, ſed aliunde eſſe ſumendam.

(*Suarius. Salas.* — Concluſ. cõtra illũ dicẽdi modum.)

40. (expenditur ratio ſumpta ex Suario) Et quidem hæc Soti opinio euidenter impugnaretur, ſi informatio animæ ad corpus eſſet de eſſentia hominis, quæ eſt opinio Suarij. Nam ſi ipſa informatio eſſet homini eſſentialis, vtique eadẽ eſſet in corpore glorioſo: & nõ glorioſo: eſſẽtialia enĩ in vtroq; hominis ſtatu abſq; vlla variatione ſunt eadẽ: alioqui homo in vtroque illo ſtatu eſſet eſſentialiter aliꝰ. Porrò ſi in vtroq; ſtatu informatio eſſentialiter eſt eadem, cum in ſtatu viæ corpus hominis non reddat impaſsibile, ſed benè conſiſtat cum illius paſsibilitate, vtique nec in ſtatu Patriæ corpus reddet impaſsibile. Etenim idem manens idem ſemper facit idem. Quare ſi admittamus informationem animæ eſſe de eſſentia hominis, dici non poteſt impaſsibilitatem corporis glorioſi oriri ex ipſa præciſa informatione, qua anima corpus informat.

41. Quare ſi admittamus informationem animæ eſſe eſſentiam hominis, dici nõ poteſt impaſsibilitatẽ corporis glorioſi præciſe oriri ex ipſa informatione. (Non recipitur.) Porrò ſuppoſitio non eſt omnino certa: ſequeretur enim hominem reſurgere eſſentialiter diuerſum. (1. Impugnatio.) Etenim anima non eadẽ informatione informaret corpus reſurgens, qua illud in vita informauit, ſed diuerſa, vt ſupponimus: quare licet anima ſit de eſſentia hominis, ipſa tamen informatio non eſt de illius eſſentia, ſed ſolùm eſt conditio neceſſaria, vt anima hominẽ eſſentialiter componat. (cõfirmatur) Cui illud etiam eſt argumento, quod actualis informatio eſt formalis cauſalitas, qua anima, & corpori, & toti homini formaliter tribuit eſſe humanum, vt idem *Suarius* (*Suarius.*) *fatetur in citato loco, & in Metaph. diſput. 15. ſect. 6. num. 7. & docent Conimbricenſes 2. Phyſic. cap. 7. q. 8. art. 1. & Fonſec. in 5. Metaph. c. 2. q. 2. ſect. 2. in principio.* (*Conimbr. Fonſeca.*) Iam vero cauſalitas cauſæ formalis licet realiter ſit idem cum cauſa formali, ab ea tamen diſtinguitur, tanquam modus illius, vt cum communiori Philoſophia oſtendimus *1. tom. lib. 1. q. 6. art. 6. §. 2. num. 9.* Modus autem entis nulli enti poteſt eſſe eſſentialis, vt ex Philoſophia ſupponimus.

42. (Vera impugnatio.) Vera igitur impugnatio ex eo ſumenda eſt, quod informatio, qua anima corpus informat non ſuſcipit magis, & minus: ergo non poteſt magis, & minus informare corpus, ſed illud ſemper æque perfectè informabit. Ergo ſi in via informatio ſecundum ſe ſumpta non facit, vt à nullo agente contrario vinci valeat, vtique, nec id præſtabit in Patria. Hæc vltima conſequentia ex eo videtur euidẽs, (Probatio vltimæ cõſeq.) quia cauſa eodem modo ſe habens, ſicut ſemper habet eandem formalem cauſalitatem, ita ſemper habet eundem formalẽ effectũ: quare ſi informatio in via æque perfecta eſt, atq; in Patria, profecto ſi in via non eſt inuencibilis à contrariò agente, nec in Patria erit inuincibilis.

43. (Probatio 1. conſeq.) Prima verò conſequentia etiã eſt nota: nam ſi informatio ex ſua natura non ſuſcipit magis, & minus, vtique non poterit magis, & minus informare, ſed ſemper informabit æqualiter.

44. (Probatio antecedentis.) Porro antecedens ex eo probatur, quoniã informatio, qua anima corpus informat, eſt quædam vnio ſubſtantialis, qua anima ſeipſam totam præbet, & coniungit corpori, vt cum cõmuni Philoſophia diximus *1. tom. lib. 1. q. 6. a. 5. §. 5. n. 31.* Id autem quod ſubſtantiale eſt, non ſuſcipit magis, & minus; & quod ſemper ſe totũ præbet, non poteſt nunc magis, nunc minus ſe præbere: quare informatio formæ ſubſtantialis nõ ſuſcipit magis, & minus: & per conſequens non poterit anima humana magis, & minus informare corpus. Cum verò hoc ſubſtantialiter habeat, nõ poterit beatitudo animæ illius naturam mutare; & per conſequens, ſi in via non habet, quod à nullo contrario vincatur; vtique nec id habebit in Patria; vnde ab ea, vt præciſè eſt informatio ſubſtantialis non poterit ſumi impaſsibilitas corporis glorioſi.

Acce-

45. glia impugnat io. Accedit etiam, quoniam ex hac opinione infertur, impaſsibilitatem per ſe tribuendam eſſe virtuti naturali ipſius animæ; quod non eſt admittendum. Sequela probatur, quoniam licet admitteremus, animam beatã ratione ſuæ beatitudinis perfectiſsimè informare corpus, talis tamen informatio, quantumcunque perfectiſsima, ſemper eſſe, ab anima, quaten⁹ ex ſua natura eſt actus corporis: vnde virtute ſua naturali corpus informaret. Nullus enim vnquam dixit, in reſurrectione nõ naturaliter, ſed ſupernaturaliter corpori vniri. Nam licet diſpoſitiones ad vnionẽ neceſſariæ modo ſupernaturali inſint in corpore: illis tamen poſitis, anima non ſupernaturaliter illi vnitur, ſed naturaliter. Quare talis informatio non cauſabitur à beatitudine animæ, ſed naturaliter ab ipſa anima. Quin potius informatio illa ſupponitur in corpore, vt dos impaſsibilitatis à beatitudine animę redundet in corpus, quod in hac quæſtione cõtra Sotum eſt diligenter aduertendum: inde enim infertur, beatitudinem animæ non cauſare in corpore impaſsibilitatem mediante actuali informatione, cum illam ſupponat, vt poſsit in eo impaſsibilitatem cauſare.

46. Opinio iſta non eſt D. Thom. Ex quo diſſolutum manet fundamentum Soti: cuius opinio non poteſt tribui D. Thomæ, ſi diligenter expendantur, *quæ §. 2. ex D. Thoma adduximus. Etenim in 4. diſt. 44. q. 2. a. 1. quæſtiun. 1.* expreſſè docet dominium, quod anima beata habet in corpus, prouenire ex aliqua perfectione ab anima in corpus emanante; quã perfectionem docet eſſe diſpoſitionẽ corpori inhærentem, vt ſcribit *1. p. q. 97. art. 1.* Imò docet perfectionem illam eſſe formam accidẽtariam in corpore receptam, vt affirmat *in 4. diſt. 49. q. 4. artic. 5. quæſtiuncul. 3.* Iam verò informatio qua anima informat corpus, nec eſt corporis perfectio, nec diſpoſitio corpori inhærens, nec forma accidentaria in corpore recepta.

47. Impugnatur ſi modus dicendi. ¶ Quintus etiã dicendi modus non eſt recipiendus; qui impaſsibilitatem corporis glorioſi ad imperium voluntatis ipſius beati, tanquam ad veram, & propriam cauſam reducit: quam opinionem non recipit *Sal. in d. ſect. 17. pag. 612. col. 1. in ſecũda opinione,* nullo tamen contra eam addu- *Salas.* cto fundamento. Ego tamen hanc opinionem ideo non recipio, quia ex ea ſequitur, corpus glorioſum non eſſe impaſsibile ab intrinſeco, id eſt, per aliquid in ipſo exiſtens, ſed ſolùm ab extrinſeco. *Impugnatio huiuſ opinionis.* Etenim dominium illud datum voluntati animæ beatæ, vt nihil niſi ex illius imperio pati poſsit, ſicut nihil poteſt agere, niſi imperante voluntate, non eſt in ipſo corpore, ſed in anima. Vnde corpus ipſum non ideò dicetur impaſsibile, quia nihil pati poteſt ab aliquo contrario, ſed quia nullum contrarium poteſt ei approximari, vt in illud agat, niſi voluntate imperante. Hoc autem arguit corpus glorioſum ex ſe aptum eſſe pati à cõtrario, ſi contrarium ſua actione illud pertingat. Solùm igitur erit impaſsibile ab extrinſeco, quæ fuit ſequela: cuius tamen oppoſitum ex *Auguſtino, & alijs latè oſtendimus ſupra art. 2. §. 2.* Quod fundamentum eſt efficaciſsimum apud eos, qui volunt impaſsibilitatem conuenire corpori glorioſo per aliquid poſitiuum intrinſecum illi; quam opinionem in hoc articulo ſupponimus.

Nec admittendum eſt hanc opinionẽ eſſe de mente D. Thomæ, quicquid Suarius oppoſitum ſcribat in dicta diſpu. 48. ſect. 2. in 5. opinione. Etenim in locis §. 2. adductis ſatis docet, corpus glorioſum fieri incorruptibile per aliquam diſpoſitionem, & formam accidentariam in eo inhærentem: dominium autem, quod voluntas beati habet in corpus non eſt forma inhærens in eo, ſed in anima; Imo idẽ D. Tho. in 4. diſt. 44. art. 1. quæſtiun. 1. ad finem corporis ſcribit, Animam corpori dominantem illi dominari per diſpoſitionem, qua corpus ab anima perficitur. 48. Opinio iſta non poteſt tribui Diu. Thom.

¶ Sextus, & vltimus, dicendi modus relatus ſupra §. primo in quarta opinione, in tertio modo dicendi licet in ſe ſatis ſit ingenioſus, & ſubtilis, & Suario cenſeatur probabilis, non videtur tamen recipiendus, ſi ea, quæ de actione cõſeruatiua docent Philoſophi benè expẽdãtur. Pro cuius explicatione ſupponendum eſt, in hac difficultate non eſſe ſermonem de actione per accidens conſeruatiua naturalium qualitatum corporis glorioſi, quaſi hæc actio ideò dicatur cõſeruatiua naturaliũ qualitatum, quia eas protegit à contrarijs, aut illis reſiſtendo, au: 49. Non recipitur ſextus dicẽdi modus. Non eſt ſermo de conſeruatione per accidens.

aut ea remouendo: etenim talis actiua cõſeruatio non tollit à re conſeruata intrinſecam paſsibilitatem, imô eam ſupponit. vnde propriè non eſt conſeruatio, vt idẽ *Suarius fatetur in Metaphyſic. diſp. 21. ſect. 3. num. 2.* Sermo igitur eſt de actione per ſe conſeruatiua, quæ per ſe poſita eſt in influxu poſitiuo directè terminato ad eſſe, quod qualitates illæ naturales in ſua reproductione conſecutę ſunt.

Suarius.

50. Nec eſt ſermo de conſeruatione mediate. *Suarius.* *Conimbr.*

Pręmittendum eſt ſecundo cauſas effectiuas dupliciter dici conſeruare ſua effecta, vt idem *Suarius loco citato aduertit, & aduerterunt Conimb. 2. Phyſi. c. 7. q. 10. ar. 2. cõcl. 2. pag. 291.* Vno modo ĩmediatè, & ꝓximè per ꝓpriã actionẽ, quo modo luminoſum cõſeruat lumen, quod produxit; altero modo mediate, & remote, quia ſcilicet ea in eſſe iam habito ſuſtentat per virtutem, & diſpoſitionem à ſe impreſſam, & in ipſis effectis relictam; quomodo ignis dicitur conſeruari à ſuo generante, quia ſcilicet illi calorem, ſiccitatem, cæteraſque qualitates, quibus cõſiſtit, ſua actione cõtulit. In hac igitur quæſtione: non inquiritur de conſeruatione mediata, & remota; quia in hoc ſenſu hęc opinio cum noſtra coincideret: admittimus enim animam beatam ſuo corpori communicare ſupernaturalem qualitatẽ, qua, & ipſum corpus, & naturales eius qualitates in ſuo eſſe naturali, quod per actionem in reſurrectione acceperunt, immobiliter conſeruat. Quare in hac quæſtione ſolùm inquiritur de actione immediate conſeruatiua primarum qualitatũ, ita vt à nullo cõtrario vinci queant.

51. Non placet iſte dicendi modus 1. fundamẽtum.

Opinio igitur in hoc ſenſu explicata, nec mihi placet, nec placuit pleriſque Theologis, nec placere poteſt ijs, qui volunt actionem conſeruatiuam non poſſe non eſſe eãdem cum actione productiua: quam opinionem aliquibus placuiſſe teſtatur *Fonſec. in 7. Metaphyſicor. capit. 7. quæſtio. tertia, ſectio. 7.* Etenim actio conſeruatiua, qua anima beata conſeruaret qualitates natúrales corporis glorioſi nõ poteſt non eſſe diſtincta ab actione, qua in reſurrectione in eodem corpore productæ ſunt. Etenim illarum reproductio immediatè facta eſt à Deo, cui ſoli conuenit reparatio hominis mortui: actio verò conſeruatiua apud Authores huius opinionis ĩmediatè fit ab anima beata. ¶ Sed hoc fundamentum non eſt ſufficiens ad huius opinionis expugnationem, quoniã licet actio productiua, & conſeruatiua ſit vna actio ſola ratione diſtincta quando vtraq; eſt ab vno, & eodem agente: tamẽ quando ab vno res producitur, ab alio verò conſeruatur, actio cõſeruationis eſt diſtincta ab actione productiua, vt verior habet opinio, de qua *Fonſ. in d. ſect. 7. pag. 311. col. 2. §. Media igitur, & latê Suar. in d. diſp. 21. ſect. 2. in 1. dicto, n. 3. & in dicto 2. nu. 9.* Quæ opinio nõ poteſt non probari, ſi ſemel ſupponamus, immediatam rerum conſeruationem non fieri à ſolo Deo, ſed etiam ab agente creato.

Fonſec.

Non recipitur opinio. *Fonſec.* *Suar.*

Eadém etiam opinio placere non poteſt ijs, qui volunt ſolum Deum effectiuè conſeruare eas formas, quæ educuntur de potentia materiæ; quã ſententiam pluribus placuiſſe teſtantur *Fonſec. vbi ſuprà ſect. 8. pag. 312. in princ.* quam eſſe probabilem affirmat *ibidem ſect. 9. in princ.* Quare cum qualitates naturales corporis glorioſi ex ſua natura educantur de potentia materiæ, non poſſunt immediatè conſeruari ab anima beata, ſed à ſolo Deo. Et quanuis hoc fundamentũ, non ſatis ſit efficax, quia oppoſitũ cõmunius eſt, & ꝓbabilius teſte eodẽ *Fonſec. in dicta ſect. 9. quem etiã ſequuntur Conimbricenſ. 2. Phyſic. capit. 7. q. 10. artic. 2. concluſ. 2. pag. 291. & ſatis eſt de mente D. Thomæ 1. p. quæſt. 104. artic. 2.* tamen non paruam habet efficaciam contra Suarium huius opinionis authorem. Etenim in Metaphyſic. diſput. 21. ſectio. 3. in reſolutione quæſtionis, non ſolùm probat, nullam ſubſtantiam creatam in ſuo eſſe ſubſtantiali pendere in conſeruari à cauſa creata; ſed etiam num. 10. probat, præter lumen, ſpecies intentionales, actus vitales, & motum, cætera accidentia à ſolo Deo conſeruari: qua ſententia ſuppoſita, nec corpus glorioſum, quoad ſuum eſſe ſubſtantiale, nec qualitates naturales illius poſſunt in conſeruari immediatè pendere ab anima beata, ſed à ſolo Deo.

52. Aliud fundamentum. Non placet. *Fonſec.* *Conimb.* *D. Thom.* Efficax eſt ad hominẽ.

53. 1. Impug.

Tertio loco poteſt hęc opinio ex eo impugnari, quoniam formæ, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, quæ educuntur de potentia materiæ, non poſſunt immediatê cõſeruari à ſubſtantijs creatis immaterialibus. Sed qualitates naturales corporis glorioſi ex ſua natura educuntur

è potentia materiæ: ergo non poſſunt immediatê conſeruari ab anima beata. Conſequentia eſt nota, quia anima eſt ſubſtantia quædam immaterialis: Minor verò in Philoſophia eſt indubitata: porrò maior expreſsè ponitur à Suario *in Metaphi. in dicta diſputa. 21. ſectio. 3. numero quinto.* Vbi hanc concluſionem ſtatuit, tanquam indubitatam: *Subſtantiæ corruptibiles non pendent in conſeruari à ſubſtantijs creatis immaterialibus*: quod verò idem dicturus ſit de formis accidentarijs corruptibilibus, euidenter colliges ex fundamento, quo vtitur. Etenim concluſionem à ſe ſtatutam ex eo confirmat, quod ſubſtantiæ immateriales non poſſunt ſua actione educere formas de potentia materiæ, quæ eſt recepta à Theologis ſententia, vt teſtantur *Conimbricenſ. 1. Phyſic. cap. 9. quæſt. 12. art. 3. pag. 204. §. Iam vero communis ad finem.* Ergo nec poterũt efficere illarum conſeruationem: quam conſequentiam ex eo probat, quia eadem eſt ratio de conſeruatione formæ, atque de productione eius. Cuius probationis efficaciam facilê intelliges, ſi expendas actiuam conſeruationem nihil aliud eſſe quam continuationem actionis, qua conſeruans dat eſſe rei conſeruatæ, vt docet *Diuus Thomas prima parte, quæſtione 104. artic. 1. ad quartum.* Vnde cõſeruare rem nihil aliud eſt, quam cõtinuare actionem, qua rei tribuitur eſſe, vt docent Conimbricenſ. 2. Phy. c. 7. q. 10. ar. 1. in principio. Cum verò formæ, quæ educuntur de potentia materiæ accipiant eſſe per actionem eductiuam illarum de tali potentia; ſi actio illarum productiua eſt eductiua illarum de potentia materiæ, vtique actio conſeruatiua (qua actio productiua continuatur) non aliter conſeruabit formas illas, quam eas de potentia materiæ educendo: ob quam rationem Philoſophi docent, conſeruationem harum formarum formaliter eſſe eductionem illarum de potentia ſubiecti, vt habes apud *Fonſec. in dicta quæſtio. tertia ſectio. 10. pagin. 318. F.* Valet igitur hæc conſequentia, *Subſtantia immaterialis non poteſt ſua actione efficere eductionem formarum de potentia materiæ: ergo nec poterit efficere earum conſeruationem.* Quare anima beata: cum ſit ſubſtantia immaterialis, non poterit conſeruare qualitates naturales corporis glorioſi: hæ enim non conſeruantur niſi per actionem, quæ eductionem de potentia materiæ continuet.

Suar.

Conimbr.

54.

D. Thom.

Fonſec.

Si verò reſpondeas, Philoſophiam illam communem eſſe intelligendam de ſubſtantijs immaterialibus ſecundum ſuam naturalem virtutem, non verò ſi diuinitus eleuentur, ſicut eleuatur anima beata, dum Deus illi virtutem conſeruatiuam concedit: ſi, inquam, ita reſpondeas, iam inquiram, per quid nam anima beata ad talem poteſtatem eleuetur? Vel enim eleuatur per aliquam virtutem ſupperadditam; vel per ſolùm ſpecialem Dei concurſum. Si cum Suario dicas eam non eleuari per ſuperadditam aliquam virtutem, ſed per ſpecialem concurſum Dei: inde inferam, animam beatam ad talem actionem conſeruatiuam concurrere, non vt cauſam principalem, ſed vt Dei inſtrumentum: quod licet admittat Suarius, non eſſe tamen admittendum efficaciter oſtenditur. Quoniam ex doctrina Auguſtini probata à Diuo Thoma, dotes corporis emanant ab anima beata, & ab ea effectiuè effluunt: vnde in beatitudine animæ virtualiter continentur. Quidquid enim ab aliquo naturaliter emanat; & effectiuè cauſatur, virtualiter continetur in eo, vt eſt recepta Philoſophia. Dotes igitur corporis glorioſi non emanant ab anima beata, vt ab inſtrumento, ſed vt à cauſa principali: aliter enim virtualiter nõ continerentur in ipſa animæ beatitudine. Etenim iuxta receptam Philoſophiam, effectus, nec formaliter, nec virtualiter, ſiue eminenter continetur in cauſa inſtrumentali, ſed in ſola principali, vt cum Alexandro, Commentatore, Diuo Thoma, cæteriſque Philoſophis oſtendimus *in ſecundo tomo libr. 10. quæſtio. ſecunda artic. 9. §. quinto num. 56. & 57.* quam Philoſophiam in terminis probarunt Fonſeca, & Conimbricenſes, ibidem citati: non eſt igitur admittendũ, animam beatam ad poteſtatem illam actiuè conſeruatiuam naturalium qualitatum eleuatã, vt inſtrumentum Dei, & per conſequens, nec eleuari per ſolum Dei concurſum: cum verò ex ſententia Suarij non eleuetur per aliquam virtutẽ ſuperadditã (in quo à nobis recipitur) nõ eſt admittendũ, in anima beata dari poteſtatem

55. Expenditur ſolutio huius argu.

Non placet hæc opinio

Dotes corporis non emanant ab anima beata vt ab inſtrumento Dei.

teſtatem actiuam, vt ſua actione conſeruet naturales qualitates corporis glorioſi.

56. 4. Impugnatio. Quarto loco ex eo impugnabitur hæc opinio, quia probabiliſsimũ eſt, nihil poſſe rem aliquam actiuè conſeruare in eſſe quod ab alio accepit, ſi rem illam producere non poteſt: iam verò anima beata ſicut non potuit ſeipſam actiuè reunire corpori etiam debite diſpoſito, nec actiuè ſuum corpus reſuſcitare, vt omnes fatentur, ita non potuit in ſuo corpore actiuè reproducere naturales illius qualitates. Ergo non poteſt actione conſeruatiua illas conſeruare.

57. Poſtrema impugna. Poſtrema impugnatio non ſine probabilitate ſumi poteſt ex eo quod talis animæ poteſtas, quam fingit hæc opinio non poteſt non eſſe ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam: quomodo igitur concurret actione conſeruatiua, quæ ſecundum ſubſtantiam eſt naturalis? Etenim ſicut potentia entitatiuè ſupernaturalis nõ poteſt producere effectum, niſi entitatiuè ſupernaturalem: ita nec poteſt agere, niſi per actionem ſupernaturalem entitatiuè. Iam verò hæc actio conſeruatiua naturalium qualitatum corporis glorioſi cũ realiter ſit idem cum ipſis qualitatibus (quia omnis actio identificatur cum ſuo termino, vt vera habet Philoſophia) non poteſt non eſſe entitatiuè naturalis. Obiectio. ¶ Neq; huic Philoſophiæ obijci poteſt, quod Deus nõ concurrit ad reſurrectionem, vt agens naturale, ſed vt ſupernaturale, & tamen actio reproductiua hominis mortui cũ terminetur ad ens naturale, eſt entitatiuè naturalis: Solutio. non obſtat, inquam; quoniã Deus quamuis ad reproductionẽ hominis ſimpliciter non concurrat, vt purus Author naturæ; nõ concurrit tamẽ vt Author ſimpliciter ſupernaturalis, ſed ſolùm vt ſupernaturalis quoadmodum, quod ſupponimus, alibi diligentius expendendum.

58. Reſolutio. Expugnatis omnib' opinionibus, noſtræ reſolutioni contrarijs, à ſufficienti partium enumeratione ſatis confirmata maneat noſtra opinio, quæ aſſerit, corpora glorioſa formaliter fieri impaſsibilia per qualitatem poſitiuam ipſi corpori ſuperadditam, qua intrinſecè redditur impaſsibile. Quare ſolùm ſupereſt, hanc opinionem ab aduerſariorum argumentis liberare.

§. 4.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.

SVpereſt explicare argumenta, quę in contrarium adducuntur. Primo loco obijcit *Scotus in 4. diſtinct. 49. q. 13. litera C. §. Contra hoc*: quoniam talis qualitas non eſt cœleſtis: ergo erit, vel elemẽtaris, vel propria alicuius mixti; & ſubinde non impediet omnem contrariã actionem, ſicut qualitates, aut elementorum, aut mixtorum omnem contrariam actionem impedire non valent. 59. 1. Argum.

Hoc tamen argumentum futile eſt: quia qualitas illa debet eſſe ſupernaturalis, vt docent *Capreol. in 4. diſtinct. 44. quæſtio. 2. art. 3. ad argumenta Scoti fol. 168. colu. 4. Soncin. ibid. quæſt. 2. ad argumenta Scoti contra tertiam, Ferrarienſis in 4. contra gentes capit. 86. fol. 492. columna. 4. §. Pro horum ſolutione, & ſatis eſt de mente D. Thomæ in quarto diſtinct. 43. quæſt. 1. ar. 1. quæſtiuncula 3. expreſsit Henric. quodlib. 9. quæſtio. 16. conſentit Suar. in dicta diſput. 48. ſectio. 2. in 6. opinione*, dum ait qualitatem iſtam eſſe ordinis ſuperioris, & ideo nulli corpori eſſe connaturalem; probat Salas *in d. ſectione 17. numero 143.* Quæ ſententia ex eo euidenter confirmatur, quia iſta qualitas fluit ab anima beata; vt donata eſt beatitudine eſſentiali. 60. Solutio. *Capreol. Soncin. Ferrar. D. Thom. Henric. Suar. Salas.*

Secundo obijcit Scotus, quoniam omnes formæ eiuſdem ſuſceptiui ſunt eiuſdẽ rationis, ex *Ariſtotele 5. Phyſi. text. 33. & 10. Metaph. text. 22.* Sed qualitas iſta recipitur in eodem proximo ſuſceptiuo, in quo cæteræ recipiuntur: ergo erit eiuſdẽ rationis cum illis: quare cum cæteræ non prohibeant omnem contrariam paſsionem, nec iſta omnem prohibere poterit. 61. 2. Arg. *Ariſtot.*

Sed nec hoc argumentum vim habet, quoniam maior ſolum eſt vera in formis ordinis naturalis; falſa autem in formis, quarum aliæ ſunt ordinis naturalis, aliæ ſupernaturalis, quamuis in eodem ſubiecto recipiantur, vt docet *Capreol. vbi ſuprà.* Etenim, quæ ſunt ordinis naturalis, ſunt in naturali potentia ſubiecti; quæ verò ſupernaturales ſunt, ſolùm ſunt in potentia obedientiali. 62. Solutio.

Tertio obijcit idem Scotus, quoniã illa qualitas, aut repugnat alijs qualitatibus, 63 3. Argum.

aut nõ repugnat. Si repugnat, erit eiuſdẽ rationis cum illis, & per cõſequens ſicut illæ non impediunt omnem contrariã actionem, ita nec iſta omnem impediet. Si verò non repugnat, nullam contrariã actionem poterit impedire, & per cõſequẽs nec poterit reddere impaſsibile ipſum corpus glorioſum.

1. Solutio. ¶ Ad hoc argumentũ prima ſolutio ſumi poteſt ex Capreolo loco citato, vbi admittit qualitatem iſtã nõ repugnare alijs qualitatibus, cum in eodem corpore ſecũ admittat naturales, & elemẽtares qualitates. Ad impugnationem reſpondet fieri poſſe, vt forma alteri nõ repugnans actionẽ illius impediat.

64. Non recipitur. Sed ſolutio nõ videtur ſatis philoſophica; quia ad impediendã actionem à ſubiecto, aliqua repugnãtia requiritur.

2. Solutio. ¶ Eſt igitur ſecunda ſolutio, vt iſta qualitas alijs qualitatib⁹ nõ repugnet, formali, & cõtraria repugnãtia, qualis datur inter qualitates cõtrarias:

An detur repugnantia effectiua? benè tñ repugnãtia effectiua, quaten⁹ ſua effectiua qualitate, quã exercet circa diſpoſitiones, & temperamentũ cõplexionis corporis glorioſi impedit ne alia agentia circa eaſdẽ diſpoſitiones aliquã actionem exerceant; quę effectiua reſiſtentia datur inter Angelũ, qui vel aliquod corpus mouet ad vnũ locum, vel illud in aliquo loco ſiſtit, & Angelũ inferiorẽ, qui tale corpus in aliũ locum nititur mouere, aut dimouere ab illo in quo à ſuperiori ſiſtitur. Etenĩ influxus ſuperioris Angeli licet nullã habeat formalem repugnantiã ad influxum alterius minoris efficaciæ, habet tamẽ repugnantiã effectiuã, ideò quia maioris eſt efficacię ad mouendũ ad locum A. quã ſit efficacia alterius ad mouendũ in locum B. Eodẽ modo ignis ſua præſentia effectiuè cõſeruans calorem à ſe productũ, eadẽ actione effectiua reſiſtit aquę, q̃ nititur talẽ calorẽ à ſubiecto effectiuè expellere. Suppoſita hac opinione, ad argumentũ dicendũ eſt, qualitatem iſtã repugnare cæteris qualitatib⁹ repugnantia nõ quidẽ formali, ſed effectiua: hæc autem non infert qualitatem iſtã eſſe eiuſdẽ rationis cũ cæteris qualitatibus; hanc enim identitatem ſolũ infert repugnantia formalis.

65. Suarius. Non placet Solutio. ¶ Hæc ſolutio placuit Suar. *in 4. diſp: 48. ſect. 2. pag. 920. col. 2. B.* Sed ideò mihi nõ placet, quia ſupponit qualitatem iſtam nõ cõſeruare formaliter illas naturales qualitates, ſed ſolũ effectiuè, quod placere non poteſt, ſicut nec placuit opinio, quod anima beata habet poteſtatem effectiuè cõſeruatiuã iſtarũ qualitatum, quã ſupra nõ admiſimus. Et quãuis in bono ſenſu opinio illa admittenda ſit, nõ tamen admittendũ eſt, qualitatem iſtã ab anima beata productã actiuè influere in illas qualitates, quoniã agens ſuum effectũ producit mediante cauſa formali, ita vt quod agens actiuè cauſat, formaliter cauſet forma mediante qua agit, vt patet in igne, qui facit calidũ mediãte calore à ſe producto: calor enim non actiuè influit in calidum, ſed formaliter: quare cum anima beata actiuè conſeruet qualitates naturales ſui corporis mediante iſta qualitate, vt noſtra habet opinio à Suario probata, qualitas iſta non actiuè influet in illas, ſed formaliter.

Vera igitur ſolutio ſit, qualitatem iſtã ad alias qualitates non habere formalem repugnantiã, quæ eſt per oppoſitionem contrariã formæ ad formam, qualis datur inter calorem, & frigus: habere tamen repugnantiam materialem, quæ in eo eſt poſita, vt per eam corpus glorioſum formaliter reddatur incapax ad recipiendã formam, actionemque corruptiuam, quæ materialis repugnantia reperitur in materia corporis cœleſtis, ſi eſt eiuſdem ſpeciei cum materia inferiorum. 66. 3. Est vera ſolutio. Etenim qualitates cœleſtes repugnãt formis inferiorum, & eorum qualitatibus, non quidem repugnantia formali, quia illis non contrariantur, ſed repugnantia materiali, quatenus ex eo quod contrarium non habent: reddunt materiam illã incapacem, & impotentem, ad recipiendas inferiorũ formas. Simili modo opacitas corporis opaci repugnat, tùm lumini, tùm ſpeciebus viſibilibus, non repugnantia formalis contrarietatis; quia nec lumen, nec ſpecies viſibiles habent contrarium, ſed repugnantia materiali, quatenus materiam illam reddit incapacem ad tales formas: denique durities per ſe reſiſtit diuiſioni partium; non reſiſtentia formali, quia non contrariatur diuiſioni, ſed materiali tantum, quatenus reddit materiam naturaliter impotẽtem diuidi. Eodẽ igitur modo dicendum eſt de iſta qualitate, quam admittimus. Ad argumentum igitur dicimus: hanc qualitatem repugnare cæteris qualitatibus corruptiuis, non formaliter, quia illis non contrariatur,

ſed

ſed materialiter, quia corpus glorioſum
formaliter reddit inhabile ad recipiendas
qualitates corruptiuas, earumq; actiones:
in quo ſenſu inſtantijs Scoti nullus datur
locus. Hæc ſolutio placuit *Ferrarienſi vbi*
ſuprà. fol. 192. col. 4. §. ad ſecundum eiuſdem
quam etiam probat Salas *in dict. ſect. 17. pag.*
613. col. 1. poſt principium.

Quarto loco obijcit Aureol. apud Ca-
67. 4. Argum. preol. vbi ſuprà fol. 167, col. 4. in medio,
quoniã ſi iſta qualitas tollit omnẽ paſsibi
litatẽ corruptiuã, aut eam tollit auferẽdo
actionẽ agenti: aut paſsionẽ materiæ. Nõ
primo modo, quia à virtute actiua agẽtis
actio ſeparari nõ poteſt, ſi adeſt paſſum:
nec 2. modo, quia ex Cõment. 2. de cœlo,
cõmento 121. pati eſt propria paſsio, pro
prietasq; materiæ. ¶ Sed argumentũ eſt
Solutio. ſatis debile: quoniã qualitas iſta à corpore
glorioſo tollit omnẽ paſsibilitatẽ, nõ qui-
dem tollendo ab agente actiuã virtutem,
& à materia potentiã paſsiuã; ſed impe-
diendo ne agens agat in tale corpus, & ne
materia recipiat talẽ actionem; idq; quia
corpus illud reddit incapax ad recipien-
dã actionem corruptiuã. Etenim nec agẽs
poteſt agere, niſi in paſsũ ſuſceptiuũ ſuæ
actionis; nec materia pati poteſt à quocũq;
agente, ſed à determinato. Vnde nec age
re in quodcũq; ſubiectũ eſt ꝓpria paſsio
agentis: nec pati, & recipere actionẽ agen
tis cuiuſcunq; eſt propria paſsio materię.
Capreol. *Vide Capreol. vbi ſuprà, fol. 169. col. 4. ad 2.*

Quinto obijcit idem Aureol. quoniam
corpus glorioſum eſt cõpoſitum ex ele-
68. 5. Argum. mentis; ergo nõ poteſt ab eo auferri poſſe
pati, & corrumpi: hoc enim per ſe ſecun-
do modo conuenit corpori ex elementis
cõpoſito. Sed nec hoc argumentum vllã
vim habet, quoniã licet à corpore ex ele-
mentis cõpoſito non poſsit auferri intrin
ſeca, & naturalis paſsibilitas, & quod ex
ſua natura habeat potentiam ad pati: hæc
tamen potentia poteſt intrinſecè ligari ne
D. Thom. poſsit in actum exire, vt docet *D. Thom.*
Capreol. *in 4. diſt. 44. q. 2. art. 2. quæſtiun. 1. ad 2. &*
probant Capreol: vbi ſupra in d. col. 4. ad 3.
Ferrar. *& Ferrar. loco citato, fol. 943. col. 1. in prin.*

Sexta obiectio eſt Durandi in 4. diſt.
69. 6. Argum. 44. q. 4. ar. 2. quoniam ſicut paſsibilitas, &
corruptibilitas conuertuntur; ita impaſ-
ſibilitas, & incorruptibilitas, ſed incorru
ptibilitas beatorũ non eſt in illis per ali-
quam inhærentem qualitatem: ergo nec
impaſsibilitas. Maiorem ſupponit, mino-
rem verò ex eo probat, quoniã incorrup-
tibilitas poſt reſurrectionem cõmunis eſt
beatis, & dãnatis; quia dãnati etiam ſunt
incorruptibiles: ſed incorruptibilitas non
conuenit dãnatis per aliquam qualitatẽ, vt
omnes admittunt: ergo nec per qualita-
tem cõueniet beatis. Probatur cõſequen
tia, quoniã effectus cõmunis requirit cau 70.
ſam cõmunem. ¶ Ad hoc argumentum Solutio.
reſpondent *Palud. in 4. diſt. 44. q. 2. n. 32.* Palud.
& Capreol. ibidem q. 2. ar. 3. ad 2. Durandi, Capreol.
fol. 170. col. 1. & Ferrar. vbi ſuprà fol. 493. Ferrar.
col. 1. §. Ad ſecundum. Facilè ſoluitur ſi ne
getur maior, quæ verè neganda eſt ex
his, quæ diximus art. 1. §. 2. vbi diſtinxi-
mus duplicem incorruptibilitatem; vnã
ſubſtantialẽ, quæ ſolã mortem excludit:
alterã ſubſtantialẽ, & accidentalẽ, quæ &
mortem, & quãcunq; diſpoſitionem ad eã
excludit. Prior eſt incorruptibilitas ſub- Duplex incorruptibilitas.
ſtãtialis ſolũ excludens ſubſtãtialem cor
ruptionẽ: poſterior ſimpliciter eſt incor
ruptibilitas; quia non ſolũ excludit corru
ptibilitatẽ ſubſtantialem, quę fit per mor
tem, ſed etiã accidentalem, quæ fit per ac-
tiones coruptiuas ad interitũ aliquo mo-
do diſponentes. Prior datur in damnatis,
vnde poteſt ſimul eſſe cũ doloribus, paſ-
ſionibuſq; corruptiuis, vt ex Patribus lo-
co citat. oſtendimus: vnde licet reſurgant
incorrupti, non tamẽ immutati à paſsioni
bus viæ. Poſterior ſolùm datur in beatis,
qui, & reſurgent incorrupti, & ſimul im-
mutati atque liberi ab omni corruptione
viæ; quare non valet conſequentia ab in-
corruptibilitate damnatorum ad incorru
ptibilitatem beatorum; nec poteſt dari
vna communis cauſa vtriuſque.

7. Obiectio eſt Durãdi, quoniã impaſ- 71.
ſibilitas eſt effectus priuatiuus; ergo non 7. Argum.
requirit cauſam poſitiuam, qualis eſt iſta Solutio.
qualitas. ¶ Ad hoc argumentum quidã
admittunt, impaſsibilitatem eſſe effectũ
priuatiuum: addunt tamen priuatiuum
effectum directè non poſſe habere cau-
ſam poſitiuam; tamen habere poſſe po-
ſitiuam cauſam ad quam ſequatur pri-
uatio: impaſsibilitas igitur ſequitur ad
hanc qualitatem. Ita *Palud. in dicta q. 2. n.*
27. Capreol. vbi ſuprà fol. 170. col. 1. ad 4. &
ſatis eſt de mente D. Tho. in 4. diſt. 44. q. 2.
ar. 1. quæſtiun. 2. dum ait, impaſsibilitatẽ
conſiderari poſſe, ſecundũ ſe, & ſecundũ

ſuã cauſam: quare cum admittat eam ſecundum ſe importare priuationẽ, ſatis admittit effectum priuatiuum poſſe habere cauſam poſitiuã, ad quã ſequatur, nõ primo, & immediatè quaſi ſit primus terminꝰ actionis; ſed mediatè, & ex conſequenti.

72. 2. Solutio melior. ¶ Melius tamen reſpondebis ex ijs, quæ Logici docent de potentia, & impotentia, quæ ab Ariſtotele in prædicamentis ponitur ſecunda ſpecies qualitatis. Dices igitur impaſsibilitatem in hac quæſtione non accipi pro priuatione paſsibilitatis: ſed pro forma, qua corpus beati redditur incapax ad recipiendam in ſe actionem corruptiuam: hæc enim incapacitas, tanquam quædam impotentia ſupernaturalis, vt pati nequeat, eſt forma, & qualitas poſitiua, ſicut etiã impotentia apud Ariſtotelẽ *in dicto cap. de qualitate*, dicit qualitatem, qua ſubiectum redditur impotens pati à contrarijs. Nam ſicut ex Ariſtot. 9. Metaph. cap. 1. Subiectum poteſt cedere contrarijs per aliquam potentiam, quę ſit vera qualitas: ita per aliquam impotentiam, quæ ſit qualitas poteſt reſiſtere omni contrariæ actioni, reddendo ſubiectum poſitiuè incapax cuiuſcũque actionis, paſsioniſuè corruptiuæ.

Ariſt.

73. 8. Argum. Octauo loco quidam obijciunt, quia vix poteſt intelligi, quomodo vna, & eadem qualitas poſsit reſiſtere qualitatibus contrarijs, calori (inquam) & frigori.

Solutio. 1. ¶ Ad hoc argumentum nonnulli reſpondent, nihil cogere vt ad impaſsibilitatem vnam tantum qualitatem admittamus, ſed poſſe admitti plures, ſi ad reſiſtendũ omnibus cõtrarijs nõ ſufficit vna qualitas Ita *Suar. in d. diſp. 48. ſect. 3. pag. 920. col. 2. A. & Salas in d. ſect. 17. pag. 613. col. 1. poſt principiũ*, vbi admittit in corpore beato aggregationem qualitatum, ita vt vna reſiſtat frigori, alia calori, &c. Vterque tamen probabile putat, vnam tantũ qualitatem ſufficere, quæ omni contrario reſiſtat. Verum Suar. ita vnam admittit, vt illa non in eodem gradu, & perfectiõne ſit in omnib. membris corporis beati; ſed ita vt in vno gradu admittat tale tẽperamẽtũ, & nõ aliud: in alio verè gradu admittat aliud: & eodẽ modo dicet iſtã qualitatẽ nõ eodẽ gradu reſiſtere frigori, & calori, ſed alio, & alio. Sed nõ eſt, quod laboremus, quomodo vna qualitas poſsit õni actioni reſiſtere, ſed hoc diuinæ ſapientiæ relinquamus: ſatis nobis ſit, nullã dari repugnantiã, ſi vna & eadẽ ſupernaturalis qualitas corpus glorioſum reddat incapax cuiuſcunq; actionis contrariæ, cum illud tale nõ reddat incapacitate formali per formalẽ cõtrarietatẽ, ſed incapacitate materiali, quæ impedit nõ formaliter reſiſtendo, ſed reddendo ſubiectũ paſsiuè impotens.

Suar. Salas.

2. Solutio.

74. 9. Argum. Nono alij obijciunt, quoniã iſta qualitas ſupernaturalis ſimul eſt cum contrarijs qualitatibus, ex quibus conſtat naturalis corporis glorioſi cõplexio, & temperamentum: cur igitur impediet, vt aliæ contrariæ qualitates ab extrinſeco imprimãtur? ¶ Neganda eſt tamen cõſequentia, propter diſparem rationẽ, quæ in qualitatibus intrinſecè cõponentibus cõplexionem, & in cæteris ab extrinſeco venientibus, reperitur. Etenim, quæ inſunt ab intrinſeco, cũ ſint redactæ ad temperamentum, vel põderis, vel iuſtitiæ, vt diximus in lib. præcedente, vel nullã poterunt actionem habere, vel ſaltem nullã corruptiuã: qualitates verò contrariæ ab extrinſeco venientes nõ poſſunt nõ facere corruptiuã alterationẽ: & inde eſt, vt qualitas iſta impaſsibilitatis ſecũ admittat qualitates intrinſecas, repugnet tñ extrinſecis.

Solutio.

75. Poſtremũ argum. Poſtremo obijcitur, quoniã impaſsibilitas corporis glorioſi non ſolũ ab eo excludit actionẽ corruptiuã per alterationẽ, ſed etiã per diuiſionem: imò etiam excludit violentiam localem, quia impedit ne corpus beatum de loco ad locũ violenter transferatur, ſed nec habet non poſſe diuinitus diuidi, nec poſſe violenter de loco ad locum transferri per aliquã qualitatẽ poſitiuam: ergo nec per eã habet, nõ poſſe pati ab actione corruptiua. ¶ Hoc argumentum duplicem tangit difficultatẽ: vnam, an corpus glorioſum per qualitatẽ impaſsibilitatis habeat non poſſe diuidi: alterã, an per eandem habeat nõ poſſe de loco ad locum cõtra voluntatẽ transferri.

Solutio.

76. 1. Solutio. Quod attinet ad primam, illi nõ datur locus, ſi quis cum nonnullis dicat, corpus beatũ ex impaſsibilitate non habere non poſſe diuidi, ſed ex ſubtilitate, quæ fuit opinio *D. Bon[illegible]. & aliorũ quos citabimus q. 6. quã non omnino reijcit Suar. in d. diſp. 48. ſect. 3. ad fin.* Verũ quia oppoſita opinio verior videtur, quæ hãc impotentiã diuiſionis tribuit impaſsibilitati, ad argumentũ negãda eſt minor. Etenim quãtitas corporis

2. Solutio.

poris cęleſtis ex eò hbet non poſſe diuidi, quia per ſuas qualitates contrarietatis expertes ſit incapax, omnis actionis corruptiuæ, etiam eius, quæ ſit per diuiſionem. Idem igitur dicendum eſt de corpore beato, vt ideò ſit expers diuiſionis, quia eſt impaſsibile. Quam opinionem vt veriorem probat *Salas in d. ſect. 17. pagina 613. col. 2. poſt principium, & in eam magis videtur inclinare Suar. vbi ſup. & videtur eſſe de mente Paludani in d. q. 2. n. 31. & Capreol. loco citato ad 1. Aureoli, fol. 169. col. 4.*

Salas. Suarius. Palud. Capreol.

77. ¶ Quod attinet ad ſecundam difficultatem, illi reſpondent *Paludan. & Capreol. in locis immediatè citatis, & Ferrar. in 4. contra gentes c. 86. fol. 492. col. 2. §. Ad primum Aureoli.* Ex quibus prima ſolutio erit, impotentiam illam localem corpori beato non conuenire ex impaſsibilitate. Et ratio eſt, quia hæc violentia per ſe non cauſat corruptionem, cum tamen impaſsibilitas per ſe detur vt ſubiectum à corruptione præſeruet. Si inquiras, à quonam ille effectus proueniat? Reſpondet Ferrarienſis prouenire ex extrinſeca Dei protectione. Secunda ſolutio admittit impaſsibilitatis qualitatem ab hac locali violentia etiam præſeruare: etenim vt ait Ferrar. ſicut vt aliquid ſit ſuſceptiuum alicuius formæ actione agentis, requiritur, vt ſit diſpoſitum & capax talis formæ: ita etiam vt aliquid ſit mutabile de loco ad locum, requiritur vt ſit capax talis motus. Quare ſicut per aliquam qualitatem poteſt corpus reddi inhabile ad ſuſcipiendam aliquam formam ab agente; ita etiam per aliquam qualitatem poteſt reddi incapax moueri ab aliquo mouente. Ad argumentum igitur admiſſa maiore neganda eſt minor, quatenus habet, corpus glorioſum non habere impaſſibilitatem per aliquam qualitatē ne violenter localiter moueatur. Cum verò obijcitur inde ſequi corpus glorioſum fieri fortius in reſiſtendo, quàm quælibet potentia creata in agendo: admittendum eſt conſequens, ſi ſermo ſit de reſiſtentia nō formali, ſed materiali; hoc enim nullum eſt inconueniens, quia poteſt forma ſupernaturalis poſitiuè indiſponere materiam. & eam reddere inhabilem ad ſuſceptionem actionis motiuæ à quacunque virtute creata. Vtraque ſolutio eſt probabilis.

Ad 1. difficultatem. *Palud. Capreol. Ferrarien.* 1. ſolutio. 2. ſolutio. *Ferrar.* Ad obiectionem.

ARTICVLVS IIII.

An impaſsibilitas corporis glorioſi in omnibus ſit æqualis? — An ſit æqualis?

1\. 1. opinio. *Angles. Salas.*

IN hac quæſtione variæ ſunt ſententię. Prima ſimpliciter aſſerit impaſsibilitatem in omnibus beatis eſſe æqualē. Ita *Ioſephus Angles in florib. de Beatitud. art. 5. difficult. 1. Quam ſententiam vt veriorem ſatis probat Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 5. ar. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 17. ad finem.* Ad eandem fortè accedent, qui volunt impaſſibilitatem conuenire ab extrinſeco, ſcilicet ex diuina aſsiſtentia, & protectione. Eandem ſatis videtur probare *Gloſſa ad illa verba 1. Corint. 15. Surget in incorruptione.* Vbi affirmat, hoc quod eſt pati non poſſe, in omnibus eſſe æquale. Hanc aſſertionem non omnes eodem argumento probant. Nam Angles ex eo illam probat, quia impaſsibilitas ſignificat negationem, ſiue priuationem: negatio autem ſiue priuatio non ſuſcipit magis & minus. Qui vero impaſsibilitatem ponunt in diuina protectione, inde hanc opinionem confirmant, quia diuina aſsiſtentia eſt æqualis in omnibus, cum Deus ab omnibus omnia in vniuerſum lædentia remoueat. Salas verò fundamentum ex eo ſumit, quia effectus impaſsibilitatis æqualis eſt in omnibus beatis: qualitas enim quam admittimus, omnes beatos æqualiter reddit incapaces, & inhabiles ad recipiendum in ſe actionem cuiuſcunque cōtrarij agentis; quod videtur eſſe fundamentum Gloſſæ ordinariæ.

Gloſſ. ord. Fundamentum Angl. Fundamētum aliorum. Fundamentum Salæ.

2\. 2. opinio.

Secunda opinio huic opponitur, & ſimpliciter docet impaſsibilitatem non eſſe æqualem in omnibus. Et ratio eſt, quia dotes corporis glorioſi dantur ad menſuram meritorum: merita autem nō ſunt in omnibus æqualia. Ita refertur de *Horontio l. 11. cap. 40.*

Horont.

3\. 3. opinio.

Tertia opinio eſt veluti media, quæ docet impaſsibilitatem vel ſumi poſſe ſecundum ſe, vel ſecundum ſuam cauſam. Primo modo cum ſit quædam priuatio, in omnibus erit æqualis. Secundo autem modo non in omnibus æqualis eſt, quia cauſa impaſsibilitatis in his eſt maior, in illis vero minor. Ita *D. Thom. in 4. diſtin. 44. q. 2. ar. 1. quæſtiunc. 2. & Abul. in c. 17. Matthæi q. 113. Suar. 2. tom. ad 3. p. diſput. 48. ſect. 3. in fine. Valent. tom. 4. diſp. 11. q. 5. punct. 1. ad finem. Pezantius in additionibus*

D. Thom. Abulen. Suar. Valentia. Pezant.

Fundamentum. *bus ad* 3.*p.q.*82.*ar.*2. Fundamentum eſt, quoniam impaſsibilitas ſecundum ſe eſt priuatio, & ſubinde ſemper æqualis; non tamen talis erit ſecundum ſuam cauſam, quia cauſa illius ſuſcipit magis & minus, tùm ratione meritorum, tùm ratione gloriæ, tùm ratione dominij animæ in corpus, ex quo habet qualitas, quæ eſt formalis impaſsibilitas, quod in his ſit intenſior, in illis vero minus intenſa.

4\. 4. opinio Soti. Quartam opinionem mihi facit *Sotus in* 4.*diſt.*49.*q.*4.*artic.*5.*pag.*627.*col.*1.§. *Hinc ſit dotem impaſsibilitatis.* Vbi docet impaſsibilitatem ſecundum ſe ſumptam non eſſe priuationem, aut negationem, ſed aliquid poſitiuum, quod non eſt aliud vt exiſtimat, quam ipſa ſubſtãtialis vnio & informatio, qua anima beata perfectiſſimè vnit ſuum corpus, ex qua corpus habet eſſe incapax corrumpi: quę informatio, vt ait, non eſt maior in Virgine, quâm in minimo beato. Reſoluit igitur Sotus impaſsibilitatis cauſas eſſe poſſe inæquales, impaſsibilitatem tamen in omnibus eſſe æqualem. Vnde conſentit cũ prima opinione, & cum fundamento Salæ, & Gloſſæ ordinariæ, apud quos impaſsibilitas quoad ſe non dependet à menſura aut gloriæ, aut meritorum, quanuis vtrumque ſupponat.

5\. Auctoris ſententia. ¶ Ego hanc difficultatem ita puto eſſe diſſoluendam, vt admittendum non ſit, impaſsibilitatem ſecundum ſe & formaliter ſumptam eſſe priuationem, aut negationem, quanuis eam ex conſequenti habeat annexã. Impaſsibilitas enim formaliter eſt qualitas, quæ corpori glorioſo eſt veluti potentia ad non poſſe pati, eo modo quo durities ferri eſt quædam veluti potentia poſitiua, qua ferrum difficulter patitur diuiſionem: quam potentiam *Ariſtoteles in Prædicamentis cap. de Qualitate*, appellat impotentiam ad pati. (Ariſt.) Vide quæ diximus in *art.*3.*præcedente* §. 4.*ad* 7.*obiectionem*. Deinde ſtatuo vtrãq; partem eſſe probabilem, admiſſa qualitate impaſsibilitatis: probabiliorem tamen videri opinionem, quod non in omnibus ſit æqualis, quæ opinio probata eſt Abulenſi in d. q.113.

6\. Primam partem huius reſolutionis cum Sala ideò probo; quia nõ eſt cur in illa qualitate admitti debeat maior aut minor intenſio, cum effectus formalis illius (nempe corpus glorioſum eſſe inhabile ad pati actione corruptiua) videatur indiuiſibilis: merita autem, vt diximus, licet ſint menſura gloriæ eſſentialis, non proinde erunt menſura impaſsibilitatis, cum illa in ſe ſit indiuiſibilis intenſiuè; prærequiruntur igitur vt conditio de lege neceſſaria, non tamen vt menſura. Secundam verò partem ex eo puto probabiliorem, quia qualitas iſta emanat ab anima beata vt beata eſt, & ſubinde ab ipſa beatitudine, & gloria. Iam verò ſeruatis principijs Philoſophiæ, effectus in ſe ipſo maior eſt, & intenſior, quando cauſa eſt magis intenſa.

ARTICVLVS V. & Vltimus.

Vtrùm vſus ſenſuum tàm externorum, quàm internorum repugnet impaſsibilitati?

De hac quæſtione plurés diſputãt, & inter eos Richard. in 4. diſt. 49. art. 9. & Abulenſ. in cap. 17. Matthæi q. 114. 115. & 116. nos tamen de ea non diſputabimus, quia eam ſatis explicauimus ſuprà lib. 4. diſp. de ſenſib. internis, & externis corporis glorioſi. Videque ibi dixim^9, ne eadẽ iterũ repetamus. 1. De vſu ſenſuum.

QVÆSTIO IIII.

De Claritate corporis glorioſi.

In hac quæſtione ſequentes excitabimus articulos. Primus: vtrùm in corpore glorioſo ſit claritas? ſecundus; quid nam illa ſit? & ad quid detur? Tertius, vtrùm illa futura ſit in ſola ſuperficie externa, an vero in toto corpore? Quartus; an illa futura ſit eiuſdem rationis, & ſpeciei cum claritate Solis, aſtrorum, & elementorum? Quintus: à quonam fiat? ſextus: Vtrùm in omnibus futura ſit æqualis? ſeptimus, & vltimus; An poſsit ab oculo mortali videri? (Articuli excitandi.)

ARTICVLVS I.

Vtrùm in corpore glorioſo futura ſit claritas?

§. 1.

Referuntur errores, & argumenta pro parte negatiua.

Partem negantem non poſſunt non probare illi hæretici, qui docuerũt, corpora mortuorum non poſſe reſurgere 1. Opinio hæreticorum.

ſurgere, niſi cum mortalitate, & corruptibilitate, cæteriſque naturalibus defectibus, qui in via hominem comitantur: vnde ſimpliciter negauerunt corpora iuſtorum reſurgere cum aliqua naturali perfectione, & gloria, quos hæreticos citauim' q.1. huius libri art. vnic. §. 1. Præter iſtos non defuerunt, qui in terminis noſtræ quæſtionis negauerint, in corpore glorioſo dari perfectionem claritatis, vt refert *Abulen. in c. 17. Matt. q. 127. in princ.* — Abulen.

2. 1. argum. Huius erroris fundamenta, quæ communiter adducuntur ſunt hæc. Primum eſt: quoniam corpus luminoſum conſtat ex partibus peruijs, & tranſparentibus: partes autem corporis glorioſi non ſunt tales: ergo non poteſt eſſe luminoſum. Maior eſt Auicen. in 6. natural. Minor ex eo probatur; quoniam in aliquibus dominatur terra, vt in carnibus, & oſsibus.

3. Secundum. Secundum: corpus luminoſum occultat illud, quod eſt poſt ſe: hoc autem non conuenit corpori glorioſo; ergo, & cæt: Maior patet experientia, quia Luna occultat, & eclypſat Solem, & flamma ignis impedit viſionem eius, quod eſt poſt eã. Minor probatur ex D. Gregorio c. 28. Iob, ad illa verba, *Non adæquabitur ei aurum, nec vitrum*, vbi ita ſcribit; *Patebit corporalibus oculis ipſa etiã corporis harmonia.* — D. Greg.

4. 3. arg. Tertium: corpus glorioſum erit coloratum, vt oſtendimus lib. 4. in diſpu.. de primis & ſecundis qualitatib. Ergo non erit lucidum. Patet conſequentia: quia calor & lux diuerſam diſpoſitionem in ſubiecto requirunt: lux enim eſt extremitas perſpicui non terminati: color verò eſt extremitas perſpicui terminati.

5. Quartum. Quartum: ſi in corpore glorioſo eſſet claritas, illa eſſet æqualis in omnibus partibus illius, quod non eſt admittendum, cum quædam partes maiorem habeant conuenientiam ad claritatem, quàm aliæ.

6. Poſtremũ. Poſtremum: quoniam ſi corpus glorioſum eſſet clarum, immutaret ſenſum: quem tamen non immutat, vt patet Lucæ 24. in diſcipulis euntibus in Emmaus.

§. 2.

Affirmatiua eſt Catholica.

7. Affirmatiua eſt de fide. Pars tamen affirmatiua (quod ſcilicet in corpore glorioſo admittenda ſit claritas) & eſt de fide, & expreſſè conuincitur ex ſacris literis. Nam ad Philip. 3. dicitur, *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Matthæi 13. *Fulgebunt Iuſti ſicut Sol in regno Patris.* Cui concinit locus Sap. 3. *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arũdineto diſcurrent.* Dan. 12. *Qui autem docti fuerint fulgebunt tanquam ſplendor firmamenti.* Accedat locus Pauli 1. Corint. 15. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Vbi nomine gloriæ intelligendam eſſe claritatem ſatis cõuincitur ex verbis, quę Paulus præmiſerat, *Alia quidem cœleſtiũ corporum gloria, alia terreſtrium: alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum: ſtella enim differt à ſtella in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* In quibus verbis expendendum eſt, quod Paulus gloriam corporum cœleſtium, & terreſtriũ explicat per claritatem ſtellarum, vt idẽ ſit gloria corporis, atque corporis claritas: quare ex primis verbis ſatis colligitur iuſtos eſſe ſurrecturos cum claritate, & locum illum Patres communiter explicant de gloria claritatis: *Auguſt. ſerm. 143. de Tempore, Autor libri de cognitione veræ vitæ apud Auguſtinum c. 46. Hieron. in c. 5. Amos. Theodoret. in eodem loco Pauli, vbi etiam Ambroſ. & Anſelmus*; qui omnes vno conſenſu in corporibus Sanctorum claritatem admittunt. Addendi ſunt *Hieron. epiſt. 103. ad Paulinam. Clemẽs lib. 1. Conſtit. c. 8. Rufinus in expoſitione Symboli, Fulgent. in libro reſponſionum ad obiectiones Arrianorum, Anſelm in lib. de ſimilitudinib. c. 50. Cyrillus Hieroſolimit. catecheſi 18. Gregor. 18. Moral. c. 31. Lactant. lib. 7. diuinar. Inſtitut. c. 26. Laurent. Iuſt. in lib. de perfectione monaſticæ conuerſationis cap. 23.* vt innumeros alios omittamus in re notiſsima. Vnde etiam omittimus citationem Theologorum ſcholaſticorũ, & interpretum ſacræ ſcripturæ, qui omnes vno conſenſu hanc veritatem docent vt catholicam.

Marginal notes: Ad Phil. 3. — Matt. 13. — Sap. 3. — Dan. 12. — 1. Cor. 15. — 8. — Auguſt. — Hieron. — Ambr. — Anſelm. — Hieron. — Clemens. — Rufinus. — Fulgent. — Anſelm. — Cyrill. Ieroſol. — Gregor. — Lactant. — Laur. Iuſtin.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

9. Ad argumẽta. Argumenta in contrarium adducta petunt difficultates in ſequentibus articulis explicandas. Primũ enim petit difficultatem, an claritas iſta ſit in ſuperficie glorioſi corporis, an in toto corpo-

corpore? de qua diſputandum eſt in 3. art. in quo expendetur, an corpus glorioſum ſit tranſparens, an opacum?

Secundum petit, an corpora glorioſa intericcta impediant viſionem eorum, quæ poſt ea ſunt? quæ difficultas etiam explicabitur in d. art. 3.

Tertium argumentum petit difficultatem in 3. art. explicandam, an corpus glorioſum ſit coloratum, & lucidum?

Quartum argumentum petit quęſtionem, an claritas in omnibus beatis ſit æqualis? de qua dicendum erit in 6. art.

Poſtremum denique inquirit difficultatem in vltimo art. diſſoluendam.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit claritas, quæ in corpore glorioſo admittitur, & ad quid detur?

1. OMnes Theologi vnanimi conſenſu conueniunt, corpora glorioſa habitura fore claritatem; non tamen omnes eodem modo explicant, quęnam in illis ſit hæc claritas, vt vnus Suar. bene aduertit 2. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 48. *ſect.* 2. *in principio*. Etenim *Scot. in* 4. *diſtin.* 49. *q.* 15. §. *Reſpondeo*, docet, hanc claritatem nō eſſe aliud, quàm colorem, vt manifeſtatiuum ſui, ita vt claritas præter colorem ſolum addat & connotet quandam refulgentiam ſiue manifeſtationem, qua ſe ipſum manifeſtat: addit tamen, ſuppoſito quod corpus beati ſit ſusceptiuum lucis, in ipſo admittendam eſſe lucem veram, qua corpus ſit lucidum; ſed cum hanc opinionem ſimpliciter non teneat, ſed dubius maneat, an corpus beatum ſit ſuſceptiuum lucis, potiùs probat primam ſententiam, & eam vocat planam; quia vt corpus beatum ſit clarum, ſufficit claritas explicata ſine vlla luce. Hanc eſſe Scoti opinionem teſtatur *Tartaret. in Reportatis ad d. q.* 15. *Scoti*. Quare non eſt audiendus Ouand. in ſuo breuiloquio ad 4. ſentent. diſt. 49. propoſit. 34. §. *Claritas eſt quædam*, dùm ait Scotum docuiſſe probabiliorem eſſe ſententiam, quæ claritatē ſumit pro luce corpori glorioſo, eiuſq; colori ſuperaddita: cum Scotus expreſsis verbis non probet ſecundam iſtam ſententiam, niſi ſuppoſito quod corpus beatum ſit ſuſceptiuum lucis, de quo eſt dubius: vnde primam ſententiam ſimpliciter vocat planam, & aſſerit ſatis ſufficere colorem, vt eſt ſui manifeſtatiuus, vt corpora beata dicantur habere claritatem.

Opinio Scoti. — Tartaret. — 2. Ouandus nō auditur.

3. Simili modo non ſunt audiendi *Baſſolius in* 4. *diſt.* 49. *q.* 3. §. *Alius doctor. & Nicol. de Nijſſe in ſua reſolut. Theologica, tract.* 7. *parte* 3. *portione* 3. *q.* 4. *pag.* 629. quatenus aſſerunt Scotum cum colore ſimpliciter admiſiſſe claritatem lucis ſuperadditam, cum illam non admiſerit, niſi facta ſuppoſitione: quare Scotus potiùs probat claritatem iſtam nō eſſe lucem, qualitatemvè ſuperadditam, ſed eſſe ipſum colorem modo explicato; quomodò Scotum intellexit Tartaret. & cum eo Suarius.

Baſſol. — Nijſſe.

4. Secunda opinio fuit quorundam, qui volunt corpora beata non eſſe clara per aliquam lucem in illis exiſtentem, ſed ex eo, quod polita & terſa fulgent radijs Solis, aut alterius luminoſi: quam opinionē *Durand. in* 4. *diſt.* 44. *q.* 8. putat eſſe probabilem, & fortè probabiliorem quam oppoſitam: hæc enim (vt ait) nullam habet difficultatem, cum tamen oppoſita ſit difficillima, & ſola diuina potentia poſſibilis. Quare apud Durand. claritas iſta non eſt aliud, quàm nitor, & puritas coloris ex incidentia radiorum alicuius luminoſi relucentis.

2. opinio. — Durand.

5. Tertia opinio colligitur ex *Palatio in* 4. *diſt.* 44. *diſp.* 4. *pag.* 59. dùm ait, fortè ab aliquo dici poſſe, claritatem iſtam nihil aliud eſſe, quàm manifeſtationem Sanctorum, qua omnibus ſunt patentiſsimi.

3. opinio.

6. His tamen non obſtantibus, abſque dubio aſſerendum eſt, claritatem corporis glorioſi verè, & propriè eſſe lucem, qualitatemvè in eo inhęrentem, quæ opinio ab antiquioribus, & nouioribus tanquam indubitata ſupponitur. Eam ſupponit *D. Thom. in* 4. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 4. *expreſſe eam ſcribit* 3. *p. q.* 45. *art.* 1. *ad* 3. & *art.* 2. *in corpore*, vbi affirmat, eam eſſe qualitatem permanentem, & corpus ipſum afficientem; & idem ſatis probat, dùm ait, hanc claritatem eſſe eiuſdem naturę cum claritate Solis, vt ſcribit *in d. artic.* 4. *quæſtiunc.* 2. *ad* 1. Cum D. Thoma conſentit *Paludan. in* 4. *diſtin.* 44. *q.* 5. *n.* 6. *in fine*: ita docent *Suar. in dicta diſp.* 48. *ſect.* 2. *poſt principium*, §. *Dicendum eſt ergo. Salas* 1. *tom. ad* 1. 2. *q.* 5. *art.* 5. *tract.* 2. *diſp.* 14. *ſect.* 16. *pag.* 604. *col.* 2. §. *Sed immerito. Valent. to.* 4 *diſp.*

Vera opinio. — D. Thom. — D. Thom. Palud. Suarius. Salas. Valentia.

Palat. *diſp.* 11. *q.* 5. *punct.* 1. *pag.* 1965. §. *Clara de-*
Angles. *nique. Palat. loco cit. pag.* 59. *col.* 2. §. *Porrò*
quanuis hoc verum ſit. Angles in floribus de
Beatitud. art. 5. *difficult.* 6. Denique eſt
inter nouiores communis: quam ego pu-
to ita eſſe certam, vt oppoſita non ſit ad-
mittenda, quod inſinuat *Suar. in d. ſect.* 2.
poſt principium, dùm aſſerit Scotum, &
Durandum immerito de illa dubitaſſe,
quem in hoc probat *Salas vbi ſuprà.* An-
gles autem putat eſſe de fide, quod bea-
torum corpora habeant lucem, quemad-
modum Sol & ignis: nec ſane ſine funda-
mento, quoniam (vt benè aduertit *Salas*
7. *vbi ſuprà pag.* 604. *col.* 2.) vbi ſcripturæ
1. arg. poſſunt explicari in propria verborum
ſignificatione, & nihil vrget vt impro-
priè explicentur, nec debent, nec poſsũt
impropriè explicari, ſed propriè. Quare
cum ſacræ literæ, & Sancti Patres corpo
ribus iuſtorum claritatem ſimpliciter tri
buant, & ſplendorem, vt patet ex locis
adductis in primo art. profecto nec de-
bent, nec poſſunt explicari de claritate
impropriè ſumpta, cum nihil vrgeat vt
ad impropriam, metaphoricamq; ſigni-
ficationem recurramus: iura etiam do-
cent, & Philoſophia tradit, verba ſimpli-
citer prolata propriè eſſe accipienda. Præ
8. terea ex eo id confirmatur, quoniam ſi
2. arg. claritas ſumatur in ſignificatione impro-
pria, non poſſet in beatis eſſe perfectior,
& longè maior, quã claritas propriè ſum-
pta: etenim quod eſt impropriè tale, non
poteſt eſſe perfectius eo quod propriè eſt
tale: iam verò ex communi Patrum, &
Theologorum doctrina, claritas corporis
beati nõ ſolum futura eſt perfectiſsima,
ſed etiam longè maior, imò ſeptuplo ma-
ior quam ſit lux ſolis, vt docet D. Thom.
9. in 4, diſt. 48. q. 2. ar. 2. ad 4. ex quo etiam
3. argum. ſumi poteſt argumentum, quod claritas
iſta ſit propriè qualitas; aliàs inter eam &
claritatẽ Solis non poſſet dari maior vel
minor intenſio. Accedit etiam, quoniam
verba ſacræ ſcripturæ id videntur con-
10. firmare: etenim Matth. 13. dicitur, *Ful-*
4. arg. *gebunt iuſti ſicut Sol.* & Daniel. 12. *Fulge-*
Matt. 13. *bunt tanquam ſplendor.* Quæ aduerbia cũ
Dan. 12. ex ſua propria ſignificatione ſimilitudi-
nem denotent: hæc autem non detur in-
ter ea, quæ propriè, & impropriè ſunt
talia, non ſatis accommodatè poſſunt
duo illi loci explicari, niſi claritas, &
ſplendor iuſtorum propriè ſumatur.
His addimus, quod nulla ex adductis 11.
opinionibus eſt recipienda: nam prima 5 arg.
(quæ eſt Scoti) ſupponit colorem habe- 1. opinio
re refulgentiam ſibi propriam, qua ſine non recipit
vlla luce, ſiue lumine ſeipſum manife-
ſtet: quod nec Paulus admittit ad Epheſ.
5. dum ait, *Omnia à lumine manifeſtantur,* *Ad Epheſ.*
nec agnoſcit Philoſophia, quæ docet, ſi- 5.
ne lumine à luce emiſſo nihil videri poſ-
ſe. Secunda verò ſententia (quæ magis
placet Durand.) ex eo primum reijcien- 12.
da eſt, quia ſi claritas corpori beato ſolùm Nec 2. 1. Ratio.
conueniret ex ſola incidentia radiorum
corporis lucidi, non poſſet eſſet maior,
quam claritas eiuſdem corporis, cum per
claritatem illius ſplendeat: quod tamen
eſt contra communem Patrum doctri-
nam, & corpus Chriſti in transfiguratio-
ne longê erat lucidius, & fulgentius, quã
aer quo circundabatur, & fortè ante or-
tum Solis facta fuit transfiguratio. De- 13.
inde, quia claritas in vno beato non poſ- 2. Ratio.
ſet eſſe maior, quàm in alio, cum omnes
ab iiſdem radijs clarifierent. Cõſequens
tamen eſt contra doctrinam Pauli 1. *Co-*
rinth. 15. Tertiò, non ſemper eodem mo-
do lucerent, quia variato ſitu non eodem 14.
modo haberent radiorum incidentiam. 3. Ratio.
Quartò, quia corpus glorioſum nullam
haberet claritatem, ſi nullo circundaretur
corpore, ſicut nullo circundabitur, ſi ſe- 15.
des beatorum in ſuperficie conuexa cœ- 4. Ratio.
li empyrei ponatur, quæ multorum fuit
opinio. Nam cum in illo loco nullo cir-
cundetur aere, nulli radij ſolares ad eos
peruenient. Quinto loco accedat, quia
corpora iuſtorum nec ipſa claritate in ſe 16.
ipſis immutarentur, nec configurarẽtur. 5. Ratio.
Etenim per formam extrinſecam nihil
poteſt immutari, aut configurari: vtrũq;
tamen eſt contra *Paulum* 1. *Corint.* 15. *&*
ad Philip. 3. Sexto adhuc obijcitur, quia 17.
claritas Sanctorum non eſſet ſua, quia nõ 6. Ratio.
ineſſet in ipſis, ſed in aere lucido, contra
verba Pauli in dicto cap. 3. *Configuratum*
corpori claritatis ſuæ; & contra finem ip-
ſius claritatis: datũr enim beatis, vt ſit for
malis perfectio illorum, vt illorum cor-
pus redimatur à defectu deformitatis,
quæ corpus mortale naturaliter comita-
tur, vt cum Auguſtino oſtendimus *ſupra*
q. 2. *art.* 1. *in fine.* Cum verò deformitas
intrinſece inſit corpori mortali, profecto
clari-

claritas per quam tollitur intrinſecè in eo inerit. Quibus argumentis ſecundam opinionem merito reijciunt Paludanus, Suar. Salas, & Palatius locis citatis. Tertia opinio indigna eſt, quæ impugnetur.

2. opinio exploſa.

18. Ad quid detur claritas? Si quis inquirat, ad quidnam detur beatis iſta claritas? ex dictis patet reſponſio: datur enim vt per eam tollatur omnis deformitas, & ignobilitas corporis mortalis, vt ex Auguſtino diximus in d.q.2. Etenim ex Auguſtino, ibidem citato, deformitas, & ignobilitas ibidem tollitur per decorem, & pulchritudinem, quę ex claritate præcipuè reſultat: quod etiam colliges ex *Paulo* 1. *Corint.* 15. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*: in ignobilitate deformitatis, in gloria autem claritatis, vt ſuprà oſtendimus.

ARTICVLVS III.

An claritas corporis glorioſi futura ſit in ſola ſuperficie externa, an in toto corpore?

§. 1.

Opinio quod futura ſit in ſola externa ſuperficie.

1. QVæſtio iſta inter Theologos eſt controuerſa: cuius reſolutio pendet ex reſolutione alterius, an corpora glorioſa ſint opaca, an verò tranſparentia & peruia? Etenim ſi futura ſunt opaca, claritas ſolum erit in ſola ſuperficie externa: è contrario dicendum erit ſi fuerint peruia, & tranſparentia. Hæc igitur difficultas eſt à nobis prius explicanda, cum ex illius explicatione pendeat reſolutio eius, quæ in titulo inquiritur.

2. Quod non ſint tranſparentia. D. Bonauen. Scotus. Durand. Richard. Angles. Ouand. Palat. Sotus. Abulen.

Quod corpora beata non ſint futura tranſparentia, aut peruia, ſed terminata, & opaca probarunt *D. Bonauen. in* 4. *diſt.* 49. *in* 2. *p. ar.* 5. *q.* 1. *Scot. ib. q.* 15. *ad primū Durand. in* 4. *diſt.* 44. *q.* 8. *ſatis eſt de mente Richardi in* 4. *diſt.* 49. *art.* 4. *q.* 6. *ad* 1. *&* 2. *quamuis expreſſe id non aſſerat. Probauit Ioſephus Angles in ſuis florib. de Beatitud. ar.* 5. *difficult.* 3. *dub.* 4. *magis probat Ouand. in d. diſt.* 49. *propoſit.* 34. *dùm agit de claritate. Palatius autem de hoc manet dubius in* 4. *d.* 44. *diſp.* 4. *in fine, pag.* 61. *col.* 2. *eam eſſe probabilem putat Sot. in* 4. *diſt.* 49. *q.* 4. *art.* 8. *ad* 1. *pag.* 641. *§. Ad hoc ergo dicendum; in qua etiam ſententia eſt Abulen. c.* 17. *Matt. q.* 127. *ſi expendantur quæ ſcribit §. Dicendum quod non eſt verum, & in ſolutione primi, & tertij argumenti.*

Plura fundamenta huius opinionis referunt Suar. & Salas. Primum eſt, quia opacitas eſt qualitas naturalis corporis humani: corpus autem glorioſum habet qualitates, quæ corpori humano ſunt naturales: erit igitur opacum. Iam verò lumen in corpore opaco ſolum recipitur in extrema illius ſuperficie. 3. 1. argum.

¶ Secundū, corpus glorioſum eſt coloratum; ſed coloratum non poteſt eſſe tranſparens, ſed opacum: ergo corpus glorioſum erit opacum: & per conſequens in ſola externa ſuperficie recipiet lumen & claritatem. Vtraque conſequentia eſt nota: maiorē omnes admittunt, quam etiam latè oſtendimus in præcedente libro, in diſputatione de qualitatibus ſecundis corporis glorioſi. Minor autem probatur; quoniam ex Ariſtotele de ſenſu, & ſenſibili, color eſt in extremitate corporis terminati. 4. 2. argum.

Tertium, Corpus glorioſum emittit lumen ex ſe, quia *Iuſti fulgebunt ſicut Sol*, 5. 3. arg.
Matth. 17: ergo non erit tranſparens, ſed opacum. Conſequentia inde patet, quia quod lucet, eſt corpus terminatum; vnde quod vndique eſt lucidum, & ex ſe lucem emittit, impedit ne videatur corpus quod poſt illud exiſtit.

Quartum, quia corpus Chriſti in trāſfiguratione in qua lucebat ſicut Sol, non erat tranſparens, ſed ſolum videbatur ſecundum ſuperficiē externam: ergo corpora beatorum non erunt tranſparentia, ſed opaca: & per conſequens claritas in illis ſolum erit in externa ſuperficie. 6. Quartum.

Quintum, ſi eſſet peruium, & tranſparens, partes illius non poſſent diſtinctè videri ſecundum propria membra, propriaſque illorum figuras, ſicut videtur Sol; quod non eſt admittendum. 7. Quintum.

Poſtremò, ſi corpora glorioſa eſſent peruia, & tranſparentia, plures eſſent dotes corporis glorioſi quàm quatuor. Etenim ipſa peruietas, & tranſparentia in illis haberent rationem dotis. Conſequens tamen non eſſe admittendum patebit ex quæſt. 7. Poſtremū

§. 2.

Oppoſita ſententia eſt tenenda.

HIs tamen non obſtantibus dicendum eſt, corpus glorioſum futurum eſſe peruium, & tranſparens, 8. Oppoſita eſt vera.

&

& ſubinde claritatē illius nō ſolū futuram eſſe in ſuperficie externa, ſed in omnibus illorū partibus, etiā internis: quæ opinio inter Theologos cōmunior eſt, & verior: cum plurimorū Patrum authoritate con firmetur. Eā probauerunt *D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 4. quæſtiun. 1. ad 2. Palud. ibi. q. 5. ar. 2. concl. 2. nu. 9. vbi Supplemētū Gabr. q. 2. Maior in 4. diſt. 49. q. 19. Suar. 2. to. ad 3. p. d. 48. ſ. 2. p. 909. col. 2. & 910. col. 2. Salas 1. to. ad 1. 2. in d. ſect. 16. Argēt. in 4. d. 49. q. 1. a. 1. Alēſ. 3. p. q. 22. m. 2. ar. 1.* (D. Tho. Paludan. Supplem. Maior. Suar. Salas.)

9. (Confirmatur ex Patribus.) Hæc opinio ideo eſt tenenda, quia à Patribus expreſſe docetur: ſæpiſsimè enim docent corpora beatorū perſpicua eſſe, & tranſparentia: id ſatis exprimit Auguſt. *lib. 2. cont. Manich.* vbi agēs de corporib. beatorū aſſirmat *in perſpicuitate illorū nullos motus animi occultari*. Per motus animi intelligit corporales cordis motus. & ſenſibiles cogitationes, quæ ideo nō latēt, qa corpus quoad ōnes partes eſt trāſparens, ita vt etiā actiones internorū ſenſuum ab alijs videātur. (Auguſt.) Expreſsius id ſignificauit idē *Aug. lib. 22. de ciuit. Dei, c. vlt.* vbi poſt quā docuit omnia mēbra, & viſcera corpō ris incorruptibilis profutura in laudibus Dei, reddens huius doctrinæ rationē inquit, *Omnes quippe illi, qui nūc latēt harmoniæ corporalis numeri, tunc nō latebūt intrinſecus, & extrinſecus.* Laterēt autem ſi totū corpus nō eſſet peruiū, & trāſparens. (Auguſt.) Author etiā lib. de cognition. verę vitæ c. 45. apud Aug. to. 9. ita ſcribit; *Corpus autē ſanctorū ſurget ſpirituale, quia velocitate, leuitate, perſpicuitate, ſpiritibus erit æquale* Greg. etiā 18. Moral. c. 31. explicās illa verb. Iob 14. *Nō æquabitur ei aurū & vitrū.* Docuit, *Corda beatorū ciuiū ſibi inuicē: & claritate fulgere, & puritate trāslucere.* Deinde addit hæc verba: *Patebit corporalibus oculis ipſa etiā corporis harmonia, ſicq́; vnuſquiſq́; tunc erit cōſpicabilis alteri, ſicut nūc eſſe nō poteſt cōſpicabilis ſibi.* quod nō eſſet verū, niſi cor pus beatorum extrinſecus, & intriſecus eſſet apparens: tale autem non eſſet, niſi totum eſſet pellucidum, & transſparens. (Gregor.) Expreſsioribus verbis idem docuit Lauret. Iuſtinian. in lib. de diſcipliña, & mori bus monaſticæ conuerſationis, c, 23. vbi de corpore glorioſo ita ſcribit; *Eritque tota eius ſubſtantia corporis oculis viſibilis, ad eo vt viſcerum, cæterorumque membrorū harmonia conditoris declaret magiſterium admirandum.* Anſelm. in ſuo Elucidario pagin, 275. col. 2. affirmat, *Templa Dei* (Sāctos intelligit) *eſſe conſpicua.* Et clarius *id explicat pag. 276. col. 1. lit. A.* ita inquiens; *Ita clauſis, ſicut apertis oculis videbunt: qui bus ſingula membra, vt oculus Solis erunt: omnes ſanctos interius, exteriuſque conſpicient.* Et paulo inferius; *Suas facies, omnia membra ſua interius, & externus cernunt.* Salas pro eadem ſententia refert *Hugonem de Sancto Victore 2. lib. de Sacramentis parte 18. cap. 18. ſed nihil hac de re ſcribit. citat etiam Carthuſianum in lib. de mutua cognitione ſanctorū ar. 10. 11. & 12.* Sed hūc lib. apud Carthuſianū repirire nō potui: Sed ꝑ noſtra ſentētia cōfirmāda ſatis ſint Auguſt. Greg. Anſel. & Laurent. Iuſtinian. (Anſelm.) (Hugon.)

§. 3.

Soluuntur argumenta.

10. (Ad argum.) AD primum argumentum initio adductū multis modis reſpōdet *Suar. in d. diſp. 48. ſect. 2. pag. 910. col. 2. §. Secunda repugnantia.* Et poſt eū *Salas vbi ſupra pag. 606. col. 2. §. Ex quibus patet ad primam obiectionem.* Vera ſolutio ſit, quod corpus glorioſum nō reſurget cum omonimoda illa opacitate, & dēſitate, quā habuit in vita mortali, ſed in minori, qualis eſt opacitas, & denſitas vitri, & criſtalli, vt ſatis colliges ex illis verbis D. Gregor. *Vnuſquiſque, tunc erit conſpicabilis alteri, ſicut nunc eſſe non poteſt conſpicabilis ſibi.* Et ex verbis Auguſtini, *Harmoniæ corporalis numeri, qui nunc latent, tunc non latebunt.* (Suarius. D. Gregor. Auguſt.) Nec eſt inconueniens, quod aliqua qualitas corpori humano naturalis in reſurrectione non redeat in eodem intenſionis gradu, maximè quando ex ſe dicit imper perfectionem: nam quoad eam immutabitur: opacitas autem in ſummo denotat imperfectionem, quæ repugnat tranſparentię, quæ ex natura ſua perfectionem denotat: vnde corpori beato diuinitus tribuitur. Quo ſuppoſito argumentū vim non habet; quoniam lux naturaliter poteſt eſſe in corpore denſo, quando eſt aliquo modo peruiū, & tranſparens, vt patet in vitro, & criſtallo. Quare non video cur negem⁹, aut opacitatē eſſe qualitatem, aut eam per gloriā tolli, aut deniq; quòd diuina virtute, & per miraculū Deus cum ſumma opacitate corporis humani cōſeruet tranſparentiam, & perſpicuitatē corporis glorioſi. Nec enim decet vt in ſtatu perfe-

pfectiſsimo ppetuū miraculū admittim⁹.

13. Ad 2. Ad 2. admittimus corpus glorioſum habere colorē: negamus tamen dari omnimodā repugnantiā inter colorē, & corpus tranſparens ſecundū omnes ſuas partes, & ſubinde negabim⁹ dari omnimodā repugnantiā inter colorem, & lucē; vt patet in vitro, nõnullis vermibus, & in quercu putrida. Vitrū enim viride habet in ſe colorē & tamen admittit aliquā diaphaneitatē: ſimili modo dicendū eſt de illis vermib⁹, qui noctu lucent: habent etiam in ſeipſis colorē in die viſibilem, & tamen habent diaphanū lumine actuatū, quo noctu reſplendent: hoc exemplo hāc difficultatē ſoluit *Cyrillus Ieroſoli. citatus à Suar. vbi ſup. pag. 910. col. 2.* Ad argumentū igitur neganda eſt minor; ad Ariſtot. verò reſpōdetur, eum non dixiſſe hanc eſſe abſolutā eſſentiam coloris, ſed explicaſſe propriū ſubiectum coloris, vt cõmuniter ab oculo poſsit videri: debet enim eſſe in corpore terminato ſecundū externā ſuperficiem.

Cyrill. Ieroſolim.

14. Ad 3. Solutio Suarii. Ad tertium reſpondet *Suar in d. ſect. 2, pag. 911. col. 1. §. Tertio repugnare videbatur.* Et docet abſolutè, & ſimpliciter non repugnare, corpus glorioſū ſimul lucere, eſſe peruiū, & tranſparens: benè tamē repugnare, vt reſpectu eiuſdem in eodem tēpore idem corpus luceat, & ſimul ſit peruiū oculis, ita vt ſimul luceat, & videatur: quamuis non repugnet reſpectu diuerſorum, aut reſpectu eiuſdem, diuerſo tamen tempore. Et ratio eſt (vt ait) quia quod actu lucet, impedit ne videatur corpus, quod eſt poſt ipſum. Exiſtimat igitur, ideo in corpore glorioſo ſimul eſſe poſſe lucere, & eſſe peruium, quia poteſt beatus ſuſpendere actum lucendi, & ſe ſe præbere peruium, & trāſparens, vt actu videatur. Poteſt etiā reſpectu vnius ſuſpendere, vt ab eo videatur, nō tamen reſpectu alterius, ne videatur ab eo: ſicut etiā poteſt reſpectu vnius & eiuſdē pro tempore ſuſpendere actū lucendi, non tamen pro alio: vnde pro hoc tempore poterit ab vno, & eodē videri, nō tamen pro alio. Quare licet nō repugnet idem corpus ſimul habere lucē, & eſſe peruiū, tranſparēſque; repugnat tamen ſimul actu lucere, & actu ſe præbere peruiū, & trāſparens.

Ad arg. in forma. Qua Theologia ſuppoſita, ad argumentū in forma negandū eſt antecedens: quia corpus glorioſum, licet ſemper actu ſit lucidum, quia ſemper in ſe habēt lucem, nō tamen ſemper emittit ex ſe lumen, quia poteſt actum lucendi pro libito ſuſpēdere. Porrò ſi antecedēs ita intelligatur, vt corpus glorioſum ſemper actu ſit lucidum, ideſt, ſemper habeat in ſe lucem; admittendū eſt, & neganda conſequentia; quia poteſt habere in ſe lucem, & ſimul eſſe tranſparens. Ad probationem verò conſequentiæ negandum eſt, id quod eſt lucidum, ſemper eſſe corpus terminatū, quia poteſt eſſe peruium, & tranſparēs, ſi non naturaliter, ſaltem ſupernaturaliter.

Hæc tamen ſolutio non recipitur à *Sala vbi ſup. pag. 606. col. 2. §. Ad tertiam obiectionem,* quatenus aſſerit corpus glorioſum poſſe quidem ſimul eſſe lucidum, & peruium; non tamen ſimul lucere, & præbere ſe peruium, vt videatur. Et ratio eſt, quia ſi principia poſſunt eſſe ſimul, cur actus eorum ſimul eſſe nō poterunt? Ego cum Sala exiſtimo, quia nō video cur illud negandum ſit: vnde Suar. ſtatim ad noſtram accedit ſententiam pag. 611. col. 2. in principio. ¶ Sed quicquid ſit de hoc ego ad argumētum facilius reſpondeo, admiſſo antecedente, negando conſequentiam, ſi conſequens intelligatur non de omnimoda opacitate, ſed de minus intenſa, qualis eſt in vitro, & in quibuſdam lapidibus pretioſis, nonnullisque vermiculis. Etenim, vt ad primū dixi, corpus glorioſum, licet ſurrexerit cum eadē numero opacitate, quam habuit in vita; ſurrexit tamen in minore, quia ſurrexit cū quadā tranſparentia diuinitus ei data, non quidem extrinſeca (quam Salas fingit) ſed intrinſeca, quę ſit vera qualitas, qua opacitas, & dēſitas naturalis in ſeipſa minuitur, ratione cui⁹ capax eſt claritatis, & luminis ſupernaturalis, quo & exterius, & interi⁹ actuetur, vt videri valeat. Quare non valet hæc conſequentia, *Corpus glorioſum eſt luminoſum: ergo non poteſt eſſe tranſparens:* quoniam licet valeat de opacitate perfecta, non tamèn valet de remiſsa: hęc enim non repugnat lucido, etiam ſi lucem ex ſe emittat, vt patet in pluribus lapidibus pretioſis, qui & ſimul ſunt tranſparentes, & actu lucent. Porrò ſi naturaliter nō repugnat aliquid lucere, & eſſe tranſparēs; trāſparentia naturali, vtique nec repugnabit corpus glorioſum ſimul eſſe lucidum, & tranſparens, tranſparentia ſupernaturali. 15. Non recipitur hæc ſolutio. Facilior ſolutio.

Si

¶ Si verò dicas corpus glorioſum eſſe ſūme lucidum, cū Solis claritatē excedat: iā verò quod ſūme eſt lucidū nō poteſt eſſe tranſparens, & peruium, vt patet in Sole: reſpondebimus id verū eſſe in eo, quod eſt ſumme lucidum luce naturali, non tamen ſi fuerit lucidum ſupernaturali luce. Quod verò additur; quod vndiq; eſt lucidum impedire ne videatur corpus poſt illud exiſtens, petit difficultatem, de qua in articulo ſequenti.

18. Ad 4. 1. Solutio. Ad 4. primo reſpondetur, non eſſe improbabile corpus Chriſti in transfiguratione, fuiſſe lucidum, & tranſparēs, etiam ſecundū partes internas, quod aſſerunt Suar. *Suar. to. 2. ad 3. p. diſp. 32. ſ. 1. pag. 555. col. 1. §. Alterū dubium, & Salas vbi ſup. pag. 607. col. 2. ad 6. dubitationē*; & proinde negari poteſt antecedēs. Salas. 2. Solutio. Sed quoniā verius eſt claritatē illā tantū fuiſſe in ſuperficie externa ex *D. Thom. 3. p. q. 44. art. 1. ad 2. & in 3. diſt. 16. q. 2. ar. 1. ad 3. & ex Duran. ibi. q. 4. n. 47. quos probat Suar. vbi ſupra*: ad argumentū conceſſo antecedente negāda eſt conſequentia. Nā cum Chriſtus claritatem illā ſolùm oſtenderit ad manifeſtādā ſuam diuinitatē, ſatisfuit claritatē ponere in ſola externa corporis ſuperficie.

19. Ad 5. Ad 5. neganda eſt ſequela cum Suar. vbi ſupra pag. 912. col. 2. §. *Quarta difficultas*: quia talis lux non modo non læderet oculum, ſed potius illū iuuaret, & cōfortaret: vt ait D.Thom. *D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 2. ad 2.* Durand. & in hoc differt à luce Solis cuius lux cum agat calefaciendo, & diſſoluendo organum viſus, non poteſt non offendere ipſum viſum.

Ad vlt. Ad poſtremum neganda eſt ſequela, dè qua latius agemus q. 7. art. 2.

ARTICVLVS IIII.

An corpus glorioſum interiectum impediat viſionem corporis poſt illud exiſtentis?

§. 1.

Refertur opinio Suarij.

1. Opinio Suarii. HVnc articulum excitāmus, vt expēdamus opinionē doctiſsimi Suarij, *quam ſcribit 2. tom. ad 3. partem, diſp. 48. ſect. 2. pag. 911. col. 2. & 912. col. 1.* explicans enim hāc quæſtionē diſtinguit de corpore, quod poſt glorioſum corpus interiectum exiſtit. Inquit igitur, etiā ſi illud corpus fuerit glorioſum, illius viſionē non impediri à corpore glorioſo interiecto: ſi verò fuerit nō glorioſum, putat probabile quidem eſſe, quod etiā illius viſio non impedietur: addit tamen hoc ſatis eſſe incertū; & inde infert beatos poſſe videre omnes ſui corporis partes, etiāſi aliquæ interponantur. Etenim cum omnes ſint glorioſæ, earum viſio impediri non poterit, quāuis vna, vel plures interiaceāt mediç. Ita ſcribit in d. p. 611. col. 2. lit. b. c.

Pro huius Theologiæ explicatione præmittit, duo requiri vt corpus glorioſū valeat ab alio videri; vnū, vt ſit capax ad recipiendas ſpecies alterius: alterum verò vt aliud potēs ſit immittere ſui ſpecie in medio per quod videri debeat, vſq; ad oculū alterius. Nā cum viſio nō poſsit fieri niſi mediante ſpecie ab ipſo viſibili immiſſa in medium vſque ad oculū videntis, neceſſario requiritur, vt & viſibile ſit potens illas immittere, & vt medium, oculusque poſsint eaſdem recipere. 2. Præmiſſ.

Hoc ſuppoſito primā reſolutionis partē ex eo probat, quia & corpus glorioſum, quod eſt poſt aliud poteſt ſuas ſpecies emittere, & corpus interiectum poteſt eas recipere, & deferre vſq; ad oculū vidētis: quare corpus glorioſum interiectum erit peruium, & trāſparens in ordine ad aliud corpus glorioſum, ita vt eius viſionem ſuo lumine, & claritate quantumcunque magna non impediat 3. Probatio 1. partis.

Secundā partem reſolutionis primū ex eo probat, quia Patres ſolū docent corpora ſanctorum ita fore trāſparentia, vt omnes eorum partes etiam interiores videri poſsint: quod verò per ea videri valeant res aliç nihil dicūt, nec id ex priori neceſſario ſequitur. Deinde id ipſum probat, quia vt aliquod obiectū per mediū videatur, nō ſatis eſt vt tale medium ſit capax ſpecierū viſibilium, ſed etiā neceſſe eſt vt ipſum obiectū ſit potens imprimere ſpecies in tali medio, ita vt potentia actiua vnius ſit proportionata potentiæ paſsiuæ alterius: iam verò non conſtat, a npotentia actiua ad immittendum ſpeciem, quæ eſt in corpore nō glorioſo ſit proportionata potentiæ paſsiuæ, quç eſt in corpore glorioſo ad recipiendas ſpecies, cum potētia actiua illius ſit tantum naturalis; potentia verò paſsiua huius ſit ſupernaturalis 4. Probatio partis 2.

ralis, & miraculoſa: quare non conſtat, an corpus illud nõ glorioſum poſsit trãſmittere ſuam ſpeciem intra corpus glorioſum interiectum.

5. Probatio 3. pars. Tertiam denique reſolutionis partem ex prima facilè confirmat. Nam cũ omnes eiuſdem corporis partes ſint glorioſæ omnes per eandem claritatem, & lucem, & erunt ſuſceptiuæ ſpecierum, & potentes illas efficere: vnde quæ partes ſunt intermediæ, eæ erunt tranſparentes in ordine ad alias, quæ conſequũtur.

§. 2.

Non recipitur hæc opinio.

6. Non recipitur. Hanc doctiſsimi viri opinionẽ non recipit Sal. in d. ſe. 16. p. 607. col. 1. quatenus aſſerit incertũ eſſe, an corpus glorioſum interiectũ impediat viſionem corporis nõ glorioſi, quod eſt poſt illud. Vult igitur Salas corpus glorioſum nullius corporis viſionem impedire, ſiue illud glorioſũ ſit, ſiue nõ glorioſum: quod ex eo probat, quia hoc, & Patribus, & rationi eſt magis cõſentaneũ: Patribus quidem, quoniã D. Gregor. corpora glorioſa comparat vitro, & criſtallo: ſed hęc nulla alia corpora occultant, ſed per ea videtur, quæ poſt illa ſunt: ergo corpora glorioſa nulla corpora occultabunt. Sed argumentũ non ſatis eſt firmũ, tũm quia nõ neceſſe eſt vt in omnibus detur ſimilitudo: tũ etiã, quia ſicut vitrũ, & criſtallum naturaliter ſunt capacia ſpecierũ cuiuſcumque corporis; ita quodcumq; corpus poteſt naturaliter ſuã ſpeciem ponere in vitro, & criſtallo: hoc autem, vt ait Suar. forte nõ reperitur in corpore non glorioſo reſpectu corporis glorioſi.

Arg. ex Sal. Non recipitur.

7. 2. argum. Objicit 2. quoniã D. Anſel. *in ſuo Elucidario pag. 266. col. 1. A.* expreſſe ait, *Beatos ita viſuros clauſis oculis: atque apertis.* Videbunt igitur alios medijs oculorũ palpebris: cur igitur alios non videbũt medijs alijs beatis? Sed nec hoc teſtimonium vrget, quoniam D. Anſelmus ſolum agit de viſione aliorum beatorum, vt ex verbis ſequentibus facilè intelliges.

8. 3. Arg. ex Sala. Tertio ratione arguit, quia qualitas ſupernaturalis diaphaneitatis, qua beata corpora fiunt diaphana, diſponit corpus glorioſum ad ſuſcipiendum, & cõnaturaliter transfundendum qualcũq; ſpecies: vnde corpus glorioſũ nullũ occultabit corpus. Sed cum Suarius expreſſe ſcribat, an qualitas illa ita glorioſum corpus reddat trãſparens, atque ſi haberet qualitatem naturalem perſpicuitatis, deberet Salas probare id quod ſumit.

Omiſsis igitur his argumentis ego hanc opinionem ideo non admitto, quia ſupponit non conſtare, an corpus non glorioſum poſsit ſuã ſpeciem immittere in corpus glorioſum: cuius oppoſitũ ex eo euidenter ꝓbatur, quoniã corpus nõ glorioſum videri poteſt à glorioſo nulla interueniente immutatione, & ſupernaturali eleuatione illius: de quo non puto poſſe dubitari. Sed videri non poteſt, niſi per ſpecies emiſſas à corpore non glorioſo in viſum ipſius beati, vt ex Philoſophia etiã ſuppono: ergo certum eſſe debet, corpus non glorioſum virtute ſua naturali abſq; vlla ſupernaturali eleuatione poſſe emittere ſpecies in corpus glorioſum; cuius oppoſitum Suarius putat eſſe incertum. 9. Contra impugnatio.

ARTICVLVS V.

An claritas corporis glorioſi ſit eiuſdẽ ſpeciei cum claritate Solis, & aliarum rerum naturalium?

§. 1.

Opinio quod ſit eiuſdem rationis, & ſpeciei.

1. 1. Opinio. Quæſtio iſta inter Theologos eſt controuerſa. Prima opinio aſſerit hãc claritatẽ eſſe eiuſdẽ ſpeciei cũ claritate Solis, & aliarum rerum naturaliũ ita *D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 2. in corpore, & ad primum: habetur in additionib. q. 85. ar. 2. Eandem ſententiã Scotũ ſupponere in 4. d. 49. q. 15. teſtatur Suar.* ſed nõ video vnde ex Scoto hoc collegerit, nec apud aliquẽ Scotiſtarũ hanc opinionẽ legi. Cũ D. Thom. tamen conſentit *Valen. 4. to. diſp. 11. q. 15. pun. 2. pag. 1965. lit. A.* & videtur conſentire Abulenſ. in c. 17. Matth. q. 128. ad 1. pag. 257. & ſatis Sot. in 4. diſt. 49. q. 4. ar. 8. poſt 2. cõcl. p. 640. col. 2. affirmans enim contrariã ſententiam ſuſtineri poſſe ſatis explicat ſe iſtam ſimpliciter probare. *Scotus.* *Valent.*

2. 1. Arg. Huius opinionis fundamẽta ſunt, quæ ſequuntur. Primũ eſt, quia niſi eſſet eiuſdem ſpeciei, corpora ſanctorum æquiuocè dicerentur clara, vnde per hanc perfectionẽ nihil ſenſibile nobis ſignificaretur.

Dein-

[illegible]gum. Deinde; lux eſt ratio formalis, ſub qua videtur quicquid videtur: ſed ratio formalis ſub qua alicuius obiecti neceſſariò eſt vna ſpecie: ergo omnes luces erunt vnius ſpeciei.

4. 3. Argum. Tertio; quia vtriuſque lucis vnus tantum effectus formalis dari poteſt; nec enim concipi poſſunt effectus vtriuſque formaliter diuerſi, cum vtraque lux formaliter faciat clarum, & lucidum ſuum ſubiectum: ergo vtraque erit eiuſdem ſpeciei.

5. 4. Argum. Quartò; claritas corporis beati eiuſdē eſt rationis cum claritate transfigurationis Christi: nam per eam voluit Chriſtus oſtendere corpora ſanctorum futura eſſe clara, & lucida: ſed claritas transfigurationis fuit eiuſdem ſpeciei cum claritate Solis, alias non poſſet cōmunicari veſtimētis Chriſti: ergo claritas corporis beati eſt eiuſdem rationis, cum claritate Solis.

6. 5. Argum. Quinto probatur ex verbis Matth. 13. *Fulgebunt iuſti ſicut Sol.* Et Danielis 12. *Fulgebunt tanquā ſplendor firmamenti.* Quę verba ſignificāt ſimilitudinem inter vnā, & alteram claritatē; non aliam niſi ſpecificam.

7. 7. Argum. Sexto, & vltimo; claritas corporis glorioſi non eſt ſecundum ſubſtantiā ſupernaturalis, ſed naturalis: iā verò omnes luces ordinis naturalis ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo, & claritas iuſtorū eiuſdem erit ſpeciei cum claritate Solis. Minor patet ex Philoſophia: Maior probatur, quia ſi eſſet ſupernaturalis, non eſſet naturaliter viſibilis; nec naturaliter videretur ab oculo non glorioſo: cuius oppoſitum docet *D. Thomas vbi ſupra, cuius opinionem eſſe veriſimiliorem teſtatur Suarius in dicta diſputat. 48. ſectione ſecunda. §. Sed licet res hæc incerta ſit, pagina 914. columna prima in fine.* D. Thom. Suarius.

§. 2.

Opinio quod ſit diuerſæ ſpeciei.

8. 1. Opinio. Richard. Albert. Aegid. D. Thom. QVod tamen claritas corporis glorioſi ſit alterius ſpeciei à claritate Solis probarunt *Richard. in 4. diſt. 49. artic. 4. quæſtione 6. Albert. in ſecunda parte, ſuæ Summæ in quæſtione de Lumine, Aegid. in 2. diſtin. 13. in ſecundo principali, quæſt. 1. tribui ſolet D. Thomæ in 3. diſtinct. 16. quæſt. 2. art. 1. ad 2. & 4. poſſe hanc ſententiam ſuſtineri affirmat Sotus citatus in prima opinione: eam eſſe probabiliorem putat Suar. tom. 2. ad 3. part. diſp. 32. ſect. 1. & diſp. 48. ſect. 2. Quapropter §. Richardus, pag. 913. col. 1. Salas in d. ſect. 16. pag. 707. col. 2. §. Secunda eſt. Vbi pro eadem refert Pariſienſem primo de Vniuerſo, parte 2. fol. 158. & 159. ſatis videntur probare Conimbricenſes in 2. de Cœlo c. 7. q. 3. vt colliges ex 3. art. §. Quod attinet ad rationes.* Sotus. Suar. Salas. Pariens. Conimbr.

9. 1. Argum. Primū fundamentū eſt, quia claritas corporis glorioſi eſt ſupernaturalis ſecundū ſubſtantiā: ergo eſt diuerſæ ſpeciei à claritate Solis, quę ſecundum ſubſtantiā eſt naturalis. Conſequentia patet: Antecedens multis modis probatur. Primo, quia talis claritas licet corporea poſsibilis eſt; nec enim implicat dari corpoream qualitatem, quæ ſecundum ſubſtantiā ſit ſupernaturalis; ergo talis claritas data eſt corpori beato: cōſentaneū enim eſt ſtatui beatifico, vt corpori beato detur, quod eſt perfectius. Secundo, quia aliæ dotes corporis ſunt ſecundum ſubſtantiam ſupernaturales. Tertio, quia iſta qualitas, vel oritur à gloria animæ, vel immediatē fit à Deo. Si primum; non poteſt non eſſe ſupernaturalis, quia eſt à cauſa ſupernaturali. Si ſecundum; idem infertur: etenim à Deo fiet, non vt ab Authore naturæ, quia talis claritas naturaliter non eſt debita corpori humano; ſed vt ab Authore ſupranaturam, à quo fiunt, quæ ſecundum naturā ſunt ordinis ſupernaturalis. Secund. Tertio.

Quarto, quoniam claritas iſta dicitur *Claritas Dei:* Apocalip. 21. *Vidi ciuitatem ſanctā habentē claritatem Dei.* Et inferius, *Ciuitas illa non eget Sole, nec Luna: nam claritas Dei illuminabit illam, & lucerna eius eſt Agnus.* Cum verò ciuitas ſuperna corporaliter illuminetur à claritate corporis Chriſti, & beatorū: & hæc ſpeciali modo dicatur claritas Dei, ſatis videtur cōuinci eam datā à Deo vt ab Authore ſupernaturali ſupernæ ciuitatis. Denique idem antecedens confirmatur, quia ad Philip. 3. *Deus reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Per quam reformationem corpora iuſtorum immutabuntur, primę Corinth. 15. Cum verò talis immutatio nō ſit futura naturalis, nec per perfectiones naturales, ſed ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam, vt eſt cōmunis illorum verborū explicatio Quarto. Quinto.

benè infertur, reformationem corporis noſtri futuram eſſe ſupernaturalē, & ſecundum ſupernaturalem claritatem, cum claritas Chriſti ſecundum ſubſtantiam ſit talis. Quæ doctrina ex eo etiam cōfirmabitur, quia Paulus 1. Corint. 15. talem claritatem appellat gloriā, in illis verbis, *Surget in gloria*: vt intelligamus claritatem illam ad ordinem gloriæ pertinere. Ex quibus omnibus ſatis confirmatū manet antecedens huius primi argumenti; quo ſuppoſito argumentum habet efficaciā.

10. 2. Argum. Secundo cōfirmatur hæc opinio, quia lux, & claritas Solis ex ſua natura eſt cōnaturalis eidē Soli, vt docet Philoſophia: claritas autem corporis glorioſi eſt ſupra omnem naturam, nec vlli corpori poteſt eſſe connaturalis, vt omnes Theologi docent: ergo non poteſt eſſentialiter non differre à luce Solis. Etenim accidentia ordinis naturalis non poſſunt non habere aliquod ſubiectum, cui ſaltem ſecundum communem, & genericam rationem ſint connaturalia.

11. 3. Argum. Tertio ſuadetur, quia claritas per ſe datur beatis ad eleuandum corpus ad ſtatū ſupernaturalem, ad quā eleuare nō poſſet lux Solis, etiam ſi ſupernaturaliter daretur corpori reſurgenti.

12. Poſtremo accedit, quoniam claritas iſta ex ſua natura hebet proprios effectus, quos claritas rerum naturalium ex ſe habere non poteſt. Etenim hæc claritas ex ſua propria natura poteſt lucere, ſiue ſit in corpore raro, ſiue denſo, ſiue tranſparēti, ſiue opaco, cum tamen lux Solis non poſſit lucere in corpore perfectè opaco, ſed in eo, quod aliquo modo eſt trāſparens. Præterea hæc claritas ex ſe poteſt actuare non ſolùm corpus diaphanū, ſed etiam perfectè opacum, quod tamen lux Solis horum inferiorum ex ſua natura actuare non poteſt. Hæc etiā claritas ex ſua natura non eſt apta calefacere ſubiectū capax caloris, cū tamen claritas Solis illud valeat calefacere. Deniq; hæc claritas ex ſe actuare poteſt diaphaneitatem altioris ordinis, qualis eſt diaphaneitas corporis glorioſi; quam tamen lux Solis actuare non poteſt, ſaltem ſine ſupernaturali eleuatione.

§. 3.

Sec[...]da opinio eſt longe probabilior.

Qvamuis Suarius cū nōnullis alijs putet rem iſtā eſſe incertā; & alij pro vtraq; parte illam defendāt, vt Conimbr. ergo tamen puto ſecundam opinionem eſſe fere certā. Nam, & cōmunior eſt, & efficacioribus nititur fundamentis: nam primum fundamentū ſatis efficaciter probare videtur hanc claritatē eſſe ſupernaturalem ſecundū ſubſtantiā: & ſecundum efficaciter etiā probat, eam non poſſe eſſe naturalem; nec audiendi ſunt Conimbr. dum affirmāt, claritatem corporis beati ex vi ſuæ ſpeciei naturaliter eſſe cōmenſuratam aſtris, & ab eorū forma dimanare: cuius oppoſitū docet cōmunis Theologia, & ſatis conuincit tertium argumentū. Nā cū claritas iſta detur beatis, vt per eā eorū corpora eleuētur ad ſtatū beatificū, qui eſt ſupernaturalis, nō video quomodo illorū corpora ad ſupernaturalē ſtatum per eā eleuētur, ſi eſt ordinis naturalis. Accedit etiā, quia ex cōmuni Patrū, & Theologorum doctrina claritas minimi beati lōgè eſt maior, quam Solis; quod ſtare nō poteſt cū identitate ſpecifica vtriuſq;. Etenim ſi claritas beati eſt ordinis naturalis, nō poteſt eſſe maior, niſi quia intenſior: ex quo ſequeretur intenſionē claritatis beati ſemper indigere perpetuo miraculo. Nā cū claritas Solis ſit naturaliter ſūma, nō poterit dari maior, niſi per miraculū: iā verò alienū eſt à Theologia obligare Deū, vt in Patria perpetuo vtatur miraculo; imò vt cuilibet beato non poſſit tribuere claritatē intenſiue minorem quā ſit Solis: quare nō eſt cōueniens, vt ille exceſſus explicetur de intenſiuo, ſed de ſolo eſſentiali: hoc enim poſito, claritas beatorum conſeruabitur modo beatifico ſtatui cōnaturali: nec neceſſario, conferenda erit in gradu intenſiue maiori, cum in minori longè ſuperet claritatem Solis.

13. Eligitur 2. opinio.

1. Fundamētū [...] efficax.

3.

Aliud fundamentum.

§. 4.

Soluuntur argumenta.

Nec argumenta in contrariū initio adducta cōuincunt, vt inter vtrāq; illā claritatē admittamus ſpecificā identitatē. Ad primū neganda eſt ſequela, quia cum diuerſitate ſpecifica vtriuſq; claritatis poteſt dari conuenientia vniuoca in communi ratione claritatis, & lucis. Nam plerique Philoſophorum inter clarita-

14. Ad 1. arg.

Albert. Aegidius. Richard. Argentina

claritatem Solis, & ignis admittunt diuerſitatem ſpecificam (quæ fuit opinio *Albert.2.part.Summæ in quæſt.de Lumine, Ægidij in 2.diſt.13.in 2.p.q.1.Richard.ibi. art.1.q.4.Argentinæ q.vnica art.1.*)& tamen non æquiuocè, ſed vniuocè dicuntur luces.

16. Ad 1. Ad ſecundum neganda eſt minor, ſi vniuerſaliter intelligatur: fieri enim poteſt, vt ratio formalis, ſub qua obiectum cognoſcitur, non ſit ſpecifica, ſed generica, quod contingit quando ratio ſub qua abſtrahit à naturali, & ſupernaturali: vnde intelligibilitas, quæ eſt ratio formalis, ſub qua intelligitur quicquid intelligitur, ideo quia abſtrahit ab intelligibilitate naturalium, & ſupernaturalium, non eſt vna ſpecie, ſed genere. Idem igitur dicẽdum erit de luce, cum illa abſtrahat à luce naturali, & ſupernaturali.

17. Ad 3. Ad tertium negandum eſt antecedẽs; ſi intelligatur de effectu formali intrinſeco, & immediato, qualis eſt facere lucidum, & clarum, reſpectu lucis, & claritatis: nam cum effectus formalis immediatus, & intrinſecus idem ſit realiter cum ſua cauſa formali, vt ex Philoſophia ſupponimus (album enim non diſtinguitur realiter ab albedine) ſi cauſæ formales ſpecie diſtinguuntur, ſpecie etiam diſtinguentur formales illarum effectus. Lucidum igitur, & clarum, qui eſt effectus formalis claritatis, & lucis, non eſt vnus ſpecie, ſed genere, ſicut eſſe intelligibile, qui eſt effectus formalis intelligibilitatis, non eſt vnius ſpeciei, ſed vnius generis; quòd non poſſunt non concedere qui volunt, lucẽ Solis, & ignis ſpecie differre. Qua ſuppoſita opinione, eſſe lucidum, & clarum nõ in omnibus erit eiuſdem ſpeciei.

18. Ad 4. Ad quartum admiſſa maiore, neganda eſt minor: ad cuius probationem neganda eſt ſequela: quoniam claritas iſta non neceſſario ſibi vendicat corpus humanũ, quod actuet.

19. Ad 5. Ad quintum reſpondetur, illa aduerbia denotare quidem ſimilitudinem: non tamen ſemper denotare ſpecificam, ſed ſatis eſſe quod denotent genericam. Vel dicito, aduerbium, *ſicut*, interdum idem eſſe quod aduerbium, *vt*; erit igitur ſenſus, *Iuſti fulgebunt ſicut Sol*, hóc eſt, vt etiã Sol fulget.

Ad ſextum, & vltimum, dicendum eſt primò, minorem non ab omnibus cõcedi: nec enim admittitur ab ijs, qui lucẽ Solis, & ignis ſpecie diſtinguunt. Sed quoniam communior eſt, & verior ſententia, quæ aſſerit omnem lucem ordinis naturalis eſſe eiuſdem ſpeciei (quæ fuit opinio *D. Thomæ probata à Conimbricenſibus loco citato.*) Secunda ſolutio negabit maiorem; quam eſſe negandam patet ex dictis §.2. An verò ſuppoſita hac opinione claritas corporis beati poſſit naturaliter videri ab oculo non glorioſo? explicabimus in vltimo art. huius quæſtionis. 20. Ad 6. *D. Thom. Conimb.*

ARTICVLVS VI.

A quonam fiat claritas corporis glorioſi?

§. 1.

Referuntur opiniones.

1. 1. opinio reijcitur.

DE hoc etiam eſt inter Theologos controuerſia. Prima opinio eam tribuit portioni cuiuſdam quintę eſſentiæ, quam in corpore glorioſo admittit: ſed huius opinionis fundamentũ eſſe fictitium oſtendimus *ſupra q.3. ar. 3. §.3. in tertio dicendi modo.*

2. 2. opinio. *D.Thom. Abulen. Pariſienſis Richard. Ouand.*

Secunda opinio eſt D. Thomæ, qui conſtanter docet claritatem iſtam immediatè oriri à gloria animæ. Ita ſcribit 1. 2. *q.4.art.6.& 3.p.q.45. art. 2. in corp. & q.54.art.2.ad 1. & 2. & in 4. diſt.44. q.2. ar.4. quæſtiunc.1. in corpore, & ad 4. & 4. contra gent. c.86. quam ſententiam probauit Abulen. in cap.17. Matth. q.127. fol.256. col.2. in fine, & col.3. in princ. Pariſienſis in tract. de Vniuerſo in 2.p. primæ partis c. 29. in nouis pag. 693. col.1. & in antiquis fol. 160. & 161. non reijcit Richar. in 4. diſtin. 44. ar.4. q.6. §. Videtur ergo mihi. Vnde pro hac ſententia refert eum Ouand. in 4. diſt.49 propoſit.34. fol.129. pag.2.* Fundamentum huius opinionis ſumitur ex doctrina Auguſtini epiſt.56. ad Dioſcorum, dũm ait, *Deum animam feciſſe tam potenti natura, vt ex eius beatitudine redundet in corpus.* Ex qua doctrina plerique volunt omnes dotes corporis à beatitudine animæ in corpus redundare: quomodo autem fiat hæc redundantia? variè explicatur. Fundamentum ex Auguſtino.

3. 3. opinio.

Tertia opinio aſſerit, claritatem iſtam à ſolo Deo fieri, & in corpus infundi; ita non-

Richard. nonnullos docuiſſe refert *Richardus vbi ſuprà; quam ipſe ideo videtur approbare, quia eam vltimo loco refert: pro eadem à Suario, & Sala refertur* Durand. *Durand. in 4. diſt. 44. q. 8.* eo tamen in loco illam non diſputat, ſed ſimpliciter ſupponit, claritatem iſtam (ſi ponatur qualitas) poſſe à Deo fieri. Eandem facta eadem ſuppoſitione in terminis probauit *Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. ar. 8. pag. 639. col. 2. §. Attamen hoc non tàm facilè intelligitur.* Vbi ita ait; *Eſt ergo modus alius, quod qualitas illa producitur per creationem à Deo: ſed certè ſi eſt qualitas, ita dicendum eſt.* Eandem vno verbo explicauit *Valentia 4. tom. diſp. 11. q. 5. puncto 1. pag. 1965. A.* ſimpliciter affirmãs, Deum hanc claritatem producturum fore. Eandem in terminis probauit *Angles in floribus de Beatitud. art. 5. diffic. 5. dub. 3. latè Suar. in d. diſp. 48. ſect. 2. pag. 914. col. 2. §. Vltimo inquiri ſolet, & cum eo Salas in dicta ſect. 16. pag. 609. col. 2. in 3. difficult.* Quomodo autem Deus hanc claritatem efficiat? variè explicatur.

Sotus. Valent. Angles. Suarius. Salas.

§. 2.

Vera reſolutio.

4. Vera reſolutio. 1. propoſit.

HAnc difficultatem nonnullis poſitis propoſitionibus puto eſſe reſoluendam. Sit prima propoſitio. *Opinio D. Thomæ ſecundo loco relata non videtur ſatis probabilis.* Satis eſt de mente Soti *in d. ar. 8. pag. 639. §. Veruntamen non ita planus eſt:* nec enim ſatis intelligitur, quomodo claritas illa ab animæ beatitudine in corpus redundet. Etenim tribus modis poteſt hęc redundantia explicari. Vno modo, ad modum quo ex vaſe aqua pleno redundat aqua in aliud vas, quia ſcilicet aqua ex eo iam pleno exundat, ſupereffluit, & deſcendit in aliud; in quo ſenſu hanc redundantiã videtur D. Thomas explicare, ſi diligentius expendantur, quæ ſcribit *in 4. loco citato*, dùm ait, animam ſuam claritatem, quæ in ea eſt qualitas ſpiritualis, influere in corpus, in quo recepta, eſt corporalis. Secundo modo, quia ex beatitudine eſſentiali animæ naturali quadam reſultantia emanat claritas in corpus, eo modo quo proprietas fluit, & emanat ab eſſentia: in quo ſenſu hanc reſultantiam explicant *Abulenſ. & Pariſienſis locis citatis; & poſt eos Ferrar. 4. contra gentes, c. 86. §. Aduertendum, fol. 192. col. 1.* Tertio modo, vt hæc redundantia fiat ab anima per veram efficientiam ipſius claritatis, idque per ſuam beatitudinem, tanquam per verum principium agendi: qui modus dicendi videtur placuiſſe Richardo, dùm ait, animam virtute ſuæ viſionis actiuè educere ipſam claritatem de potentia corporis glorioſi.

Sotus. 5. Triplex ſẽſus. Primus. 6. Secundus. Abulen. Pariſienſis Ferrar. 7. 3. ſenſus. Richard.

8. Non recipitur primus dicendi modus.

Nullus tamen horum modorum eſt recipiendus. Non primus (quamuis D. Thomæ videatur applauſiſſe) quia talis redundantia minus eſt Philoſophica; vnde à nullo Thomiſtarum, non modo probatur, ſed nec explicatur. Tertius autem modus dicendi non placet Soto, nec placere poteſt; tùm quoniam quæ fiunt à cauſa efficiente non dicuntur ab ea redundare, ſed efficienter cauſari: tùm ſecundò, quia anima non poteſt claritatem illam educere de potentia naturali corporis glorioſi, quia claritas illa eſt forma ſupernaturalis, vnde non poteſt educi, niſi de potentia obedientiali: quæ verò ſic educuntur, educuntur à Deo authore ſupernaturali. Solus igitur reſtat ſecundus dicendi modus, qui videtur magis philoſophicus: ſed contra illum cum Suario poſſumus inſurgere. Primò, quia inter claritatem ſpiritualem animæ, & claritatem corporalem corporis nulla datur naturalis connexio, vt vna ſit proprietas alterius, vt ab ea naturaliter reſultet. Deinde, quia viſio, quæ eſt beatitudo eſſentialis animæ, eiuſdem eſt ſpeciei in anima, & in Angelis, iuxta veriorem ſententiam: ſed in Angelis non habet hanc proprietatem: ergo nec eam habebit in animabus: proprietas enim naturalis in omnibus reperitur, in quibus reperitur eſſentia, cuius eſt proprietas. Quod verò adducitur ex Auguſtino ita eſt explicandum, vt Deus in patria animam fecerit tàm potenti natura, id eſt natura tàm perfecta, vt ratione perfectionis animæ in corpus redundet perfectio ſupernaturalis, non per naturalem reſultantiam, ſed per diuinam efficientiam: Deus enim propter perfectionẽ animæ perficit corpus.

9. Nec 3. 10. Impugnatur 2. modus. Explicatur Auguſt.

11. 2. propoſit.

Secunda propoſitio: *Deus eſt cauſa efficiens claritatis in corpore beato.* Hanc ſtatuimus cum authoribus ſecundæ ſententiæ, quam ex eo confirmamus, quoniam cum

cum qualitas iſta ſit qualitas ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, nullum aliū poteſt habere principalem authorem, niſi Deum, qui ob hanc rationem eſt author & cauſa efficiens aliarum dotium.

12. Dubitatur, an cauſet aſſumpto inſtrumento? Hac ſuppoſita propoſitione dubitant nonnulli, an Deus hanc qualitatem faciat immediatè ſe ipſo; an mediante aliquo inſtrumento? Cui quæſtioni reſpondet Suar. probabile eſſe, quod Deus ad producendam iſtam claritatem aſſumat aliquod phyſicum inſtrumentum, vel ſuam humanitatem, vel animam ipſam beati: ſuam quidem humanitatem, quia illam claritatem efficit aſſumendo, tanquam inſtrumentum vel actum voluntatis humanæ Chriſti, vel claritatem eiuſdem humanitatis. Animam verò beati, quoniam ſicut Chriſtus ſuam propriam animam aſſumpſit vt inſtrumentum ad producēdam claritatem ſui corporis: ita animæ cuiuſcunque beati communicat inſtrumentalem virtutem, vt ſuam claritatem in ſuo corpore inſtrumentaliter cauſet.

13. 3. propoſit. Pro reſolutione contra hanc ſententiam ſit tertia propoſitio: *Deus claritatem in corpore beato immediatè cauſat, nullo mediante inſtrumento; & eodem modo cauſauit claritatem in Chriſti corpore.* Hanc propoſitionem non poteſt non recipere Sotus, (Non recipitur Sotī fūdamentū.) quia putat claritatem iſtam à Deo effici per veram creationem: iam verò ad creationem nulla creatura tanquam inſtrumentum aſſumi poteſt, vt cum D. Thoma docent omnes Thomiſtæ: ſed in hoc non eſt audiendus Sotus: tùm quia claritas illa cum educatur de potentia obedientiali corporis glorioſi, non creatur creatione propriè ſumpta, quæ ex nihilo aliquid facit: tùm etiam quia doctrina illa Thomiſtarum ſatis eſt dubia. (*Salas.*) Noſtram etiam propoſitionem admittit Salas vbi ſuprà; expreſſe enim docet, claritatem iſtam fieri à Deo nullo mediante phyſico inſtrumento: non eſt tamen audiēdus, dûm docet eſſe impoſsibile, claritatem corporis fieri mediante inſtrumēto; nulla enim datur ratio huius impoſsibilitatis. Verum igitur fundamentum noſtræ aſſertionis ſit, quoniam hoc inſtrumentum ſine vllo fundamento ponitur, vt idē Salas benè aduertit: (*Ad Phil. 3.*) etenim verba Pauli ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ,* non probant claritatem Chriſti concurrere ad noſtram vt inſtrumentum, ſed vt cauſam exemplarem, ad inſtar cuius noſtrum corpus reformabitur.

14. 4. propoſit. Sit quarta propoſitio; *Non negarē animam beatam ad claritatem ſui corporis efficienter concurrere efficientia morali.* Probatur, quia Deus claritatem corpori beato tribuit ratione gloriæ animæ, quatenus animæ glorioſæ debetur corpus glorioſum, vt annotauit Sotus, & cum eo Suar. & Salas. Vtrùm autem ad hunc ſenſum D. Thomas intellexerit? aliorum ſit iudicium: ſicut etiam aliorum iudicio relinquo, an hoc ſatis ſit ad veram cauſalitatem moralem?

ARTICVLVS VII. & Vltimus.

Vtrùm claritas corporis glorioſi poſsit naturaliter videri ab oculo non glorioſo?

1. An naturaliter ſit viſibilis? VLtimo loco explicanda eſt difficultas, an claritas corporis glorioſi poſsit naturaliter videri ab oculo non glorioſo? Dicitur, *ab oculo non glorioſo*, quia indubitatum eſt eam videri poſſe ab oculo aut glorioſo, aut diuinitus eleuato. (Claritas iſta abſolutè eſt viſibilis.) Etenim cum illa claritas ſit corporea, & ſenſibilis, nec ad alium ſenſum poſsit pertinere, niſi ad viſum, vtique ſua natura erit viſibilis. 2. 1. ratio ex Auguſtino. Quod ſatis docuit *Auguſtinus in lib. contra Adamantum Manichæum c. 28. & ſatis ſupponit lib. 22. de Ciuitate Dei c. 19.* Dùm enim affirmat claritatem corporis Chriſti in transfiguratione (quam ſupponimus eſſe eiuſdē ſpeciei cum claritate beatorum) non potuiſſe videri à diſcipulis in mortali corpore, ſatis affirmat eſſe eam viſibilem à corpore glorioſo. 3. 2. ratio ex c. 17. Matt. Præterea id conuincitur ex verbis Chriſti Matth. 17. *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo:* quod eſſe impletum in Chriſti transfiguratione plerique Sanctorum affirmant, *Chryſoſt. homil. 57. in Matth. in oratione de Transfigur. Leo Papa in ſerm. eiuſdem feſti, Euſebius Emiſſen. in ſerm. in Sabbato poſt 2. Dominicam Quadrag.* (*Chryſoſt. Leo Papa. Euſebius Emiſſen.*) Diſcipuli igitur viderunt transfigurationis claritatem, ſiue illam naturaliter viderint, ſiue diuinitus eleuati. Tertiò id ipſum ratione conuin-

4. 2. ratio. conuincitur, quoniam claritas illa licet ponatur ſupernaturalis, conuenit cum naturali lumine in ratione luminis ſaltẽ generica: ergo ex ſua natura eſt viſibilis, ſaltem ſupernaturaliter. Sit igitur indubitatum, claritatem corporis glorioſi cõtineri ſub obiecto adæquato potentię viſiuæ, ſaltem extenſiuæ: quare ex ſua natura erit viſibilis ab aliquo oculo, ſaltem ab eo, qui vel eſt glorioſus, vel ſupernaturaliter eleuatus. Quare quæſtio ſolum eſt de oculo non glorioſo, & de viſione, quæ fit ſolis naturæ viribus.

§. 1.
Opinio quod naturaliter ſit viſibilis.

5. Opinio 1. Quod naturaliter ſit viſibilis. HAnc difficultatem magis eſſe diſputabilem, quàm ſcibilem à nobis teſtatur *Guilhelmus Pariſienſ. in locis ſuprà citatis*, vnde eam diffinire noluit. Quod naturaliter ſit viſibilis affirmat *D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. artic. 4. quæſtiunc. 2. in corp. & ad 1. & 2. idem ſignificat Durand. in 4. diſt. 49. q. 8. ad 3. vbi etiam Paludan. q. 3. ar. 3. ad 3. n. 14. & ſatis ſignificat Scot. ibid. q. 15. litera C. §. Ad aliud dicitur quod claritas. Cum quo conueniũt communiter Scotiſtæ, Angles in ſuis floribus de Beatitud. ar. 5. diffitult. 7. concl. 1. Nicolaus de Nijſſe in reſolut. Theologica tract. 7. parte 3. portione 2. q. 4. fol. 63. pag. 2. in fine, ſatis conſentit Ouand. in 4. diſt. 49. propoſit. 34. dùm agit de dote claritatis fol. 130. pag. 1. ex alijs ſimpliciter Valent. 4. tom. diſp. 11. q. 5. punct. 1. pag. 1965. A. Pezant. in additionib. ad 3. p. q. 85, art. 3. Hanc ſententiam vt probabiliorem potiùs probat Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 32. ſect. 1. pag. 555. col. 1. §. An verò illa claritas, & diſp. 48. ſect. 2. pag. 914 col. 1. § Sed licet, res hæc. Defenditur à Soto in 4. diſt. 49. q. 4. art 8. concluſ. 2. pag. 640. col. 2. in princ.* licet contrariam opinionem vt probabiliorem approbet, vt dicemus.

Pariſienſis. D. Thom. Durand. Palud. Scotus. Angles. Nijſſe. Ouand. Valentia. Pezant. Suarius. Sotus.

6. 1. argum. Hæc opinio his argumentis confirmatur. Primò, quoniam hæc claritas cum ſit eiuſdem rationis cum claritate Solis, erit ordinis naturalis: ergo continetur ſub obiecto adæquato potentiæ viſiuæ. Cur igitur quicunque viſus ſua naturali virtute non poterit ferri in illam?

7. 2. arg. Secundò quicunque viſus ex ſua natura eſt capax ſpeciei impreſſæ huius lucis: ergo quicunque viſus, etiam non glorioſus, poteſt elicere actum circa talem lucem: antecedens ex eo probat Suarius quia nulla eſt ratio cur viſus ex ſua natura non ſit capax talis ſpeciei: conſequentiam verò eodẽ modo probat. Etenim ſi viſus ex ſua natura eſt capax ſpeciei illius claritatis, nulla eſt ratio cur ex ſua natura non poſſit elicere viſionem circa eam: illa enim viſio non eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, quia eſt corporea, & verſatur circa rem corpoream: nec eſt ſupernaturalis quoad modum; quis enim eſt hic modus?

Tertio ex eodem Suario; vel illud obiectum aliquo modo ſaltem imperfectè poteſt naturaliter videri â viſu: vel non. 8. 3. argum. Si non; ergo nullo modo continetur ſub obiecto viſus: Deus enim licet non poſſit clarè videri ab intellectu virtute naturali, ideo tamen ſub obiecto adæquato illius continetur, quia ſaltem imperfectè poteſt ab aliquo cognoſci virtute naturali; & quia continetur ſub latitudine entis, cuius præciſam, & abſtractam rationem intellectus attingit; viſus autem nõ attingit communem rationem lucis, niſi in quantum continetur in hac luce: ergo ſi datur aliqua lux, quam viſus nullo modo poteſt naturaliter attingere, non continebitur ſub obiecto adæquato viſus. Si verò poteſt aliquo modo eam attingere, cum illa lux vi ſua perfectiorem ſpeciem imprimat, & potentiam non lædat, poterit etiam perfectè videri, quia illa ſpecies non eſt improportionata potentiæ; nec eſt cur dicamus deeſſe illi potentiæ virtutem in ſuo ordine ſufficientem.

Quartò ex eodem, licet lux corporis 9. Quartum. glorioſi non ſit connaturalis corpori humano, tamen ſimpliciter eſt ordinis inferioris, cum ſit corporea: poterit igitur naturaliter videri à viſu non glorioſo.

Quintò ex Soto opinio iſta ſacris ora- 10. Quintum. Apoc. 1. culis fulcitur. Nam Apocal. 1. *Videbit eũ omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Eum inquam, id eſt, Chriſtum in iudicium venientem, in quod veniet indutus claritate: omnis igitur oculus, etiam damnatorum videbit claritatem Chriſti. Deinde Sapien. 5. de damnatis dicitur, quod *videntes gloriam filiorum Dei turbabuntur ti-* Sapien. 5 *more horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis.* Gloriam, inquam, id eſt, claritatem, & lucem filiorum Dei, nec enim

enim turbarentur, aut mirarentur de inſperata illorum ſalute, ſi illorum claritatem non viderent. Tertiò accedit, quoniã ex Paulo ad Philip. 3. Corpora iuſtorum configurabuntur corpori claritatis Chriſti, cuius exemplar fuit claritas transfigurationis: & tamen naturaliter fuit viſa à diſcipulis, vt patet ex verbis Chriſti, *Nemini dixeritis viſionem.*

Ad Phil. 3.

11. Poſtrema ratio. Poſtremò confirmari poteſt, quoniã ſi naturaliter videri non poſſet; ideò quia eſt ordinis ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, fruſtra admitteretur in beatis potentia pro libitò ſe occultandi: quia illorum claritas ex ſua natura eſſet occulta: conſequens tamen eſt contra communem Patrum, & Theologorum doctrinã.

§. 2.

Refertur opinio quod naturaliter non ſit viſibilis.

12. Opinio q̃ naturaliter non ſit viſibilis. *Richard. Salas. Sotus.*

QVod tamen claritas corporis beati ab oculo non beato naturaliter videri nequeat, plerique probauerunt. Hæc opinio communiter tribuitur *Richardo in 4. diſt. 49. art. 4. q. 6. in explicatione huius dubij: eam ſimpliciter probat Salas in dicta ſect. 16. pag. 609. §. Mihi tamen videtur: eſſe probabilem aſſerit Sotus in d. art. 8. pag. 640. col. 1. §. Eſt autem hic dubium.* Vbi etiam affirmat ſe neſcire quid ſenſiſſet D. Thomas ſi in ſua ſumma huc-uſque perueniſſet.

13. 1. confirm. ex August. Hæc opinio primùm confirmatur authoritate Auguſtini 22. de Ciuitate Dei c. 19. *Claritas in Chriſti corpore cum ſurrexit ab oculis diſcipulorum potiùs abſcondita fuiſſe, quam defuiſſe credenda eſt: nec enim eam humanus ferret, atq; infirmus aſpectus, quoniam ille à ſuis ita debet attendi, vt poſſet cognoſci.* Vult igitur Auguſtin⁹, quod diſcipuli non potuiſſent claritatem Chriſti intueri, ſi eam non abſcondiſſet.

14. 2. confirm. Ex hac Auguſtini doctrina ita arguit Richardus; quoniam Chriſtus non abſcõdiſſet ſuam claritatem, ſi eam diſcipulorum oculi ferre poſſent. Nam cum illis oſtenderit ſui corporis ſubtilitatem, dùm ianuis clauſis ad eos fuit ingreſſus; agilitatem verò cum in cœlum aſcendit, profecto & illis oſtendiſſet ſuam claritatẽ; ſi illa ab eis poſſet videri.

15. Tertia. Tertiò arguit Richard. quoniam lux corporalis excellens & intenſa; ex ſua natura habet, quod naturaliter videri non poſſit.

16. Quarta. Quartò arguit *Salas in d. pag. 609. col. 2. in princip.* quoniam claritas iſta cum ſit alterius rationis à luce Solis, & horum inferiorum, eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, vt iam oſtendimus; quæ verò ſecundum ſuam ſubſtantiam ſunt ordinis ſupernaturalis, viribus naturę videri non poſſunt, ſed oportet potentiam viſiuam ſupernaturaliter eleuari, & roborari: ob hanc enim rationem intellect⁹ ſine lumine gloriæ non poteſt videre Deum.

17. Vltima. Poſtremo arguit Sotus: quoniam ſi claritas iſta poſſet naturaliter videri ab oculo non beato, non poſſet beatus ſe occultare dûm vellet: cum enim claritas illa naturaliter ſe ipſam repræſentet, repræſentata autem non poſsit non videri, nullo modo in voluntate beati poſitum erit ſe occultare ne videatur.

18. Aduertentia. Aduertendum tamen Richardum, cęteroſque ſuam opinionem intelligere de claritate ſumpta in plenitudine ſuæ refulgentiæ: ſecus ſi ſumatur contemperata in ſujs radijs, & commenſurata naturali virtuti noſtri viſus; quia tunc poſſumus eam in ipſo corpore beato videre, quanuis non plenè, integrè, & diſtinctè, quod Sotus confirmat exemplo noctuæ in ordine ad viſionem Solis. Quare ſi benè rem iſtam expendamus; opinio Richardi ſimpliciter & abſolutè non eſt negatiua, ſed medium locum tenet.

§. 3.

Vera reſolutio.

19. Opinio authoris. EGo puto probabiliſsimam eſſe opinionem, & fere certam, quæ ſimpliciter & abſolutè negat, claritatẽ iſtam aut in tota ſua intenſione, & plenitudine, aut ſub aliqua remiſsione poſſe ab oculo non eleuato naturaliter videri: quare nec primam opinionem D. Thomæ probo; nec ſecundam Richardi. Fundamentum ex eo ſumo, quoniam claritas corporis beati ſecundum ſubſtantiam eſt ſupernaturalis: quam opinionem vt veriſsimam ſupponimus *ſuprà art. 5. §. 3. & art. 6. §. 2.* & ſatis illa videtur confirmari ex eo, quod claritas iſta data eſt bea-

tis, vt corpora illorum de ſtatu ignobili vitæ mortalis transferat ad ſtatum ſupernaturalem & glorioſum. Deinde, quia
2. ratio. hæc claritas vel redundat in corpus ex beatitudine animæ, vel effectiuè fit à Deo ſupernaturali authore, vt oſtendimus in
3. ratio: locis citatis. Accedant tertiò quæ ſupra quæſt. 1. adduximus, dotes. ſ. corporis glorioſi eſſe perfectiones ſupernaturales, præmiaque cœleſtia, quibus corpus naturaliter immutatur, & diuina gratia per Christum victoriam à morte reportat, & conſequitur redemptionem ex adoptione filiorum Dei: viuificatur propter ſpiritum Dei in nobis inhabitatem; denique quibus Eccleſia de cœlo deſcendit tota noua à Deo parata & ornata, tanquam ſponſa ſuo cœleſti ſponſo: vnde claritas iſta appellatur maieſtas, *Matt.* 17. *& Luc.* 9. appellatur etiam gloria magnifica 2. *Petri.* 1. Quæ omnia ſatis videntur conuincere claritatem iſtam eſſe qualitatem ſupernaturalem ſecundum ſubſtantiam: quam opinionem vt veriſsimam probat Richard. loco citato, & Salas in d. pag. 609. col. 2. in princip.

20. Confirmatur opinio. Hac opinione ſuppoſita, efficaciter videtur cōuinci hanc claritatem nec in ſua plenitudine, nec remiſſam ad aliquam tē periem poſſe videri ab oculo non glorioſo proprijs naturæ viribus, quamuis illi præſentetur. Etenim quæ ſecundum ſuã entitatem ſunt ſupernaturalia, licet contineantur ſub obiecto potentiæ extēſiuè adæquato; non tñ cōtinētur ſub obiecto adęquato ſolũ intenſiue, vt eſt vulgaris Philoſophia. Etenī ex ſua natura nō ſunt obiecta proportionata, ſiue ſumantur in ſua plenitudine, & intenſione: ſiue in aliqua remiſsione: improportio enim naturalis in iſtis non ſumitur ex diuerſitate intēſionis, ſed ex diuerſitate ordinis: vnde ſicut intellectus ſolis naturæ ſuæ viribus non poteſt videre lumen gloriæ, etiam in quacunque minima intenſione, non ob aliam rationem, niſi quia ſecundum ſuam entitatem eſt altioris ordinis; ita nec lumen corporale corporis glorioſi poterit videri à viſu proprijs naturæ viribus, in quacunque illud remiſsione præſentetur, ex eo præciſè, quia eſt ordinis ſuperioris, vt ſupponimus. Nec exemplum ſumptum à noctua, aliovè oculo in ordine ad viſionem Solis ſatis eſt accommodatum: nam quod Sol ab oculo noſtro in ſua plenitudine videri nequeat, bene tamen ſi aliquo modo temperetur; inde prouenit quod proportio Solis ad noſtrum oculum non ſumitur ex diuerſitate ordinis, ſed intenſionis.

§. 4.

Soluuntur argumenta primæ opinionis.

Argumēta pro prima opinione adducta facilem habent ſolutionem: nam primum falſum ſumit fundamentum; hæc enim claritas glorioſi corporis ſpecie differt à claritate Solis, & horum inferiorũ, vt art. 6. oſtēdimus. 21. Ad 1. arg.

Ad ſecũdum (quod eſt Suarij) negat Salas claritatem illam ex ſua natura emittere ſui ſpeciem: hanc enim non emittit niſi eleuata: non eleuabitur tamen, niſi oculus ad eam recipiendam ſimul eleuetur. Sed nihil cogit admittere talem eleuationem tanquam neceſſariam. Ad argumentum igitur negandum eſt antecedens; quoniam oculus non glorioſus ad tales ſpecies non habet potentiam naturalem, ſed ſolam obedientialem. Ad hoc autem dicendum ſatis cogit ſupernaturalitas ipſius claritatis, ratione cuius eſt naliter improportionata, vt à viſu naturaliter videatur: & inde eſt, vt potentia paſsiua viſus naturaliter ſit improportionata ad recipiendum ſpecies illius, quanuis ſit in potentia obedientiali, vt ad illas ſupernaturaliter proportionetur. 22. Ad 2.

Tertium argumentum eiuſdem Suarij nullam vim habet contra noſtram reſolutionem. Dicimus igitur claritatem illam nec perfectè, nec imperfectè naturaliter videri poſſe ab oculo: & ſimul admittimus claritatem illam nullo modo contineri ſub obiecto viſus naturaliter & intenſiuè adæquato: nec video cur id non ſit concedendum: agimus enim de viſione illius claritatis in ſe ipſa, & ſecundum propriam, & indiuidualem entitatem: in hoc autem ſenſu lux illa nec in ſua plenitudine, nec in aliqua remiſsione continetur ſub obiecto viſui naturaliter adæquato: nam in eodem ſenſu Deus in ſe ipſo, ſuaque eſſentia nullo modo continetur ſub obiecto intellectui intenſiue & naturaliter adæquato. Etenim Deum poſſe ab intellectu abſtractiuè cognoſci ſecun- 23. Ad 3.

ſecundum prædicata communia, non bene infert eum comprehendi ſub obiecto viſionis intuitiuę, quia in ordine ad cognitionem intuitiuam Deus nec ſecundū cognitionem perfectam, nec ſecundum imperfectā eſt naturaliter cognoſcibilis.

24. Ad 4.

Quartum (quod eſt eiuſdem Suarij) ſupponit claritatem iſtam eſſe ordinis naturalis, quod negamus, & ſubinde negamus antecedens, cuius probatio ſupponit omne corporeum eſſe ordinis naturalis, quod eſt falſum: vnde cum à nobis negetur, nō debebat ſine ꝓbatione ſumi.

25. Ad 5.

Ad quintum dicendum eſt, malos in iudicio non viſuros claritatem aut Chriſti Domini, aut beatorum, ſed ſolam maieſtatem Chriſti ſedentis in throno, Angelis circumſeptam, & ipſos beatos per aerem diſcurrentes, & Chriſtum comitantes, quod ſatis eſt vt turbentur, & admirentur inſperatam illorum ſalutem: vel ſi claritatem viſuri ſunt, ad illius viſionem ſupernaturaliter eſſe eleuandos; & eodem modo dicendum eſt de diſcipulis in transfiguratione: ſi enim claritatem Chriſti viderunt, ad eam videndam ſunt eleuati.

§. 5.

Pro ſolutione quinti argumenti expenditur, an beati pro libito poſſint ſe ipſos occultare?

26. Quæſtio, an beatus ſe poſſit occultare?

VLtimum argumentū petit, an beati poſſint ſe ipſos, ſuamq; claritatē occultare? quæ quæſtio intelligi poteſt vel in ordine ad alios beatos, vel ad non beatos. In primo ſenſu ad eam reſpōdet *Abulenſis in cap. 17. Matth. q. 129.* & negat corpus glorioſum poſſe ſe, ſi voluerit, occultare alij beato. Fundamentū inde ſumit, quod hæc excellentia ſe occultandi pro voluntatis libitò prouenit ex perfectione ſtatus beatifici: cum verò illa omnibus beatis conueniat, non poteſt vnus alij ſe occultare; ſed hæc perfectio beatifici ſtatus nō videtur ſatis, vt illa excellentia nō cōueniat beatis etiā reſpectu aliorū beatorū: etenim quod illa excellētia beatis cōueniat præciſè ratione ſtatus beatifici non poteſt placere, niſi aliquid addatur: ſi verò cōuenit ob alias rationes ſtatim explicandas, non video cur hæc excellentia non conueniat etiam in ordine ad alios beatos, vt idem Abulenſis fatetur ad finem dictæ quæſtionis.

An poſſit ſe occultare alijs beatis? Negat Abulenſis. Nō ſatis placet.

27. An poſſit ſe occultare nō beatis? Affirmatio eſt communis.

Porrò ſi quæſtio intelligatur in ordine ad non beatos, omnes Theologi vnanimi conſenſu hanc excellentiam beato tribuunt. Ita *D. Thom. 3. p. q. 76. ar. 8. & in 4. diſt. 44. q. 2. ar. 4. quæſtiunc. 3. in corp. & ad 1. Cum eo conſentit Richar. in 4. diſt. 49. ar. 4. q. 6. ad 3. & Sotus ibid. q. 4. art. 5. ad 1. pag. 641. col. 2. Abulen. loco cit. Viguer. in ſua reſolutione Theologica c. 14. §. 2. verſ. 4. Valent. to. 4. diſp. 11. q. 5. pun. 1. pag. 1965. §. Sed quia, Pezant. in additionib. ad 3. p. q. 85. art. 3. Salas in d. ſect. 16. pag. 610. col. 1. & ſatis Suar. in d. diſp. 48. ſect. 2. pag. 911. col. 1. in fine, & pag. 912. col. 2. B. Pro eadem refertur Horontius lib. 11. c. 40. & Pariſien. in 2. par. partis primæ de Vniuerſo. Eandem Scot. non negat, ſed admittit potiùs in 4. diſt. 49. q. 15. §. Alij dicunt: eum Palud. ibi. q. 5. ar. 3. ad 3. n. 14. & 15. Ouand. in 4. diſt. 10. propoſ. 17. latiùs diſt. 49. propoſit. 34. dùm agit de dote claritatis, fol. 130. pag. 1. Nicol. de Niſſe in reſolut. Theologica tract. 7. pag. 3. port. 2. q. 4. ad finem.*

D. Thom. Richard. Sotus. Abulenſ. Viguerius Valentia. Pezant. Suar. Salas. Horont. Pariſienſis Scotus. Paludan. Ouand. Nyſſe.

28. Non cōſentiunt in ratione occultationis.

Qui omnes quamuis in cōcluſione cōſentiant, differunt tamen in ratione occultationis. Quidam id referunt ad excellentiam ſtatus beatifici; vt Abulenſis: alij volunt Deum hoc priuilegium cuilibet contuliſſe, vt pro libito voluntatis poſsēt ſe occultare, & non occultare. Ita D. Thomas, quem communiter fere omnes ſequuntur. Scotus tamen cum ſuis id tribuit diuino decreto, quo ſtatuit non concurrere ad emiſsionem ſpecierum, quando beatus vellet ſe occultare.

29. Reſolutio Authoris de occultatione claritatis.

Ego quæſtionē ita reſoluerem, vt ſuppoſita opinione quod claritas iſta ſit eiuſdē rationis, & ordinis naturalis cum luce Solis, & horū inferiorū, & ſubinde quod naturaliter videri poſsit ſi oculo præſentetur; hæc excellentia ſit à Deo conceſſa beatis, quāuis incertus ſit modus quo ſe ſe occultant. Suppoſita tamen ſententia, quā vt veriorē in hoc art. ꝓbamus, claritatē ſcilicet iſtā ſecundū ſuā entitatē eſſe ordinis ſupernaturalis, & ſubinde nō poſſe naturaliter videri, nō video quomodò id ſoli beatorū voluntati relinquatur, aut diuino cōcurſui ex volūtate beati dependēti: quare exiſtimo beatos ad illā occultandā nullo priuilegio indigere: quia ipſa claritas ex ſua natura eſt naturaliter inuiſibilis: indigere tamē aliquo priuilegio, vt poſſint eā præbere alijs intuendā, quare

aut Deus cuilibet beato conceſsit poſſe cũ voluerit eleuare oculum non glorioſum, vt ſuam claritatem illi oſtendat: aut ſtatuit eundem oculum ſe ipſo eleuare, quãdo beatus vult ſe videndum prębere.

30. Quid de occultatione coloris. Hæc puto eſſe veriſsima, quod attinet ad viſionem ipſius claritatis: ſi verò inquiratur, an beatus poſsit ſuum colorem alijs occultare, vel nõ occultare? (poteſt enim videri vt eſt coloratus, quãuis non videatur vt eſt lucidus, vt melior habet opinio) ſi in hoc ſenſu quæſtio excitetur, nõ negarem hanc excellentiam cuilibet beato: tùm quia illa ſtatum beatificum maximè decet: tùm quia Chriſtus Dominus ſe occultauit quando voluit. Quomodo autem illa beatis ſit conceſſa? mihi eſt incertum: ex modis ſuprà explicatis elige quem volueris.

31. Solutio vltimi argumenti principalis. ¶Hac reſolutione ſuppoſita, diſſoluendũ eſt vltimum argumentum poſitum §. 1. Ad illud neganda eſt ſequela: quia licet beatus illo priuilegio nõ indigeat ex parte ipſius claritatis, quia naturaliter eſt inuiſibilis: illo tamen indiget ex parte oculi à quo eſt videnda; quia oculus ad volũtatem ipſius beati eleuabitur, vel non eleuabitur, vt diximus: indiget etiam illo, vt poſsit ſe coloratum occultare, vel non occultare, vt etiam aduertimus.

QVÆSTIO V.

De agilitate corporis glorioſi.

IN hac quæſtione ſequentes excitabimus articulos. Primus eſt; an in corpore glorioſo futura ſit agilitas? Secundus; vtrùm corpora beata, præter motum membrorum, & progreſsiuũ, moueantur motu ſimplici, ita vt totum corpus vno impetu moueatur ad quam partem beatus voluerit? Tertius; à quanam virtute iſte motus fiat? Quartus; Vtrũ hoc motu beatus poſsit in inſtanti moueri ab extremo ad extremũ tranſeũdo per mediũ? Quintus; vtrũ poſsit moueri ab extremo ad extremũ, & non per mediũ? 6. an habeat determinatam, & finitam velocitatẽ? 7. erit de velocitate, & agilitate motus progreſsiui. 8. Vtrùm in hac agilitate omnes beati ſint æquales? Nonus, & vltimus; Quidnam ſit iſta agilitas? & vnde oriatur?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in corpore glorioſo fututa ſit agilitas?

AGilitas hoc loco ſumitur pro quadam veluti facultate ad motum localem expedite, velociter, & facilè exercendum, vt docet Scot. in 4. diſt. 49, & poſtea Suar. 2. tom. ad 3. p. diſp. 48. ſect. 4, in princip,

§. 1.

Refertur pars negans cum argumentis.

PArtem negantẽ probare debent hęretici, qui negant corpora reſurgẽtium poſſe reſurgere cum aliqua ſupernaturali perfectione, ſed neceſſario reſurrectura fore cum omnibus defectibus, qui in via hominem comitantur; cũ vero inter iſtos defectus ſit tarditas in motu, & difficultas, fatigatioque in illo exercendo, qui defectus cõtrariatur agilitati; ex conſequenti negabunt iuſtos cũ perfectione agilitatis reſurrecturos. Hos hæreticos citauimus ſuprâ q. 1. An aliquis in terminis hanc perfectionem negauerit? inueni neminem: nonnullos tamen eam negaſſe refert *Abulenſis in cap. 17. Matth, q, 123.* 1. Pars negãs. *Abulen.*

2. Prima erroris confirmatio. Error iſte primò poteſt confirmari, quoniã quod eſt agile non indiget ad motũ aliquo deferente, quo tamen indigent corpora iuſtorum: nam ex Paulo 1. ad Theſſal. 4: *Iuſti rapientur obuiam Chriſto in aera*: idq; ab Angelis, vt ibidem ait Gloſſa. *1. Theſſal. 4.*

3. Secunda. Secundò, motus localis non erit in beatis: ergo in illis non erit agilitas, quæ ſine motu non datur. Antecedens probatur, tùm quia motus eſt actus imperfecti, ex 3. Phyſicorum; in beatis autem nulla dabitur imperfectio: tùm etiã, quia motus nõ datur, niſi propter indigentiã alicuius; quod ſolũ eſt in eo loco ad quẽ fit mot⁹: in beatis autẽ nõ datur vlla indigentia, ex Aug. 22. de Ciuitate Dei; *Ibi erit quicquid voles, & non erit quicquid noles.* *Auguſt.*

3, 3. confirm. Tertiò, quia corpora glorioſa mouebũtur cũ labore, & difficultate: ergo in illis nõ erit agilitas. Conſequentia patet, quia ꝓprius agilitatis effectus eſt, reddere motũ facilẽ abſque vlla difficultate. Antecedens probatur, quia illa ex ſua natura determinant vnam poſitionem, & ſitum, à quo ſine reſiſtentia moueri nequeunt: iam

iam verò vbi datur reſiſtentia mobilis, datur difficultas in motu.

5. Quarto. Quartò, quia in beatis non datur perfectio ſpecialis ad ſenſationem, quæ eſt nobilior, quam motus: ergo nec dabitur ad motum.

6. Poſtremò. Poſtremò, quia corpus glorioſum habet membra in quantitate, & figura eiuſdem diſpoſitionis, quæ fuit in via: ſed in via non habuerunt agilitatem: ergo nec eam habebunt in patria. Maior nota eſt, ſimul cum minore. Conſequentia probatur, quia Deus multo ordinatius operatur quàm natura: ſed natura inſtrumẽtis eiuſdem diſpoſitionis non dat diuerſam virtutem, ſed eandem: ergo ſi in via illis non dedit agilitatem, nec eam dabit in patria.

§. 2.

Affirmatiua eſt de fide.

7. Affirmatiua de fide. Affirmatiua tamen ſententia eſt tenenda tanquam de fide, tùm quia eam probat vnanimis conſenſus Theologorum; tùm quia ex ſcripturis efficaciter deducitur, & ex teſtimonio multorum Patrum. Eam probarunt *D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 1.* (*habetur in additionibus q. 84. ar. 1.*) *vbi etiã Durand. q. 7. Supplementum Gabrielis q. 2. ar. 2. litera H. D. Bonau. ar. vltimo, q. 2. Richard. in 4. diſt. 49. artic. 4 q. 7. Palud. q. 4. Scot. q. 14. Sot. q. 4. ar. 7. Maior q. 18. Palat. diſp. 4. Ouand. propoſ. 34. fol. 131. pagina 1. Abulen. in d. q. 123. Suar. 2. tom. ad 3. part. diſp. 48. ſect. 1. pag. 904. col. 2. A. B. & ſect. 4. per totam: Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 18. Valen. 4. tom. diſp. 11. q. 5. punct. 1. pag. 1965. D. & 1966. C. Pezan. in additionib. q. 84. art. 1. Viguer. in Inſtit. Theologica c. 14. §. 2. verſ. 5. Nicol. de Nyſſe in ſua Reſolut. tract. 7. p. 3. port. 3. q. 3. fol. 626. Angles in florib. de Beatitud. ar. 5. difficult. 3.* Denique quotquot Catholici hac de re ſcripſerunt.

D. Thom. Durand. Supplem. D. Bonau. Richard. Paludan. Scotus. Sotus. Maior. Palatius. Ouand. Abulen. Suar. Salas. Valentia. Pezant. Viguerius Nyſſe. Angles.

8. Primus locus Scripturæ. 1. Cor. 15. Hanc perfectionẽ Theologi cõmuniter deducunt ex verbis Pauli 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Vbi nomine virtutis intelligendam eſſe perfectionẽ agilitatis cõmunis eſt explicatio omniũ fere Theologorũ, quos citauimus, atq; etiã interpretũ eiuſdem loci: ita *Lyra, D. Thom. Dionyſ. Caiet. Ioan. Arboreus, & Cornelius à Lapide, & plures alij.*

Senſus ergo eſt, *Seminatur in infirmitate*, id eſt, in impotẽtia tarditatis, quia corpus quod corrũpitur aggrauat animam, Sapien. 9. *Surget in virtute*, id eſt in potentia agilitatis, qua facilè & ſine vlla difficultate, fatigationeque ab anima moueatur.

9 2. locus Iſai. 40. Cui explicationi cõcinunt verba Iſaię 40. *Qui ſperant in Dño mutabunt fortitudinẽ, aſſument pennas vt aquilæ, current, & nõ laborabunt, ambulabũt, & non deficient.* Quæ verba licet explicari poſſent de Sãctis pro tẽpore vitę, accõmodatius tamẽ explicãtur de iuſtis reſurgentibus, ex *Aug. epiſt. 79. ad Iſychiũ, & Hilar. Pſal. 138. circa illa verba, Si ſumpſero penas meas diluculo.* Explicata autem in eo ſenſu nõ ſolum conuincunt in beatis futuram eſſe agilitatẽ, vt patet, ſed etiam explicant ſenſũ Pauli in præcitatis verbis, vt virtus ibidem idem ſit quod potentia, & fortitudo, qua Sancti volabunt vt aquilæ ſumma cum celeritate, abſque vlla defatigatione, qui eſt proprius agilitatis effectus. *Auguſt. Hilarius.*

10. 3. locus Malach. 4. Accedit tertiò locus Malachiæ 4. *Et orietur Sol iuſtitiæ vobis timentibus nomen meũ: & ſanitas in pennis eius, & egrediemini, & ſalietis vt vituli.* Quæ verba cõſentientibus noſtris, & Hebręis (vt ait Franciſc. Ribera) de die iudicij intelliguntur: vnde per pennarum ſanitatem, & per ſaltus ſicut vitulorum, teſte eodem Ribera, intelligitur corporis firmitas, & celeritas cum facilitate, & lætitia; in quo etiã ſenſu eadem verba interpretatur Suar. vbi ſup. *Ribera.*

11. 4. locus Sapien. 3. Denique pro hac agilitatis perfectione plerique intelligunt illa verba Sapien. 3. *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Quibus verbis ex D. Thoma, & alijs, explicatur agilitas in motu, quæ ſimilis erit agilitati, & celeritati ſcintillarum: in quo ſenſu verba illa explicauit *Innocentius 3. lib. 4. de myſterijs Miſſæ cap. 12. cum pleriſq; ſcholaſticorum.* *Innocen. 3*

12. Confirmatur ex Patribus. Eandem veritatem cõfirmant pleraq; Patrum teſtimonia; in beatis agilitatem admittunt *Auguſt. 13. de Ciuit. Dei c. 18. & lib. 20. c. 18. in Enchyrid. cap. 90. & in d epiſt. 79. ad Iſychium*: vnde D. Thomas in præcitatis verbis Pauli refert Auguſtinum dicentem, *Ibi erit tanta facilitas* (ſcilicet in motu) *quanta felicitas. Hilarius ad præcitata verba Pſalm. 138. Anſelmus in libr. de Similitudin. & in Proſologio. capite 25. Bernardus ſermone 4. in Feſto* [illegible] *omnium* *Auguſt.*

Laur. Iuſt. Altiſiod. Pariſienſis *omnium Sanctorum, Laurentius Iuſtin. in libro de Perfectione monaſticæ conuerſationis cap.23. Author libri de cognitione veræ vitæ cap.45. Altiſiodo.4.p. Summæ tractatu 123.q.3. Pariſienſis de vniuerſo 2.p. primæ partis fol.118. col.3.* Denique ratione id

13. Confirmatur ratione. ipſum probatur: quoniã in reſurrectione ſupernaturaliter auferentur omnes naturales defectus, qui corpus mortale comitantur, vt omnes docent, & ſatis colligitur ex ijs, quæ ſcribit *Paulus 1. Cor. 15.* *Auguſt.* *docetq; Auguſt. 12. de Ciuitate Dei cap. 20.* Iam verò inter deformitates enumeratur tarditas in moueri. Ergo hæc in reſurrectione tolletur: tolli autem non poteſt, niſi per perfectionem agilitatis.

§. 3.

Solutio argumentorum.

14. Ad 1. arg. AD primum argumentum §. 1. adductum cum D. Thoma, Abulenſi, & Soto, admiſſa opinione, quod Iuſti obuiam Chriſto in aera ab Angelis deferri debent; id non contingere ex indigentia, vt patet ex locis Scripturæ adductis; ſed quia id cedit in honorem eorum: nam & Chriſtus ab Angelis in cœlum ductus eſt in reuerentiam, & honorem: cum tamen qui cum Chriſto reſuſcitati in cœlum aſcenderunt, propria virtute aſcenderint: & eodem modo aſcendent in die iudicij.

15. Ad 2. arg. Ad ſecundum, antecedens eſſe negandum probant teſtimonia Scripturæ ſuperiùs adducta. Ad primam probationẽ dicimus motum in communi ex ſua ratione ſupponere aliquam imperfectionẽ in ſubiecto; quia ſupponit potentiam ad acquirendum aliquid, quod non habet: non tamen ſupponere imperfectionem, quæ ſubiectum reddat ſimpliciter imperfectum; qualis eſt, quæ fuerit coniuncta cum aliqua phyſica contrariavè mutatione, quæ ſubiectum à ſuæ naturæ naturali ſtatu remoueat: hæc enim imperfectio non reperitur in motu locali, ſed in motu alterationis & augmẽti, & decremẽti ex Ariſt. 8. Phyſ. c.7. tex.59: quare licet omnis motus in ſubiecto aliquã imperfectionẽ ſupponat; quia in omni ſubiecto ſupponit potentiã ad formã, quã non habet; quæ potẽtia, & imperfectio omnem rem creatã comitatur: nõ tamẽ omnis motus ſupponit potentiã, quæ cũ reali, & phyſica mutatione cõiungitur: hanc enim non ſupponit motus localis: is enim aut non terminatur ad formam intrinſecã (ſi vbi idem eſt quod locus) vel ſi vbi intrinſece ponitur, eſt aliquid intrinſecum in locato (vt doctiſsimorũ eſt opinio, quã in Philoſophia probauimus:) cum vbi formaliter ſolum ſit modus ipſius locati, nullam realem mutationem denotat, & ideò nullam phyſicã, & corruptiuã imperfectionem in ſubiecto ſupponit. Ad argumentũ igitur dicimus motum localem in ſub- 16. Ad argum. in forma. iecto quidem ſupponere potentiã, & aliquam imperfectionem: negamus tamen in beatis nullã imperfectionem dari: quia datur in illis potẽtialitas, quæ omnem rẽ creatam neceſſario comitatur. Mouẽtur autem beati non propter indigentiam alicuius rei ad naturalem ſuam perfectionẽ neceſſariæ: bene tamen mouentur ad rẽ, quæ ad maiorem decorem, & ornatum conducit, vnde & formas perfectiuas de nouo poſſunt acquirere, quales ſunt ſpecies intentionales; atque etiam noua loca, & noua vbi, quibus, & eorum libertas, & vſus potentiarum decorentur. Vide *So-* *Sotus.* *tum in d. art. 7. ad 2. pag. 638. col. 2.*

Ad 3. negandum eſt antecedens, cuius 17. Ad 3. probatio futilis eſt: quoniã corpus ipſum redundantia gloriæ, & dotibus ſuperadditis erit in omnibus animę ſubiectũ; etiã in his, quę aliàs illi erant contra naturam: vide *D. Thomã. & Abulenſem locis citatis.*

Ad 4. patebit ſolutio ex ijs, quæ dice- 18. Ad 4. mus in 7. quęſt. huius libri, vbi expendemus, ad quam ex quatuor perfectionibus pertineat perfectio ſenſuũ: quidam enim eam reuocant ad agilitatem; alij verò ad ſubtilitatem, vt habes apud *D. Thomam, & Abulenſem locis citatis.*

Ad poſtremum reſpondent *D. Thom.* 19. Ad vltimũ. *& Abulenſis vbi ſuprà ad 4. argumentum:* ſed ego non video, vnde valeat conſequẽtia: ad probationem dicerem, ideo naturã membrorũ, quæ ſub eadẽ quãtitate, & figura ſunt eiuſdem diſpoſitionis, non tribuere diſtinctam virtutẽ, quia ſub eadem quantitate, & figura habent eundem ſtatum; qui tamen mutatur in reſurrectione à ſtatu imperfecto naturæ, ad ſtatum perfectum gloriæ, quæ ſub eadem quantitate, & figura ſublata virtute imperfecta naturæ, poteſt tribuere virtutem perfectiſsimam gloriæ.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrùm corpora beata præter motum membrorum in eodem toto, & motum progreſſiuum; habeant motum ſimplicē, quo totum corpus primo moueatur?

1. 1. Præmiſſ. PRo huius quæſtionis explicatione præmittimus in corpore humano triplicem poſſe diſtingui motum localem: primus eſt motus progreſsiuus ſatis notus, qui dicitur motus deambulationis. Secundus eſt motus nō totius corporis, ſed alicuius partis eius, vt motus membrorum, ſc. pedum, manuum, &c. Tertius eſt motus ſimplex, quo totū corpus ſimul mouetur, vt cum aſcendit ſurſum, vel deſcendit deorſum, vel ad dextram, aut ſiniſtram non gradiendo, ſed motu ſimplici transfertur.

2. 2. Præmiſſ. Præmittendum ſecundo motum primum progreſsionis non eſſe negandum beatis; vt inferius dicemus, & late iā oſtēdimus ſupra *lib.4.q.22.art.3*, Neque etiā negandum eſt dari in beatis motum ſecūdi generis, quo toto corpore in eodē loco manente membrum aliquod moueatur, vt pes, manus, &c. id enim ex ſacris literis euidenter probauimus *in d.q.22.art.4*. Supereſt igitur oſtendere; an in beatis admittendus ſit motus ſimplex quo totum corpus ſimul primo moueri valeat?

§. 1.

Refertur opinio negans.

3. Opinio negans. *Durand.* 1. Argum. PArtem negantem probauit *Durandus in 4.diſtinct.44. q.7. num.14*, vbi docet oppoſitam opinionem fictiam eſſe, & inopinabilem. Illam ex eo primum cōfirmat, quia in tali motu pars mouens debet diſtingui à parte mota; quia nihil à ſe ipſo moueri poteſt: cum verò in tali motu anima debeat eſſe mouens, ſola materia erit primò mota; quia præter animam ſola datur materia, quæ poſſit moueri, hoc autē eſt abſurdū. Ergo beatus totus primo moueri non poterit.

4. 2. arg. Secundo; in beato poſt reſurrectionē non datur noua aliqua virtus motiua prę ter eam, quæ fuit in via: ſed virtus motiua, quæ fuit in via, ſolùm eſt ad motum organicum, quo vna pars corporis per aliam mouetur. Ergo præter motum organicum, & progreſsiuum nullus dabitur motus ſimplex in beatis.

Tertio ita argui poteſt: quoniam motus ſimplex eſt motus ſecundum naturā elementi prædominātis. Sed agilitas dicit habilitatē ad mouendū motu ſecundum animā: anima verò ſolius motus progreſſiui, & organici eſt principiū. Ergo agilitas non dabitur beatis ad motum ſimplicem, ſed ad ſolùm organicum, & progreſſiuum. ¶ His argumentis putat Durandus in beatis non eſſe admittendum motum ſimplicem, ſed ſolùm progreſsiuum: quā opinionem eſſe probabilē putat *Paludan.in 4.diſt.44.q.4.n.6, & 7. & ſimpliciter eam probat Ocham.in 4.q.5.& Supplem. in 4.diſt.44.q.2.pag.483.& 484.* 5. 3. argum. *Paludan. Ocham.*

§. 2.

Affirmatiua eſt vera.

6. Affirmatiua vera. AFfirmatiuam tamen ſententiā probat *Scotus in 4.diſt.49.q.14.B.§ Corpora glorificata.* Vbi affirmat in beatis dari motū, quo totum corpus primo moueatur. Pro ea citari ſolet *Palud, vbi ſupra*: ſed ibi ſolum dicit hāc ſententiā poſſe ſuſtineri, & videtur in oppoſitā magis inclinare. Sed cum Scoto conſentit *Abulenſ.in c.17.Matt.q.126.§.Conſiderandum vlterius fol.255.col.1.& col.4.§. Ad ſecundum dicendum*. tanquam certum idem affirmat *Palatius in 4.diſt.44.diſp.4.pagin.58, col.1.latè Suarius 2.tom.ad.3.p.diſp.48.ſec. 5.§.2.dicendum eſt, pag.923.col.2.Salas 1. tom.ad 1.2.q.5.art.5.tract.2.diſp.14.ſect. 18.§.Dico 2.pag.616.col.2.vbi refert Horont.lib.11.c.40.ſimpliciter probat Angles in Florib:de Beatitud.art.5.difficul. 4.pag. 138.eandem ſentent. ſupponunt Conimbr.in tract.de anima ſeparat. diſp.6.ar.3.pag.527 in fine,* addimus Baſſolium in 4.diſt,49.q. 2.ar.1.§.*Sed quantum ad præſentem artic.* *Scotus. Paludan. Abulenſ. Palat. Suar. Salas. Horont. Angles. Conimb.*

7. 1. Ratio. Hæc opinio primo cōfirmatur: quoniā ſacra Scriptura beatis maiorē tribuit velocitatē, quā in motu progreſsiuo reperiatur; imò illis motū cōcedit, qui nō eſt progreſsiu⁹, vt ſatis indicāt illa verb. Sapiētię 3. *Quaſi ſcintillæ in arundineto diſcurrent.*

2. Ratio. 2. Quia beati, & aſcendere poſſunt in cœlū, & à cœlo deſcendere in terrā: nec ad hoc indigent auxilio Angelorum, ſed propria ſua virtute vtrumque iſtum motum habebunt, & tamen neuter erit progreſsiuus. Vide Suarium.

9. 3. Ratio. Tertio idem confirmatur: quia motus iſte eſt poſsibilis, & pertinet ad maiorem ipſius beati perfectionem, vt patet, quæ ratio ſatis eſt vt opinionem Durandi dicamus eſſe improbabilem.

§. 3.

Solutio argumentorum.

10. Ad 1. arg. & Solutio. FVndamenta autem in contrariũ adducta facilè ſoluuntur. Ad primum facilis eſſet ſolutio apud eos, qui putant animam beatam ſe ipſam mouere, & ad motum ſui trahere ſecum corpus, cui vnita eſt: in quo ſenſu anima non per ſe mouet totum corpus, ſed ſolùm per accidens. Quæ verò ex Ariſtotele adducuntur, intelliguntur de motu eorũ, quæ per ſe mouentur; non verò de illis, quæ ad motũ alterius mouẽtur per accidens. Sed ſolutio non eſt admittenda; quia falsò nititur fundamento: etenim anima beata illo ſimplici motu non per accidens, ſed per ſe primo, & æqualiter mouet totum corpus. ¶ Sed nec argumentũ vim habet apud eos, qui putant animam habere potentiam loco motiuam ſibi propriam, & in ſe inexiſtentem, qua, dum eſt ſeparata, ſe ipſá localiter mouet, vt vera habet Philoſophia, de qua in ſequenti articulo: Et quamuis in via per hãc potentiam nõ poteſt totum corpus primo mouere; id tamen poteſt in ſtatu Patriæ. (Secunda)

11. Si verò cũ Durando inferas ſolam materiã primo moueri; quidam negant ſequelam: quia non ipſa materia, ſed totum cõpoſitum primo mouetur; inter quod, & animam datur ſufficiens diſtinctio, vt illud ab anima moueri poſsit. *Ita Suar. vbi ſuprà pag. 923. col. 2. in fine, & Salas pagin. 616. col. 2. poſt medium.* (Suar. Salas.) Sed ſi hi Authores per totum cõpoſitum intelligant totum hominem; cũ totus homo ſit, quod per animam mouet, non video, quomodo totus homo poſsit ab anima per ſe primo moueri. Quare ad argumentum neganda eſt ſequela, ſi ſermo ſit de materia nude ſumpta; admittenda tamen ſi nomine materiæ intelligantur partes materiales, quæ informatæ anima corpus integrant, à quibus anima diſtinguitur: vnde per ſuam propriam potentiam loco motiuam poteſt illas æque primo mouere cum dote agilitatis, cũ anima ſit eleuata, & omnia corporis membra ſint æque diſpoſita ad recipiendum motum.

12. Quid ſi potentia iſta, ſit in corpore. Difficilior erit ſolutio ſi potentia loco motiua ponatur non in anima, ſed in corpore informato ab anima. Suarius tamẽ & Salas putãt adhuc in beatis ſaluari poſſe motum ſimplicem: vnde nituntur illũ ſaluare: an verò ſufficienter? aliorum ſit iudicium: ab hoc tamen ſuperſedemus, quia in beatis motus iſte ſimplex non ſit à potentia loco motiua, quæ ſit in corpore, ſed quæ ſit in anima, vt dicemus in ſequenti articulo. Qua ſuppoſita ſententia argumentum Durandi parum habet efficaciæ, vt iam oſtendimus. Illud hoc loco aduertam, ſuppoſita præcitata opinione, non aliter poſſe argumentum ſolui, niſi negando maiorem: etenim apud Scotum idem poteſt ſe ipſum mouere: vnde maiorem illam negat *Baſſolius vbi ſupra art. 1. ad primum.* Baſſolius.

13. Ad 3. Ad ſecundum, omiſsis Suarij, & Salæ ſolutionibus, dicendum eſt maiorem eſſe veram, ſi per nouam virtutẽ intelligatur noua potentia loco motiua: hæc enim eadem eſt, quæ fuit in via: negandã tamen eſſe ſi intelligatur noua virtus eleuatiua potentiæ: etenim in Patria potentia iſta eleuatur ipſa agilitate, qua potens eſt non ſolùm perficere potentiam ad motum organicum; ſed etiam ad motũ ſimplicẽ.

Ad tertium dicimus maiorem eſſe veram de motu ſimplici naturali: falſam tamen, ſi motus ſimplex in ſua communi ratione ſumatur: quia vt ſic illi non repugnat pendere ab anima, ſi non naturaliter ſaltem vt eleuata: licet enim motus ſimplex naturaliter ſumptus ſolùm ſit ſecundum naturam elementi, & ſubinde ad motum ſurſum, & deorſum: abſolutè tamen ſumptus poteſt eſſe ad omnes loci differentias, idque ſi eleuetur per donum agilitatis.

ARTICVLVS III.

A quanam virtute fiat motus ſimplex non organicus?

§. 1.

Referuntur variæ opiniones

1. 1. Opinio. DE hac difficultate variæ fuerũt opiniones. Prima aſſerit hũc motum fieri à ſolo Deo. Hãc opiniõnem

Maior. Supplem. nem Suarius,& Salas tribuunt *Maiori in 4.diſt.49. q.18.* Sed Maior ibidem non ab ſolutè id dicit; quin potius aliquo modo docet oppoſitum: clarius tamen hanc opi nionem probat *Supplementum Gabrielis in 4.diſt.44.q.2.pag.483.col.2.& 484.col. prima.*

2\. 2.Opinio. Secunda opinio motum iſtum tribuit cuidam quintæ eſſentiæ,quæ in reſurrectione corpori beato prædominabitur: vnde eũ tribuit nõ virtuti ſupnaturali,ſed naturali.Hanc opinionem nonnullos pro *D. Thom.* baſſe teſtatur *D.Thomas 3.p.q.57.artic.3.* *Alen.* *& in 4.diſt.44.q.2.art.3.quæſtiunc.1.& tribuitur Alenſi,* qui tamen eã non probat.

3\. 3.Opinio. *Scoti.* Tertia opinio eſt Scoti *in 4.diſt.49.q.14.B.§.3.videndum eſt,* vbi hac de re plura docet. Primum eſt animã habere potentiam motiuam; qua poſsit ſe localiter mouere, motu tùm organico,tùm nõ organico: idque non ſolùm in corpore mortali; ſed etiã in glorioſo, quod multis probat in d.litera *B.* Deinde docet hanc potẽtiã non eſſe aliam &aliã ad motũ progreſſiuũ,& organicum,& ad non organicum; ſed eſſe vnam,& eandem vt ibidem oſtẽdit litera C. Hoc autem probat. Primo, quia nulla eſt neceſsitas cogens ad hanc pluralitatem;cum vterque motus optimè ſaluetur ponendo vnam tantum virtutẽ, & potentiam. Deinde: quando vna virtus ideo non poteſt cauſare motum, niſi organicũ; quia pars ꝓpinquior eſt magis diſpoſita, remotior verò minus: ſi illa eadem virtus omnes partes propinquas, & remotas habeat æque diſpoſitas, poterit eas æque primo mouere, & ſubinde motu non organico, ſed ſimplici. Ergo fieri poteſt vt vna,& eadem virtus potentiaque motiua poſsit eaſdem partes mouere organice, & non organice: ſed pro ſtatu gloriæ omnes corporis partes erũt æque diſpoſitæ ad recipiendum motum localẽ. Ergo illa eadẽ virtus motiua,quæ in corpore mortali non poteſt mouere partes corporis niſi organice propter diuerſam illarum diſpoſitionem ad motum,poterit in Patria æque primo mouere illas.

4\. *Baſſolius. Horontius* Eandem ſententiam cum Scoto probat *Baſſolius in 4.diſt.49.q.2.art.1.§.3. Dico.* vbi multa ſcribit,quæ hanc Scoti opinionem ſatis confundunt. Cum Scoto conſentit *Horont.lib.11.c.40.vt teſtatur Salas.* Quæ autẽ ſit iſta potẽtia locomotiua, quæ & organice&nõ oganicè in corpore mortali,& in glorioſo poteſt corpus mouere? nõ explicat Scotus;ſupponit tamen eam eſſe potentiam exiſtentem in anima illique naturalem: vt tamen illa poſsit mouere corpus motu nõ organico, præexigit,vt partes corporis ſint ęque diſpoſitę; idque non naturali modo,ſed ſupernaturali: vnde tacite ſignificat ad talem diſpoſitionem dari agilitatem; quamuis id non explicet.

Cum hac Scoti ſententia conſentit 5. Salas conuenit cũ Scoto
Salas 1.tom. ad primam ſecundæ,q.5.art.5. tract.2. diſp.14.ſect.18.pag.617.col.1.in fine, vbi plura ſatis confuſè, & indiſtinctè ſcribit: ſi tamen, quæ ſcribit,diligenter expendantur,cum Scoto conſentit,hunc motum ſimplicem fieri ab aliqua virtute actiua naturali, nimirum a voluntate, ſiue appetitu, ſine aliqua ſupernaturali virtute ſuperaddita: ſuperaddita tamẽ qualitate ſupernaturali corpori, & omnibus eius partibus,vt reddantur ſubiectæ animæ mouenti in ordine ad motum: quam ſuam mentem explicat tùm *in dicta pag. 617.col.2.in principio,tum pagina 618.col. 1.in fine,* quæ etiam fuit opinio Scoti: licet enim Scotus ex parte animæ mouentis nihil aliud requirat, niſi ipſam potentiam naturalem animę ad localiter mouendum: tamen requirit agilitatem ex parte corporis,vt illius partes ſint æqualiter dipoſitæ ad ſuſcipiendum motum nò organicum.

Quarta opinio ita rem explicat,vt ani- 6. 4. Opinio.
ma beata recipiat virtutem actiuam, qua fiat efficax vt poſsit ſuum corpus mouere motu non organico, idque maxima cũ velocitate. Addunt tamen huius opinionis Authores virtutem iſtam ſupernaturalem cõmunicari animæ eo modo, quo virtus miraculorum à Deo communicatur: vt ſcilicet,ideo dicatur communicari quia Deus ſtatuit vti voluntate beati, vt inſtrumento ad efficiendum hunc effectum,non quidem communicando aliquã qualitatem, ſed ſolùm ſuum concurſum, quo ad talem motum ſupernaturaliter eleuetur. Quare motus iſte non organicus tribuendus erit potentiæ quidem actiuæ animæ, non naturali, ſed obedientiali. Iſtam opinionem putat eſſe probabilẽ *Suarius 2.tom.ad tertiam partem. diſp. 48.ſect.4.pag.925. §. Duobus e[...] modis.* *Suarius*

quam tribuit Soto in 4. diſt. 49. q. 4. artic. 7. ſed quam longe ſit Sotus ab hac opinione, facilè quis intelliget ex ijs, quæ ſcribit *in dicto art. 7. §. Quod ſi quæras. pagin. 637.*
Salas. *colu, 1. vt benè aduertit Salas in dicta pagina 617. col. 2, §. Qui addit motum.*

7. 5. Opino Scot. Quinta opinio eſt Soti *in dicto artic. 7. columna 1. in fine,* vbi docet agilitatem ad talem motum proficiſci ex perfectiſsima animatione; qua corpus ab anima beata informatur: nam ab illa abſque vlla ſuper addita qualitate proficiſcitur perfectio impaſsibilitatis.

8. 6. Opino. Sexta tandem opinio docet hunc motum oriri ex ſupernaturali, quadã qualitate indita corpori beato, quę ex ſua natura habeat vim actiuam mouẽdi corpus ad quamcunque loci poſitionem; idque motu ſimplici, quo totum corpus per ſe primo æqualiter moueatur; dependenter tamen à voluntate. Hanc opinionem, tanquam probabiliorem magis probat
Suarius, *Suarius vbi ſupra pagin. 925. colu. 2. §. Secundus dicendi modus, vbi eam tribuit Diuo Thomæ in 4. diſt. 44. quæſt. 2. artic. 3. quæſt. 1. & Paludano ibidem quæſt. 4. & Richardo in 4. diſt. 49. art. 4. quæſt. 7. & D. Bonauenturæ ibidem art. 7. quæſt. 2.* Sed non video quomodo ex D. Thoma, & alijs citatis colligi poſsit qualitatem iſtam exiſtentem in corpore eſſe actiuam: cum omnes expreſſe doceant corpus per talem qualitatem reddi habile ad obediendum ani-
Salas. mæ in motu: quare *Salas vbi ſupra* merito ſcribit opinionem Suarij in illis authoribus fundamentum non habere.

§. 2.

Pro vera reſolutione præmittuntur nonnulla.

9. 1. præmiſſ. PRo vera huius difficultatis reſolutione prẽmittendum eſt primo in anima rationali, etiam vt eſt in corpore mortali, admittendam eſſe potentiam loco motiuam naturalem in ea reſidentem, & ſubinde ſpiritualem, qua anima poteſt ſe ipſam mouere, ſaltem cum eſt ſeparata:
Conimb. quæ eſt ſententia *Conimbricenſium 3. de Anima cap. 13. q. 1. art. 4. ad ſecundum pag. 418. & in tract. de Anima ſeparata diſpu. 3. art. 1, concl. 3. pag. 487. in fine, & diſp. 6. ar. 3. pag. 527. quam eandem ſententiam probat*
Toletus. *Tolet. lib. 1. de Anima q. 9,* & ſatis eſt de mẽte eorum; qui volunt animam ſeparatam ſeipſam naturaliter loco mouere, vt contra nonnullos probant ijdem *Conimbricenſes in dicta diſp. 6. art. 2. & 3. & ſatis probat Scotus citatus in 3. opinione.* Cum verò per ſeparationem à corpore nouam potentiã Scotus. non aſſequatur ad ea, quæ ſibi naturaliter conueniunt, neceſſario efficitur animam in prima ſua creatione hanc habere potentiam, tanquam ſibi propriam, & naturalẽ; & per conſequens eam habere etiam, vt eſt vnita corpori. Hanc igitur opinionẽ, tanquam certiſsimam ſupponimus: cui non contradicit D. Thomas cũ ſuis; quo- D. Thom: niam, etſi neget animam ſeparatam poſſe mouere corpus aliquod externum; non negat tamen eam poſſe mouere ſe ipſam, vt benè aduerterunt *Conimbricenſes in dict.* Conimbr. *diſp. 6. artic. 2. ad finem ſecundæ ſententiæ pag. 524.*

Præmittendum eſt ſecundo, animam 10. corpori coniunctam actiue mouere ſuum 2. Præmiſſ. corpus motu progreſsiuo; & organico: homo enim per animam, & ſeipſum mouet motu progreſsiuo, & ſuas partes organico: id enim experiẽtia docet: quarè admittenda eſt in homine potentia loco motiua, qua ſe ipſum moueat motu organico, & progreſsiuo.

Præmittendũ eſt tertio, dubitari poſſe, 11. an potentia loco motiua, qua anima cor- 3. Præmiſſ. pori coniuncta illud mouet, vel motu progreſsiuo, vel alio motu organico partium ipſius corporis, ſit potentia diſtincta ab illa, quę in ipſa anima ineſt, vt in primo præmiſſo oſtendimus. Rationem dubitandi fecit *Scotus, & alij, quos in tertia* Scotus, *opinione adduximus, ſimul cum Maiore in 4.* Maior. *diſt. 49. q. 18. in fine:* qui docent eandem eſſe potentiam, quã anima nunc mouet corpus mortale motu progreſsiuo, & qua poſt reſurrectionem mouebit corpus glorioſum motu ſimplici; & non organico: quaſi innuant illam vnicã potentiam immediatè ſubiectari in ſubſtantia animæ; in corpore verò, & partibus eius (ſcilicet in muſculis) ſolùm reperiri diſpoſitiones vt facilè moueantur.

Pro qua ſententia fortè quis citabit D. 12. Thomam, dùm exiſtimat in muſculis nõ D. Thom. eſſe potentiam actiuam ad motum, ſed ſolùm paſsiuam. vt patet ex *2. contra gentes cap. 82.* vbi docet virtutem, quæ inhæret membris ad motum, non tam efficienter, quam diſpoſitiuè concurrere ad illum, quatenus. ſ. præparat ipſa membra, & ea

reddit

reddit apta, & obedientia ad recipiendum motum, quem efficit appetitus: & 1. *p. q.* 75. *art.* 3. affirmat actum huius virtutis non eſſe mouere, ſed moueri, quod etiam probat Ferrarienſis in dicto cap. 82. libri ſecundi contra gentes, & in 3. lib. de Anima q. 18. Porrò ſi ſemel admittatur potentiam loco motiuam, qua corpus mouetur ab anima, immediatè ſubiectari in ſubſtantia ipſius animæ; nõ videtur quomodo hæc potentia, qua corpus organicè mouetur, diſtingui debeat ab illa, qua anima poſt ſeparationẽ ſe ipſam mouet. Vnde anima vna, & eadem potentia poteſt mouere, & motu organico, & non organico.

13. Non recipitur. Sed tamen hæc Scoti opinio non eſt admittenda, tanquam parũ Philoſophiæ conſentanea: aſſerendum igitur eſt ſeruatis principijs veræ Philoſophiæ potentiã loco motiuam, qua anima ſuum mortale corpus organicè mouet motuq; progreſſiuo, eſſe diſtinctam à potentia, qua anima in ſtatu ſeparationis mouet ſe ipſam motu ſimplici, & non organico: non quacũque diſtinctione, ſed diſtinctione reali: quod ſatis docent *Conimbricenſes in* 3. *de Anima cap.* 13. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. vbi in homine duplicem admittunt facultatem motricem: vnam organicam inhęrentẽ muſculis: alteram ſpiritualem inſidentem in ſubſtantia animæ, qua anima ſeparata à corpore ſe ipſam loco mouet: & duas iſtas motrices facultates ſatis ſupponũt in tractatu de Anima ſeparata diſp. 3. artic. 1. concl. 3. *Conimbr.*

14. Demonſtratur. Hæc opinio ex Philoſophia euidenter demonſtratur: etenim potentia propria, & naturalis animæ, quæ eã poſt ſeparationẽ comitatur, & inhęret in ipſa animę ſubſtãtia, eſt potẽtia ſpiritualis: potẽtia verò, qua anima corpori coniuncta mouet corpus motu organico, & progreſſiuo eſt virtus corporea inhærens in corpore. Ergo potentia iſta, qua anima organicè mouet corpus realiter diſtinguitur à potentia, qua anima ſe ipſam mouet, vt eſt ſeparata; & qua poſt reſurrectionem mouebit corpus motu non organico. Conſequentia eſt nota; quia corporale, & ſpirituale realiter diſtinguuntur. Maior vero admittitur à *Scoto. & Baſſolio,* nec poteſt non admitti, cum talis potentia in hæreat in animæ ſubſtantia, & maneat in illius ſeparatione. Minor verò oſtenditur: quoniam potentia, qua anima motu progreſſiuo mouet ſuum mortale corpus omniũ Philoſophorum conſenſu eſt facultas quædã animalis ad animam ſenſitiuam ſpectans, vt tanquam notiſsimum in Philoſophia ſupponimus ex ijs, quæ diximus *in* 3. *de Anima in q. de potentia loco motiua, docent Conimbric. lib.* 1. *de Generatione cap.* 5. *q.* 1. *art.* 1. *& in* 3. *de Anima cap.* 13. *q.* 5. *arti.* 5. *ad vltimum pag.* 439. *& ſatis docet Ariſtoteles in* 2. *de Anima cap.* 3. *text.* 27. *& libr.* 3. *cap.* 9. *text.* 41. vbi vim animalem diuidit in vegetatiuam, ſenſitiuam, appetitiuam, & loco motiuam. *Scot. Baſſol. Conimbr. Ariſtot.*

15. Probatur etiam ex eo; quia motus iſte non fit, niſi præuia notitia, quæ eſt propria cõditio potentię animalis, vt ex Ariſtotele cõmuniter docent Philoſophi, & cum illis Damaſcenus lib. 2. de Fide Orthodoxa cap. 16. Iam verò potẽtiam animalem reſidere in corpore, communis eſt Philoſophorum doctrina, vt probauimus lib. 3. de Anima loco citato, vbi ex Ariſtotele, & Medicis oſtendimus hanc facultatem, vel reſidere in corde, vel ab eo proximè oriri: de quo vidè *Conimbricenſes in primo de Generatione cap. quinto, quæſtione* 1. *art.* 3. *Conimbr.*

16. Accedit etiam, quia motus progreſſiuus eſt organicus, vt omnes fatentur. Erit igitur à potentia organica: cum verò omnes organicæ potentiæ ſint animales, & ad animam ſenſitiuam ſpectent erunt materiales, & extenſæ, & ſubinde immediatè recipientur, vel in materia, vt plures exiſtimant; vel in toto compoſito, vt alij malunt. Vnde potentia motiua (non quidem dirigens, qualis eſt intellectus; nec impellens, qualis eſt appetitus ſenſitiuus) exequens, & immediatè eliciens motũ eſt in membris corporis, muſculisque toto corpore extenſis, vt omnes Philoſophi admittũt, & docet *Ariſtoteles lib.* 3. *de Anima cap.* 10. *text.* 54. vbi affirmat potentiam loco motiuam, qua appetitus vtitur, vt inſtrumento, eſſe in corpore. Et hanc virtutem eſſe actiuam immediatè elicitiuam motus contra nonnullos latè oſtendimus in dicto tract. de potentia loco motiua, & docent *Conimbric. in* 3. *de Anima cap.* 13. *q.* 5. *art.* 3. §. *Exiſtit hoc loco dubitatio pag.* 437. Ex quibus ſatis videtur cõfirmata minor ſuperioris diſcurſus, quatenus habet potẽtiam iſtam loco moti- *Ariſtot. Conimbr.*

motiuam eſſe virtutem quandam corpoream, & in corpore inhærentem: quo admiſſo, neceſſario infertur eā eſſe realiter diſtinctam à potentia, quā in primo præmiſſo in anima admittimus.

§. 3.

Reſolutio difficultatis.

9. 1. Con-luſ. His præmiſsis pro difficultatis reſolutione nonnullas ſtatuimus concluſiones. Sit prima cōcluſio: *vterque motus. tam organicus, quam ſimplex in Patria immediatè fiet ab aliqua virtute interna exiſtente in ipſo beato.* Hæc concluſio ſtatuitur contra primam opinionem, quam cæteri omnes reijciunt, inter quos *Suarius.* *Salas.* eſt *Suarius in dicta diſp.48.ſect. 4. in prima opinione pag.924.col.1.A. & Salas in dicta ſect.18.pag.617.col.1.§.Prima opinio.* 1. Ratio. primò; quia huic opinioni videtur contra dicere modus loquendi, tùm Scripturæ, tū Patrum, vt benè Suarius, & Salas aduerterunt: *Iſaiæ.* 40. etenim verba illa Iſaiæ 40. *Aſſument ſicut aquilæ, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient*, ſatis ſignificant beatos ab alio nō moueri, ſed à ſe: etenim, quod ab alio accipit vim ad mouendum, vim illam non aſſumit, ſed ſolùm recipit. Quod etiam ſatis dennotant *Sapient.* 3 verba illa Sapient. 3. *Et tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrēt.* Iam verò diſcurrere, & ambulare, cum ex ſua natura ſint actus vitales; ex ſe denotant motus illos eſſe ab ipſis diſcurrētibus, & ambulātibus: quod etiā cōfirmāt verba Malach. 4. *Egrediemini, & ſalietis vt vituli.* *Malac.* 4. Cū verò Patres eōdē modo loquātur, vtique ſatis ſupponūt beatos in ipſa agilitate ſe ipſos mouere. 2. Ratio. Quod etiā ſatis cōfirmatur quonià ſācti Patres beatorū corporib⁹ ita tribuunt agilitatem, vt dicant ea futura eſſe agilia: 1. *Cor.* 15. etenim ex Paul. 1. Corint. 15. *Corpus ignobile, & tardum, ſurget in virtute* id eſt cum agilitate, vt eſt communis interpretatio, ſicut iam oſtendimus art: 1. corpus autem quod ab alio agiliter mouetur, & non à ſe, nō dicitur agile, & velox; ſed opus eſt, vt tale ſit in ſe ipſo, vt à ſe ipſo cum agilitate moueatur.

10. 3. Ratio. His omnibus ego addo communem Theologorum doctrinam, ad perfectionem ſtatus beatifici pertinere, vt beatus ſuas actiones, etiam ſupernaturales, producat modo ſuo ſtatui connaturali: nam ad perfectionem ſtatus beatifici pertinet vt quæ ibi fiunt, fiant connaturaliter, & non miraculoſè: ſicut enim Deus in ordine naturali ſinit res ſuas actiones naturaliter agere, quia id ad perfectionem illius ſtatus pertinet: ita in ordine ſupernaturalium ſinit naturalia fieri ſecundum modum illi connaturalem; quia id ad perfectionem illius ſtatus conducit: non enim decet perfectionem beatifici ſtatus, vt Deus in eo perpetuo vtatur miraculo, vt iam aduertimus 1. *tom. lib.4.q.1.ar.2.§.5. num.52. in fine, & in 2. tom. lib.8. in 2.p.q. 3.art.3. num.12. lib.10.q.1.art.5.§.5. num.* 11.

33. Ob quod fundamentum in locis citatis oſtendimus viſionem beatam de facto actiuè produci ab intellectu: nam cū ex ſua natura ſit actus vitalis, cui connaturale eſt produci à principio vitæ: non poterit connaturaliter produci, niſi ab intellectu actiuè producatur; ſed cōnaturale eſt omni viuenti mouere ſe, vt vulgata habet Philoſophia, de qua *Ariſtoteles libr. 8. Phyſic. cap.4. text.29, & 1. de Anima cap. 2. text. 19. & lib.2. cap.2. text.* 13, vbi docet propriū, & naturale munus vitæ hoc eſſe, vt viuens ſe ipſum moueat: quod ipſum docet Philoſophorum axioma, quo docent; moueri ab intrinſeco eſſe propriā notā, qua viuentia à non viuētibus diſtinguuntur, vt Plato docet 10. *de Legibus, & in Phædro, cuius verba referunt Conimbricenſes 8. Phyſic. cap.4.q.1.art.2.pag. 754. poſt medium, & vt receptiſsimum docet D. Thomas 1. contra gentes capit.97.* Ergo omnis motus localis, qui in beatis dabitur, vt ipſis ſit connaturalis, actiuè erit ab ipſis; ita vt à Deo non niſi modo extraordinario, & miraculoſo fieri poſsit. Quare prima opinio non eſt recipienda nō ſolùm quia eſt parum philoſophica; ſed etiam quia cū perfectione ſtatus beatifici non conſentit.

Ariſtot. *Plato,* *Conim.* *D. Thom.*

12. 2. Concluſ. Secunda concluſio: *In beatis neuter motus (organicus, ſcilicet, & non organicus) tribui debet quintæ eſſentiæ, quam ſecunda opinio fingit.* Hæc ab omnibus recipitur; quia ab omnibus reijcitur mixtio alicuius particulæ cœleſtis in corpore beato, vt omnino improbabilis, ſicut oſtendimus ſupra *q.3.art.3.§.3. in impugnatione tertij modi dicendi*: vnde in noſtra iſta quæſtione eam reijcit D. Thomas in locis in illa citatis.

Tertia

13. Tertia concluſio: *Nec admittendum eſt*
4.Concluſ. *agilitatem ad motum localē proficiſci ex perfecta informatione, & animatione, qua anima beata ſuum corpus informat & animat.* Hęc ſtatuitur contra quintam opinionem probatam Soto, quam vt ridiculam reijcit Salas vbi ſupra pag. 618. col. 1. in fine; & verè eſt reijcienda, ſi expendantur, quæ cōtra illam adduximus ſupra q. 3. art. 3. §. 3 ex ea enim primo infertur agilitatem nō eſſe æqualē in omnibus beatis, cuius oppoſitum inferius oſtendemus. Infertur ſecundum agilitatem iſtā beatis non tribui ſupernaturaliter, ſed purè naturaliter, quod non eſt admittendum. Vide, quæ diximus in dicto §. 3.

14. Quarta concluſio: *Vterque motus, tam*
3.Concluſ. *organicus, quam non organicus, qui in beatis reperitur, non eſt tribuendus ſoli qualitati ſupernaturali agilitatis; ita vt ſola illa in vtrūque motum immediatè influat; potentia vero loco motiua ſolùm concurrat, vt ſubiectū ſubſtentans in ſe talem qualitatem.* Hanc concluſionem ſtatuimus, vt ab hac quæſtione excludamus opinionem, quæ docet ſolùm lumen gloriæ actiuè influere in viſionem beatam; intellectum verò ad eam cōcurrere ſolū vt eſt ſubſtētans in ſe ipſū lumen, quam opinionem plures probaſſe oſtendimus in 2. tom. lib. 10. q. 3. artic. 2. §. 1. ne igitur aliquis in noſtra hac quæſtione in illam incidat opinionem, ideo hanc concluſionem ſtatuimus. Quæ opinio eodem modo erit impugnanda, quō præcitatam opinionem impugnauimus *in dicta q.* 3. §. 2. cum ſequentibus: vbi vide. Nunc ſatis ſit ſextam opinionem in hoc ſenſu à nullo, aut probari, aut defendi. In quo autē ſenſu vterque iſte motus ab ita ſupernaturali qualitate oriatur: & quomodo illa ad vtrumque concurrat? in ſequentibus explicabimus.

15. Quinta concluſio: *Vterque motus orga-*
5.Concluſ. *nicus, & non organicus actiuè procedit à potentia naturali loco motiua, quæ eſt in beatis, ſiue illa ſit vna, ſiue duæ.* In hac concluſione nobiſcum conſentit Scotus, & illi, qui tertiam probant ſententiā: omnes enim in hoc conueniunt, vt vterque motus ſit à potentia naturali loco motiua: & in his terminis, ſi res accuratius expendatur, cōcluſio nō poteſt nō recipi: etenim vterq; iſte motus eſt actus vitalis, vt ex dictis patet. Ergo actiuè eſt à principio vitę intrinſeco: hoc enim eſt de eſſentiali ratione actus vitalis. Principium autem vitæ primum, & radicale eſt ipſa anima: hac enim primo viuimus, ſentimus, intelligimus, & mouemur ex Ariſtotel. 1. de Anima: potentia autem vitalis eſt proximum vitæ principium: nam cū anima ſit forma ſubſtantialis nō poteſt immediatè agere, ſed mediantibus ſuis potentijs, quæ illi ſunt inſtrumenta data à natura ad agendum. Ergo vterq; ille motus erit ab anima mediante ſua potentia loco motiua: nam cæteras omnes actiones vitales beati in Patria exercent immediatè per ipſas animæ potentias, & ob id omnes ſunt ipſis beatis connaturales, quantumuis ſupernaturales ſint, vt patet ex dictis in prima concluſione.

Sexta concluſio: *Motus illi licet fiant à* 16.
potentia loco motiua, quæ eſt in beatis: non tamen fiunt ab illa nude ſumpta; ſed prout eſt ſupernaturaliter eleuata: vnde fiunt ab ea, non vt eſt in potentia naturali, ſed prout eſt in potentia obedientiali. Prima pars huius concluſionis ex eo probatur, quia motus illi, licet in ſua entitate ſint naturales (nec enī ſpecie differunt à motibus localibus hominum inferiorum) tamen quoad modum quo fiunt, ſunt ſupernaturales: neq; enim poſſunt cum maxima illa agilitate fieri viribus naturæ, vt omnes fatentur. Iam verò potentia loco motiua, quæ eſt in beatis, ſi nude ſumatur, nihil poteſt efficere, niſi naturaliter: quæ verò ſunt ſupernaturalia quoad modum, non poſſunt naturaliter fieri, vt diximus. Ergo potentia loco motiua, quæ eſt in beatis, purè, & nude ſumpta, & præciſe ſecundum ſolam naturalem virtutem impotens eſt ad eliciendum motum, cum agilitate ſupernaturali. Indiget igitur, vt ſupernaturaliter eleuetur, quæ eſt ſecunda pars concluſionis: ex qua neceſſario infertur pars tertiæ: etenim potentia ideo naturalis, quia data à natura, non eſt in naturali potentia ad ea, quæ ſunt ſupra naturam, ſed ſolùm in obedientiali; quia non poteſt reduci ad actum per vires agentis naturalis, ſed ſupernaturalis vt oſtendimus *in 2. tomo, lib.* 10. *q.* 2, vbi latè diſputauimus de potētia obedientiali. Quomodo autem eleuetur? ſtatim dicemus.

Septima concluſio: *Motus progreſsiuus,* 17.
& organicus, quem in beatis omnes admittunt 7.Concl

6.Concluſ.

tunt, proficiſcitur à potentia loco motiua, quæ reſidet in corpore: motus verò ſimplex, & nõ organicus, quo beatus totum corpus æque primo poteſt mouere, eſt ſola potentia, quæ in ipſa animæ ſubſtantia inexiſtit. Hæc concluſio ſtatuitur contra Scotum, & alios, quos pro tertia opinione citauimus: ſupponit autem in homine pro ſtatu vitę dari duas potẽtias loco motiuas realiter diſtinctas, quarum vna reſidet in corpore, altera verò in anima, vt oſtendimus §. 2. in textio præmiſſo.

18. 1. Pars. Hac opinione ſuppoſita facilè cõfirmatur vtraque pars aſſertionis: & prima ex eo probatur; quia in beato poſt reſurrectionem admittenda eſt potẽtia loco motiua reſidens in corpore in ordine ad motum progreſsiuum, & organicum, realiter diſtincta à potentia loco motiua, quæ reſidet in anima: etenim hæc potentia, eſt potentia vitalis, & animalis data à natura ad motum progreſsiuum, & organicum, Ergo cũ illa reſurgent beati: omnes enim debent reſurgere cum omnibus potẽtijs animę vegetatiuæ, ſenſitiuæ, intellectiuę, & loco motiuæ, vt latè oſtendimus ſupra lib. 4. per totum. Hæc autẽ potentia non erit in beatis otioſa: cum in illis futurus ſit motus progreſsiuus, cæterique omnes organici, quos habebant in via, vt diximus in dicto lib. 4. q. 22. art. 3. & 4: cui ſi addamus omnes iſtos motus in beatis futuros eſſe modo illis connaturali, iuxta ea, quæ diximus in prima concluſione: connaturales autem eſſe non poſsint, niſi ab hac potentia loco motiua in corpore reſidente oriantur; (etenim ab illa naturaliter oriuntur) benè infertur motus iſtos in Patria ab hac potẽtia fore oriundos. Secunda autem pars concluſionis ex

19. 2. Pars. eo probatur; quoniam motus ſimplex, & non organicus oriri non poteſt, niſi à potentia non organica, & ſimplici: talis autem eſt ſola potentia loco motiua, quę eſt in anima: etenim quę reſidet in corpore, cum ſit organica, naturalem habet dependentiam, ne vnam partem moueat, niſi per aliam.

20. Quæſtio. Vtrùm verò hæc potentia in anima reſidens poſsit motũm progreſsiuum & organicum ſe ipſa immediate cauſare? alterius eſt quæſtionis: nobis modo ſatis eſt, quod de facto eum nõ cauſabit quia connaturaliter eum cauſare non poteſt.

¶ Supereſt inquirere, quomodo vtraque iſta potentia loco motiua eleuetur ad cauſandum motum cum agilitate ſupra naturę vires? Cui difficultati variè reſpondetur. Prima reſponſio eſt eorum, qui putant potentiam loco motiuam ſua naturali virtute eſſe ſufficientem, vt corpus cum illa agilitate moueat, ſi partes corporis ſublatis impedimentis eleuentur: hæc mihi videtur mens *Salæ in dicta ſectio. 18. pag. 619. col. 1. §. Vnde dico tertio: & Soti quem in 5. opinione retulimus*: is enim nihil aliud requirit, niſi perfectiſsimam informationem, qua anima corpus glorioſum informat. Secunda reſponſio eſt *Scoti in dicta q. 14. litera H, §. Reſpondeo ad quæſtionem*, vbi docet potentiam loco motiuã eleuari ſine aliquo ſupernaturali ſuperaddito; ex eo præciſe, quia vis actiua illius ex ipſa vnione cum corpore glorioſo fit intenſior, eo modo, quo virtus viſiua oculi ex eadem vnione fit magis intenſa. 21. Quo... eleuetur. 1. Opinio. *Salas.* *Sotus.* 22. 2. Opinio Scoti.

Tertia reſponſio eſt eorum, qui quartam opinionem probant relatam ſuprà §. 1. hi enim putant potentiam iſtam eleuari, non per qualitatem aliquam ſupernaturalem illi ſuperadditam; ſed per concurſum, quo Deus ad talem motum voluntatem ipſam, tanquam inſtrumentũ aſſumit ad talem motum cauſandum. Hãc opinionem eſſe probabilem putat *Suar. in d. 4. opinione citatus.* Quarta reſponſio fortè alicui placebit, vt potentia iſta loco motiua eleuetur per qualitatem ſupernaturalem ſuperadditam illi eo modo, quo intellectus beati eleuatur per lumen glorię ad viſionem beatam, & aqua baptiſmi ad cauſandam gratiam, cæteraque Dei inſtrumenta, iuxta plurimorum Theologorum opinionem. 23. 3. Opinio. 24. 4. Opinio.

Sed nulla harum opinionum recipi debet, niſi vltima. Etenim prima non debet recipi: tùm; quia ſupponit potentiam naturalem virtute ſibi naturali abſque vlla ſupernaturali eleuatione poſſe actiuè cõcurrere ad motum ſupernaturalem quoad modum; contra ſextam cõcluſionem: tùm etiam; quia ſupponit potentiam loco motiuam, quæ reſidet in corpore eſſe appetitum ſenſitiuum: potentiã verò, quę eſt in anima, eſſe ipſam animæ voluntatem: quæ Philoſophia, quoad potentiam in corpore reſidentem non recipitur ab *Ariſtotele in 3. de Anima cap. 9. & 10.* vbi ſolam 25. Nulla placet. Impugnatur prima. *Ariſtot.*

ſolam potentiam exequentem motùm localem appellat loco motiuam: nam, vt ait, ad motum localem organicum concurrit intellectus, non, vt eliciens motũ, ſed vt illum dirigens: appetitus verò ſenſitiuus ſolùm concurrit, vt impellens mouenſque ipſam potentiam, quæ motum exequitur. Quare potentiam motiuam appellat vim ipſam actiuam, quæ reſidet in membris, ſiue muſculis; quia illa ſola eſt, quæ ipſum motum elicit, tanquam inſtrumentum appetitus, quam Philoſophiam ſupponimus, vt receptiſsimam inter Philoſophos.

26.
Impugnatur 2. opinio.

Sed nec recipiẽda eſt ſecũda opinio; quia licet vis potentiæ loco motiuæ ex vnione cum corpore glorioſo fiat intenſior; ſicut etiam intenſior fit virtus oculi glorioſi: talis tamen intenſio non eſt ordinis ſupernaturalis, ſed naturalis; alioquin virtus naturalis ipſius potentiæ per eam non poſſet intendi, cum non ſit eiuſdem ordinis, & ſpeciei. Quare vis ipſa potentiæ loco motiuæ ex vnione cum corpore glorioſo perficietur quidem, & intendetur; non tamen perfectione ſupernaturali, ſed naturali; cuius ipſa potentia naturaliter eſt capax. Manens autem intra limites virtutis naturalis licet poteſt influere in motum cũ maxima agilitate naturali; non tamen cum agilitate ſupra naturæ vires.

27.
Impugnatur tertia.

Tertia opinio ideo mihi nõ probatur; quia ſupponit potentiam iſtam locò motiuam eleuari per ſolum diuinum concurſum extrinſecè ſe habentem, & aſsiſtentem: & ideo admittit hanc potentiam ſolùm concurrere ad motum ſupernaturaliter agilem, vt inſtrumentum Dei: neutrum tamen puto eſſe recipiendum. Non primum; quia non pùto admitti poſſe aliquod agens, etiam inſtrumentarium, eleuari ad agendum per aliquid; quod non eſt in ipſo, ſed in alio: quam opinionem latiſsimè impugnauimus *in 2. tomo, lib.* 10. *quæſtione ſecunda articulo* 15. *§. Secundo per totum*: quam Philoſophiam idem Suarius multis confirmat in locis ibidem citatis num. 14. Nec etiam admittendum eſt illud ſecundum: etenim cum communi Theologorum ſententia puto implicare actionem eſſe vitalem, & eſſe à potentia, vt à cauſa non principali, ſed inſtrumentali, vt oſtendi in dicto lib. 10. quæſtione 3. art. 5. §. 2. num. 31. Quare cum motus iſti, etiam vt ſunt ſupernaturales ſecundum modum, ex ſua natura ſint actus vitales, non poſſunt eſſe à potentia loco motiua, vt à cauſa inſtrumentali, ſed vt à principali.

Quare pro reſolutione huius difficultatis ſit octaua, & vltima concluſio: *Vtraque potentia loco motiua in ſe ipſa eleuatur per qualitatem ſupernaturalem agilitatis*: quæ fuit quarta opinio. Probatur autem; quoniam vtraque potentia eleuatur non ad eliciendũ motum localem (quia vtraque ex ſua natura eſt productiua illius) ſed eleuatur, vt actiuè producat localem motum cum celeritate excedente vires naturæ. Ergo vtraque formaliter eleuatur per aliquam virtutem, quę illi ſit principium actiuum motus localis ſupernaturaliter agilis: etenim ſicut ad eliciendum motũ requiritur principiũ actiuũ mouẽdi, ita ad elicendum motum tantæ, vel tãtę celeritatis, requiritur principium actiuum tantæ, vel tantæ intenſionis. Ergo vt vis illa motiua poſsit elicere motum in celeritate ſupernaturalem, poſtulat habere in ſe virtutem, quæ ex ſua natura ſit elicitiua motus ſupernaturalis in velocitate. Sed virtus iſta agilitatis eſt quædam qualitas ſupernaturalis, vt patebit ex vltimo huius quæſtionis articulo. Ergo vtraque iſta potentia loco motiua ad motum ſupernaturaliter agilem eleuabitur per ſupernaturalem qualitatem.

28.
3. Concluſ.

Ex qua reſolutione infertur donum agilitatis in vtraque iſta potentia non eſſe eiuſdem ſpeciei, ſed diuerſæ: etenim agilitas, qua eleuabitur potentia loco motiua in corpore reſidens, erit corporea, quia recipitur in potentia corporea: quæ vero eſt in anima, eleuabitur per agilitatem ſpiritualem, cum in ſpirituali potentia recipiatur.

29.
Corollariũ.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm beatus poſsit de extremo ad exremum moueri in inſtanti tranſeundo per medium?

1.
1. Arg. pro parte negãte.

PRo parte negatiua primo adduci poteſt Laurentius Iuſtin. in lib. de perfect. cõuerſat. monaſtic. cap. 43. vbi docet *poſſe beatum in momento, & abſque*

vlla retardatione eo diuertere, quo impetus ſpiritus direxerit: Aug. etiã 22. de Ciu. c. 30. ait, vbi volet ſpiritus, ibi etiam protinus corpus.

2. Arg. Secundo, quoniam ex doctrina Patrũ corpora glorioſa futura ſunt Angelis æqualia in velocitate, vt docent *Author lib.*
Anſelm. *de cognitione beatæ vitæ cap. 45. & Anſel. in lib. de Similitud. c. 48. & in Proſologio. c.* 25. Sed probabile eſt, quod Angeli de vno loco ad alium tranſeundo per mediũ motu continuo in inſtanti moueantur: ita enim exiſtimarunt plures Theologorum, vt *Gregor. in 2. diſt. 6. q. 3. artic. 2. &*
Gregor. *Ægidius quodlib. 7. q. 7. & Argentina in 1.*
Aegid. *diſt. 37. in quæſtionib. de motu Angelorum.*
Argent. Ergo probabile etiam erit beatos moueri poſſe in inſtanti motu explicato.

2.
3. Arg. Tertio; quia vbi nulla datur reſiſtẽtia, motus fieri poteſt in inſtanti (ob hãc enĩ rationẽ motus in vacuo fit in inſtanti, vt placet doctiſsimis Philoſophis. ſ. Cõmen. *Alberto Magno. Aegidio: Gregor. Burlæo, & alijs, quos citauimus lib. 4. Phyſic. in propria iſta quæſtione*) ſed in ordine ad corpus beati nulla datur reſiſtentia: etenim ſi aliqua daretur, eſſet grauitas ipſius corporis glorioſi: iam verò in eo nulla datur grauitas. ¶ Hanc opinionẽ nonnullos tenuiſſe teſtatur D, Thom. in loco ſtatim citãdo cũ pleriſque alijs: quã ſententiã proba-
Maior. uit *Maior in. 4. d. 49. q. 18. cõcl. 3. & Greg.*
Gregor. *vbi ſup. §. Tertio ſi homo, & videtur cõſentire*
Ouand. *Ouand. in 4. d. 49. dũ agit de agilitate f. 131. p. 2. ibi forte, vt ſubito moueantur.*

3.
Negatiua vera. ¶ His tamen non obſtantibus pars negatiua eſt tenenda, ſi ſermo ſit de motu cõtinuo: iſte enim, ſi per mediũ debet fieri tranſitus, non ſolũ naturaliter non poteſt fieri in inſtanti; ſed nec ſupernaturaliter, vt latè oſtendimus *in 6. lib. Phyſic. & tan-*
Sotus. *quã indubitatã ſententiã probant Sotus in 4.*
Suar. *diſt. 49. q. 4. art. 7. in 3. concl. & in 4. Phyſic.*
Salas. *in materia de vacuo q. 3. Suar. 2. to. ad 3. p. diſp. 48. ſect. 4 §. Tertio dicendũ eſt. pag. 926 col. 1. & Salas 1. tom. ad 1. 2. q 5. ar. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 18 pag. 619 col. 1. § Quæres an hac dote:* Cuius quæſtionis examen ad Philoſophiã potius pertinet, quã ad Theologiã. Nobis modo ſatis ſit hunc motum
4. naturaliter fieri non poſſe in inſtanti, vt oſtendimus *in d. lib. 6. Phyſic. c. 6. vbi etiã*
Conimb. *Coninſt. q. 1. ar. 2 affirmantes hanc eſſe peri-*
Ariſtot. *patetic. ſententiam, eamq́; docuiſſe Ariſtot. in dicto cap. 6. & alijs in locis.* Et quãuis forte ſupernaturaliter poſſet fieri in inſtãti; adhuc ſine fundamẽto virtus iſta in beatis poneretur; cum ad perfectionem ſtatus beatifici nullo modo pertineat. Vnde ferè omnes Theologi hoc beatis denegant: ita
D. Thomas in 4. diſt. 44 q. 2. artic. 3. q. 3. ad D. Thom.
finem corporis. Durand. ibidem q. 7. arti 3. n. Durand.
17. Palatius ibidem diſp. 4. pagi. 56. & 57. Palatius.
Richard. in 4. diſt. 49. art. 4. q. 8. Baſſolius q. Richard.
3. artic. 2. §. Tertio ponitur, ad 3. principale Baſſolius.
Sotus q. 4. art. 7. concl. 3. pag. 638. Paludanus Sotus.
q. 4. art. 2. §. Quantum ad tertium, num. 21. Abulenſ.
Abulenſis in cap. 17. Matth. q, 125. §. Dicẽ- Pezantius.
dum quod corporis beati, Pezantius in addi- Angles.
tionibus ad 3. p. q. 84. artic. 3. Angles in ſuis Conimbr.
Floribus de Beatitudine ar, 5. difficul. 5. Conimb. in d. lib. 6. Phyſic. cap. 6. q. 1. arti. 2. ad 3. tanquã in dubitatũ docuerunt Suar. & Salas locis cit. Quare cũ hæc ſit ſentẽtia fere omniũ Theologorum, non eſt cur ab ea diſcedamꝰ: maximè cũ hæc perfectio nõ pertineat ad perfectionẽ beatifici ſtatus, nec ſit cõnaturalis ipſi corpori; quin potius connaturale eſt illi moueri in tẽpore; agilitas autẽ glorioſa, naturã nõ tollit, ſed perficit: quare illam perficiet non vt moueatur in iſtanti; ſed in breuiſsimo tempore, & ferê imperceptibili.

Vtrùm verò in quacunque locorum 5.
diſtantia in æquali tempore moueantur Quæſtio incidens.
ſiquis inquirat? putat *Gregorius loco citato §. Probatur ſecundo,* reſpondendum eſſe
affirmatiuê: quia ex Auguſtin. Epiſt. 49, Affirmatina
quæ eſt de quæſtionibus de reſurrectione quæſt. 1. *Beatus vtraque iſta interualla æquali celeritate pertingit, vt radius Solis:* Si verò æquali velocitate vtraque iſta in-
terualla pertingit, vtique vtraq; inæquali, Negatiua vera.
tempore percurret. Ego tamen puto negatiuè eſſe reſpondendum, ſi res iſta benè explicetur: ſi enim beatus applicans agilitatem, vt duo peruenit ad locum A. minus diſtantem, maiori indigebit celeritate, vt perueniat ad locum B. diſtantiorem, ſi ad illum, in eodem tempore peruenire debet: nam cum in iſto ſecundo motu continuo, & ſuſceſsiuo prius tempore peruenire debeat ad locũ A. minus diſtantem, quam perueniat ad locum B. diſtantiorẽ, vtique velocior erit motus ad locum B. quam fuerit ad locum A: nam motus, qui in eodem tempore pertranſiuit maius ſpatiũ, velocior eſt quam ille,

qui

qui eodem tempore minus ſpatium pertranſiuit, vt patet ex regulis traditis ab Ariſtotele 7. Phyſic. cap. 4. & 5. fieri igitur nō poteſt, vt motus corporis glorioſi æquali velocitate perueniat ad locum diſtantiorem, & minus diſtantem, ſi in eodem tempore ad vtrumque peruenit: id quod etiam aduertit *Abulenſis in dicta q. 125. ad quartum argumentum fol. 254. col. 2. & ante eū Paluda. in 4. diſt. 49. q. 4. ad 2. principale num. 2.* Nec oppoſitum colligitur ex Auguſti. in citato loco; in eo enim non agit de motu locali beati, ſed de reſurrectione mortuorum; omnes enim, ſiue paruo ante tempore ſint mortui, ſiue longo; in eodem inſtanti temporis diuina potentia ſuſcitabuntur: vnde agit ſolùm de ijs, quæ fiunt in inſtanti. Verba autē Auguſtini ſunt iſta: *Vt enim radius oculi noſtri non citius peruenit ad propinquiora, quam ad longiora; ſed vtraque interualla pari celeritate contingit: ita cum in ictu oculi, ſicut Apoſtolus dixit, fit reſurrectio mortuorum. & cætera.* Quare nō eſt, quod ad ſolutionem Paludani, & Abulenſis recurramus, quia illam ſatis refutat verbum *æquali celeritate*: etenim celeritas non ob id dici poteſt æqualis, quia à nobis eſt imperceptibilis.

Abulenſ. *Ad Aug.*

6. Ad 1. ¶ Ad primum argumentum pro parte contraria adductum communis ſolutio ſumpta ex Diuo Thoma docet motum corporis glorioſi ideo à Patribus dici fieri in momento, quia fit in tempore breuiſsimo, & à nobis imperceptibili: vnde momentum ibi ſumitur pro breuiſsima mora; ſicut ſumitur à Paulo primo Corinthior. 15. *In momento, & in ictu oculi*: nam ictus oculi non fit in inſtanti, ſed in tempore quamuis breuiſsimo. Eodem modo explicandus eſt Auguſtinus in lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 30. dum ait *Corpus ibi protinus futurum, vbi volet ſpiritus*: protinus inquam, id eſt quam celerrime. In eodem etiam ſenſu intelligendus eſt idem Auguſtinus in Enchiridi. capit. 90. dum ait, *Beatum tam cito poſſe ad locum diſtantem tranſire, quam cito poteſt ad eum tranſire cogitatio*: id enim afferit, non quod vterque tranſitus ſit ſimilis, ſed vt ex velocitate, qua cogitatio de vno ad aliud obiectum transfertur, aliquo modo nobis oſtendat velocitatem, qua beatus de vno ad alium locum ſe mouet. Deniq; in eodem ſenſu explicanda ſunt verba D. Bernardi ſerm. 4. omnium ſanctorum, dum ait, *Tantam futuram eſſe corporis beatorum agilitatem, vt ſine mora velocitatem cogitationum ſequatur.*

1. Cor. 15. *Auguſt.* *Bernard.*

7. Ad 2. Ad ſecundum negandum eſt Angelū poſſe in inſtanti moueri de loco ad locū motu continuo tranſeundo per medium: quam opinionem cū D. Thoma, & cōmuni Theologorum: contra nonnullos oſtēdimus in Materia de motu Angelorum: vt omittamus forte nō valere conſequētiam de Angelis ad beatos.

8. Ad 3. Ad tertium admiſſa maiore, neganda eſt minor: quia grauitas corporis glorioſi, vel nullam facit reſiſtentiam; vel non ſola illa. Si verò inquiras cauſam propriam cur motus localis continuus non poteſt fieri in inſtanti? quæſtio eſt ad Philoſophos pertinens: communis, & vera opinio habet ipſam extremorum diſtantiam eſſe per ſe cauſam, quod in motu continuo neceſſario requiratur ſucceſsio, & menſura temporis: hæc enim ex ſua natura, vel eſt ſimpliciter inſuperabilis, apud eos, qui putant motum, de quo agimus, nec diuina potentia poſſe fieri in inſtanti: vel eſt inſuperabilis à virtute creata etiam ſupernaturali: de quo plura diximus tùm lib. 4. Phyſic. in Materia de vacuo: tùm lib. 6. in quæſtionibus de motu locali. Cum igitur hæc difficultas ad Philoſophiam propriè pertineat; illius accuratum examen ad Philoſophos remittimus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm beatus poſsit moueri de loco ad locum non traſeundo per medium?

§. 1.

Referūtur opiniones.

1. Pars affirmans. PArtem affirmantem in proprijs terminis nonnulli probauerunt, vt refert D. Thomas cum alijs: eam putat eſſe probabilem *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 48. ſect. 2. pag. 729. colum. 1. §. Alij ergo Theologi*, vbi docet ſatis eſſe veriſsimile datā eſſe beatis hanc vim, vt poſsint tranſire de extremo ad extremū ſine medio: cum illo conſentit *Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 5. art. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 18. memb. 159. pag. 619. col. 1. §. Suarius autem*

Suarius. *Salas.*

2. Opinio negans. *D. Thom.* Sententiam tamen negantem probant fere omnes Theologi teſte Suario. Authoꝛ illius eſt *Diuus Thomas in 4. diſtinct. 44. quæſtione 2. articulo 3. quæſtunc 3.* vbi affirmat implicare contradictionem corpus glorioſum tranſire de loco ad locum, non tranſeundo per medium. Ex quo infertur, apud Diuum Thomam id, nec per potentiam diuinam poſſe fieri: cum *Sotus.* Diuo Thoma videtur conſentire *Sotus in 4. diſtinctione 49. quæſtione 4. articulo 7. §. Hoc tamen credibile non eſt in tertia concluſione.*

3. Media opinio. Mediam ſententiamprobant nonnulli dicentes corpora ſanctorum virtute creata ſibi à Deo tributa non poſſe moueri de loco ad locum ſine medio; hoc tamen cõtradictionem non implicare, & proinde poſſe fieri diuina virtute. Pro hac ſen- Non bene citantur. tentia *Suarius, & Salas referunt Richardum in quarto, diſtinct. 49. artic. 4. quæſtione 7. & 8. Durandum in 4. diſtinctione 44. quæſtione 7. & Paludanum ibidem quæſtione 4.* Sed Richardus de hac quæſtione nihil ſcribit; Durandus autem, & Paludanus ſupponunt quidem omnem motum corporis glorioſi fieri tranſeundo per mediũ; quia virtus motiua illius eſt creata, quæ naturam motus mutare non poteſt: cuius natura eſt per medium tranſire de extremo ad extremũ, vt patet ex quinto Phyſicor. Supponunt igitur corpora beatorum etiam viribus gloriæ ſibi tributæ nõ poſſe moueri, niſi per medium. Vtrùm autem oppoſitum contradictionem implicet? nihil dicunt.

§ 2.

Præmiſſis nonnullis ponuntur aliquot concluſiones.

4. Præmiſſ. 1. PRo vera huius difficultatis reſolutione præmittendum eſt quæſtionem iſtam intelligi poſſe, vel de motu continuo, vel de diſcreto. Deinde intelligi poſſe de loco communicante, Præmiſſ. 2. vel de non communicante. Denique intelligi poſſe, vel de loco indiſtante proximo, & immediato, vel de diſtanti, & remoto. Præmittendum eſt etiam quęſtionẽ intelligi poſſe, vel de potentia creata ipſius corporis beati naturali, aut ſupernaturali gloriæ; vel de potentia ſupernaturali, in ordine ad diuinam omnipotentiam. Si verò hæc diſtinguātur, & ſeorſim explicentur, facilis erit huius difficultatis ſolutio, quæ alias eſt in ſe difficilis.

De motu continuo.

¶ His ita præmiſſis à motu continuo incipiemus: ſit igitur prima concluſio: *Beatus in corpore glorioſo virtute ſua creata naturali, vel ſupernaturali non poteſt de extremo ad extremum moueri motu continuo non tranſeundo per medium.* Hanc concluſionem in his terminis probat *Diuus Thomas in quarto loco citato, & Sotus vbi ſupra,* & in eodem ſenſu eam probant *Durandus & Paludanus in locis citatis:* imò in eodem ſenſu non reijcitur, aut à Suario, aut à Sala, etenim ſuam opinionem non intelligunt de motu ſucceſsiuo, & continuo, ſed de mutatione inſtantanea, qua corpus in inſtanti mouetur de loco ad locũ, in quo eſt, ad locum diſtantem, quem immediatè acquirit, vt ſatis explicat *Suarius loco citato pag. 926. col. 2. & pag. 927. colum. 1.* 5. 1. Concl. D. Thom. Sotus. Durand. Paludan. Suar.

In hoc igitur ſenſu noſtra concluſio ex eo primum confirmari poteſt, quia in eo nec Angelus poteſt moueri de vno ad alium locum ſine medio, vt cum communi, & recepta ſententia oſtendimus in Materia de Angelis in quæſtionibus de motu eorum: quam expreſſe probat *D. Thomas 1. p. quæſtio. 53. art. 2. & quæſt. vnica de virtutibus art. 13. ad 14. & quodlibet. 1. ar. 5. ad primum, à ſuis communiter receptus: eandem in Angelis probat Scotus in 2. diſt. 2. q. 12. cum quo tranſit Liquetus ibidem cum cæteris Scotiſtis. & Baſſolio in 2. diſt. 10. q. vnic. art. 3. §. Dico igitur: Probant Heruæus in 1. diſt. 37. q. 1. art. 3. §. Et ideo aliter. & Duradus ibidem q. 2. concl. 2. num. 5.* Porrô ſi Angelus virtute ſua naturali non poteſt motu continuo moueri, niſi per medium; vtique, nec beatus in corpore glorioſo ita mouebitur, cũ in Patria beati ſint *ſicut Angeli Dei.* 6. 1. Confirm. D. Thom. Scotus. Liquetus. Baſſol. Heruæus. Durand.

Deinde ratione id demonſtratur: nam quod motu continuo mouetur, quandiù mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino adquẽ, vt cũ Ariſtotele in 6. Phyſic. docet vulgata Philoſophia: etenim dum mobile eſt in motu, nec totum eſt in termino à quo; quia non dum moueretur: nec totum eſt in termino ad quem; 7. 2. ratio.

quem, quia iam non moueretur: ſed eſt in loco, qui participat aliquid de termino à quo, & aliquid de termino ad quem: talis autem locus neceſſariò eſt medius inter vtrumque extremum: iam verò de natura loci medij eſt de vtroque extremo aliquid participare. Ergo quod continue mouetur de vno ad aliud extremũ neceſſariò debet tranſire per medium: ob quam demonſtrationem *Ariſtoteles quinto Phyſicorum, cap. tertio text. 22. & libro 6. capit. nono, text. 77. & 10. Metaphyſic. capite decimo, text. 22. & alibi ſæpe, docuit medium eſſe id, in quo prius venit illud, quod continue mutatur, quam veniat in vltimum, ad quod mutatur*: quaſi dicat neceſſe eſſe, vt, quod motu continuo mutatur, prius mutetur in medium, quam in vltimum, id eſt, in terminum ad quem. *Ariſtot.*

8. 3. Ratio. Quod etiam ex eo demonſtratur, quoniam motus continuus ex ſua natura habet prius, & poſterius in ſucceſsione: vnde de ratione illius eſt, quod prius quam acquirat vltimum terminum, ad quem tendit, relicto termino à quo, acquirat aliquem terminum non vltimatum. Iam verò prius, & poſterius in motu ortum habent ex priori, & poſteriori in magnitudine; ex Ariſtotele in quarto Phyſicorum, text. 99. & 100. Ergo quod mouetur motu continuo, antequam acquirat vltimam partem magnitudinis, per quam mouetur, neceſſario debet acquirire aliquam partem priorem, quæ inter vtrumque extremum mediat.

9. *D. Thom.* His rationibus vtitur *Diuus Thomas in quarto, diſtinctione 44. loco citato*, vt demonſtret dari apertam contradictionem, ſi corpus glorioſum moueatur, de vno ad alium locum, & non per medium. Nec in hoc ſenſu Durandus, & Paludanus rationem Diui Thomæ reiecerunt; ſicut nec in eodem eam reiecit Suarius vbi ſuprà: ex eo enim putat rationem Diui Thomæ contradictionem non conuincere; quia in motu, quem ſine medio admittit in beatis, non intercedit motus ſucceſsiuus, ſed mutatio inſtantanea. Quare ſi ſermo ſit de motu continuo, indubitatum eſt apud omnes implicare dari motum ſine medio: nec aliquem vidi qui oppoſitum doceret, niſi vnum *Cumelium prima parte, quæſtione 53. articulo ſecundo, quæſtione prima, concluſione tertia*, dum admittit Angelum poſſe de vno extremo ad aliud moueri motu continuo non tranſeundo per medium: cuius opinionem, vt parum philoſophicam impugnauimus in Materia de motu Angelorum, vbi oſtendimus argumentum, quo nititur, ſumere motum non continuum, ſed diſcretum. *Cumelius.*

Ex demonſtrationibus præmiſsis infertur noſtram concluſionem non ſolùm veram eſſe de medio communicante cum vtroque extremo; ſed de non communicante: nam quælibet pars magnitudinis, quam mobile per motum cõtinuum acquirit, comparata cum termino à quo, quem continue relinquit, habet rationem termini ad quem, quem eodem motu continuò acquirit: vnde prius acquiſiuit partem magnitudinis antecedentem. Cum verò hoc de qualibet parte magnitudinis, per quam ſit motus, reſpectu antecedentium dici debeat; fit, vt omnes illas partes mobile prius debeat pertranſire, ſiue cõmunicantes ſint; ſiue non communicantes. 10. Corolariũ.

De motu ad locum immediatum,

¶ Conſequenter agendum eſt de motu, ſiue mutatione, quæ fit de toto vno loco ad totum locum immediatum, & contiguum; ita vt prior locus ſimul, & indiuiſibiliter relinquatur; & totus locus immediatus ſimul, & indiuiſibiliter acquiratur: inquirimus igitur, vtrùm ſicut Angelus exiſtens in loco A. poteſt ſimul, & indiuiſibiliter ſe ponere in toto loco B. ita beatus in corpore glorioſo poſsit ſimul, & indiuiſibiliter relinquere totum locum, in quo eſt, & ſimul atque indiuiſibiliter ſe ponere in loco immediatè proximo? 11. De motu ad locum immediatum.

Pro huius difficultatis explicatione præmittendum eſt non poſſe dari duo loca immediata, niſi illa ſint non communicantia: etenim loca communicantia, ſicut ſunt infinita, ita nulla duo poſſunt deſignari, quæ inter ſe ſint immediata. In hac igitur quæſtione ſolũ agimus de duobus locis non communicantibus, & immediatè ſe ſe habentibus; quia, ſcilicet, vel contingua ſunt, vel vna, & eadẽ linea continuata. Inter hæc autem loca adæ- 12. Præmiſſ.

quatè ſumpta ſecundum ſe tota licet nullus dari poſsit locus, vel communicans cum vtroque extremo, vel non comunicans (quia ſupponimus illa eſſe immediata, & inter ſe, vel contigua, vel continuata); tamen ſi loca iſta ſumantur inadæquatè, inter illa dantur infinita loca communicantia, quæ media interiacent, vt latè probat *D.Thomas prima parte*

D.Thom, *quæſt.53.ar.2.in corpor.* Quod ex eo euidenter demonſtratur; quia poteſt vnum mobile de vno loco ad alterum locum motu continuo pertranſire; ita vt ſucceſſiue acquirat totum immediatum locum: quod facere non poſſet, niſi inter vnum, & alterum locum darentur infinita loca ſe ſe communicantia. Ex quibus iam patet ſenſus propoſitæ quæſtionis: inquirimus enim vtrùm beatus poſsit tranſire de toto loco. A, in quo exiſtit, ad totum locum. B, immediatum ſibi, & ideo non communicantem ſecum: abſq; hoc, quod tranſeat per loca communicantia, quæ interiacent; ſed totum locum A. indiuiſibiliter, & ſimul relinquere: & ita poſsit totum locum A. indiuiſibiliter, & ſimul relinquere, & totum locum B. ſimul & indiuiſibiliter immediatè acquirere?

14. *Ratio dubitādi pro parte affirmante.*

Pro vtraque parte datur ratio dubitandi. Et pro parte affirmatiua facit, quod Angelus naturaliter poteſt illo modo moueri ad locum ſuo immediato. Cur igitur beatus non poterit, eodem modo moueri? Conſequentia confirmari videtur ex verbis Chriſti Domini: *In reſurrectione erunt homines, ſicut Angeli Dei.* Antecedens verò concordi Theologorum ſententia recipitur, tàm à Thomiſtis, quàm à Scotiſtis, & ab alijs, vt oſtendimus in materia de motu Angelorum: expreſſe admittitur à

Scotus. *Scoto in 2. diſtinctione 2. quæſtione 12. litera B. §. Si autem loquamur: cum quo tranſeunt omnes Scotiſtæ: &*

D.Thom. *ſatis ponitur à Diuo Thoma in dicta quæſtio. 53. artic. 2. in corpore:* agit enim ibidem de duobus locis immediatis, inter quæ dantur infinita loca communicantia: & tamen admittit Angelum poſſe locum immediatum indiuiſibiliter acquirere, priori indiuiſibiliter relicto.

Ratio pro parte negāte.

¶ Pro parte tamen negatiua illud facit; quoniam trāſitus iſte non poteſt fieri per motū continuū, ſed vel per diſcretū, vel per mutationem inſtantaneā: & tamen, tàm hæc, quam ille eſt ſupra corporis naturam. 15.

¶ Partem affirmantem probabunt, qui volunt beatum in corpore glorioſo poſſe moueri de ſuo loco ad locum diſtantem non tranſeundo per medium, idque non motu ſucceſsiuo, ſed mutatione ſimplici, & inſtantanea: nam ſi ad talem locum poteſt immediatè moueri, à fortiori poterit moueri ad locum ſuo immediatum. Cum verò Suarius, & Salas putent eſſe probabile beatum poſſe inſtantanee moueri ad locum diſtantem non tranſeundo per medium; à fortiori probabunt poſſe ita moueri ad locum immediatum; cum inter vnum, & alterum, locum adæquatè ſumptum nō detur medium, vt iam diximus. At verò partem negantem ſatis mihi probant Durandus, & Paludanus locis citatis, dum abſolutè docent omnem motum corporis glorioſi fieri per medium.

Ego pro reſolutione hanc ſecundam ſtatuo concluſionem: *Vtraque pars eſt incerta: negatiua tamen mihi eſt probabilior.* 16.
Prior pars aſſertionis ex eo probatur, quia neutra pars aliqua efficaci ratione confirmatur: nam argumentum pro parte affirmante, & antecedens habet ſatis dubium, vt inferius videbimus; & inutilem conſequentiam propter diſparem rationem, quæ inter Angelos, & homines reperitur in ordine ad locum, & motum, vt alibi latius diximus: argumentum verò partis negantis ſine probatione ſumit id, de quo eſt difficultas. ¶ Poſterior verò pars aſſertionis ideo mihi videtur probabilor, quia vix intelligi poteſt, quomodo corpus (quod in loco eſt extenſe, ita vt totum ſit in toto, & pars in parte) poſsit totum priorem locū ſimul, & indiuiſibiliter relinquere, & ſimul, & indiuiſibiliter poni in loco immediato: quæ difficultas etiam reperitur in Angelis apud eos, qui volunt illos non poſſe nō eſſe in loco diffinitiuè. Deinde, quia non video, quomodo hoc pertineat ad perfectionem ſtatus beatifici; maximè cū ſit ſupra naturam ipſius corporis, quam gloria nō tollit, ſed perficit. Quare perfectio agilitatis nō dat nouā facultatē ad mouēdum, ſed perficit, quæ eſt corporis naturalis, vt velociùs poſsit mouere, quàm naturaliter poſsit.

De

De motu diſcreto.

17. Quid de motu diſcreto? ¶ Sed iam inquirendum eſt, vtrùm beatus poſsit motu diſcreto ſuum corpus de loco ad locum mouere non tranſeundo per medium? in qua inquiſitione ſupponimus beatum poſſe mouere ſuum corpus motu diſcreto; niſi enim id ſupponatur, fruſtra inquiritur, an id poſsit non tranſeundo per medium? & quamuis de ſuppoſitione ego maximè dubitem, ſi ſermo ſit de motu diſcreto propriè ſumpto (nam cum talis motus non ſit connaturalis corpori, ſed ſupra naturam ſit illi cõmunicandus: ille autem ad perfectionem ſtatus beatifici non pertineat; non video cur beatis ſit tribuendus:) tamen vt hæc Theologia melius explicetur, ſupponimus motum iſtum diſcretum poſt reſurrectionem eſſe beatis communicandum. Qua facta ſuppoſitione meritò inquiritur; an illis communicatum ſit poſſe de vno loco ad alium diſtantem transferri, non tranſeundo per medium?

18. Præmiſſū. Ad cuius explicationẽ præmittimus motum diſcretum propriè ſumptum cõſtare ex pluribus mutationibus indiuiſibilibus, quarum qualibet locus vnus ſimul & indiuiſibiliter acquiritur, & alius relinquitur: motus igitur diſcretus fiet iſto modo, vt mobile de vno loco ad aliũ ita tranſeat, vt vnum totum ſimul relinquat mutatione quadam indiuiſibili, & alterum totum ſimul acquirat: vt ſi mobile exiſtens in loco A. totum illum ſimul relinquat, & transferat ſe ad locum B. eum totum indiuiſibiliter acquirendo, & ita ſucceſsiuè de vno loco ad alium, donec ad vltimum locum perueniat. Ex

Quomodo de vno loco ad diſtantẽ per mediũ perueniatur? his iam patet quomodo mobile motu diſcreto de vno loco ad locum diſtantem perueniat tranſeundo per medium: tunc enim ita mouebitur, cum de loco A. ad locum D. diſtantem ita mouetur, vt trãſeat per loca B. C. quæ inter A. & D. media interiacent. Mouebitur autem non tranſeundo per medium, ſi de loco A. immediatè ſe ponat in loco D. abſque hoc quod fuerit in locis B. C. intermedijs.

19. Quæſtio. Explicato quæſtionis ſenſu, iam inquiritur; an beatus poſsit moueri motu diſcreto de loco A, in quo exiſtit, ad locum D, qui ab eo diſtat, non tranſeundo per loca intermedia B. C? quam quæſtionem in beatis nullus Theologorũ tetigit: eam enim ſolùm excitant in Angelis, & in corporibus non beatis. ¶ Pars affirmatiua poteſt primùm confirmari; quia Angelus virtute ſua naturali poteſt motu Pars affirm. diſcreto de vno loco ad alium diſtantem moueri non tranſeundo per medium. Ergo idem poterit facere beatus poſt reſurrectionẽ. Conſequentia patet: tùm; quia poſt reſurrectionem beati erunt, ſicut Angeli Dei: tùm etiam, quia virtus localiter motiua, quæ eſt in beatis, eſt ſupernaturalis, & ideò perfectior, & potentior, quàm virtus naturalis Angeli. Antecedens verò eſt inter Theologos receptiſſimum: & illud probat *D. Thomas 1. p. q. 53. art. 2. & in 1. diſt. 37. q. 4. ar. 2. & quodlib. 1. ar. 5. quem ſequuntur omnes Thomiſtæ: Capreolus in 2. diſt. 6. q. vnic. ar. 1. concl. 3. Caiet. 1. p. q. 53. ar. 2. vbi latè Bañes, & Cumelius q. 1. concl. 1. & 2. Sotus lib. 6. Phyſ. q. 4. ar. 2. præter Thomiſtas, ita docent Heruæus in 1. diſt. 37. q. 1. ar. 3. & in quæſtionibus de motu Angelorum q. vnic. ad 15. arg. Durand. in 1. diſt. 37. q. 2. concl. 2. n. 5: ex Scotiſtis Baſſolius in 2. diſt. 10. q. vnica ar. 3. fol. 61. col. 3. ex Nominalibus Marſilius in 2. q. 7. art. 3. concl. 1. corolar. 1. fol. 234. col. 1. & id eſſe probabile teſtatur D. Bonauentura in 1. diſt. 37. in 2. p. art. 1. q. 2.* 1. ratio. D. Thom. Capreol. Caiet. Bañes. Cumelius. Sotus. Heruæus. Durand. Baſſolius. Marſilius D. Bonau.

Deinde à nonnullis confirmatur: quia corpus Chriſti exiſtens in cœlo ponitur in altari non tranſeundo per medium. 20. 2. ratio.

Tertiò denique; quia hoc nõ excedit vires creatas; & fortè pertinet ad perfectionem virtutis motiuæ corporis beati. Cur igitur non concedetur beato? 21. 3. ratio.

¶ Pars tamen negans his etiam rationibus probatur. Prima ratio; quia beati poſt reſurrectionem erunt ſicut Angeli Dei: Angelis autem à grauiſsimis Theologis hoc denegatur: id illis denegat *Scotus in 2. diſt. 2. q. vltima, §. Videtur probabiliter quod non. Quem ibidem ſequitur Liquetus, & Mayron. q. 13. difficul. 3. & communiter probant Scotiſtæ. Eandem ſententiã probarunt Aegidius in 1. diſt. 37. q. 2. de motu Angelorum, vbi etiam Richard. art. 3, q. 2. Gregor. in 2. diſt. 6. q. 3. Gabr. in 2. diſt. 2. q. 3. art. 3. dub. 2. Maior q. 8. D. Bonauent. ibidem in 2. p. art. 1. q. 2. Albert. de coæuis q. 9. Dionyſius Ciſtercienſis in 2. diſtin. 6. q. vnica art. 3.* 22. Partis neg. 1. pars. Scotus. Liquetus. Mayron. Aegidius. Richard. Gabr. D. Bonau. Ciſtercien.

Secundò: quia Deus, ſicut conſtituit ordi- 23.

ordinem partium totius vniuerſi; ita etiã
3. ratio. conſtituit ordinem inter loca: quædam enim collocauit immediata: inter alia vero poſuit medium, per quod loca extrema inter ſe ordinauit. Ergo agens inferius, quodcumque illud ſit, non poteſt de vno loco ad alium diſtantem tranſire, niſi per medium.
24. 1. confirmatio antecedentis. Antecedens huius rationis inde probatur: quoniam agens naturale non poteſt naturaliter agere in rem loco diſtantem, niſi prius agat in medio interiecto, vt docet indubitata Philoſophia: hæc autem naturalis impoſsibilitas non aliunde ortum habet, niſi ex ordine ab eo præfixo inter medium, & extrema, vt ab vno extremo ad aliud non eſſet trãſitus, niſi per medium.
25. 2. confirm. Ariſt. Quod inde etiam confirmatur; quoniam ex *Ariſt. 10. Metaph. c. 10. tex. 22. & in 6. Phyſic. c. 9. text. 77.* hæc eſt natura medij, vt ſi ab vno extremo ad aliud debeat fieri trãſitus, prius fiat in ipſum medium, quam in extrema: inde enim (vt ait) appellatum eſt mediũ.
26. 3. confirm. Denique partes vniuerſi ex eo, quod per ſe à Deo ſunt ordinatæ, & connexæ, habent, quod non eodem modo reſpiciant eas, quæ conſequuntur; ſed propinquiores reſpiciant magis propinque, remotiores autem magis remote. Non eſt igitur dubitandum Deum loca diſtantia inter ſe ordinaſſe per medium interiectũ, vt de vno loco ad alium, niſi per medium tranſitus fieret: quod fuit antecedens.

27. Probatur conſequentia. ¶ Conſequentia autẽ videtur nota: quoniam agens inferius & creatum, dùm agit circa ea, quæ à Deo ſunt per ſe ordinata, neceſſario debet ſeruare ordinem à Deo præfixum: ob hanc enim rationem agẽs naturale non poteſt ex quocumque immediatè generare quodcumque; ſed debet introducere formas in materiam eo ordine, quem in illarum formarum generatione præfixit: etenim generans hominem immediatè eum non generat ex ſpermate; ſed prius generat vegetatiuum, deinde ſenſitiuum, & tandem intellectiuum: acetum etiam immediatè non generatur, niſi ex vino, & ſic de cæteris. Quare agens inferius non poteſt agere, niſi ſeruato ordine à Deo præfixo. Sed Deus ideo poſuit medium inter duo loca diſtãtia, vt ad locum diſtantem perueniretur per medium, vt in antecedente oſtendimus. Ergo nullum mouens creatum poteſt tranſire ad locum à ſe diſtantem, niſi per medium: & ex conſequenti nec beatus ſine tali ordine tranſire poteſt ad diſtantem locum.

28. Auctor eſt dubius.
Ego in hac difficultate anceps ſum, & dubius: partem tamen negantẽ puto eſſe probabiliorem: quare hanc vltimam ſtatuo concluſionem: Vltima cõcluſio. *Vtraque pars eſt probabilis: negatiua tamen mihi videtur probabilior*: quod vtraque pars ſit probabilis, ex eo patet; quia vtriuſque fundamenta facilè diſſoluuntur: negatiuam tamen partem ideo probabiliorem puto; quia omnes vno ferè conſenſu admittunt Deum ponendo medium inter duo loca diſtantia hunc ordinem ſtatuiſſe, vt ad locum diſtantẽ ſine medio nõ perueniretur, & hunc ordinem poſuiſſe omnibus ſubſtãtijs corporeis; ideò quia ſecundum ſuam naturam ſunt alligatæ loco extenſo, & diuiſibili, & ſubinde ſituali diſtãtię: quod tanquam indubitatum docet Caiet. 1. p. q. 53. art. 2. ad finem.
29. Non recipitur quorundam ſolutio. Nec mihi videtur probabile, quod nonnulli dicunt ex alligatione mobilis ad ſitum corporeum, & extenſum, bene quidem inferri alligationem ad medium in motu continuo; nõ tamen in diſcreto: quæ fuit mens *Caietani vbi ſuprà, & ſatis id probarunt Capreolus in 2, diſt. 6. q. 1. ar. 3. ad 2. Scoti contra tertiã fol. 134. col. 3. Cumelius 1. p. q. 53. ar. 2. q. 1. ad 2. & Bañes ibidem dub. 2. ad 3. & probãt communiter Thomiſtæ cum Baſſolio in 2. d. 11. q. vnic. ar. 3. ad 1.* Caiet. Capreol. Cumelius. Bañes. Baſſol. non placet, inquam, hæc ſolutio, quia non video, cur ordo ille ſtatutus à Deo ſolùm habeat locum in motu cõtinuo, non vero in diſcreto: nam in vtroq; datur alligatio ad ſitum locũq; extenſum: corpus enim, quod motu diſcreto mouetur, licet indiuiſibili mutatione, & tota ſimul acquirat locum extenſum: ſemper tamen in eo loco, quem acquirit ita ponitur, vt totum ſit in toto, & pars in parte: & quanuis in hoc diſtinguatur à mòtu continuo, quod mobile per motum continuum, quandiù mouetur, ſemper per loca communicantia moueatur, quod autem mouetur motu diſcreto, non mouetur, niſi per loca non communicantia; plane non intelligo, quomodo hinc inferri poſſit motum diſcretum ex natura ſua ſolutum eſſe ab ordine pręfixo à Deo.

30. Si verò reſpondeas motum diſcretum natu-

naturaliter eidem ordini eſſe alligatum, Non placet cui alligatur continuus; gloriam tamen, alia ſolutio. cum ſit ſuperioris ordinis, ſolutam eſſe ab ordine à Deo naturaliter præfixo; & ſub inde ipſos beatos ſoluere à tali ordine quoad motum diſcretum: ſi inquam ita reſpondeas; ſolutio ſuperficie tenus accepta aliquam habet apparentiam; ſi tamen res iſta conſideratius expendatur nullum habet fundamentū. Primò; quia
31. 1. ratio. gloria non ſoluit corpus beatum à legibus ſitualis extēſionis: quia corpus, quātumuis glorioſum, ſemper eſt in loco ex tenſo extenſè; ita vt totum ſit in toto, & pars in parte. vt omnes agnoſcūt: ex hac autem alligatione ortum habet ordo, quē inter loca diſtantia Deus præfixit: quare ſi gloria ipſum corpus beati non ſoluit à priori alligatione; nec illud ſoluet à po-
32. 2. ratio. ſteriori. Deinde; quia gloria motum con tinuum, quo beatus mouetur ad locum diſtantem, non ſoluit ab ordine præfixo à Deo; quia virtus motiua, etiam vt eſt in beato eleuata, non ſat is eſt vt beatum ipſum motu continuo moueat ad locum diſtantem ſine medio, vt ſuprâ demonſtrauimus: Ergo nec à tali ordine ſoluet ipſum motum diſcretum: talis enim ſolutio ſine fundamento ponitur, vt contra nonnullos iam aduertimus. Tandem ideò nō
33. 3. ratio. placet illa reſponſio; quia non video quo modo hæc ſolutio à tali ordine pertineat ad perfectionem ſtatus beatifici; vnde ſine fundamento ponitur.

34. Hæc ſatis oſtendunt negatiuam ſententiam eſſe longè probabiliorem: cui nihil officiunt, quæ pro parte affirmante
Ad 1. arg. adduximus. ¶ Ad primum plures negant antecedens, quos citauimus in primo argumento partis negantis; quorum ſententiam vt longe veriorem probauimus in quæſtionibus de motu Angelorum. Si quis vero illam ſententiā in Angelis velit defendere; ad argumentū admiſſo antecedēte negabit conſequentiā:
Caietan. ratio diſcriminis ſumi poteſt ex *Caietano in d. q. 53. ar. 2*: quoniam ordo à Deo ſtatutus, ne ſcilicet de vno loco ad locum diſtantem fiat tranſitus, niſi per mediū, non eſt præfixus ſubſtantijs immaterialibus, ſed ſolis corporeis: cui doctrinę nos addimus illum ordinem præfixum eſſe omnibus corporibus, etiam glorioſis, vt ſuperiùs aduertimus. Vnde parum vrget ſecunda probatio conſequentiæ; quia ſolutio motus ab illo ordine non pendet à perfectione virtutis motiuæ; ſed à ſolutione à ſitu, & loco extenſo: à quo imma terialitas ſoluit; non tamen perfectio gloriæ. Prima verò probatio conſequentiæ parum obeſt; quia verba Chriſti Domini non ſunt intelligenda quoad omnia, ſed ſolùm quoad aliqua.

Ad ſecundum dicimus Chriſtum Do 35. minum poni in ſacramento Euchariſtię, Ad 2. arg. non per mutationem localem; ſed per conuerſionem ſubſtantiæ panis, & vini in verum corpus, & ſanguinem Chriſti, de quo latiùs egimus in materia de Euchariſtia. 36.

Ad tertium negandum eſt vtrumque, Ad 3. quod ſumitur.
Ad 1. negātis. ¶ Siquis tamen affirmatiuam ſentētiam velit defendere, ad primum argumentū negantis dicet maiorem non eſſe intelligendam quoad omnia, vt immediatè diximus. Deinde admiſſa maiore negabit minorem; quia communis opinio Thomiſtarum cū pluribus alijs admittit Angelum motu diſcreto poſſe ad locum diſtantem tranſire ſine medio: de qua opinione multa diximus in materia de motu Angelorum. 37.

Ad ſecundum primò reſponderi po- Ad 2. teſt cum Caietano in d. q. 53. art. 2. ordinem illum à Deo præfixum, ſolum eſſe præfixum corporibus, non verò Angelis. Secundò reſponderi poterit illum ordinem ſolum præfigi motui continuo, & non diſcreto, quæ fuit opinio Capreoli, & aliorum, quos ſupra citauimus.

¶ Solum ſupereſt diſſoluendum funda- 38. mentum Suarij, & Salæ, quo partem af- Ad fundamentū Suarij, & Salæ. firmantem putant eſſe probabiliorem: illud autem ſumitur ex modo loquendi Patrum: ex quo colligitur beatos poſt reſurrectionem poſſe moueri in inſtanti. Hoc tamen fundamentum parum habet efficaciæ; quia Patres motum Sanctorū ideò appellarunt mometāneum; quia fit in tempore breuiſsimo, vt cum D. Thoma, & alijs oſtendimus ſuprà art. 4. ad 1.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm agilitas in beatis habeat determinatam velocitatem, atque diſtantiam locorum?

Hæc

1. Quæſtio. HÆc quæſtio excitatur de agilitate corporis beati in ordine ad motum ſimplicem,& non organicũ: nam de agilitate ad motum progreſsiuũ agemus in artic. ſequenti. Vtraque pars quæſtionis ad Philoſophiam potiùs ſpectat, quàm ad Theologiam: quare de vtraque breuiter agemus.

2. Explicatur 1. pars articuli. Quod attinet ad primum, quod inquiritur; indubitatum eſt agilitatem corporum beatorum finitam,& determinatam eſſe quoad velocitatem; quia forma infinitæ virtutis, vel dari non poteſt, etiam

Eſt determinata. per diuinam potentiam; vel ſi poteſt, de facto non datur: quia Deus omnia fecit

3. An ſit ſumma poſsibilis? in numero,pondere,& menſura Sapient. 11. Vtrùm autem in aliquo beato reperiatur agilitas ſumma poſsibilis? petit quæſtionem, an in formis,quæ intenſionem,& remiſsionem recipiunt,detur intenſio ſumma poſsibilis?ita vt nec per potentiam diuinam poſsit dari maior? Cu-

4. ius quæſtionis vtraque pars eſt probabilis. Affirmantem probarunt *Caietan.2.2.q.24.art.7.& 3.p.q.7.art.9.10.& 12.& Durand.in 1.diſtin.17.q.9.& plures alij.* (*Caiet. Durand.*) Partem tamen negantem probauit communior pars Theologorum; *Capreol. in 1.diſt.17.q.2.ar.2.concl.vnica,& in 3.diſt.13.q.1.ad argumenta, Hiſpal. in 1.diſt.17.q.2.art.4. Sotus in 1.Phyſic.in q.de maximo & minimo cum alijs*: (*Capreol. Hiſpalen. Sotus.*) quorum opinio eſt

5. In qua menſura ſit data? longè probabilior. In qua autem menſura Deus dederit qualitatẽ agilitatis ſummo beato? eſt omninò incertum: probabile tamen eſt illi datam fuiſſe ſummam poſsibilem apud eos, qui in formis admittunt ſummam intenſionẽ: nam apud alios menſuram ſingulis diſpoſuit pro libito voluntatis; illud tamen aſſerendum

6. Eſt maior omni naturali, eſt,velocitatem datam minimo beato lõge eſſe maiorem quacunque velocitate naturali,etiam primi mobilis,vt aduertit *Pariſienſis 1.p. de vniuerſo, quem refert,& probat Salas 1.tom.ad 1.2.q.5.art.5.tract.2.diſp.14.ſect.18.ad finem*: (*Pariſienſis Salas.*) etenim ſatis id ſignificant Patres, dùm dicunt corpora Sanctorum tàm citò poſſe ab vno ad aliũ locum transferri, quàm citò ſpirituales creaturæ tranſeunt cogitatione: etenim id pertinet ad maiorem ipſorum beatorum gloriam.

7. Quid de diſtantia? Quod verò attinet ad determinationẽ diſtantiæ, ſi ſermo fuerit de motu continuo intra ſphœram vniuerſi, nulla datur determinatio diſtantiæ: quia quamcũq; poterunt pertranſire, & maiorẽ pertranſire poſſent, ſi maior daretur: hoc enim nunquam poteſt arguere infinitatem. Et idem dicendum eſt de motu diſcreto, ſi fiat tranſeũdo per media: in vtroq; enim motu eadem ratio cernitur. Tota igitur difficultas erit apud eos, qui volunt beatum poſſe immediatè tranſire ad locum diſtantem non tranſeundo per medium. (In quo ſit difficultas?) In qua difficultate illud certum eſt non poſſe beatos ad quamcumque diſtantiam iſto modo moueri: ſicut enim quæcunq; virtus loca motiua,ideo quia creata,ex ſe determinata eſt quoad intenſionem velocitatis;ita ex ſe eſt determinata ad certam diſtantiam,vt ad maiorem immediatè non moueatur: (Eſt determinata ad certam diſtantiam.) nam ſicut maior velocitas requiritur, vt mobile in eodem tempore moueatur ad locum diſtantiorem, quàm ad propinquiorem, vt oſtendimus art.4.ita etiam maior virtus requiritur,vt in vno & eodem inſtanti immediatè moueatur ad diſtantiorem locum, quam ad minus diſtantem:hinc enim eſt,vt requiratur virtus infinita,vt mobile in inſtanti moueatur ad diſtantiam ſyncathegorematicè infinitam,quod ex Philoſophia ſupponimus.

ARTICVLVS VII.

De agilitate,& velocitate motus progreſsiui glorioſi corporis.

§. 1.

Præmiſsis nonnullis explicatur de quo ſit diſputandum.

IN ſuperioribus egimus de agilitate corporis glorioſi in ordine ad motum ſimplicem: cõſequenter agendum eſt de agilitate eiuſdem in ordine ad motum progreſsiuum. 1. Quod in beatis admittendus ſit motus progreſsiuus, tanquam indubitatum ſupponimus, vt latè oſtendimus lib.4. q.22. artic.3. (Admittendus eſt motus progreſſiuus.) idque exemplo Chriſti, qui Luc. vlt. *Ibat cum diſcipulis euntibus Emaũs,& finxit ſe longius ire*: (*Luc.vlt.*) motu ſcilicet progreſsiuo, quo homines iter peragunt, & ſatis ſit locus Iſaiæ cap. 40. *Current,& non laborabunt: ambulabunt,& non deficient.* (*Iſai.40. Sap.3.*) Quare hæc veritas tanquã de fide eſt ſupponenda.

Suppo-

2. 2. ſuppoſit. Supponendum eſt ſecundò potentiã, qua homo motu progreſsiuo mouetur realiter eſſe diſtinctam à potentia, quæ eſt in anima ad motum ſimplicem: vt cũ Conimbricenſibus oſtendimus ſupra art. 3. §. 2. vbi etiam oſtendimus potentiam iſtam eſſe corpoream in corpore inhærentem.

3. 3. præmiſſ. Præmittendum tertiò facilitatem, qua beati motu iſto progreſsiuo mouentur, in duobus conſiſtere: primò; quod nullũ laborem vel laſsitudinem ſentiunt. Secũdò in maiori velocitate motus. Primum patet ex verbis citatis Iſaiæ: *Current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient*, id eſt, non fatigabuntur. Secundum verò ſatis declarant verba eiuſdem Iſaiæ, quæ præcitata immediatè antecedunt: *Aſſument pennas ſicut aquilæ*, & Sapient. 3. *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*: qui diſcurſus etiam accommodari poteſt motui progreſsiuo.

4. Quæſtio de cauſa carentiæ laboris. 1. opinio. His præmiſsis iam inquiri poteſt; vnde nam proueniat, tũm carentia laboris, & laſsitudinis: tũm ipſa facilitas? Quod attinet ad ipſam carentiam laboris: quidam exiſtimant eam prouenire ex impaſsibilitate; quia ab ea naſcitur, vt per motum nec membra alterentur, relaxẽturque; nec ſpiritus diſsipentur. Ita *Suar.* *Salas.* *Durand.* *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 48. ſect. 2. poſt principium, & Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 5. artic. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 18. poſt principium, & ante eos Durandus in 4. diſt. 44. q. 7. n. 9. in fine*. Propria opinio. Ego tamen exiſtimo impaſsibilitatẽ quidem ſupponi, ne illi effectus motui connaturales fiant: hanc tamen carentiã immediatè etiam proficiſci ex ipſa agilitate; quatenus membra ipſa ita diſponit, vt nullam faciant reſiſtentiam, vt dicemus: quare impaſsibilitas concurreret quidem ad illam carentiam, ſi membra motui actu reſiſterent; quia ex ipſa reſiſtentia membra naturaliter relaxarẽtur, & diſsiparentur ſpiritus, niſi impaſsibilitas vtrumque impediret: ſublata tamen reſiſtentia ſimul aufertur cauſa relaxationis membrorum, & remiſsionis ſpirituum: reſiſtentia autem formaliter aufertur per agilitatem.

§. 2.

De cauſa facilitatis motus progreſsiui.

5. Quæſtio de cauſa facilitatis. QVod verò attinet ad ipſam facilitatem motus, cõtrouerſum eſt, quænam ſit cauſa illius? nam cũ facilitas motus ſit quædam perfectio in modo agendi; duplex illius poteſt aſsignari cauſa: vna; augmentum ipſius virtutis motiuæ: altera vero; ablatio repugnãtiæ, ſiue reſiſtentiæ. Quæri igitur poteſt, vtrùm hæc facilitas in motu progreſsiuo proueniat ex augmẽto virtutis motiuæ? an vero ex ablatione reſiſtentiæ membrorum, quæ motum exequuntur? an denique ex vtroque.

6. 1. opinio. Nonnulli volunt hãc facilitatem ſolum prouenire ex ablatione reſiſtentiæ, quæ prouenit ex grauitate corporis: vnde inferunt grauitatem, & pondus auferri à corpore glorioſo, & ex ablatione illius prouenire ipſam agilitatem. Hanc opinionem ſatis probauit D. *D. Bonau.* *Durand.* *Palat.* *Bonauent. in 4. diſt. 49. art. vltimo q. 2. ad 1. & Durand. in 4. diſt. 44. q. 7. n. 9. in fine, potiùs probat Palatius ibidem diſp. 4. §. Beata igitur corpora, pag. 57. col. 2. & pag. 58. col. 1.* vbi docet melius dici illam non eſſe futuram, quam eſſe impediendam ne grauitet. *Palud.* *Paludanus autem in eodem loco q. 4. art. 1. n. 7.* Hanc opinionẽ putat eſſe probabilem. Maior etiam in 4. diſt. 49. q. 18. in 4. argumento. Hanc refert opinionem nec improbat.

§. 3.

In corpore glorioſo dari grauitatem.

7. Datur in eo grauitas. HÆc tamen opinio & falſo nititur fundamento, & illo admiſſo non redditur vera cauſa facilitatis. Quod falſo nitatur fundamento ex eo probatur; quia falſum eſt non dari grauitatem in corpore glorioſo, ſi ſermo ſit de grauitate, quæ eſt facultas naturalis, vt oſtendimus *lib. 4. q. 1. ar. 2. §. 4. n. 14.* & quamuis ibi dixerimus oppoſitam ſententiam ſua probabilitate nõ carere; nũc dicimus eam aut nullam probabilitatem habere, aut tàm paruam, vt vix ſatis ſit, vt defendi poſsit, niſi gratia ſolius exercitij. 1. probatio. Quam ſententiam primò confirmamus; quia in terminis eſt grauiſsimorum doctorum: eam enim probarunt *Scotus.* *Baſſolius.* *Rubione.* *Abulen.* *Scotus in 4. diſt. 49. q. 14. §. Quarto eſt videndum, litera F. Baſſolius ibidem q. 2. art. 2. contra primam opinionem: Guilhelmus de Rubione q. 3. art. 2. concl. 3. Abulenſis in cap. 17. Mat-*

Suar. Salas. *thæi q.126. pag. 255, col.2. D. Suar. in d. diſp.48. ſect.2. pag.922. col.2. per totã, vbi ſcribit oppoſitam ſententiam nulla ratione ſibi probari poſſe: Salas loco citato, pag. 615. col.1. per totam, & eſt inter Nouiores communiſsima, quam tanquam probabiliorem defendit Paludanus in 4. diſt. 44. q. 4. art. 1.* Paludan. *n.7:* etenim argumenta in contrarium diſſoluit.

8. 2. ratio. Deinde probatur: quia apud omnes eſt indubitatum beatorum corpora fore reſurrectura cum omnibus naturalibus facultatibus. Sed grauitas eſt quædam naturalis facultas corporis mixti. Ergo indubitatum eſſe debet eam futuram eſſe in corpore glorioſo. Maior huius diſcurſus non poteſt non admitti: ſequeretur enim corpus glorioſum non eſſe naturaliter perfectum: quod nullus admittet. Minor autem ex eo probabitur, quia grauitas eſt naturalis quædam proprietas naturaliter emanans à forma ſubſtantiali grauis, vt eſt receptiſsima Philoſophia, Conimb. de qua *Codimbr. 8. Phyſic. cap.4. q.1. art.3. argumento 3. pro 3. concluſione: quam etiam* Ariſt. *docuit Ariſtoteles tùm 4, de cælo c.1. tex. 2. dùm ait grauia habere in ſe ipſis quaſi fomẽta motus*: quia ſcilicet habeat naturalia principia ipſius motus; nimirum grauitatem: tùm etiam 8. *Phyſic. c.4. text. 32.* vbi docet graue etiam cum non mouetur eſſe in actu primo ad motum, idque per ipſam grauitatem, quam à generante accipit. Quare minor noſtri diſcurſus in Philoſophia non ſolùm eſt veriſsima, ſed etiam indubitata. Cum verò maior admittenda ſit; ſatis conuincitur in beatis admittendam eſſe grauitatem ſumptam pro facultate naturali.

9. Solutio quorundam. Ad hoc argumentum nonnulli reſpõdent maiorem illam eſſe intelligendam de proprietatibus, quæ ad ipſorum corporum perfectionem ſpectant; non verò de illis, quæ nimis ſunt imperfectæ: talem autem eſſe grauitatem ex eo probant; quia ſolùm eſt neceſſaria, vt per eã corpora moueantur ad loca naturalia, in quibus conſeruantur: iam verò corpora glorioſa tali conſeruatione non indigebunt: ita *Durandus in d.q.7. n.9. ad finem,* Durad. *& Paludan. in d.q.4. art.1. n.6. & probant* Paludan. *Conimbricenſes in 2. de cœlo c.5. q.5. art.2.* Conimb. *ad fin vu, pag.228. conſentit Palatinus vbi ſu*Palatius. *prà*, &, id ex eo probat; quia ſi grauitas perfectionem diceret, nequaquam à ſuo vſu impediretur. ¶ Sed hæc reſponſio non eſt admittenda: etenim facultates, & 10. Non recipitur ſolutio. proprietates corporis non ideò in reſurrectione redeunt, quod ex ſua natura dicunt perfectionem; ſed quia naturales ſunt, & ad naturalem integritatem cor- 1. ratio. poris pertinent: decet enim vt corpora iuſtorum reſurgant integra, non ſolùm integritate ſubſtantiali, ſed etiam naturali; quanuis finis naturæ in pleriſque ceſſet, vt patet in potentia nutritiua, & generatiua, quarum actus & finis ceſſabũt; & tamen ideo redibunt, quia pertinent ad integritatem naturalem. Quare licet in patria ceſſet finis naturalis, gratia cuius grauitas à natura conceditur ipſis grauibus (quia iam corpora glorioſa non cõſeruantur in loco infero) adhuc grauitas neceſſariò redibit, quia ad integritatem, & completionem naturalẽ humani corporis pertinet: vnde corpus humanum ſine grauitate merito dicetur, ſi non mõſtruoſum, & præter naturam, vt vult Suarius: naturaliter tamen imperfectũ, quod nullo modo admittendum eſt.

His addimus grauitatem in corpore 11. Alia ratio. beato, licet neceſſaria non ſit propter naturalem ipſius corporis conſeruationem; eſſe tamẽ neceſſariã, ſi beatus pro libito voluntatis velit aut à cœlo deſcendere in terras, non velocitate ſupernaturali, ſed ſola naturali: & eodem modo ſi velit deambulare ſola agilitate naturali ad deambulationem cõcurrente, vt diximus lib. 4. loco citato: etenim ad perfectionem ſtatus beatifici pertinet, vt ſuis facultatibus vtantur, non ſolùm modo ſupernaturali, ſed etiam naturali; quando illarum vſus ſtatum beatificũ non dedecet. Quare non eſt, quod Conimbricenſes dicant grauitatem cum gloria, & dote agilitatis minimè conuenire: ſicut etiam non eſt, quod *Durandus, & Paludanus* ſcribant, ſatius eſſe non admittere grauitatem in beatis, quam eam ſuo vſu in perpetuum priuare.

§. 4.

Soluuntur argumenta contra grauitatem.

SEd obijciunt aduerſarij fieri nõ poſ- 12. 1. Argum. ſe, vt in corpore beato maneat grauitas ſine actuali reſiſtentia: etenim actualis inclinatio ad reſiſtendum, ipſaq; actua-

actualis reſiſtentia eſt effectus formalis ipſius grauitatis; & ſubinde ab ea inſeparabilis. In beato autem nulla eſt admittenda reſiſtentia.

13. 2. arg. Secundò obijciunt: quoniam ſi corpora beata habent grauitatem, vel eam habent, quam in via habuerunt, vel aliam: non eandem; quia eſſent ponderoſi, contra quod docet Auguſtinus: nec aliam; quia quæcunque illa ſit, reſiſtet motui.

14. 3. argum. Tertiò obijciunt Durandus, & Paludanus: quia agilitas non poteſt corpori glorioſo conuenire, niſi per ablationem grauitatis. Ergo in eo nulla erit grauitas. Conſequentia patet: antecedens probatur; quia ſi non eſt per ablationem grauitatis, erit per collationem alicuius qualitatis: hoc autem non eſt admittendum; quia illa qualitas vel inclinabit ad motũ; vel faciet quod grauitas motum non retardet. Si inclinabit ad motum; vtique inclinabit ad determinatum motum, & locum; quia inclinabit per modum naturæ; quod non eſt admittendum: ita enim fieret vt beatus per eam non moueretur ad omnem loci differentiam. Si verò qualitas illa ſolum faciet, ne grauitas impediat motum; melius eſſet ponere agilitatem per ablationem grauitatis: quia fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora.

15. Vltimũ argum. Poſtremò obijciunt nonnulla Auguſtini, & Cypriani teſtimonia: Auguſtini quidem ex *lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 11, & ſerm. 139. de Tempore cap. 3: Cypriani verò in ſermone de ReſurrectioneChriſti cap. 4. pag. 484.* In quibus locis docent corpora beatorũ eſſe ſine grauitate pōderis.

16. Ad 1: Hæc facilè ſoluuntur. Primum argumentum petit; an grauitas iſta, quæ eſt naturalis facultas, & actus primus ad motum deorſum poſsit dari in beato ſine actu ſecundo actualis renitentiæ? de qua difficultate diximus *ſuprà lib. 4. q. 1. ar. 2. §. 4. n. 15.* Quidam enim admittunt dari (Quorundã opinio.) aliquam renitentiam ex parte grauitatis: quam ſententiam tribuunt *D. Thomæ in 4. diſt. 44. q. 2. art. 3. q. 1. ad 2.* ſed ex illo loco oppoſitum colligitur. Hanc tamen (*Baſſolius.*) ſententiam ſatis probat *Baſſolius in 4. diſt. 49. q. 2. art. 2. contra primam opinionem, §. Ad rationem dico,* vbi putat non eſſe incōueniens, ſi in corpore glorioſo exiſtente in cœlo ponatur violentum perpetuum diuina ad id virtute concurrente, iam verò violentum non datur ſine aliqua reſiſtentia; in beatis etiam admitti violentũ ſecundum quid probat *Abulenſis in c. 17. Matthæi q. 126. fol. 255. col. 2. E. & col. 3.* (*Abulenſ.*) *& ſatis eſt de mente Scoti in 4. diſt. 49. q. 14 litera* K. *§. Ad 1. dico: nec hanc ſententiam omnino reijcit Suarius in d. diſp. 48. ſect. 4. pag. 923. C.* (*Scotus. Suarius.*) At tamen nos oppoſitam ſententiam probauimus *in d. ar. 2. §. 4. n. 16. & 17.* (Non admititur.) vbi ex Auguſtino, & Cypriano oſtendimus in corpore glorioſo nullam futuram eſſe grauitatis renitentiã: quod etiam probarunt *Conimbricenſes in 2. de Cœlo c. 5. q. 5. art. 2. ad finem, & Salas vbi ſuprà pag. 616. col. 1. §. Sed ego non concederem:* (*Conimbr. Salas.*) etenim actualis renitentia, & ponderatio non poteſt ſimul eſſe cum perfecta corporis ad animã ſubiectione, vt ibidem diximus.

17. Solutio in forma. 1. ſolutio. ¶ Ad argumentum igitur neganda eſt propoſitio, quæ ſumitur. Ad probationẽ verò quidã admittunt actualem inclinationem ad reſiſtendũ, actualemq; reſiſtentiam eſſe quidem effectum formalẽ grauitatis; non quidem primariũ (is enim non eſt alius, niſi facere graue) ſed ſecundariũ: ſicut etiã expellere aliud corpus ab eodẽ ſpatio non eſt primarius formalis effectus quantitatis (is enim eſt facere quantũ) ſed ſecũdarius: eodẽ modo extendere ſubiectũ in ordine ad locũ eſt eiuſdẽ quantitatis formalis effectus, non quidem primarius, ſed ſecundarius. Cum verò additur effectum formalem eſſe inſeparabilem à grauitate; admittendum id eſt de formali primario; negandum verò de ſecundario: nam in penetratione corporis actualis expulſio ab eodem ſpatio tollitur à quantitate, vt dicemus in quæſtione ſequenti: extenſio etiam quantitatis in ordine ad locum aufertur ab ea in venerabili Euchariſtiæ Sacramento: hanc ſolutionem tetigit Salas vbi ſuprà, ſatis tamen confuſè.

18. Vbi etiam addit ſolutionem ſecundam, ſi negetur actualem renitentiam eſſe effectum grauitatis formalem; quia verè non eſt effectus, niſi in genere cauſæ materialis: ſicut enim (vt ait) diſponere ad receptionẽ alicuius rei eſt effectus qualitatis in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ: ita impedire receptionẽ alicuius rei eſt effectus cauſæ materialis impeditiuæ; impedit enim receptionẽ motꝰ cōtrarij in ipſo graui; [illegible] verò effe-

effectus materialis poteſt tolli à forma.

19. Vera ſolutio. ¶ Vtraque iſta ſolutio ſub ſua probabilitate maneat. Nos cũ Suario *vbi ſupr. pag. 923. col. 1. B. C.* negamus actualem renitẽtiam eſſe effectum formalis grauitatis. Quia eſt effectus efficiens, vt oſtendim⁹ ſuprà lib. 4. q. 1. ar. 2. §. 5. ad 4. n. 6. etenim (vt ibi diximus cũ doctrina Philoſophorũ) grauitatem actu grauitare, ponderare, atque reſiſtere non eſt aliud, quàm ex ſe efficienter emittere in ipſum graue actualem impulſum (qui eſt quędam qualitas) quo recepto graue ipſũ nititur deorſum deſcendere, quo niſu grauitat, atque reſiſtit mouenti in alium locũ. Quamdiù autem graue hunc impulſum non emittit (vel vera efficientia, vel naturali reſultãtia) nõ dicitur grauitare, aut pondus facere: ob quam rationem elementa grauia in ſuis proprijs locis nõ grauitant, vt cũ cõmuniori ſentẽtia à Conimbricenſibus approbata diximus in d. n. 26. Iam verò grauitas ipſa ob perfectionẽ agilitatis, qua in corpore glorioſo eſt eleuata, & omnimodè ſubiecta voluntati beatæ, nunquam in patria impulſum illũ emittet quando beatus ſe ipſum mouet, niſi fortè pro libito volũtatis velit vti ſua naturali grauitate, quod poteſt facere, vt ſuprà aduertimus.

20. Ad 2. Secundum argumentum futile eſt: dicimus igitur beatum reſurrecturum fore cum eadem numero grauitate, quam habuit: erit igitur corpus beati põderoſum, in actu primo; non tamẽ in actu ſecũdo.

21. Ad 3. Ad tertium negandum eſt antecedẽs: ad probationem dicimus agilitatem non conuenire beatis per ablationem grauitatis, vt patet ex dictis; ſed per qualitatẽ ſupernaturalem illis collatam, quę ex ſua perfectione, & excellentia inclinabit ad agilitandum, reddendumq; velocem omnem motum: de quo plura in vltimo articulo.

22. Ad vltimũ. Ad vltimum ſumptum ex teſtimonijs Auguſtini, & Cypriani reſpondimus ſupra lib. 4. q. 1. ar. 2. §. 5. ad 1. n. 19. Auguſtinum, & Cyprianum non agere de grauitate, quæ eſt facultas, & principiũ motus deorſum, ſed de vſu illius: vnde per onus, & pondus intelligunt actualem grauitationem, & reſiſtentiam, quæ eſt communis explicatio probata ipſi Paludano vbi ſupr. ad primum argumentum numero 5.

§. 5.

Ablatio grauitatis non eſt ſatis ad agilitatem beatorum.

Opinionem primam adductam §. 2. ex duplici capite nõ recepimus ſuprà §. 3. tùm; quia falſò ſupponit in beatis non dari grauitatem: tùm etiam; quia data illa ſuppoſitione ablatio grauitatis non ſatis eſſet ad agilitatẽ, quę in corpore beato admittitur. 23. 1. fundam. contra primam opinionem. De priori capite *Egimus* §. 3. & 4: nunc agendũ eſt de poſteriori. Quod vero ſola grauitatis ablatio non ſatis ſit ad agilitatem beatorum oſtendunt *Suarius vbi ſuprà pag. 922 col. 2. §. Deinde ad hunc effectum, & Salas pag. 615. col. 1. ad finem.* Non ſatis eſt ablatio grauitatis ad agilitatem. *Suar. Salas.* Facile autem hac ratione conuincitur: quoniam ſublata grauitate ſola maneret ipſa naturalis potentia loco motiua, tùm quæ eſt in anima ad motum ſimplicem, tùm quæ eſt in corpore ad motum progreſsiuum. Impugnatio. Sed virtus naturalis vtriuſque iſtius potentiæ non ſatis eſſet ad agilitatem, quæ in corpore glorioſo à Patribus admittitur. Ergo ſola grauitatis ablatio non ſatis erit ad agilitatem corporis glorioſi. Maior eſt nota; quia aduerſarij fatentur cum ablatione grauitatis nihil ſupernaturale ſuperaddi potentiæ motiuæ naturali. Minor verò ex eo deducitur; quia virtus potentiæ motiuæ ſumpta ſecundum ſe eſt virtus quædam limitata non ſolùm ad velocitatem ordinis naturalis, ſed etiã ad limitatam velocitatem eiuſdem ordinis: etenim non ſolùm motores orbium cœleſtium velocius mouent cœleſtes orbes; ſed etiam plura animalia in velocitate motus longè excedunt naturalem virtutem motiuam, quæ eſt in homine. Iam verò agilitas, quæ datur in corpore beato, longiſsimè excedit velocitatem cuiuſcunque motus ordinis naturalis, etiam primi mobilis, vt oſtendimus ſupra art. 6. Ergo virtus motiua naturalis tùm animæ, tùm corporis beati, quantũcunque grauitas auferatur, non ſatis erit ad agilitatem, quæ futura eſt in corpore glorioſo, quæ fuit minor. Sit igitur indubitatum cauſam facilitatis, quæ eſt in motu corporis beati præciſè non eſſe ſumendam ex ablatione grauitatis, ex quo capite §. 3. hanc opinionem non admiſimus.

§. 6.

§. 6.

Vndenam ſumenda ſit cauſa facilitatis in motu corporis glorioſi?

24. Reſolutio principalis quæſtionis.

OMiſsis alijs dicendi modis ad difficultatem excitatã ſuprà §.2. diximus cauſam facilitatis in motu corporis glorioſi ſumendam eſſe ex ſupernaturali eleuatione, tùm ipſius potẽtiæ loco motiuę; tùm ipſorũ membrorũ: inde enim habet ipſa potentia, quod poſſit cauſare motum localem tùm ſimplicẽ, tùm progreſsiuum velocitate quoad modum ſupernaturali, quæ longiſsimè excedit omnem velocitatem naturalis motus viribus naturæ producti, vt patet ex dictis ar.3.§.3.in 6.concl. Quomodo autem fiat hæc eleuatio? latè oſtendimus in d. §.3. poſt concluſiones, & plura dicemus in vltimo art. huius quæſtionis.

25. Coroll.

Ex hac reſolutione inferes veram eſſe doctrinã Suarij loco citato pag.923. col. 1. in principio, dùm ait ad agilitatem, & facilitatem huius motus augeri virtutẽ ipſius potentiæ: etenim per ipſam eleuationem talis virtus verè augetur. Quod verò addit ad hanc velocitatẽ iuuare optimam diſpoſitionem corporis, & organorum, in hoc ſenſu eſt admittendum; quia talis diſpoſitio præſupponitur; cum pertineat ad perfectionem corporis in eſſendo; non tamen quaſi requiratur, vt ad motum concurrens.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm omnes beati futuri ſint æquales in agilitate?

1. De æqualitate agilitatis. Oppoſitæ ſententiæ. *Suar. Salas. Sotus. Supplem. Suarius.*

PArtem affirmãtem nonnulli probant, inter quos eſt *Suarius in d. diſp, 48. ſect.4. pag.927. col.2, in fine, & Salas in d. ſect.18. pag.615. col.2. ad mediũ:* ¶ Alij oppoſitum docent, inter quos eſt *Sotus in 4. diſt.49. q.4. art,7. concl.3. ad finem, quamuis oppoſitam non omnino reijciat: ſimpliciter id probat Supplementum Gabr. in 4. diſt.44. q.2. in ſecunda parte art.2. corollar. 4. & ſatis conſentit Suar. pag. 926. col.1. poſt principium,* ſuppoſito quod agilitas ſit qualitas.

2. Opinio Authoris.

Ego puto non omnes eſſe æquales in velocitate motus continui: nam cum nullus beatus hoc motu poſsit moueri in in-

ſtanti, vt diximus art.4. non eſt cur dicamus in illius velocitate omnes eſſe æquales; maximè ſi qualitas agilitatis emanat à beatitudine, vt ex *Auguſt. ſæpè diximus, & placet D. Thomæ*: beatitudo enim in omnibus non eſt æqualis: Idem dicendũ puto de velocitate motus diſcreti, ſi ille fiat tranſeundo per mediũ: etenim talis motus fiet in tempore; in quo vnus alio poteſt velocius moueri. Si verò motus diſcretus fiat ſine tranſitu per medium; in eo omnes futuros eſſe æquales nõ poſsũt non fateri, qui volunt talem motum, ad quẽcũque locum fiat, propinquiorẽ, vel diſtantiorẽ, fieri in inſtanti: etenim cum in inſtanti non detur magis & minus: nec etiam in eo dabitur maior vel minor velocitas; quia tranſitus erit indiuiſibilis. Oppoſitum dicendum eſt; ſi talis tranſitus non fiat, niſi in tempore: tunc enim locus datur inæqualitati in velocitate; quia dari poteſt inæqualitas in qualitate, à qua profluit agilitas.

ARTICVLVS IX.
& Vltimus.

Quidnam ſit agilitas corporis glorioſi?

§. 1.

Opinio quod non ſit qualitas.

QVod attinet ad id, quod inquiritur, non parua eſt inter Theologos controuerſia: quid in ea ſenſerint *Suarius, & Salas non facilè intelliges ſi illum legas 2. tom. ad 3. p. diſp.48. ſect.4: iſtum verò 1. tom. ad 1.2. q.5. art.5. tract.2. diſp.14. ſect.18. per totam.* 1. *Suar. Salas.*

Quidam putant agilitatẽ corporis glorioſi nõ eſſe qualitatẽ: ita *Scotus in 4. diſt. 49. q.14.* vbi nec ex parte potentię motiuæ vllam qualitatẽ admittit; nec ex parte corporis. Quod ex parte potentiæ nulla qualitas ſuperaddita ſit neceſſaria, latè oſtendit *litera C.D.E.F. & clariùs litera H. §. Reſpõdeo ergo*: putat enim ad motũ, ſiue organicum, ſiue nõ organicum ſatis eſſe potẽtiam naturalem ipſius animæ: quod vero ex parte corporis, vt eſt mobile, nulla etiã ſit neceſſaria qualitas ſuperaddita, probat ibidem *§.4. eſt videndum, & lit. I. §.5. ex dictis patet.* Cũ Scoto tranſit Ouãdus in 4. diſt. 49. prop. 34. dùm agit de dote agilitatis, *Supplementũ etiã Gabrielis* 2. Opinio negans. *Scotus. Ouand. Suupplem.*

in 4.diſt.44.q.2.in 2.p.ſecundi art.corollar.
Durand. 2.expreſſe conſentit Durandus in 4.diſt.44.
Palatius. q.7.ar.1.n.9: in eã potius inclinat Palatius
Paludan. in 4. diſt.44.diſp.4. eandem eſſe probabilem teſtatur Paludanus ibidem q.2.artic.1.n.7. quamuis in oppoſitam ſententiam potius incli-
Abulenſ. net: eandem opinionem videtur approbare Abulenſis in c.17.Matth.q.126.pag.255. col.3.& 4. & quãuis ſatis obſcurè loquatur; expenſis tamen quæ ſcribit, in ea eſt ſententia, vt agilitas non ſit ipſa potentia motiua, ſed quædam illius perfectio adueniens illi ex multiplicatione ſpirituũ puriſſimorum, cum ablatione omnis indiſpoſitionis ex parte mẽbrorũ, & omnis ponderis non naturalis; ijs enim vis ipſa motiua perficitur, & ſuo modo intenditur, quam opinionem ſecundo loco re-
Baſſolius. fert Baſſolius, nec eam omnino reijcit in 4.
Sotus. diſt.49.q.2.ar.2. Sotus etiam ibidem q.4.ar. 7.poſt primam concluſionem, §.Quod ſi quæras, libenter fatetur nihil cogere.vt agilitas ponatur qualitas à corpore diſtincta.

3. 1.probatio. Hæc opinio primò confirmatur ex Scoto: quoniam illa qualitas non erit aliqua qualitas cœleſtis; ſed erit vel elementaris, vel alicuius mixti: nulla autem talis qualitas poteſt dare agilitatem ad motum in omnem loci differẽtiam, vt patet: agilitas autem beati eſt ad omnem differentiam loci.

4. 2.ratio. Secũdò; quia illa qualitas ex ſua natura inclinaret ad motum localẽ, & ſubinde ad aliquem locum. Eſſet igitur determinata ad certum & determinatum motũ, & locum: inclinaret enim per modũ naturæ, quæ determinata eſt ad vnũ. Quomodo igitur facilitabit ad omnem motum, & locum?

5. 3.ratio. Porrò ſi dicas qualitatem illam ex ſe eſſe indifferentem ad omnem motum, & ad omnem differentiã loci; occurrit Scotus vix intelligi poſſe, quomodo vna & eadem qualitas ex ſua natura ſit indifferens ad omnem motus, & loci differentiam. Addit Palatius qualitatem iſtam nõ eſſe animæ: iam verò ex Ariſtotele 2. de
Ariſt. Anima, motus indifferens ſolius eſt animæ. Denique naturale foret beato eſſe in quocunque loco ſurſum, & deorſum; in occidente, & oriente; denique naturaliter moueretur motu circulari.

§. 2.

Agilitatem eſſe veram qualitatem.

HIs tamẽ nõ obſtantibus vera reſolutio ſit agilitatẽ corporis beati eſſe verã qualitatẽ ordinis ſupernaturalis: quod expreſſe docuit *Richard. in 4.d.49.ar.4.q.7.in corp. & Valent.4.tom. diſp.11.q.3.punct.1.poſt princip.* vbi tanquã certũ ſcribit omnẽ dotẽ corporis beati eſſe qualitatẽ ſupernaturalẽ: quam ſententiã potius videtur probare *Palud.in 4. diſt.44.q.2.ar.1.n.7.* nam licet oppoſitam putet eſſe probabilẽ; pro hac tamen videtur pugnare, dũ argumenta oppoſita diſſoluit: *Sotus etiam loco citato non omnino eam reijcit; nec eam reijcit Baſſolius vbi ſupra ad finem quartæ concluſionis.* 6. Eſt vera qualitas. Richard. Valentia. Paludan. Sotus. Baſſolius.

Hanc opinionẽ ideo probo; quia abſq; dubio fuit D.Thomæ, quicquid Sotus reclamet: etenim ſi expẽdãtur, quæ dixim⁹ *ſuprà q.3.ar.3.§.2.* in cõfirmatione tertiæ opinionis, efficaciter cõuincitur hãc eſſe opinionẽ D.Thomę. Pro quo expendo, quæ ſcribit *in 4. diſt.49.q.4. ar. 5.q.3.* vbi docet claritatẽ, impaſſibilitatẽ, & agilitatẽ corporis glorioſi cauſari ab anima ſecundũ formas accidentarias ab ea diriuatas; quæ formæ cũ nõ ſint quãtitates, nec relationes, erũt qualitates. Accedit, quia ex 8. *D.Tho.in 4.d.44.q.2.ar.3.q.1.* corpus glorioſum eſt omnibus modis ſubiectũ animæ per aliquã perfectionẽ ab ea, vt glorioſa efluentẽ in ipſum corpus, per quam habile redditur ad perfectã ſubiectionẽ: & in fine corporis ſcribit hanc ſubiectionẽ tribuendã eſſe perfectioni, quæ ab anima glorioſa emanat. Quare cũ ibidem doceat hanc ſubiectionem formaliter fieri per agilitatẽ, admittendũ eſt agilitatẽ eſſe perfectionẽ poſitiuã ab anima in corpus emanantẽ, & in eo receptã. Hoc autẽ poſitiuũ eſſe formã accidentariã ſatis colligitur ex ijs, quæ ex D.Thom.adduxim⁹ in 4. d.49. loco cit. & ſatis etiã probatur ex eo, quia apud D.Thomã dos eſt forma quædã & qualitas, vt oſtendimus in 2.to. lib.11. q.2.art.6. & inferiùs oſtendemus q.8. iam verò agilitatem eſſe dotem expreſſe probat D. Thomas in locis immediatè citatis. Cui reſolutioni non obſtat, quod *D.Thom.3.p.q.45.ar.1.ad 3.* ſcribit D. Thom. ex dotibus corporis ſolam claritatem eſſe qualitatem: nam quomodo ſit intelligendus, vide *in d.q.3.art.3. §.2.ad finem.* 7. Eſt D.Thomæ.

Deinde in eam opinionem ideo deſcendo; quia impaſſibilitatem, & claritatẽ 9. 1. argum.
eſſe

eſſe veras qualitates oſtendimus ſuprà q.3. & 4: & de ſubtilitate idem oſtendemus in q.ſequente. Cur igitur idem non dicemus de agilitate?

10. 3.arg. Tertiò; quia motus,qui in corpore glorioſo fit: fit à potentia loco motiua,non nudè ſumpta,ſed ſupernaturaliter eleuata: hæc autem ſupernaturalis eleuatio fieri non poteſt, niſi per qualitatem ſupernaturalem. Ergo cum illa eleuetur per agilitatem, admittendum eſt agilitatem eſſe qualitatem. ¶ Maiorem oſtendimus *ſuprà art.3.§.3.concl.6.* & verè eſt admittenda eleuatio ex parte potentiæ motiuæ, quicquid oppoſitum doceat Scotus, Sotus, & Salas: etenim vt in dicta concl. 6. diximus motus corporis beati omniũ Patrum conſenſu eſt ſupra naturam cuiuſcunque virtutis creatæ, cum excedat velocitatem primi mobilis, quæ omniũ naturalium eſt velociſsima: vnde motus corporis beati quoad modum ſuæ velocitatis eſt ſupranaturalis: cum verò fiat ab ipſa potentia naturali, vt oſtendimus *in d. art.3. §. 3. concl. 5.* non poteſt ab ea fieri nudè ſumpta, & ſecundum ſolas nanaturales vires, ſed vt eſt ſupranaturaliter eleuata, & quatenus eſt in potentia obedientiali ad talem motum ſupernaturalem quoad modum, quæ fuit maior.

11. Probatur maior.

12. Probatio minoris. ¶ Minorem verò oſtendimus *in d. q.3. artic.3. poſt 7.concluſ. §.Supereſt inquirere*; vbi oſtendimus ad ablationem potentiæ motiuæ non ſatis eſſe ablationem impedimentorum,vt nonnulli volunt:etenim ablatio impedimentorum non dat potẽtiæ motiuæ virtutem aliquam ſupernaturalem, ſed eam relinquit cum ſua naturali, libera tamen & expedita: illa autem quantumcunque à ſua naturali efficacia non impediatur (cùm adhuc maneat intra cancellos, virtutis naturalis) inſufficiens eſt ad motum ſupernaturalem quoad modum,qualis eſt corporis beati.

Nõ ſatis eſt ad eleuatio nem ablatio impedimentorũ.

13. Accedit etiam,quia ſublatio impedimentorum ab ipſis membris; quæ moueri debent,non aufert ab illis organizationem, ſitualemque diſtantiam vnius ad alterũ; ratione cuius diſtantiæ ſuaptè natura nõ ſunt æque diſpoſitæ,vt ſimul moueãtur; quare vt tales ſint,nõ ſatis eſt ablatio grauitatis cęterorumque impedimentorum: vnde ceſſat fundamentum Scoti.

14. Non recipitur opinio Abulenſis. ¶ Nec ſatis eſt ſi cum Abulenſi, Baſſolio,& alijs ablationi impedimentorum ſuperaddas multitudinem ſpirituum puriſsimorum: nam cum tales ſpiritus ſint ordinis naturalis, diſponent quidem ipſa membra,vt motu ordinis naturalis maiori cum velocitate poſsint moueri;non tamen, vt moueri valeant motu ſupernaturali quoad modum velocitatis. Quod contra Abulenſem,& alios eſt aduertendum.

15. Nec opiniõ Salæ. ¶ Nec etiam ſatis eſt, ſi cum Sala dicas membra ipſa, & organa corporis diſponi ad motũ eleuatione quadã ſupernaturali, qua apta fiunt moueri motu ſupernaturali quoad modum:etenim hæc membrorum ſupernaturalis eleuatio nõ ſatis eſt,vt eleuetur potentia loco motiua, à qua mouentur: tùm; quia potentia actiua,ſicut nõ poteſt agere, niſi per virtutem actiuam,quæ eſt in ea,vt oſtendimus *2.tom.lib.10.q.2. ar. 6.§.3.n.17.& ar.15.§.2.n.14.*ita non poteſt eleuari,niſi per virtutem eleuatiuam, quæ in ea exiſtens ſit illi principiũ agẽdi. Tùm ſecundò;quia ſicut potentiæ paſsiuæ naturali neceſſariò debet reſpondere aliqua potentia actiua naturalis, vt cum vulgata Ariſt.& Cõmentatoris Philoſophia diximus in 2.to.li.9.q.7.ar.1.§.3.n. 18:ita etiã potentię paſsiuę ſupernaturali debet correſpõdere actiua ſupernaturalis vt inter actiuũ,& paſsiuũ detur debita ꝓportio. Quare nõ eſt admittendũ potentiam loco motiuã naturalẽ mouere poſſe corpus ſupernaturaliter eleuatũ: & à fortiori,ſi illud mouere nõ poteſt,niſi motu ſupernaturali quoad modum velocitatis, quẽ per ſuã naturalẽ virtutẽ elicere non poteſt,vt iam diximꝰ.

16. Nec 3. opinio quorũdam. ¶ Quarto loco nõ ſatis reſpõdebis, ſi dixeris,virtutem loco motiuã eleuari ex ſola vnione cũ corpore glorioſo:nam ſi vnio hypoſtatica naturæ humanę cũ Verbo nõ ſatis eſt, vt potẽtiæ naturales humanæ naturę maneant eleuatę ad ſupernaturalia miracula,ſed adhuc indigẽt alia ſpeciali eleuatione,vt verior habet opinio,quã ſupponimus; à fortiori ad hanc eleuationẽ nõ ſatis erit vnio potentiæ motiuæ cũ corpore glorioſo:vt omittamꝰ cõſequentiã negari poſſe propter magnã rationẽ diſparitatis inter vnã & alterã vnionẽ.

17. Non recipitur Suarius. ¶ Denique nõ ſatis eſt, ſi cũ Suario dicas potentiã iſtã eleuari per cõcurſum Dei ſupernaturalẽ;extrinſecũ tamen,quò Deus illam aſſumit tanquam inſtrumentũ ad talem motum: non ſatis eſt

eſt inquam, quoniam hunc dicendi modū ſatis impugnauimus *ſuprà ar.3.§.3.ad finē, §.Tertia opinio ideo mihi non probatur.* ¶ Quare à ſufficienti partium enumeratione ſatis efficaciter conuincitur potentiam iſtam loco motiuam ad talem motum non poſſe eleuari, niſi per qualitatē

18. Alia ratio. ſupernaturalem, vt diximus *ſuprà art.* 3. §.3.*concl.*8.

Quæ ratio confirmatur; quoniam ex ſententiâ Auguſtini perfectiones corporis glorioſi redundant in ipſum corpus ex plenitudine beatitudinis: quam doctrinam ex Auguſtino vbique aſſumit D. Thomas, vt ſuprâ oſtendimus: hæc autem redundantia, ſiue emanatio ſatis arguit agilitatem eſſe aliquam qualitatē: quia emanatio ab alio nulli bene conuenit, niſi ſit poſitiuum, & eiuſdem ordinis cum eo, à quo emanat. Fauent verba Pauli 1. Corint. 15: *Seminatur in infirmitate: ſurget in virtute:* nimirum agilitatis: virtus autem denotat actiuam qualitatem.

§. 3.

Agilitatem non eſſe vnam qualitatem, ſed plures.

19. Nō eſt vna qualitas. DVbitari poteſt; an agilitas ad motum ſupernaturalis velocitatis ſit vna tantùm qualitas, an plures? huic difficultati, omiſsis ijs, quę ex Theologis adduci poterant, vnica concluſione

Concluſio. reſpondemus: *Ad ſupernaturalem motus agilitatem ſiue velocitatē ponendæ ſunt tres qualitates realiter diſtinctæ: vna in anima ad motum ſimplicem, ſiue continuum, ſiue diſcretum. Secunda in corpore ad eliciendum motum progreſsiuum. Tertia in ipſis membris organiſque corporeis, vt voluntati beati per-*

Probatur. *fectè ſubijciantur, quoad omnem motū.* Hæc concluſio ex ijs, quæ in tota iſta quæſtione diximus, non inefficaciter deducitur: etenim ex dictis conſtat in beatis admittēdum eſſe, tùm motum ſimplicem; tùm progreſsiuum, vt oſtendimus art. 2. huius quæſtionis. Conſtat etiam in illis admittendum eſſe non ſolum motum ſimplicem continuum, ſed etiam diſcretum, vt patet ex art.4. & 5. Conſtat tertio loco potentiam motiuam motu ſimplici, ſiue continuo, ſiue diſcreto reſidere in ipſa ſubſtantia animæ, è contrario verò potentiam ad motum progreſsiuum inhærere, non in anima, ſed in corpore, quod contra Scotum, & nonnullos alios probauimus art.3. §.2. præmiſſo 1. & 3. 20.

Addimus nunc in ipſis membris, organiſque corporeis reperiri naturalia impedimenta, non ſolùm ne corpus ad omnem loci differentiam moueatur, ſed etiā ne moueatur quantacunque velocitate; vnde corpus humanum ex ſua natura reſiſtit motui ſurſum; in motu autem progreſsiuo, ſi aut diu continuetur, aut fiat maxima cum celeritate, datur labor, & defatigatio.

21. Confirmatio concluſionis. Ex his iam patet in corpore glorioſo non ſolùm eleuandas fore duas illas potentias loco motiuas, quarum vna eſt in anima ad motum ſimplicem; altera verò in corpore ad motum progreſsiuum; ſed etiam eleuanda eſſe ipſa membra, vt ſine reſiſtentia cum ſumma facilitate moueri poſsint. Hæc autem tria non poſſunt eleuari per vnam, & eandem qualitatem: etenim potentia motiua, quæ eſt in anima, cum ſit ſpiritualis, debet eleuari per ſpiritualem qualitatem in anima inhærentem. Potentia vero loco motiua, quæ eſt in corpore ad motum progreſsiuum, cum ſit corporea, non eleuabitur, niſi per qualitatem corpoream, & ideò diſtinctā à qualitate ſpirituali, quæ eſt in anima. Quod vero qualitas eleuatiua membrorum diſtinguatur ab ea, quæ eleuat potentiam motiuam animæ, euidenter patet; quia eſt corporea, alia vero incorporea. Quod vero ſit diſtincta ab ea, qua eleuatur potentia motiua, quæ eſt in corpore ad motum progreſsiuum, ex eo probatur; quoniam qualitas iſta ex ſe eſt actiua, cum ſit principium elicitiuum motus progreſsiui: quæ verò eſt in membris ex ſua natura eſt paſsiua, vt fatentur omnes, qui eam admittunt: iam verò qualitas actiua diſtincta eſt à paſsiua.

22. Ex hac reſolutione infertur agilitates iſtas ſpecie inter ſe differre: nam quod eſt ſpirituale, ſpècie differt à corporali: qualitas etiam ex ſe actiua diſtinguitur ſpecie à paſsiua. Quod iam aduertimus ſuprà art.3.§.3. in fine.

§. 4.

Soluuntur argumenta partis negantis.

23. Ad 1. ar. QVæ pro negante parte §. 1. ſunt adducta, facilè diſſoluuntur. Primum argumentū (quod eſt Scoti) nullam

nullam habet efficaciam : quoniam hæc qualitas nec eſt cœleſtis,nec elementaris; Nec alicui corpori mixto connaturalis; ſed eſt qualitas quædam ſupernaturalis ordinis, *vt docet Richardus cum cæteris huius ſententiæ authoribus*: vel enim redundat ex beatitudine animæ, vel fit à Deo ſupernaturali authore.

24. Ad 2.

Ad ſecundum; nonnulli facilè admittunt qualitatem agilitatis ex ſua natura inclinare ad motum,& locum:negant tamē eā inclinare ad certum, & determinatum motum,& locum;& ratio eſt (vt volūt) quia non eſt alicui corpori connaturalis, ſed ſupra naturam cuiuſque ; & ideo poteſt eſſe indifferens ad omnem motum, & locum:ita Suarius.in d.diſp.48.ſect.4. pagina 926.col.1. in principio.

Solutio Suarii.

25. Solutio Authoris.

¶ Ego potius dicerem hanc qualitatem per ſe non dari ad determinandam ſpeciē motus; ſed ad determinandam velocitatem illius, vt ſcilicet ſit ſupra naturā velociſsimus; quare non concederem eam primo,& per ſe inclinare ad motū,ſi propriè loquendum eſt: quia per ſe non ſpecificat;cum tamen grauitas ſpecificet motum deorſum,& leuitas motum ſurſum: ſed primo,& per ſe inclinat ad perficiendam,& eleuandam velocitatem cuiuſcūque motus: & inde eſt,vt ſolùm determinet potentiam ex ſe indifferentem ad quemcunque motum , qualis eſt potentia motiua, quæ eſt in anima ad motum ſimplicem, & illa, quæ eſt in corpore ad motum progreſsiuum: vtraque enim ex ſe eſt indifferens ad varias locorum differentias. Suppoſita autem hac indifferentia datur agilitas ad velocitatem ſupernaturalem motus illarum potentiarum, & ad hunc modum facilè intelligitur quomodo vna, & eadem qualitas poſsit eſſe indifferens ad plures differentias locorum.

26. Ad argumēta Palatij.

Quod verò addit Palatius qualitatem indifferentem ad plures motus eſſe ſolius animæ : verum eſt ſi ita intelligatur, vt vel ſit ſolius animæ, vel ab illius imperio dependeat ; vt patet in potentia motiua motu progreſsionis: dirigitur enim ab intellectu, & impellitur ab appetitu, vt ex Ariſtotele tertio de Anima c. 10. docent Philoſophi. Quomodo autem beato omnis locus iam ſit naturalis ? alterius eſt quæſtionis.

Tom,3.

QVÆSTIO VI.

De perfectione ſubtilitatis.

IN hac quæſtione excitabuntur articuli ſequentes: Primus vtrùm perfectio ſubtilitatis reperiatur in corpore glorioſo ? Secundus; in quonam ſit poſita hæc ſubtilitas ? Tertius;an poſita ſit in penetratione alterius corporis in eodem loco ? Quartus, quidnam ſit hæc ſubtilitas ? Et in quo formaliter ſit poſita ? Quintus; vnde conueniat corpori glorioſo ? Sextus, & vltimus : an corpus glorioſum eam habeat in ordine ad omnia corpora.

De ſubtilitate.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in corpore glorioſo detur perfectio ſubtilitatis ?

1. Negant quidam hæretici.

HAnc ſubtilitatis perfectionem negabunt hæretici, qui docuerunt, iuſtos reſurrecturos fore ſine vlla ſupernaturali corporis perfectione, quos citauimus ſupra q.1. artic.1. Oppoſita tamen ſententia omnino tenenda eſt tanquam indubitata. Primo, quia eam docuerunt omnes Theologi: licet enim varient,quidnam ſubtilitatis nomine ſit accipiendum ? vt patebit ex ſecundo art. omnes tamen vnanimi conſenſu ſimpliciter docent in corporibus glorioſis futuram eſſe ſubtilitatem : vnde eam inter dotes corporis glorioſi enumerant, *Ita D. Thomas in 4.diſt.44. quæſt.2.art.2.q.1.(in additionibus ad 3.partē habetur q.83.ar.1.) & ibidem Durandus q.5.Paludanus q.3.Palatius diſput.3.Capreolus,& Soncinas q. 3. Supplementum Gabrielis quæſt.2.in 4.p.art. 2. Richard.in 4.diſtinct.49.artic.4.q.5. D. Bonauentu.]art. penultimo q.5.Scotus q.16. Boſſoliusq.4.Petrus de Tarātaſia q.3.Maior q.20.Sotus q.4.art.6.Onand. prop. 34. fol. 130.pagin.1. Abulenſis in cap.17.Matthæi q.117.Ferrarienſis 4.contra gentes cap. 86. §.Circa hanc concluſionem fol.493.columna 1. Angles in ſuis Florib. de beatitu. ar.5.difficult.2. pag.337. Nicloaus de Niſſe in ſua Reſolutio.Theologi,tra.7.p.3.port.2.q.5.f. 631.pag.7.Viguerius in ſua inſt.Theologica cap.14.§.2.verſ.6.Pezāſius in additionibus*

Affirmatiua eſt tenenda

D.Thom. Durand. Paludan. Palat. Capreol. Soncin. Supplem. Richard. D.Bonau. Scotus. Baſſolius. Petrus. Maior. Sotus. Abulenſ. Ferrar. Angles. Niſſe. Viguerius. Pezantius.

VV 4 ad

ad 3.p.q.83.artic.1.Valentia tom.4.diſp.11.
Valentia. q.5.punct.1.pag.1962.C.D.Suar.2.tom.ad
Suar. 3.p, diſp.48.ſect.1,pag.904.col.2.in fine,&
Salas. latius ſect.5.pag.928.Salas 1.tom.ad primā
Horontius ſecundæ q.5.art.5.tract.2.diſp, 14.ſect.15.
Altiſiodo. pag.603.col.1. & ſect.19.pag.620.Horon-
Pariſienſ. tius lib.11.cap.40. Altiſiodorenſis 4.p.Sū-
Catechiſm. mæ tract.12.q.2.Pariſienſis de vniuerſo fol.
157.Catechiſmus Romanus in Expoſitione
Symboli in art. de Reſurrectione: Denique
eſt doctrina inter Theologos Scholaſticos
vno conſenſu receptiſsima, ſimiliter inter
interpretes Sacræ Scripturæ,

Secundo; pro hac doctrina Suarius, &
2. Salas plures ex Patribus referunt quam-
2.Ex Patribus. uis non omnes de ſubtilitate agant, refer-
tur Auguſtinus in lib. de Enchiridione capit.
Non vere citatur. Aug. 90.& lib. 22. de Ciuitate Dei cap. vltimo;
in quibus locis nihil de ſubtilitate reperies; ſi-
cut etiam nihil de ea reperies apud Lactantiū
Nec Lactantius. lib.7.diuinarum inſtitutionū cap.26; nec etiā
apud Hugonem de Sancto Victore libr. 1 .de
Anima cap.17.& lib.4.cap. 14. 15. 16. in
Nec Hugo. 2.tomo: etenim in illis locis ſolum dicit in bea
tis futuram eſſe libertatem ſine ſeruitute.
Quid autem intelligat nomine libertatis,
non explicat: ſed nec citari poteſt Cyril-
Nec Cyrill. lus Ieroſolymitanus Catecheſi.18,fol.168
pag.1.ſolum enim ait corpus beatum non in-
digere ſchalis ad aſcenſum; quia ſit ſpirituale;
quæ verba potius agilitatem denotant;
quam ſubtilitatem.

Quare pro corroboranda ſubtilitate cor-
3. poris beati aliquo modo citari poteſt Gre
gorius lib.14. Moralium cap. 31, quatenus
Gregor. docet Corpus in gloria futurum eſſe ſubtile
per effectum ſpiritualis potentiæ; qua ad diſ-
cipulos clauſis ianuis poſt reſurrectionē
ingreſſus eſt; clarius id docuit Damaſce-
nus lib.4, de Fide cap. 28. explicans enim
Damaſce. verba Paul. primæ Corinth. 15. ita ſcri-
bit. Seminatur corpus animale, id eſt craſſum
& mortale; ſurget corpus ſpirituale, immu-
tabile, impaſſibile, ſubtile: D. etiam Anſel-
Anſelm. mus in lib. de Similitudinibus cap.53.expli-
cans enim donum libertatis, quod in bea-
tis poſuit in cap.48. ita ait; Quicumq; An-
gelis aſsimilabuntur, eorū quoque libertatem
neceſſario aſſequentur: itaque ſicut Angelis
nihil obſiſtit, nec aliquid eos impedire poteſt,
vel conſtringere, quin pro velle ſua cuncta pe-
netrent libertate; ita non erit aliquod obſta-
culum, ob quòd nos retardet, nulla clauſula,
quæ nobis [illegible]llatenus obſtet, & cæt. Quibus
verbis ſatis explicat corporis glorioſi li-
bertatem ad penetrandum quodcumque
aliud; corpus, quam ibidem deducit ex eo,
quod Chriſtus Dòminus clauſo ſepul-
chro reſurrexit, & clauſis ianuis ad diſci-
pulos introiuit: quam eandem libertatem
ad penetranda corpora ſcribit in ſuo Pro-
ſologio cap.25.ita inquiens: ſi velocitas, aut
fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil ob-
ſiſtere poſsit, erunt ſimiles Angelis Dei: quia
ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiri-
tuale, poteſtate non natura. Ex quibus in- 4.
telliges apud Anſelmum libertatem cor-
poris ad aliorum corporum penetrationē
ſumi pro ſubtilitate: quod etiam facir Au
thor libri de Spiritu, & litera cap: 64, apud
Auguſtinum to.3. dum ait: Libertas erit,
cui nihil obſiſtere poſsit: ſi verò libertas in
hac ſignificatione ſumatur ab Vgone Vi-
ctorino in locis citatis, pro noſtra erit opi
nione. Accedat etiā Author libri de cog-
nitione veræ vitæ cap.45.apud Auguſti-
num tom,9.dum agens de corpore glorio
ſo ait; Omne ſolidum erit ei penetrabile:
quod etiam teſtatur Laurentius Iuſtinian. Laurent.
in lib. de diſciplina, & perfectione monaſticæ Iuſtinian.
conuerſationis cap.23.paulo ante finem. fol.
84.col.1.vbi ita ſcribit. Denique cum in hac
vita degit, & peregrinatur à Domino, anima
lis notura eſt: poſt vero reſurrectionis gloriā
tota ſpiritualis efficietur; ita vt omne ſolidū
ei ſit peruium: non clauſtris teneri poterit in-
cluſa; non vinculis religata, non reſtricta cu-
ſtodibus: ſed liberam ingrediendi, & egredien
di vbique recipiet facultatem: His igitur
Patrum teſtimonijs ſatis cōfirmatur cor-
poris glorioſi ſubtilitas. Eādem ſubtilita-
tem admiſit Epiphanius hæreſi 20. cuius
verba vide inferius art, 2.§.3.

Et quamuis non detur locus in ſacris 5.
literis, qui expreſſe corpori glorioſo ſub Ex ſacris literis
tilitatem tribuat: ex aliquibus tamen nō
inefficaciter deducitur. In illius confir-
mationē cōmuniter adducitur locus Pau- 1.Cor.15.
li primæ Corinth.15.Seminatur corpus ani
male, ſurget autem ſpirituale: quæ verba de
dote ſubtilitatis eſſe intelligenda ſatis cō-
tendunt Suarius, & Salas: pro ea citant Chryſoſto.
Chryſoſtomum oratione 41.in eandem Epiſto
lam ad præcitata verba tom.4. pag. 571. &
Theophilactū ſibidem: ſed quamuis vter
que hanc explicationem tangat; neuter Damaſcen
tamen eam ſatis probat; clarius probat eā Anſelm.
Damaſcenus loco citato; & ſatis Anſelmus
in

Anaſtaſ. *in ſuo Proſologio vbi ſup. tribuitur Anaſtaſio Epiſcopo Antiochenſi lib. 5. de reſurrectione,* nonnullos ita locum explicaſſe, *refert* Lyra. *Lyra in eiſdem Pauli verbis*: ſimpliciter D. Thom. eam probat *D. Thomas in eadem Epiſtola lection. 6. ad eadem verba,* ſatis etiam probat Cornelius à Lapide in eodē loco ex ſcholaſticis idem probat D. Thomas cum cæteris, quos citauimus: & multis rationib⁹ hoc probat Suarius loco citato: etenim Paulus in alijs particulis expreſsit cæteras corporis glorioſi proprietates: ſatis igitur per hæc verba expreſsit ſubtilitatem: nam propria ſpiritus conditio eſt corpora omnia penetrare, & cum illis in eodem loco ſimul exiſtere, Ego tamen puto: hanc explicationem cum cōſequētibus non ſatis conuenire: etenim in conſequentibus Paulus cōparat animale Adami cum ſpirituali Chriſti, qui factus eſt in ſpiritum viuificantem: quare ſenſus eſt: *Seminatur corpus animale*, id eſt corpus, quod animatur anima viuēte vita animali ad ſimilitudinem primi Adami, qui factus eſt in animam viuentem: *Surget corpus ſpirituale*: quod ſcilicet regitur, & viuificatur ſpiritu ſecundi Adami, nimirum Chriſti, qui factus eſt in ſpiritū viuificantem: quare per corpus ſpirituale Paulus intelligit corpus omnino ſubiectum ſpiritui, qui eſt de cœlo, & gloria.

7. Alia efficax probatio. Quare hæc ſubtilitatis perfectio efficatius probatur ex eo, quod illa reperitur in corpore Chriſti reſurgentis: reſurrexit enim clauſo ſepulchro, & ianuis clauſis intrauit ad diſcipulos, & in ſua Aſcenſione omnia corpora intermedia etiam cœleſtia penetrauit: quæ penetratio eſt proprius ſubtilitatis effectus. Ergo eadē perfectio reperietur in corporibus beatorum: etenim ex *Paul. ad Philipp. 3. Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ,* imò etiam ſuæ perfectionis. Philipp. 3.

8. Confirmatur ratione Theologica. Id ipſum confirmari poteſt ratione Theologica poſita ſupra quęſtio. 2. artic. vnico §. 2. num. 5. quoniam in gloria, ſicut ab anima beata tollūtur ſpeciales defectus, qui cum illius beatitudine conſtare non poſſunt; idque per quaſdam perfectiones illis defectibus repugnantes: ita à corpore glorioſo auferuntur ſpeciales quidam defectus illi connaturales; idque collatis perfectionibus gloriæ eijſdem repugnantibus, vt etiam diximus in dicto art. vnico §. 1. num. 2. & ſatis colliges ex Paulo primæ Corinth. 15. ſed inter iſtos defectus vnus eſt infirmitas, vt ex *Auguſtino lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 20* ibidem diximus: nomine autem infirmitatis non intelligitur defectus alicuius morbi; quia iſte pertinet ad corruptionem; ſed intelligitur impotentia, & imbecillitas ad vincēdam reſiſtenſtiam alterius corporis cauſatam ab illius ſoliditate, & impenetratione; ob quam corpus & impediebatur, ne vlterius procederet; & clauſū tenebatur, ne ab vno loco exiret: opportuit igitur, vt corpus glorioſum per aliquam gloriæ perfectionem ab hoc connaturali defectu liberaretur; idque conceſſo ſibi dominio in quodcumque aliud corpus, vt illi, & peruium fiat, & penetrabile: hoc autem dominium datur illi per donum ſubtilitatis; ratione cuius cætera omnia corpora ſunt illi ſubiecta, vt eijdem ſint peruia. Quę perfectio neceſſaria eſt, vt perfectio agilitatis ſit omnino completa: erit enim perfectior, ſi corpus glorioſum per omnia corpora ſine vlla reſiſtentia poſsit per rumpere, vt benè aduertit Suarius loco citato pagina 906. columna 1. poſt principium. Auguſt.

Ex his iam patet perfectionem ſubtilitatis abſolutè admittendam eſſe in corpore glorioſo; nec poſſet ſine ingenti temeritate negari. In quo autem ſenſu illa ſit admittenda in ſequenti articulo explicabimus. 9.

ARTICVLVS II.

In quonam poſita ſit hæc ſubtilitatis perfectio?

SVppoſita pręcedente reſolutione, tanquam indubitata, explicandum iam erit quid nomine ſubtilitatis intelligendum ſit? Eſt enim de hoc controuerſia non ſolùm cum hæreticis, ſed etiā cum Catholicis. Quid ſit iſta ſubtilitas

§. I.

Variæ hæreticorum opiniones de ſubtilitate corporis glorioſi.

SVbtile in corporibus duobus modis communiter accipitur: vno modo propriè; quia ſcilicet eſt aliquū corporum 1. Subtile variis modis ſumitur.

porum penetratiuum: vnde ab Ariſtotele 2. de Generatione cap. 2. tex. 9. & 10. dicitur repletiuum; quia ſcilicet ſua ſubtilitate replet corpus, quod ſubintrat. Altero modo ſubtile appellatur, quod rarũ eſt, & parum habet materiæ, & quantitatis. Per translationem verò extenditur, vt ſignificet, non ſolùm quod intelligẽdo aut cognoſcendo pertingit ad intima rei, quæ cognoſcitur, ſed etiam quod caret materia, qualis eſt ſpiritus: vnde, & Angeli dicuntur ſubtiles, & intellectus, qui omnem rei intelligibilitatem penetrat: ſimiliter, & viſus, qui ſua acutie videt omnia etiam minima.

2. 1. Error. His ita ſuppoſitis nõnulli in hac quæſtione errores extiterunt. Primus fuit eorũ, qui putauerunt in reſurrectione corpora conuertenda fore in ſubſtantiam ſpiritualem, vel diuinam, vel angelicam, vt refert P. Auguſtin. epiſtol. 6. 111. & 112. cap. 21. cuius verba adduximus 1. *tomo. lib. 4. q. 5. art. 2. §. 2. num. 29. &* 30. Hi igitur in beatis poſt reſurrectionem in eo ſenſu admittebant ſubtilitatem; quia omnes ſubſtantiæ ſpirituales ſunt ſubtiles, quibus omnia corpora quantumcunque ſolida, ſunt peruia atque penetrabilia, vt in eodem ſpatio cum illis ſimul exiſtant. Quem errorem confirmabant verbis Pauli primæ Corinth. 15. *Seminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale*, ſcilicet, ſecundum ſubſtantiam. 1. Cor. 15.

3. ¶Hunc errorem in noſtris terminis nõnullos approbaſſe refert D. Thomas in 4. vbi ſupra. Eum ſatis impugnauimus in dicto lib. 4. loco citato num. 31, & ſupra lib. 2. q. 1. art. vnico num. 2. vide, quæ in vtroque loco diximus. Et ſatis expugnatur eiſdẽ Pauli verbis: nec enĩ ſimpliciter dixit: *ſurget ſpirituale*: ſed dixit *ſurget corpus ſpirituale*: quibus verbis ſatis expreſſe declarat corpus quidem iuſti reſurgentis futurum eſſe verum, & ſubſtantiale corpus diſtinctum à ſubſtantia ſpirituali immaterialique; at tamen accidentaliter eſſe diuerſũ à corpore animali, quod in morte ſeminatum eſt. Quem ſenſum Paulus ſtatim declarat, dùm differentias animalis, & ſpiritualis accommodat corpori, in quo factus eſt primus Adamus, & corpori, in quo Chriſtus ſecundus Adamus formatus eſt: cum verò formatus ſit homo cæleſtis; non ratione naturæ, ſed ſpiritus, id eſt gratiæ, qua homines animales diuinæ gratiæ ſpiritu viuificauit; ſua virtute effecit, vt corpus, quod animale ſeminatum eſt, reſurgat ſpirituale. i. omnino ſubiectum ſpiritui. Vide, quæ diximus *in dicto lib. 2. quæſt. 2. artic. vnico §. 4. ad 3, num. 31.*

Secundus error fuit eorum, qui docuerunt iuſtos quidem in verò corpore ſurrecturos; non tamen in humano, & carneo; ſed alterius naturæ ratione materiæ, quæ vel eſſet ætherea, ſiue aeria, vt Origines exiſtimauit, vt diximus in dicto ar. vnico §. 2. num. 8. & 10. vel ex alia materia vento, aut aere ſubtiliori, vt exiſtimat Euthyſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus relatus à Gregorio, *vt oſtendimus in dicto §. 2. n. 9*; vel deniq; ex alia materia lõgè diuerſa. Hi igitur hæretici in corporibus iuſtorum agnoſcunt ſubtilitatem ſub ſubtilitate 2. modo ſũpta: prout ſcilicet ſubtile dicitur, quod rarum eſt, & parum habens materiæ, & quantitatis. Hunc errorem in noſtra iſta quæſtione nonnullos habuiſſe refert *D. Thomas in 4. loco citato*. Sed eum (quocũque modo explicetur) latè impugnauimus *in dicto lib. 2. q. 2. arti. vnico §. 3. & argumenta diſſoluimus §. 4.* 4. D. Thomas.

§ 2.

In quo ſenſu corpus glorioſum futurum ſit ſubtile?

Sed iam inſurgit quæſtio inter Theologos agitata, qui admittunt corpora iuſtorum futura eſſe vere carnea, & humana, in quo nam ſenſu dicenda ſint ſubtilia? De hoc tres inuenio opiniones. Prima docet ſubtilitatẽ corporis glorioſi poſitã eſſe in perfecta ſubiectione illius ad animam quoad operationes cognoſcitiuas, & appetitiuas: nam ſicut quod ſubtile eſt ratione raritatis, ideo dicitur penetratiuum, quia per diuiſionem ſui in particulas paruas poteſt ſubintrare per partes minimas aliorum corporum, nimirum per poros aliaſque vacuitates (aer enim ideo dicitur ſubtilis, quia ſecundum ſuas minimas partes, in quas facilè eſt diuiſibilis, penetrat, & ſubintrat per poros, cæteraſque partes minimas) ita per tráſlationem potentiæ cognoſcitiuæ, & appetitiuæ, tùnc ſubtiles dicentur, cum adeo fuerint ſubiectę imperio rationis, vt etiá quoad

5. In quo ſenſu dicantur ſubtilia?

1. Opinio.

Durand. Paludan. D.Thom. Capreol. Sotus.

quoad minima illi ſubijciantur. Hanc opinionem in terminis probauit *Durandus in 4.diſt.44.q.5.art.1.num.9. Paludanus ibidẽ q. 3. artic.1.n.8. Pro eadem Salas refert D. Thomam in 4.diſt.44.q.2.art.2.q.2.& Capreolum ibidem.q.3.& Sotum in 4. diſt.49. q.4.art.6.& Catheciſmum Romanum ex decreto Tridentini in expoſitione ſymboli artic. 11.de reſurrectione num.9.* Sed Catheciſmus ſolum docet ſubtilitatem eſſe dotem cuius virtute corpus animæ imperio omnino ſubijcitur, & ad nutum præſto adeſt. Quam verò ab hac opinione longè ſint D.Thomas, Capreolus, & Sotus, patebit ex ſecunda opinione: Nunc addimus D.Thomam expreſſe docere ſenſus perfici ad ſuas operationes per dotem agilitatis, vt ſcribit *in 4.d.44.q.2.ar.3.q.1.ad 3.& diſt.49.q.4.ar.5.q.3. ad 2. Capreolus autem in dicta q.3.art.2.ad2.contra primam fol. 173.col.2.* expreſſe negat ſubtilitatẽ ordinari ad perficiendum potentias partis ſenſitiuæ cognoſcitiuas, vel appetitiuas: quid clarius? *Sotus autem vbi ſupra, pag.632.col.1.* contra Durandũ agit, Quare Salas oſcitanter Theologos iſtos citauit.

Capreol. Sots.

7. 2.Opinio. Secunda opinio ſubtilitatem ponit in perfecta, & cõpletiſsima ſubiectione, quã corpus habet ad animam, vt eſt forma cõpletiſsime informans corpus: ita *D. Thomas in 4.diſt.44.q.2.art.2. q. 1. ante finem corporis, & art.3.q 1.ad 3. & diſt.49. q.4. artic.5.q.3.ad 2, & in Epiſtolam primã Corinth.15.ſect.6.ad finem: quam opinionem ſecuti ſunt omnes Thomiſtæ Capreol, in 4.d. 44.q.3.art.1.concl.1.vbi Soncinas q.3.concluſ.1.Sotus in 4.diſt.49.q.4.art.6. conclu. 1.Valentia 4.tomo, diſp.11.q.5.puncto. 1: pag.1962. §.Ex hac ſumma ſubiectione. Abulenſis in cap.17.Matthæi q.117.fol.244. col.3, & Viguerius in inſt.Theologica capite 14, §.2.verſ.6.* Hęc autem perfectiſsima ſubiectio orta ex completiſsima, & perfectiſsima informatione, ideo ſortitur rationem ſubtilitatis, quia prõmptiſsimẽ ſuſcipit formam cuiuſcũque imperij ipſius animæ; quod proprium eſt corporis ſubtilis ſecundum raritatem: aer enim ideo dicitur ſubtilis, ſimiliter & aqua, quia facilè ſuſcipiunt formam vaſis continentis. Hæc eſt communis Thomiſtarum explicatio.

D.Thom. Capreol. Soncin. Sotus. Valentia. Abulenſ. Viguerius.

8. 3.Opinio. Tertia verò opinio ſubtilitatem corporis glorioſi ponit in penetratione aliorum corporum ſecundum quantitatem, quatenus ſcilicet corpus glorioſum poteſt aliud corpus ita ingredi illudq; penetrare, vt in eodem ſpatio cum eo ſimul conſiſtat, quod pertinet ad ſubtile ſecundum quantitatẽm: ſubtile enim ex Ariſtotele *2.de Generatione cap.2.text.9.& 10.* eſt repletiuum alterius, quatenus ingrediendo intimas illius partes, illas replet. Ita ſubtilitatem explicarunt *D. Bonauentura in 4.diſt.49.art.6.q.1, Richardus ibidem ar. 4.q.4.Scotus q.16.Baſſol.q.4.art.1. Petrus de Tarantaſia q.3, Ouand, prop.34.dum agit de ſubtilitate fol.130.pag.1.& 2, Nicolaus de Niſſe in reſolutione Theologica tract.7.p. 3.port.2.q.5. per totam, Angles in Floribus de Beatitudine art.5.difficult.2.concl. 2. & 3, ſatis Palatius in 4.diſt. 44. diſp. 3. in ſuis Concluſionibus pag.52.columna prima, Suarius 2.tomo.ad 3.partem diſp.48.ſect.1. pag. 904.col.2.in fine.& ſect.6.in principio pag. 928, Magis probat Salas 1. tom. ad primam ſecundæ q.5.art.5.tract.2.diſp.14.ſectio.19. in principio, vbi refert eam magis placuiſſe Horontio lib.11.cap.40, & Altiſiodorenſi 4.p.ſummæ tractat.12.q.2.& Pariſienſi de vniuerſo fol.157.cum pluribus ſequentibus.*

Ariſt. D.Bonau. Richard. Scotus. Baſſolius Tarantaſ. Ouand. Angles. Palatius Suar. Salas. Horontius Altiſiodo. Pariſienſ.

§. 3.

Tertia opinio eſt amplectẽda.

9. 3.Opinio. EX his opinionibus, tertia amplectẽda eſt: tùm, quia inter Theologos eſt longè communior; tum ſecundo, quia Patribus eſt magis accommodata; tum tertio, quia cum ratione dotis magis conuenit: tùm denique, quia oppoſitæ ſententiæ non ſatis ſunt probabiles.

10. Confirmatur ex Patribus. Primum patet ex dictis: quod verò cum doctrina Patrum magis ſit accõmodata, facilè oſtenditur: etenim apud eos donum ſubtilitatis, & libertatis corporis beati pro eodem accipiuntur, vt aduertimus §.1: Iam verò donum libertatis Patres expreſſe ponũt in penetratione aliorum corporum, qua in eodem ſpatio cum illis ſimul eſſe poſſunt: ita expreſſe *D. Anſelmus in lib.de ſimilitudinibus cap.53.& in Proſologio cap.25. Author libri de ſpiritu, & anima, & libri de cognitione veræ vitæ, atq; etiam Laurentius Iuſtinianus,* quorum omnium Patrum verba ſcripſimus §.1: Hi omnes ſpiritualitatẽ corporis reſurgentis animali-

Anſelm. Laurẽtius Iuſtinian.

animalitati corporis mortalis contrapoſit tam à Paulo, explicāt de libertate, & ſubtilitate in ordine ad penetrationem aliorum corporum: eandem explicationem
Damaſcen euidenter colliges ex *Damaſceno lib. 4. de Fide cap. vltimo, ita enim ſcribit: ſeminatur corpus animale, craſſum, & mortale: reſurget corpus ſpirituale, immutabile, impaſsibile, ſubtile: hoc enim deſignat ſpirituale, quale Domini corpus poſt reſurrectionem clauſis portis ingrediens:* quibus verbis ſatis explicat ſpirituale, de quo Paulus, ſumptum pro ſubtili (vt Damaſcenus explicat) deſignari per ingreſſum corporis Chriſti ad diſcipulos ianuis clauſis poſt reſurrectionem. Sed
Gregor. *D. Gregorius lib. 14. Moralium cap. 31.* ſi benè expendantur verba, quę ſcribit, hāc explicationem confirmat: nam poſt quā dixit *Corpus glorioſum futurum eſſe ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ*, hanc potētiam expreſsit per ipſum ingreſſum Chriſti ad diſcipulos ianuis clauſis. *Epiphanius*
Epiphan. *etiam hæreſi. 20.* ſubtilitatē corporis Chriſti poſt reſurrectionem deducit ex penetratione forium clauſarum, ita inquiens: *Chriſtus ſurrexit ex mortuis, non aliud corpus ſuſcitans: ſed ipſum, quod erat in ſpiritualem ſubtilitatem traſmutans, & ſpirituale totum conueniens ingreſſus per fores concluſas; id quod fieri nequit hic in noſtris corporibus propter craſsitudinem, quod non dum in ſpiritualem ſubtilitatem ſunt coniuncta.* Et ſtatim. *quomodo igitur ingreſſum eſt foribus concluſis? vt oſtenderet, quod corpus quidem eſſet, quod videbatur, & non ſpiritus: verū corpus ſpirituale ſubtiliū partiū, quod aliquando craſſarum partium fuerat.* Afferri etiam poteſt Innocentius Tertius lib. 4. de myſterio Miſſæ cap. 12. dum ait Chriſtum, dum ex vtero exijt, accepiſſe ſubtilitatem.

12. 3. Ratio. Accedit tertio; quoniam inter quatuor connaturales defectus corporis, quod ſeminatur animale, ennumeratur infirmitas, vt patet ex
Auguſt. Aguſtino *lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 20. in finē*: non quidem illa, quæ eſt ex morbo; hæc enim pertinet ad defectum corruptionis, cum ad illam diſponat; ſed alia: nulla autem dabitur, niſi quæ eſt impotētia, & imbecillitas ad vincendam reſiſtentiam aliorum corporum cauſatam ex ſoliditate, & impenetrabilitate e[illegible]rum ratione quantitatis ab eodem loco [illegible]pellentis aliud corpus. Ergo hæc in Patria per aliquam ſpecialem perfectionem dotis tollenda eſt: nam cum ſit defectus diſtinctus ab alijs tribus, vt patet, erit auferendus per dotem ab alijs tribus diſtinctam, vt eſt cōmunis doctrina. 13.
Illa autem per ſe auferri non poteſt, niſi per ſubtilitatem à nobis explicatam: nec enim aufertur per claritatem, vt patet; nec per impaſsibilitatem; quia hæc infirmitas non diſponit ad corruptionem. Non expellitur per claritatem aut per impaſsibilitatem
Nec tertio tolli poteſt per agilitatem; quia hæc ſolùm datur ad tollendam tarditatem in motū cauſatam ea reſiſtentia ipſius corporis in ordine ad moueri: nam cum corpus ex ſua natura ſit graue, ex ſua natura reſiſtit motui. Nec per agilitatem. Agilitas igitur per ſe non datur, niſi ad tollenda impedimēta, quæ ſūt ex parte mobilis, ne ſilicet facilè moueatur, ſed cum labore, & defatigatione mouentis. Quæ verò ſunt ex parte medij, ipſa agilitas non tollit: etenim per ſe non datur, vt corpus interiectum fiat ei penetrabile, & peruium ſecundum quantitatem: nec vllus vnquam dixit agilitatem dari ad hunc effectum.

Cum igitur explicatus defectus infirmitatis non auferatur per tres explicatas dotes; neceſſario admittenda eſt quarta perfectio dotis ad illam tollendam; nulla autem fingi poteſt, niſi ſubtilitas in ordine ad corporum penetrationem, qua beatus non ſolùm poſsit per quodcumque corpus tranſire: ſed etiam in quocumque ſpatio cum alio ſimul eſſe: nam vtraque penetratio pertinet ad corporis glorioſi perfectionem, vt ex Patribus citatis euidenter patet, & ratio manifeſte cōuincit, perfectionis eſſe beatificæ beatum poſſe exiſtere, in quo voluerit loco; & ad quem voluerit tranſire; ita vt nihil in hoc poſsit illi reſiſtere: nihil illū intra aliquod ſpatium locumve detinere: alioquin infirmus, & impotens erit ad vincendam aliorum corporum reſiſtentiam, contra ea, quæ Patres ſupra relati docuerunt. 14.

Denique ideo hęc opinio eſt tenenda, quia ſubtilitatem ſumit in toto rigore philoſophic[illegible], & ſecundum propriam ſubtilitatis rationem; non verò ſecundū impropriam, & translatitiam: quod ſatis ſuperque eſſe debet, vt alię opiniones reijciantur, & hæc tertia amplectatur. Quod hæc tertia opinio ſubtilitatē ſumat in propria, & philoſophica ſubtilitatis ratione 15. Vltima ratio.

ratione, facilè oſtenditur: quoniam omnes Philoſophi agentes de ſubtilitate corporis phyſici illud appellant ſubtile, quod eſt penetratiuum alterius, penetratione ſcilicet reali. Et quamuis duplex aſsignetur ſubtile, alterum ſecundum quantitatem, quod propter figuram acutam, ideo poteſt partes alterius penetrare, quia poteſt illas diuidere, vt patet in acu: alterum ſecundum qualitatem: quod ideo dicitur ſubtile, quia ſecundum partes minutiſsimas, in quas eſt diuiſibile, poteſt facilè penetrare partes minutiſsimas alterius (poros, inquam, & ſimiles vacuitates) non diuidendo illas, ſed ingrediendo: in qua ſignificatione aer et aqua ab aliquibus dicuntur ſubtilia; quia diuiſa in partes minimas facilè intrant minimas alterius partes.

Duplex ſubtile.

16. Et quamuis vtraque iſta ſubtilitas propriè ſit ſubtilitas: quia vtraque penetrat partes alterius, tamen ſubtile ſecundum quantitatem verius, & proprius dicitur ſubtile, quia totũ totũ penetrat, quod proprium eſt ipſius ſubtilis, vt docet *Ariſtoteles in ſecundo de Generatione cap. ſecundo, text.* 10, dum ait ideo tenue, ſiue ſubtile eſſe repletiuũ, quia totũ totũ tangit; quod non conuenit ſubtili ſecundum qualitatem: hoc enim totum non tangit totum, ſed pars tangit partem; quare ſubtile, quod eſt tale ſecundum quantitatem, proprijſsimè dicitur ſubtile.

Ariſtotel.

17. Hæc ſubtilis ratio omnibus conſentientibus translata eſt ad potentias cognoſcitiuas, tam intellectiuas, quam ſenſitiuas; verùm hanc translationem facilè intelliges, ſi illa fiat à ſubtili ſecundum quantitatem; quia ſicut hoc ſubtile ſecundum ſe totum penetrat totam rem vſque ad illius profunditatem; ita potentia cognoſcitiua toto ſuo acumine pertingit vſque ad profundas, & abſconditas rationes rei cognitæ: at verò quomodo ſubtilitas ſecundum qualitatem tranferatur ad tales potentias, aut ad res alias, non faciles intelliges: quia non ſatis intelliges quomodo potentia cognoſcitiua diuiſa in partes minimas, ingrediatur minimas partes intelligibilitatis rei: vnde plane non video, quomodo hæc translatio fiat ad ſubiectionem, quam partes corporis glorioſi, & illius potentiæ cognoſcitiuæ habent ad animam, quam fingit Sotus cum alijs: etenim aer, & aqua non facilè ſuſcipiunt formam vaſis continentis, nec formam corporis, quod continent, quia ſubtilia ſunt, ſed quia ſunt facilè diuiſibilia: quod ſatis intelliges ſi expendas rationẽ ſubtilis ſecundum qualitatem, quã ſuperius adduximus.

Subtile per trãslationẽ.

Hinc inferes corpus glorioſum non ideo dici ſubtile, quod ex perfectiſsima ſubiectione, quam habet ad animam, facile ſuſcipit formam regulamque ſibi traditam ab intellectu, & voluntate beati, etenim hæc imperij ſuſceptio nullam verã translationem habet aut cõuenientiã cum ratione ſubtilis, aut ſecundum quantitatem, aut ſecundum qualitatem: ob quam rationem puto reijciendam eſſe ſecundam opinionem. 18. 1. Corollar.

Secundo inferes, nec primam opinionem Durandi probandã eſſe; quia ſi benè expendatur, rationem ſubtilitatis, nec per translationem in illa inuenies. 19. 2. Corollar.

Quare probanda eſt tertia opinio, cum veram propriam, & realem ſubtilitatem ſumat: quia corpus glorioſum ſecundum ſe totum totum aliud corpus ingreditur; non quidem ingreſſu reali, & phyſico alterius partes diuidendo, ſed ſimul cum illis in eodem ſpatio conſiſtendo: quæ ſubtilitas eſt longè altioris ordinis, quam phyſica, quæ fit per impletionem diuiſiuam, non verò per impletionem coaſsiſtiuam ſimul cum corpore, quod penetratur: vnde duplex iſta ſubtilitas eſt diſtinguenda: naturalis vna; ſupernaturalis altera. Vtrùm verò hæc ſupernaturalis ſubtilitas ſit poſsibilis? in ſequẽti art. iam diſputamus. 20. 3. Tertia opinio vera.

ARTICVLVS III.

An penetratio corporis, quam ſubtilitati tribuimus, ſit poſsibilis?

IN præcedenti articulo donum ſubtilitatis poſuimus in penetratione alterius coporis in eodem ſpatio ſiue loco: vnde ſuppoſuimus talem corporum penetrationem eſſe poſsibilem. Cum verò inter Theologos hoc maximè ſit controuerſum; operæ pretium erit hanc controuerſiam reſoluere. 1 De poſsibilitate penetrationis.

§. 1.

Referũtur variæ opiniones.

IN hac quæſtione quatuor inuenio opi
2, 1. Opinio. niones. Prima docet non ſolùm fieri
non poſſe, vt per dotem ſubtilita-
tis, aliam ve formam vnum corpus ita
penetret alterum, vt vtriuſque dimen-
ſiones in eodem ſpatio ſimul ſint; ſed ſim
pliciter implicare contraditionem id fie-
ri: Ita exiſtimat *Durandus in 4. diſtinctio.*
Durand. *44. vbi quæſt. 5. artic. 2. numer. 12. pri-
mam partem ſcribit, & quæſtione 6. multis
confirmat ſecundam: cuius opinionis prior
pars ſimpliciter probata eſt Paludano in dicta*
Paludan, *diſtinct. 44. quæſtione tertia articulo ſecun-
do, num. 12. cum ſequentibus*; poſterior ve-
rò vt probabilis defenditur ibidem num.
27. ſoluit enim omnia argumenta in con
trarium adducta,

Secunda opinio ex diametro huic op-
3. 2. Opinio. ponitur, & affirmat talem penetratio-
nem non ſolûm per diuinam potentiam
poſſe miraculoſe fieri; ſed etiam per vir-
tutem creatam, tàm ordinis ſupernatura-
lis, quàm naturalis, & viribus naturæ:
hác opinionẽ nõnullos probaſſe refert A-
bulenſis *in cap. 17. Matthæi quæſtione 119.
fol. 247. colum. 1. §. Secunda via: illam proba
uerunt nonnulli, quos referunt Alexander
in Opuſculo de mixtione, & Fernelius lib. 2.
Phyſiologiæ cap. vltimo.*

Opinio tertia duabus prioribus con-
4. 3. Opinio. tradicit. Primæ quidem; quia admittit
talem penetrationem per diuinam poten
tiam eſſe poſsibilem, & ideo per mira-
culum dari poſſe; non tamen poſsibilem
eſſe per aliquam formam creatam, etiam
ſupernaturalem, qualis eſt qualitas dotis.
Iſtam ſententiam probauit Diuus Tho-
D. Thom. mas *in 4. diſtinctione 44. quæſt. 2. artic. 2. q.
2. 3. & 4. (habetur in additionibus ad ter-
tiam partem, q. 83. artic. 2. & 3.) & primo
Corinth. 15. lectione 6; eandem iterum ap-
probat 3. p. quæſtione 54. artic. 1, ad 1. Cum*
Capreol. *quo tranſeunt Thomiſtæ*: ita Capreol. *in di-
cta diſtinctione 44. quæſt. 3. artic. 1. concluſ.
2, & 3, & articulo 3. ad argumenta contra
vtramque. Soncinas ibidem quæſt. 3. in 2. &*
Sotus. *3. concl. Sotus in 4. diſtinctione 49. quæſt. 4.*
Pezantius. *artic. 6. concluſ. 2. & 3, Pezantius in additio*
Palatius. *nibus ad tertiam partem quæſt. 83. articul. 2.*
Viguerius. *& 3. Palatius in 4. diſtinct. 44. diſput. 3. cõ-
cluſio p8, & 6. pagin. 52. & 53; Viguerius
in Inſtitut. Theologo: cap. 14. §. 3 verſu. 6.
fol. 143. pag. 2, Ex Scotiſtis ita ſentit Baſſo-* Baſſoli.
*lius in 4. diſtinct, 49. quæſt. 4. artic. 3, §. Sed
quantum ad præſentem fol. 170. columna 1.
Abulenſis in cap. 27. Matthæi q. 119. in 3.* Abulenſ.
via, pagina. 248. colum. 3, Probabiliorem Richard.
*putat Richardus in 4. diſt. 49. art. 4. q. 5. ad
finem §. Qui vult tenere ſecundam opinionẽ.*

Quarta, & vltima opino non ſolùm af- 5. 4. Opinio.
firmat penetrationẽ iſtã per diuinam po-
tentiam miraculoſe eſſe poſsibilem; ſed
poſsibilem etiam eſſe per aliquam for-
mam creatam, non quidem òrdinis na-
turalis, ſed ſupernaturalis, qualis eſt dos
ſubtilitatis. Ita, *Diuus Bonauentura in 4.* D. Bonau.
*diſtinctione 49. artic. 6. quæſtio. 1. num. 69.
vbi non ſolum ſupponit hoc poſsibile eſſe per
diuinam potentiam, ſed aſſerit datum id eſſe
corpori glorioſo ratione ſupernaturalis ſubti-
litatis: conſentit Scotus ibidem quæſtione* Scotus.
*16. litera F, §. Reſpondeo ergo, vbi docet
poſsibile eſſe duo corpora eſſe ſimul, & hanc
poſsibilitatem beatis deberi ratione ſubtilita-
tis: probant Angles in ſuis Floribus de Bea-
titudine articulo quinto difficultat. 2. concl.* Angles.
*3. Ouandus in 4. diſtinctione 49 propoſ. 34:
dum agit de ſubtilitate fol. 131. pagina 1.* Ouand.
probat Suarius ſecundo tomo ad tertiam par- Suarius,
*tem diſput. 48. ſectione quinta, vbi non ſolum
defendit contra Durandum duo corpora diui-
na virtute eſſe poſſe in eodem loco, vt latè
oſtendit pagina 928. columna ſecũda, §. Hæc
vero ſententia vſque ad pagina 931; ſed con
tra Diuum Thomam ſcribit hanc penetratio-
nem beato conuenire per ſubtilitatem ratione
beatitudinis illi communicatam, vt aſſerit
pagina 932. columna 1. litera B. Et ſatis eſt
de mente Salæ 1. tomo. ad primam ſecundæ,* Salas.
*quæſt. 5. articulo 5. tractat. 2. diſput, 14. ſect.
19. pagina 620. columna 2. poſt principium:
eandem expreſſe ſcribit Maior in 4. diſt. 49:* Maior.
*quæſt. 20, concl. 3, & in fine quæſtionis §. Sed
ne plura argumenta*, & probabilem putat
Richard. vbi ſupra.

§. 2.

Penetratio iſta non eſt poſsibilis viribus naturæ.

QVæſtionẽ iſtã nonnullis adhibi- 6,
tis cõcluſionibus reſoluemus: ſic 1. Concl.
prima concluſ. *Penetratio alterius
corporis, ita vt penetrãs in eodẽ loco ſimul ſit
cũ alio, viribus naturæ eſt impoſsibilis.* Hæc
concluſio ſtatuitur cõtra authores 2. opi-
nionis, quatenus aſſerunt penetrationem
alterius

alterius corporis poſsibilem eſſe viribus naturæ: quorum opinio diſplicet authoribus primæ, tertiæ, & quartæ opinionis.

Conimbr. In terminis eam impugnant *Conimbric.* *Rubius.* 4.*Phyſicorum cap. 5. quæſtione 4. articu.1.* *Abulenſ.* §. *Cæterum hæc ſententia, & Antonius* *Richard.* *Rubius in eodem libro quarto, in tractat.de natura loci quæſtio.5.num.65. §. Oportebit vero, & ante eos Abulenſis in dicta quæſt. 119. fol. 247, colum.4. §. Ad quintũ dicendum. Eam etiam reijcit Richard. in dicto articulo 4. quæſtione 5. §. Ideo videtur alijs,* *Henricus:* *ita ſcribens: propter primum non poſſunt duo corpora non glorificata ſimul eſſe naturali virtute, quod etiam affirmat Henricus quodlib.* 7: Cõfimatur. *Ariſto.* 9.*q.vltima ad 1.*

Contra eam ſatis eſt, adducere Ariſtotelem, & experientiam: nàm Ariſtoteles 4.*Phyſicorum cap.3.text.27.* contra nõ nullos, tanquam abſurdum refert, quod *duo corpora in eodem loco inerunt*: experimur etiam omnia corpora tam craſſa, quã tenuia ſe ſe mutuo pellere; vt omittamus quantitatem ex ſua natura aliam expellere à loco, in quo eſt.

8. Ad argum. Ad argumenta adducta ſumpta ex ferro cãdente, & ex pane aqua madente, & ex vaſe cinere pleno tantundem aquæ recipiente, ac ſi eſſet inane, & ex cypho aqua repleto recipiente in ſe numos, reſpondẽt Abulenſis in dicta q.119.fol.247. col.4.§. *Ad quintum*, & fol. 248. col.1. per totam, & Conimbricenſes in dicto art. 1. §. *Nunc argumenta*, & Rubius vbi ſupra num.72. §. *Vt autem præcipuum argumentum*: nec enim illorum ſolutio ad noſtrum inſtitutum ſatis conducit.

§. 3.

Penetratio iſta per diuinam potentiam eſt poſsibilis.

9. 2.Concl. SIt ſecunda concluſio: *Nulla datur implicatio, quod vnum corpus ita alterũ penetret, vt cum eo ſimul ſit in eodem loco.* Hæc concluſio contra Durandum, & Paludanum ſtatuitur, & vno Theologorum, & Philoſophorùm conſenſu approbatur: & eam probant omnes doctores, *Henric.* pro ſecunda, tertia, & quarta ſenrentia adducti; quibus addimus *Henricum quodlib.9.q.32.(quæ eſt vltima) ad 1.argumen-* *Conimbri.* *tum lit N.f.935.p.1.& Conimb.in 4.Phyſi.* *Rubeus.* *cap.5.q.4.art.2.§. Nihilominus contraria,* *& Antonium Rubeum in eodem 4. Phyſic. in tract. de natura loci q.5. in 3. & 4. ſententia num. 64. & 65*: hanc ſententiam adeo *Conimbri.* eſſe certam, vt de ea Chriſtiano Philoſopho dubitare non liceat, affirmãt Conimbricenſes: *Sotus in dicto art.6.concl.2*: aſſe*Sotus.*rit eam eſſe de Fide, ſi communem Sacræ Scripturæ interpretationem attendamus: eam tanquam omnino veram eſſe amplectendam affirmat *Rubeus vbi ſupra num.* *Rubeus.* 65: oppoſitam eſſe omnino falſam, improbabilem, & temerariam, vt quia errandi occaſionem præbeat teſtatur *Suarius* *Suarius.* *in dicta ſectio.5.pagina 928.columna 2.A. & Salas in dicta ſectio.19. pagina 621. col. prima, §. Quicquid autem ſit*; quam ego cen*Salas.*ſuram libentiſsimè probo: etenim ex ſacris literis ſatis efficaciter probatur Chriſtum Dominum plura corpora, & ante 10. reſurrectionem, & poſt eam penetraſſe: Colligitur ex ſacris lit. nam ex vtero Virginis exijt Virgine integra, & omnino incorrupta permanente: corpus Chriſti ex ſepulchro exiuit eo clauſo: poſt reſurrectionem ad diſcipulos ingreſſus eſt ianuis clauſis: in Aſcenſione vſque ad ſupremum cœlum penetrauit, vt ait Paulus ad Hebræos 4: *AdHebr. 4.* *Habemus Pontificem, qui penetrauit cœlos, IESVM Filium Dei*: Denique poſt generalem reſurrectionem finito iudicio omnes Iuſti cum Chriſto cœlos penetrabunt vſque ad Empyreum, in quo corporaliter morabuntur. Quæ omnia ſi diligentius expendantur efficaciter conuincunt penetrationem corporum non ſolùm diuina potentia eſſe poſsibilem; ſed de facto corpori Chriſti communicatam eſſe, & poſt reſurrectionem Iuſtis eſſe communicandam, Singula breuiter percurramus.

Quod Chriſtus in ſua natiuitate ex vtero Virginis exierit ea integra, & in- 1. Chriſtus penetrauit clauſtrũ Virg. corrupta permanente, fides docet, vt ſupponimus alibi diligentius id oſtenſuri, quam fidem Durandus admittens exiſtimat non proinde inferri Chriſtum ex vtero exijſſe cum penetratione membrorum Virginis, ita vt corpus eius in eodem loco cum illis ſimul fuerit: nam (vt ait) potuit exire ſine aliqua fractione, aut diuiſione genitalis mebri per ſolam dilatationem membrorum naturalium, vt via naturalis, quæ eſt diſcontinua, dilatata daret locum corpori Chriſti, vt

ſine vlla diuiſione, aut fractione clauſtri virginitatis poſſet exire; quomodo in ſtatu innocentiæ fœtus ab vtero exirent ſine naturalis membri diuiſione, aut fractione virginei clauſtri, quæ fuit ſententia Auguſtini *libro 14. de Ciuitate Dei capite 26. & Diui Thomæ prima parte, quæſtione 98. articulo ſecundo, ad quartum.* Et hanc opinionem Durandus tribuit Gregorio Nyſſeno, & Ambroſio ad illa verba Lucæ 2: *Omne maſculinum adaperiens vuluam.* Ita habes apud Durandū in quarto, diſtinctione 44. quæſtione 6. num. 11, quam opinionem putat probabilem Paludanus ibidem quæſtione 3. n. 30. & 35.

12. Reprehēditur Durādi. *Auguſt.* Sed profecto Durandus in hoc eſt reprehendendus, quod voluit modum huius partus intelligentia requirere, quem ſola fides agnoſcit, contra doctrinā Auguſtini *in libro contra Felicianum Arianum capite octauo*: oſtendens enim vtramque Chriſti natiuitatem, diuinam ex Patre, humanam ex Matre eſſe ſupernaturalem ita concludit: *Hoc fides credat, intelligentia non requirat: ne aut non inuentum putet incredibile; aut repertum, non credat ſingulare*: quibus verbis ſatis euidenter oſtendit modum natiuitatis Chriſti ex Matre non intelligentia requirendum, ſed Fide tenendum: contra quod Durandus fecit. Et inde eſt, vt oppoſita Durandi intelligentia inferatur hunc natiuitatis modum non eſſe ſingularem: haberet enim exemplum in natiuitate, quæ foret tempore innocentiæ, quæ licet nunquam fuerit; potuit tamen eſſe, idque via naturali: vnde modus natiuitatis Chriſti in ſuo genere non eſſet ſingularis: cum tamen ab omnibus Patribus ideo ſingularis prædicetur, quia ſolus ille fuit miraculoſus: talis autem non eſſet, ſi fuiſſet ad modum, quo in ſtatu innocentiæ fieret hominum natiuitas: illa enim non foret ſupernaturalis, ſed in ſe, & in ſuo modo naturalis.

13. Quod verò partus Chriſti ex Virgine ideo dicatur ſingularis, quia miraculoſus, nullū habēs exemplū omnes Patres vnanimi conſenſu prædicant, etenim *Auguſt.* virginitatem in Virgine mirabiliter eſſe conſeruatam docent *Auguſtinus Epiſtola* *Leo Papa.* 120. capite 12; *Leo Papa Epiſtola decima capite quarto, & ſermone quarto de Natiu.* Eam ſine Dei potentia, & virtute conſeruari non potuiſſe, affirmat Agapetus Papa in Epiſtola ad Antinum, *& Theodoretus ſermone decimo de Prouidentia, & Hormiſda Papa Epiſtola prima. Decretali ad Iuſtinum Auguſtum capit. tertio.* Virginem peperiſſe Saluatorem virtute altiſſimi, & obumbratione Spiritus Sancti, affirmat Leo Papa ſermone quinto de Natiuitate: admirandum fuiſſe miraculum affirmat *Cyrillus Homilia contra Neſtorium recitata in Concilio Epheſino*, idem affirmat Ambroſius *in libro de Inſtitutio. Virginis capite quinto, Sophronius in ſexta Synodo action. 11. Epiſtola ibidem lecta,* vbi teſtatur partum iſtum fuiſſe vnum ex maximis miraculis virtutis diuinæ: Lucem Deitatis virginitatem Virginis conſeruaſſe affirmat *Nyſſenus in vita Moyſis*: in illa natiuitate diuinum habitatorem non humanum fuiſſe teſtatur *Chryſologus ſermone* 142. Virginem ſupernaturaliter, & ineffabiliter peperiſſe virginitate perfectiſsimè conſeruata affirmat *Proclus Cyzitenus Homilia de Chriſti Natiuitate in Concilio Epheſino tomo ſexto capit. ſeptimo: Ignatius Epiſtola* 13. *ad Heronem*, aſſerit partum fuiſſe peregrinum, & admirandum; idem affirmat *Cyrillus libro ſeptimo contra Iulianum non longe à fine: Auguſtinus ſermone 7. de Natiuitate* docet virginitatem Virginis probaſſe Deū eſſe, qui naſcebatur.

Agapitus. Papa. Theodoret. Hormiſda Papa. Leo Papa. Cyrill. Ambroſ. Sophron. Nyſſenus Chryſolo. Proclus Cyzitenus. Ignatius. Cyrill. Auguſt.

Ex quibus patet apud Patres, & Concilia indubitatum eſſe partum Virginis in ſe ipſo fuiſſe ſimpliciter ſupernaturalem, non verò ſolùm quoad modum; quaſi ipſe in ſe naturalis fuerit, ſupernaturalis verò ſolùm quoad modum; quatenus ſcilicet poſt peccatum mulieres non ita pariunt: quod contra Durandū eſt diligenter aduertendum: excogitauit enim modum partus naturaliter poſsibilem; quia talis daretur in ſtatu innocentiæ; vnde ideo ſolùm diceretur ſupernaturalis, quia poſt peccatum, viribus naturæ dari non poteſt, ſed à ſolo Deo ſupernaturali Authore. Huic tamen ſupernaturalitati Patres ſupra citati repugnant, cum dicunt illum partum, illamque virginitatis conſeruationem ita fuiſſe miraculoſam, vt fuerit vnum ex maximis virtutis diuinæ miraculis, ſatis ſufficiens, vt probaret Deum eſſe, qui naſce-

14. Partus, & virginitatis conſeruatio ſupernaturalis eſt.

Aduertentia contra Durand.

naſcebatur: quæ miraculi ratio conuenire non poteſt modo naſcendi, quem Durandus fingit. Denique contra Du-
Guerricus. randum expendo *Guerricum Homilia ſecunda de Laudibus Virginis*, vbi contra Durandum ſcribit his verbis: *Nunquam Rex gloriæ vincula laxauit, aut dilatauit.*
Nazianz. Expendo ſecundo *Nazianzenum in Epiſtola prima. ad Cledoneum*, vbi vocat Atheum, *qui dixerit Chriſtum per Virginem tanquam per canalem effluxiſſe.*

15. Occurritur fundaméto Durandi. Nec Durando fauet, quod Ambroſius, & Nyſſenus cum pluribus alijs Patribus ſcribunt Chriſtum aperuiſſe, vterum Virginis, dùm ex ea naſcitur, iux-
Exodi. 13. ta illud Exod. 13. & Numer. octauo: *Omne maſculinum adaperiens vuluam ſanctum Domino vocabitur*: quæ verba de Chriſto ſingulariter eſſe intelligenda cõmuniter affirmant Patres citati à Sua-
Suarius. rio *ſecundo tomo. ad tertiam partem, diſput. quinta, ſectione ſecunda pagina 102. colum. ſecunda ad finem*: non fauet, inquam, Durando hæc Patrum doctrina; quoniam ſicut in Sacris literis claudere vuluam ſignificat eam reddere infœcundam, &
Geneſ. 10. ſterilem, vt patet *Geneſis 10. & primi*
1. Regũ. 1. *Regum capit. primo*; ita aperire vuluam nihil eſt aliud, quam conferre illi fœcunditatem, vt benè aduertit Suarius
Hierony. loco citato: quod eleganter deducit Hieronym. *Dialog. ſecundo contra Pelagianos in principio*, dum ait: *Solus Chriſtus clauſas portas vuluæ virginalis aperuit: quæ tamen clauſæ iugiter permanſerunt*: etenim ſi de apertione reali id intelligeret Hieronymus, non ſolus Chriſtus portas vuluæ virginalis aperuiſſet, quia eas aperit primus virginis violator: ſenſus ergo eſt: Solus Chriſtus portas vuluæ virginalis aperuit, quia ſolus Chriſtus Virginem in virginitate permanentem fecit fœcundam: vide de hoc latius apud Suarium vbi ſupra.

Quòd verò Chriſtus in ſua reſurrectio-
16. ne clauſo ſepulchro exierit; quamuis id
Exiuit de ſepulchro, eo clauſo. non ſit in Scriptura expreſſum; perpetua tamen Eccleſię traditio id expreſsit,
Suarius, vt docte aduertit *Suarius in dicta diſp. 48.*
Iuſtin. *ſectione quinta, pag. 929. colum. 1. ad finem.*
Nazianz. quod latè confirmat ex *Iuſtino quæſtione*
Auguſt. *117. ad gentes, Nazianzeno in traged. Chri-*
Hierony. *ſtus patiens*: *Auguſtino ſermon. 138. de tẽpore, Hieronymo Epiſtola 15. ad Hedibiam quæſtione 6. Chryſoſtomo Homil. 90. in Matthæum, & Homilia de Ioanne Baptiſta tomo 3: Theophylacto in Matthæum capit. 28. Euthymio in eundem capit. 68. Beda Homilia in Vigilia Paſchæ, Bernardo ſermon. 1. de Reſurrectione.* *Chryſoſt.* *Theophyl.* *Euthym.* *Beda.* *Bernard.*

¶ Quod ianuis clauſis poſt reſurrectionem Chriſtus ad diſcipulos ſit ingreſſus, dubitari non poteſt, quia id teſtatur Ioannes cap. 20 ita ſcribens: *Cum ergo ſerò eſſet die illo, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati, venit Ieſus, & ſtetit in medio eorum.* Ianuis clauſis venit ad diſcipulos.

Huic tamen argumento occurrit Durandus in dicta q. 6. nu. 13. & docet Chriſtum introijſſe quidẽ ad diſcipulos ianuis clauſis, non tamen per ianuas clauſas, ſed per feneſtras, vel alias partes patentes, itaque diſcipuli cum ſerò eſſet habebant fores clauſas propter metum Iudęorum; at tamen Chriſtus per eas non intrauit, ſed per alium locum patentem. Si verò per ipſas ianuas intrauit, eas ſubito aperuit, & iterum clauſit, ita vt & apertio, & clauſio à diſcipulis non ſentiretur. Tertiam adhuc adhibet ſolutionem numero 14. dicens Chriſtum mutaſſe figuram ſui corporis in aliquam anguſtam, & iſto modo intraſſe per aliquam ianuarum rimam ianuis manentibus clauſis, & hunc dicendi modum tribuit Auguſtino, & eum inde confirmat, tanquam poſsibilis admittatur ab omnibus: cum tamen penetratio non ab omnibus admittatur, ſed pleriſque ſit impoſsibilis. Quartam denique ſolutionem addit, ſcilicet Chriſtum diuina potentia immediatè ſe poſuiſſe in medio diſcipulorum per media loca non tranſeundo. Fores igitur clauſæ erant, ſed Chriſtus abſque hoc, quod per eas tranſiret, immediatè ſe poſuit in medio diſcipulorum. Primas tres ſolutiones etiam probauit Paludanus *in dicta quæſtione tertia, numero. 32. ad tertium argumentum.* 17. Solutiones Durandi. *Paludan.*

Sed has ſolutiones eſſe cauillationes mimimè tutas, Sacris literis inimicas, & viris Catholicis indignas teſtantur *Sotus vbi ſupra §: Sunt autem cauillationes iſtæ pagina 633. columna ſecunda, & Suarius loco citato pagina 930. colum. prima ad finem*: quorum ego iudicium libentiſsimè probo. ¶ Et vt à prima ſolutione incipiamus, illud aduerto Caluiniſ in hoc 18. Introiuit per fores Chriſtus.

conſentire cum Durando, vt Chriſtus venerit quidem foribus clauſis, attamen non per fores clauſas introiuerit: quod fundamentum ad plures defendẽdos errores ſumpſit: vnde patet quam indigna ſit hæc ſolutio viro Catholico. Contra Durandum latè ſcribit *Suarius vbi ſupra pag. 930. colum. 1. & 2. contra Caluinum*

Suarius. Maldona.

verò plura ſcribit *Maldonatus Ioannis 20. verſ. 19. pag. 1912. & 1913.* vterque innumeros Patres refert, qui expreſſe docent Chriſtum ita ad diſcipulos clauſis foribus intraſſe, vt per eas clauſas intrauerit: quare ab hoc labore ſuperſedendum cenſeo; ſatis ſit hanc explicationem confirmari ex eo, quod Ioannes bis ſcripſit Chriſtũ clauſis ianuis ad diſcipulos veniſſe; quæ repetitio ſatis denotat aliquid myſterij latere in ipſa ianuarum clauſione: voluit enim Ioannes explicare magnitudinem miraculi, ex eo, quia foribus clauſis Chriſtus eſt ingreſſus, vt benè aduertit Maldonatus cum cæteris interpretibus, & ſatis ad mentem Patrum: quo fundamento

Hilarius.

Hilarius in tertio de Trinitate impugnat eos, qui dixerunt Chriſtum non per fores clauſas, ſed per alias domus partes introiuiſſe.

19. Reijcitur 2. ſolutio.

¶ Secunda ſolutio etiam placuit aliquibus noſtri temporis hæreticis, vt Maldonatus teſtatur; quod ſatis eſt, vt illa viro Catholico ſit indigna: & in ſe eſt adeo inepta, vt ipſum Caluinum illorum principem puduerit illam probare, vt refert Maldonatus: repugnant enim Patres, dum docent Chriſtum ita clauſis ianuis intraſſe, ſicut ab vtero Virginis clauſo exiuit, & à clauſo ſepulchro: vt omittamus, quod omnes Patres docent Chriſtum per fores clauſas intraſſe.

20. Reijcitur 3.

¶ Tertia ſolutio recurrit ad modum Chriſto ſatis incongruentẽ: contra quem multa ſcribit Abulenſis in dictó c. quæſtione 119. fol. 246. colum. 1. in fine, & colum. 3. & 4. eſt enim indecens Chriſtum propriam mutare figuram.

21. Reijcit. 4. *Suarius.*

¶ Quartam ſolutionem non poſſe euidentur refelli teſtatur *Suarius in d. pag. 930. col. 2. A. B.* Quod admittimus, ſi intelligatur eam nõ poſſe euidenter refelli ratione à natura petita; quod attinet ad poſsibilitatem, quæ ſupponitur: quia euidenter refelli non poteſt, beatum poſſe mutatione diſcreta de vno loco ad alium diſtantem immediatè moueri non tranſeundo per medium: etenim licet oppoſitum ſit longè probabilius; hoc tamen probabile eſſe oſtendimus in præcedenti quæſtione 5. articulo quinto §. ſecundo. Porrò ſi intelligatur in ſenſu de facto; an ſcilicet Chriſtus ita ad diſcipulos introierit; cum id probandum non ſit rationibus naturalibus, ſed Theologicis deſũptis ex Sacra Scriptura explicata iuxta communem Patrum explicationem; puto ſatis euidenter probari Chriſtum ad diſcipulos nõ intraſſe mutatione aliqua diſcreta non tranſeundo per medium: tùm, quia communis Patrum doctrina habet eum per fores clauſas intraſſe, vt cum eodem Suario, & Maldonato iam oſtendimus: tùm ſecundo; quia eorundem Patrũ communis conſenſus docet Chriſtum introiuiſſe fores penetrando, vt etiam Suarius agnoſcit. Tum tertio; quia Chriſtus voluit gloriam ſui corporis diſcipulis oſtendere, modo diſcipulis ad huc rudibus noto, nimirum tranſeundo per medium, & fores penetrando: etenim de tranſitu per mutationem diſcretam abſque medio nihil vnquam audierunt. Conclusio Doctorũ. ¶ Ex quibus iam patet Chriſtum Dominum ad diſcipulos ita ianuis clauſis introiuiſſe, vt per eas clauſas introiuerit, eas penetrando, & cum illis in eodem ſpatio ſimul exiſtendo.

¶ Quod Chriſtus poſt reſurrectionem in cœlum aſcendens cœlos ipſos vſque ad ſupremum penetrauerit; in terminis ſcribit Paulus ad Hebræos 4. in illis verbis, *qui penetrauit cœlos*; quod verbum (vt quidam aduertunt) non ſine myſterio à Paulo poſitum videtur; vt oſtenderet Chriſtum non ita ad cœlos aſcendiſſe, vt eos diuiſerit, ſed vt ſine diuiſione illos penetrauerit. Verûm quia Paulus ibidem non agit de aſcenſione Chriſti, ſed de penetratione cœlorum per proprium ſanguinem, vt eſt communis expoſitio; non videtur locus iſte ad noſtrum inſtitutum confirmandum ſatis accõmadatus. Quare ſatis ſit, quod Chriſtus poſt reſurrectionem habuit donum penetrationis; tũ quia à ſepulchro clauſo exiuit; tùm quia ad diſcipulos per clauſas ianuas introiuit, vt iam oſtendimus. Non eſt igitur cur eodem modo cœlos non aſcenderit: id enim cedit in maiorem Chriſti perfectionem, & cum natura cœli magis congruit.

22. Quod Chriſtus penetrauerit cœlos in ſua Aſcenſione.

Ad Hebr. 4.

¶ Ex

23. Reſolutio totius conclusionis. ¶ Ex his iam patet vis; & efficacia argumenti ſumpti ex ſacris literis pro confirmanda poſsibilitate penetrationis corporum in ordine ad diuinā potentiam: nam ſi id factum eſt, poſsibile fuit fieri. Quæ veritas ex eo etiam efficacius demōſtratur; quod corpora penetrari, ita vt in eodem loco ſimul exiſtant, nullam habet contradictionem, vt ex ſolutione argumentorum iam patebit.

Argumenta contra datam reſolutionem.

1. arg. ¶Contra hanc veriſsimam reſolutionem nonnulla afferuntur argumenta. Primū eſt; quia duo corpora repugnant in eodē loco ratione ſuarum quantitatum. Ergo manentibus in vtroque ſuis quantitatibus manet repugnantia: cum verò hæc non ſit effectiua, ſed formalis, per nullam potentiam tolli poteſt.

24. 2. arg. Secundò; nō minus repugnat duo corpora ſimul exiſtere in eodem loco, quam plures eiuſdem corporis partes. Sed fieri nulla ratione poteſt, vt plures eiuſdem corporis partes ſimul in eodem loco exiſtant. Ergo nulla etiam ratione fieri poterit, vt duo corpora in eodem loco exiſtant. Maior probatur, quoniam tanta eſt repugnantia inter corpora diſcreta, quāta eſt inter partes continuas. Minor autē probatur, quoniam de intrinſeca ratione quantitatis eſt habere partem extra partem; quod idem eſt atque partes habere diſtinctum ſitum, & diſtinctam poſitionem. Ergo ſimpliciter repugnat partes eiuſdem corporis ſimul eſſe in eodem loco: alioquin totum cœlum poſſet in paruo vaſe concludi; & pars, etiam minima, eſſet æqualis ſuo toti.

25. 3. argum. Tertiò; ſicut partes quantitatis ſucceſſiuæ (motus ſcilicet & temporis) habent inter ſe ordinem durationis, quo inter ſe diſtinguuntur; ſic partes quantitatis permanentis habent inter ſe ordinem poſitionis, quo vna eſt diſtincta ab alia, quia cenſetur eſſe extra illam. Sed implicat duas partes motus aut temporis eſſe ſimul duratione; quia tali ſimultate tollitur ordo ſucceſsionis. Ergo ſimpliciter etiam implicabit duas partes permanentes ſimul eſſe in eodem loco; quia tollitur ab eis ordo ſitus, & poſitionis.

26. Quartum. Quartò; fieri nullatenus poteſt, vt idē corpus ſimul ſit in pluribus locis: ergo nullatenus etiam poterit fieri, vt duo corpora ſint in eodem loco.

Quintò; duo accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Ergo nec duo corpora in eodem loco. 27. Quintum.

Poſtremò obijcitur teſtimoniū Boetij lib. 1. de Trinit. cap. 1. vbi ſimpliciter affirmat fingi nullo modo poſſe vnum locum duobus corporibus. 28. Sextum. *Boetius.*

Soluuntur hæc argumenta.

¶ Ad primum argumentum reſpondet *Suarius vbi ſuprà pag. 931. col. 2. in princip.* antecedens enim negandum eſt, ſi intelligatur, quod duo corpora ratione ſuarū quantitatum habent eſſentialem repugnantiam: quia repugnantia, quæ cernitur inter duas quantitates, ſolùm eſt naturalis; ſiquidem excluſio alterius quantitatis ab eodem ſitu, & loco non eſt eſſentia quantitatis, ſed proprietas naturaliter cōſequens, & ſubinde ab ea diuina virtute ſeparabilis: admittimus igitur manentibus quantitatibus in duobus corporibus manere eandem repugnantiam naturalē: ſecus in ordine ad diuinam potentiam: ad eam enim nullam habent repugnantiam; ſed habent potentiam obedientialem ad non reſiſtendum Cum verò talis reſiſtētia non ſit eſſentia quantitatis, ſed proproprietas; poteſt ab ea diuinitus ſeparari. Quomodo autem quantitas ad hanc reſiſtentiam concurrat; an in genere cauſæ efficientis; an cauſæ formalis, an verò materialis? controuerſum eſt, de quo dicemus in art. ſequenti: nunc ſatis ſit reſiſtentiam iſtam poſſe diuinitus auferri à quantitate, quocunque modo illa ad eam concurrat, de quo plura inferiùs. 29. Ad 1. arg. *Suar.*

Ad ſecundum conceſſa maiore negāda eſt minor; quam negant *Suarius vbi ſuprà pag. 931. col. 2. ad 2. Conimbricenſes in d. q. 4. ar. 2. ad finem, §. Ad argumentum igitur, & Rubius in d. q. 5. ad 2. ſecundæ ſententiæ n. 71. pag. 602. col. 2. & Maior in d. q. 20. §. Contra ſecundam.* Ad primam minoris probationem dicimus de ratione intrinſeca quantitatis eſſe habere partem extra partem in ordine ad totum non verò in ordine ad locum: hoc enim eſt proprietas quædam quantitatis, qua ipſū quan- 30. Ad 2. *Suarius. Conimbr. Rubeus. Maior.* Ad primam probationē minoris.

quantum ſecundum ſuas partes ita commenſuratur loco extenſo, vt toti loco correſpondeat, & ſingulæ illius partes correſpōdeant ſingulis partibus loci: vnde vna pars quanti, quę correſpōdet huic parti loci, eſt extra aliam partem, quæ alij loci particulæ correſpondet: quam opinionem, vt veriſsimam ſupponimus: qua ſuppoſita, argumentum vim non habet: admiſſo enim antecedente de ſitu, & poſitione partium in toto, neganda eſt conſequentia: quoniam ipſæ partes, quæ in toto ſunt ſitu, & poſitione diſtinctæ, non habent diſtinctum ſitum in ipſo loco, ſed omnes ſimul ſunt in toto loco, & in qualibet parte loci. Quare à diſtincto ſitu in toto inepte ſumitur argumentum ad diſtinctum ſitum in loco. Et hæc ſolutio placet *Conimbricenſibus in d. q. 4. art. 2. ad finem.* ¶ Sed nec argumentum vim habet, ſi cum nonnullis dicas de eſſentiali ratione quantitatis eſſe habere partē extra partem in ordine ad locum, quæ opinio aliquibus viris doctiſsimis placuit, inter quos eſt doctiſsimus Suarius: etenim authores iſti hanc ſuam opinionem ita explicāt, vt de ratione eſſentiali quātitatis ſit eſſe aptam habere partem extra partem in ordine ad locum; non tamen eſſe de illius ratione eſſentiali habere partem extra partem in loco: quam explicationem habes apud Suarium multis in locis, ſed ſpecialiter *in d. pag. 931. col. 2. B.* Hac ſuppoſita opinione, ad probationem minoris dicendum eſt; ex hoc, quod quātitas eſſentialiter eſt apta habere partem extra partem in loco, non bene inferri implicare partes eiuſdem corporis eſſe ſimul in eodem loco: quia licet quantitas totius corporis eſſentialiter ſit apta, ita extendi per locum, vt vna illius pars in eodem loco ſit extra aliam: tamen poteſt in ipſo toto manere ſine actuali ſui extenſione in ordine ad locum; vt quia poteſt in ordine ad locum eſſe inextenſa; idque per mutuam penetrationem ipſarum partium reſpectu loci. Hæc eſt ſolutio Suarij loco citato.

Conimbr.

31. Alia ſolutio.

Suar.

32. Ad aliā obiectionem.

¶ Quod verò obijcitur poſſe totum cœlum in paruo vaſe contineri; id admittūt Sotus, Suarius, Rubeus, & Conimbricenſes; nec poteſt non admitti, ſiquidem totus Chriſtus in venerabili Sacramento eſt in minima hoſtiæ particula ſeparata.

Nec inde infertur partem eſſe æqualem toti; vt benè aduertunt præcitati doctores; quia æqualitas partis ad totum non eſt ſumenda ex æqualitate, vel inæqualitate in ordine ad locum; ſed in ordine ad totum: vide præcitatos doctores.

Ad tertium neganda eſt maior; quia de intrinſeca ratione quantitatis ſucceſſiuæ eſt, vt ita habeat partem extra partem in ipſo toto ſucceſsiuo, vt eſſentialiter includat vnam eſſe priorem alia in ipſo tranſire in ordine ad durationem, vt docet vulgata Philoſophia: cum tamen de ratione eſſentiali quantitatis permanentis non ſit habere partem extra partem in ordine ad locum, vt diximus. Hęc ſolutio indubitata eſt, ſuppoſita veriſsima ſententia, quod quantitas eſſentialiter includit habere partem extra partem in toto, & non in loco. Porrò ſi aliam ſententiam probas, adhuc argumentum vim non habet: quoniam de eſſentia quantitatis permanentis non eſt actu habere partem extra partem reſpectu loci; ſed ſolum aptam eſſe ad habendum tales partes in loco: cum tamen de ratione eſſentiali quantitatis ſucceſsiuæ non ſolùm ſit aptitudo ad habendum partē extra partem in ipſo tranſitu ſucceſsiuo ſecundum ordinem prioris, & poſterioris in duratione; ſed etiam actu ita eas habere, quādo exiſtit. Inde enim eſt, vt actualis extēſio ſecundum ordinem ad locum poſsit ſeparari à quantitate permanente (poteſt enim actu exiſtere ſine actuali extenſione ad locum) actualis tamen extenſio ſucceſsiua ſecundum prius, & poſterius non poſsit ſeparari à ſucceſsiua quantitate: ita vt actu exiſtat motus, aut tempus abſque actuali extenſione partium ſucceſsiuarum cum ordine prioris, & poſterioris. Quod in hac materia eſt aduertendum.

33. Ad 3.

34. Solutio ali

Quartum argumentum nullam vim habet, ſi vnum corpus diuina potentia poſsit poni in pluribus locis; quæ eſt verior, & communior ſententia: qua ſuppoſita negandum eſt antecedens. Habet tamen vim ſi cum Thomiſtis admittas antecedens: etenim non facilè explicabitur, cur vnum ſit ſimpliciter impoſsibile, non verò alterum: poſita tamen illa opinione, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: quam negat *D. Thomas in 4. diſt.*

35. Ad 4.

D. Thom.

4. diſt. 44. q. 2. ar. 2. q. 3. ad 3. & quodlib. 1. ar. 22. & in Comment. ad Boetium de Trinitate in quæſt. an duo corpora poſſint eſſe in Capreol. *eodem loco? eandem negat Capreolus in 4. d. 10. q. 1. art. 3. ad 2. Scoti contra ſecundam, fol. 50, col. 4. & fol. 51. col. 1. & 2. cum cæ-* Aegidius. *teris Thomiſtis eam etiam negat Ægidius, &* Abulenſ. *plures alij cum Abulenſi in d. q. 119, ad finē quæſtionis in ſolutione quarti argumenti*, & ſuppoſita opinione D. Thomæ, eam eſſe negandam probat *Scotus in d. q. 16. Ad 2.* Ratio diſcriminis. *principale, litera L.* Rationem diſcriminis inde ſumunt; quia de intrinſeca ratione locati eſt, quod ita loco circunſcribatur, vt extra illum non exiſtat: cum tamen de intrinſeca ratione locati non ſit, quod ab eo loco quodcunque aliud corpus expellat. Vtrùm autem hæc ſolutio ſatis ſit, & aliæ, quas Scotus adducit? non vacat diſcutere. Quare ſatius eſt ad priorē ſententiam recurrere, quæ & verior eſt, & noſtris temporibus communior.

36. Ad 5. Ad quintum negandū eſt antecedens, ſi ſermo ſit in ordine ad diuinam potentiam, quantumuis ipſa accidētia ſint eius naturæ, vt in vno numero maioris inten- Aegidius. ſionis coaleſcant, vt probāt *Ægidius quod-* Ocham. *lib. 4. q. 1. Ochamus in 1. diſt 17. q. 7. Greg.* Gregor. *ibidem q. 5. & Adamus in 2. diſtin. 1. q. 1.* Adamus. ¶ Si verò oppoſitam ſententiam probas cum eodem *Ægidio iam ſeniori in 1. diſt. 17. in 2. p. diſtinctionis q. 2. art. 1. ad finem,* Aegidius. *& cum Durando vbi ſuprà q. 6. ad 3. princi-* Durand. *pale n. 22. & cum Fonſeca lib. 5. Metaphyſ.* Fonſeca. *c. 10. q. 1. concl. 3. pag. 526.* Si inquam oppoſitam ſententiam probas, admiſſo antecedente conſequentia eſt neganda cū eodem *Fonſeca vbi ſuprà pag. 527. ad 1. & pag. 528. ad vltimum.* Omiſſo autem Durandi fundamento, fundamētum verum inde ſumi debet, quia duo illa accidentia ex ſua natura ſumunt vnitatem numericam ex ſubiecto, vt ibidem latè probat Fonſeca: cum tamen vnitas numerica corporis locati non pendeat ex vnitate loci. Vtraque ſolutio eſt probabilis, quia vtraque illarum opinionū probabilis eſt.

27. Ad vlt. Ad vltimum ſumptum ex Boetio dicendum eſt eum agere, ſeruato ordine naturali: ita illum explicat Scotus, & placuit Rubeo loco citato, & ſatis eſt de mēte D. Thomæ in 4. loco cit. d. q. 2. art. 2, quæſtiunc. 2. ad finem corp. Durand. alio modo explicet; ſed non placet.

§. 4.

Penetratio poſſibilis eſt per formam creatam ordinis ſupernaturalis.

Sit tertia concluſio: *Corporis penetratio non ſolùm eſt poſſibilis per concur-* 38. Tertia concluſio. *ſum Dei miraculoſum; ſed etiam per formam aliquam creatam ordinis ſupernaturalis.* Hæc concluſio ſtatuitur pro quarta opinione contra tertiam. Quæ primo ex eo probatur; quia eſt communior, vt patet ex Theologis citatis pro quarta opinione §. 1. 1. probatio. Deinde quia aliquibus Patrū expreſſè videtur probari. Nam ſatis colligitur ex verbis D. Ambroſij Lucæ 24. Ambr. dūm ait: *Per reſurgentis corporis qualitatem Chriſtum ianuas penetraſſe.* Quæ verba euidenter confirmant noſtram ſententiam. Gregorius etiam lib. 14. Moralium c. 3. Gregor. & homil. 26. in Euangelia affirmat *corpus beatum in gloria futurum eſſe ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ*: ecce beato corpori concedit potentiam ſpiritualem ſubtilitatis; non quamcunque, ſed quæ poſſit effectum habere: nullum alium, niſi penetrationem aliorum corporum. Iuſtinus etiam q. 117. ad gentes expreſſè docet *Chriſtum ſuapte potentia è monumento egreſſum eſſe, & ad diſcipulos ianua clauſa ingreſſum.* Iuſtinus. Suapte, inquam, potētia à Deo ſuo corpori communicata. Laurentius etiam Iuſtinianus in libr. de perfectione monaſticæ conuerſationis c. 23. affirmat Laur. Iuſtinian. *carnem ſpiritualem effectam recipere liberam ingrediēdi facultatem*: ipſa igitur caro per facultatem potentiamque à Deo receptam penetratiuè corpora ingreditur. Innocentius tertius lib. 4, de myſterio Miſſæ cap. 12. expreſſè docet, Innocēt. 3. *Corpus Chriſti, cum ex Virgine naſceretur, ſubtilitatem accipiſſe*: hanc autem non acciperet; ſi illa clauſtri virginei penetratio per ſolū extrinſecum, & miraculoſum Dei concurſū fieret. Hilarius lib. 3. de Trinitate expreſſe docet *Chriſtum per fores clauſas introiuiſſe, quia virtuti illius omnia ſunt peruia.* Hilarius. Chriſto igitur tûm data fuit virtus aliqua, cui omnia ſunt peruia, & penetrabilia. Denique Epiphanius hæreſi 4. *Penetrationem corporum tribuit ſubtilitati ſpirituali, in quam ſe Chriſtus tranſmutauit.* Epiphan. Quæ Patrum teſtimonia ſatis oſtendunt nō ſolùm penetrationem fieri poſſe per aliquam virtutem corpori cōmunicatam;

ſed

ſed Chriſtum Dominum de facto per eã corpora penetraſſe.

39. Confirmatur ratione. Denique penetrationem fieri per formam, virtutemque ſupernaturalem, nihil habet impoſsibilitatis: nulla enim dabitur impoſsibilitas, vt ex dicendis patebit. Porrò ſi eam ita fieri pertinet ad maiorem ſtatus beatifici perfectionem; cur talis perfectio nõ dabitur corpori beato?

40. Difficultates occurrẽtes. ¶ Sed iam ſe ſe offert difficultas, quænã ſit iſta virtus creata ſubtilitatis? & quomodo concurrat ad effectum penetrationis? hæc autem difficultas in ſequenti art. commodius diſputabitur: & ex ijs, quæ ibi dicemus, facilè patebit ſolutio ad argumenta, & difficultates, quibus nonnulli datam reſolutionem impugnant.

ARTICVLVS IIII.

Quidnam ſit hæc ſubtilitas? & in quo formaliter ſit poſita.

§. I.

Præmittuntur nonnulla.

1. QVæſtio iſta in ſe eſt difficillima, & inter Theologos controuerſa, nec ab aliquo ſatis explicata: quare operæpretiũ erit illam diligenter expendere. 1. præmiſſ. Quia verò explicari non poteſt quid ſit iſta ſubtilitas, niſi prius explicetur, in quo illa formaliter ſit poſita, id prius à nobis eſt explicandum, vt inde explicari poſsit quidnam ſit illa. Pro huius rei clariori explicatione præmittendum eſt primò id, quod in Metaphyſica latè docuimus, *& Conimbricenſes ſatis do-* Conimbr. *ctè aduerterunt in 4. Phyſic. c. 5. q. 4. art. 2. pag. 497.* eſſentiam quantitatis formaliter conſiſtere in extenſione partium in ordine ad ipſam quantitatem; ita vt ipſa in ſe ipſa habeat vnam partem extra aliam: & inde habet, vt effectus formalis illius Eſſentia quantitatis. ſit ita extendere partes materiæ (in qua recipitur) eaſque in ipſo toto ita ordinare & diſtinguere, vt vna in ipſo toto ſit extra aliam: vnde ſicut effectus formalis albedinis eſt reddere ſubiectum album, v. g. niuem; ita effectus formalis quantitatis eſt corpus, in quo ſubiectatur, reddere in ſe ipſo quantum, id eſt, habens in ſe ipſo vnam partem extra aliam. Hæc eſt com-
2. munis, & antiqua Philoſophia in ſcholis receptiſsima. Sed ad noſtrum inſtitutum parum refert, ſi cum nonnullis dicas eſſentialem, & propriam quantitatis rationem conſiſtere, non quidẽm in actuali extenſione partium in ordine ad locum, ſed in aptitudinali; vt quantitas eſſentialiter ſit forma apta habere extenſionem partium in ordine ad locum. Sed quocunq; modo eſſentiã quantitatis explices, ſemper illud admittendum eſt rationem eſſentialem quantitatis aliquot phyſicas proprietates naturaliter conſequi. Et o- Proprietates quantitatis. miſsis alijs, quæ ad inſtitutum non pertinent, prima proprietas eſt commenſurari ſpatio; ita vt ſingulæ eius partes ſingulis ipſius ſpatij, ſiue loci partibus correſpondeant: etenim quantitas ex ſua natura habet, quòd ſit locabilis, id eſt, aliquo loco ſuperficie ve quantitatiue circũſcriptibilis. Secunda proprietas eſt replere locum & ſpatium, quo circunſcribitur. Tertia eſt diſtinguere ſitu à quacũque alia quantitate: & inde habet vt à ſuo loco, & ſitu excludat, & remoueat quamcunque aliã quantitatem: & ex conſequenti ex ſua natura habet reſiſtere penetrationi cuiuſcunque alterius corporis, ne ſcilicet eundem locum repleat, quem illa replet. In hoc conueniunt omnes Philoſophi, & Theologi, qui hac de difficultate ſcripſerunt, quos ſuperiùs citauimus.

¶ Ex quibus patet totam difficultatem in eo eſſe poſitam, quomodo hæc quan- 3. In quo ſit poſita difficultas. titatis reſiſtentia auferri valeat à corporibus, quæ penetrantur? etenim qui putant penetrationem corporum, vt in eodem loco ſimul exiſtant, impoſsibilem eſſe, etiam in ordine ad potentiam diuinam; dicunt hanc reſiſtentiam à quantitate (ſi permaneat) nec diuina potentia auferri poſſe. Oppoſitum docent, qui admittunt illam eſſe poſsibilem diuinæ potentiæ: vnde in hoc laborant, vt oſtendant, quomodo illa auferatur quantitate permanente.

Præmittendum eſt ſecundò contro- 4. 2. præmiſſ. uerſum eſſe inter Theologos, vtrùm hæc reſiſtentia quantitatum auferatur per donum ſubtilitatis? quidam ſimpliciter negant: vnde donum ſubtilitatis non admittunt in ordine ad corporum penetrationem, ſed ad alios effectus. Iſtam opinionem conſtanter admittit *D. Thomas* D. Thom. *in 4. diſt. 44. q. 2. ar. 2, q. 2. vbi multis probat*

hanc reſiſtentiam quantitatum nullo modo poſſe auferri per ſubtilitatem: vnde in fine corporis his verbis concludit, *Et ita corpus glorioſum nõ habebit ratione ſuæ ſubtilitatis, quod poſſit eſſe cum aliquo corpore; ſed id habet ex diuina virtute.* Idem docet ibidem quæſtiunc. 4. expreſsiùs id ſcribit 1. Corint. 15. lect. 6. quam opinionem ſequuntur omnes Thomiſtæ: ita *Capreolus in 4. diſt. 44. q. 3. art. 1. concl. 2. his verbis: Corpus glorioſum non habet ſuæ ſubtilitatis virtute, quod poſſit eſſe ſimul cum alio corpore in eodem loco localiter*: vnde in 3. concluſione hanc penetrationem tribuit diuinæ virtuti, & id latè defendit *art. 3. ad argumenta contra ſecundam, fol. 173. col. 2. idem probat Soncinas ibidem q. 3. concl. 2. Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. artic. 6. in 3. concluſ.* pag. 635. col. 1. *Abulenſis in c. 17. Matthæi* q. 118. *fol. 245. col. 1. §. Dicendum videtur, & col. 2. §. Dicendum ergo videtur, & Viguerius in inſtitutione Theologica c. 14. §. 2. verſ. 6.* denique inter Thomiſtas eſt receptiſsima ſententia: qua ſuppoſita ſubtilitas non ponitur in beatis, nec poni poteſt ad tollendam quantitatum reſiſtentiam, aut ad reddendum corpus glorioſum aptum & idoneum, vt poſsit aliqua corpora penetrare.

Capreolus. Soncinas. Sotus. Abulen. Viguerius.

5. ¶ Sed hanc ſententiam non admiſimus ſuprà art. 2. §. 3. vbi ex Patrum teſtimonijs, & rationibus euidenter oſtendimus ſubtilitatis donum dari beatis in ordine ad penetrationem aliorum corporum, & vt cum illis in eodem loco poſsint ſimul eſſe, & per eadem ſine difficultate tranſire; ſimul etiam oſtendimus hanc eſſe cõmunem & receptam Theologorum ſententiam, quam vt veriſsimam ſupponũt Conimbricenſes 4. Phyſic. c. 5. q. 4. ar. 2. §. *Addimus autem*, pag. 488. ad finẽ. Qua ſuppoſita, iam datur locus ad inquirendũ, quomodo ſubtilitas auferat illam reſiſtentiam?

Oppoſita ſententia. Conimbr.

6. Præmittendum tertiò hanc difficultatem varijs modis explicari. Prima explicatio eſt eorum, qui volunt ſubtilitatem, virtutemque penetrandi alia corpora ſolum cõſiſtere in quodam pacto, quo Deus ſtatuit concurrere cum corpore beato ad penetrationem corporis interiecti, quando beatus ipſe vellet cum alio corpore in eodẽ loco ſimul manere; apud quos ſubtilitas corporis glorioſi non erit aliqua virtus poſitiua, & intrinſeca exiſtens in eo, ſed ſolùm erit poſsibilitas quædam eiuſdem corporis ad penetrandum aliud, Deo ad voluntatem beati penetrationem effectiuè efficiente. Hanc explicationem ſatis colliges ex *Scoto in 4. diſt. 49. q. 16. ad finem corporis litera I. & in ſolutionibus argumentorum*, vbi ſubtilitatem appellat poſsibilitatem corporis beati ad exiſtendum in eodem loco cũ alio corpore: non quidem ſua propria efficientia (quia Scotus nullam in eo formã actiuam admittit, vt ſcribit *ibidem literaS. §. Si erit qualitas aliqua*) ſed ſola diuina efficiencia, qua ex pacto præſto adeſt beato volenti, vt explicat in fine corporis, & ad primum principale. Hanc autem poſſibilitatem ponit in ipſo corpore, & eam appellat non repugnantiam, vt ibidẽ explicat §. *Sed de tertio principali.* Quam opinionem etiam ponit *in reportatis in eadem diſt. 49. q. 15*: quam probant Scotiſtæ, vt *Tartaretus in ſuis reportatis ad Scotum in d. q. 16. Baſſolius q. 4. §. Sed quantum ad præſentem articulum, fol. 170. col. 1. & expreſſius col. 3. ad 2. & 5. Ouandus prop. 34. dũm agit de ſubtilitate, fol. 130. pag. 2. Nicolaus de Niſſe in reſolutione Theologica tract. 7. p. 3. port. 3. q. 5. concl. 7. fol. 635. pag. 2. Sententiam iſtam eſſe probabilem affirmat Palatius in 4. diſt. 44. diſp. 3. concl. 7. pag. 53. col. 1.*

Præmiſſ. 3. Scotus. Tartaret. Baſſolius. Ouand. Niſſe. Palatius.

Secunda ſententia docet ſubtilitatem eſſe aliquam formam intrinſecam ipſi corpori beato, cui vt inſtrumento Dei ratione beatitudinis datum eſt, vt poſsit alterum corpus penetrare, idque Deo ſuo concurſu concurrente. Ita rem iſtam explicat S*uarius in d. diſp. 48. ſect. 5. §. Tertio vero addo, pag. 933. col. 1. in fine*: apud quẽ ſubtilitas erit ipſa potentia motiua, quæ eſt in corpore beato, prout eſt in potentiã obedientiali, vt à Deo ſumatur tanquam inſtrumentum ad penetranda aliorum corpora: etenim ſicut potentia virtusque miraculorum non eſt aliud, quàm potentia obediẽtialis, exiſtens in ſancto, vt aſſumatur à Deo vt inſtrumentum ad operanda miracula: ita ſubtilitas erit potentia obedientialis exiſtens in corpore beato (in ipſa ſcilicet potentia motiua) vt pro libito voluntatis à Deo aſſumatur, vt inſtrumentum ad corpus penetrandum. 7.

Secunda opinio. Suar.

Tertia

8. 3. opinio. Tertia opinio defendit ſubtilitatis donum eſſe qualitatem quandam ſupernaturalem à Deo datam corpori beato, vt per illam, & virtute illius corpus beati poſſit aliud corpus penetrare, vt cum eo ſimul ſit in eodem loco. Hæc ſententia communiter tribuitur D. Bonauenturæ in 4. diſt. 49. art. 6. q. 1. ſed ibi non declarat ſubtilitatem eſſe qualitatem, ſed ſolũ ſcribit eſſe corporeitatem quandam ſubtilem, & virtutem actiuam ad penetrandum aliud corpus: quod ſatis eſt vt dicamus eum huius fuiſſe opinionis: quia virtus actiua, & corporeitas ſubtilis nihil aliud eſt, quàm qualitas. Hanc etiam opinionem tenet *Petrus de Tarantaſia in eadẽ diſt. 49. problemate 4. q. 3.* vbi verbis expreſsis aſſerit ſubtilitatem eſſe qualitatẽ: poteſt tribui *Richardo in 4. diſt. 49. art. 4. q. 4.* vbi ſimpliciter, & abſolutè docet ſubtilitatem, vt eſt alterius corporis penetratiua, eſſe virtutem actiuam: & idem aſſeruit q. 5. §. *Ideo videtur alijs*: nec oppoſitum docet, dùm ſecundam opinionẽ defendit: quia illa opinio non negat, ſed admittit ſubtilitatẽ eſſe qualitatem: quãuis neget ſubtilitatem concurrere ad corporum penetrationem. Hanc ſentẽtiam eſſe probabilem ſcribit *Palatius in d. diſt. 49. diſp. 3. concl. 7. pag. 53. col. 1*: vtramque enim problematicè defendit; in iſtam, etiam vt in veriorem potiùs inclinat *Salas in d. ſect. 19. num. 165. pag. 621. col. 2. §. Sed hæc parum vrgent.*

Petr. Tarãtaſia. Richard. Palatius. Salas.

§. 2.

Subtilitas eſt vera qualitas data beatis ad penetrationem corporum.

9. Concluſio affirmatiua. Ex his opinionibus tertiã puto eſſe longè veriorem; vnde hanc ſtatuo concluſionem: *Subtilitas, quæ in corpore glorioſo admittitur ad penetrationem, eſt vera qualitas.* Hanc opinionem ideo puto veriorem, quia quamplurimi ex Patrib⁹ eam vel expreſſe probant, vel efficaciter ſignificant: quod facilè intelliges, ſi expendas omnes Patres, quos in præcedenti art. §. 4. adduximus. Noſtram ſententiam expreſſè ſcribit Ambroſius Lucæ 24. ad illa verba *Palpate, & videte* tom. 3. pag. 222. in principio: *Non ergo per incorporea naturam, ſed per reſurrectionis qualitatem imperuia, vſu clauſa penetrabit.* Per reſurrectionis (inquam) qualitatẽ, id eſt, per qualitatem, quæ in reſurrectione omnibus reſurgentibus datur tanquam illis debita, idque ad penetranda corpora ex ſua natura impenetrabilia. Quod corpus glorioſum futurum ſit ſubtile ad penetrandum per aliquam illius potentiam, & facultatem, expreſſe docent *Gregorius, Iuſtinus, & Laurentius Iuſtinianus in dicto §. 4. citati*: quam potentiam, & facultatem Hilarius appellat virtutem: facultates, autem potentias, atque virtutes eſſe qualitates nullus negabit. Cui accedit quod Epiphanius ibidem citatus docet Chriſtum dùm corpora penetrauit, ſe in ſpiritualem ſubtilitatem tranſmutaſſe; quod ipſum de cæteris beatis reſurgentibus affirmari debet: hæc autem realis tranſmutatio, cum non ſit ſubſtantialis, nec quantitatiua, non poteſt eſſe, niſi qualificatiua ſecundum aliquam veram, & realem qualitatem. Non eſt igitur dubitandum hanc noſtram concluſionem Patrũ teſtimonijs efficaciter cõfirmari: nec enim ſatis eſt, ſi cum Suario dicas aquam baptiſmi accipere facultatẽ, & potentiam abluendi animam abſque vlla tamen qualitate: etenim ſolutio iſta ſupponit hanc penetrationem eſſe à corpore glorioſo, non vt à cauſa principali, ſed vt ab inſtrumento Dei, quod ſtatim impugnabimus: & quanuis id admitteremus, non proinde inferretur ſubtilitatem non eſſe qualitatem: quoniam inſtrumẽta eleuari ad effectus ſupernaturales per qualitatem in ipſo vſu acceptam, latè oſtendimus *in 2. tom. lib. 10. q. 2. ar. 15.* Denique licet hæc explicatio fortè poſſit accommodari illis Patribus; qui docent ſubtilitatem eſſe potentiam, facultatem, & virtutem penetrandi: non tamen bene accõmodatur verbis Ambroſij: quia virtus aquæ baptiſmalis ex ipſo Suario non eſt qualitas, ſicut etiam non bene accommodatur verbis Epiphanij: quoniã aqua baptiſmi in ſe ipſa receptione virtutis inſtrumentalis non tranſmutatur: quare doctrina Patrũ noſtram qualitatem abſq; dubio confirmat.

Ambr. Gregor. Iuſtin. Laur. Iuſtinian. Hilarius. Epiphan. 10. Non recipitur quædã ſolutio.

Secundò addimus argumenta, quibus iſta ſubtilitatis qualitas confirmatur, eam non impugnare, vnde firmior manebit noſtra concluſio. Accedit tertiò: quia de ratione dotis eſt, quod ſit qualitas, vt cum D. Tho-

11. 2. confirm. 3. confirm.

D. Thoma oſtēdimus in 2.to.lib.11. q.2. ar.2.n.2.& iterū dicemus q. 8. ob quam rationē in ſuperioribus diximus impaſsibilitatē, claritatē, & agilitatem veras eſſe qualitates: cur igitur ſubtilitas nō erit qualitas? nec D. Thomas negauit eā eſſe qualitatem; ſed ſolùm negauit eam eſſe dotē in ordine ad penetrationem corporum; quia putauit hanc penetrationē per nullam creatam virtutem fieri poſſe, ſed immediatè à ſolo Deo: nam ſi id admitteret, vtique etiam admitteret eam eſſe qualitatem: vt admiſit in ordine ad effectus, ad quos hanc dotem poſuit.

13. Vltima confirmatio. Denique noſtra cōcluſio non inefficaciter confirmatur ex impugnatione primæ, & ſecūdæ ſententiæ: Et quidē quod ſubtilitas nō ſit poſsibilitas, & non repugnantia, quā Scotus cū ſuis ponit, facilè oſtenditur ex dictis Patrū ſuperius adductis: quomodo enim poſsibilitas ſumpta pro nō repugnantia poteſt dici qualitas, potentia, facultas, & virtus, per quā corpus transmutatur? quî fieri poteſt, vt non repugnantia corpus ipſum efficiat ſpirituale? quomodo corpus glorioſum eā in reſurrectione accepit, ſi ipſa nō repugnātia etiam fuit in via? nam licet illi defuerit ordinatio diuina, quia Deus in ſola patria ſtatuit ad velle beati cōcurrere ad penetrationem: tamen talis ille ordo nec ſatis eſt, vt ipſum corpus ſpiritualizet, nec vt illud trāſmutet. Denique talem poſsibilitatem, & non repugnantiam, etiam adiūcta Dei ordinatione, non ſatis eſſe ad rationem dotis latiùs oſtendemus inferiùs q.8. Et hæc ſatis ſint pro impugnatione opinionis Scoti.

Impugnatur opinio Scoti.

14. Impugnatur 2. opin. Quod verò nec admittēda ſit 2. opinio, quæ Suario placuit libenter fatetur *Salas (ſuppreſſo tñ nomine authoris) in d. ſect. 16. p. 622. col. 2. poſt princ. & pag. 623. col. 1. non longè à principio.* Fundamentū inde ſumit, quia cū penetratio nō ſit actio, nō poteſt cōuenire alicui potentię actiuæ, etiam inſtrumētali ad penetrationem efficiendā: ſed de vi huius argumenti ſtatim dicem⁹. Ego ideò eam nō recipio; quia puto beatos, ſi ad penetrationē actiuè concurrunt, non concurrere vt inſtrumenta Dei, ſed vt cauſas in ſuo genere principales. Reiecta igitur vna & altera ſententia admittēda eſt opinio, quod ſubtilitas ſit vera qualitas, qua beati aliorum corpora apti ſunt

Non placet Salæ.

penetrare; ſed iam quomodo hæc penetratio per eam fiat, explicemus.

§. 3.

Quomodo hæc qualitas ad penetrationem concurrat?

Sed iam inſurgit non facilis difficultas, quomodo hæc qualitas ſubtilitatis ad corporū penetrationē cōcurrat? cui difficultati variè reſpondetur; cuius difficultatis reſolutio neceſſaria eſt ad ſoluenda argumenta, quę cōtra ſuperiorē reſolutionem adducuntur: nos breuitatis gratia cōmunem reſponſionē adducem⁹, deinde verā reſolutionem explicabimus; ſi tamen præmittamus cum D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 2. q. 2. in principio, vt corpus glorioſum poſsit aliud penetrare, vt cū eo in eodem ſit loco, per ipſam ſubtilitatē auferendum eſſe de medio impedimentū, quod prohibet ne corpus glorioſum poſsit eſſe ſimul cū alio in eodem loco. Hanc difficultatē quidam ita explicant; vt corpus glorioſū ideo poſsit aliud penetrare, & ſimul eſſe cum eo in eodem loco, quia per donū ſubtilitatis ab eo ablata eſt corpulentia, quæ per ſe eſt tota cauſa, nē vnū corpus aliud penetrare poſsit, & in eodē loco ſimul cum eo eſſe, ablata autē cauſa impediente poteſt corpus glorioſum penetratiuè eſſe in eodē loco cū alio corpore. Hanc opinionem nōnullos approbaſſe refert *D. Thomas loco cit. in d. quæſtiunc. 2. in princ. & Scotus in 4. diſt. 49. q. 16. §. Alij dicunt:* eā tamē vterq; reijcit; & merito reijcienda eſt tanquam verè improbabilis: nam ſi nomine corpulentiæ intelligatur quantitas ipſa in ſe; non verū eſt quantitatē ſub ratione quantitatis per ſe primo impedire duo corpora ſimul eſſe in eodem loco; quia Deus poteſt facere, vt in eodem loco ſint duo corpora, vt iam oſtendimus ſuprà art. 3. & quanuis illa eſſet prima & per ſe illius cauſa; falſum eſt ſubtilitatis donum à corpore glorioſo quantitatem auferre: omnes enim cum quantitate reſurgemus; vt lib. 3. iam oſtendimus q. 1. & 2: ſi verò nomine corpulētię intelligatur groſsities, vt de *Petro de Tarantaſia refert Scotus vbi ſuprà, §. Alij dicūt,* opinio indigna eſt impugnatione: tùm; quia illa in reſurrectione non aufeRetur, ſi naturaliter conuenit cōplexioni corpo-

15. Quomodò cōcurrat ad penetrationem.

16. 1. explicatio.

D. Thom. Scotus.

Non admittitur hæc explicatio.

Petrus de Tarātaſia.

cōrporis, vt contra eundem diximus ſup. lib. 3. q. 6. ar. 3. §. 2. tùm etiam; quia repugnantia ad corporis penetrationem, & ad ſimultatem in eodē loco per ſe nō ſumitur ex groſſitie corporis, cū nec corpora rara ſui penetrationē admittant. Deniq; ſi nomine corpulētiæ intelligatur eſſe re-
18. pletiuum loci, quæ eſt quātitatis naturalis proprietas (in quo ſenſu quæſtionem ſumit *Godofredus quodlib. 6. q. 5. ſi Scoto credendum eſt*) opinio reprobanda eſt; quæ
Godofred. multis impugnatur *à D. Thoma, & Scoto locis citatis*: & meritò; quoniā licet diuina potentia fieri poſſit, vt corpus quantum non ſit in loco circūſcriptiuè, & ideò vt manente in eo quantitate locum non repleat, vt patet in corpore Chriſti in venerabili Euchariſtiæ ſacramento, nō poteſt tamen diuina potētia fieri, vt corpus quantum ſit circūſcriptiuè in loco, & illud non repleat: & oppoſitū eſſe inſaniā verbis expreſsis aſſerit D. Thomas vbi ſuprà: alioquin locus, in quo eſſet corpus glorioſum, eſſet vacuus. Quare cum ſubtilitas à corpore glorioſo non tollat illud eſſe in loco circūſcriptiue, nec etiā ab eo tollet poſſe replere locū, vt annotauit idē D. Thomas vbi ſuprà. Et inde eſt, vt quādo corpus glorioſum cū alio corpore circūſcriptiuè eſt in eodē locò, in eodem ita ſit, vt eundē repleat, ſicut & aliud corpus eundē replet: vnde ſi aliud corpus ab eodem loco recedat (ſicut poteſt) ille idem locus manebit plenus ipſo corpore glorioſo. Non eſt igitur admittendum ſubtilitatē à quantitate corporis glorioſi auferre, quod ſit repletiua, & occupatiua loci. Cum verò hæc doctrina expreſſè ſit
Conimbricenſ. falſo imponunt Scoto. Scoti in d. q. 16. falſò illi imponunt ſententiam oppoſitam *Conimbricenſes in 4. Phyſ. c. 5. q. 4. ar. 2. §. Quod ergo ad primariā.*

19. Vera reſolutio. Hac igitur explicatione omiſſa, dicēdum eſt donū ſubtilitatis auferre à quantitate actualē reſultantiam, & influxum, quo ſe ipſam ſitu diſtinguit à quocūque alio quāto; quo influxu reſiſtit penetrationi, & ex cōſequenti exiſtētiæ alterius corporis in eodē ſitu, & loco: hęc enim eſt tertia proprietas ſupra §. 1. in 1. prēmiſſo à nobis explicata: etenim quātitatis proprietatē ſitu ſe diſtinguendi à quocūque alio quāto eſſe per ſe cauſam, cur quodlibet quantū reſiſtit penetrationi, atque ſituationi alterius quanti in eodē ſitu, &
Quid nam ſit verū impedimentū?

loco, omnes Theologi docent, atq; Philoſophi, vt colliges ex *D. Thom. Scoto, cæteriſq; quos citauimus, & ex Conimbr. in 1. præmiſſo adductis.* Vnde ſi admittēda eſt penetratio duorū corporū in eodē loco, oportet vt ab ipſis corporibus hic diſtinguēdi influxus remoueatur, nam & Deus illū remouet, dùm duo corpora in eodē loco collocat, vt benè aduerterunt *Conimbr. vbi ſuprà ad finem articuli, §. Addimus autē, pag. 488. in fine, & iam aduerterat Henr. quodl. 9. q. vlt. quem refert, & probat Scotus in d. q. 16. §. Alius eſt intellectus, fol. 146. col. 2, in principio, & iterum in fine, §. Contra, hoc non valet.* Quibus ego addo hanc vim & proprietatem diſtinguendi ſe ſitu ab alio quocūque quanto auferendā eſſe ab vtroque corpore, quia vtriuſque quātitas naturaliter nititur ſe ſitu diſtinguere ab alia: vnde Deus, quando duo corpora in eodē loco penetratiuè ponit, à quantitate vtriuſque hanc diſtinguendi vim aufert. Quare ſi corpus glorioſum in eodē loco cum alio corpore ſe penetratiuè poſſit collocare, hanc vim ſitualis diſtinctionis, non ſolum debet auferre à ſe, ſuaque quantitate; ſed etiam à quātitate alterius, quod debet penetrare: qđ nō poteſt nō cōcedi; quanuis hoc null⁹ doctorū aduertat. 21.

Sed iam non facilis ſe ſe offert difficultas; quomodo ſubtilitas corporis glorioſi hanc naturalē ſitualis diſtinctionis ꝓprietatē auferat? ſupponimus autē ſubtilitatē iſtam eſſe qualitatem, vnde ſuppoſita hac opiniōne inquirimus, quomodo hæc qualitas explicatū impedimentum tollat? nō nulli volunt hanc qualitatem eſſe actiuā, quæ longè ſuperat reſiſtentiam alterius corporis: & ideò beatum per eam poſſe alterius corporis dimenſiones actiuè penetrare: quas tamen corpus non beatum penetrare non valet: quia habet debilem actiuitatem in ordine ad alterius reſiſtentiam. Quę maior eſt, quam ſit actiuitas ad intrandum alterius dimenſiones. Hanc opinionem refert Richardus vbi ſuprà, nec putat eam eſſe improbabilem.

Iſtam tamen opinionem, vt fictitiam reijcit *Sotus in d. artic. 6. pag. 635. col. 2. §. Aliū modū refert; & poſt eū Salas in d. ſect. 19. p. 622. col. 2. §. An vero iſti effectus, & Conimbr. in d. §. Addimus autē* Fundamentum eſt; quia ſe penetrare cū alio corpore non eſt agere; nec penetratio eſt actio. 22.

Deni-

Right margin notes: *D. Thom. Scotus. Conimbr.* — *Henric. Scotus.* — 20. Noua aduertentia. — Quomodo tollatur impedimentū. — Opinio quorundam. — Quidam eam non recipiunt. *Sotus. Salas. Conimbr.*

2. Deindè; quia quãtitas non reſiſtit penetrationi, vt forma actiua, quæ per efficientiam maioris virtutis ſuperari debeat.
3. Accedit tertiò (inquit Salas) quoniam quando corpus glorioſum in aliquo loco immotum permanet, admittit ſecum in eodem loco aliud corpus ingrediens, nihil agit, vt manifeſtum eſt. Ergo penetratio illa non fit à qualitate actiua exiſtente in corpore glorioſo. Hæc tamen argumenta parum habere efficaciæ facilè oſtendemus, ſi noſtram hac de re opinionem prius explicemus.

23. *Opinio authoris.* Dicimus igitur in hac difficultate diſtinguendas eſſe duas quantitates: vnam ipſius corporis glorioſi, quod alterum intrat: alterum corporis non glorioſi, quod à glorioſo intratur. Vtraque iſtarũ quãtitatum ex ſua natura habet vim diſtinguendi ſuum ſitum à ſitu alterius. *Annotatio.* Quod hæc vis reperiatur in corpore non glorioſo, manifeſtum eſt: cum enim ſuæ naturæ relinquatur; ſicut naturaliter habet ſuam propriam quantitatem; ita naturaliter habebit proprietates ſibi naturales, inter quas enumeratur proprietas diſtinguendi ſuum ſitum à ſitu alterius. Quòd vero eadem vis ſit in corpore glorioſo; inde probatur, quia poteſt ſuum ſitum diſtinguere à ſitu alterius corporis non glorioſi; poteſt enim (ſi voluerit) impedire, ne corpus non glorioſum in eodẽ ſitu locovè ponatur, in quo ipſum eſt: idque per naturalem ſuę quantitatis proprietatem, abſque hoc, quod ſubtilitatis donũ ad talem effectum concurrat. Ex quo patet penetrationem alterius corporis dari non poſſe, niſi ab vtroq; corpore, glorioſo. ſ. & non glorioſo, auferatur vis illa diſtinguendi ſitũ, quæ in vtroque datur, à qua oritur reſiſtentia ad penetrandum.

24. *Explicatur opinio.* Dicimus igitur vtramque auferri per qualitatem ſubtilitatis; non tamẽ eodem modo: nam à corpore nõ glorioſo per illã qualitatem aufertur, vt per cauſam efficientem ſuperantem reſiſtentiam influxus remouẽtis corpus glorioſum ab eodem ſitu, & loco: à corpore verò glorioſo per illam qualitatem aufertur, vt per cauſam ſuo modo formalem. *Poſterior pars reſolutionis.* Poſterior pars huius reſolutionis ex eo probatur; quoniam qualitas iſta recepta in corpore glorioſo formaliter reddit illud ſubtile, id eſt aptum, vt cum alio corpore in eodem loco ſimul exiſtat, quæ aptitudo in eo dari non poteſt, niſi ipſa vis diſtinguendi ſitum, ita ſit ſubdita voluntati beati, vt quando voluerit intrare aliud corpus, ab ea non reſultet actualis influxus ad expellendum aliud corpus ab eodem ſitu. Quare qualitas iſta ſubtilitatis, ſicut corpus glorioſum formaliter reddit ſubtile, & aptũ ad aliud corpus penetrandũ; ita ab eodẽ corpore formaliter expellit influxũ reſiſtẽtiæ contrarię: nam albedo dum formaliter facit ſubiectum album, formaliter expellit ab eo nigredinem.

25. *Prior pars reſolutionis.* Longè aliter philoſophandum eſt de qualitate ſubtilitatis in ordine ad tollendam reſiſtentiam à corpore non glorioſo, quod debet penetrari: etenim in ordine ad quantitatem illius, vt eſt diſtinctiua ſitus, & expulſiua alterius ab eodem, nullo alio modo poteſt ſe habere, niſi efficienter: etenim non poteſt concurrere per modum finis, vt patet: nec materialiter: licet enim quantitas corporis non glorioſi aliud corpus ab eodem ſitu materialiter expellat, dùm negatiuè illi obſiſtit (*vt Conimbricenſes ſcribunt in dicta q. 4. artic. 2. §. Addimus autem*) *Conimbr.* ſubtilitas tamen exiſtens in corpore glorioſo nullam in eam materialem cauſalitatem poteſt exercere, ſicut etiam nec exercere poteſt cauſalitatem formalem, cum in eo non exiſtat: iam verò talis reſiſtentia auferri non poteſt per cauſam formalem extrinſecam (quæ ſolam extrinſecam denominationem ponit) ſed per intrinſecam. Quare à ſufficienti partium enumeratione ſolus reſtat actiuus concurſus 26. ſuperans paſſiuam, & quaſi materialem reſiſtentiam quantitatis corporis non glorioſi: etenim ablatio reſiſtentiæ verè eſt effectus ſubtilitatis, vt patet ex D. Gregorio lib. 14. Moralium cap. 31. dùm ait, *Gregor.* *Corpus in gloria futurum eſſe ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ.* Quibus concinunt cæteri Patres, *Fauent Patres.* qui dicunt ſubtilitatem eſſe potentiam, facultatem, & virtutem ingrediendi aliud corpus. Quare de qualitate ſubtilitatis ita philoſophandum eſt, vt beatus per eam tanquam per formã actiuam ſuperet reſiſtentiã dimẽſionũ corporis nõ glorioſi, & actiuè illas penetret, ponatq; ſe ſe in eodẽ loco & ſitu cũ illo. *Confirmatur ex modo loquendi Patrum.* Quem philoſophandi modũ mihi cõfirmat modus loquendi Patrum, dùm in-

inquiunt, *Chriſtum ingreſſum eſſe per fores clauſas, & egreſſum ex ſepulchro, & ex clauſtro Virginis integro*: quæ verba ſatis ſignificant actiuitatem Chriſti: cum verò illam exercuerit per dotem ſubtilitatis, tanquam per principium agendi, bene infertur ipſam ſubtilitatem eſſe formam actiuam penetrationis, & ingreſſus. Eandem ex eo confirmamus; quoniam quādo Deus duo corpora in eodem loco penetratiuè collocat, actiuè concurrit ad talem penetrationem, vt manifeſtum eſt: ſed in noſtra opinione hanc potentiam beatis communicat dando illis dotem ſubtilitatis. Ergo beati ad eam actiuè cōcurrunt, idque per qualitatem ſubtilitatis, tanquam per actiuum principium ipſius penetrationis.

27. Argumenta in contrarium nō valent. Ad 1.

Denique argumenta in contrarium adducta parum vrgent. Ad primum dicimus penetrare aliud corpus eſſe agere: quia penetrare idem eſt, quod facere penetrationem, & ſimultaneam exiſtentiam in eodem loco. Cum verò additur penetrationem non eſſe actionem; æquiuocatio deceptionem facit: nam penetratio poteſt ſumi vel pro ipſa ſimultanea exiſtentia duorum corporum in eodem loco: vel ꝑ actiuo influxu, quo fit talis exiſtentia. Primo modo non eſt actio, ſed effectus actionis permanens in ipſis corporibus in eodem loco ſimul exiſtentibus. Poſteriori verò modo, vere eſt actio: quia ipſa paſſiua penetratio, & ſimultas in eodem loco, vt eſt ab ipſo penetrante, verè, & propriè eſt actio. Quare argumentum Soti futile eſt, & inefficax ad probandum oppoſitam ſententiam eſſe fictitiam.

28. Ad 2.

¶ Sed futilius eſt ſecundum argumentum, quod placuit Conimbricēſibus, nec enim admittimus quantitatem actiuè reſiſtere penetrationi (quicquid ſenſerit Scotus) ſed reſiſtere per potentiam ſuo modo paſſiuam, & materialem, eo modo quo durities reſiſtit diuiſioni, vt ijdem Conimbricenſes immediatè ante docuerunt §. *Quæ cum ita ſe habeant*. Hæc autem reſiſtentia vincitur per virtutem actiuā vincentem vim, & efficaciam ipſius reſiſtentiæ: etenim durities vincitur per actiuam virtutem agentis.

29. Ad 3.

Ad tertium, quod eſt Salæ, admiſſo antecedente, conſequentia eſt omnino inutilis: quoniam, vt diximus, ſubtilitas à quantitate corporis glorioſi non tollit reſiſtentiam efficienter, ſed formaliter: ex quo non benè infertur eam actiuè nō tollere reſiſtentiam quantitatis corporis nō glorioſi, vt poſſit intrari, & penetrari.

Hæc diximus de ſubtilitate in ordine ad penetrationem aliorum corporum. Vtrùm verò illa concurrat ad penetrationem partium eiuſdem corporis glorioſi? agemus in vltimo articulo huius quæſtionis. 30.

§. 4.

Soluuntur argumenta, quæ probant ſubtilitatem non eſſe qualitatem.

SVpereſt diſſoluere argumenta; quæ impugnant reſolutionem in hoc articulo poſitam. Aduertimus duo à pleriſque non recipi: vnum eſt ſubtilitatis donum eſſe qualitatem: alterum eſt ſubtilitatem concurrere ad corporum penetrationem. Vtrumque ab aduerſarijs impugnatur. 31.

Subtilitatem eſſe qualitatem non admittunt *Scotus in 4. diſtinctone 49. quæſt. 16. litera I §. Sed de tertio principali*, quem probant *Ouandus ibidem prop. 34. dùm agit de ſubtilitate. fol. 130. pagina 2. & Nicolaus de Nijſſe in reſolutione Theologica tractatu 7. p. 3. port. 3. quæſt. 5. fol. 635. pag. 2. Negat etiam Durandus in quarto diſt. 44. quæſt. 5. cū quibus ſatis conſentit Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. ar. 6. §. Hinc ambiguitatis colligitur ſolutio, pagina 632. columna 2. idem negat Suarius in dicta diſputatione 48. ſect. 5. pagina 933. col. 1. §. Hæ rationes, & §. Secundo cenſeo. & Salas in dicta ſectione 19. pag. 613. col. 1: eandem ſententiam eſſe probabilem affirmat Palatius in 4. diſt. 44. diſp. 3. concl. 7. pag. 53. col. 1.* 32. Qui non admittunt eſſe qualitatem. *Scotus. Ouand. Nijſſe. Durand. Sotus. Suarius. Salas. Palatius.*

Huius opinionis argumenta ſunt hæc: primo loco arguit Scotus; quoniam ſubtilitas iſta non eſt aliud, quàm non repugnantia ad coexiſtendum alteri corpori in eodem loco: non repugnantia autem non eſt qualitas, ſed negatio. 33. 1. argum.

Secundò, nulla qualitas creata poteſt habere maiorem virtutem reſpectu vbi, quam Angelus. Sed Angelus non poteſt cauſare duo vbi reſpectu eiuſdem termini. Ergo nec id poterit cauſare aliqua qualitas creata; & proinde fruſtra talis qualitas in corpore beati poneretur. 34. 2. argum.

Tertiò;

35. 3.arg. Tertiò;quia hæc qualitas vel eſſet paſſiua,vel actiua. Non paſsiua;quia per eam corpus glorioſum fieret paſsibile: quod repugnat impaſsibilitati illius. Non actiua; quoniam ſimultas corporum in eodem loco, ad quam faciendam ponitur, nec poteſt eſſe actio, per quam ageret illa qualitas: nec poteſt eſſe terminus illi⁹. Quod non ſit actio; ex eo probat, quia oppoſitum huius qualitatis (ſcilicet expellere corpus ab eodem ſitu,& loco) importat actionem. Quod non poſsit eſſe terminus actionis illius actiuæ qualitatis, inde probat, quia ſimultas duorum corporum, in eodem loco ex ſe eſt non mutua expulſio illorum: hæc autem nullam dicit actionem. Ergo propter talem ſimultatem non debet admitti qualitas actiua: etenim nulla poteſt dari actiua qualitas, quæ aliquam actionem non habeat.

36. Confirmatio. Confirmatur ex eodem Scoto: quoniam ſi illa qualitas haberet aliquem actum, ille eſſet expellere aliud corpus. Ergo potius impediret ſimultatem corporis beati cum alio corpore, quam illam cauſaret.

37. 4.arg. Quartò arguit Suarius vbi ſuprà pag. 632.col.2: illa qualitas non priuat corpus ſua quantitate; nec tollit extenſionem illius in ordine ad locum: hæc enim extenſio ex natura rei ita coniuncta eſt cum quantitate, vt nulla qualitate creata impediri queat. Ad quid igitur ponitur illa qualitas?

38. Quintum. Quintò ex eodem: ablatio reſiſtentiæ à quantitate eſt effectus adeò ſupernaturalis, vt non poſsit eſſe connaturalis alicui qualitati creatæ.

39. Sextum. Sexto ex eodem; vel illa qualitas eſt ſpiritualis, vel corporea: non ſpiritualis; quia non poſſet afficere corpus beati, vt illud reddat ſubtile, & immutet modum exiſtendi illius. Nec corporea: quoniam ſi eſſet talis, ex ſua natura poſtularet extenſionem in ordine ad locum. Quomodo ergo illam impediet in ipſa quantitate?

40. Septimum. Septimò ex eodem: quoniam ſi corpus beati haberet illam qualitatem modo explicato illud diſponentem, nec haberet extenſionem partium in ordine ad locum; nec vna pars excluderet aliam ab eodem loco.

41. Octauum. Octauò ex eodem: iſte effectus, qui huic qualitati tribuitur, eſt ſupra naturam. Ergo conuenit corpori per potentiam obedientialem. Ergo talis qualitas ſuperuacaneè ſuperadditur corpori glorioſo: quia ſine illa ſatis eſſet potentia obedientialis ad talem effectum.

42. Nonum. Nonò ex eodem: quoniam nulla qualitas creata poteſt habere vim coniungēdi in eodem ſubiecto calorem, & frigus in gradibus intenſis. Ergo nulla qualitas creata poteſt coniungere duo corpora in eodem loco:

43. Confirmatio. Confirmatur hæc ratio ab alijs: quia nulla qualitas creata poteſt habere virtutem coniungendi in eodem ſubiecto duo accidentia ſolo numero diſtincta. Ergo nec duo corpora in eodem loco.

44. Decimum. Decimò: ita arguit Salas: quoniam ſi iſta qualitas eſſet actiua, corpus glorioſum poſſet penetrare aliud corpus glorioſum, quod communiter non admittitur. Sequela probatur: quia corpus glorioſum non habet maiorem virtutem reſiſtendi, quam non glorioſum. Ergo ſi illa virtus eſt actiua ad vincendam reſiſtentiam corporis non glorioſi, vtique etiam erit actiua ad vincendam reſiſtentiam glorioſi corporis.

45. Vltimum. Poſtremò: arguit Sotus; quia hæc qualitas ſine vlla neceſsitate ponitur: vnde eam non admitti *à Diuo Thoma in quarto diſtinctione 44. quæſtione 2. articulo ſecundo, quæſtiuncula ſecunda, affirmat Suarius in dicta pagina 933. col. 1. nec à Capreolo in dicta diſt.44. quæſt. 3. nec communiter ab alijs.* D. Thom. Suar. Capreol.

46. Ad 1. ¶ Hæc tamen argumenta facilem habēt ſolutionem. Ad primum negandum eſt ſubtilitatem, & poſsibilitatem ad coexiſtendum ſimul cum alio corpore in eodē loco nihil aliud eſſe, quàm repugnātiam: id enim iam non admiſimus ſuprà §. 2.

47. Ad 2. Ad ſecundum admittenda eſt maior, ſi intelligatur de qualitate creata ordinis naturalis: quia Angeli in mouendo excedunt quamcunque virtutem agentis naturalis: neganda tamen eſt, ſi intelligātur de qualitate ſupernaturali, etiam in ordine ad locum: virtus enim ſupernaturalis ex ſua natura excedit quamcūq; virtutem naturalem, etiam Angelorum.

48. Ad 3. Ad tertium patet ſolutio ex ijs, quæ diximus in explicatione noſtræ opinionis: hæc enim qualitas, propriè loquendo

non eſt paſsiua paſsione aliqua corruptiua: ſed in ordine ad quantitatem proprij corporis, nec eſt paſsiua, nec actiua: bene tamen eſt actiua in ordine ad penetrationem aliorum corporum. Ad impugnationem dicimus ſimultatem illam corporum in eodem ſpatio, ſub alia, & alia ratione eſſe actionem, & terminum actionis: quoniam vt illa eſt à corpore glorioſo actiuè intrante, & penetrãte aliud corpus, eſt actio quædam: etenim eſt actiua penetratio: prout verò recipitur in corpore ſimul cum alio coexiſtente in eodẽ loco (quæ dici poteſt penetratio paſsiua) eſt terminus actionis; ſiquidem eſt effectus relictus in ipſis corporibus in eodẽ loco ſimul coexiſtentibus, vt patet ex verbis D. Gregorij §. 3. relatis. Quod verò addit Scotus ſimultatem duorum corporum in eodem loco ex ſe nihil aliud eſſe, quam non mutuam expulſionem illorum; ita eſt intelligendum, vt ad coexiſtentiam ſimultaneam in eodem loco cõſequatur illa mutua nõn expulſio: formaliter tamen illa exiſtentia ſimultanea nõ eſt ipſa non expulſio; ſed eſt modus quidam poſitiuus exiſtendi ſimul in eodem loco.

49. Ad confirmationem. Ad confirmationem negandũ eſt expellere aliud corpus ab eodem ſitu eſſe actum huius actiuæ qualitatis: nam actus proprius illius erit vincendo reſiſtentiã dimenſionum, quæ penetrantur, actiuè collocare, & reponere corpus glorioſum ſimul cum alio in eodem loco.

50. Ad 4. Ad quartum admittimus qualitatem illam non priuare corpus ſua quantitate, nec extenſione in ordine ad locum: quia corpus glorioſum penetrans aliud verè eſt commenſuratum, & coextenſum loco, vt omnes admittunt, & in terminis *Conimbricenſes in d. lib. 4. Phyſic. c. 5. q. 4. art. 2. §. Quod ergo ad primariam:* imò etiam totum locum replet: priuatur tamen actuali influxu diſtinguendi ſe à ſitu alterius: & ſubinde priuatur actuali reſiſtẽtia, ne corpus glorioſum eundem locum intret, quem non glorioſum occupat. Et quanuis iſte etiam influxus ad talem diſtinctionem faciendam ex natura rei ſit coniunctus cum quantitate, & cum extenſione illius quoad locum: tamen poteſt ſupernaturaliter ſeparari, & de facto ſeparatur, cum Deus duo corpora in vno

Conimbr,

& eodem loco collocat; in quo omnes (vno excepto Durando) conueniunt, vt ſuprà oſtendimus art. 3. §. 3. quin imò nõn ſolùm à quantitate ſupernaturaliter ſeparari poteſt ſitu diſtingui ab alia; ſed etiam coextenſio illius in ordine ad locum, vt patet in myſterio Euchariſtiæ. Huic ergo ſupernaturali qualitati Deus tribuit, vt poſsit priuare aliam quantitatem ab actuali influxu diſtinguendi ab alio corpore.

Ad quintũ negandum eſt antecedens: quod ipſi Suario negat Salas in d. pagina 623. col. 2. in medio: etenim (vt ait) viſio Dei beatifica eſt ſupernaturalis; & tamẽ connaturalis eſt, tùm lumini gloriæ; tum intellectui creato per lumen eleuato. 51. Ad 5.

Ad ſextum eiuſdem Suarij dicendum eſt qualitatem illam eſſe corpoream; ſupernaturalem tamen: hæc enim duo non pugnant; ſcilicet eſſe corporeum, & eſſe ſecundum ſubſtantiam ſupernaturale, vt contra eundem Suarium ſæpè diximus. Admittimus inſuper talem qualitatem ex ſua natura poſtulare extenſionem, tùm in ordine ad corpus quantum; tùm in ordine ad locum. Quando verò indè infert illam qualitatem non impedire extenſionem quantitatis corporis glorioſi in ordine ad locum; admittimus: nam (vt diximus) qualitas iſta hanc extenſionem non impedit, quando corpus glorioſum aliud penetrat. Vtrũm verò illam impedire poſsit? alterius eſt quęſtionis, de qua aliquid dicemus in vltimo articulo. 52. Ad 6.

Ad ſeptimum ex dictis patet ſolutio: neganda eſt enim ſequela, quæ ſine vllo fundamento ex antecedente infertur: quoniam qualitas ſubtilitatis non aufert à corpore eſſe extenſum in ordine ad locum; ſed ſolùm aufert, quod dimenſiones corporis penetrantis, & penetrati mutuo ſe excludant ab eodem loco; quo ſublato dimenſiones vtriuſque corporis poſſunt ſimul commenſurari vni & eidem loco, quanuis inter ſe maneant entitatiuè diſtinctæ: nec enim implicat eas entitatiuè diſtingui, nõ tamen ſitu, & loco. Vtrũm verò diſtinguantur quoad ipſum vbi, ita vt in eodem loco habeant diſtincta vbi? affirmatiuè reſpondendum eſt, ſi vbi eſt exiſtentia locati in ſuperficiè continente, quæ verior eſt opinio: etenim cũ corpora ſint diſtincta, diſtinctam habebunt exiſten- 53. Ad 7.

exiſtentiam in ſuperficie loci cōtinentis, & ſubinde diſtincta habebunt vbi: nam ipſa exiſtentia in loco (quod eſt ipſum vbi) ſunt idem realiter cum corpore locato. Porrò negatiuè reſpondēdum erit, ſi vbi formaliter eſt ipſa ſuperficies, vt cō tinens, & circūſcribens locatum: etenim vna, & eadem eſt ſuperficies continens ipſa duo corpora, quæ ſub alio, & alio reſpectu erit vbi vnius, & alterius corporis.

54. Ad 8. Ad octauum admittimus corpora ipſa ſecundum ſe ſumpta, & ſecundum puras eorum naturas ſolùm habere potentiam obedientialem ad ſupernaturalem penetrationē; quia in ordine ad gloriam, quā in Patria habebunt, ſolùm habent obedientialem potentiam: non illam, quam fingit Suarius, ſed quam nos cum cōmuni Theologorum opinione *explicauimus lib. 10. ſecūdi tomi.* Negamus tamen ſolam potentiam obedientialem ſatis eſſe ad illum effectum ſupernaturalem: etenim cum potentia obedientialis actiua ſit ſolùm incompleta, & inchoata, indiget ſupernaturali eleuatione, quæ fit per qualitates actiuas, vt in dicto lib. 10. latiſsimè oſtendimus: maximè; quando potentia naturalis ſupernaturaliter eleuata cōcurrit ad effectus ſupernaturales, non vt cauſa inſtrumentaria, ſed vt principalis, ſicut in eodem loco diximus. Iam verò potētia naturalis, quæ ſupernaturaliter eleuata actiue concurrit ad alterius corporis penetrationem, non concurrit, vt cauſa inſtrumentalis, ſed vt principalis, cum ſit potentia vitalis; de quo plura in dicto lib. 10.

55. Ad 9. Ad nonum non improbabiliter negari poſſet antecedens: nec enim video, cur Deus alicui agenti creato communicare nequeat virtutem coniungendi duo contraria in eodem ſubiecto in gradibus intenſis: ſed quicquid de hoc ſit: admiſſo antecedente conſequentia eſt neganda: & ratio eſt, quia duo contraria, cum formaliter ſint contraria, ex ſua intrinſeca natura habent, quod in eodem ſubiecto exiſtentia inter ſe actu pugnent, & actu nitantur mutuò ſe corrūpere: hanc enim pugnam inter ſe habent, etiam cum Deus illa in eodem ſubiecto in gradibus intenſis ſimul conſeruat: vnde, Deus ſolùm impedit, ne ex illa actuali pugna vlla ſequatur corruptio, vt ex veriori Philoſophia ſupponimus de qua *Conimbricenſes in 2. de Generatione cap. 3. q. 7. art. 5. pagin. 411. poſt principium.* Conimbri. Oppoſitum reperitur in duobus corporibus in eodem loco exiſtentibus: nec enim illorum dimenſiones, quatenus tales ſunt, formaliter inter ſe pugnant; ſed veluti materialiter, & paſsiua quadam reſiſtentia, qua alterius ingreſſum ad eundem locum non admittunt: quę paſsiua reſiſtentia vinci poteſt, virtute aliqua actiua, non quidem naturali, ſed ſupernaturali; quod eſt noſtræ opinionis fundamentum.

Ad confirmationem reſpondet Salas in dicta pag. 623. col. 1, in medio: ſed nō video, cur antecedens non ſit negandum, 56. Ad cōfirm. licet enim id naturaliter fieri nequeat in accidentibus, quæ in eodem ſubiecto naturaliter vniuntur, & fiunt vnum numero accidens; non tamen video, cur id virtute creata ſupernaturali fieri nequeat: quid enim repugnat? ſed admiſſo antecedente conſequentia non videtur neceſſaria: quia duo illa accidentia non ſunt vnibilia per aliquam proprietatem; ſed ex ſua intrinſeca natura: cum tamen duo corpora ex ſua intrinſeca ratione non vendicent ſibi ſituum diſtinctionem, ſed per proprietatem ab illis ſeparabilem.

Decimum argumentum tangit difficultatem in vltimo art. explicādam: quidam putant vnū corpus glorioſum poſſe 57. Ad 10. aliud glorioſū penetrare: & hi admiſſa ſequela negabunt minorem. Qui verò ſenſerit duo corpora glorioſa eſſe mutuo impenetrabilia, negabit ſequelam; quia ſubtilitatis actiuitas ſolùm reſpicit eadē corpora, quibus penetrabilitas non repugnat: ſed de hoc plura in vtimo art.

Ad vndecium, & poſtremum negandum eſt qualitatem iſtam ſine neceſsitate 58. Ad 11. poni: ponitur enim, quia beatos virtute ſibi ſupernaturaliter communicata poſſe aliorum corpora actiuè penetrare, pertinet ad perfectionem ſtatus beatifici.

¶ Quibus omnibus addimus, nec Diuū Thomam, nec Capreolum noſtram opinionem reieciſſe; nullibi enim egit, an ſubtilitas ſit qualitas? quare Suarius non ſatis attente legit D. Thomam in 4. diſt. 44. quæſtione 2. artic. 2. quæſt. 2. vbi eum citat.

ARTICVLVS V.

Vnde nam ſubtilitatis perfectio corpori glorioſo conueniat?

1. Opinio 1. non recipit.

DIuus Thomas in 4. diſt. 44. quęſt. 2. art. 2. q. 1. refert nonnullos hãc ſubtilitatis perfectionem adſcribere cuidam quintæ eſſentiæ cœleſti: ex qua volũt corpora glorioſa eſſentialiter componi; & ex ea conſequi, vt alijs corporibus dominentur. Sed hanc opinionem, tanquam omnino improbabilem, & paradoxam cum D. Thoma, & cæteris Theologis ſæpius reiecimus: & maiori cum fundamento in hac quæſtione reijcienda venit; quoniam licet quinta illa eſſentia corpori glorioſo dederit dominium in corpora elementaria, vt ea penetrare poſſet: illud tamen dominium non potuit concedere in corpora cęleſtia, cum tamen corpus glorioſum ſua ſubtilitate etiam illa penetret.

2. Opinio Soti.

Sotus *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 6. pagi. 632. colum. 1. §. Hanc autem corporis perfectionem. & §. Hinc ambiguitatis colligitur ſolutio*, putat eam oriri ex perfecta informatione, & actuatione, qua anima beata actuat, & informat ſuum corpus: ad quã ſententiam videtur accedere *D. Thomas in 4. diſti. 44. q. 2. art. 2. q. 1; & clarius diſt. 49. quæſt. 4. art. 5. q. 3*, dum ait ſubtilitatẽ conuenire corpori glorioſo ex eo, quod perfectè ab anima informatur, ſed in ſuperioribus hanc opinionem iam non admiſimus. (*D. Thoma.*)

3. Vera opini.

Diximus igitur hanc perfectionem ex ipſa animæ beatitudine in corpus emanare; ſicut ab ea emanant cæteræ dotium perfectiones, quod ex Auguſtino ſępius confirmauimus. Vide quæ diximus ſupra de dote impaſſibilitatis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm corpus glorioſum ſubtilitatis perfectionem habeat in ordine ad omnia corpora, etiam glorioſa?

1. Senſus quæſtionis.

IN ſuperioribus latè oſtendimus beatos poſſe penetrare corpora non glorioſa; supereſt inquirere; an poſsint penetrare corpora aliorum beatorum? quę quæſtio ſub duplici ſenſu poteſt explicari: vno modo, ſuppoſita opinione, quæ docet penetrationẽ alterius corporis à ſolo Deo fieri; idque non mediante dote ſubtilitatis, alia ve forma creata; quam opinionem nonnullos probaſſe diximus ſupra artic. 3. §. 1. in 3. ſententia. Altero modo poteſt quæſtio excitari ſuppoſita opinione, quod beati poſſunt corpora penetrare per ſuam ſubtilitatis dotẽ: quã opinionem plures probaſſe oſtendimus in dicto art. 3. §. 1, in 4. opinione. Quæſtio igitur in vtroq; ſenſu explicabitur.

§. 1.

An ſuppoſita priori ſententia beatus poſſit penetrare corpus alterius beati?

2. Quid ſi ſolus Deus ad penetrationẽ cõcurrit

SVppoſita opinione, quod penetratio corporis à ſolo Deo fiat, idque dependenter à voluntate beati; inquiri poteſt, an beatus poſsit penetrare corpus alterius beati, & ſimul cum eo eſſe in eodem loco? in qua quæſtione illud apud omnes indubitatũ eſt diuina virtute poſſe fieri, vt vnus beatus alterius beati corpus penetret; id enim nullam inuoluit repugnantiam. Solùm igitur inquirimus; an beatus de lege ordinaria habeat potentiam penetrandi corpus alterius beati? quod nihil eſt aliud, quam inquirere; an Deus de facto ſtatuerit concurrere ad penetrationem corpori beati, ſi alius beatus vult illud penetrare? etenim ſi Deus hoc ſtatuit; vtique beatus poteſt talem penetrationem facere: hęc enim potentia per ſe pẽdet à lege à Deo lata. Si verò ſtatuit non concurrere ad talem penetrationem; beatus talem potentiam non habebit; ſed impotentiam potius; ſiquidem impotentia iſta per ſe pendet à legis prohibitione. Porrò ſi Deus, nec vnũ, nec alterum ſtatuit, ſed nihil circa hoc ordinauit, tũc beati naturalem potentiam ad hoc non habebunt, ſed ſolam obedientialem.

3. Negatiua opinio tenẽda.

Explicato igitur ſenſu quęſtionis, cõmunis ſententia negat vnum beatũ poſſe corpus alterius beati penetrare, aut cum illo ſimul eſſe in eodẽ loco. Ita *D. Thomas in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 2. q. 4. & 5. (quæ in additionibus ad tertiam partem eſt quæſtio 83. artic. 4.) cum D. Thoma ſenſiunt omnes Thomiſtæ: ita Capreolus ibidem quæſtio. 3. art. 3, ad 1. contra 2. fol. 174. colum. 4. Sotus in 4.* (*D. Thom. Capreol. Sotus.*)

Pezantius. Viguerius. Abulenſ. Baſſolius. Palatius. Richard.

in 4. diſt. 49, q. 4. ar. 6. concl. 4. p. 636. col. 1, Pezantius in additionibus ad 3. p. q. 83. ar. 4. Viguerius in ſua reſolutione Theologica cap. 14. §. 2. verſ. 6, cum illis conſentiunt Abulenſis in cap. 17. Matthæi q. 120 poſt principiū, §. Dicendum, quod corpori glorioſo: Baſſolius in 4. diſt. 49. q. 4. pag. 170. col. 3. ad 3, & ſuppoſita præcitata ſententia id docet Palatius in 4. diſt. 44. diſp. 3. concl. 5, §. Si vero virtus hæc ſubtilitatis pag. 53. colum. 1, & eadē ſuppoſita opinione idem docuit Richardus in 4. diſt. 49. art. 4. q. 5. ad finem §. Qui vult tenere ſecundam opinionem.

4. Fundamentū opinion.

1. Probatio.

Huius opinionis fundamentum eſt; quia nō eſt conueniens, vt vnum corpus glorioſum aliud penetret, & cū eo ſimul ſit in eodem loco. Primo; quia penetrare aliud corpus, & ponere ſe in eodem loco cum illo, aliquam videtur denotare ſuperioritatem, & dominium in illud: quæ ſuperioritas, & dominium non eſt admittendum inter beatos.

2. Probatio

Deinde: quia hæc vis penetrandi aliud corpus datur beatis in ordine ad corpora non beata; quia illa dum media interiacēt, & ſe ſe opponunt, poſſent impedire operationes eorum, niſi illi hanc vim penetrandi haberent: quæ tamen neceſsitas non datur in ordine ad alia corpora glorioſa: hæc enim nec neceſſario interiacent in medio ſpatio per quod beatus tranſire debet; cum magnus & ingens ſit cœlorum locus: nec aliquis eorum ſe ſe opponet, vt alteri tranſitum impediat. Tertio; quia ad perfectionem ſtatus beatifici pertinet, vt in eo ſeruetur ordo cuique debitus: iam verò dimēſionibus quantitatiuis, connaturalis eſt diſtinctio ſituum, & locorum: hæc igitur connaturalitas ſeruabitur inter corpora beata.

§. 2.

Quid dicendum ſit, ſi ſubtilitas ad penetrationem concurrat?

5. Quid ſi ſubtilitas concurrit ad penetrationē.

SEd iam expendamus, quid dicendū ſit, ſuppoſita opinione, quod beatis ratione ſubtilitatis conueniat poſſe aliud corpus penetrare? Cuius opinionis authores citauimus *ſupra art. 3. §. 1. in 4. opinione, & artic. 4. §. 1. in opinione tertia.* Huic quæſtioni quidam reſpondent affirmatiuè ſi ſubtilitas ſit aliqua qualitas: ita Palatius loco citato. Alij idem admittūt, ſi duo beati in hoc conſentiant, quod placuit Horontio lib. 11. cap. 24.

6. Opinio negans.

Scotus. Angles. Niſſe. Richard. D. Bonau. Altiſiodo. Suarius. Salas.

Communis tamen ſententia ſimpliciter negat vnum beatum penetrare poſſe corpus alterius beati: ita *Scotus in 4. diſtinct. 49. q. 16; ad vltimum principale litera N. ex Scotiſtis idem docet Angles in ſuis Floribus de Beatitudine art. 5. in ſecunda difficultate concl. vltima pag. 138. Niculaus de Niſſe in ſua Reſolutione Theologica tract. 7. p. 3. port. 3, quæſt. 5. in fine fol. 636, pag. 1. in principio: idem probant Richardus in 4. diſtinct. 49. art, 4. q. 5. §. Ideo videtur alijs, & D. Bonauent. ibidem artic. 6. q. 1. in fine num. 76, Idem ſenſiſſe Altiſiodorenſem plerique referunt: conſentiunt Suarius 2. tomo ad 3. partem diſp. 48. ſect. 5. ad finem pagina 934. colum. 1. A, & Salas 1. tomo ad primā ſecundæ. quæſt. 5. art. 5. tract. 2. diſputatione 14. ſect. 19. pag. 623. colum. 2.* Quam opinionem ego puto eſſe veriſsimam, quātumuis admittamus ſubtilitatem eſſe qualitatem.

7. Fundamenta.

Hanc opinionem probant fundamenta, quæ pro alio quæſtionis ſenſu adduximus. §. primo. Quibus accedit, quod virtus actiua vnius beati actiuè penetrantis quantitatem corporis alterius beati, non eſt maior, quam reſiſtentia quantitatis, quæ eſt in alio: vnde cum illa actu reſiſtat, vt diximus, nulla dari poterit actualis penetratio, & ſubinde, nec dabitur coexiſtentia in eodem ſpatio. Quæ etiam ſententia ex eo probanda eſt, quia vtraque oppoſita opinio nullo ſolido nititur fundamento: etenim dicere cum Palatio virtutem illam actiuam ſubtilitatis, non magis arctatam eſſe ad corpora non glorioſa, quam ad glorioſa, falſum eſt: licet enim reſiſtentia corporis nonglorioſi naturaliter ſit inſeparabilis à quantitate illius; ob quam rationem corpus non glorioſum naturaliter eſt impenetrabile; ſuperabilis tamen eſt à virtute ſupernaturali: at verò reſiſtentia corporis glorioſi, ne aliquod aliud corpus in ſuo ſitu ſit, tàm naturaliter, quam ſupernaturaliter, inſuperabilis eſt per virtutem creatam; ob quam rationem ex ſe eſt impenetrabilis, niſi adſit virtus Dei infinita.

8. Argumenta in contrariū

Argumenta, quæ contra hanc reſolutionem poſſunt afferri, vide apud Abulenſem vbi ſupra: facilia enim ſunt explicatu, vide illum.

§. 3.

§. 3.

Annotantur nonnulla, quæ ad dotem ſubtilitatis ſpectant.

9. *De penetratione partiũ corporis glorioſi interſe* IN fine huius art. aduertimus nonnulla adhuc inquiri poſſe de ſubtilitate corporis glorioſi. Primum eſt; vtrum ſubtilitas illius ſatis ſit, vt partes eiuſdem corporis poſsint ſe ſe penetrare, ita vt ſimul ſint in eodem loco? Ad quam difficultatem reſpondet Suarius in fine dictę ſect. 5. probabile eſſe partes corporis beati non poſſe ita ſe penetrare: quod vno verbo affirmat Salas *vbi ſupra pagin.* 623. *col.* 2. *poſt principium*: quod latè probat *D. Thomas in* 4. *diſtinct.* 44. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 5. *&* *Abulenſis Matthæi* 17. *q.* 121.

Suarius. *Salas.* *D. Thom.* *Abulenſ.*

10. *Confirmatur.* Quam ſententiam puto eſſe veriſsimã & ſatis confirmari eodem fundamento; quo confirmauimus beatum non poſſe penetrare corpus alterius beati: nam ſi penetratio fit à ſolo Deo; Deus ſtatuit non concurre ad hunc effectum, etiam volente beato: vnde beatus impotens eſt ad talem effectum. Si verò penetratio fiat ſubtilitate actiuè concurrẽte ad eam, talis actiuitas non eſt maior, quam ſit actualis reſiſtentia ipſarum partium, ne in ſuo ſitu alia pars ſubintret: licet enim ſint glorioſæ, habent tamen in ſe proprietatem diſtinguendi ſe ab alijs partibus, & in toto, & in loco, vt ſupra diximꝰ. Quare nec in vna, nec in altera opinione partes corporis beati poterunt alias penetrare, vt cum illis in eodem ſint loco, vel adæquato toti corpori, vel inadæquato, & minori: non repugnat tamen illas mutuo poſſe ſe penetrare, vt ſimul ſint in aliquo loco, ita vt & totũ corpus beati ſit in toto illo, & ſingulæ partes in eodem ſimul exiſtant, eo modo, quo corpus Chriſti totum eſt in tota hoſtia, & ſingulæ eius partes in toto illo ſimul exiſtũt: nec enim id repugnat, vt in materia de Euchariſtia latè oſtendimus.

11. *De palpabilitate.* Secundo loco inquiri poteſt; an corpus glorioſum ita ſit palpabile, vt in poteſtate beati ſit palpari, aut non palpari? nam quod ſit palpabile dubitari non poteſt; cum Chriſtus Lucæ 24. Dixerit diſcipulis: *Palpate, & videte*: quod verò in poteſtate beati ſit præbere ſe palpabilem, vel non præbere, communis eſt conſenſus Theologorum: ita *D. Thomas in* 4. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 2. *quæſti.* 6. *habetur in additionibus ad* 3. *p, q.* 83. *art.* 6, *vbi Pezãtius; Abulenſis in dicto cap.* 17. *Matthæi q.* 122. *Viguerius in Inſtitutione Theologica cap.* 14. §. 2. *verſicul.* 6. *in fine, vt in re notiſsima alios omittamus: vide quæ diximus ſupra lib.* 4. *q.* 11. *art. vnico.*

Lucæ. 24. *D. Thom.* *Pezantius.* *Abulenſ.* *Viguerius.*

De æqualitate ſubtilitatis in omnibus beatis. Si quis tertio loco inquirat, an ſubtilitas æqualis ſit in omnibus beatis? quidã negatiuè reſpondent; quia beatitudo animæ ex qua fluit, nõ eſt in omnibus ęqualis. Facilè admitterem eam ęqualem eſſe in omnibus, nam cum ſolùm detur in ordine ad penetranda corpora nonglorioſa; ad quorum penetrationem beatus etiam minimus vim habet; nihil cogit, vt eam ponamus inæqualem.

QVÆSTIO VII.

De numero perfectionum ſupernaturalium corporis glorioſi.

IN hac quęſtione duos articulos ſubijciemus. Primus eſt; an perfectiones ſupernaturales corporis glorioſi pauciores ſint, quam quatuor? Secundus; an plures ſint, quam quatuor?

ARTICVLVS I.

An perfectiones ſupernaturales corporis glorioſi pauciores ſint quam quatuor?

QVæſtionem iſtam excitauimus, vt explicemus rationem dubitãdi, quæ affirmantem partem videtur confirmare: nam quod perfectiones iſtæ pauciores eſſe debeant, quã quatuor, hæc ratio confirmare videtur: etenim anima beata tribus tantum perfectionibus ornatur, quæ poſsint rationem dotis habere. Ergo perfectiones ſupernaturales corporis beati pauciores eſſe debent quam tres. Antecedens patet ex ijs, quę diximus 2. *tomo lib.* 11. *q.* 2. *art.* 5. vbi oſtẽdimus tres tantum dari dotes animæ beatæ. Conſequentia inde patet; quia anima beata proprius, & verius eſt ſponſa Dei, & Chriſti, quam corpus: quomodo igitur corpus pluribus dotabitur dotibus, quam anima?

1. An pauciores quã quatuor. *Ratio pro parte affirmante.*

Hac

2. Ad ratione dubitandi. Hac tamen dubitandi ratione non obſtante inter Theologos indubitatum eſt quatuor admittendas eſſe perfectiones ſupernaturales in corpore beato; ſcilicet impoſsibilitatem, claritatem, agilitatem, & ſubtilitatem, vt in ſuperioribus latè oſtendimus q. 3. 4. 5. & 6.

3. Non ſunt pauciores. Nec contra hanc communem Theologiam aliquid facit adducta dubitandi ratio: admiſſo enim antecedente neganda eſt conſequentia, ſi ſermo ſit de perfectionibus, quæ habent rationem dotis: nam cum dotes; tùm animæ; tùm corpori dentur ad ſuſtinenda onera cœleſtis coniungi, id eſt ad tollendas imperfectiones, quæ vel animę, vel corporis beatitudini obſiſtũt, vt diximus *in dicto lib.* 11. *q.* 2. *ar.* 1. *&* 2, in ea hominis parte plures reperiẽtur dotes, in qua plures imperfectiones, & defectus beatitudini ſuo modo repugnantes reperiuntur: iam verò in corpore plures reperiuntur huius generis defectus, quam in anima: eſt enim longè imperfectius: corpus igitur pluribus perfectionibus huius generis dotabitur: nec hoc eſt inconueniens: quoniam in cœleſti coniugio non melius dotatur, qui dotatur pluribus perfectionibus; ſed qui dotatur dotibus melioris ordinis, & in ſe perfectioribus. Dotes autem animæ ſũt ordinis altioris quam dotes corporis, & proinde melius dotatur anima, quam corpus, licet paucioribus dotetur. Oppoſitũ cernitur in matrimonio carnali: & ratio eſt, quia ſicut onera, quæ tolluntur, ſunt eiuſdem ordinis; ita etiam bona dotalia ad eundem ordinem pertinent; & ſubinde eo vita affluentius ſuſtẽtatur, quo plura fuerint bona dotalia.

ARTICVLVS II.

An perfectiones ſupernaturales corporis glorioſi plures ſint quam quatuor?

§. I.

Refertur opinio affirmatiua cum argumentis.

1. Opinione ſirmans. 1. Arg. Qvod plures ſint perfectiones ſupernaturales corporis glorioſi, quam quatuor, his argumentis videtur oſtendi. Primo; quoniam corpus glorioſum ideo dotatur ſupernaturalibus perfectionibus, vt perfectius ſubijciatur animæ, ſed ad hanc perfectiorem ſubiectionem indiget pluribus, quam quatuor perfectionibus explicatis, non ſolũ quoad eſſe, ſed etiam quoad agere: Ergo plures perfectiones quam quatuor ſunt admittendæ. Maior eſt indubitata. Minor probatur: nam quod pluribus indigeat, quoad eſſe, inde patet; quoniam cum corpus ſubijciatur animæ, tanquam formæ, indiget aliqua diſpoſitione, vt quoad actuationem perfectè ſubijciatur animæ: ad hoc enim non concurrit perfectio impaſſibilitatis; quia hæc potius actuationem conſeruat, quam ad eam diſponat: nec etiam ad illum effectum concurrit perfectio claritatis, vt patet. Quod etiam pluribus perfectionibus indigeat quoad agere, inde confirmatur; quoniam anima nõ ſolũ mouet corp⁹ quoad motũ localẽ, ſed principalius quoad operationes animæ ſẽſitiuę, tã externas, quã internas, quæ à potentijs exercentur medijs organis corporeis. Sed anima quoad motum localem perficitur perfectione agilitatis, Ergo debet etiam perfici perfectione aliqua ſpeciali quoad operationes animæ ſenſitiuę.

Secundo; corpus glorioſum non ſolũ ſubijcitur animæ ad operandum: ſed etiã ad non operandum, id eſt ad ſuſpendendum operationes corporeas pro ſuæ voluntatis arbitrio: poteſt enim pro libito occultare ſuũ corpus, & cętera. Ad hoc autem neceſſaria eſt ſpecialis aliqua virtus, & perfectio diſtincta à quatuor illis, quę communiter enumerantur. 2. 2. Argum.

Tertio; ex Paulo 1. Corinth. 15. *Seminatur in infirmitate: ſurget in virtute*, in virtute, inquã, quę infirmitati opponitur: hæc autẽ virtus non eſt poſita in ſubtilitate: quoniã ſubtilitas ſolùm expenditur penes penetrationẽ alterius corporis; ſed poſita eſt in viribus corporis, & in illius robore ad vincendam omnem naturalem reſiſtentiam. Ergo præter illas quatuor perfectiones addenda eſt quinta aliqua perfectio. 3. 3. Argum.

Vltimo confirmatur teſtimonio *Anſelmi in lib. de Similitudinibus cap.* 48. cum ſequentibus, vbi enumerat ſeptem corporis beatitudines; ſcilicet pulchritudinem, volocitatem, fortitudinem, libertatem, ſanitatem, diuturnitatem, ac voluptatem. Ergo ex D. Anſelmo plures quam quatuor 4. Vltimũ.

tuor

tuor admittendæ ſunt corporis ſupernaturales perfectiones.

§. 2.

Admittenda eſt opinio negatiua.

6. Negatiua vera. His tamen non obſtantibus inter Theologos iam abijt in vetus axioma quatuor tantum eſſe corporis glorioſi ſupernaturales perfectiones, quas appellant dotes, ſcilicet impaſsibilitatem, claritatem, agilitatem, & ſubtilitatem: & ſubinde nec plures eſſe, nec pauciores. Et quidem quod quatuor enumeratæ perfectiones ſint admittendæ, in dubium verti non poteſt; quia de ſingulis id docet fides, vt patet ex ijs, quæ in genere de illis diximus *ſupra q. 2. art. vnic. & de ſingulis q. 3. 4. 5. & 6*, quod verò nõ ſint
1. Cõfirma. plures primo cõfirmari poteſt authoritate Theologorum, qui vnanimi conſenſu id docent; quorum authoritas in hac materia non paruam habet vim.

7. 2. Cõfirma. August. Secundo confirmatur; quia Auguſtinus *lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 20. in fine*, ſolas iſtas quatuor per quatuor oppoſitos defectus enumerat; ita inquiens: *Tantum abſit* (ſcilicet à corporibus beatorũ) *omnis deformitas: omnis infirmitas: omnis tarditas: omnis corruptio.* Deformitas enim per claritatẽ tollitur: infirmitas per ſubtilitatem: tarditas per agilitatem: corruptio denique per incorruptionẽ. Verum hęc ratio vim haberet; niſi Auguſtinus adderet: *Et ſiquid aliud illud non decet regnũ*; quibus verbis ſatis ſignificat dari alios defectus.

8. 3. Cõfirm. 1. Cor. 15. Tertio; cõmuniter id deducitur ex Paulo primæ Corinth. 15. *Seminatur in corruptione; ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate; ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale.* Vbi per gloriam intelligitur claritas: per virtutem, agilitas: per ſpiritualitatem, ſubtilitas. Sed profecto verbum ſpirituale in ſua ampla ſignificatione non ſubtilitatem ſolùm, ſed omnem participationem proprietatum ſpiritus ſignificat; & in eadem ampla ſignificatione explicatur ab Auguſtino, & à cæteris ferè Patribus: quaſi Paulus illo verbo cæteras omnes gloriæ perfectiones complexus ſit; ſicut etiam nomine corporis animalis non ſolũ groſſitiẽ, ſed omnes vitę miſerias Paulus intellexit: vnde in præcedenti q. art. 1. diximus ſpirituale à Paulo non ſumi pro ſubtili.

Quam infirma ſit collectio, & ſufficientia huius quaternarij ex verbis Sapiẽt. 3. *Fulgebunt Iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*, nullus non videt; quamuis antiquiores Theologi ea vtantur. Sicut etiam non ſatis efficaciter deducitur hæc quaternarij ſufficientia ex quaternario virtutum cardinalium; quatuor cauſarum, & quatuor elementorũ, quamuis ita arguant *D. Bonauent. in 4. diſt. 49. art. 2. q. 1. num. 37. & Richard. ibidem artic. 4. q. 1, & plures alij*: etenim cum illi quaternarij cauſam huius noſtri non contineant, ex illis non poteſt fieri ſupputatio ad noſtrum quaternarium. Duas alias ſupputationes ad rem magis accedentes affert *Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 4. concl. 2*; ſed nec illæ placere poſſunt. Magis ad rẽ accedit, quæ adducitur à *Suario 2. tom. ad 3. p. diſp. 48. ſect. 1. §. Ex hac ratione colligi poteſt pagina 906. col. 1*: quamuis non omnino ſatisfaciat. 9. Quædã cõfirmationes parũ firmæ Sapient. 3. D. Bonau. Richard. Sotus. Suarius.

Quare vt huius quaternarii ſufficientiam efficacius colligamus, aduertendum eſt perfectiones ſupernaturales, de quibus agimus, habere rationem dotis, vt q. 8, oſtendemus: inter cæteras autem dotis conditiones, quas explicauimus 2. to. lib. 11. q. 2. art. 2. vna, & præcipua eſt, quod detur ad remouendum aliquem ſpecialem defectum, & imperfectionẽ, quæ cum felicitate, & iucunditate cœleſtis cõiugij, aut ſimpliciter conſtare nõ poteſt, aut non decẽter: In hoc enim ſenſu dotes gloriæ dicuntur dari ad ſuſtinenda onera matrimonij, quia ſcilicet perfectiones iſtæ impediunt, ne talia adſint onera, vt loco citato oſtendimus, & aduertemus in quæſtione ſequenti. Quare ſicut dotes dantur animę ad tollendos ab ea ſpeciales aliquos defectus, qualis eſt imperfectio fidei, & ſpei, & cæt. ita etiam corpori glorioſo dantur ſupernaturales dotes ad tollendas imperfectiones, quæ corpus humanum naturaliter comitantur, & quæ cum ſupernaturali corporis beatitudine non congruunt. Quælibet igitur ſupernaturalis corporis perfectio, quæ dotis rationem habet, talis eſt naturæ, vt aliquẽ corporis defectum tollat. 10. Authoris cõfirmatio.

Cum

11. Cum igitur quatuor tantum defectus principales naturaliter comitentur corpus humanum; nimirum corruptibilitas quoad eſſe ſubſtantiale: ignobilitas quoad accidentarias perfectiones: tarditas, quoad localem motum: denique infirmitas quoad agere: & ad hos quatuor defectus, tanquam ad quatuor capitales cæteri omnes reducantur; fit, vt quatuor debeant eſſe perfectiones gloriæ corporis, illis defectib⁹ ſpecialiter oppoſitæ, ad quas cæteræ (ſi quæ fuerint) corporis perfectiones reducantur. Igitur corruptibilitati occurrit incorruptio: ignobilitati perfectionum naturalium claritas: Tarditati agilitas: infirmitati denique, virtus nomine ſubtilitatis ſignificata. Cum vero ad iſtas quatuor perfectiones, tanquã ad cardinales, cæteræ omnes facilè reuocentur, vt ex dicendis patebit; ſatis ſufficienter confirmatum manet non eſſe admittendas in corpore glorioſo plures perfectiones, quam quatuor.

§. 3.

Pro ſolutione Primi argumenti expenditur, an requiritur aliqua ſupernaturalis perfectio vt corpus perfectè ſubijciatur animæ, tum quoad actuationem ſubſtantialem; tum quoad vſum potẽtiarum ſenſitiuarum?

12, Ad 1. arg. SVpereſt diſſoluere argumenta §, primo incontrarium adducta, Ad primum, primo dicendum eſt non

1. Dictum, omnes corporis ſupernaturales perfectiones, & dotes dari, vt corpus ſine difficultate ſubijciatur animæ: etenim ſine claritate per cæteras dotes corpus perfectam haberet ſubiectionem, vt animæ

2. Dictum. in omnibus perfectè obediret. Deinde dicimus perfectiones ſupernaturales dari corpori glorioſo, vt ſubijciatur animæ in ijs, quæ ſunt ſupra naturam corporis: etenim in effectis naturalibus corpus animæ perfectè ſubijcitur per ipſas naturales perfectiones, quibus perfectiſsimè exornatur, vt patet ex ijs, quæ in toto quarto libro diximus. Iam verò ad ſubiectionem ſupernaturalem, quam ponimus ſatis ſuperque ſunt quatuor explicatæ perfectiones, nec aliæ ſunt neceſſariæ. Quare in hoc ſenſu neganda eſt minor.

Nulla eſt neceſſaria diſpoſitio ſupernaturalis ad informationem corporis.

¶ Ad primam minoris probationem facilis eſſet reſponſio ſuppoſita ſententia D. 13. Ad 1. probationem minoris.
Thomę probata à pleriſque, quos citauimus ex præcedente *quæſt. ar. 2. §. 2. & ar. 3. §. 1. in 3. opinione*; ſc, ſubtilitatis dotem tribui beato, vt corpus perfectè ſubijciatur animæ quoad ſubſtantialem actuationem, & vnionem cum illa: etenim (vt aiunt) ſubtile per translationem dicitur illud, quod optimè ſubſtat formæ, ſed hanc opinionem latè impugnauimus in præcedente q. art. 2. §. 3.

Dicimus igitur nullam ſupernaturalem diſpoſitionem eſſe neceſſariam, vt 14. Vera reſpõſio.
corpus perfectè ſubijciatur animæ, quoad ſubſtantialem actuationem, & informationem; quoniam ad hoc ſatis ſuperque eſt corpus humanũ naturalibus diſpoſitionibus ſufficienter diſponi, cum debita ad animam organizatione, & temperamento primarum qualitatum: his enim diſpoſitionibus ſufficienter poſitis non poteſt anima non informare corpus, quam perfectiſsimè poteſt: ſiquidem illud naturaliter informat, & ſubinde ſecundum vltimum potentiæ. Quibus addimus; quod prima corporis actuatio, & viuificatio, cum ſit actus primus ſubſtantialis, non poteſt ſuſcipere magis, & minus, & proinde nõ poteſt eſſe, aut perfectior, aut intenſior, quantumcunque ſuperaddatur ſupernaturalis diſpoſitio, vt benè aduertit *Suarius in dicta diſputat. 48. ſectine prima §. Dices etiam pag. 906. col. 2*: Suarius.

15. Quæ doctrina inde etiam corroboratur, quoniam reſurrectio futura, licet ex parte termini ſit ſupernaturalis; quia reſurget homo immortalis, glorioſus, & iam ſpiritualis; tamen ex parte diſpoſitionum, eſt quidem naturalis, quoad ſubſtantiam; ſupernaturalis verò, quoad modum, vt ſupponimus, & videre eſt apud Suarius.
Suarium in eodem ſecundo tomo, diſputat. 44. ſectione quinta, & ſexta, vbi optimè probat reſurrectionem non eſſe eſſentialiter diuerſam à prima hominis productione, ſed ſolùm accidentaliter, nimirum in ſolo modo diſponendi, & organizandi corpus: vnde Deus infundens animam, operatur quidem in corpore vltra debitum naturale, illius, non tamen ad animam con-

concurrit vltra naturalem illius capacitatem; nec vlla vtitur potentia obedientiali in ordine ad ſubſtantialem informationẽ: quare nulla ibi interueniet ſupernaturalis diſpoſitio, ſed ſolùm naturalis ſupernaturali modo adiuta, penes celeritatem, & alias tranſmutationes, quibus non naturali modo, ſed ſupernaturali tranſmutabitur. Concludendum eſt igitur in reſurrectione ſolis naturalibus diſpoſitionibus modo ſupernaturali cõcurrentibus corpus perfectiſsimo modo fore ſubijciendum animæ, quoad actuationem ſubſtantialem: quam doctrinam euidenter colliges ex dictis ſupra lib. 1. quæſtione 1. 2. & 3.

Nec neceſſaria eſt diſpoſitio ſupernaturalis ad perficiendas operationes ſenſitiuas.

16. Ad 2. probationẽ minoris. ¶ Ad ſecundam probationem minoris, quam negauimus, *Durãdus, Paludanus, & Sotus*, volunt ad vſum perfectiſsimum potentiarum ſenſitiuarum eſſe neceſſariam diſpoſitionem aliquam ſupernaturalem: non tamen diſtinctam à quatuor numeratis: quia putant ad hoc munus dari dotem ſubtilitatis. At tamen illorũ opinionẽ reiecimus in pręcedente quęſt. art. 2. & 3. ¶ Dicimus igitur ad perficiendas operationes animæ ſenſitiuæ nulla opus eſſe noua perfectione ſupernaturali, vt multis oſtendit Suarius *in d. diſp. 48. ſec. 1. §. Ad poſteriorem partẽ pag. 907. col. 1.* Quod facilè probatur: quoniam hæc perfectio, vel eſt neſſaria ad operationes naturales illarũ, vt. ſ. operentur quam perfectiſsimè naturaliter operari poſſunt: vel vt operentur perfectius, quam naturaliter poſſunt operari. Neutrũ dici poteſt. Ergo talis diſpoſitio ad hoc munus nõ eſt neceſſaria. Maior patet: Minoris vtraque pars quam diligentiſsimè probabitur.

vera reſolutio.

Non eſt neceſſaria vt potentiæ perfectiſsimo modo naturaliter operentur.

17. Non eſt neceſſaria ad operationes naturales pfectiſsime eliciendas. 1. Ratio. ¶ Quod diſpoſitio ſupernaturalis non ſit neceſſaria, vt potentię perfectiſsimo modo ſibi naturaliter poſsibili operẽtur, multis modis probari poteſt. Primo, quia operationes naturaliter commenſuratæ perfectiſsimè poſſunt exerceri abſque vlla ſupernaturali perfectione. Adamus enim in ſtatu innocentiæ abſque vlla operabatur modo naturaliter perfectiſsimo, vt omnes agnoſcunt, & aduertit *Suarius vbi ſupra §. Dices hæc omnia*: erat enim in naturalibus ſumme perfectus; hanc perfectionem fruſtra haberet, niſi poſſet modo naturaliter perfectiſsimo operari. Corpus autem glorioſum, quoad naturalia longè perfectius erit: poterit igitur beatus operationes naturales animę ſenſitiuæ modo naturaliter perfectiſsimo operari abſque vlla ſupernaturali perfectione, qua ad illas eleuetur: ſupponit quidem plures ſupernaturales perfectiones, ratione quarũ quoad naturalia eſt perfectiſsimus: vt tamen ipſis naturalibus modo naturaliter perfectiſsimo vtatur, nulla indiget ſuper naturali eleuatione. *Suar.*

Secundo; ſi conſideratius expendamus ſingula, quæ ad naturales perfectiones, aut antecedenter, aut concomitanter, aut denique conſequenter concurrũt plane inueniemus nulla ſupernaturali perfectione opus eſſe, ad ſummam perfectionem naturalem, aut ipſarum potentiarum, aut actionum. Nam dubitari non poteſt potẽtias ſenſitiuas in corpore glorioſo futuras eſſe in ſumma ſua naturali perfectione: eſſentia enim nõ ſuſcipit magis, aut minus. Similiter non poterit dubitari, cum hac ſumma eſſentiali perfectione potentiarum coniunctam fore accidentalem perfectionem in gradu naturaliter ſupremo ex parte organi: quia ipſæ potentiæ futuræ ſunt in corpore optimè affecto diſpoſitionibus ſibi connaturalibus, ita vt conſurgat optimum, & connaturaliſsimum cuique potentiæ temperamentum, vt oſtendimus libro quarto in diſputatione de potentijs ſenſitiuis: organo verò, & ſenſorio optimè diſpoſitio non poſſunt ſpecies ſenſibiles non eſſe in ſuo genere perfectiſsimæ; quia recipiuntur in ſumma immaterialitate cuique potentiæ naturaliter debita ſpiritus etiam, tam vitales, quam animales (quorum adminiſtratio ad ſenſationem eſt neceſſaria) tunc erunt in ſua natura perfectiſsimi: & puriſsimi, & naturaliter ſummè accommodati ad cuiuſque potẽtiæ temperamentum; ita vt ſubſtantialẽ perfectionem, & naturalẽ agendi vim habeant in ſe ipſis in ſummo naturalitatis gradu 18. 2. Ratio.

gradu: quare nulla indigebunt ſupernaturali perfectione, vt adminiſtrentur potentijs, quia naturaliter obediunt animæ; nec vt cum potentijs ſimul operentur. His omnibus autem ſimul concurrentibus, ſublata quacumque ſupernaturali perfectione, non poſſunt potentiæ non operari operationes naturaliter perfectiſſimas, & modo operandi naturaliter præſtantiſsimo: nam cum naturaliter agant, non poſſunt non agere ſecundum vltimū potentiæ.

19. Confirmatio. Et vt omnia abſoluamus, nihil conſequenter ſe habet ad operationes ſenſitiuas, ratione cuius noua aliqua perfectio ſupernaturalis ſit neceſſaria, vt potentiæ ſenſitiuæ operationes naturaliter perfectiſsimas operentur: nam vt idem Suarius loco citato §. tertio requiritur, optimè aduertit, id, quod conſequenter ſe habet ad operationes ſenſitiuas, vel eſt motus localis; vt quando ex gaudio conſurgit aliqua motio corporis: vel eſt operatio alterius potentiæ, vt cum ex ſenſatione externa mouentur ſenſus interni; & ex operatione phantaſiæ mouetur appetitus. At motus localis perficitur agilitate: operatio verò alterius potentiæ poteſt eſſe perfecta ſine noua perfectione ſupernaturali, vt iam oſtendimus.

20. Concluſio antedentiū. Concludendum eſt igitur omnes ſenſitiuas potentias abſque vlla ſupernaturali perfectione, vel ſaltem ſine alia noua fore perfectiſsimas, tùm in ſe ipſis, tùm in ſuis operationibus; idque tam eſſentialiter, quàm accidentaliter, vt docuit *Diuus Thomas in quarto diſtin.* 44. *quæſtione ſecunda, quæſtiuncula prima.* (D. Thom.) Et à fortiori longè erunt perfectiores, ſi expēdamus ſupernaturalem perfectionem, quam corpus glorioſum conſequitur ex quatuor explicatis dotibus: nam ratione incorruptibilitatis potentiæ operando nunquam fatigabuntur, ſicut etiam nec fatigabuntur quocumque motu, qui interdum operationem antecedit; vt quando quis retrorſum mouet faciem, aut remouet obſtaculū; in tali enim motu nō retardabuntur ratione agilitatis: per claritatem verò, & ſubtilitatem perfectius reddetur temperamentum naturale, vt ſpecies intentionales recipiat in ſumma immaterialitate naturaliter debita cuiq; potentiæ.

Si quis verò inquirat; an aliqua ex quatuor perfectionibus explicatis ſit neceſſaria ad exercendas operationes naturales modo naturaliter perfectiſsimo? negatiuè reſpondendum eſt, vt contra Durandum, Paludanum, & Sotum oſtendimus ſupra quæſt. 6. 21. Quæſtio incidens.

An neceſſaria ſit noua aliqua perfectio, vt potentiæ ſenſitiuæ perfectius operentur, quàm poſſunt naturaliter operari?

¶ Tota difficultas eſt poſita in explicanda alia difficultate, quæ tangitur in minore, quam negauimus; an ſcilicet præter quatuor enumeratas dotes noua alia ſit neceſſaria, vt potentiæ ſenſitiuæ operentur perfectius, quàm naturaliter operari poſſunt? verbi gratia, vt operentur in obiectū, quod naturæ viribus nequeunt attingere: vel ſaltem altiori modo, quam naturaliter poſsint, vel denique, vt operentur in obiectum vltra naturalem diſtantiam, vel maiori intenſione, quam ſit naturalis? Ratio dubitandi eſt; quia non defuerunt ex Patribus, qui dixerint Deum de facto videndum eſſe ab oculo corporeo: id enim nonnulli (falſo tamē) tribuunt Auguſtino, vt vidimus 1. tom. lib. 4. quæſt. 5, artic. 2, diximus etiam ſupra in hoc libro quæcūque corpora opaca futura eſſe beatis peruia. Denique cenſuimus probabilem eſſe opinionem, quæ aſſerit oculum beati ad quamcunque diſtantiam ſe extendere; quæ omnia naturales vires excedunt, & proinde indigent aliqua ſupernaturali perfectione. 22. Alia difficultas.

Ad hanc difficultatem reſpondet Suarius *in dicta diſputatione* 48. *ſectione prima.* §. *Dices hæc pagina* 907. *columna ſecunda.* perfectiores illas, & alias ſimiles poſſe quidem eſſe in ſenſibus beatorum, nulla tamen opus eſſe noua perfectione, aut diſpoſitione, vt corpus in his omnibus perfectè obediat animæ: nam vt illæ perfectiones inſint beatis ſolum requiritur, vt vis actiua illorum augeatur, vel ex parte obiectorū ad impediēdas ſpecies in maiori diſtātia, vel ex parte animæ, & potentiarū, quocūq; modo hæc auctio fiat; ſiue per maiorem Dei concurſū, & auxiliū ſiue per aliquam qualitatem; quæ omnia non pertinent ad dotes corporis, ſed ani- 23. Opinio Suarij.

mæ. Poſitis autem his donis nulla poterit dari reſiſtentia ex parte corporis, quæ debeat auferri per nouam dotis perfectionem, vt corpus in his actionibus ſpiritui perfectè ſubijciatur.

Hæc tamen ſolutio abſque dubio procederet in operando vltra naturalem diſ-
24. obiicitur cōtra ſolutionem. tantiam: hæc enim haberi poteſt, vel ſi augeatur virtus potentiæ, vel ſi augeatur vis obiecti, vt in longiorem diſtantiam, quam ſit naturalis, diffundat ſpecies ſenſibiles: non caret tamen maxima difficultate, ſi potentia ſenſitiua eleuetur ad obiectum ſuperioris ordinis, vt ſi oculus corporeus eleuetur ad videndum Deum, & ſubſtantias ſpirituales: ad hūc enim effectum ex parte potentiæ ſenſitiuæ datur naturalis quædam impotentia: quæ indiget eleuatione; talis autem eleuatio (quocumque modo illa fiat) ſemper videtur habere rationem nouæ dotis, per quam corpus ſpiritui ſubijciatur: etenim ex ſententia eiuſdem Suarij non eſt de ratione dotis quod ſit aliqua qualitas; ſed ſatis eſt, quod ſit virtus intrinſeca, & inſtrumentalis, quaſi permanens ex eo, quod Deus ſtatuit vti corpore beato, ad operandum talem effectum pro libito beati: ad hunc enim modum Suarius explicat dotem ſubtilitatis, vt vidimus *in præcedenti quæſtione, articulo quarto §. primo præmiſſo 3. in ſecunda ſententia.* At verò ſi talis virtus intrinſeca ad penetranda corpora non beata enumeratur inter dotes corporis glorioſi; cur virtus ſimilis potentijs ſenſitiuis intrinſeca, & permanens non habebit rationem dotis? etenim ſine illa virtute corpus ad illum effectum non ſubijcietur ſpiritui; idque propter naturalem illius imperfectionem, quę munere huius perfectionis ab eo tollenda venit.

25. Reſolutio authoris Hæc difficultas difficilem ſemper mihi reddidit datam ſolutionem: quare ſi præter quatuor enumeratas perfectiones nulla alia eſt admittenda, vt reſoluimus; vel negandum eſt potentiam ſenſitiuam diuinitus eleuari poſſe ad obiecta ordinis ſuperioris, verbi gratia, oculum corporeum ad videndum Deum, aut ſubſtantias ſeparatas, quæ eſt communis, & veriſsima ſententia, *de qua dicto lib. quarto quæſtione quinta*: vel ſi cum Suario, & alijs admittatur; id referendum eſt ad dotem ſubtilitatis, vt plures volunt: ſed quia in præcedente quæſtione id non admiſimus, recurrendum eſt ad priorem ſolutionem, quæ omnem tollit difficultatem.

¶ Hæc omnia tam latè diximus pro ſolutione primi argumenti cuius minor à nobis negata eſt; quia corpus glorioſū, nec quoad eſſe, nec quoad agere indiget noua aliqua perfectione, aut dote præpter quatuor explicatas

§. 4.

Pro ſolutione ſecundi argumenti expenditur vnde nam beati habeant poſſe ſuſpendere actiones corporis?

AD ſecundum argumentum ſatis reſpondet Suarius in dicta diſput. 48. ſect. 1. paulo ante finem §. *Sed inſtabis*: & admittit beatum habere poteſta- 26. Ad 3. arg.
tem pro libito ſuſpendendi actiones corporis, tam naturales, quam vitales: addit tamen beatos hanc perfectionem non habere ex aliqua corporis diſpoſitione, cui conueniat ratio dotis: hoc autē hac ratione oſtendit: quoniam nulla qualitas inhærens per ſolā ſuā inhærentiam, aut pręſentiā poteſt impedire naturalem actionē; ſi adſint omnia ad agendū neceſſaria alioquin qualitas illa impediret eandē actionem, quando voluntas eam imperat, vel ſaltem illi reſiſteret. Quod non eſt admittendum.

Si obijcias, hoc argumentū ſolùm conuincere non dari qualitatē illam inhærentem; non tamen non dari virtutē aliquam 27. Occurritur obiectioni.
intrinſecam, quæ non ſit qualitas inhærēs, ſed permaneat ex diuino decreto ad ſuſpendendum actionem pro libito voluntatis beati; reſpondetur virtutē illā intrinſecā, quæ non ſit qualitas, introductā à Suario, admitti nō poſſe ad hunc effectū, qui eſt non operari; quantūuis ad operādum fortè poſſet admitti: ratio diuerſitatis eſt; quia talis virtus ponitur, vt inſtrumentaria: iam verò agens principale ad non agendū non vtitur inſtrumento, ſed ſolú ad agēdum: quia agens principale ſemper vtitur actione naturali inſtrumenti, & eā eleuat ad effectum ſuperiorem, vt oſtendimus 2. *tom. lib.* 10. *q.* 2. *art.* 15. §. 6. *prop.* 2. *num.* 119: cum igitur ſupponat actionē inſtrumenti, quam eleuet, non poterit vti

vti inſtrumento ad nõn agendum. Quare admittimus in potentia corporea nullam dari poſſe diſpoſitionem ad ſuſpendendam propriam operationem : iam verò ſine ratione, aut qualitatis, aut alicuius diſpoſitionis diuinitus datę, ratio dotis non conſiſtit.

26. Vnde proueniat. Sed iam inquires: vnde nã beato proueniat hæc perfectio ſuſpendendi naturales actiones? occurrit idem Suarius eam non prouenire ex aliqua qualitate poſitiua, quæ ſit in anima, quæ eſt potentia ſuperior ad impediendum actiones potentiæ ſenſitiuæ: & in hoc quidem rectè: quia (vt idem benè aduertit) ſuſpenſio fieri non poteſt per aliquam actionẽ realem: hęc enim requirit effectum poſitiuũ: vnde nec Deus, quando ſuſpendit actionem ignis Babylonici, id non fecit aliquo poſitiuo concurſu, ſed denegando concurſũ neceſſariũ ad actionẽ eliciendam.

Non prouenit ex qualitate paſsiua.

27. Vnde proueniat. Vnde igitur hoc prouenit? reſpondetur id prouenire ex virtute animæ, cui diuinitus datum eſt, vt in libera ipſius poteſtate ſit influxus in ſuas actiones: quæ virtus relinquitur in anima, vel quia Deus ſtatuit non aliter concurrere ad corporis actiones, niſi volente beato, ex hoc hoc enim decreto relinquitur in anima virtus, non quæ ſit qualitas, ſed quæ ſit diſpoſitio intrinſeca, & inſtrumentaria: vel quia Deus hanc legem ſtatuit ne potẽtiæ inferiores agant ſine concurſu ſuperiorum. Addit tamen Suarius priorẽ dicendi modum eſſe intellectu faciliorem quia Deus vt omnibus numeris conſummaret perfectionem ſtatus beatifici, ſtatuit non concurrere cum potentijs inferioribus, niſi beato conſentientẽ: ex quo decreto anima manet potens ſuſpendere actiones corporis pro ſuo libito.

28. Verior reſponſio. Iſte dicendi modus eſt quidem intellectu facilior: ſed poſterior, & ſubtilior eſt, & communior : omnes enim Theologi fatentur animam beatam habere perfectum dominium in corpus, & in omnes illius potentias: quod dominium in hoc eſt poſitum, vt omnes inferiores potentiæ ſubalternentur animæ, vt eſt intellectiua; ita vt quæ naturaliter ſubalternabantur illi, prout erat forma, aut naturalis, aut vegetatiua, aut ſenſitiua, iam in agendo ſubalternentur ei, vt eſt intellectiua, ſicut diximus *ſupra lib.4. quæſtione 21. artic. 4. §. ſecundo, num 6*, vbi vide. Quare anima beata, vt eſt intellectiua, habet ex ſua beatitudine, vt intelligẽdo, & volendo moueat: & ad hunc ſenſum facilè intelligitur, quomodo Deus poteſt conſtituere ordinem iſtum inter potentias inferiores corporeas, & ſuperiores intellectiuas: quem ordinem eſſe poſsibilem putat Suarius, quamuis modum poſsibilitatis non explicet. Et hæc pro ſolutione ſecundi argumenti.

§. 5.

Soluuntur duo poſtrema argumenta.

SVpereſt diſſoluere duo argumenta poſtrema. Ad tertium igitur admittimus illam perfectionem dari in corpore glorioſo : reducendam tamen eſſe ad perfectionem ſubtilitatis. 29. Ad 1.

Ad vltimnm communiter reſpondetur ſeptem illa corporis bona ab Anſelmo enumerata coincidere cum quatuor explicatis: pulchritudo enim coincidit cum claritate: ſanitas cum impaſsibilitate, ſimiliter, & voluptas, quia ſit abſque vlla corruptiua paſsione: velocitas idem eſt, quod agilitas: fortitudo, & libertas ad dotem ſubtilitatis reuocantur. 30. Ad 2.

¶ Dici etiam poteſt Diuum Anſelmum referre omnia bona animæ, & corporis; ſiue illa ſint ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis: vel habeant rationem dotis, vel non habeant: vnde non eſt mirum ſi plures perfectiones corporis beati enumeret: nos autem agimus de perfectionibus, quæ rationem dotis poſſunt participare, vt ſuperius aduertimus.

QVÆSTIO VIII.

De ratione dotis in ordine ad quatuor explicatas perfectiones.

ARTICVLVS Vnicus.

An quatuor explicatæ perfectiones habeant rationem dotis?

SOlutio huius difficultatis pendet, & ex ijs, quæ de dotibus animæ diximus 2. tom. lib. 11. Statuenda eſt igitur 1. An habeãt rationẽ dotis?

tur hæc concluſio: *Quatuor perfectiones explicatæ (ſ. impaſsibilitas, claritas, agilitas, & ſubtilitas) habent veram rationem dotis*. Hęc concluſio eſt receptiſsima, & ſatis probatur ex dictis *in dicto lib. 11. vbi q. 2. art. 3. num. 1.* aduertimus omnes admittere non ſolùm dari dotes animæ, ſed etiam corporis: nam cum non ſolùm anima, ſed totus homo vicem ſponſæ gerat: & homo cōſtet anima, & corpore; ad perfectionem ſtatus beatifici ſpectat, vt homo, & ſecundum animam, & ſecundum corpus ſufficientiſsimè dotetur, vt totus homo beatus, & ſecundum animam, & ſecundum corpus ſit ſibi ſufficientiſsimus: vnde Apocalypſ. primo, Sponſa Chriſti poſt reſurrectionem deſcendit tota glorioſa ſcilicet anima, & corpore.

Concluſio affirmatiua

2\. Quod verò quatuor enumeratæ perfectiones habeant veram, & propriam rationem dotis ſatis probat diffinitio dotis in communi poſita in dicta quæſtio. 2. articulo 2. num. 8. *Eſt enim dos gloriæ donum poſitiuum ſupernaturale, & ſolius Patriæ datum ſponſæ ad beatæ vitæ ſufficientiā in beatitudine iugiter perſeuerans*: Sed tota hæc diffinitio propriè conuenit ſingulis explicatis perfectionibus, vt patet, ſi ſingulas partes diffinitionis percurras. Et quoniam propoſita concluſio ſine vlla contradictione ab omnibus recipitur, nō eſt, quod de ea plura dicamus. Ad ſoluendas omnes obiectiones ſatis erunt, quæ de dote animæ diximus in dicto libbro 11. quęſtione 2. art. 3. & 4.

Diffinitio dotis.

Annotatio ad quatuor ſequentes quæſtiones.

3\. ¶ Pro explicatione eorum, quę dicenda ſunt: præmittendum eſt id, quod 2. tomo, lib. 12. quæſtione 9. articulo quinto, §. quinto, numero 25. iam aduertimus beatitudinem eſſentialem habere naturales perfectiones, in quibus beatitudo accidentalis conſiſtit: has autem eſſe in duplici genere ibidem diximus: quædam enim ſunt intrinſecæ, & veluti paſsiones: aliæ verò ſunt accidentales: quarum aliæ ex natura rei comitantur beatitudinem, aliæ verò inſunt non pręciſè ratione beatitudinis, ſed aliunde oriuntur; nimirum ex aliquo titulo, vel dignitate. Quare ad beatitudinem corporis (quæ ad beatitudinem eſſentialem conſequitur) duo perfectionum genera reperiri poſſunt: quia aliæ naturaliter comitantur ipſam corporis beatitudinem, & ideo à Deo illi communicantur, quia beatum eſt: aliæ verò illi dantur, nō præciſe ratione beatitudinis, ſed ob alias rationes. Prioris generis ſunt perfectiones dotium; hæ enim naturaliter debentur corpori beato, ideo, quia beatum eſt. Poſterioris verò generis ſunt aureolæ, dona Spiritus Sancti, fructus beatitudinis, & gratiæ gratis datæ, vt ex dicendis patebit. Oportet igitur, vt de his etiam perfectionibus agamus, vt tota diſputatio de perfectionibus ſupernaturalibus corporis beati completa maneat. Primō igitur loco agemus de aureolis: deinde de donis Spiritus Sancti; Tertio loco de fructibus beatitudinis: poſtremo de gratijs, quæ gratis datæ communiter appellantur.

Annotatio ad dicēda.

QVÆSTIO IX.

De Aureolis.

DE Aureolis ſequentes articulos excitabimus. Primus eſt; quid ſit Aureola? Secundus ad quā nam animæ partem pertineat? Tertius quotuplex ſit? Quartus de Aureola martyrum? Quintus Aureola doctorum: Sextus de Aureola virginum: Septimus; an alijs conueniat Aureola: Octauus, & vltimus; an Aureolę in omnibus beatis ſint æquales? 1.

Articuli explicandiqui agunt deAureolis.

De Aureolis diſputant *D. Thomas in 4. diſtinct. 49. quæſt. 5. art. 5. habetur in additionibus ad tertiam partem q. 96. art. 13. vbi Porrecta, & Pezantius; Richardus in dicta diſtinct. 49. artic. 5. quæſt. 3. Paludanus q. 8. art. 4. Supplementum Gabrielis quæſt. 4. Maior quæſt. 22, Carthuſianus quæſt. 8. Ouandus prop. 27. Sotus q. 5. art. 2. concl. 5. & 6. Altiſiodorenſis in 4. lib. Summæ tract. 7. cap. 6. q. 4. Alenſis 3. p. q. 12. membr. 3. ad 2, & 4. p. q. 86. membr. 3. arti. 4. §. 3. ad primum, D. Bonauent. in centiloquio cap. vltimo, Martinus de Magiſtris in tractat. de fortitudine tit. de Martyrio. & tractatu. de temperantia quæſtione quarta Diuus Antoninus tertia parte titulo 30. capit. 8. Abulenſ. Matth. 17. q. 15.* 2.

Qui agunt deAureolis.

q.15.& q.19.cum ſequentibus, Molina 1.p. q.63.ar.9. Valentia 4.p.diſp.11.q.5.punct. 2.pag.1966. Salas 1.tom.ad 1.2. q.4.art.1. tract.2.diſp.8.ſect.3,pag.449. Viguerius in inſtit. Theologica c.14. §.3.fol.143.col.4. Nicolaus de Nyſſe in ſua reſolutione Theologica tract.7.p.3.port.3.q.7.fol.617.pag. 2. Ioſephus Angles in floribus de Beatitudine art.6.pag.340. Henriquez de vltimo fine hominis cap.37.§.6.cum pleriſque alijs.

2. Aureola vnde dicta. *Exod. 25.* Aduertendum eſt nomen Aureolę deduci ab auro, & eſſe diminutiuum aureę: vtrumque nomen ſumptum eſt ex cap. 25. Exodi; vbi Deus præcepit fieri labiũ aureum ſupra menſam, quam poni iuſsit longitudinis duorum cubitorum; latitudinis autem vnius; altitudinis verò cubiti cum ſemiſſe: ita enim habetur: *Facies illi labium aureum per circuitum, & in ipſo labio coronam interraſilem altam quatuor digitis; & ſuper illam alteram coronam aureolam.* Ex quibus verbis tàm Theologi, quàm ſacræ Scripturę interpretes duplicem coronam deducunt beatis in patria donãdam: vnam auream, alteram aureolam. Per coronam auream intelligunt eſſentialem beatitudinem, qua omnes beati in patria coronantur, iuxta illud Pſal. *Qui coronat te in miſericordia*, & Pſalm. *Pſalmus.* *Gloria, & honore coronaſti eum Domine*: Iacobi 1. *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Per coronãm aureolam, licet lato modo intelligatur omne præmium accidentale, tàm animæ, quàm corporis (omne enim præmium victoriæ habet rationem coronæ:) tamen iam communiter accipitur pro corona parua, quæ ſupra coronam magnam datur in prærogatiuam victoriæ difficillimę: ob excellentiam operis. Quare aureola idẽ eſt, quod coronula aurea: vnde nõ idem eſt, quod laureola, id eſt, corona ex lauro; ſed deducitur à corona aurea per quandam diminutionẽ; quia ſcilicet minor eſt, quàm aurea.

ARTICVLVS I.

3. Quid ſit Aureola? PRæmiſſa nominis etymologia; primus articulus inquirit quidnam ſit aureola? ad quem communi conſenſu omnes reſpondent aureolam eſſe præmium quodam accidentale, ſtabile, & fixum datum beato ex prærogatiua, & excellentia difficillimæ victoriæ, quę in aliquo opere, ob ſpecialem, quam cõiunctam habet, difficultatem reperitur; ratione cuius opus dignum eſt aliquo ſpeciali præmio.

4. 1. opinio. Sed quanuis omnes in hoc conueniãt; non conueniunt tamen, quidnam ſit illud præmium. Nonnulli volunt aureolam nihil aliud eſſe, quam viſionem beatam; non abſolutè (quia vt ſic eſt corona aurea) ſed prout hoc, vel illo titulo datur, v. g. propter martyrium: propter virginitatem: & propter doctrinam. Hæc tamẽ opinio non recipitur, imò reijcitur à *D. Thoma vbi ſuprà*: etenim aureola diſtinguitur ab aurea, tanquam aliquid illi ſuperadditum, vt colligitur ex illis verbis Exodi 25: *Et ſuper illam alteram coronam aureolam*: quæ verba denotant maiorem diſtinctionem inter coronam auream, & coronam aureolam; quam ſit per cõnotationem: vnde omnes docent aureolam realiter diſtingui à beatitudine eſſẽtiali: nam omne præmium accidentale realiter ab ea diſtinguitur, tanquam aliquid illi ſuperadditum. Non admittitur. *Exod. 25.*

5. 2. opinio. Secunda opinio docet aureolam eſſe gaudium proprium, & ſpeciale de victoria inſigni: quæ fuit opinio *D. Thomæ à cæteris communiter recepta.* At tamen aliquibus non placet, inter quos eſt *Salas vbi ſuprà pag.451.col.1.§. Ego autem exiſtimo*: quibus ego ſubſcribo: etenim cum gaudium, ſiue delectatio conſequatur ad amorem boni poſſeſsi, ſi propriè loquendum eſt, non poteſt habere veram rationem præmij: ſiquidem præmium eſt bonum aliquod datum propter meritum. Non placet *Salas.*

6. Vera opin. Puto igitur dicendum eſſe cum illis, qui aureolam ponunt in quodam ſigno, ſiue inſigni in honorem dato ratione ſingularis victoriæ: ſicut enim in republica inſtituta ſunt quædam inſignia honoris, & dignitatis, quibus viri de republica bene meriti ab alijs diſtinguantur (vt patet in ducibus, ſenatoribus, & doctoribus) ita in republica cœleſti inſtituta ſunt quædam inſignia, quibus honorantur, qui in via ſpecialem aliquam victoriam de hoſtibus reportarunt. Quam opinionem, aliud tamen agentes, ſatis probarunt *Richardus, Maior. & alij. quos citauimus*, & inter cæteros eam latè probat *Salas vbi ſuprà, pag.451.col.1.§. Secũdo, qui aureola,* &

& eã ſatis ex Scriptura deducemus, dùm de ſingulis Aureolis dixerimus.

ARTICVLVS II.

7. 2. Art. an ſit in anima, an in corpore? SEcundus articulus inquirit; ad quam nam hominis partem aureola pertineat? an ſcilicet inſit in anima; an vero in corpore? an in vtroque? ad quam quæſtionem quidam reſpõdent aureolam ſolum eſſe in corpore; & inde docẽt beatos non dùm habere aureolas. Sed hæc opinio communi conſenſu reijcitur, vt bene aduertit *Salas vbi ſuprà, pag. 450. col. 2. §. Quidam autem exiſtimant:* eam ſpecialiter reiecit *Abulenſis in d. cap. 17. Matthæi q. 24.* Dicendum eſt igitur Aureolã eſſe tùm in anima, tùm in corpore: principalius tamen eſſe in anima; in corpore autem per quandam redundantiam, quã reſolutionem colliges ex *D. Thoma communiter recepto in 4. diſt. 49. q. 5. art. 4. q. 3.*

1. opinio.

Non placet *Salas.*

Eſt tùm animę, tùm corporis.

D. Thom.

8. Aureola animæ in quo ſubiectatur. Inquiri tamen poteſt; vtrùm aureola, quæ eſt in anima, ſit in eſſentia illius; an in aliqua potentia? & in qua? in intellectu, ne? an in voluntate? quæſtionem diſputat *Salas vbi ſuprà n. 67. pag. 655. col. 2. & poſt longum diſcurſum, pag. 657, col. 1. §. Ex quibus conſtat*, eam ponit in ſolo intellectu, eo ductus fundamento; quia character ſacramentalis in ſolo intellectu ponitur, vt ibidem latè oſtendit. Huic tamen opinioni repugnabunt, qui cum D. Thoma aureolam ponunt in gaudio: gaudium enim eſt actus voluntatis. Ego autem puto eſſe longè probabilius aureolam poni in eſſentia animæ: nam cum ſit quoddam inſigne datum animæ non ad operandum, ſed vt illo ab alijs honoris cauſa diſtinguatur; conſtituenda eſt in ipſa animæ eſſentia, non vero in potentia: cuius oppoſitum reperitur in charactere: datur enim nõn præciſè ad ornamentum, ſed ad aliquam operationem: vnde vel ponendus eſt in aliqua potentia; vel (quod ego verius puto) immediatè in ipſa eſſentia animæ; quia verè eſt potentia ad agendum diſtincta ab intellectu, & voluntate, vt in materia de Sacramentis in genere latiûs diximus.

Opinio Salæ.

Opinio auctoris.

9. Aureola corporis vbi ſubiectetur? Si quis inquirat in qua nam parte corporis aureola collocetur? reſpondebo Theologos in hoc non eſſe concordes: quidam enim volunt aureolam in Doctoribus poni in ore: in virginibus in proprio virginitatis membro: in martyribus denique poni in ipſis cicatricibus, vel in alijs partibus, in quibus paſsi ſunt: ita *Paludanus, D. Antoninus, & Maior vbi ſuprà.* Ego potiùs dicerem cum *Soto in d. q. 5. art. 2. concl. 9. ad finem*, Aureolam ponendam eſſe in capite: quod etiam placuit *Angles in d. art. 6. concl. vltima*: nam cum ſit corporis corona, debetur capiti: caput enim eſt, quod in triumphis coronatur.

1. opinio.

Dicendum eſt cum Soto.

ARTICVLVS III.

10. 3. art. quot ſint Aureolæ? TErtius articulus inquirit quotuplex ſit Aureola? in quo omnes conueniunt aureolas eſſe tres, vt quia triplici tantùm beatorum generi debeantur; ſcilicet Martyribus, Doctorib⁹, & Virginibus: quod enim his dandæ ſint tres iſtæ aureolæ in ſequentibus articulis oſtendemus. Quod verò iſtæ tres tantùm ſint admittẽdæ; probari poteſt; quoniam aureola datur propter ſpecialem victoriam ab hoſtibus ſpecialiter nos infeſtantibus reportatã. Iam verò tres ſunt præcipui hoſtes, qui nos quotidie acerrimè infeſtant. ſ. Mundus, Caro, & Diabulus. De Mundo ſpecialiter tryumphat martyr: de carne mirabiliter triumphat Virgo: de diabulo denique triumphat Doctor, dûm Chriſti oues ſua prædicatione, & doctrina ab illius inſidijs defendit: quæ communis & vera reſolutio etiã confirmatur: quia Chriſtus Dominus coronam habet tribus ordinibus diſtinctã, vt ex *Ioſepho de Antiquitatibus cap. 9.* refert *Ribera lib. 3. de Templo cap. 14. & 15:* quo ſatis ſignificatur Chriſtum ſuam auream coronam eſſentialis beatitudinis tribus iſtis aureolis diſtinguere.

Ioſephus. Ribera.

ARTICVLVS IIII.

11. Articul. 4. de Aureola Martyrum. *Matt. 10.* ARticulus quartus agit de Aureola Martyrum: & quidem quod martyribus debeatur ſpeciale præmiũ, ſatis colligitur ex verbis Chriſti Matth. 10: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo*: qui locus de confeſsione martyrij communiter intelligitur: ſpecialis autem confeſsio ſpecialem denotat honorem, quo martyr coram Deo afficiendus eſt: vnde Apocalypſis

Apoc. 2. lypſis. 2. *Eſto fidelis vſque ad mortem; & dabo tibi coronam vitæ*: licet enim de omnibus fidelibus verba iſta à pleriſque intelligantur; ea tamen explicanda eſſe de Martyribus, ſatis ſuadent verba immediatè antecedentia: *Ecce miſſurus eſt Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decē.* Quæ verba intelliguntur de tribulatione & carcere propter fidem, quare cum immediatè additur: *Eſto fidelis vſque ad mortem, &c.* id ſatis accommodatè intelligi
Apoc. 7. poteſt de Martyribus. Apocalypſ. 7. de ijs, qui lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, id eſt, qui ſanguinem ſuum pro fide Chriſti fuderunt, dicitur: *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & vnde venerunt?* quæ verba ſatis ſignificant Martyres aliquo ſigno ſpeciali à cæteris diſtingui.

ARTICVLVS V.

12. Articul. 5. De aureola Doctorum. DE aureola Doctorum agit articulus quintus, & quidem quod Doctores honorandi ſint aliqua ſpeciali aureola, omnes vnanimiter conueniunt. Satis deducitur ex Daniele 11.
Dan. 11. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, tanquam ſtellæ firmamenti fulgebunt in perpetuas æternitates.* Quem locum eſſe intelligendum de aureola Doctorum multis comprobat Pereira lib 15. in Danielem, & ſatis explicat D. Hieronymus in eodem loco: etenim ille ſpecialis fulgor denotat inſigne aliquod ſpeciale debitum ſolis Docto-
Petr. 1. cano. 5. ribus. Accedat etiam Petrus 1. canonicæ 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei: & cū apparuerit princeps paſtorum percipietis immarceſsibilem gloriæ coronam.* Coronam, inquam, paſtoribus ſpecialiter debitam ratione doctrinæ: vnde Paulus multis in locis diſcipulos appellat ſuam coronam, & gaudium, ad Philip. 4. 2. Theſſalon. 2.

ARTICVLVS VI.

13. Artic. 6. de Aureola virginum. DEnique de corona Virginum agit articulus ſextus, eam Patres cōmuniter deducunt, & cum illis
Apoc. 14. Beda ex verbis Apocalypſ. 14. *Cantabāt canticum nouum: & nemo poterat dicere cāticum, &c.* De hac aureola intelliguntur illa verba in eodem capite: *Habent nomen Agni, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis*: ex quibus locis ſatis conſtat Virgines ſpeciali quodam honore à Deo decorari, & ſpeciali quodam ſigno inſigniri, quod ad aureolam pertinet.

ARTICVLVS VII.

SEptimus articulus inquirit, an alijs etiam debeatur aureola? hæc autem quæſtio de pleriſque poteſt excita- 14. Articul. 7.
ri. Prima quæſtio excitatur de Angelis. 1. quæſtio de Angelis.
Conſtat autem inter omnes in illis non dari aureolas. Nam quod in illis non detur aureola martyrij, aut virginitatis euidenter patet; quia & immortales ſunt, & carnis expertes. De aureola Doctorum poterat eſſe dubium: quoniam & homines docent, & ſuperiores annuntiant inferioribus, quæ à Deo per reuelationem acceperunt: ſed nec iſtam habent; quoniā in via haſce reuelationes non acceperūt, vt eas alijs reuelarent: cum verò iam ſint in patria, per ea, quæ reuelant, & docent, non merentur præmium; & ſubinde nec meriti alicuius coronam. Alias rationes vide apud *Abulenſem Matthæi c. 13. q. 23.* vbi contra nonnullos oppoſitum docentes multis inſurgit: quorum argumenta *Abulenſ.*
nullam vim habent, cum Abulenſi con- *Sotus.*
ſentit *Sotus in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2. concl. 8. cum pleriſque alijs. Satis ſit hanc fuiſſe ſententiam D. Thomæ in 4. diſt. 49. q. 5. art. 4. quæſt. 2.* *D. Thom.*

Secunda quæſtio eſt; an aureola reperiatur in Chriſto Domino? aliquos affirmatiuè reſpondere teſtatur D. Thomas 15. 2. quæſt. an ſit in Chriſto?
in d. art. 4. quæſtiunc. 1. qui docuerunt in Chriſto admittendam eſſe aureolam ſecundum propriam rationem aureolæ. Fundamentum eſt, quia pugnauit; victoriam obtinuit. Ergo obtinuit etiam coronam. ¶ Dicendum tamen eſt in eo propriè non dari aureolam: quamuis enim veriſsimè, & perfectiſsimè fuerit Virgo; Martyr, & Doctor; imò fuerit Virginū decus; robur Martyrum; & lumen omniū Doctorum; tamen præmium accidentale iſtis prærogatiuis correſpōdens, eſt quidem omni aureola præſtantius: non tamen habet veram, & propriam aureolæ *D. Thom.*
rationem, vt docet *D. Thomas in d. art. 4.* *Richard.*
quæſtiunc. 1. & idem docuerunt Richardus *Sotus.*
ibidem ar. 5. q. 5. Sotus q. 5. art. 2. concluſ. 7. *Abulen.*
Abulenſis Matthæi 13. q. 22. Petrus Mora- *Morales.*
les

les lib. 5. de Chriſto, Virgine, & Ioſepho tractatu 11. *concl.* 4. *pag.* 994. *vt innumeros alios omittam.* Ad hanc veritatem confirmandam plura adducuntur fundamenta: nobis tamen hoc ſit vnicum: quia Chriſtus victoriam non eſt adeptus tanquam miles ad imitationem alterius pugnans; ſed tanquam dux, ad cuius imitationem cæteri victoriam reportarunt: vide D. Thomam, & Sotum. Quare in Chriſto non reperitur aureola; ſed aliquid longè præſtantius, quam ſit aureola. Nec diſplicet quod aduertit Salas vbi ſuprà. pagina 458. col. 1. in Chriſti corpore, & anima impreſſas eſſe notas, & inſignia aliqua; quibus omnes cognoſcunt eum verum eſſe regem, verum ducem, & verum humani generis redemptorem.

Fundamentum.

16. Accedat tertia quæſtio; an in Virgine Deipara detur aureola? quod in ea aureolæ ſint admittendæ; indubitata eſt ſententia: ita docent *Carthuſianus in opuſculo de laudibus Virginis art. vltimo, vbi id ex profeſſo docet, de quo etiam Supplementum Gabrielis in* 4. *diſt.* 49. *q.* 4. *art.* 3. *dub.* 2. *& Martinus de Magiſtris de temperantia q.* 4. §. *Quæritur, & Suarius tom.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 2. *ſect.* 4. *& Salas loco citato n.* 75. *pag.* 458. *col.* 1. §. *In beata autẽ Virgine, Petrus Morales vbi ſuprà concl.* 5: & quidem quod illa habeat præſtantiſsimam virginitatis aureolam apud omnes Catholicos eſt indubitatum. Quod etiam habeat aureolam doctoris, eſt etiam tenẽdum: etenim fuit Apoſtolorum magiſtra ex *Beda in quadã hac de re homilia, Bernardo homilia ante octauam Epiphaniæ, Anſelmo in homilia de excellentijs Virginis.* An verò habeat coronam Martyrum? non ita eſt certum. Quidam affirmant: alij negant, ſi propriè de aureola loquendum eſt: cuius quæſtionis reſolutionem reſeruamus ad noſtrũ librum de Sanctificatione Virginis, quẽ in lucem cito proditurum ſperamus. Vide interim *Suarium* 2. *tom. in* 3. *p. diſp.* 2. *ſect.* 4. *Salam* 1. *tom. ad* 1. 2. *q.* 4. *art.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 8. *ſect.* 4. *pag.* 458. *col.* 1. *& latiſsimè Petrum Moralem vbi ſuprà tract.* 5. *pagina* 709. *Richardum in* 3. *diſt.* 33. *art.* 4. *q.* 6. *ad* 5. *D. Thomam in* 4. *diſt.* 49. *q.* 5. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 4. *&* 2. 2. *q.* 124. *ar.* 4. *ad* 1. *Maiorem in* 4. *diſt.* 42. *q.* 24. *Paludanum ibidem q.* 8. *concl.* 4. *Sotum q.* 5. *ar.* 2. *Abulenſem in Matthæũ c.* 13. *q.* 20. *Viguerium de inſtitutione Theologica c.* 14. §. 3. *verſ.* 2. Cum verò omnium conſenſu fuerit pluſquam martyr, non eſt negandum eam habere plura inſignia, tàm in anima, quàm in corpore, quibus cognoſcatur vera Dei Mater, & Regina cœli; vt benè aduertit Salas vbi ſuprà. Sed de his omnibus latè dicemus, Deo volente, in d. lib. de Sanctificatione Virginis.

3. quæſtio de Virgine. Carthuſia. Supplem. Martinus. Suarius. Salas. Petr. Morales. Beda. Bernard. Anſelm. Suar. Salas. Morales. Richard. D. Thom. Maior. Paludan. Sotus. Abulen. Viguerius.

ARTICVLVS VIII.

Octauus & vltimus articulus inquirit; an aureolæ in omnibus beatis ſint æquales? In qua quæſtione omnes conueniunt tres iſtas aureolas inter ſe comparatas nõ eſſe æquales; quæ verò illarum ſit præſtantior? non omnes conſentiunt: aliqui volunt aureolam Virginum cæteris præſtare; alij docent Martyrum aureolam præſtantiorem eſſe: denique alij aureolæ Doctorum dant primum locum, vt videre eſt apud *Abulenſem in cap.* 13. *Matthæi q.* 26. 17.

Artic. 8. An omnes ſint æquales? Abulen.

Hæc controuerſia facilè diſſoluetur, ſi aduertamus aureolas iſtas tribus modis poſſe inter ſe comparari. Vno modo ex parte obiectorum: ſecundo modo ex parte pugnæ: tertio denique ex parte operis, cui aureola debetur. ¶ Sit prima concluſio: *Si comparatio fiat ex parte obiecti, aureola Doctorum eſt præſtantior*: probatur; quia pugna Doctorum verſatur circa res intelligibiles, nimirum circa inſtructionem proximorum, tàm circa fidem, quàm circa mores; cum tamen pugna in alijs ſit circa paſsiones ſenſibiles vtriuſq; appetitus. Ob quam rationem in ſacris literis mira ponuntur Doctorum encomia, vt patet Danielis 12: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos; quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Iſaiæ 22: *Quam pulchri ſunt pedes annuntiantes, & prædicantes pacem.* Ad Roman. 10. *Quam pulchri ſunt pedes euangilizantium pacem, euangelizantium bona.* 18.

Prima concluſio. Dan. 12. Iſai. 22. Ad Rom. 10.

Secunda concluſio: *Si comparatio fiat ex parte pugnæ, Martyrum aureola cæteris antecedit, ſi ſpectanda ſit pugnæ difficultas: ſi verò pugnæ diuturnitas; aureola Virginum alijs præſtat.* Prima pars nota eſt, quia certamen Martyris ex ſuo genere eſt difficilius. Patet etiã pars ſecunda; quia pugna 19.

2. concluſ.

carnis

carnis diuturnior eſt: cum enim caro ſit nobis coniunctior, & nos ſemper comitetur, frequentius eius tentationibus cõflictamur: ob quam rationem virgines
Apoc.14. *Apocalypſ. 14. ſequuntur agnum, quocunque ierit: & cantant canticum nouum: quem nullus alius cantare poteſt.*

20. 3. concl. Tertia concluſio: *Si fiat comparatio ratione operis, cui aureola debetur; primum locum obtinet aureola Martyris.* Probatur; quia actus martyrij imperatur à charitate, virtute omnium præſtantiſsima: vnde
Ioan.15. Ioannis 15. dicitur: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Secundum locum obtinebit aureola Doctorum: etenim excellentius bonum eſt cooperari Deo ad opus iuſtificationis, quam virginitatem ſeruare. Vltimum locum obtinet Virginum aureola: vnde Eccleſia hunc ordinem ſeruat, dùm in litanijs Martyres Doctoribus, Doctores Virginibus anteponit.

21. De per accidens nobilior poteſt eſſe inferior. Hæc intellige, ſi aureolæ in ſuo genere inter ſe comparentur: nam ſi ex aliquibus circunſtantijs res iſta veluti per accidens conſideretur; tantum poterit Doctor ad ſalutem iuuare, vt eius aureola præſtet aureolis multorum Martyrum: nec enim dubitari poteſt aureolas Pauli Doctoris gentium, cæterorumque Apoſtolorum, & Euangeliſtarum longê ſuperare aureolas reliquorum Martyrũ: vnde Eccleſia doctoratum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum reliquorum Martyrum aureolis anteponit: imò in ſingulis Apoſtolis, & Euangeliſtis aureola doctoratus præſtantior eſt, quàm proprij martyrij.

22. Quid ſi aureolæ eiuſdem ſpeciei inter ſe cõparentur? ¶ Hæc diximus comparando inter ſe aureolas, vt genere ad inuicem diſtinguũtur: ſi verò aureolæ eiuſdem generis comparentur in ordine ad diuerſos aureatos; non eſt dubium, quin aureola martyrij præſtantior ſit in vno Martyre, quàm in alio, & idem dicendum eſt de Doctorib⁹ & Virginibus: etenim victoriæ horum poſſunt illuſtriores, & difficilliores, quam ſint victoriæ aliorum: iam verò vbi victoria eſt illuſtrior, illuſtrior debet eſſe aureola.

23. Aureolę nõ menſurantur ex beatitudine. Aduertendum eſt etiam aureolam cuiuſcunque aureati non eſſe mẽſurandam ex beatitudine cuiuſque; ita vt qui æquales habent aureolas, æquales ſint in beatitudine; aut è contrario: nam beatitudo metienda eſt ex charitate; aureola verò ex genere actus: fieri autem poteſt, vt ex duobus Martyribus, qui eſt minoris charitatis æquales, aut maiores cruciatus ſuſtineat: quare iſtius aurea erit inferior; aureola verò erit vel æqualis, vel maior. Idem dicendum eſt de Doctoribus, & Virginibus. De his omnibus vide Abulenſem in d.q.26. & 27.

QVÆSTIO X.

De Donis Spiritus Sancti.

IVXTA ordinem ſuperiùs ſtatutũ poſt Aureolas diſputandum eſt de donis Spiritus Sancti: de quibus tria ſunt inquirenda. 1. Articuli explicandi. Primum eſt quid ſit donum Spiritus Sancti? quot? & quæ ſint? Secundum; vtrùm illa dona maneãt in patria? Tertium denique; vtrùm in beatis maneat donum timoris? De donis Spiritus Sancti diſputat *D. Thomas 1.2.q.68. & in 3.diſt.44. vbi cæteri Theologi.* D. Thom. Ad noſtrum inſtitutum ſolûm pertinet inquirere, an illa dona maneant in patria? quia tamen id explicari non poteſt, niſi ſupponamus, quid ſit donum Spiritus Sancti? quot illa ſint? & quæ? ideo præmiſsimus primum articulum, in quo iſta inquiruntur.

ARTICVLVS I.

Quid ſit donum Spiritus Sancti? quot? & quæ ſint?

QVod attinet ad primum articulũ, 2. Quid ſit donum Spiritus ſancti? dicimus donum Spiritus ſancti, vt in ſacris literis accipitur, nihil aliud eſſe, quam quoddã ſpirituale ornamentum, ſiue habitum, quo potentiæ afficiuntur, vt homo bene ſequatur inſtinctum Spiritus ſancti in ordine ad actiones heroicas. Quam diffinitionem ſuppônimus ex ijs, quæ Theologi docent in diſputatione horum donorum: omnes enim ſi bene expendantur in data diffinitione doni conueniunt.

Dona Spiritus ſancti eſſe ſeptem iam non dubitatur: ſeptemnarius enim iſte colligitur ex verbis Iſaiæ 11 *Et reviescet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus: ſpiritus cõſilij, & fortitudinis: ſpiritus ſcientiæ,* 3. Sunt 7. Iſai. 11.

&

& pietatis: & replebit eum Dominus ſpiritu timoris Dei. Ex quibus verbis D. Thom. & cæteri omnes colligunt ſeptem dona Spiritus ſancti. ſ. intellectum, ſapiẽtiam, ſcientiam, conſilium, pietatem, fortitudinem, & timorem: quorũ priora quatuor pertinent ad potentiam intellectiuam. ſ. intellectus, ſapientia, ſcientia, & conſiliũ: tria verò poſteriora (. ſ. timor, pietas, & fortitudo) ad voluntatem ſpectant. De ſufficientia huius ſeptennarij egit *D. Thomas in d. q. 68. ar. 4. & in 3. diſt. 34. q. 1. ar. 2. & alijs in locis*: ſed quia hoc ad noſtrũ inſtitutum non pertinet, ideò ab hoc labore ſuperſedemus: vide *Valentiam 2. to. diſp. 5. q. 8. punct. 2. pag. 505.* ſatis nobis eſt communem Eccleſię conſenſum ſeptem iſta explicata dona admittere. Ea eſſe quoſdam habitus, quibus homo diſponitur ad ſequendum Spiritus ſancti inſtinctũ, omnes docẽt cũ *D. Th. in d. q. 68. a. 3.*

D. Thom. Valentia.

3. An diſtinguantur à virtutibus?

Vtrùm vero ſeptem iſta dona diſtinguantur à virtutibus infuſis, quę circa eadem obiecta verſantur; quæſtio eſt inter doctores dubitata: quidam negant: alij affirmant: alij vtraque partem defendunt.

Qui negãt *Scotus. Gabr. Altiſiodo. Almain. Bellomon.*

Negantem partem ſequũtur *Scotus in 3. diſt. 34 q. vnic. §. Ad iſtam quæſtionem, Gabriel q. vnic. ar. 2. concl. 1. Altiſſidorenſis lib. 4 ſummæ tract. 8. q. 1. Almainus in moralib. tract. 3. c. 13. vt probabilẽ defendit Bellom. 1. 2. diſp. 89. cap. 2. n. 6. cum nonnullis alijs.* Partem affirmantem probarunt *D. Thomas 1. 2. q. 68. ar. 1. vbi Caietanus, Cõradus, & Medina, idem D. Thom. in 3. diſt. 34. q. 1. ar. 1. D. Bonau. ibidem in 1. p. art. 1. q. 1. Richard. art. 1. q. 1. & 3. Henric. quodlib. 4. q. 33. iterum Medina 3. p. q. 7. ar. 1. Suarius ibidem diſp. 20. in princip. Valentia vbi ſuprà punct. 1. § Eſt igitur alia ſententia, pag. 502 503. 504.* hanc ſententiam eſſe probabiliorem putat *Durand. in 3. diſt. 34. q. 1.* Pro vtraque parte quæſtionẽ defendit *Salas in 2. to. ad 1. 2. tract. 12. ſect. 1. pag. 291. cũ pleriſq. alijs.* Sed nos opinionẽ affirmatiuã vt longè veriorẽ probauimus 2. to. lib. 11 q. 8. ar. 12. n. 8. & nunc eam iterum probamus cum ſit inter recentiores receptiſſima. In hoc igitur dona iſta diſtinguũtur à virtutibus; quia licet virtutes abſolutè poſsint attingere obiecta: nõ tamẽ ea poſſunt a[t]tingere modo quodã excellẽti, & ſuperhumano, cum ea non attingant, ex ſpeciali Sancti ſpiritus motione, & inſtinctu. Ratione cuius dicuntur eſſe dona Spiritus ſancti. Vide quæ diximus in d. art. 12. n. 3.

Affirmatiua. *D. Thom. Caiet. Conrad. Medina. D. Bonau. Richard. Henric. Suar. Durand. Salas vtraque defendit.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm dona iſta maneant in patria?

1. An maneãt in patria?

Quæſtionem iſtam excitauimus 2. tom. lib. 11. q. 8. ar. 12. vbi quęſtionem ſolùm reſoluimus de donis, quæ ad intellectũ pertinent. ſ. de ſapientia, intellectu, ſcientia, & conſilio: de his autẽ quæ ad volũtatem pertinent (de pietate: ſ. fortitudine, & timore) nihil diximus, ſed hanc reſolutionẽ ad hũc locũ reſeruauimus. In hoc art. dicemus de donis pietatis, & fortitudinis, in 3. de dono timoris. ¶ Pietatis donum manere in patria tàm quoad habitũ, quam quoad actũ, *omnes docent; ita D. Thomas 2. 2. q. 121. ar. 1. & 1. 2. q. 68. ar. 6. ad 2. Viguerius in inſti. Theolog. c. 13. §. 6. fol. 138. pag. 2. & Salas 2. to. in 1. 2. tract. 12. ſect. 2. pag. 296. col. 1.* & ſatis probant, qui generaliter docent omnia ſeptem dona Spiritus ſancti manere in beatis: ita *D. Thomas in d. q. 68. ar. 6. & in 3. diſt. 34. q. 1. art. 3. vbi Magiſter cum cæteris, & Ouandus prop. 3. Salas vbi ſuprà ſect. 8.*

2. An donum pietatis maneat? *D. Thom. Viguerius Salas.*

D. Thom. Magiſt. Ouand. Salas.

Poteſt hoc generaliter confirmari teſtimonio D. Ambroſij ad Pſal. 45. ad illa verba *Fluminis impetus*, cuius verba adduximus *2. to. lib. 11. q. 8. ar. 12. n. 6.* Adduci etiã poſſunt omnes rationes, quibus in d. art. 12. cõfirmauimus in beatis manere dona Spiritus ſancti, quæ ad intellectum pertinent: ſed in proprijs terminis euidẽter confirmabitur, ſi expendamus pietatem, vt eſt donũ, eſſe habitualẽ quandam animæ diſpoſitionẽ, qua prompte eſt mobilis à Spiritu ſancto ad habẽdum affectũ filialem ad Deum, vt ad patrem, vt dicet *D. Thomas 2. 2. q. 121. art. 1. & ſatis in 3. d. 9. q. 1. quæſtiunc. 1. ad 4.* in quo omnes cõueniunt: pietas enim propriè reſpicit cultũ Dei, vt oſtendit Auguſt. 14. *de Trinitate c. 1.* vnde ad donũ pietatis pertinet cultum exhibere Deo, & ijs, qui ſunt Deo propinqui; vnde ad eam pertinet ſimul cũ Deo honorare Angelos, & Sãctos, vt eſt cõmunis doctrina. Quis autẽ dubitabit beatos in patria & Deũ ſummè colere vt Patrẽ, & mutuo ſe honorare, quatenus ſunt Deo amici, & propinqui: qui actus

3. Confirmatur ex Ambroſio.

Alia confirmatio.

D. Thom.

Auguſt.

actus perpetuo in patria permanebunt etiam poſt reſurrectionem; ante eam beati per hoc pietatis donum miſerabuntur eorum, qui in via in ſtatu miſeriæ exiſtunt, vt docuit D. Thomas in d. q. 121. & Viguerius vbi ſuprà.

4. An maneat donum fortitudinis? D. Thom. Gregor. Donum fortitudinis etiam manere in patria fatentur omnes, & ſatis ſit *D. Thomam hoc docuiſſe 2. 2. q. 139. art. 1. ad 2. & 1. 2. q. 68. art. 6. ad 2. vbi id confirmat ex verbis D. Gregorij 1. Moral. cap. 32. & 36.* dum ait, *fortitudinem non ſolùm aduerſa non metuere, ſed confidentia cibos apponere* prius ad præſentem pertinet ſtatum: poſterius ad futurum in patria: nam ad donum fortitudinis pertinet frui Deo in patria plena ſecuritate à laboribus, & malis, & hic eſt cibus confidentiæ, de quo agit Gregorius: & hæc ad noſtrum inſtitutum de fortitudine dixiſſe ſatis ſit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in beatis admittendum ſit donum timoris?

§. 1.

Explicatur ſtatus quæſtionis.

1. De dono timoris. Timor filialis pertinet ad donum timoris. D. Thom. PRO explicatione præmittendum eſt in hac diſputatione ſolùm agi de dono timoris: ad quod ſolum pertinet timor filialis, & caſtus, vt docet *D. Thomas ſecunda ſecundæ q. 19. art. 9. & in 3. diſt. 34. q. 2. art. 1. q. 3. in quo ab omnibus recipitur.* Quare ab hac quæſtione excludendus eſt timor humanus, ſiue mundanus, ſimiliter & ſeruilis, vt idem D. Thomas aduertit: vnde neutrum futurum eſſe in patria diximus ſuprà lib. 4. quæſt. 16. art. 3. n. 13. & 14. Quare quæ de timore filiali, & caſto dicuntur, ſimul etiam dicuntur de dono timoris.

2. Manet quo ad habitũ. Præmittendum ſecundò apud omnes indubitatum eſſe timorem Domini ſanctum (& ſubinde donum timoris) manere in patria quoad habitum: nam in ea manent habitus virtutum. Tota igitur difficultas, & controuerſia in eo eſt poſita, an in patria futurus ſit actus timoris filialis, ſancti, & caſti? & quomodo? nam ſi iſti permanent in patria, vt ſunt à charitate; vtique permanebunt, vt ſunt à dono timoris. Quidam putant ſimpliciter concedendum eſſe timorem Dei ſanctum, & filialem futurum eſſe in patria: fundamentum eſt; quia id ex ſacris literis colligitur; vnde putant hoc eſſe de fide. Alij ſimpliciter negant vllum actum timoris, etiam caſti, & ſancti, dandum eſſe in beatis; & ideò negabunt oppoſitum eſſe de fide: fundamentum eſt; quoniam timor ſanctus ſolùm dicit timorem culpæ: ſolus enim iſte eſt actus timoris: cum verò timor culpæ non ſit futurus in patria, nec in ea futurus erit timor ſanctus; & per conſequens, nec ibi erit futurus actus doni timoris. Tertio loco occurrunt alij veluti media incedentes via; qui in dono timoris, & in timore ſancto duplicem actum diſtinguunt: vnũ reuerentiæ Dei propter eius excellentiam, eminentiam, & maieſtatem: alterum ſeparationis à Deo per culpam: inquiunt igitur hunc poſteriorem actum non manere in patria: manere tamen priorem: & iſto modo veluti conciliant oppoſitas ſententias. Non deſunt quarto loco, qui cum prima opinione velint vtrumque explicatum actum verè, & propriè permanſurum. Variæ ſententiæ.

3. Ordo dicẽdorum. Hæc ſummatim diximus: vt in ipſo diſputationis limine ſtatim appareat, in quo nam poſita ſit difficultas? quia verò illius reſolutio aliquarum quæſtionum reſolutionem poſtulat; ideò illas prius explicabimus, vt tandem quæſtionem propoſitam ſimpliciter reſoluamus. Hoc igitur ordine procedemus: primò explicabitur, vtrùm hæc propoſitio *Timor Dei ſanctus futurus eſt in patria* ſimpliciter prolata ſit de fide? ex qua patebit; an hæc ſit de fide: *Donum timoris quoad actum manet in beatis.* Deinde explicandum eſt; an timor filialis, & ſanctus (& ſubinde donum timoris) duplicem actum includat: vnum reuerentiæ erga Deum, alterum timoris culpæ? Tertio loco explicabitur; vtrùm actus ille reuerentialis veram habeat rationem timoris? an verò dicatur timor, quia reſultat ex timore, vel timor ex illo? Quarto loco expendetur; an timor culpæ (qui eſt verus actus doni timoris, & timoris filialis, & caſti) maneat in patria? & quomodo? vltimo tandem loco ponetur vera difficultatis reſolutio, & diſſoluentur argumenta in oppoſitum.

§. 2.

An hæc propoſitio Timor caſtus manet in patria *ſimpliciter prolata ſit de fide?*

4. An ſit de fide quod maneat? Affirmant Suarius, & Valentia. AD hanc difficultatem affirmatiuè reſpondet *Suarius* 1. *to. ad* 3. *p. diſp.* 20. *ſect.* 2. §. *Vltimo de timore*: ad cuius opinionem proximè accedit *Valent. tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 5. *pag.* 508. *B.* vbi docet propoſitionem illam ita eſſe certã, vt oppoſita ſit erronea. Hanc ſententiam Suarius primò confirmat; quia oppoſita
1. confirm. ſententia inter hæreſes Petri Abailardi enumeratur, vt patet ex D. Bernardo epiſt. 190. & Caſtro lib. 4. aduerſus hæreſes verbo Chriſtus, hæreſi 9. & Nicolao Sandero lib. 7. de viſibili monarchia hæreſi 146.

5. 2. confirm. Deinde; quia oppoſita propoſitio: *Timor caſtus non erit in futuro ſæculo* contra eundem Abailardum tanquam hæretica damnata eſt ab Innocent. 3. in epiſt. quæ inter epiſtolas D. Bernardi eſt 194.

6. Tertia. Tertiò; quia id expreſſè deducitur ex Pſalm. 18. *Timor Domini ſanctus permanẽs in ſæculum ſæculi.* Apocalypſ. 15. *Quis non timebit te Domine? & magnificabit nomen tuum*: quæ verba ſunt beatorum exiſtentium in patria. Iob. 26. *Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.* Ierem. 10. *Quis non timebit te ô Rex gentium.*

7. Quarta. Quartò; quia id docent Patres: nam Gregor. 17. Moralium c. 15. explicans locum citatum Iob ita ſcribit: *Ipſæ virtutes cœleſtiũ, quæ Deũ ſine ceſſatione conſpiciũt, in ipſa contemplatione contremiſcunt.*

8. Quinta. Quintò; quia timor iſte oritur ex charitate: ideo enim dicitur filialis, & ſanctus: *Charitas autem nunquam excidit.* 1. Corint. 13.

9. Sexta. Sextò; certũ eſt de fide timorem filialẽ, & ſanctum fuiſſe in Chriſto, etiam quoad actum: iuxta illud Iſaiæ 11. *Replebit eum ſpiritu timoris Domini.* Cur igitur nõ erit in beatis?

10. Septima. Poſtremò; in beatis permanebit filialis reuerentia erga diuinam maieſtatem, & eminentiam, & quædam admiratio diuinæ incomprehenſibilitatis, vt omnes Patres agnoſcunt.

11. Non eſt de fide. ¶ His tamen non obſtantibus, ego puto propoſitionem illam ita ſimpliciter prolatam non eſſe de fide: in quo autẽ ſenſu vera ſit, inferiùs explicabimus. Hanc ſententiam inde primò confirmo; quia vno 1. ratio.
excepto Suario, & altero Valentia nemi nem inueni, qui aſſerat eam eſſe de fide; aut erroneam: etenim D. Thomas, & antiqui Theologi; licet eam affirment; non tamen eam faciunt Catholicam. Ex modernis verò *Medina* 1. 2. *q.* 42. *q. vltima commenti* ſolùm aſſerit eam habendã eſſe Medina.
pro certa, nec aliqua cenſura eam notat. Caſtro verò, & Sanderus, quos Suarius citat, non loquuntur de beatis, ſed ſolùm de Chriſto, in quo diſpar eſt ratio, vt videbimus. 12.

Deinde confirmatur; quia oppoſita 2. ratio.
propoſitio expreſſè aſſeritur à Gilberto Gilbertus
Abbate ſerm. 19. inter opera D. Bernar- Abbas.
di, vbi expreſſis verbis ſimpliciter affirmat *timorem caſtum non permanere in ſæculum ſæculi.* Auguſtinus etiam 14. de Ciuitate Dei c. 9. de hoc diſputans dubius manet, & magis inclinat in partem, quæ negat timorem ſanctum permanere in vita Auguſt.
beata, ita enim ſcribit: *Timor ille caſtus permanens in ſæculum ſæ culi, ſi erit in futuro ſæculo, &c.* Ecce dubitantèr loquitur. Deinde clariùs: *Si nullius generis timor eſſe poterit in illa certiſsima ſecuritate perpetuorum gaudiorũ, ſic dictũ eſt; timor caſtus permanens in ſæculum ſæculi, quemadmodum dictum eſt; patientia pauperum non peribit in æternum: nec enim æterna erit patientia, quæ neceſſaria non eſt, niſi vbi toleranda ſunt mala; ſed æternum erit, quo per patientiam peruenitur; ita fortaſſe timor caſtus in ſæculum ſæculi dictus eſt permanere, quia id permanebit, quo timor ipſe perducit. Quæ cum ita ſint, quã recta vita dicenda eſt, qua perueniendũ ſit ad beatã: omnes effectus iſtos vita recta rectos habet: peruerſa peruerſos: beata verò vita, eadẽq; æterna amorẽ habebit, & gaudium; non ſolùm rectũ, ſed & certum: timorem verò & dolorem nullũ.* Hæc Aug. Ex quibus 13. Mens Aug.
patet eũ non modo fuiſſe dubiũ, an timor ſanctus quoad actũ debeat in beatitudine permanere; ſed in eã ſententiã inclinare, quam vltimo loco refert, quæ nullum timoris actũ admittit; vt patet ex illis verbis, quibus ſuam mentẽ explicat: *quæ cum ita ſint, &c.* quæ verba ſatis cõuincunt eã illius fuiſſe opinionẽ. Nec ſatis accõmodatè illũ explicabis, vt intelligatur de amore caſto, prout affligit animã; & proinde eum nõ negare manere in patria ſine vlla afflictione: etenim Auguſt. abſolutè agit de

de timore caſto,& filiali; & hunc abſolutè negat futurum eſſe in patria. Quæ Auguſtini ſententia ſatis eſſe debet, vt dicamus propoſitionem illam ſimpliciter prolatam non eſſe contra fidem. Quomodo enim Auguſtinus ſimpliciter aſſereret ꝓpoſitionē, quam fides abſolutè damnat?

14. 3. ratio. Durand. Accedit tertiò; quoniã *Durand. in 3. d. 34. q. 3. n. 5.* docet donũ timoris Dei (quod timorem filialē includit) manere quidem in patria quoad habitũ; non tamen quoad actum; idque ex defectu materiæ: quam ſententiam non ſolùm nullus damnauit; ſed plerique eam probare videntur, ſi ſermo ſit de actu abſoluto timoris ſancti: inter quos enumerandus eſt *Capreol. in 3. diſt. 34. q. vnic. ad finem.* Capreol.

15. 4. ratio. Adde quartò: quoniã timor caſtus abſolutè prolatus ſumēdus eſt pro timore, quo veram & propriam rationē timoris includit: verba enim abſolutè prolata intelligenda ſunt in propria ſignificatione, vt cõmunis habet doctrina, ſed de ratione intrinſeca timoris eſt, vt includat nõ ſolũ poſsibilitatem mali, ſed probabilem illius futuritionem, vt inferius dicemus, & iam latè oſtendimus *ſuprà lib. 4. q. 16. ar. 3. §. 4 & 5.* Iam verò in patria nullum talem timorē futurum eſſe, non ſolùm cõmunis docet Theologia, ſed etiam fides: etenim beati certi ſunt quod nullum eis malum eueniet. Ergo ꝓpoſitio iſta; *Timor caſtus manet in patria* abſolutè eſt negãda, aut ſaltē explicãda in ſēſu vero, de quo inferiꝰ.

16. Poſtrema ratio. Poſtremò illa propoſitio nec ex ſacris literis deducitur; nec ex aliqua definitione Eccleſiæ; nec ex vnanimi Patrum cõſenſu, denique nulla ratione Theologica conuincitur eſſe de fide, vt patebit ex ſolutionibus argumentorum.

17. Ad 1. ¶ Ad primũ igitur Suarij fundamentum iam patet ſolutio: quoniam tàm Caſtro, quàm Sanderus ſolùm agit de Chriſto, nõ verò de beatis, in quo diſpar eſt ratio, vt inferiùs oſtendemus. Porrò D. Bernardus refert quidem oppoſitam propoſitionem inter aliquot Abailardi propoſitiones, quas non probat: at tamen conſtat non omnes propoſitiones ibi relatas eſſe hæreticas; & ideò eas veluti per tranſitũ retulit: vt omittamus in oppoſita ſententiã eſſe Auguſtinum, & Gilbertum Abbatem eiuſdem D. Bernardi diſcipulum.

18. Ad 2. Ad 2. dicimus non conſtare propoſitionem negantem eſſe damnatam ab Innocētio tertio: etenim in epiſt. 194. apud Bernardum ſolùm damnauit certa quædam capitula, & præuerſa quædã dogmata Abailard. à D. Bernardo ad eũ diſtinata; quæ tñ in d. epiſt. nõ exprimuntur: nec conſtat inter illa dogmata, & capitula cõtineri hanc propoſitionem: *Timor Domini caſtus non erit in futuro ſæculo*: quin potiùs longè eſt probabilius eam inter alia dogmata nõ fuiſſe ſcriptam, ſi expendamus, quę ſcribit D. *Bernardus in epiſt. 189.* cum qua ſimul remiſit dogmata damnanda: & ſatis eſt probabile à Bernardo ad Innocentium ſola illa dogmata remiſſa fuiſſe, de quibus futura erat cum hæreticis publica diſputatio coram rege, & electis iudicibus; & quæ omnium iudicum cenſura damnanda erant, tanquam fidei contraria: & fortè erant ſola illa, contra quæ D. Bernardus in epiſt. 190. latiſsimè ſcribit: eſt enim ſatis probabile D. Bernardũ eam diſputationem ad Summum Pontificem miſiſſe, quam cum hæreticis erat initurus. Cum igitur non cõſtet de damnatione illius propoſitionis facta per Innocentium, nõ eſt cur illa hæreſeos damnetur; cum & Auguſtino, & Gilberto probata ſit, & probari debet, ſi propriè de timore loquendum eſt, vt patebit. D. Bern.

Ad 3. reſpondet Auguſtinus loco citato propoſitionem illam non neceſſariò deduci ex verbis Pſalm. 18. quoniam, vt ait Auguſtinus, ita pòſſunt explicari, vt timor ſanctus dicatur in ſæculum ſæculi permanere, quia in ſæculũ ſæculi permanet vita beata, ad quam timor ſanctus perducit: ad eum modũ, quo patientia pauperũ dicitur in æternũ non peritura; quia. ſ. beatitudo, quã operatur, debet in æternũ permanere. Quare timor ſanctus non in ſe ipſo formaliter, ſed in ſuo effectu. & fructu permanebit in ſæculum ſæculi. Quæ explicatio ſatis eſt accõmodata literæ: vt omittamus verba illa à Lyra in eodē Pſalmo explicari non de timore caſto, ſed de ſeruili, quo filij Iſrael acceperunt legem in monte Sinai, cuius memoria in filijs Iſrael perpetuo manſit. ¶ Porrò verba Apoc. 15. nõ ſunt Eccleſiæ triumphãtis, ſed militãtis, quæ Deũ laudat ob victorias à ſanctis de perſecutoribus reportatas, vt patet ex litera, & ex Aug. homil. 12. in Apocal. & exponit Lyra in eodem loco. 19. Ad 3. Pſal. 18. 20.

21. Iob.26. ¶Ad locũ Iob.26.facilis eſt ſolutio,ſi per colũnas cœli intelligamus mõtes altos, vt intelligit Caietanus ibidẽ:qui ad Dei imperiũ cõmoueantur,& tremũt,& pauent ad illius nutũ : metaphora ſumpta ab hominibus. Et idẽ dices,ſi per colũnas cœli cũ noſtro Didaco de Sthunica ibidem intelligas ipſa cœleſtia corpora,quæ ad nutum Dei tremefiunt,&cõmouentur.Sed neque oberit locus,ſi cũ Gloſſa ordinaria & interliniari per colũnas cœli intelligãtur Prælati Eccleſiæ.Porrò ſi per illas intelligas Angelos beatos cum D.Thoma, Lyra,& alijs, imò cũ D. Gregorio,locus eſt intelligendus de timore reuerentiali, qui propriè non eſt timor,ſed lato modo, vt dicemus,& eodẽ modo explicãdus eſt

22. Ad 4. locus Ieremiæ. ¶Ad 4.eodem modo reſpondemus : quoniam D. Gregorius agit de timore reuerẽtiali,quẽ inferiùs in beatis admittemus,cum non ſit verus timor.

23. Ad 5. Ad 5. eodem modo dicimus : nam in patria ex charitate ſolus timor reuerẽtialis oriri poteſt: quẽ in beatis admittimus: non tamen timorem propriè ſumptum.

24. Ad 6. Ad 6.reſpõderi poteſt verba illa Iſaiæ intelligenda eſſe de ſpiritu doni timoris, de quo ſolùm agit:donum autem timoris quoad aliquem actũ ſibi proprium, nẽpè quoad actũ reuerentiæ, fuiſſe in Chriſto, tanquam de fide admittimus : nam & in beatis etiam eſt futurus: negamus tamen eſſe de fide fuiſſe in Chriſto actũ timoris ſancti,& filialis,qui ad culpam,& ſeparationem à Deo terminatur:nulla enim ratione Chriſtus culpam aut timuit, aut timere potuit,tanquam illi ſimpliciter impoſsibilẽ: idq; ſi propriè de timore loquẽdum ſit, ſicut de beatis inferiùs dicemus.

25. Ad 7. Ad 7.& poſtremum ex dictis patet ſolutio:admittimus enim certũ eſſe de fide in beatis manere reuerentiam filialem,& ſanctam:nõ eſt tamen de fide illam reuerentiam ad timorẽ filialem intrinſece ſpectare;plerique enim putant eam eſſe actũ à timore filiali diſtinctum , ſicut refert Caſtro vbi ſuprà , quam opinionem non improbat, quam nos veriorem putamus.

§. 3.

An timor filialis & ſanctus duplicem actum includat?

26. 2. quæſtio. QVæſtio ſecundo loco propoſita petit,an timor filialis,& ſanctus, donũq; timoris duplicem actum includat; reuerentię. ſ.& timoris culpæ. Partem negantem tàm de dono timoris, quàm de timore caſto videtur probare *Durand.in 3.diſt.34.q.3.n.5.*dùm ait ideò donũ timoris quoad actum non manere in patria, quia in ea nõ manet timor, atq; retractio à malo culpæ ; quaſi ſupponat vnicũ tantum dari actum doni timoris, nempe timere malum culpæ. De timore verò filiali, & ſancto eandem negantem partem quidam probauere, qui volunt timorẽ reuerentialẽ nõ eſſe filialẽ, ſed actũ ab eo diſtinctum : quam ſententiam non improbat *Caſtro verbo Chriſtus hæreſi 9.* Pars negãs. Durand. Caſtro.

27. Pars affirm. Partem tamen affirmantẽ probat cõmunis ferè omnium conſenſus, qui tàm in dono timoris,quàm in timore filiali,& caſto duplicem actum admittunt,nempe reuereri Deũ,& timere eius offenſam,ab eoq; ſeparari. De timore filiali,& ſancto id expreſſe docet *D.Thom.1.2.q.67.ar.4 ad 2.& 2.2.q.19.ar.9. & 11. & 3.p.q.7. ar.6.in quibus locis etiam agit de dono timoris.Idẽ docent Alenſis 2.p.q.118.mẽb.3.ar. 6.& q.175.mẽb.1. D.Bonau. in 3 diſt.34. ar.2.q.3.Gabr.ibidẽ q.vnica ar.3.dub.2.latẽ Caiet.3.p.q.7.ar.6.Medina 1.2.q.42.in 1.& vltima concl.Suar.1.tom.ad 3.p. diſp. 20.ſect.2.Ianſenius in c.1.Prouerb.& Titelman. ad illa verba Pſal. 18. Timor Domini permanet in ſæculũ ſæculi,*qui omnes volũt donũ timoris in illis duobus actibus cõſiſtere, & præcipuè in affectu reuerentiæ ad Dei eminentiam terminato , quem appellant timorem reuerentialem. D. Thom. Alenſ. D.Bonau. Gabr. Caiet. Medina. Ianſenius. Titelm.

28. Vera reſolutio. D. Thom. Pro reſolutione aduertendũ eſt aliter eſſe theologizandum de dono timoris,& de timore filiali:quãuis enim *D.Thom. 2.2.q.19.ar.9.*donũ timoris cum timore filiali videatur confundere:ſunt tamen inter ſe diſtinguenda: tùm;quia donum eſt habitus, vt ſupponimus: timor autẽ actũ denotat:ſi vero pro habitu accipiatur, nõ dicit vnum habitum, ſed duos:quia actus timoris filialis eſſe poteſt à charitate,& à dono timoris. Tum 2. quia timor filialis fugit culpam,non ſolùm propter Dei reuerentiã ; quomodo pertinet ad donũ timoris:ſed etiã ꝓpter amorẽ Dei,quomodo ꝑtinet ad charitatẽ : quare timor filialis,vt includit receſſum,fugamq; peccati eſſe poteſt,tũm à charitate , tũ à dono timoris:quãuis ab vtroq; non per ſe primo eliciatur,ſed ſecundario. Et quidẽ à chari- Diſtinguũtur donum timoris, & timor filialis.

tate

tate propter Dei amorem: quia ab eodem habitu amatur bonũ amici; & odio habetur malũ illius, ſimiliter, & timetur: quare eodem amore, quo filius mouetur ad deſiderandũ bonum Patris, mouetur etiã ad timendũ illius malum. Eſt etiam à dono timoris propter reuerentiã; quia eodem timoris dono reueremur Deum moti ſpeciali ſancti ſpiritus motione, & timemus non ſubeſſe illi, vt dicemus.

29. In dono timoris includuntur duo illi actus.

De dono igitur timoris admittimus duplicẽ illum actũ in eo includi; vnum primario: alterũ ſecundario: quod expreſsit *D.Thom.3.p.q.7.art.6.ad* 1: cum enim ſit quidam habitus, quo ex ſpeciali motione Spiritus Sancti redditur actus bonus, nõ poteſt per ſe primo reſpicere niſi bonũ, malũ autem ſecundario. Cum verò donũ timoris oriatur ex conſideratione diuinæ excellẽtię ex *D.Tho.1.2.q.68.ar.4.ad* 1. (D. Thom.) per ſe primo terminatur ad diuinã excellentiã per actum reuerentiæ, quo quis ita ſe Deo ſubijcit, vt in hac ſubiectione ſuũ proprium conſtituat bonũ: ex hoc autem reuerentiæ affectu reſultat alius, quo voluntas refugit ſe Deo non ſubijcere, tanquam ſummum malum, vt colliges ex (D. Thom.) *D.Thoma 2.2.q.19.art.11.*

30. Aduertentia.

Religio, & donũ timoris quomodo diuinam excellentiã reſpiciant.?

Quod vt melius intelligas aduerte reuerentiã eſſe actum voluntatis, quo quis ſe Deo ſubijcit, reſultantẽ ex cõſideratione diuinæ excellentiæ, quã pro obiecto habet. Hæc porrò ſubiectio, & reuerentia eſt materia circa quam verſatur, & virtus religionis, & donũ timoris; diuerſa tamẽ ratione: pertinet enim ad religionẽ, quatenus ratione reuerentiæ, & ſubiectionis exhibemus ei debitum cultum, & honorem: nam proprium eſt religionis offerre Deo ſacrificium propter illius excellentiã, & reuerentiã; illum orare; per eũ iurare, cæteraq; opera latriæ illi exhibere. At verò ad donum timoris prædicta ſubiectio, & reuerentia pertinet, prout habetur, tanquam proprium bonum, perfectioq; conueniens: nã ob hanc conſiderationẽ ad humilitatẽ ſpectat ſe in infimis ponere, facta cõparatione cũ diuina excellentia; quaſi putet homo hoc eſſe ſibi cõueniẽs bonum, in infimis ſiſtere. Itaq; virtus religionis ex ſubiectione ad diuinam excellentiã excitatur ad exhibendum Deo honorẽ: iam verò donũ timoris talẽ ſubiectionem, & reuerentiã cõſiderat, vt prius ſuum bonum; ex quo naturaliter refugit Deo non ſubijci, tanquam malum ſibi; quod proprium eſt timoris filialis.

31. Quomodo donũ timoris terminetur ad diuinam excellentiam?

Ex quo inferes donũ timoris terminari ad diuinã excellentiã, ſiue quaten⁹ De⁹ eſt primum rerũ omnium principiũ; ſiue quatenus eſt omniũ Dñs; ſiue quatenus eſt eſſentialiter ipſum eſſe, ipſa ſapientia, ipſa bonitas: denique quocunq; modo diuina excellentia, explicetur, inde donũ timoris colligit affectum reuerentiæ, & ſubiectionis, & bonum ſibi eſſe Deo ſubijci. Et ideo non tantũ verſatur circa excellentiã diuinã, prout eſt inflictiua mali; quanuis oppoſitũ *Caietan. cum cæteris interpretibus inſinuet* 3.*p. quæſt.7.articulo.6*: (Caietan.) nam licet propter hanc excellentiã etiam Deũ reuereamur, noſq; illi ſubicijamus; ratio tamen huius ſubiectionis non eſt malum, cuius diuina omnipotentia eſt inflictiua, ſed diuina excellentia, vt excellentia eſt. Quod inde facilè patet, quia illa eminentia virtutis, cum propriè nõ ſit inflectiua mali culpæ, ſed pęnę, talis reuerẽtia, & ſubiectio potius eſſet ſeruilis, quam filialis, quare illa eadẽ eminentia, quaten⁹ eſt diuina quædã excellẽtia, & perfectio, erit ratio reuerentiæ filialis; quia ſub hac ratione exigit à nobis hanc reuerentiã, & ſubiectionẽ, & facit, vt tanquã malum ſugiam⁹ Deo nõ ſubijci: qui timor propriẽ eſt filialis ortus ex filiali reuerẽtia, vt colliges ex *D.Thoma.*1.2,*q.*68. *artic.*4. *ad* 1. (D. Thom.) *Porrò D.Thom.* 3.*p.q.*7. *art.*6. ideo ſolùm egit de eminentia inflictiua mali; quia agebat de timore terminato ad authorẽ mali; is autem (vt ſtatim dicemus) nõ terminatur, niſi ad eminentiã virtutẽq; mali inflictiuam: quare filius, & ſi reueretur patrẽ, dum conſiderat poteſtatẽ ad illum puniendũ; non tamen reueretur eũ propter eminentiã illam, vt eſt punitiua (hoc enim modò eſt obiectũ timoris, nõ verò reuerentiæ) ſed vt eſt quædam perfectio exigens filialẽ ſubiectionem, & reuerentiã, quidquid Caietan. aliter theologizet.

32.

¶ Concludendũ eſt igitur donũ timoris ex ſua intrinſeca ratione includere vtrũque iſtum actum; ſcilicet reuereri Deũ: & timere ab illo ſeparari. 33.

34. Quomodo dicendum ſit de timore filiali.

De timore porrò filiali nõ ita eſt theologizandũ: quia nec illum theologizare poſſumus, tanquã vnum habitũ, qui per ſe

ſe primo ad bonũ,ſecũdario verò ad malũ terminetur; cum pertineat, tùm ad donũ timoris, tùm ad charitatẽ : vnde nõn per modũ habitus ſignificatur, ſed per modũ actus, qui & à charitate eſſe poteſt, & à dono timoris. Quanuis autẽ, prout eſt à dono timoris, ſemper cõiunctus ſit cum actu reuerentiæ (quia ex filiali reuerentia ſecundario cõſequitur filialis quædam fuga ſeparationis à Deo) tamẽ prout eſt à charitate,nõ reſultat ex reuerentia, ſed ex amore:charitas enim dùm per ſe primo inclinat ad volendũ bonum Deo, ſecundario etiã inclinat ad fugiendũ malum bono diuino cõtrarium, quale eſt malum culpę,& malum auerſionis à Deo : quare timor filialis ex ſua ratione ſolùm dicit fugã huius mali,quod eſt ſeparari à Deo, illiq; nõ ſubijci : actum vero reuerentiæ licet aliquando admittat ſecum non tamen neceſſario illum exigit, vt ex dictis patet.

35. Reſolutio difficultatis. His igitur ſuppoſitis ad proproſitam difficultatem dicimus primam opinionẽ eſſe veram de timore filiali , ſecundam verò de dono timoris: vnde vtramque opinionem conciliamus: ſemper tamen cum prima agnoſcimus actum reuerentię diſtingui à timore filiali, licet autem actus reuerentię dici poſſit reuerentia filialis; non tamen poteſt dici filialis timor, vt ex §. ſequente patebit.

§. 4.

An actus reuerentiæ propriè dici poſsit timor?

36. An reuerentia iſta ſit vera timor? QVæſtio tertio loco propoſita poſtulat, an actus ille filialis reuerentiæ, qui à dono timoris primario elicitur, veram habeat rationem timoris? non deſunt, qui affirment: cum quibus videtur eſſe *Caietanus tertia parte quæſtione 7. articulo* 6. dum timorem illũ Dei, quem Diuus Thomas in Chriſto ponit, prout reſpicit diuinam eminentiam, appellat timorem reuerentialẽ terminatum ad diuinam eminentiam, non abſolutè, ſed prout eſt inflictiua mali, quod perinde eſt ac ſi terminetur ad ipſum malum cuius diuina eminentia eſt inflictiua, vt ex mente Caietani exponit *Suarius in dicta diſputa.* 20. *ſect.* 2. *in* 3. *expoſitione.* Caietan. Suarius.

Hæc tamen ſententia non eſt admittenda, & pro explicatione falſitatis, aduerte cum D. Thoma *prima ſecundæ, quæſtione* 42. *articulo* 1. & *ſecunda ſecũdæ, quæſtione* 19. *artic.* 1. & 3. *parte quæſtione* 7. *articulo*.6. duplex dari obiectum timoris propriè ſumpti : malum ſcilicet, quod fugimus; & authorem illius, quatenus poteſt malum infligere : quod etiam deduces ex Ariſtotele ſecundo Rethoric. cap. 5, dum ait nos timere, tùm malum ipſum; tùm authorem mali : nam ſicut amor tendit in bonum, & in authorem boni; in illud tanquam in obiectum formale: in hunc verò, tanquam in obiectũ cauſale : ſimiliter odium atque timor fugiunt malum , vt obiectum formale; & authorem mali , tanquam obiectum cauſale. Intereſt autem inter timorem terminatum ad vnum, vel ad alterum obiectum : quoniam timor non poteſt primo, & immediatè tendere in bonum, tanquam in obiectum formale , ſed in malum, quamuis ex conſequenti, & ſecundario tendat in bonum; quatenus ſcilicet malum,in quod primo tendit,eſt priuatio boni, quod amatur. E contrariò non poteſt immediatè tendere, tanquam in obiectum cauſale, niſi in bonum; non quidem abſolutè, ſed prout habet ordinem ad malum ; quoniam in authorem mali non poteſt primo reſpicere, niſi per virtutem ipſam, & poteſtatem, qua poteſt malum cauſare , quæ ipſa in ſe eſt bona : quia verò illam non reſpicit, niſi prout poteſt cauſare malum : & ſub hac ratione non habeat rationem boni, ſed mali ;ideo authorem mali,&eius eminentiam ſub illa ratione fugit; quia non vult talem poteſtatem ad actum reduci, cum vt ſic ſit mala ſibi. 37. D. Thom

Ex hoc infertur timorem, ſiue ad vnũ ſiue ad alterũm obiectum terminetur, ſemper ex ſe dicere fugam, & receſſum ab obiecto, quod per ſe reſpicit, vt docet *Diuus Thomas prima ſecundæ, quæſtione* 68. *articulo quarto, ad quartum* : inde inferens timorem ſanctum non importare coniunctionem ad Deum , ſed receſſum ab aliquibus rebꝰ propter Dei reuerentiã. Si his adiungas donum timoris, quoad actum reuerentiæ, quam primo importat, nullam includere fugam , aut receſſum à Deo , ſed potius coniunctionem cum 38. Corollariũ. D. Thom

cum eo (etenim donum timoris ex conſideratione diuinæ excellentiæ facit, vt voluntas ſe Deo ſubijciat, vt ex dictis patet): ſecundario verò dicere actum fugæ à malo, quod eſt non ſubijci Deo; (qui actus realiter à priori diſtinguitur) neceſſario inferes actum illum reuerentialem nullo modo in ſe includere rationem timoris; & hoc ſatis expreſsit *Diuus Thomas tertia parte, quæſtione ſeptima artic. ſexto, ad primum*, dum ait donum timoris quoad actum primarium reuerentiæ non reſpicere malum, quod reſpicit timor. Quare cum timor authoris mali reſpiciat authoris eminentiam, vt inflictiuam mali, & proinde, vt malum ipſi timenti, vtique actus reuerentiæ cauſatus ex conſideratione eminentiæ, & poteſtatis, quæ eſt inflictiua mali, non reſpiciet illam poteſtatem formaliter ſub ordine ad malum; ſed materialiter ſolùm; quia ſcilicet reſpicit poteſtatem, quæ eſt inflictiua mali: quæ ipſa ſecluſo ordine ad executionem ipſius mali, potius habet rationem boni, quàm mali: vnde vt ſic, potius eſt obiectum proſecutionis, quam fugæ. Et ſub hac ratione manſit in Chriſto donum timoris, quoad actum reuerentiæ, quæ potius diuinam eminentiam proſequitur, dum ſe illi ſubijcit, quam fugiat. Quod dilligenter annotabis contra Caietanum, & eos, qui illius opinionem probant.

Reuerẽtiæ actus non includit timorem. *D. Thom.*

39. Cur reuerẽtia dicatur timor reuerentialis?

Si verò inquiras; cur talis actus reuerentiæ communiter appelletur timor reuerentialis? facilis eſt reſponſio: appellatur enim timor; non quod formaliter ſit timor, & fuga, ſed quia ſecundario cauſat timorem, & fugam: etenim illa reuerentia, dum appetit ſubijci Deo tanquam bonum proprium, idque propter diuinam excellentiam, ex conſequenti refugit non ſubijci, tanquam proprium malum, vt ex dictis patet.

§. 5.

Reſoluitur quæſtio principalis poſita in titulo articuli.

40. Reſolutio quæſtionis principalis.

His ita præmiſsis reſoluenda eſt quæſtio in hoc articulo propoſita, an ſcilicet in beatis admittendum ſit donum timoris. Cum vero hoc donum ſolùm includat timorem filialem; dum inquirimus, an in beatis ſit admittendum donum timoris, ſimul etiã inquirimus, an admittendus ſit timor filialis, qui appellatur caſtus: Cum verò apud omnes ſit indubitatum donum timoris, timoremque filialem, & caſtum, quoad habitum eſſe in beatis, vt diximus in ſecundo præmiſſo; tota difficultas, & controuerſia eſt; an timor filialis, & donum timoris, quoad actum maneat in illis?

Pro reſolutione ſit prima propoſitio: *Non eſt negandum, donum timoris manere in Patria, quoad aliquem actum.* Probatur; quia ex dictis patet donum timoris per ſe includere actum reuerentiæ, & venerationis diuinæ maieſtatis, & excellentiæ: at non poteſt ſine errore negari beatos diuinam excellẽtiam ſummè veneraturos; ita vt Deo propter ſuam excellentiam perfectiſsimè ſe ſubijciant: nam ob hanc reuerentiam debito latriæ cultu Deum adorabunt, & colent, vt patet ex tota Ioannis Apocalypſi, & ex viſione Iſaiæ capite ſexto, dum Seraphin pedes, & terga velabant, per quam, vt ait Dionyſius cap. 13. Cœleſtis Hierarchiæ, ſignificabatur ſacra quædam ac plena veneratio. 41. 1. Propoſit.

Secunda propoſitio: *Nec donum timoris, nec timor filialis manebit in Patria ſecundum verum, & proprium actum timoris diuinæ offenſæ, & ſeparationis à Deo*, Hæc ſtatuitur contra Suarium, & alios, qui volunt in Patria ſaluari veram, & propriam rationem timoris filialis: nam oppoſitum oſtendimus libro quarto, vbi diximus ad veram rationem timoris non ſatis eſſe poſsibilitatem mali, ſed neceſſario requiri, quod malum concipiatur vt futurum, & vt tale exiſtimetur: quam exiſtimationem beati habere non poſſunt, cum de æternitate ſuæ beatitudinis, & impeccabilitatis ſint ſecuri. 42. 2. Propoſit.

Tertia propoſitio: *Tàm donum timoris, quàm filialis timor manebunt quoad actum timoris largè, & impropriè ſumpti*: quia manebit in beatis actualis fuga, & abominatio mali culpæ, vt ſuperius oſtendimus: ſicut enim in illis manebit ſimplex quoddam odium mali: ita etiam manebit ſimplex quædam fuga, id eſt auerſio appetitus à malo: ad hoc enim ſatis 43. 3. propoſit.

ſatis eſt ipſius mali poſsibilitas: quin potiùs ſatis eſt ipſa ratio mali culpæ, vt ſit obiectum odij, & fugæ, licet omnis illius poſsibilitas auferatur: nam & Deus odit malum culpæ, & ab eo auertitur. Cum igitur in patria maneat verum obiectum odij, & fugæ; in ea etiam manebit, tùm odium peccati, tùm illius fuga: quæ fuga & ſi ad veram rationem timoris non eſt ſatis: aliquo tamen modo poteſt dici timor, quatenus ſcilicet in timore per ſe includitur, tanquam quædam generalis ratio timoris: ob quam rationem *Diuus Auguſtinus* 14. *de Ciuitate Dei capite nono*, hanc peccati fugam, quam in beatis admittit, appellat timorem ſecurum: quæ ſecuritas eſt conditio diminuens veram timoris rationem; cum ſecuritas mali futuri per ſe opponatur timori. Timent igitur beati peccatum, quia verè nolunt peccare: at tamen ſecurè timent; quia ſecurè nolunt propter tranquillitatem charitatis, quæ amorem habet liberum ab omni metu: ob quam rationem D. Auguſtinus ibidem negat talem timorem eſſe ſimpliciter timorem, dùm concludit nullum timorem futurum in patria. Quod etiam ſenſit *Diuus Gregorius libro decimo ſeptimo Moralium capite decimo quinto*, dùm tremorem, qui ex conſideratione diuinæ maieſtatis habent virtutes cœleſtes, non vult prouenire ex timore, ſed ex admiratione. Et hæc fuit mens Diui Thomæ, dùm ſecunda ſecundæ, quæſt. 19. articulo 11. aſſerit beatos in patria non habituros fore eundem omnino actum timoris filialis, quem modo habent: nam in via fuga peccati erat cum verò & proprio timore; quoniam concipiebatur, vt futurum: in patria verò iam non eſt, cum vero metu coniuncta, quia peccatum iam concipi non poteſt, vt futurum. Et hoc modo conciliabis Diuum Thomam, ne ſibi contradicat, dùm in loco proximè citato concedit fugam mali culpæ manere in patria: cum tamen prima ſecundæ, quæſtione 67. articulo quarto ad ſecundum neget in patria manere actum timendi culpam: vtrumque enim verum eſt; quia verè manet in patria fuga mali culpæ: in qua tamen non manet verus, & proprius culpæ timor, qui ſupra fugam culpæ ſuperaddit exiſtimatam illius futuritionem.

Auguſt.

45. D. Gregor.

¶ Contra hanc reſolutionem adduci poſſunt argumenta adducta ſuprà §. ſecundo ad confirmandam illorum opinionem, qui putant de fide eſſe, quod in beatis ſit timor ſanctus, & donum timoris: ſed ea iam diſſoluimus §. ſecundo. Quare vera reſolutio ſit donum timoris, & timorem filialem caſtum, & ſanctum manere quidem in beatis; non tamen ſub vera ratione timoris, ſub qua fuit in via, ſed ſub ratione lata, & ſatis ampla. 46.

Argumenta in contrarium.

QVÆSTIO XI.

De fructibus beatitudinis.

DE FRVCTIBVS beatitudinis, & Spiritus Sancti duo explicanda proponuntur: quid nam ſit fructus? & an in beatis maneant? De primo eſt inter Doctores controuerſia: quia controuerſum eſt, an fructus beatitudininis ſint habitus, vel actus? vt patet ex ijs, quæ ſcribit *Salas ſecundo tomo ad primam ſecundæ, tractatu 12. diſputatione vnica, ſectione 4. pagina 302. columna 2. & Valentia ſecundo tomo, diſputatione 5. quæſt. 9. puncto 1.* Et omiſſa longiore diſputatione, dicendum eſt cum Diuo Thoma prima ſecundæ, quæſtione 70. articulo 1. fructum eſſe actum: quia eſt vltimum, quod ex arbore percipitur. Quare fructus beatitudinis eſt operatio procedens à Spiritu Sancto, tanquam ex diuino ſemine: & in ſpecie eſt gaudium quoddam ſpeciale ſuperadditum beatitudini propter ſpiritualitatem, & puritatem corporis, in quam homo in via tranſiuit propter verbum Dei, in corde, tanquam in bona, & vberi terra ſeminatum, vt explicat *Diuus Thomas in 4. diſtinctione 49. quæſt. 5. art. 2. quæſt. 1. 2, & 3. habetur in additionibus ad 3. partem q. 96. artic. 2. vbi Porrecta, & Pezantius, Sotus in 4. diſt. 49. quæſtione 5. articulo 1. Abulenſis in Matthæum cap. 13. quæſt. 16. & diximus in ſecundo tomo lib. 12. quæſt. 9. art. 5. §. 5. n. 29. & 30.* Quomodo autem differat à beatitudinibus, vide D. Thomam locis citatis. 1.

Fructus ſũt actus. Salas. Valentia. D. Thom. Porrecta. Pezant. Sotus. Abulen.

Fructus

2.
Sunt 12.

Fructus autem Spiritus Sancti eſſe duodecim ſcribit Paulus ad Galatas 5. ita inquiens: *Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* De quibus videndus

D. Thom.

eſt *Diuus Thomas in dicta quæſt. 70. artic. 3. vbi ad 4.* Cum Auguſtino docet non fuiſſe Apoſtolo propoſitum proſequi omnes omnino actus, qui cenſeri poſſunt Spiritus Sancti fructus, ſed præcipuos.

3.
Manent in patria.

Quod verò attinet ad ſecundũ; an fructus beatitudinis dentur in Patria? affirmatiuè reſpondendum eſt: & ſatis colligitur ex ijs, quæ docet Chriſtus Matthæi 13. nam ob hanc rationem dicuntur fructus beatitudinis; quia ſcilicet in beatudine colligendi ſunt. Hi autem neque in omnibus beatis neceſſario ponendi ſunt; vt ait Diuus Thomas in quarto loco citato. quæſtiuncula 3. ad 2. & in dicta quæſtione 96. art. 4. ad 2: ſicut etiam nec in omnibus erunt ęquales non ſolum inter fructus diuerſi generis, ſed etiam inter eos, qui eiuſdem generis ſunt, vt diximus *in dicto libro 12. quæſt. 9. artic. 5. §. 5. in fine.*

QVÆSTIO XII, & Vltima.

De Gratijs gratis datis.

1.

SVPEREST vltima diſputatio de gratijs, quæ dicuntur gratis datæ: de his inquirendum eſt quid nam ſint? & quot? & an in beatis futuræ ſint? de quibus omnibus iam diximus *in 2. tom. lib. 11. quæſt. 8. art. 13.* Quare ad quæſtionem reſolutoriê reſpõdemus gratias gratis datas eſſe quędam dona alicui data, vt per ea proximorum ſaluti ille cooperetur, vt habet communis explicatio, de qua *D. Thomas 1. 2. q. 111. artic. 1. & 3. p. q. 7. artic. 7.* & communiter deducitur ex Paulo 1. Corint. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, ſcilicet Eccleſiæ*, quæ eſt communis Patrum, & Theologorum explicatio.

Quid ſint?

D. Thom.
1. Cor. 12.

2.
Sunt nouē.

Hæ gratiæ gratis datæ numero ſunt nouem enumeratæ à Paulo in dicto cap. 12. his verbis: *Sermo ſapientiæ; ſermo ſcientiæ; fides; gratiæ ſanitatum; operatio virtutum; prophetia; diſcretio ſpirituum; genera linguarum; & interpretatio ſermonum:* quarum explicationum vide apud *D. Thomam in dicta q. 111. art 4.*

D. Thom.

3.
Quomodo in beatis maneant?

Si verò inquiras; an futuræ ſint in beatis in patria? eodem modo reſpondebimus, quo reſpondimus *in dicto art. 13. n. 8.* Dicimus igitur perfectionem ſingularum futuram eſſe in beatis; non tamen ſub ratione gratiæ gratis datæ, cum ceſſet finis, & ratio cuiuſque: vnde ibidem oſtendimus nec prophetiam in beatis futuram eſſe ſub ratione prophetiæ.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

¶ Et ita impoſitus eſt finis huic libro quinto, & tomo tertio de Beatitudine corporis: cedat id in Dei gloriam; in laudem Deiparæ Gratiarum; & ſanctiſsimi Patris Auguſtini noſtræ Eremitanæ familiæ fundatoris.

(.*.)

LAVS DEO.

APPENDIX TRIVM QVÆSTIONVM,

QVAS IN DVOBVS PRIMIS Tomis explicare non potuimus, & ad hunc locum reſeruauimus.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

IN 1. & in 2. tomo tres quæſtiones ad finem huius tertij tomi reſeruauimus. Prima eſt de comprehenſione diuinæ eſſentiæ. Secunda de appetitu animæ ad ſupernaturalē beatitudinem. Tertia denique de intenſione eſſentialis beatitudinis poſt corporum reſurrectionem. Has igitur in hoc loco explicabimus.

QVÆSTIO I.

De comprehenſione Dei ab intellectu creato.

QVod attinet ad primam quęſt. de ea ſequentes articulos excitabimus. Primus art. inquiret; quænam ſit vera & propria cōprehenſio, de qua agendum eſt?

Secundus; vtrùm in Beatitudine Deus ab aliquo intellectu creato aut comprehendatur; aut poſsit comprehendi?

Tertius; Vtrùm Deum eſſe incomprehenſibilem ab omni intellectu creato, ſit de fide?

Quartus; Vtrùm beati de facto videant omnes creaturas poſsibiles tùm ordinis naturalis, tùm ſupernaturalis; idque ſumptis illis ſecundum ſuas eſſentias abſtrahendo à poſsibilitate exiſtentiæ?

5. Vtrùm poſsibile ſit beatum videre omnes creaturas poſsibiles ordinis naturalis, & ſupernaturalis ſecundū ſuas eſſentias abſtrahēdo à poſsibilitate exiſtētiæ?

6. An beati in Deo videant, aut videre poſsint infinita?

7. An omnes beati videant in Deo omnia indiuidua præſentia, præterita, & futura? Denique omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis?

8. An beati videāt cogitationes cordiū viatorum, & comprehenſorum?

9. An beati videāt omnia, quæ pertinēt ad ſuum ſtatum? & quæ ſint illa?

10. Cur beatus potius videat hæc, quàm illa?

11. An aliquis beatus poſsit non videre aliquam creaturam?

12. An beatus videat actus liberos Dei? & per quod lumen?

13. & vltimus; An omnia quæ beatus videt, ſtatim viderit in primo ingreſſu gloriæ? an de nouo poſsit aliqua videre?

ARTICVLVS I.

Quænam ſit vera, & propria comprehenſio, de qua agendum eſt?

§. 1.

Comprehenſionem duobus modis ſumi.

QVoniam æquiuocatio huius vocis *cōprehenſio* confuſionē parit, & eādem auget multiplex illius vſurpatio apud Nominales (*Ochamum in 4. q. 18. ar. 1. Gabr. in 3. diſt. 14. q. 1. ar. 3. dub. 2. & Almainū ibid. q. 1.*) operæpretium erit explicare eas, quæ ad difficultatē reſoluēdam ſpectant. Prius tamen aduertimus, ſignificationem verbi *cōprehendo* à corporalibus eſſe tranſlatā, vt ſignificat D. Th. in 4. diſt. 49. q. 2. ar. 3. Quare in ſpiritualibus illis tantū modis ſumi debet, quibus apud probatos linguæ latinæ authores in corporalibus accipitur. In illis autem bifariā dicitur res aliqua ab alio cōprehēdi: vno modo; quia rē, quam inſequitur, manu apprehendit, & tenet; quāuis eam non

1. 2. modis accipitur cōprehenſio *Ocham. Gabr. Almain*

totā,ſed per partē manu teneat. Quare in hac ſignificatione idem eſt cōprehendere rem corporeā, quod illam tenere, & accipere: vnde dicimus fugientē cōprehendere, quia illū manu accepimus, & tenemus: vnde Paul. agens de his, qui in ſtadio corporaliter currūt ad corporale brauiū, & coronā, aſſecutionē eius modo explicat per verbū *accipere*, inquiens: *Qui in ſtadio currūt, omnes quidē currunt, ſed vnus accipit brauiū*: modo per verbū *cōprehēdere*, dùm addit: *ſic currite, vt comprehendatis* 1. Cor. 9. Altero autē modo dicitur quis

2. rem corporeā cōprehendere, cum totam illius quantitatē intra ſe cōtinet, & claudit: quomodo ſphœra ſuperior in ſuo cōcauo ſphœrā inferiorē cōprehendit. Quia ſ. intra ſuam concauitatē totam illā claudit, & cōplectitur: vinū etiam à dolio cōprehenditur; quia ſ. totam illius quātitatem intra ſe cōtinet. In hac igitur ſignificatione cōprehendere aliud, idē eſt, quòd illud totū in ſua quantitatiua dimenſione

2. modus accipitur in ſpiritualib. includere, & cōtinere. Eodem igitur modo, ſeruata tranſlatione, comprehenſio in ſpiritualibus (qualis eſt intellectiua) bifariā ſumitur. Vno modo; vt comprehēdere aliquā rem cognoſcēdo idem ſit, quod eam cognoſcendo attingere, & apprehēdere: vnde apud linguæ latinæ authores cōprehendere rem intelligendo idem eſt

Cicero. quod eam intelligere, & ſcire, Cicero 4. Academic. quæſt. ita ſcribit. *Nos defendimus etiā inſipientem multa comprehendere*, id eſt, intelligere, & percipere. Tertio de finibus pro eodem accipit cogitationem, & comprehenſionem. In eodem ſenſu in ſacris literis idem verbū accipitur, vt ex ſequentibus patebit. Altero modo accipitur cōprehenſio intellectiua, vt idē ſit aliquid cognoſcēdo cōprehendere, quod intellectu illud ita cōplecti, vt nihil eius lateàt, ſed totum intra ambitū, & virtualem intelligentiæ quantitatē includatur. Qui ſenſus à latinis authoribus eſt ſatis

Cicero. vſurpatus: nam Cicero de Oratore: *Plura quæ ſunt innumerabilia, comprehendā breui.* Vide Theſaurū linguæ latinæ; & ſatis cla-

D. Aug. rè id docuit Aug. epiſt. 112. c. 8. ita ſcribens: *Aliud eſt videre: aliud totū videndo cōprehendere: quandoquidē id videtur, quod præſens vtcunq; ſentitur. Totum autē comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntē.* Quibus verbis rei cōprehēſionem ab illius viſione diſtinguit. In hoc igitur ſenſu comprehenſio ſumitur pro incluſione rei in cognitione alterius; vt illud dicatur ab alio cognitione cōprehendi, quod ſecundum ſe totū adæquatè in illius cognitione ita continetur, vt nihil intelligibilitatis eius extra maneat, vt patet ex Auguſtini verbis. Quare apud eum vera ratio intellectiuæ cōprehenſionis in eo eſt poſita, vt nulla intelligibilitatis ratio extra intellectionem remaneat, ſed tota intra illam adæquatè includatur.

§. 2.

Diligentius explicatur ratio comprehenſionis propriè ſumptæ.

QVoniam plures Nouiorū in explicatione comprehēſionis pro- 3. Magis idē expenditur

priè ſumptæ, plura ſcribunt, quæ rem cōfundunt, aduerto, explicationem Auguſtini ſuperius adductam eſſe cōmunem. Sit igitur hæc indubitata reſolutio, vt tunc aliquid videndo cōprehendatur, cum totum, quod eſt, ita videtur, & cognoſcitur, vt nihil eius lateat videntem: vnde vera ratio comprehenſionis intellectiuæ in eo ponitur, quod nulla intelligibilitatis ratio, extra illam intellectionem maneat: vt patet ex verbis *Auguſtini*: *& eodē modo id explicat ſer. 38. de verbis Dñi,* August.

& 12. de Ciuit. c. 18. & lib. Octoaginta triū quæſtionū q. 14. & de cognit. veræ vitæ c. 3. eodem modo explicauit Author quæſtiūculæ de Trinitate apud Auguſtinū, & omnes Patres citati à Sala in d. ſect. 6. pag. 288. col. 2. Cyprian.

ita Cyprianus in Prologo de Cardinalibus virtutibus: Greg. 10. Moral. c. 10. & 11. & lib. 18. c. 39. & 40. Epiphanius hæreſi 70. Chryſoſt. homil. 1. de incomprehenſibili Dei natura, & homil. 5. circa med. Nazianzenus orat. 36. & 49. Irenæus lib. 4. c. 35. Cyrillus Ieroſolymit. catecheſi 6. denique Anſelmus in Monologio c. 35. (D. Greg. Epiphan. Chryſoſt. Nazianz. Irenæus. Cyrill. Ieroſolym. Anſelm.) Conſentiunt omnes antiquiores, & nouiores, ſi benè expendantur. Non eſt tamen de intrinſeca ratione comprehenſionis, quod ſit incluſio eius, qđ cōprehenditur: poſitiua enim incluſio alteri⁹ intra ſe ſupponit finē in re incluſa, & ita vera cōprehenſionis ratio nō poſſet cōuenire Deo reſpectu ſui; cū tamen verè, & ꝓpriè Deus ſe ipſum cōprehendat.

Aug. Vnde *Aug. in d. epiſt. 12. c. 9.* incluſionem in re cōprehenſa ſolùm admiſit in comprehenſione corporali: nam poſtquā do-

cuit,

cuit, totũ cõprehendi videndo, quod ita
videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut
4. cuius fines circũſcribi poſsũt; ita ait: *Duo
poſui, quorũ alterũ ad mentis obtutum: alte-
rũ ad corporales oculos pertinet.* Quare com
prehendere aliquid fines illius includen-
do ex Aug. ſolùm pertinet ad corporalẽ
cõprehenſionem, ad quam neceſſariũ eſt,
vt includens, & incluſum ſint finita: gene
raliter tamen ad cõprehenſionem intelle
ctiuã id nõ pertinet: nõ tamen eſt neceſ-
ſariũ, quãdo cõprehenſum eſt infinitum:
hoc enim cõprehenditur à cognoſcente
infinito, nõ per incluſionẽ, ſed per poſiti-
uã adæquationem intellectionis cũ re in-
tellecta: adhuc enim verificatur definitio
Auguſtini, vt nihil illius maneat extra in
tellectionem comprehenſiuam; cum cog
nitio intelligentis intelligibilitati com-
prehenſi adæquetur, ſi non poſitiuè; be-
nè tamen negatiuè; quia. ſ. nihil ſui latet
ipſum infinitum; & ita intelligendus eſt
D. Thom. *D. Thomas 1. p. q. 14. art. 3. ad finem.*
5. Ex qua reſolutione infertur, propriã
1. corol. rationẽ cõprehenſionis intellectiuæ po-
ſitã eſſe in ipſa extenſiua adæquatione in
tellectus cognoſcentis ad intelligibilitatẽ
rei cõprehenſę; vt. ſ. cognitio tantũ appre
hendat, quantũ res eſt cognoſcibilis: nam
in hac adæquatione per ſe ponitur cõpre
henſio in rebus corporalibus, ſicut enim
in illis cõprehenſio ponitur in adæquatio
ne quãtitatis cõprehẽdẽtis ad quantitatẽ
cõprehenſi: ita in ſpiritualibus per ſe po-
nitur in adæquatione quãtitatis virtualis
ad quantitatẽ virtualẽ intelligibilitatis rei
cõprehenſæ; ita vt latitudo quãtitatis ip-
ſius cognitionis correſpondeat latitudini
intelligibilitatis obiecti comprehenſi, ex
Bellom. in d: diſp. 53. c. 2. n. 8. & Sala in d. p.
Bellomon. *288. col. 1. & Suar. in d. diſp. 26. ſec. 2. §. Di-*
Salas. *co* . vbi in fine docet extenſiuã cõprehẽ
Suarius. ſionẽ eſſe ſimpliciter cõprehẽſionem, &
hanc putat eſſe mentẽ D. Thomę, & ſatis
eſt ad mentẽ Auguſt. & cæterorũ Patrũ:
etenim *Aug. in d. c. 9.* ad verã rationẽ com
Auguſt. prehẽſionis nihil aliud requirit, niſi quòd
totũ ita videatur, vt nihil eius lateat: & idẽ
docet *Beda in 1. Ioan. 3. & Chryſoſt. homil.*
Beda. *3. de incõprenſibili Dei natura circa med. &*
Chryſoſt. *Epiph. hæreſi 70.* quod nihil aliud eſt, quã
Epiphan. dicere, ad rationem cõprehenſionis nihil
aliud requiri, quâm quòd cognitio totius
ad totã intelligibilitatẽ eius adęquatè ex-
tendatur: quod ſatis declarat *Aug. ſerm.*
190. de Tẽpore, dũ ideo negat, Deũ cõprehen- *Auguſt.*
di, quia ipſa diffinitione creſcit; quæ verba *Nazianz.*
ſcribit *Nazianz. orat. 49*: quod nihil aliud
eſt, quàm Deũ, quacũque cognitione ap-
prehendatur, ſemper plus aliquid maius
habere, vt ibidem explicat Elias, quaſi hi *Elias.*
Patres ſentiãt, ſi nihil in Deo remaneret
ad quod cognitio extẽderetur, cognitio-
nẽ verè eſſe cõprehenſionẽ. Idẽ colliges
ex *Irenæo lib. 4. c. 36. & 37.* vbi incõprehẽ
ſibilitatẽ Dei inde probat; quia nõ poteſt *Iren.*
omni ex parte, & vndequaque cognoſci:
quo etiã modo loquútur *Cyrill. Ieroſoly.* *Cyrill. Ie-*
catech. 6. & Greg. lib. 10. Moral. c. 10. & 11 *roſolym.*
li. 18. c. 39. & 40. quod nihil eſt aliud, quã *Gregor.*
dicere, quòd viſio illius nõ poteſt extẽdi
ad omnẽ eius cognoſcibilitatẽ. Idẽ colli-
ges ex *Cypriano vbi ſup. dũ ait, Seraphinos,* *Cyprian.*
*ideo velare faciẽ, & pedes Dñi; quia nõ poteſt
eſſe aditus ad principiũ, & finẽ diuinæ maie-
ſtatis.* Adire autem, nihil eſt aliud, quâm
eũdo extendi. Idẽ oſtenderemus ex alijs
Patribus citatis, niſi opus eſſet breuitate.
Quare citati ſatis ſint, vt dicamus, com-
prehenſionem per ſe primò poſitam eſſe
in ipſa viſionis adæquatione extenſiua
ad intelligibilitatem rei comprehenſæ.
Ex quo ſecũdo infertur, cõprehenſio-
nẽ propriè ſumptã nõ ſolùm per ſe ſumi 6.
ex modo, ex parte rei cognitæ, ſed etiam 2. corol.
ex modo ipſius cognitionis, quoad extẽ-
di ad obiectum; quidquid Bellomõtanus
omnia cõfundens, oppoſitũ ſignificet: ete
nim cõprehenſio per ſe poſita eſt in adæ-
quatione quãtitatis, & quãtitatiuę latitu-
dinis apprehenſiuæ ad quantitatẽ, & lati-
tudinẽ intelligibilitatis rei cognitæ in ap
prehendi, & cognoſci; ita vt cognitio tã-
tùm de ipſa re apprehẽdat, quantũ ipſa in
ſua paſsiua intelligibilitate eſt apprehenſi
bilis: talis autẽ latitudo, & adęquatio ſe ha
bet ex parte cognitionis: nam cũ adęqua
tio quãtitatiua formaliter ſit quædã rela-
tio æqualitatis, neceſſario includit duas
quãtitates: vnã ex parte rei cognitæ; alte-
rã ex parte ipſius cognitionis: & inde eſt,
vt intelligibilitas rei cognitę ideò dicatur
cõprehenſa; quia illius cognitio ad totam
ſuã intelligibilitatem extenditur. Quare
non poteſt nõ cõcedi, comprehenſionem
in ſua ratione per ſe includere modũ, tûm
ex parte rei cognitæ (quæ eſt adæquatio
paſsiua in cõcipi) tũ ex parte cognitionis,

qui eſt adæquatio actiua in concipere. Supereſt explicare; an ad rationem comprehenſionis aliquid aliud requiratur ex parte cognitionis? deinde explicabimus, in quonam poſita ſit adæquatio intelligibilitatis rei comprehẽſæ quoad concipi, & terminare cognitionem cõprehenſiuã.

§. 3.

An ex parte viſionis, præter adæquationem extenſiuam aliquid aliud requiratur?

7. *Referuntur plures modi dicendi.* 1. *modus.*

QVod attinet ad primũ plures ſunt dicendi modi, quorũ explicatio eſt neceſſaria, vt omnis ęquiuocatio tollatur. Primus dicẽdi modus eſt eorum, qui teſte Suario vbi ſuprà pag. 518. col. 1. A. voluerunt, ad comprehenſionẽ requiri, vt cognitio ipſa ſit tam perfecta in genere entis, quàm perfectum eſt obiectũ in eodẽ genere. Sed modus iſte merito ab omnibus improbatur. Illum eſſe falſum, ait *Suar. vbi ſupra pag. 515. 516. & 518. & lib. 2. de attrib. neg. c. 29. n. 5. & Bellomont. 1. p. diſp. 53. c. 2. n. 7. & Salas in d. diſp. 6. pag. 267. col. 2. in princ.* (*Suarius. Bellom. Salas.*) nam cõparatio cognitionis, & rei cognitæ quoad eſſe entitatiuũ impertinenter ſe habet ad rationem cõprehẽſionis intellectiuæ: ſicut etiam cõparatio quoad eſſe duorũ corporũ impertinenter ſe habet ad cõprehenſionẽ vnius ab alio: (*Non recipitur.*) quãuis enim cõprehẽdens, & cõprehenſum in perfectione eſſendi nõ ſint æqualia; poſſunt tamen eſſe æqualia in ratione cõprehenſionis: anulꝰ enim argenteus æqualiter comprehendit digitũ, atque aureus, vt omittamus, quod anulus, cuiuſcunque ſit materiæ, in eſſendo minoris eſt perfectionis, quàm digitꝰ; cũ iſte ſit animatus, ille carens anima; & tamen proprijſsimè dicitur digitũ comprehendere. Quare, ſi in cõprehenſione corporali cõparatio in eſſendo impertinens eſt; vtique etiam erit impertinens in intellectiua. Accedit etiam; quia ſequeretur, non poſſe Angelum comprehendere aut ſe ipſum, aut alium inferiorem, cuius oppoſitum verior ſententia docet.

8. *2. modus.*

Secundus dicendi modus ad veram cõprehẽſionẽ requirit, vt inter cognitionẽ, & obiectũ ſeruetur proportio, vt quantũ obiectum cognitũ ęxcedit alia obiecta, tantũ cognitio cõprehenſiua eius excedat omnes alias cognitiones. Iſte modus refertur à *Suario d. c. 29. n. 5.* (*Suar.*) & ab eodem tribuitur Nominalibus in 4. modo cõprehenſionis: ſed quidquid ſit de hoc, merito illum reijcit: (*Non recipitur.*) quia ſequeretur propriã cõprehenſionem in ſolo Deo reperiri reſpectu ſui: quia ſola viſio infinita, qua Deus ſe ipſum cognoſcit, poteſt habere illam proportionẽ. Quod tamen nõ eſt admittendũ, cum & homines, & Angeli naturaliter plura cõprehendant. Accedit etiã; quia Deus nõ ſolùm cõprehendit ſe ipſum, ſed etiã quãlibet creaturam, v.g. lapidẽ, aut hominẽ; & tamen in hac cõprehenſione nõ datur talis proportio. Addimus, quia illa perfectio, in qua fit proportionalis cõparatio, impertinens etiã videtur ad manifeſtandam adæquationẽ cognoſcibilitatis rei cõprehenſæ: ſicut etiam ad corporalẽ cõprehenſionẽ impertinens eſt, quod corpus cõprehendẽs tantũ excedat cætera corpora comprehendentia, quantùm corpus comprehenſum excedit cætera comprehenſibilia.

9. *3. modus.*

Tertius modus docet, neceſſariũ eſſe, vt res cõprehenſa cognoſcatur perfectiſsima cognitione, qua ab aliquo eſt cognoſcibilis. Hunc dicẽdi modũ plures referũt (*Reijcitur.*) & eũ, vt improbabilẽ reijciunt: quia nulla creatura poſſet aliam rẽ creatã cõprehendere; cũ quęlibet res creata meliori cognitione cognoſcatur à Deo, quàm cognoſcatur ab aliquo creato intellectu. Et licet hoc conſequens à nonnullis admittatur, improbabiliter tamen admittitur. Quare modus iſte dicendi nec à Suario, nec à Bellomontano admittitur.

10. *Vera explicatio.*

¶ Dicendum eſt igitur, cõprehenſionem ex parte cognitionis per ſe requirere, vt tantæ perfectionis ſit in genere cognitionis, quantæ eſt obiectum in genere cognoſcibilis: in hoc tamẽ ſenſu, vt intelligatur de perfectione cognitionis, non in eſſe, & ratione cognitionis, ſed in extendi, & in apprehẽdere ipſum cognoſcibile, vt. ſ. cognitio tantũ ſe extendat in cognoſcendo obiectũ, quantũ obiectum eſt cognoſcibile: in hac enim ſola extenſiua perfectione ꝑ ſe poſita eſt ꝓpria ratio cõprehenſionis, vt iam oſtẽdimus. Nec oppoſitũ docuit D. Thomas, nec Theologi *citati à Bellom. in d. diſp. 53. c. 2. n. 5: etenim D. Tho. 1. p. q. 12. ar. 7.* (*D. Thomas oppoſitum non dicit.*) ſolùm docet, *ad comprehenſionẽ requiri, quòd res perfectè cognoſcatur: & tunc perfectè cognoſci, cum cognoſcitur, quantum eſt cognoſcibilis.* Eadem verba ſcribit 3. cõtra

gent.

gent.c.55.in finê,cum omnibus à Bello-
montano citatis. Iam verò tantùm abeſt,
vt hæc verba poſitæ reſolutioni contra-
dicant, vt eam potiùs confirment: nam
tunc res cognoſcitur, quantum eſt cog-
noſcibilis, quando viſio in intelligendo
adæquat quantitatem virtualem intelli-
gibilitatis eius; quamuis res illa poſsit cog
noſci meliori cognitione, ſiue ratione no
bilioris cognoſcentis, ſiue maioris inten-
ſionis eiuſdem viſionis, ſiue quocunque
alio modo, qui ad eſſe illius pertineat.

§. 4.
Ex parte viſionis requiri claritatem, & quomodo?

11. Requiritur claritas. SEd vt veritas huius reſolutionis ma-
gis appareat, aduertendum eſt, com-
prehẽſionem intellectiuam alicuius
obiecti neceſſario ſibi vendicare claritatẽ
euidentiã, & certitudinẽ, vt benè aduertit
Suar. in d. diſp. 26. ſect. 2. §. Dico primo: &
quãuis ſcribat, hoc eſſe clarũ, nec poſſe in
dubiũ reuocari; ego tamẽ illius probatio-
nẽ ſemper deſideraui: nec enim deerunt,
qui dicant, cõprehenſionem per ſe poſitã
eſſe in adæquatione cognitionis ad cog-
noſcibilitatẽ obiecti; & hanc dari poſſe in
cognitione nõ clara. ſ. in cognitione pro-
babili; quã adæquari toti cognoſcibilitati
ex parte obiecti docet *D. Thom. in 4. diſt.
49. q. 2. ar. 3. in fine, & 3. cont. gent. c. 55. in
vltimis verbis*. Oportebat igitur id ꝓbari,
non ſupponi. Ex eo tamẽ efficaciter pro
batur, quod cõprehenſio ex ſua natura ha
bet, quòd ſit cognitio ſcrutans, & pene-
Cyrill. Ieroſol. trans totã rei intelligibilitatem ex *Cyrillo
Ierolym. catech. 6. & ex Paulo 1. Corin. 12.*
1. Cor. 12. dùm probans, Deũ omnia cõprehendere,
Baſilius. ſcribit, *ſpiritus omnia ſcrutatur, etiã profun-
da Dei*: iam verò ex *Baſilio 5. contra Euno
minũ ſcrutari profunda rei, idẽ eſt, quod eã
cõprehendere*. Præterea comprehenſio eſt
cognitio inueſtigans intelligibilitatẽ rei
Irenæus. ex *Irenæo lib. 4. c. 37.* eãq; proſpiciens ex
Baſil. *Baſilio in d. lib. 5. & ſatis colligitur ex c. 7.
Sapientiæ ex illis verbis: Omnia proſpiciens*:
eſt cognitio percipiens rẽ ipſam, vt eſt in
ſe, & ſenſum illius cognoſcens ex *Irenæo*
Irenæus. *d. lib. 4. c. 34.* rem ipſam repræſentans ex
Tertull. *Tertull. in Apologetico c. 17*: faciens rẽ ip-
D. Aug. ſam notã, vt eſt in ſe, ex *Aug. 4. de Geneſi
ad literã c. 6*: capiens illã ex Theophylo
Antiochenſi lib. 1. ad Antolicũ: eandem
Cyrill. metiens ex *Cyrillo 11. theſauri c. 1.* iuxta
verba Iſai. 40. *Quis metitus eſt maris aquas,
& cœlũ palmo*, id eſt, quis aquas maris, &
ipſum cœlũ cõprehendit: eſt viſio rẽ ip-
ſam introſpiciens, eandẽ plenè reperiens *D. Greg.*
ex *Greg. 10. Moral. c. 10.* colligitur ex Iob
11: *Forſitã veſtigia eius cõprehendes, & vſq;
ad perfectum omnipotentẽ reperies*; quaſi idẽ
ſit comprehendere rem, & eam vſque ad
perfectum reperire: eſt cognitio, quæ eſt 12.
rei ipſius intelligentia ex *Orig. 1. Periar-* *Origen.*
chon. c. 1. cadẽs ſub notitia ex *S. Maximo* *S. Max.*
Centuria 3. c. 92: eſt cognitio plena, & per
fecta ex *Iſidoro q. 41. in Exodũ*, & ex *Au-
thore libri de cognitione veræ vitæ cap. 31.* *Iſidor.*
apud Aug. tom. 9. eſt viſio ſupponens vi-
ſionem, & illi ſuperaddens ex *Aug. epiſt.* *Auguſt.*
112. c. 9: eſt viſio rei nullas habens tene-
bras, nec vllam caliginem obſcuritatis ex
Cyrillo 11. Theſauri c. 1. & Cypriano de car- *Cyrill.*
dinalibus Chriſti operibus, & patet ex Pſal. *Cyprian.*
21. Poſuit tenebras latibulũ ſuũ, quibus deſ
cribit incõprehenſionem, ſentiens cõpre
henſionẽ nullas habere tenebras. Ex qui-
bus patet cõprehenſionem ex ſua natura
habere claritatẽ: quæ enim explicauimus
ſine claritate nõ dantur: quod etiã ex eo
colliges: quia cõprehenſio eſt cognitio aſ 13.
cendens ſupra plenitudinẽ ſciẽtiæ ex *An-* *Anſelm.*
ſelmo enarrat. 17. in Euang. & colliges ex
verbis Pſal. 17. Aſcendens ſupra Cheru-
bim: id eſt plenitudinẽ ſcientiæ: idem te-
ſtatur S. Maximus, dùm ait, cõprehẽſio-
nem rei eſſe ſuperiorẽ omni cognitione
eiuſdẽ rei: & ex Dionyſio epiſt. 1. ad Caiũ
dũm ait, eam excedere omnem mentem,
& intelligentiã rei cõprehenſę. Denique
eſt participatio veritatis ex *Bernardo 5.* *D. Bern.*
de Conſideratione col. 4. Ex quibus Patrũ
teſtimonijs nõ poteſt dubitari, cõprehẽ-
ſionem rei per ſe includere claritatem, &
certitudinem: & mihi ſatis probatur ex
eo, quod comprehenſio ex natura ſua di-
cit cognitionem adæquatam intelligibi-
litati rei; ita vt ſingulas rationes intelli-
gibiles illius diſtinctè apprehendat; quod
fieri non poteſt, niſi ſub claritate alicuius
luminis, ſub quo tota rei intelligibilitas
obiectiuè appareat, ob quã rationem D.
Thomas à ratione cõprehenſionis reijcit
cognitionem opinatiuã, vt patet ex locis
citatis, & ex 1. p. q. 12, ar. 7. & in hoc ſen-
ſu explicat comprehenſionem eſſe per-
fectam rei cognitionem: res autem per-
fectè cognoſci non poteſt ex parte ſui,

niſi ex parte ipſius cognitionis includat claritatem, & euidentiam eiuſdem rei.

14. Notabile. Aduertendum eſt tamen, comprehenſionem ex parte cognitionis nõ neceſſario poſtulare, vt claritas eius ſit ſumma, & perfectiſsima, qua res eſt cognoſcibilis, quia ſicut cõprehenſio nõ requirit, vt ſit cognitio perfectiſsima, qua res ab aliquo cognoſcente eſt cognoſcibilis, vt diximꝰ in 3. dicẽdi modo: ita nec per ſe poſtulat, vt ſit clariſsima, & euidentiſsima; ſed ſatis eſt, quod habeat cognitionem tam claram, & intenſam, quantum neceſſe eſt ad cognoſcendas, & penetrandas omnes rationes intelligibiles rei, vt inter alios benè aduertit Suarius in d. diſp. 26. ſect. 2. dicto 3. In hoc igitur ſenſu claritas cognitionis comprehenſiuę erit adæquata intelligibilitati rei comprehenſæ; quia ſatis eſt ad illuminandas omnes rei intelligibilitates, vt omnes diſtinctè appareant intellectui comprehendenti; ſiue illa ſit tali intelligibilitati æqualis, ſiue maior: ſola enĩ claritas minor, quam ſit intelligibilitas paſsiua rei, excluditur à ratione comprehenſionis.

§. 5.

In quo nam poſita ſit adæquatio intelligibilitatis rei in concipi, & terminare cognitionem comprehenſiuam?

15. In quo ponatur ex parte rei comprehenſæ. CONſequenter dicendũ eſt de quãtitate intelligibilitatis rei comprehenſæ. ſ. in quonam illa per ſe ſit poſita? quanuis enim omnes conueniant ad cõprehenſionem ſtrictè ſumptam neceſſarium eſſe, vt res cognoſcatur, quantum in ſe eſt cognoſcibilis, ex *D. Thom.* 1. *p. q.* 1 2. *ar.* 7. non conueniunt tamen omnes, quid requiratur, vt aliquid cognoſcatur quantũ in ſe eſt cognoſcibile. Quidã putant ſatis eſſe, quod res cognoſcatur ſecundum ſe totam, id eſt, ſecũdum totam ſuam entitatem: addunt tamen, hoc tunc contingere, cum res cognoſcitur ſecundũ omnia, quæ formaliter ſunt in ea. Et inde inferunt, rem comprehendere nihil eſſe aliud, quàm eam cõprehendere ſecũdum omnia, quæ formaliter ſunt in ea. nec aliquid aliud requiri. Tribuitur hæc opinio *Ochamo in* 4. *q.* 13. *ar.* 1. *in princ. Gabr. in* 3. *diſt.* 14. *q. vnic. art.* 3. *lit.* Q. *Almaino ibidẽ q.* 1. *art.* 2. *dub.* 2. *fol.* 38. *col.* 4. *in principio, Maiori q.* 2. *in fine*: ſed illi non agunt de cõprehẽſione ſtrictè ſumpta, ſed latè, vt idẽ eſt cõprehendere, quod clarè, & diſtinctè videre: quanuis in hoc ſint reprehendẽdi, quòd cõprehenſionem ita ſumptam diffiniant diffinitione Auguſtini, cũ Aug. diffinitionẽ à ſe traditam tribuat comprehenſioni, prout à viſione diſtinguitur.

D. Thom. 1. opinio. *Ocham. Gabr. Almain. Maior.*

16. Eſt Bellomontani. Sed quidquid ſit de Nominalibus vnus eſt Bellomõtanus, qui docet, ad veram, & propriam comprehenſionem, ſatis eſſe, quod nihil eorum, quæ formaliter ſunt in re, cognoſcentem lateat, vt patet *diſp.* 53. *c.* 3. *n.* 12. vbi in fine capitis putat veriorem eſſe ſententiam, quæ ad comprehenſionem, prout diſtinguitur à viſione, nihil aliud requirit, quàm quòd nihil eorum, quæ formaliter ſunt in re, lateat comprehendentem: imò addit, hoc tunc contingere, cum res cognoſcitur ſub omnibus prædicatis, quæ ei conueniunt; vnde quartum cõprehenſionis modum poſitum à Nominalibus, putat continere veram, & propriam rationem comprehenſionis. Dixi, *veram, & propriam,* quia præter iſtam admittit aliam ſtrictiorem, quæ non ſolùm cognoſcit omnia, quę formaliter rei conueniunt; ſed etiam omnia, quæ rem ipſam conſequuntur, & ab ea pendẽt, vt explicat in *d. diſp.* 53. *c.* 8. *n.* 15. Bellomon. §. *Altero autem modo.* Putat tamen hoc per ſe non pertinere ad propriam rationẽ comprehenſionis. Hanc opinionem confirmat; quia diffinitio comprehenſionis, vt à viſione diſtinguitur, tradita ab Aug. (*qua totum ita videtur, vt nihil eius lateat*) verè, & propriè cõuenit cognitioni, qua omnia cognoſcũtur, quę formaliter ſunt in re. Quod cõfirmari etiam poteſt: quia vt aliquod corpus propriè dicatur ab alio corporaliter comprehendi, ſatis eſt, quod tota eius quantitas intrinſeca intra aliud claudatur. Ergo vt metaphora ſeruet[ur], vt vna res ab alia verè, & propriè cognitione comprehendatur, ſatis erit, ſi tota, ſicut in ſe eſt, & ſecundum ea, quæ formaliter includit, cognoſcatur.

17. Reijcitur. Hæc tamen ſententia ab alijs omnibus reijcitur: omnes enim ſimpliciter negãt, beatos Deum verè, & propriè comprehendere; cum tamen concedant quemlibet beatum videre totum Deum, & omnes perfectiones, quæ formaliter ſunt in Deo. Vnde negant diffinitionem Auguſtini conuenire cognitioni, quæ totam rem

rem cognoſcit cum omnibus, quæ formaliter ſunt in ea: nec enim diffinitio ita eſt explicanda, vt nihil eorum, quæ in re formaliter ſunt, videntem lateat; ſed vt nihil eorum, quæ in re ſunt, vel formaliter; vel alio modo, lateat videntem. Quæ verò ſint iſta, quæ latere non debent? iam explicamus.

18. 2. Opinio. Eſt alia explicatio eorum, qui putant, creaturas nõ videri in Deo, ſed extra Deũ ex vi tamen viſionis, in hoc ſenſu, vt viſio ſit cauſa, cur illa reuelentur: hi igitur, vt defendant, Deum à beatis eſſe incomprehenſibilẽ (nec enim putant, hoc poſſe negari) volunt, tunc aliquam rem comprehendi; quando nõ ſolùm cognoſcitur quidquid in illa eſt formaliter; ſed etiam quidquid poteſt eam conſequi, vel ab ea pendere: etenim id omne ad eam aliquo modo pertinet: & putant, hanc ſententiã eſſe Nominaliũ in quarta acceptione cõprehenſionis: cùm verò hanc comprehẽſionem denegent creato intellectui in ordine ad Deum, illam diffinitionem non intelligunt de prædicatis intrinſecis rei (volunt enim beatos omnia prædicata Deo intrinſeca videre) ſed de prædicatis, quæ extrinſecè conueniũt; qualia in Deo ſunt, quæ reſpiciunt creaturas: ita Bello-
Bellom. montanus *in dicta diſp.* 53. *cap.* 4. *num.* 15. *&* 16. Et addit comprehenſionem intellectiuam in hoc diſtingui à corporea; quoniam ad hanc ſatis eſt, quòd corpus comprehendatur quoad totam quantitatẽ intrinſecam; quod non ſatis eſt ad comprehenſionem intellectiuam: in ea enim nõ ſolùm prædicata intrinſeca pertinent ad intelligibilitatem rei, ſed etiam extrinſeca, quæ poſſunt ab ea emanare. Addit deinde, ad comprehenſionem intellectiuam requiri, vt ex vi viſionis cognoſcẽs attingat prædicata extrinſeca: tunc autem ex vi ſua illa attinget, quando illa cognoſcit, quia totum cognoſcit. ¶ Hanc explica-
Suar. tionem impugnat Suarius *in dicto cap.* 29.
Lorca. *num.* 8. *& Lorca* 1. *tom. ad* 1. 2. *diſput.* 33. *de Beatitudine Memb.* 3. Ego tamen puto, eã coincidere cum communi explicatione, de qua ſtatim.

19. Dicendũ eſt igitur tunc rẽ in ſeipſa & ex parte ſui cognoſci, quantũ eſt cognoſcibilis, quãdo cognoſcitur ſecundũ õnia, quæ & formaliter, & eminẽter ſiue virtualiter continet: ita vt cognoſcatur ſecundum omnem habitudinem, & connexionem ſecundum quam cognoſci valet: in hoc conueniunt omnes recentiores, ſi benè expendantur. In terminis ita explicat Suarius *in d. diſp.* 26. *ſect.* 1. §. *Alij ergo, &* *Suar.*
ſect. 2. *in* 2. *&* 3. *dicto, & in dicto lib.* 2. *de* *Cabrera.*
Attribut. negat. cap. 29. *n.* 13. *Cabrera* 2. *to.* *Durand.*
ad 3. *q.* 10. *art.* 1. *diſp.* 1. *concl.* 3. *nu.* 25. *Conſentit Durand. in* 1. *diſt.* 35. *q.* 10. *n.* 1. dũait; *rem cognitione comprehenſiua tunc cognoſci; cum cognoſcitur omni modo, quo cognoſci poteſt.* conſentiunt, qui volunt, obiectũ cognoſci comprehenſiuè, cum cognoſcitur *D. Thom.*
totum, & totaliter, vt *D. Thomas* 1. *p. q.* 12 *art.* 10. *&* 3. *p. q.* 10. *art.* 1. *ad* 1. *&* 3. *contra gent. c.* 55. *& de Veritate q.* 8. *art.* 2. *in corp. & ad* 2. *&* 6: nihil enim aliud eſt, rem aliquam totam totaliter cognoſci, quàm cognoſci ſecundum omnem habitudinem, & connexionem, ſecundum quam poteſt cognoſci; ſiue illa habitudo ſit formalis, ſiue virtualis, & eminentialis: nam cauſa tunc dicitur comprehendi, cùm in ea videntur tùm omnes effectus, tum omnes effectuum rationes, cum quibus cauſa cõnectitur, ex D. Thoma 1. p. q. 12. arti. 8, alioquin intelligibilitas rei cognitione nõ circũſcriberetur, quod ex Auguſtino ad comprehenſionem neceſſariò requiritur.

20. Quid de cõnexionibus obedientialibus. Vtrùm verò neceſſarium ſit cognoſcere rem ſecundũ omnes connexiones etiã obedientiales? alterius eſt quæſtionis.
Suar. *Negat Suarius in d. diſp.* 29. *ſect.* 2. §. *Dices ergo*: quia ſatis eſt rem cognoſcere ſecundum omnem naturalem eius habitudinẽ: nam cognoſcere omnem illius obedientialem habitudinem, potius ſpectat ad comprehenſionem omnipotentiæ. Alij id cõcedunt exiſtimantes: neceſſario requiri, vt cognoſcãtur omnes rei habitudines tã naturales, quàm obedientiales: vnde negant, intellectum creatum poſſe aliquam creaturam, etiam ſibi inferiorem, naturaliter comprehendere. An verò ſupernaturaliter eleuata id poſſit? plerique negant; quia connexiones obedientiales ſũt infinitæ: alij concedunt; quia inde non infertur, Deum cõprehendi, cum quibus eſt Suarius. Hoc diſſoluere ad nos modò non pertinet: non negarem tamen, comprehenſionem diſtingui in eam, quę naturaliter fit; & in eam, quæ fit per eleuationem ſupernaturalem: illa eſt minus perfecta, hæc verò perfectior.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus ab aliquo beato aut comprehendatur; aut poſsit comprehēdi?

§. 1.

De comprehenſione large ſumpta.

1. EX dictis in 1.art.patet, comprehēſionem,& ſumi largè,& ſtrictè.Largè;vt idem eſt comprehēdere rem, quod eā attingere,& apprehendere: propriè verô, idem eſt, quòd rem intellectu ita complecti,vt nihil eius lateat.

2. 1. Concluſ. In priori ſenſu, ſit prima concluſio: *Deus in Patria à quocunque beato viſione cō prehenditur,* Eſt indubitata: probatur enī ex Paulo 1.Corint,9.dum ait: *Sic currite vt comprehendatis,* id eſt,in hac vita ſic per bona opera viuendo currite, vt in Patria Deum videndo teneàtis, poſsideatiſque Ad Philippenſes 3. *Non quòd iam acceperim: ſequor autem, ſi comprehendam,* ſc.per gloriā ſupernę beatitudinis: ſtatim enim addit: *Fratres ego me non arbitror comprehēdiſſe: ad deſtinatum perſequor; ad brauium ſupernæ vocationis,* vt. ſc.comprehendam; ſupponit igitur Paulus, Deum in Patria à beatis comprehendi;prout comprehendere,idem eſt, quod tenere,apprehendere,& accipere. Vnde in d.c,9. 1.ad Cor. comprehendere brauiū explicat per accipere,dum ait: *Vnus accipit brauium.* Vnde beati dicuntur comprehenſòres: quia.ſc. Deum in ſe ipſo tenent,& poſsident.De hoc videndus eſt *D.Thomas 1.p.q.12.art.7.ad primum. & in 4.diſt.49.q.2. art.3. ad 1,* vt in re clariſsima alios omittamus.

§. 2.

Expenditur quæſtio de comprehenſione propriè ſumpta.

3. Quid de cō prehenſiōe propria ſūpta. TOta igitur difficultas eſt, de comprehēſione ſtrictè accepta; an De' ab intellectu creato ita poſsit comprehēdi,vt nihil eius lateat? quæ eſt diffinitio Auguſtini,de qua ſuperius arti. 1. §.1.De hac quæſtione in hoc ſenſu aliqua fuit controuerſia: nam teſte Bonauentura *in 3.diſt.14.artic.1.q.2.* Olim hac de re duæ fuerunt ſententiæ: quidam ſimpliciter affirmabant: alij volebant, eſſentiam Dei comprehendi poſſe;non tamen illius potentiam. Nec modò deeſt, qui ſentiat, non eſſe,aut fide,aut omnibus modis certum, Deum non poſſe ab intellectu creato comprehendi comprehenſione explicata ab Auguſtino: ita *Bellomont.1.p.diſp. 52,& 53:* imò affirmat,Deum de facto à beatis comprehendi: quod iterum repetit.1.tom.in 3.p.q.10.art.1.in Cōment. literæ.Addit, *Comprehenſione explicata ab Auguſtino;* quia licet exiſtimet, diffinitionem Auguſtini explicare verā,&propriam comprehenſionem; vt tamen ſaluet communem Theologorum doctrinā docet, comprehenſionē poſſe ſumi modo alio ſtrictiori, vt ſcilicet comprehendere non tantum ſit cognoſcere omnia, quæ formaliter ſunt in re;ſed etiam cognoſcere quidquid ad ipſam conſequitur, & ab ea pendet,vt declarat *in dicta diſput. 53.cap.4.nu.15.* Et in hoc ſenſu cum cæteris docet Deum à beatis comprehendi non poſſe. Bellomont. opinio.

4. 2. Conl. Statuēda tamen eſt ſecunda concluſio tanquam indubitata: *Fieri nullo modo poteſt etiam per diuinam potentiam, vt Deus ab intellectu creato comprehendatur comprehenſione ab Auguſtino diffinita.* Hanc eſſe ab omnibus receptā libenter fatetur Bellomontanus. Eam igitur primò confirmamus,quia recipitur communi Scholaſticorum conſenſu. 1.Confir. Ita *Magiſter in 3.diſtin. 14.D.Thomas 1.p.q.12.art.7.& in 4. diſt. 49.q.1.art.3.& 3.p.q.10.art.1.& 2.& 3. contra gentes, cap.55.& de veritate q.8.ar. 2. Conſentiunt omnes Thomiſtæ: Caietanus 1.p.q.12.art.7.vbi Pereſius,Bañes cum cæteris omnibus,Ferrar.3.cont.gent.c.55. Medina 3.p.q.10.art.1.Sotus in 4.diſtin.49.q.3. art.1,Capreol.in 3.diſt.14.q.1.Ex antiquioribus Alenſis 1.p.q.7.memb.1. Albert.in 3. diſt.14.art.1.vbi Bonauent.art. 1. q. 2.Richard. q.4.Durand.q.1.num.10,Palud. 1. in fine,vbi etiam Scotus q.2.lit.G. Ouandus in 4.diſt.49.propoſ.12.& in 3.diſt.14.propoſ.3.& Herrer.in 1.diſt.14.q.4.concluſ.1. Ocham.in 4.q.13.art.1.Gabriel.in 3. diſtin. diſt. 14.q.vnica art.3.*Almainus.q, vnica, nō lōgè à fine, *Maior in 4.d.49.q.15.Mol, 1.p.q.12.art.1.Valentia 1.tom.q.12. at.7. puncto 5.Suarius 1.tom.ad 3.p.diſp.26.ſec. 2.& in Metaphyſi.diſp.30. ſect. 1. numero 2.& 5.& lib.2.de Attributis negat. cap.5. per totum,& cap.29.nu.13.& 14.Lorca 1. tom.ad primam 2.q.5.ar.2.diſp.33.de Beatitudine*

Magiſter. D.Thom. Caietan: Ferrarien. Medin. Sotus. Capreol: Albert. D.Bonau. Richard. Durand. Palud. Scotus. Ocham, Gabriel. Maior. Molin. Valentia. Suarius. *Lorca.*

Cabrera. *tudine membr. 1. vſque ad 4. Salas ibidem tractat. 2. diſp. 4. ſect. 6. Cabrera 2. tomo ad 3. parte. q. 10. art. 1. diſp. 2. nu. 11.*

5. 2. Confirm. Secundo confirmatur; quia inter Patres eſt communiſsima, quidquid Bellomontanus repugnet: eam clare ſcribit *Auguſtinus epiſtol. 112. cap. 8.* quem omnino vide. *Auguſt.* At, inquit Bellomontanus, Auguſtinum differentiam inter videre, & comprehendere poſuiſſe in viſione corporali, non verò in viſione diuinæ eſſentiæ; ſed ſi diligenter legeris Auguſtinum facilè videbis, quàm oſcitanter illum legerit Bellomontanus, vnde meritò illum admiratur Salas vbi ſuprà. Eandem differentiam inter videre, & comprehendere ponit Auguſtinus *Sermo 38. de Verbis Domini cap. tertio, tom. 10.* ita inquens: *De Deo loquimur; quid mirum, ſi non comprehendis? Si enim comprehendis, non eſt Deus: attingere aliquantulum mente Deum, magna eſt beatitudo: comprehendere enim omnino impoſsibile.* Vide, quæ inferiùs ſcribit in illis verbis: *Quid ergo de illis verbis dici poteſt, cum ſequentibus.* At inquit Bellomtanus, verba illa intelligi de viatoribus: ſed magis oſcitanter Auguſtinum in illo loco legit: agit enim de oculo puro iam Deum vidẽte, vt patet ex illis verbis: iuxta illud, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Cui accedit, quoniam viſio obiecti beatifici, quæ in via fit per fidem; fit etiam à peccatoribus, qui corde credũt immundo, qui non poſſunt dici beati. Addimus Auguſt. agere de viſione; qua homo videns fit viuens vita perpetua, & fit quod nõ erat, quod viſioni per fidem accõmodari non poteſt. Quare ſolutio meritò reiicitur à Sala vbi ſupra pagin. 282. col. 1. Vbi alios locos Auguſtini adducit. Imò adducit innumeros alios Patres cũ Suario, & alijs; à quorum examinatione contra ſolutiones Bellomontani ſuperſedemus: ſatis ſit, omnes Theologos, Bellomontano excepto, conſtanter affirmare; hanc eſſe indubitatam Patrum doctrinã.

6. 3. Confirm. *Cõc. Late.* Tertio probatur diffinitionibus Conciliorũ: nam in Lateranenſi ſub Innocentio 3. in cap. firmiter de ſumma Trinitate Patres firmiter credunt, *Quòd Deus ſit immenſus, & incomprehenſibilis.* Non recipitur Bellom. At reſpõdet Bellomont. diſp. 52. cap. 3. nu. 10. Cõcilium egiſſe de ſolis viatoribus; nam in eodem ſenſu Deus creditur ineffabilis; cũ tamen ſolis viatoribus talis ſit, non verò beatis: ſed in hoc decipitur: quia nec à beatis mente, mentiſq; locutione poteſt exactè, & adæquatè explicari, ſicut nec adæquatè intelligi, vt in ſe eſt intelligibilis. Quę enĩ adæquatè nõ intelligimus, nec adæquatè verbis etiam mentalibus explicamus. Quare ſicut errat, putans Deum à beatis comprehendi; ita etiam errat dum ait, poſſe à beatis adæquatè effari, atq; explicari. Accedit, quia Concilium ſimpliciter profitetur, *Deum eſſe æternum, immenſum, incommutabilem, incomprehẽſibilẽ, omnipotentem, & ineffabilem.* Quæ omnia cõfitetur in ſenſu, in quo omnia illa cõmuniter ſumuntur: vt. ſ. credat, Deum eſſe æternum; quia nullum durationis finem habet: eſſe immenſum; quia nullo ſpatio contineri poteſt: eſſe immutabilem; quia abſolutè mutari non poteſt: in eo igitur ſenſu illum confitetur incõprehenſibilẽ; quia. ſ. à nullo creato intellectu comprehendi poteſt; in hoc enim ſenſu ab omnibus dicitur incomprehenſibilis: vnde Patres Concilij in eodem credunt, Deũ eſſe incomprehenſibilem: nam in eodem Patres Concilij Baſilienſis damnarunt cuiuſdam Auguſtini de Roma aſſertionẽ, quod anima Chriſti Deum comprehenderit: cum verò Chriſtus ſecundũ partem ſuperiorem animæ non eſſet viator, ſed beatus, vtique illam aſſertionem damnarũt, non in ſolis viatoribus, ſed etiam beatis. Quare grauiores Eccleſiæ Doctores in illo Concilio comprehenſionem Dei beatis denegarunt. Vnde D. Bonauẽtura vbi ſupra n. 12. refert, quendam retractaſſe aſſertionem, quòd diuina eſſentia eſſet cõprehenſibilis.

Quarto loco probatur pluribus ſacræ Scripturę locis. Ieremiæ cap. 32. *Magnus* 7. 4. Confirm.
conſilio; & incomprehenſibilis cogitatu, id eſt cognitione creati intellectus. Pſal. 91. *Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.* Romanorum 12. *Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* Iob. 9. *Qui facit magna, & incomprehenſibilia:* Iob. 11. *Forſitan veſtigia eius comprehendes? aut omnipotentem vſque ad perfectũ reperies? excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, vnde cognoſcas?* Iob. 36. *Quis poterit ſcrutari vias eius? & cætera, omnes homines vident eum; vnuſquiſq; intuetur procul magnus Deus vincens ſcientiam noſtram*

noſtram. Primę ad Timothæũ 6, *Lucem inhabitat inacceſsibilem.*

7. 5. Confir. Quinto loco ab omnibus hac ratione demonſtratur. Deus eſt immenſus, & infinitus, non ſolùm immenſitate loci, ſed etiam entitatis, & ſubinde intelligibilitatis. Infinitum autem intelligibilitate non poteſt comprehendi ab intellectu virtutis finitæ. Ergo cum intellectus creatus habeat finitam virtutem, nulla ratione poterit comprehendere infinitam Dei intelligibilitatem. Diſcurſus iſte conſtat, ex propoſitionibus, & in fide, & in Philoſophia euidentibus: nam quod Deus ſit immenſus, & infinitus infinitate entitatis, & fides docet, & ratio naturalis demõſtrat. Ex hoc autem neceſſario infertur, Deũ eſſe infinitum intelligibilitate: nam cum eſſe intelligibile ſit paſsio entis; non poterit aliquod ens eſſe infinitę entitatis, quin ſimul ſit infinitæ intelligibilitatis: quæ fuit maior. Minor verò ſatis demonſtratur ex definitione comprehenſionis poſita §. 1. Comprehenſio enim propriè ſũpta nihil eſt aliud, quàm incluſio intelligibilis in ipſa intelligentis cognitione: & inde eſt, vt illud dicatur cognitione comprehendi, quod ſecundum ſuam totam intelligibilitatem in ipſa cognitione ita includitur, vt nihil intelligibilitatis eius extra cognitionem maneat, vt patet ex definitione tradita ab Auguſtino, & ſuperiꝰ explicata. Ex quo euidenter infertur, diuinam intelligibilitatem, cum ſit infinita, non poſſe comprehendi cognitione virtutis finitæ: patet enim infinitũ nõ poſſe ſecundum ſe totum adæquatè contineri in aliquo finito, quia ſemper aliquid eius extra manebit, quod cõprehenſioni propriè ſumptæ repugnat.

§. 3.

Soluuntur argumenta in contrarium.

8. 1. argum. Contra hanc reſolutionem primo obijcitur: quoniam ex D. Thoma 2. cont. gent. cap. 98. Subſtantia intellectualis, ideo quia intellectualis, eſt comprehenſiua totius entis.

Solutio. ¶ Reſpondetur, D. Thomam nomen comprehẽſionis accepiſſe lato modo, vt comprehendere idem eſt, quòd cognoſcere: nam in illo loco volebat oſtendere, naturã intellectualẽ ex ſe eſſe cognoſcitiuã totiꝰ entis.

Secundo; Deus, vt comprehenſibilis, non minus continetur ſub obiecto, adæquato intellectus creati, quàm vt viſibilis. 9. 2. Argum.

¶ Omiſsis, quæ ſcribit *Cabrera in d. diſp.* 2. *num.* 15. negandum eſt antecedens: quia Deus viſus, licet ſit infinitus, finitè tamen eſt viſus, & ideo continetur ſub obiecto intellectus intenſiuè adæquato: iam verò Deus comprehenſus eſt infinitus in finitè cognitus, quo pacto ſub tali obiecto non continetur. Solutio.

Tertiò; cognitio beata cuiuſcumque beati eſt infinita; ergo eſt comprehenſiua Dei. Conſequentia patet, antecedens probatur; quoniam quò obiectum cognitionis eſt perfectius, eo cognitio eſt perfectior. Sed obiectum viſionis beatæ in infinitum eſt perfectius quocumque obiecto creato, vt patet. Deinde; quia excedit infinitas cognitiones creaturarũ poſſibilium. 10. 3. Argum.

¶ Negandum eſt antecedens: ad cuius probationem reſpondet *Cabrera in d. diſp.* 2. *ad* 3. *nu.* 42. Facilius reſpondebis ex ijs, quæ diximus *ſupra lib.* 8. *in* 2. *p. q.* 11. *ar.* 6. §. 2. *num.* 13. Maiorem eſſe negandam; ſi intelligatur de obiecto ſumpto materialiter, & in genere rei; quia ſicut (vt ſic) nõ ſpecificat cognitionem; ita nec eam perficit: admittendum eſt tamen de obiecto, vt formaliter eſt obiectum, & prout eſt intelligibile quoddam: in quo ſenſu Deus à nobis cognitus non in infinitum diſtat ab alijs, vt in citato loco oſtendimus. Solutio.

Quarto de potentia abſoluta poteſt animæ beatæ conferri lumen infinitum, vt plures volunt cum Scoto *in* 3. *diſt.* 13. *ad* 3. & 4. Ergo anima, ſaltem de potentia abſoluta, poteſt Deum comprehendere. Cõſequentia probatur: quia cũ lumine infinito eum comprehenderet, vt ſatis colliges ex D. Thoma 1. p. q. 12. art. 7; vbi ex eo intellectui creato denegat comprehenſionem; quia lumen infinitum habere nõ poteſt. Accedit; quia anima illa cum infinito lumine infinitam eliceret viſionem, quæ non poteſt nõ eſſe comprehenſiua. 11. 4. Argum. Scotus.

¶ Facilis eſt ſolutio apud eos, qui negant, poſſe etiam diuina potentia, dari aliquod ens intenſiuè infinitum: quæ eſt cõmunior opinio, & longè probabilior, vt videre eſt apud *Conimb.* 3. *Phyſicor. cap.* 8. *q.* 2. *art.* 2. vbi referunt D. Thomã, & plures alios: quam opinionem, vt longè probabiliorẽ, defen- Solutio.

defendunt artic. 3. & cum illis Ruuius in eodem lib. & cap. 8. in tract. de infinito q. tertia.

13. ¶ Difficilior eſt ſolutio apud eos, qui affirmantem partem probauerunt, cum omnibus ferè Nominalibus; quam probabilem eſſe defendunt Conimbricenſes, & Ruuius. Nititur argumentum diſſoluere Cabrera *in dicta diſp. 2. ad 3. n. 19.* vbi admiſſo antecedente, negat conſequentiam, quia lumen illud infinitum, cum ſit creatum non comprehenderet diuinam eſſentiā: nec enim adæquaret ipſam Dei cognoſcibilitatē, quę ſolū adæquari poteſt per lumen ſimpliciter, & abſolutè infinitum, quale non eſt lumen creatum. Quam ſolutionem ſumpſit ex *Aliaco in 1. q. 13. art. 3. fol. 198. col. 3. §. Pro iſto dico quarto.* Sed profectò ſolutio non tollit, quominus lumen illud creatum adæquet ipſam diuinam intelligibilitatem, cum illam illuminet, quantum in ſe eſt intelligibilis: etenim, vt diximus ſupra artic. 1. ad comprehenſionem non requiritur, quòd lumen ſit in ſe ipſo infinitum infinitate ſimpliciter, & quoad eſſe.

Cabrera. 14. Aliacus. Non placet

15. Alia ſolutio ¶ Secundo loco poſſet aliquis dicere, quòd poſito infinito lumine, ideo Deus non comprehenderetur; quia Deus non concurret cum eo ad comprehenſionem adæquatā, ſed ad inadæquatam ſolùm, & non comprehenſiuam. Quæ ſolutio fundamentum habet in eodem Aliaco, & probant *Conimbricenſes in dicta q. 2. artic. 4. ad 9.* quod ſcilicet poſita grauitate infinita in lapide, lapis non deſcenderet in inſtanti; quia Deus ad talem motum cum eo non concurreret. Sed ſolutio ex eo placere non debet, quia ſupponit, lumen illud ex ſua natura eſſe comprehenſiuū Dei, ideo autem actualiter eum nō comprehendere, quia Deus illi negat generalem concurſum: ¶ Quare melius dices cum eodem Aliaco, lumen intenſiuè infinitum poſſe quidē à Deo produci; non tamen in ſubiecto, ſed extra ſubiectū. Nec hoc eſt nouum; quia apud nonnullos poteſt De⁹ producere intellectionē ſine intellectu, extra tamen ipſum, nō verò in ipſo; quia in intellectu dari non poteſt, niſi intellectu actiuè concurrente,

Non placet

16. Vera ſolutio

17. 5. argum. Quinto obicitur: quoniam intellectus beati comprehendit ipſam beatam viſionem: hæc enim in ſe eſt comprehenſibilis: hæc autem comprehendi non poteſt, quin comprehendatur ipſa diuina eſſentia, quę eſt illius obiectum, à quo ſpecificatur: nec enim actus comprehendi poteſt, quin comprehendatur obiectū illud ſpecificans, ¶ Multa pro ſolutione ſcribit Cabrera vbi ſupra ad 8. num. 43. Sed illis omiſsis, facilè reſpondebis, negando minorem, ſi intelligatur de eſſentia ſecūdum adęquatam ſuam intelligibilitatem, ſecundum quam non ſpecificat viſionem ſed ſecundum rationem intelligibilem finitam, ſecundum quam videtur. Solutio.

18. 6. argum. Sexto, quilibet beatus cognoſcit diuinam eſſentiam per propriam, & quidditatiuam illius rationem. Ergo quilibet comprehendit eam. Antecedens patet; conſequentia probatur: quoniam ex *D. Thoma in 4. diſt. 4. q. 2, art. 3. ad 5.* res tūc comprehenditur, cum per ſuam definitionem cognoſcitur, ¶ In ſolutione huius argumenti latè ſpatiatur Caberera vbi ſupra ad 6. num. 34. & facilè ſoluitur ex doctrina eiuſdem D. Thomæ vbi ſupra. Dicendum enim eſt ad antecedens, beatum cognoſcere diuinam eſſentiam per definitionem, & quidditatem illius; cognitā tamen non adęquatē, ſed inadæquatè: & ſubinde per quidditatem cognitam ſecundum ſe totam, non tamen totaliter, vt cōmuniter Theologi loquuntur: quæ definitiua cognitio non ſatis eſt, vt eſſentia comprehenſiuè cognoſcatur; ſed opus eſt, vt cognoſcatur totaliter, ex D. Thoma in eodem loco. Solutio.

Plura alia argumenta adducuntur, quę vim non habent, & ſatis ſoluuntur à Cabrera in d. diſp. 2.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Deum eſſe incomprehenſibilem ab intellectu creato ſit de fide?

IN hoc articulo non video omnes ex Recentioribus conuenire. Nam Bellomontan. ſatis expreſsè ſignificat, rē non adeo apertam eſſe, vt de Fide ab Eccleſia definitā. *Ita ſcribit prima parte diſp. 53. num. 1. in fine. Nam ib. & in diſput. 51.* præcedenti totus eſt in explicando, tùm Sacræ Sripturæ locis, tùm Eccleſiæ diffinitionibus, tum denique Patrum teſtimonijs 1. Opinio Bellomont.

monijs, Et quamuis *in dicta diſp.53.capi.4.num.15.* explicet quēdam comprehenſionis modum iuxta quem Deus ab intellectu creato comprehendi nequeat, tamen non explicat modum illum ab Eccleſia fuiſſe definitum: quin potiùs multis oſtendit, iuxta definitionem comprehenſionis ab Auguſtino traditam, ſ. *Comprehendere non eſſe aliud, quam ita rem videre, vt nihil videntem lateat;* qua putat veram, & propriam comprehenſionem definiri; Deum verè, & propriè comprehendi à beatis. Imò *diſp.52.cap.2.num.3.* ſatis explicat hoc ſolùm eſſe de Fide, ſi comprehenſio ſolùm ſumatur pro cognitione æqualis perfectionis cum ipſo obiecto: non eſſe tamen de Fide, Deum ſecundum omnem modum comprehenſionis non comprehendi à beatis, quāuis de Fide ſit eum non comprehendi à viatoribus.

2. Opinio Suarij. Suarius quamuis ſimpliciter affirmet de Fide eſſe, Deum eſſe incomprehenſibilē quacunque creata cognitione, ita, vt abſolutè ab intellectu creato cōprehendi nequeat comprehenſione, quæ propriè, & abſolutè ſit perfecta; putat tamen nō eſſe de Fide certum, in quo hæc vera, & propria comprehenſio conſiſtat. Ita ſuam mentem explicat *1.tom.ad 3.p. diſpu.26. ſect: 2.pag. 520.col.1. §. Nihilominus dico primo. ibi pag. 521.colu.2.in fine, §. Ad rationem reſpondetur* concluſionem quidē eſſe de Fide: ſub opinione tamen eſſe de quanam comprehenſione veritas illa fidei ſit explicāda. Sed quia is dicendi modus forte anſam præbet, vt veritas illa Fidei ſine aliqua temeritate longè aliter explicetur, quam communis Eccleſiæ ſenſus illam veritatē explicat, ideo *lib.2. de Attributis negatiuis cap. 5. nu.3.* clarius ſuam explicat mentem; aduertens veritatem iſtam in eo ſenſu dici de Fide, in quo per eam affirmatur, Deum in rigoroſa ſignificatione illius vocis eſſe incomprehenſibilem; ita vt detur aliqua vera, & propria ſignificatio huius vocis, *Comprehenſio*, in qua verè verificetur Deum eſſe à creato intellectu incomprehenſibilem: & inde infert, Fidem non diffinire, Deum in alia ſignificatione dici non poſſe comprehenſibilem; quam opinionem puto eſſe verā ſi benè explicetur; adhuc enim explicatione indiget.

3. Opinio Valent. Valentia *1.tom.q.12.punct.5.pag.199.* ſolum rem definit de lege ordinaria, nihil dicens de potentia abſoluta: quaſi fateatur in hoc ſenſu poſſe Deum comprehēdi: & agit de comprehenſione præfectiſſima.

4. 1. Propoſit. Pro vera, & clara reſolutione ſit prima propoſitio; *Simpliciter, & abſolutè aſſerendum eſt eſſe de Fide, Deum à nullo creato intellectu, etiam Chriſti Domini, comprehendi poſſe.* Hanc propoſitionem ſimpliciter docent non Recentiorum aliquis, vt putat Bellomont. ſed omnes quotquot poſt Sotū ſcripſerunt, vno excepto *Bellomontano: ita Sot. in 4.diſt.49.q.3.art.1. in prima concl.pag.594.colu.2. Simpliciter id affirmat Molin.1.p.q.12.art.7. §. Ex hac ergo poſteriori ſignificatione, vbi Bañes in principio, & Cumelius in aduerſionib. ad literam poſt princip. Pezant.diſp.1. §. Primo dico. vbi affirmat id communi conſenſu ſcholaſticorum eſſe reſolutum. Salas 1.tom.ad 1.2. q.3. tract:2.diſp.4.ſect.6.nu.81.pag. 279. Lorca etiam 1.tom.ad 1. 2. q.5.diſp.33. de Beatitud.memb.2.§.Contrariam ſententiā, & §.Verumtamen ego. Medin.3.p.q.10.ar. 1.vbi etiam Cabrera 2.tom.diſp.2. num. 11. Herrer.1.tom.diſp.1.q.4.concl.1.pag. 479. col.2.* cū omnibus Nouioribus, qui hac de re ſcribunt. Quin potiùs Suarius in omnibus citatis locis libenter fatetur, hāc concluſionem ſimpliciter prolatam eſſe de Fide, vt patet *ex d.diſp.26.§.Nihilominus dico primo, & clarius lib.2.de Attributis negatiuis, cap.5.nu.2.* ita ſcribens, *Hanc aſſertionem ſic abſolutè propoſitam cenſeo abſolutè de Fide:* eandem cenſuram ſatis approbat *Albert. Mag.in 3. diſt: 14. artic.1.* Vnde ſimpliciter ait eſſe blaſphemiam contra Chriſti diuinitatem dicere, animā illius eam comprehendere: quod dictum falsò tribuitur Paludano *in dicta diſt.14: q.1. ad finem,* quia ibi ſolùm dicit, talem comprehenſionem eſſe impoſsibilem: & ſatis eſt de mente *D.Bonauent. ib, artic.1. q.2.num.12.* dum ait, eos qui ſimpliciter aſſeruerunt diuinam eſſentiam, & ab anima Chriſti, & ab alijs beatis comprehendi, ſuam ſententiam retractaſſe; quam retractationē ibidem approbat. Ex quibus patet, nec Sotum fuiſſe huius cenſuræ authorem, nec illam ex Recentioribus ſolū aliquos approbaſſe. Hanc primam aſſertionem latè probant *Suarius, & Salas:*

Sotus. Molin. Bañes. Cumelius. Pezant. Salas. Lorca. Medin. Cabrera. Herrer. Suar. Albert. Palud. D.Bonau.

ſatis

Conc. Lat. *ſatis mihi ſit*, quod in Lateranenſi Concilio in capite firmiter de Summa Trinitate illa ſimpliciter ſub his verbis diffinitur; *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd vnus ſolus eſt Deus, æternus, immẽſus, incomprehẽſibilis.* Hæc igitur propoſitio ſimpliciter prolata debet tanquam de Fide admitti. Cui accedit, quod à Paulo Romanorũ 11. *Iudicia Dei ſimpliciter, & abſolutè dicuntur incõprehenſibilia, & viæ illius ſimpliciter inueſtigabiles*: & Iob capite 11. *Simpliciter, & abſolutè negat veſtigia Dei poſſe comprehendi*: quod etiam ſimpliciter affirmatur Eccleſ. 53. & pluribus alijs in locis: quare qui noſtram aſſertionem ſimpliciter, & abſolutè negaret, vt hæreticus eſſet iudicandus.

Confirmat ex Paul. Romano. 11.

Iob. 11.

5. 2. Propoſit. Secunda propoſitio. *De Fide eſt, Deum non poſſe à creatura comprehendi comprehenſione, quæ verè, & propriè ſit comprehenſio.* Hæc propoſitio ex præcedenti demonſtratur: nam fides abſolutè, & ſimpliciter docet, Deum à nulla creatura comprehendi poſſe, vt patet ex prima propoſitione: ſed apud omnes conſtat, verba ſimpliciter prolata accipienda eſſe in vera, & propria ſignificatione, non verò in ſignificatione impropria. Nam ſicut quod propriè eſt tale, ſimpliciter eſt tale, ita quod impropriè eſt tale, ſimpliciter non eſt tale; quare cum fides negat Deum aliqua comprehenſione à creatura poſſe comprehendi, ſimpliciter negabit Deum poſſe à creatura comprehendi comprehenſione, quæ propriè ſit comprehenſio: non negabit tamen poſſe comprehendi comprehẽſione, quæ latè, & impropriè eſt comprehenſio. Ex quo infertur Conciliũ Lateranenſe negare omnem comprehenſionem, quæ verè & propriè ſit comprehenſio. Nam ſi Deus poſſet comprehendi comprehenſione, quę verè, & propriè eſſet comprehenſio, iam hæc ſimpliciter eſſet vera, Deus à creato intellectu poteſt comprehendi, quia vera comprehenſione comprehenderetur, quamuis comprehendi nequeat alia comprehenſione ſumpta ſtrictiſsimè: vnde ſi plures comprehenſiones forent admittendæ, quæ omnes verè, & propriè eſſent comprehenſiones, ita tamen, vt vna ſit propria, alia verò proprijſsima, & ſtrictiſsima, fides in Lateranenſi explicata ſua diffinitione non modo negaret proprijſsimam comprehenſionem, ſed etiam propriam. Nam cum ſimpliciter neget comprehenſionem, negat omnem, quæ ſimpliciter eſt comprehenſio: iam verò non ſolùm comprehenſio ſtrictiſsimè ſumpta eſt ſimpliciter comprehenſio, ſed etiam quę verè, & propriè eſt comprehenſio: quod enim verè, & propriè eſt tale, ſimpliciter eſt tale; verba autem diffinitionũ abſolutè prolata omnia comprehendunt, quę ſimpliciter ſunt talia: vnde verba ſimpliciter prolata tam in Philoſophia, quã in iure, ſumi debent in propria ſignificatione, vt tanquam notum ſupponimus.

Cõfirmatur

Conc. mẽs.

Ex qua veriſsima reſolutione primo infertur, non eſſe admittendam Theologiam Bellomontani *in dicta diſputatione 53. capite quarto*, ſcilicet, definitionem comprehenſionis datam ab Auguſtino, *vt ſit cognitio rei, cuius nihil videntem lateat*, explicare quidem veram, & propriã comprehenſionem, non tamen ſtrictiſsimam illam, quam ibidem tradit: attamen Deum à beatis illa comprehenſione verè, & propriè comprehendi: non eſt, inquam, admittenda hæc opinio, tùm quia falſo nititur fundamento; quia comprehenſio definita ab Auguſtino eſt comprehenſio ſtrictiſsima, de qua Theologi loquuntur, nec vlla alia dari poteſt comprehenſio, quæ verè, & propria ſit comprehenſio: tùm etiam quia, vt diuiſio illa admittatur, nullo modo admitti debet beatos Deum comprehendere comprehenſione ab Auguſtino explicata, ſi ſemel admittatur tanquam vera, & propria comprehenſio, vt patet ex data reſolutione; vt omittamus, quod ad veram, & propriam comprehenſionem non ſatis eſt cognoſcere ea omnia, quæ formaliter Deo conueniunt, & ſecundum ſuam totalitatem formalem, niſi etiã cognoſcantur totaliter, vt cõmunis Theologorum docet, ſatis conſentaneè ad doctrinam Patrum, vt diximus articulo ſecundo: iam verò quælibet formalis, & attributalis perfectio ſumpta ſecundum propriam rationem, qua à cæteris virtualiter diſtinguitur, infinitos habet intelligibilitatis grad⁹; vnde licet tota cognoſci poſſit, non tamẽ totaliter, vt alibi oſtẽdimus,

6. 1. Corollar.

Nõ admittitur Bellom.

b &

& docet *Molin.1.p,q.12.ar.7.§.Circa reſpõſionem ad 2.pag.129.col. 2. in fine*; quanuis cæteræ omnes cõprehendi poſſent (quod non admittimus) cõprehendi tamen nõ poſſet perfectio eminentialis, quæ formaliter eſt in Deo.

7. 3. Corolla. Secũdo infertur, non ſolũ eſſe de fide, Deum eſſe incõprehenſibilem in hoc ſenſu, vt in aliqua rigoroſa comprehẽſionis ſignificatione ſit incomprehenſibilis; ſed etiam in hoc ſenſũ, vt ſit incomprehenſiblis quacumque comprehenſione, quę verè, & propriè ſit comprehenſio; nã ſi eſt de fide, Deum ſimpliciter, & abſolutê comprehendi non poſſe, vtique erit de fide, eũ cõprehendi nõpoſſe cõprehenſione aliqua, ex qua ſimpliciter verum ſit Deũ comprehendi: iam verò ſimpliciter erit cõprehenſibilis, ſi comprehendatur aliqua comprehenſione, quæ ſimpliciter ſit comprehenſio; talis autem eſt omnis, quę verè, & propriê eſt comprehenſio. Quare non videtur admittenda explicatio Suarij, quam ex ſecundo de Attributis negatiuis adduximus, dum ait, Deum nõ poſſe comprehendi in eo ſenſu, eſſe de fide, quia in aliqua rigoroſa ſignificatione comprehendi non poſſit: hic enim ſenſus coincidit cum ſenſu Bellomontani iam explicato. Quare melius dicemus illam propoſitionem in eo ſenſu eſſe de fide, quia nulla vera, & propria cõprehenſione comprehendi poteſt.

8. 3. Coroll. Tertio infertur, non eſſe admittendum modum dicendi Suarij in dicta diſp. 26. dum ait, de fide eſſe Deum non poſſe comprehendi comprehenſione propria, & perfecta: fidem tamen non docere quænam comprehenſio perfecta ſit, & vera: is enim modus dicendi anſam præbet, vt plures errorem ſuum defendant. Admittimus igitur fidem determinate non diffiniuiſſe, hanc comprehenſionem, aut illam eſſe veram comprehenſionem, ſed ſuppoſuiſſe Philoſophiam explicaſſe, quænam comprehenſio ſit vera, & propria cõprehenſio, quæ vè impropria ſit, & non vera: vera autem, & naturalis ratio dictat, ad veram, & propriam rationem comprehenſionis requiri, vt ſit cognitio, qua res apprehendatur, & cognoſcatur quantum eſt cognoſcibilis: tunc autem rem ita cognoſci, cum ſecundum totam ſuam cognoſcibilitatem in ipſa cognitione includitur, ita vt nihil eius extra cognitionem maneat, quod non cognoſcatur, vt cum Auguſtino omnes agnoſcunt, & ſatis patet ex comprehenſione corporea, ex qua ſumitur metaphora comprehenſionis intellectiuæ. Et quamuis ſit controuerſia, vtrùm cognoſcibilitas rei comprehenſæ ſumenda etiam ſit in ordine ad perfectionem cognitionis ex parte cognoſcentis, vt tunc cognoſcatur perfectiſsima cognitione, qua poteſt ab aliquo cognoſci: tamen omnes conueniunt, neceſſario requiri, vt ex parte rei cognitæ cognoſcatur ſecundum omnem modum intelligibilitatis eius, vt patet ex ijs, quæ diximus in primo articulo, & hoc ſatis eſt, vt Deus ſimpliciter, & abſolutê ſit incomprehenſibilis ab intellectu creato, vt demonſtrat ratio adducta in ſecundo articulo. Fides igitur de illa agit comprehenſione, quæ habet conditionem neceſſariam ex parte rei cognitæ, vt ſit vera, & propria comprehenſio, qualis eſt ea, quam articulo primo explicauimus, quæ ſatis eſt ad demonſtrandam Dei incomprehenſibilitatem: & cum omnes aliæ, quæ à nonnullis adduci ſolent, hanc neceſſario ſupponant, à fortiori ſecundum illam Deus dicetur incomprehenſibilis.

Vltimo infertur, fidem non diffinire Deũm non eſſe comprehenſibilem quacumque comprehenſione, ſed ea ſola, quæ verè, & propriê eſt comprehenſio; quæ verò tales non ſunt, ſed impropriæ, & in ſignificatione huius nominis latè ſumpta, à fide non excluduntur; vt patet *ex articulo ſecundo, concluſio. prima.* Aduertimus tamen contra Bellomontanum, diffinitionem Concilij Lateranenſis, non ſatis tute coarctari ad comprehenſionẽ propriè ſumptam, modificatam tamen vt intelligatur de comprehenſione, quę habetur, vel ſecundum vires naturæ, vel in via, vel ſecundum legem ordinariam; ita vt ſolùm diffiniat Deum comprehendi non poſſe ſecundum vires naturæ, aut in via, aut ſecundum legem ordinariam, quamuis Bellomontanus in hoc ſenſu eã interpretetur, & affirmet *Suarius in dicto capite quinto, numero ſexto*, non eſſe certum: etenim 9. Vltim. corollar. Nota contra Bellom.

etenim Conciliũ ſimpliciter diffinit, Deũ non poſſe cõprehendi comprehenſione, quæ ſimpliciter eſt comprehenſio, vt patet ex his, quæ diximus. Iam verò Deũ ſolùm eſſe incõprehenſibilem viribus naturæ, non tollit quominus ſimpliciter ſit comprehenſibilis: nam Deus in ſe ipſo non eſt viſibilis viribus naturæ; & tamen ſimpliciter eſt viſibilis: & eodem modo, cum non videri in via, aut ſecundum legem ordinariam, nõ arguit Deũ non eſſe ſimpliciter viſibilem: & eadẽ ratione, aliquid non eſſe poſsibile ſecundum potentiam ordinariam, non arguit illud eſſe ſimpliciter impoſsibile. Quare cum Cõciliũ diffiniat ſimpliciter, Deũ eſſe ſimpliciter incõprehenſibilẽ ab intellectu creato, & ex conſequenti ſimpliciter neget cõprehenſionem, quæ in ſe abſolutè, & ſimpliciter ſit comprehenſio, vt patet ex dictis; non ſatis tutè intelligetur de cõprehenſione non ſimpliciter ſumpta, ſed limitata, aut ad vires naturæ, aut ad viam, aut ad potentiam ordinariam.

Mens Concilij:

10. Aſſertio authoris.

Conc. Baſilienſe.

Quare, ego ſimpliciter, & abſolutè affirmo, *Fidem docere, Deũ ab intellectu creato ſimpliciter eſſe incomprehenſibilẽ*, & hunc eſſe ſenſum Concilij Lateranenſis; in quo ſenſu Baſilienſe dãnauit quendã Auguſt, de Roma, quod dixerit, *Deum ſaltem ab anima Chriſti comprehendi*. Et quamuis Conciliũ illud in illa ſect: 22, qua hæc dãnatio ſcribitur, nõ ſit legitimũ, magnam tamen authoritatẽ habet ſumptam ex cõmuni Theologorũ ſentẽtia, quatenus iudicarunt propoſitionẽ illam dignam eſſe damnatione: à fortiori ea digna erit, cum oppoſita, & cõmuni Patrum doctrina cõfirmetur, & ex ſacris literis ſatis efficaciter deducatur: quod oſtẽderemus, niſi cogeremur breuitatẽ ſectari. Satis ſint, quę de hoc ſcribunt Suarius, Salas, & alij.

¶ *Annotatio ad ſequentes articulos.*

Ordo dicendorum.

Suppoſita veritate, quod Deus à beatis de facto videatur, non tamen ab aliquo, & propriè comprehendatur: conſequenter oſtendendum eſt, quæ nam ſint illa, quæ de facto à beatis ex vi viſionis videantur in Deo? cum vero in Deo quædã ſint formaliter, quædã eminẽter: & rurſus quędam in Deo neceſſario ſint, quædã verò libere: explicandũ eſt; vtrùm hæc omnia in ipſo Deo videantur à beatis?

Et vt omnia clarius explicẽtur primũ agemus de ijs, quæ in Deo eminenter cõtinentur; deinde de ijs, quæ continentur formaliter, tàm neceſſariò, quàm libere: quare prius agemus de creaturis, quia hæ in Deo eminenter cõtinentur. De viſione autem creaturarũ in Deo plura poſſumus inquirere: primum; an omnes creaturæ poſsibiles à beatis videãtur? quã quæſtionem in duplici ſenſu poſſumus intelligere: in primo in ſenſu de facto: in 2. in ſenſu de poſsibili: & quia vterq; ſenſus adhuc poteſt dupliciter intelligi; vno modo ſũptis creaturis ſecundum ſolas ſuas eſſentias: altero modo acceptis illis etiam ſecundum ſuas exiſtentias poſsibiles; ideo vtroq; modo agemus de creaturis, tum in quæſtione de facto; tùm de poſsibili. Et prius agem⁹ de illis ſub eſſe ſolius eſsẽtię: poſterius verò de illis dicemus ſub eſſe poſsibili ſuę exiſtentiæ: & iſto modo omnia ſine confuſione explicabuntur:

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm beati de facto videant omnes creaturas poſsibiles, tùm ordinis naturalis, tùm ſupernaturalis: idq́; ſumptis illis ſecundũ ſuas eſſentias abſtrahendo à poſsibilitate exiſtentiæ,

IN hac quæſtione ſupponim⁹ beatos videre creaturas in Deo ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, vt cõtra *Bellom. oſtendimus 1. to. lib. 5. q. 16. ar. 2. & ar. 3. §. 7.* Supponimus etiã creaturas videri in Deo nõ ſolùm, quoad rationes genericas, & ſpecificas, ſed etiã quoad indiuiduales, vt oſtendimus in eodem *lib. 5. q. 19. ar. 2.* Quibus ſuppoſitis, omnes fatentur creaturas ex vi viſionis videri in Deo, quoad eſſe poſsibile ſuæ eſſentiæ, vt diximus *in dicta q. 19. ar. 3. §. 1*: & quãuis aliqui nolint eas in Deo videri, quoad eſſe exiſtentiæ, oppoſitum tamen eſſe verius oſtendimus *in d. artic. 3. §. 2.* His ſuppoſitis explicabimus quæſtiones, quæ de viſione creaturarum in Deo à Theologis excitãtur, Et primũ agem⁹ dè viſione earũ ſecundũ eſſe poſsibile eſſentiæ, De hac autem quæſtione in hoc art. explicabimus quid de facto fiat?

1. Beati vident in Deo creaturas ex vi viſionis, videntur etiã quo ad conditiones indiuiduales. Videntur quoad eſſe poſsibile eſſentiæ, & exiſtentiæ.

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

HAnc quæſtionem iam excitauimus 1. tom. lib. 5. q. 19. art. 4. §. 1. & 3. vbi quinque retulimus opinio- 2.

nes, duas extreme oppoſitas; tres verò medias. Prima ſimpliciter affirmat omnes beatos videre in Deo omnes creaturas poſsibiles, cuiuſcunque illę ſint ordinis: Ita *Magiſter in 3.diſt.14. Albertus ibidem art,1. Alenſis.3.p. q.17.memb.7. Aureolus apud Capreolum in 4.diſt.49. q.6.Godofred. quodlibet.6.q.3.Durand.in 3.diſtin. 14.q.2.& in 4.diſt.49.q.3. Baſſolius in 4. q. prologi art.3.& in 3.diſt.14.q.2. ſatis de omnibus beatis id explicat Maior in 4. diſt. 49.q.16. §, His notatis concl.2.& in argumentis contra eam. Hanc ſententiam non omnino reijcit Bellomontanus 1.p.diſp.49, cap. 2.num.5,* dum ait non omnino eſſe certã opinionem negatiuam: quia, vt ait, ex hac opinione non ſequitur cõprehenſio.

Magiſter. Albert. Alenſ. Aureol. Godofred. Durand. Baſſolius. Maior. Bellomon.

3. 2.Negatiua

Secunda ſententia oppoſita ſimpliciter negat aliquem beatorum de facto videre omnes eſſentias poſsibiles à Deo fieri, nec ipſam Chriſti Domini animam, ita *D.Tho;1.p.q.12.ar.8.& 3.p.q.10,ar.2. & 3.cont.gent.c.56.& de Verit,q.8,ar.4:& in 4.diſt.49.q.2.ar.5. Probant omnes Thomiſtæ. ita Capreol.in 4.diſt.49.q.6.art. 1.& in 3.d.14.q.2.ar.1.concl.1.& vtrobiq; Hiſpalenſ.& Soncin.Ferrar.3.cont. gent.c.56. Caieta.1.p.q.12.ar.8.vbi Sylueſter, Bañes, Cumel.Ripa, cum cæteris D.Thom. diſcipulis.* Caiet.etiam *in 3.q.10.art.2.vbi Medin. cum cæteris eiuſdẽ Scholæ, Sot.in 4.diſt.49. q.3.ar.3.concl.1.Viguerius in ſuis Inſtit. c. 2.verſ.2.Nauarr.1.tom.* Contrauerſiarum *controu.43.§.1.concl.2.fol,267.col.2.& §. 2.cõcl.3 & 4.Cõmunis eſt inter Recentiores noſtri temporis.ita Molina 1.p.q.12,artic.8. diſp.5.ſect.2.Suar.1.to:ad 3.p.diſp. 26.ſect. 3.§.Dico tertio: pag.524.col.1.A.& lib.2. de Attrib.negat.cap.26.nu.12. Salas ad 1. 2. primo tom.q.3.tract.2.diſp.4.ſect. 6.nu. 78,pag.278.col.1.§.Secunda tamen opinio; Lorca 1.tom.ad 1.2.diſp.25.de Beatitudine mem.2.pag.142.col.2.§.Dico ſecundo.Cabrera 2.to.ad.3.p.q.10.a.2.diſp.4.Velloſil. in aduertentiis ad tom.9. Aug. quæſito 16, dubio 3. præceptor Fr. Franciſcus à Chriſto lib.4.de Incarn.q.7.& in 3.d.ſt.14.q.8.Hèrie.de fine hominis cap.10.Herrer.in 1.Scot., diſp.14.q.4.concl.3.pag.479. col.2. in fine Valen.1.to diſp.1.q.12.punc.6. in 2.q.pag. 204. §.De potentia, & lege Dei ordinaria. Ex antiquioribus referri ſolet D.Bonau.in 3 diſt.14,art.2.q.3.* Sed ibi in 5.ſententia ſolùm refert nonnullos, qui hanc ſententiã probauerunt; quam tamen licet dicat eſſe probabilem, aliam tamen opinionẽ probat de qua ſtatim: ſimpliciter tamen eam probarunt *Richad.in 3.diſt.14.ar.4.q.3.& Palud.ibid.q.1.art.3.opinione 3.ad finẽ.fol. 74.col,4.in fine,& in 4.diſt.49.q.2.arti.1. & 2.Argent.in 3.diſt.14.q.vnica ar.3.concluſ.1.& ibidem Carthuſian.q.2.vbi pro ea refert Petrum de Tarantaſia: ſatis eſt de mente Gabr.in eodẽ loco q.1.ar.2.concl.1.Abul. Paradoxo 5. cap.170. & in Prologo ſuper Hieronymũ ad Geneſin q.18.19.& 20.& in Matth.cap.5.q. 43.& 44.* Denique inter nouiores noſtri temporis in Scholis eſt communiſsima.

D. Thom. Capreol. Hiſpal. Sonci. Ferrar. Caietan. Sylueſt. Bañes. Cumel. Ripa. Caietan. Medin. Sotus. Viguerius. Nauarret. Molina. Suar. Salas. Lorca. Cabrera. Veloſil. Franciſcus à Chriſto. Heruæus, Herrera. Valentia. D.Bonau.

Richard. Palud. Argent. Carthuſia. Gabriel, Abulenſis.

4. 3.Opinio.

Tertia opinio media interiacet, docetque omnes ſpecies poſsibiles de facto ab omnibus beatis videri: nõ tamen omnia indiuidua poſsibilia. Hæc opinio tribuitur ſolùm Henrico, & verè eam probat, ſi diligenter expendantur, quæ ſcribit *quodlib.7.q.4.& 5,*

Henric.

5. 4.Opinio.

Quarta ſententia etiã media diſtinguit de viſione creaturarum in Deo in actu primo, & ſuo modo habitualiter, vel in actu ſecundo. Docet igitur ſi ſermo ſit de viſione in actu ſecundo, nec animam Chriſti Domini, nec alium quemcunque beatũ de facto videre omnia poſsibilia à Deo fieri. Si verò ſit ſermo de viſione in actu primo, & habitualiter, animam quidem Chriſti de facto cognoſcere omnia poſsibilia: nullũ tñ ex beatis de facto omnia illa cognoſcere. Hanc ſententiam nõnullos probaſſe refert *D.Bonauent.vbi ſupra, & putat eam eſſe longe probabiliorem. Illã probaſſe Varronem refert Gabr. in 3.diſt.14.q. vnica ar.1.in 4.opinione: vbi in 2. opinione pro eadẽ refert Henric.quodli.5.q.14.*quem in eodẽ loco refert additio marginalis ad Scot. ſtatim citandũ §. *Aliter reſpõdet,* Sed in citato loco Henric. nihil docet, aut de anima Chriſti, aut de beatis. Sed illã ſatis *expreſſe probat idẽ Gabr.in eodẽ loc.in 3.cõc. quã eandem probat Marſil. in 3.q.10.in 3. p.2.art.concl.4.fol.419.col.1. probat etiam Scot.in 3.diſt.14.q.2.lit.O,& clarius in reportatis ad eandẽ diſt.14.q.2.& hãc eſſe opinionẽ Scoti affirmat, & ſequitur Ouand.in 3. d.14.Prop.5.p.102.& ſatis Mayron.ib.q.3. poſt princ.quibus addimus Palat.in eodẽ loc. diſp.1.in ſuis concluſionibus. & ſententijs, pag.155,col.1.& 2. Læliũ Zachiũ in trac. de Chriſto c.6.dicto 11.propoſitione 4.& 5.*

D,Bonau. Gabriel. Marſilius, Scotus. Ouand. Mayron. Palatius. Lælius Zechius,

Qui

Qui omnes licet in hoc conueniāt, vt anima Christi de facto habitualiter videat omnia poſsibilia in actu primo; non tamē omnes ſuam ſententiam vno modo explicant: quidam enim volunt habitualiter hæc cognoſcere nihil eſſe aliud, quam illa cognoſcere per habitum inhærentem oſtenſiuum omnium poſsibiliū: ita D. Bonauent. & Marſilius. Varro tamen, Scotus, & alij non admittunt habitum poſitiuum, & inhęrentem; ſed actum ad diuinam eſſentiā terminatum, in quo omnia poſsibilia ideo relucent habitualiter, quia relucent ſolùm in actu primo, non collectiuè, & ſimul, ſed diſtributiuè; non categorematicè, ſed ſyncategorematicè, quia quodcunque illorum poſsibilium poteſt determinate cognoſcere.

§. 2.

Secunda ſententia eſt veriſsima & tenenda.

6. 2. Opinio tenenda. EX his omnibus omninò tenenda eſt ſecunda opinio, quæ ſimpliciter negat beatum aliquem, etiam Christū, vt homo eſt, de facto videre in eſſentia omnes creaturas poſsibiles, aut ordinis naturalis, aut ſupernaturalis, aut ſecundū rationes ſpecificas, aut ſecundum indiuidua: quam opinionem ego puto omnino eſſe tenendam, & ſubinde non eſſe tenendam, vt probabilem; ſed vt in ſe veriſsimam.

Fundamentum. Fundamentum vnicum, & firmum illius ex D. Thoma, & cæteris huius opinionis authoribus ex eo ſumitur; quia ſi aut aliquis beat⁹, aut anima Christi videret ōnes creaturas poſsibiles, & quas Deus cognoſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, intellectus creatus diuinā omnipotentiā, & ſubinde diuinam eſſentiam cōprehenderet: antecedens tamen tanquam parū tutum in fide nō eſſe recipiendū iam oſtendimus in præcedenti art. & omnes aduerſarij admittunt: tota igitur difficultas poſita eſt in demonſtranda ſequela; aduerſarij enim eam negant: ſed ex eo efficaciter demōſtratur, quia vt in primo art. latè oſtendimus, tūc aliqua res verè comprehenditur, cum cognoſcitur quantum in ſe eſt cognoſcibilis, ita vt cognitio qua cognoſcitur toti eius intelligibilitati adæquetur, ita vt nihil intelligibilitatis eius extra maneat: hāc enim eſſe veram, & propriam veræ, & propriæ cōprehenſionis rationem efficaciter oſtendimus in primo art. Iam verò ſi beatorū aliquis adæquatè videt omnes creaturas poſsibiles, quas Deus viſione ſimplicis intelligentiæ cognoſcit, cognoſcit diuinam omnipotentiam quantum in ſeipſa eſt cognoſcibilis, nec aliquid intelligibilitatis eius extra manet; quia dùm omnes illius poſsibiles effectus cognoſcit, cognoſcit omnē illius eminentialē imitabilitatem, & participabilitatem, ita vt nulla, nulluſq; illius veluti gradus extra maneat aut lateat beatū: ergo beatus verè & propriè cōprehendit diuinam omnipotentiā, & ſubinde diuinam eſſentiā: quod demōſtrandū ſumpſimus. Quæ ratio ex eo euidenter confirmatur, quia nullus negabit Deū notitia ſimplicis intelligentiæ verè, & propriè cōprehendere ſuā omnipotentiā: hoc enim eſt de fide: ſed non ob aliā rationē illā dicitur cōprehēdere, niſi quia omnes effectus in ea eminentialiter, & virtualiter cōtentos diſtinctè cognoſcit, & ita totaliter apprehendit omnem ſuā eminentialem virtutem actiuam: ergo ſi beatus illā eodem modo apprehendit, neceſſario illā verè, & propriè cōprehendit. Hoc eſt vnicum (efficaciſsimum tamen) huius opinionis fundamentum.

Vis & efficacia huius argumenti inde etiam euidentius apparebit, ſi ſingulas aduerſariorum ad illud ſolutiones expendamus, & impugnemus. 7. Confirmatur præcedens ratio impugnando ſolutiones. ¶ Prima ſolutio eſt eorum qui putant, nullum eſſe abſurdum admittere, Deum ſupernaturaliter comprehendi: quam ſententiā nonnullis 1. Solutio. placuiſſe ex *D. Bonau. teſtimonio diximus ſupra art. 2. §. 2.* vbi adduximus Bellom. aſſerentem Deū comprehendi non poſſe Reijcitur. nec eſſe de fide, nec omnibus modis certum: ſed oppoſitum oſtendimus euidenter ſupra articulo ſecundo, & 3. Suppoſita igitur hac veritate, expendendæ ſunt ſolutiones eorum, qui agnoſcunt Dei comprehenſionem ab aliquo intellectu creato, etiam animæ Christi Domini eſſe impoſsibilem.

Sit igitur ſecunda ſolutio eorum qui 8. 2. Solutio. putant rationem veræ, & propriæ comprehenſionis non ſolùm poſitam eſſe in hoc, quod obiectū cognoſcatur ſecundū omnem ſuā intelligibilitatem paſsiuā, quę ſe tenet ex parte obiecti: ſed ſecundum

dum omnem cognoſcibilitatem paſsiuam quæ ſe tenet ex parte cognoſcentis, ita vt cognoſcatur ſecundum omnem cognitionis claritatem ſecundum quam cognoſci valet: iam verò beatus, licet videat omnia poſsibilia, quæ diuina potentia fieri poſſūt, & ita ex parte obiecti adæquetur ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, quæ in Deo eſt, ea tamen non cognoſcit tota claritate, qua illa cognoſci poſſunt: quia nullus poteſt ea cognoſcere tota claritate qua à Deo cognoſcuntur: ita ad noſtrū argumentum reſpondet Alenſis cum nōnullis alijs. ¶ Sed hanc ſolutionem iam latè impugnauimus ſupra art. 1. §. 4. vbi oſtendimus eam ab omnibus impugnari; & §. 5: oſtendimus quænam claritas ex parte cognitionis requiratur ad veram, & propriam comprehenſionem: vbi cum cōmuni, & vera Philoſophia diximus ex parte cognitionis comprehenſiuæ alicuius obiecti eā claritatē neceſſario requiri, quæ ſatis eſt, vt omnis obiecti cōprehēſi paſsiua cognoſcibilitas cognoſcenti diſtinctè, & clarè appareat. Ex qua doctrina infertur, notitiam, quæ eſt Dei comprehenſiua, non poſſe non eſſe in claritate infinitam, & ortam ex lumine infinito: quia ſi lumen obiectiuè illuminans obiecta, quę dicuntur intelligi, fuerit finitum; & ſimiliter finita fuerit claritas viſionis, quæ eſt illorum obiectorum formalis apprehenſio; nulla infinita intelligibilitas obiecti infiniti poterit adæquatè, & totaliter intellectui apparere, quia nullum finitum poteſt eſſe adæquatum infinito. Quare cum nec aliquis beatus, nec anima Chriſti de facto habeat, aut lumen infinitum, aut infinitam viſionem, ſed vtrumq; finitum, neceſſariò conuincitur nullum beatum, nec animam Chriſti de facto cōprehendere diuinā omnipotentiam, omneſque illius intelligibilitates imitabiles, & participabiles, & per conſequens, nec videre omnes creaturas poſsibiles.

Alenſis. Non recipitur.

9. 3. Solutio. Tertia ſolutio eſt eorum qui putāt, abſurdum quidem eſſe Deum ab intellectu creato comprehendi poſſe: nullum tamē eſſe ſi comprehendatur Dei omnipotentia, atque potentia creatiua rerum. Fundamentum eſt, quia ad comprehenſionem omnium effectuum; & omnium reſpectuum trāſcendentaliū Dei ad creaturas; non ſequitur comprehenſio eorū, quæ in Deo nullum habent reſpectum ad creaturas, vt modus generandi, & ſpirādi. ¶ Sed ſolutio iſta nec ad præſens inſtitutum attinet, nec vera eſt in eo, quod ſupponit: non pertinet quidem ad inſtitutū, quia quilibet beatus videns Deum, de facto videt, & cognoſcit ipſam æternam Verbi generationem à Patre, & æternam proceſsionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio, quamuis neutram comprehendat. Nec in ſe eſt vera, quia ſicut Deus in ſua eſſentia ſimpliciter eſt incomprehenſibilis, ita etiam in ſingulis ſuis attributis, ſingula enim à ſingulis beatis tota videntur: nullum tamen videtur totaliter, & comprehenſiue; quod vt veriſsimum ſupponimus.

Non probatur.

Ex quibus iam euidenter patet efficacia argumenti, quod pro ſecunda ſententia adduximus; ſi enim res iſta benè expendatur; videtur demonſtratio, cum ex omnibus veris, neceſſarijs, imò etiam lumine naturali notis procedat. Nam quod Deus verè, & propriè ſit incomprehenſibilis nō ſolū fides docet, ſed etiam naturalis ratio demonſtrat, vt patet ex artic. 2. quod verò comprehendatur tota potentiæ diuinæ intelligibilitas, ſi omnes creaturę poſsibiles à beato cognoſcantur, euidenter demonſtratur ex definitione cōprehenſionis propriè, & in rigore ſumptæ, vt oſtendimus: quam definitionē bona Philoſophia non poteſt non admittere, vt patet ex ijs, quæ diximus articulo primo. Quare puto ſecundam ſententiam eſſe certiſsimam, & in toto rigore veriſsimam. 10. Cōcluditur vis propoſiti argum.

§. 3.
An ſit de Fide.

Dubitari tamen poteſt, An ſecunda ſententia, *quod nullus beatus, nec etiam Chriſtus videat in Deo omnes creaturas poſsibiles*, ita ſit certa, vt oppoſita aliqua indigeat cenſura? Negant *Bellomontan. & Suarius: iſte primo tomo ad 3. parte diſp. 26. ſect. 3. §. Dico primo. pag. 524 col. 1. B. & lib. 2. de Attributis negat. c. 26. num. 12. & antea cap. 22. num. 14. Ille verò prima parte diſp. 49. cap. 2. num. 5. & tomo 1. ad 3. p. diſp. 50. cap. 3. num. 9. &* 10, Quare vterque putat hanc ſecundam ſententiam ſolùm eſſe probabilem. Oppoſitum tamen 11. 1. Opinio negans. Bellom. Suarius.

tamen alij ferè omnes docent, & volunt oppoſitam ſententiam eſſe errori proximam: ita. *Cumelius prima parte q.12.art.8 q. vnica concl.4. pag. 272. col. 1. & Bañes ib. concl.2. & Cabrera 2. tom. ad 2. p. q.10. art.2. concl.2. num.23. eſſe pluſquam temerariam affirmat Molina in dicta q.12. artic.8. diſp.5. memb.2. poſt principiū. §. Hæc tamen opinio. Valde temerariam cenſet Nauarr. 1. tom. Controuerſiarum, controu.43. §. 2. cōcl. 3. fol.268. col.1. temerariam iudicat Valent. 1. tom. diſputa.1. q.12. punct.6. pag.204.B,*

Cumel. Bañes. Cabrera. Molina. Nauarret. Valentia.

12. Quibus ego ſubſcribo, & puto oppoſitam ſententiam non eſſe in fide ſatis tutam, nec poſſe ab aliqua cenſura liberari quod ex eo mihi perſuadeo, tûm quia *D. Thom. de Veritat. q.8. art. 4. poſt princ.* docet oppoſitam ſententiam repugnare dictis ſanctorum: tùm ſecundo, quia fortè oppoſita ſententia damnata fuit ab Inquiſitoribus Tarraconæ in quodam *Arnoldo de Villa Noua, vt refert Eymericus in Directorio Inquiſitorum 2. p. q.11:* non quidem ex eo, quod male ſentiret de diſtinctione naturarum in Chriſto (etenim illam diſtinctionem naturarum admiſiſſe ex ipſis hęreſibus quas probauit, ſatis cōſtat) ſed quod eam, & in bonis, & in potentia, & in ſcientia Deo faciat æqualē: tum deniq; quod noſtra ſententia ex vna de fide; & altera naturaliter certa deducitur: etenim de fide eſt, Deum eſſe ita incomprehenſibilem, vt nulla vera, & propria comprehenſione ab intellectu creato comprehendi valeat, vt oſtendimus articulo tertio præcedente; naturalis autem ratio ſatis demonſtrat, comprehenſionem qua res aliqua adæquatè cognoſcitur quantum ex ſe eſt cognoſcibilis, eſſe comprehēſionem ſimpliciter ſumptam; cum verè, & propriè ſit comprehenſio, vt oſtendimus ſupra art. 1, & 3. alioquin oſtendat nobis doctiſsimus Suarius quænam comprehenſio ſit ſimpliciter comprehenſio. Etenim diffinitio fidei (ne fruſtra ſit) ſupponit dari aliquam determinatam comprehenſionem; quæ ſimpliciter ſit comprehenſio: iam verò ratio naturalis dictat, ſolam eam, quam explicuimus eſſe ſimpliciter comprehenſionem; cæteras autem, vel ſimpliciter non eſſe cōprehenſiones, vel ſi tales ſunt, non tollere quominꝰ dentur aliæ, quę verè, & propriè tales ſint. Nam licet cognitio perfectiſsima, qua Deus cōprehendit aliquam creaturam, verè, & propriè ſit illius creaturę comprehenſio; non arguit, quod ſola illa ſit vera comprehenſio talis creaturæ. Ex quibus iam patet, ſecundam ſententiam, quæ negat, aut animam Chriſti, aut aliquē beatum de facto videre omnes creaturas poſsibiles ſecundum eſſe eſſentiæ, deduci ex vna de fide, & ex altera naturaliter certa, in quo ſenſu concluſionem eſſe de fide communis eſt Theologorum ſententia.

Opinio authoris. D. Thom. Eymericus

Ex ijs, quæ diximus euidenter infertur, falſam eſſe opinionem, quam refert *D. Thomas de Veritat. q.8. ar.4. & poſt eum Durandus in 4. diſt.49. q.3.* quēlibet ſcilicet beatum in Deo videre omnes creaturas poſsibiles, & quantum ad eſſentias, & quantum ad exiſtentias: nam ſi ex viſione earum, quoad eſſentias ſequitur cōprehenſio Dei, à fortiori ſequetur ex viſione earum ſecundum eſſentiam ſimul, & exiſtentiam non ſolùm poſsibilem, ſed & futuram. Nec ſolúm reijcienda eſt ex hoc capite comprehenſionis, ſed ex eo, quia & Angeli, & alij beati multa myſteria gratiæ etiam poſt quam facta ſunt nō nouerunt, vt latè oſtendit *Bañes in dicta q. 12. art.8. concl.1. & Cumel. ibi. q. vnica, concluſ.1. & Nauarrete in dicta controu.43. §. 1. concl. 1. fol.267. col.1,* qui omnes docent oppoſitum eſſe contra fidem, cum ſit contra expreſſa ſacræ Scripturæ loca. 13.

Opinio cuiuſdam falſa. Bañes. Cumel. Nauarr.

§. 4.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta, quæ in contrarium communiter obijciuntur.

SVpererat vt tertiam, & quartam ſententiam expenderemus: ſed quia vtrique datur locus in ſequenti artic. ideo vtriuſque examen in ſequentem articulū relinquimus: quare in hoc §. 4. expendemus argumenta, quæ contra datam reſolutionem afferuntur. 14.

Solutio argum.

Primum ſumitur ex anima Chriſti Domini, cui communicatam eſſe cognitionem omniū creaturarum etiam poſsibilium colligitur ex ſacris literis. Nam ad Coloſſ.2, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Ioan.1. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Ioan.5. *Pater demonſtrat ei, quæ ipſe facit,* Ioan. 16. *Nunc ſcimus* 15.

Ad 1. Coloſſ.2.

ſcimus quia omnia noſti, & Ioan. vlt. dicit Petrus, Domine, tu omnia noſti. ¶ Primus tamen locus ex Paulo, vel intelligendus eſt de Chriſto ſecundum diuinitatem quia ſtatim dicitur, *Quia in ipſo habitat omnis plenitudo corporaliter*, ſcilicet diuinitatis, vt eſt communis expoſitio. Vel ſi de Chriſto homine intelligatur, explicandus eſt de theſauris ſapientiæ; & ſcientiæ in ordine ad ea fidei arcana myſteria, quę nobis reuelauit. Reddit enim rationẽ cur relictis Philoſophorum fallaciis debeant firmiter adhærere ijs, quæ à Chriſto acceperunt: nam cum in eo homine habitet omnis plenitudo diuinitatis, omnia, quæ docuit, à diuinitate (quæ eſt prima veritas) accepit vnde doctrina eius verê eſt Theandrica. ¶ Verba Ioan. 1. ſicut verè intelliguntur de plenitudine veritatis, id eſt, cognitionis Dei, quæ erat in Chriſto homine; ita etiam intelliguntur de veritate eorum, quæ Chriſtus nobis reuelauit: agebat enim de veritate, & cognitione Dei à Chriſto nobis reuelata, quam lex non dedit, ſed Chriſtus, vt patet ex illis verbis antecedentibus, quia *Lex per Moyſen data eſt, gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: quia Deum nemo vidit vnquam; Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Iam verò non enarrauit, an ſua ſcientia beata ſe extẽderet ad omnes creaturas poſsibiles? ſed tantum quæ ad fidem pertinebant: quare ex hoc loco nullum poteſt argumentum ſumi contra datam reſolutionem. ¶ Quę adducuntur ex Ioan. 5. nihil obſtant ſi intelligantur de Chriſto Deo, quæ eſt expoſitio *Auguſtini tract. 21. in Ioannem, & Cyrilli lib. 2. in eundem cap. 137. quam probat Tolet. ad eadem verba.* Si verò ea verba velis intelligere de Chriſto homine (quæ explicatio etiam placet Auguſtino & alijs, nec aliena eſt à ſubiecta materia) nihil etiam obſtant; quoniam illa verba non agunt de poſsibilibus fieri, ſed tantum de ijs, quæ ſunt: vnde ſolùm conuincunt, Chriſtum hominem habere ſcientiam omnium, quæ Deus nouit ſcientia viſionis.

Ioan. 1.

Auguſt. Cyrillus, Tolet.

16. Ad locum Ioan. 16.

Locus quartus ex cap. 16. Ioan. ſe ipſum explicat: nam cum diſcipuli dicunt, ſe ideo credere, Chriſtum exiiſſe à Deo, agunt de Chriſto Deo, & ſubinde de diuina cognitione. Sed licet dę Chriſto homine locus intelligatur; adhuc intelligi poſſet de ſcientia nõ omnium poſsibiliũ fieri, ſed de ſcientia omnium, quæ fiunt, etiam eorum, quæ à ſolo Deo cognoſci poſſunt: ex hac enim adhuc poſſent cõfirmari, vt cognoſcant, Chriſtum ita eſſe verum hominem, vt etiam ſit verus Dei Filius à Patre exiens; quoniam niſi eſſet Deus, illi non communicaſſet omnia, quæ facta ſoli Deo per ſe reſeruantur. ¶ Vltimus locus ex eodem Ioanne ſatis ſuperque intelligitur de omnibus futuris; & ideo Petrus contriſtatus eſt, quòd Chriſtus tertio eum interrogaſſet; quia timebat, ne ſicut Chriſtus nouit Petrum ter ſe negaturum, ita noſceret, quod ſe non eſſet amaturus.

Ad vltimũ Ioan. 16.

Secundum argumentum ſumitur ex Patribus, quia ferè omnes dicunt, Chriſti animam omnia ſcire, & nihil ignorare, vt patet ex *Chryſoſt. Homil. 5. ad Coloſſ. Fulgent. in ſermone citato à Magiſtro in 3. diſt. 34. qui eſt ad Ferrandum, & ex verbis Hieronymi relatis ab Euſebio Eremenenſi eiuſdẽ Hieronymi diſcipulo in ſermone de vita, & tranſitu Hieronymi tom. 9. operum eiuſdem, Damaſc. 3. fidei cap. 21. & 22. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 8. Anſelm. lib. 2. Cur Deus homo, cap. 13. & ad cap. 5. Apocal. ad illa verba, dignus eſt Agnus accipere diuinitatem, vbi etiam Gloſſ. Richardi de S. Victore lib. 2. de Emmanuele: Gregorij 4. Dialogor. cap. 35. & lib. 12. Moral. capit. 2. Bedæ lib. Variar. quæſtion. q. 12. tomo. 8. Athanaſij q. 11. ad Antiochum, Bernard. in ſermone de triplici genere bonorum in fide; denique Auguſtini lib. de Speculo cap. 27. tom. 9. & de diligenda Deo cap. 18. & Epiſt. 6. & lib. 12. de Ciuitat. Dei cap. 29. quos omnes refert Salas in dicta ſect. 6. poſt princ. pag. 275. col. 2. & 276 col. 1. & 2.* ¶ Sed omnes iſtos Patres eſſe intelligendos de ijs, quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis, vt ait Salas vbi ſup. latè oſtenderemus, niſi cogeremur breuitatẽ ſectari.

17. 2. Arg. ex Patribus.

Explicatio Patrũ iſtorũ

Tertio loco ita obijci poteſt, quoniam per diuinam eſſentiam vicem ſpeciei ſubeuntem repræſentantur cuiq; beato omnia, quæ Deus poteſt facere, & eorum rationes: ergo quilibet de facto cognoſcit in Deo omnia poſsibilia. Conſequentia patet, quia intellectus beati ſua viſione videre poteſt omnia, quæ per diuinam eſſentiam ſibi repræſentantur. Antecedens

18. 3. argum.

dens probatur, tùm quia omnes creaturę eminenter contentæ in diuina eſſentia, naturaliter per eam repræſentantur; tùm ſecundo, quia cum Deus omnes creaturas neceſſariò cognoſcat in diuina eſſentia, non poſſunt omnes in ea non repræſentari.

19. Solutio. Ad hoc argumentũm negatur antecedens: quod nõ poteſt non negari ſi beati vident Deum per ſpeciem creatam, quæ eſt multorum opinio, à nobis probata ſupra *lib.8.q.3.& 4.à Cumelio vbi ſupra pag. 275, col.1.ad 2.Bañes vbi ſupra ad 1.pro 2. opinio.Cabrera in dicta diſput.4.n.49.& 72 Nauar.vbi ſup.§.10.ad 1.* Nec enim poſsibilis eſt ſpecies creata, quæ diuinam eſſentiam poſsit adæquatè repræſentare. Sed etiam negandum eſt, ſi eſſentia diuina de facto ſe vnit intellectui creato ad modum ſpeciei: quoniam licet diuina eſſentia ex ſe ſit repræſentatiua omnium creaturarum poſsibilium, non poteſt ſe ſe intellectui creato vnire ſecundum totam, & adæquatam ſuam repræſentationem, ſed inadæquatè tantum iuxta capacitatẽ eleuationis intellectus per lumen: vnde repræſentatio illius menſuranda eſt iuxta quantitatem luminis, ſub quo videnda ſunt, quæ à beato ſunt videnda. Nam ſicut diuina eſſentia licet ex ſe ſit infinitè intelligibilis, nõ tamen oportet, vt intellectui creato ſe ſe adæquatè obiectiuè intelligendam objiciat, ſed ſolũ inadæquatè iuxta menſuram viſionis ad quam, vt ſpecies cõcurrit: ita licet ſit ſpecies ſecundum ſe repræſentatiua infinitorum, non tamen neceſſe eſt, vt ſe adæquatè vniat intellectui, ſed inadæquatè, & definitè, ita vt ſolùm finita repræſentet, iuxta menſuram actiuitatis principij actiui in viſionem influentis: quare antecedens merito negatur.

Cumel. Bañes. Cabrera. Nauarr.

20. Ad primam illius probationem dicimus, diuinam eſſentiam naturaliter quidem repræſentare creaturas poſsibiles, quoad eſſe eſſentiæ: non tamen eas repræſentare actu, & virtute indiuiſibili, ſed virtualiter diuiſibili. Nam virtus illa eminentialis, quæ illas eminenter continet licet actualiter ſit vna, virtualiter eſt plures, vt de attributis diximus 1.tom.lib.5. q.6.art.5. Vnde Deus non eadem ratione, qua enimnenter eſt homo, eſt etiam lupus, ſed alia virtualiter diſtincta: & inde eſt, vt poſsit ſe vnire intellectui ſub repræſentatione harum creaturarum, & non illarum. Et quamuis repræſentatio harum, aut illarum præciſè pendeat à libera Dei voluntate, tamen radicaliter libere ſe vnit ſub repręſentatione, quę ſtãte lege debita eſt tali, vel tali viſioni cuiq; beatorum debitę.

Quarto objicitur, & confirmatur pręcedens argumẽtum, quia nulla ratio dari poteſt, cur per diuinam eſſentiam potius repræſententur hæ creaturæ poſsibiles, quam illæ: ergo omnes repræſentantur. ¶ Negandum eſt antecedens: cur autem per diuinam eſſentiam potius iſtę creaturæ repręſententur, quam illæ? quęſtio eſt difficilis: multa de illa ſcribit *Cumelius vbi ſup. ad 3.pro 2.ſentent.pag.275. col.1.& 2.Bañes ibi.ad 1.pro eadem ſenten. Cabrera latè ad 2.argum.numero 50. & latè Suar.lib.2.de Attributis negat.cap.26.num. 17.cum ſequentibus. Et vide Molin.vbi ſupra in dicto membr.2. §. Ad ſecundum pag. 141.col.1.* 21. 4. Argum Solutio.

Cumel. Bañes. Cabrera. Suarius. Molina.

Quinto objicitur, quoniam ex ſententia Auguſtini, creaturæ repræſentantur in eſſentia, tanquam in ſpeculo: ſed viſo ſpeculo videntur omnia, quæ in eo repręſentantur. ¶ Maior eſt neganda, ſi propriè loquendum eſt, vt oſtendimus *in 1. tom.lib.5.q.18.art.5.§.3.in 4.concl.nu.23.* vbi plures citauimus: nunc addimus *Cumel. vbi ſupra ad 8.& Bañes ad vltimum pro ſecunda ſententia.* 22. 5. Argum. Solutio.

Cumel. Bañes.

Sexto, beatitudo omnino complet capacitatem, & appetitum cuiuſque beati: ſed in quolibet eſt appetitus, & capacitas ad intelligenda omnia poſsibilia. ¶ Soluitur à *Cumel.vbi ſup.ad 1.pro ſecunda ſententia pag.275.col.1.& à Nauarrete vbi ſuprà §.10.ad 2.pag.278.col.1 & à Cabrera ad dictũ num.73.* Dicendum, beatitudinem non complere omnem capacitatem obedientialem; & hęc ſola ineſt in quolibet beato in ordine ad omnia poſsibilia. 23. 6. Argum. Solutio.

Nonnulla alia argumenta adducuntur à Cabrera *in dicta diſputatione quarta. & à Nauarrete in dicta controuerſia 43. in argumentis pro quarta ſententia fol.266. columna quarta, & fol.267. columna prima,* 24. Omittũtus nonnulla argumenta.

Quæ facilem habent ſolutionem: vide apud illos.

(.?.)

ARTICVLVS V.

Vtrùm poſsibile ſit beatũ videre omnes creaturas poſsibiles ordinis naturalis, & ſupernaturalis ſecundum ſuas eſſentias, abſtrahendo à poſsibilitate exiſtentiæ?

1\. SVppoſito quod nullus beatus, nec etiam anima Chriſti de facto videat omnes creaturas in vtroque ordine poſsibiles ſecundum eſſe eſſentiæ; inquirendum eſt, an poſsibile ſit, aliquem beatum eas omnes videre in diuina eſſentia? nec enim omnes in hoc conueniunt.

Sententia affirmans. Quidam abſolutè affirmant: & non poſſunt non affirmare, qui volunt eas de facto videri à quolibet beato; quos citauimus *in art.4. §.1. in 1. opinione.* In ſenſu de poſsibili ſolùm affirmat *Gregorius in Prologo q.4. art. 2. in probatione 2.concluſ.* (*Valentia. Gregor.*) & quanuis Valentia ibi citatus neget, de facto omnes ab aliquo videri; in ſenſu tamen de poſsibili non vult quæſtionem diffinire, quanuis inclinet id non eſſe impoſsibile, vt patet in loco citato, pagina 203.B, & in fine: quam ſententiam non omnino recuſat *Bellomontan.1.p.diſp.49. cap.2.n.5.* (*Bellomon.*)

2\. 2. opinio. Oppoſita tamen ſententia communiter probatur omnibus, quos citauimus art.4.pro ſecunda opinione. Etenim licet plures eorum ſolùm loquantur in ſenſu de facto; fundamentum tamen quo nitũtur etiam conuincit ſenſum de poſsibili in ordine ad abſolutam Dei potentiam.

3\. 3. opinio. Tertia ſententia veluti media, putat cum prima ſententia id eſſe poſsibile in ſpeciebus: cum ſecunda tamen impoſsibile id eſſe in indiuiduis in eſſe poſsibili conſideratis, tribuitur *Henrico quodlib.7. q.4.art.5.* (*Henric.*)

4\. 4. opinio. Quarta adhuc ſententia datur, quæ cũ ſecunda putat id eſſe omnino impoſsibile, ſi ſermo ſit de cognitione in actu ſecundo, & in ſenſu cathegorematico, vt impoſsibile ſit omnes ſimul cognoſci in actu ſecundo: porrò ſi ſermo ſit de creaturis tàm in ſpecie, quàm in indiuiduo cognitis in actu primo, & habitualiter, prima ſententia ſit vera: ita exiſtimant omnes in [illegible].art.citati pro 4.ſententia.

5\. Propria ſententia. ¶ Ego puto ſecundam ſententiam etiam in ſenſu de poſsibili, & in ordine ad potentiam Dei abſolutam eſſe omnino tenendam: quia ex oppoſita neceſſariò infertur, de potentia Dei abſoluta poſſe Deum, eiuſque omnipotentiam ab intellectu creato ſimpliciter & propriè comprehendi; quod nec aduerſarij admittũt. Quod ex oppoſita ſententia, etiam in ſenſu de poſsibili neceſſariò ſequatur Dei comprehenſio, ſatis (ni fallor) conuincũt ea, quæ in præcedenti art. §.2. adduxim⁹. Quin potiùs exiſtimo ſententiam, quæ oppoſitum ſimpliciter affirmat, eſſe errori proximam. Fundamentum ex eo ſumo, quia contra fidem eſt aſſerere, Deũ ab aliquo intellectu creato eſſe comprehenſibilem comprehenſione ſimpliciter ſumpta: iam verò ex oppoſita ſententia infertur, Deum ab intellectu creato comprehendi comprehenſione vera, & propria: vtrumque ſatis oſtendimus in præcedenti art. §.3. quare ſi ob fundamentũ hoc authores ibi citati ſimpliciter aiunt, eſſe errori proximum aſſerere, beatum de facto videre omnes creaturas poſsibiles ſecundum eſſe eſſentiæ: non video cur ijdem authores non eam cenſurã imponant in ſenſu de poſsibili. Quare non ſatis conſequenter loquitur Cumel. loco citato concl. 3. pag. 271. dùm ſecundam iſtam ſententiam aſſerit ſolum vt probabilem: nec Bañes ibi concl.2. dùm cenſuram, quam ponit ſolùm probat in ſenſu de facto. Contra hanc cenſuram exiſtimant Suar. & Bellomont. in locis adductis in præcedenti art. §.3. ſed conſequẽter loquuntur, quia negant, ex hac comprehenſione inferri comprehenſionem Dei; in quo tamen illis repugnamus, vt ſatis patet ex art. præcedente §. 2. Quæ verò contra hanc noſtram illationem obijciuntur videre poteris apud Cumeliũ, Bañes, Cabrer. & Nauar. locis citatis; omnia enim facilè habent ſolutionem; quod oſtenderemus, ſi fas eſſet, rem iſtam latiùs expendere. (Fundamentum.)

6\. Quid de 3. opinione. Tertia ſententia Henrici, quæ veluti media interiacet, quod attinet ad indiuidua poſsibilia, admittitur; non illo, quo ducitur, fundamento; eſt enim falſum: quia indiuidua poſsibilia ſecundum eſſe poſsibile ſimplicis intelligentiæ ex vi viſionis per ſe videntur à beatis, vt contra Henricum oſtendimus 1.*tom.lib.5.q.19. ar.2*: ſed quia viſio eorum omnium, etiã ſecun-

ſecundum rationes indiuiduales infert cõprehenſionem diuinæ eſſentiæ: quod verò attinet ad ſpecies poſsibiles creari, ſententia illius non eſt admittenda, quia ſupponit ſpecies creabiles eſſe numero finitas, & ſubinde ab intellectu creato poſſe comprehendi abſque comprehenſione diuinæ eſſentiæ: ſed oppoſitum cum D. Thoma, & cum communi Theologorum docuimus *in d. lib. 5. q. 11. ar. 1. §. 2. & §. 3, n. 20.* quare de tertia illa ſententia nihil eſt curandum.

7. *Quid de 4. opinione?* Quod attinet ad quartam opinionem (quæ etiam medium tenet) illud eſt certum, opinionem illam eſſe improbabilẽ, ſi cum D. Bonau. & Marſil. intelligatur de habitu poſitiuo, vt ſcilicet dari poſsit habitus poſitiuus in aliquo beato, quo omnia entia poſsibilia habitualiter valeant intelligi, & ideò in vero actu primo: hũc enim ſenſum reprobant etiam illi, qui eandem probant opinionem, Varro ſcilicet, Gabr. Scot. & alij pro eadem citati: ex alijs illum habitum non admittit *Suar. in d. diſp. 26. ſect. 3. in 2. ſent. latè eum impugnat Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 4. ſect. 6. pag. 300. col. 2. § Hæc tamen opinio, & Cabrer. 2. tom. ad 3. p. q. 10. art. 2. diſp. 4. n. 30. poſt 3. concluſ.* & quia ſufficienter ab iſtis impugnatur, ideò illius impugnatione ſuperſedemus. ¶ An verò in ſenſu explicato à Scoto ſufficienter impugnetur à *Suar. 1. tom. ad 3. p. diſp. 26. ſect. 3. in 2. ſenten. pag. 522. col. 2. in princip. & §. Dico ſecundo, pag. 529. col. 2. & lib. 2. de attribut. negat. c. 26. n. 4. & 5. & à Molin. 1. p. q. 12. ar. 8. diſp. 5. memb. 7. pag. 146. col. 2. in princip. & à Cabrera in d. diſp. 4 in 3. concluſ. n. 28. cum ſequentib. & à Sala in d. diſp. 4. ſect. 7. n. 121. pag. 301. col. 2.* & à nonnullis alijs, non vacat expendere: forte non conuincunt, ſi expendantur, quæ dicemus in vltimo artic. huius quæſtionis.

Suar. *Salas.* *Cabrera.* *Quid de ſẽſu Scoti.*

ARTICVLVS VI.

An beati in Deo videant, aut videre poſsint infinita?

§. I.

Præmittuntur nonnulla.

1. *Præmiſſum 1.* EGimus in præcedentibus, an beati videant, aut videre poſsint in Verbo omnes creaturas poſsibiles, tàm ſecundum ſpeciem, quàm ſecundum numerum, abſtrahendo ab exiſtentia illarũ: conſequenter agendum eſt, an videant, aut videre poſsint in eodem Verbo infinita, ſiue ſecundum ſpeciem, ſiue ſecundum numerum. Cui quæſtioni non datur locus apud eos, qui putant creaturas nec ſecundum ſpeciem, nec ſecundum numerum eſſe poſſe infinitas multitudine: verum quia hæc opinio, etiam apud Philoſophos communiter reijcitur: quia licet forte negari poſsit poſſe Deum producere aliquid categorematicè infinitũ, negari tamen non poteſt poſſe Deum producere aliquod infinitum ſyncategorematicè; vel ſecundum perfectionem & intenſionem, vel ſecundum numerũ. Quam Philoſophiam vt veriſsimam ſupponimus. Qua ſuppoſita iam datur locus propoſitæ quæſtioni. etenim quanuis nõ poſsit dari multitudo aut ſpecierum, aut indiuiduorum actu, & categorematicè infinita: poteſt tamen dari multitudo infinita ſyncategorematicè; & de facto dabuntur in beatis infinitæ intellectiones, & infiniti actus laudum; quia in perpetuum, & ſine fine laudabunt Deum, quæ ſyncategorematica infinitas licet ſimultatem actualem in exiſtendo non admittat; admittit tamen ſimultatem actualem in cognoſcendo; quia omnia illa vna cognitione adæquatè cognoſci poſſunt; & de facto à Deo ita cognoſcuntur. Ex quo iam patet ſenſus propoſitæ quæſtionis: inquirimus enim vtrùm beati aut de facto videant, aut ſaltem diuinitus videre poſsint infinitas creaturas aut ſpecie, aut ſolo numero diſtinctas? & quidẽ ſi nec per diuinam potẽtiam fieri poteſt, vt infinita aut ſpecie, aut numero videantur; bene infertur impoſsibilitatem in cognitione infinitorum per ſe ſumi ex ratione ipſius infinitatis: vnde inquiri poteſt, vnde nam infinitas quoad numerũ habeat, quod cognoſci non poſsit ab intellectu creato. Porrò ſi quæcunque infinita quoad numerum diuina potentia cognoſci valent; bene intelligitur infinitatem quoad numerum ex ſua intrinſeca ratione non impedire cognitionem adæquatam ipſius infiniti. Si verò infinita ſolo numero ſaltem per diuinam potentiã cognoſci poſſunt; non tamen infinita ſpecie diſtincta; iam erit expendendum, 2.

cur

cur hæc cognoſci poſsint; illa verò non
poſsint.
3. 2.præmiſſ. Secundo præmittendum eſt infinita
ſyncategorematicè duobus modis poſſe
cognoſci: vno modo ſucceſsiuè; altero
modo ſimul. Priori modo ſimpliciter
cognoſci non poſſunt, cum enim finem
non habeant, nec vltimum, implicat ſuc-
ceſsiuè, & in numerando pertranſiri poſ
ſe: poſteriori vero, abſolutè non implicat
quia omnia illa ſimul à Deo cognoſcun-
tur, vt omnes fatentur. Quare infinita iſ-
ta ſunt cognoſcibilia cognitione non nu-
meratiua, ſed adęquatiua: quia ſcilicet illa
vna cognitio adæquatè omnia attingit.
Vtrùm verò hæc adæquatio in cognoſ-
cendo inferat infinitam intenſionem in
ipſa cognitione, quæ omnia illa infinita
adæquet? alterius eſt quæſtionis: de qua
inferius.
4. 3.præmiſſ. Tertiò præmittendum eſt hæc infi-
nita duobus modis poſſe cognoſci: vno
modo, vnâ tantùm cognitione, quæ per
adęquationem omnia attingat: altero mo
do, infinitis cognitionibus; ita vt ſingula
illius infinitatis ſingulis cognitionibus
attingantur.
5. 4.præmiſſ. Quarto & vltimo præmittendum eſt
illa eadem infinita per vnam & eandem
cognitionem duobus adhuc modis cog-
noſci poſſe: vno modo in actu: altero mo
do in habitu. In actu: quando cognoſcũ-
tur cognitione actuali ad ipſa infinita ac-
tualiter terminata: in habitu vero: quia
cognoſcuntur vel per aliquem habitum
poſitiuum illa habitualiter repræſentan-
tem, vt nonnulli volunt: vel quia per vnã
& eandem viſionem quodlibet illorum
infinitorũ diuiſim cognoſci poteſt. Hæc
generaliter præmiſsimus, vt varietas opi-
nionum faciliùs intelligatur. ¶ Sed quæ-
ſtionem iſtam explicabimus in ſenſu de
poſsibili, deinde in ſenſu de facto; de quo
in §.6. & vltimo.

§. 2.

Referuntur variæ opiniones.

6. 1. opinio negans. His præmiſsis inquirimus; an beati
in Verbo poſsint videre infinita?
Partem negantem huius quęſtio-
nis non poſſunt non probare, qui abſolu-
tè negant intellectum creatum etiam di-
uina potentia poſſe actu cognoſcere infi-
nita: nam ſi hoc abſolutè eſt impoſsibile,
etiam impoſsibile erit beatum in diuina
eſſentia, videre poſſe infinita, aut ſecun-
dum ſpeciem, aut ſecundum numerum.
Quod in diuina eſſentia nec per diuinam
potentiam poſsit beatus actu cognoſcere
infinita, plures docuerunt, vt refert *Sco-*
tus in 3. diſt. 14. q. 2. litera H. §. Aliter reſ- Scotus.
pondetur, quam opinionem ipſe probat, ſi
expendantur, quę ſcribit litera M. §. *Po-*
teſt dici, & litera O. § *Si actualiter videret.*
Et quanuis loquatur de anima Chriſti;
rationes tamen, quas adducit, etiam con-
cludunt, de quocunque beato. Eandem
opinionem ſatis probat *D. Bonauent. ibi-* D. Bonau.
dem art. 2. q. 3. n. 37. in impugnatione ſecũ-
di modi, paulò poſt principium, & inferius §.
Et propterea eſt tertius modus diſtinguendi,
vbi pro indubitato tenet infinita per vir-
tutem aliquam finitam actu videri non
poſſe; ob quod fundamentum negat ani-
mam Chriſti poſſe in Verbo videre infi-
nita, & à fortiori idẽ diceret de alijs beatis.
Idem probat Paludanus *in eodem loco q.* Palud.
1. ad finem. §. Ad primum, & ſecundum: &
de cognitione infinitorum in actu idem ſcribit
in 4. diſt. 49. q. 2. num. 23. cum ſequentibus,
quanuis ſatis confuſè loquatur. Eandem
ſententiam, tàm in anima Chriſti, quàm
in quocunque beato probat *Richard. in d.* Richard.
diſt. 14. ar. 2. q. 3. in corpore, & in fine totius Gabr.
quæſtionis. Conſentit Gabriel ibidem q. vnic.
art. 1. litera K. *in corollario primæ concluſio-*
nis, & clariùs in ſecunda concluſione, vbi pro
hac opinione citat Varronem, idem tenet Ar Varro.
gentina in 3. diſt. 14. q. vnic. art. 3. vbi ex- Argent.
preſſe negat intellectum finitum poſſe
videre infinita in diuina eſſentia, ita etiã
Marſilius in 3. q. 10. in 3. p. articuli tertij in Marſil.
impugnatione ſecũdæ opinionis, fol. 418. col. Palatius.
1. in principio, & ſæpe in toto articulo, Pala-
tius in 3. diſt. 14. diſp. 1. in 4. & 6. ſentent[illegible]a,
vbi docet animam Chriſti in Verbo cog
noſcere infinita ſyncategorematicè, id
eſt non tot, quin plura, non tamen cate-
gorematicè, id eſt actu ſimul & collecti-
uè; & in hoc ſenſu explicat quintam ſen-
tentiam, vt ſcilicet anima Chriſti cognoſ
cat quidem i[illegible]finita, non categoremati-
cè, ſed ſyncategorematicè. Idem probat Adamus.
Adamus in 2. diſt. 1. q. 5. in fine, & in 3. q. Ocham.
10. concl. 4. Ochamus in 4. q. 13. ar. 5. dub. 4. Ciſtercien.
Dionyſius Siſtercienſis in 3. q. 3. ar. 3. Ouan- Ouand.
dus in 3. diſt. 14. prop. 5. Nicolaus de Nijſſe Nijſſe.
in

in reſolutione Theologica tract.4. p.1. port. 1. eandem ſententiam vt probabiliorem probat Salas 1.tom.ad 1.2.tract.2.diſp.4. ſect. Salas. *7.in 2.opinione,pag.204.col.1. Lælius Zecchus de ſcientia Chriſti cap. 6. pag. 513. col. 1. in 2. prop. Denique eandem ſententiam plerique tribuunt Henrico multis in locis: ſed falſo, vt bene aduertit Molina inferiùs citandus.* Zecchus.

7. Hi omnes in hoc conueniunt, vt infinita non poſſint etiam per diuinam potentiam actu cognoſci ab intellectu creato; idque non ſolùm ſucceſsiuè (id quod eſt apud omnes indubitatum) ſed nec ſimul per adæquationem cognitionis ad ipſa infinita cognita: vtrum vero aliquo modo valeat cognoſci ab intellectu creato? omnes præcitati concordant ea poſſe habitu cognoſci: ita *Scotus loco citato, lit. O.§. Sed ſi iſta,* & *D.Bonauent.in d.q.3.§. Et propterea eſt tertius modus, Marſilius in d.q.10.loco citato,concl.3.fol.418.col.4.& concluſ.vltima, fol.419. col.1. in principio, Almainus in 3.diſt.14.q.1.prop.3.fol.37. col.2. Paludanus in 4.diſt.49.q.2.num.25. Palatius vbi ſuprà ſentent.3.& 6.pag.155. col.2. Adde Gabrielem, Nicolaum de Niſſe locis citatis, & ſatis defendit Salas vbi ſuprà in d.diſp.4.ſect.6.n.120.pag.300.col.1.*

Scotus. D. Bonau. Marſil. Almain. Palud. Palatius. Gabr. Niſſe. Salas.

8. ¶ Sed non eodem modo explicant, quo modo intellectus creatus poteſt habitualiter cognoſcere infinita: nam aliqui volunt idem eſſe infinita habitualiter cognoſci, atque cognoſci per habitum poſitiuum in intellectu inhærentem. Quam opinionem Salas vbi ſuprà, §. *Hæc autē tribuit Henric. quodlib. 5. q. 14.* quatenus in fine quæſtionis docet Angelum per vnum & eundem habitum cognoſcendi poſſe cognoſcere infinitas ſpecies, ſi infinitæ darentur: & quanuis non agat de cognitione creaturarū in Verbo, ſed de cognitione naturali, qua res cognoſcit; facit tamen pro hac opinione, quatenus aſſerit per habitum inhærentem poſſe intellectum infinita cognoſcere habitualiter. Sed quicquid ſit de Henrico hæc videtur eſſe expreſſa opinio D. Bonauenturæ, ſi diligenter expendatur, nam ex ijs, quæ ſcribit *in ſexto dicendi modo, & inferius n. 45. §. Ad illud, quod quæritur,* facilè intelligitur talem habitum eſſe lumē, & non aliud quam gloriæ. *Marſilius etiā loco citato* expreſſè ponit hunc habitum

Variè ſe explicant. 1. opinio quod videant per habitum poſitiuum. Henricus aliquo modo fauet. D.Bonau. Marſilius.

diſtinctum à viſione, ſimiliter & à lumine gloriæ. Alij tamen non ponunt habitum diſtinctum à viſione, ſed ipſammet viſionem, qua Deus videtur; non ſimpliciter, ſed prout in ea relucent omnia, quæ in Verbo relucent, non quidem in actu ſecundo, ſed in primo, ſiue in potentia, ita Scotus vbi ſuprà cum cæteris, quos retulimus. ¶ Hæc dicta ſint pro explicatione opinionis, quæ negat fieri poſſe, etiam per diuinam potentiam; vt in Verbo infinita actualiter intelligantur: ita enim eſt intelligenda, vt repugnet infinita ab intellectu creato actualiter intelligi, non tamen habitualiter. Fundamenta vtriuſque partis inferiùs adducemus.

2. opinio. 9.

10. Oppoſitam tamen ſententiam cæteri omnes defendunt: admittunt enim non repugnare intellectum creatum ſimul actu intelligere infinita: & per conſequēs infinitatem ſecundum multitudinem, vt infinitas eſt, abſolutè non inferre impoſſibilitatem, vt infinita ab intellectu creato actu intelligantur. In hac opinione ita generaliter explicata conueniunt cæteri omnes, tâm Theologi, quàm Philoſophi. In ea non poſſunt non conſentire, qui abſolutè docent intellectum creatum diuina ope adiutum poſſe actu cognoſcere infinita. Nam ſi hoc abſolutè eſt poſsibile; cur non erit poſsibile in cognitione infinitorum in Verbo, & extra Verbū? vnde hanc opinionem in vtroque ſenſu in terminis probarunt *Conimbricenſes in 3. Phyſicorum cap.8.quæſt,6.articulo primo concluſ. 1. & 2.* Quod in Verbo anima Chriſti cognoſcat infinita docet *D.Thomas tertia parte quæſt.10.art.3: quod intellectus creatus in diuina eſſentia videat infinita ſcribit 3. contra gentes cap. 60. & de Veritate quæſt.20. artic.4. ad primum cum ſequentibus, & quodlib.3.quæſt. 2. artic.3. & opuſcul. 9. q. 81. Eandem ſententiam in terminis probant omnes Thomiſtæ Caietanus prima parte quæſt.12.articul.10.§. Ad hæc breuiter, & 3.parte quæſt. 10. artic.1. & q. 10.artic.1.ad 2. D.Thomæ, Capreolus in 3. diſtinct.14.q.2.artic.1.concl.2. & art.3.ad argumenta Adami contra eandem fol. 71. col.4. Soncinas ibidem concluſione 2. Ferrarienſis 3. contra gentes c.60. §. Contra hanc propoſitionem, & in 1.contra gentes cap.69. Medina 3.p.q.10.art.3. Viguerius in inſtit. Theologica cap.20. §. 2. in terminis eandem ſenten-*

Conimbr. D.Thom. Caiet. Capreol. Soncin. Ferrar. Medina. Viguerius

ſententiam probauit Albertus Magnus in 3.
Albertus. *diſtinctione 14. articulo primo,* vbi expreſ-
ſe docet animam Chriſti ſcire infinita, ſi
ſcire infinita idem eſt, quod habere cog-
nitionem ſimplicem, non vero cauſatiuā
infinitorum; & eodem modo loquitur
Oldaricus. *Oldaricus Alberti diſcipulus;eandem vt lon*
Molina. *gè probabiliorem probat Molina prima parte*
quæſt.12.artic.8.diſput.5.memb.7. §.Qua-
tenus verò affirmat,pagina 146.columna 2.
Suar. *Suarius 1.tomo ad 3.partem, diſputatione*
26. ſectione 4. §.Dico ſecundo. pagina 532.
Valentia. *col.1.Valentia 1.tomo, diſput.1. quæſt.12.*
puncto 6.pag.210. ad ſecundum argumentū,
& 4.tomo diſputatione 1.quæſt.10.punct.2.
§.Tertio aſſerimus,pagina 260.& pag.264.
Henric. *§.Quartum argumentum, Henric.de vltimo*
Cabrera. *fine hominis cap. 10. §.4. Cabrera ad tertiā*
Rubeus. *partem quæſt.10.art.3. diſput.2. numero 7.*
Rubeus in 3.Phyſicorum tractatu de infinito
quæſt.6.in 2.memb. §.Mediam viam, pag.
551.col.1.Denique ſuppoſito quod in Verbo
beati ex vi viſionis vident creaturas, idem
Bellomon. *affirmat Bellomontanus 1.tomo ad 1.p.diſp.*
50.cap.5.n.35.pag.386.col.2.& 3.parte
diſp.51.cap.2.n.11.

11. In quo hi conueniāt, & in quo differant?

Hi omnes in hoc conueniunt, vt abſo-
lutè non repugnet actu videre infinita,
quia infinita ſunt: non conueniunt tamē,
quomodo hæc infinita videri valeant:
quidam volunt ea videri non vna viſio-
ne, ſed infinitis, quarū quælibet ad quod-
libet illorum infinitorum terminatur.
Scotus. Hunc dicendi modum refert *Scotus in 3.*
diſt.14. q.2. litera M. §. Poteſt dici, quem
non reijcit, imò pro illo argumenta ſol-
uit litera P. *§. Ad illa pro ſecunda opinione.*
Ita ſenſiſſe nonnullos refert *Almainus in*
3.diſt.14.quæſt.1. §.Quantum ad iſtam po-
ſitionem. fol.37.colum.1. Alij hac reiecta
opinione volunt infinita cognoſci poſ-
ſe vnica tantùm notitia ad illa omnia ter-
minata, non numeratione, ſed adæqua-
tione: & hæc eſt communior ſententia.
Cuius tamē authores adhuc variant: qui-
dam volunt non ſolùm poſſe cognoſci in
finita ſolo numero diſtincta, ſed etiam di
ſtincta ſpecie. Alij docent infinita ſecun-
dum ſpeciem, nec per diuinam potentiā
poſſe cognoſci ab intellectu creato; bene
tamen infinita indiuidua ſub eadem ſpe-
cie. ¶ Hæc ſunt, quæ potui colligere ex
ijs, quæ de hac difficultate Theologi ſcri-
bunt.

§. 3.

Prima concluſio pro quæſtione re-ſoluenda.

SED propoſitam difficultatem non- 12.
nullis adhibitis concluſionibus re- 1. concluſio
ſoluamus. Sit prima concluſio:
Infinitum multitudine per diuinam poten-
tiam actu poſſe cognoſci ab intellectu creato
ſimpliciter non repugnat. Hæc concluſio
ſtatuitur contra authores opinionis ne-
gantis. Probatur tamen omnibus Theo-
logis, & Philoſophis, quos pro opinione 1. probatio.
affirmante retulimus: & ex eo tenenda
eſt, quia eſt communior, & in Scholis
ab omnibus iam recepta. Deinde quia 2. probatio
probabiliſsima eſt opinio, & digna, quæ
ab omnibus probetur, & defendatur,
quod anima Chriſti in Verbo actu videt
infinitas intellectiones beatorum, vt in-
ferius dicemus, & latiùs in 7. articulo.
Tertio loco; quoniam non implicat con- 3. probatio
tradictionem infinita actu ſimul cognoſ-
ci, vt patebit ex ſolutionibus argumen-
torum: nec enim admittendum eſt id, Reijcitur
quod Salas ſcribit *in dicta ſectione 8. ad* Salas.
ſextum argumentum, pagina 303. columna
1. nullum modum fingi poſſe, quo in-
tellectus creatus & Chriſti anima poſsit
actu videre infinita.

Sed antequàm argumenta in contra- 13.
rium diſſoluamus, præmittendum eſt Præmiſsū
omnes, qui infinitum multitudine, nec primum.
per diuinam potentiam admittunt (quam
ſententiam vt veriorem ſupponimus) in
eo conuenire vt dicant iſta infinita, ſi ſu-
mantur in ordine ad eſſe reale exiſtendi
in rerum natura, nullo modo dici poſſe
actu, & categorematicè infinita; quia in-
de ſequeretur totam illam infinitam mul
titudinem actu exiſtere, quod tanquam
impoſsibile iam ſuppoſuimus: quare ab
illa cōſideratione, & in ordine ad eſſe rea
lis exiſtentiæ infinita dicuntur ſolū ſyn-
categorematicè; quia ſolum ſunt infini-
ta in potentia, quatenus non tot actu dari
poſſunt, quin plura poſsint dari.

¶ Cōtrouerſum tamen eſt, vtrùm in or- 14.
dine ad cognoſci, & ad obiectiuam exiſtē Controuer
tiam, quam habent in intellectu, à quo ſia.
actu cognoſcuntur (etenim ſi omnia actu
cognoſcūtur, omnia habent exiſtentiam
obiectiuā in intellectu, quia ſine illa intel
ligi nō poſſent) dicenda ſint infinita cate-
gore-

gorematicè? an verò ſyncategorematicè? Quidam putant ea iſto modo etiam dici debere infinita ſyncategorematicè. inter quos eſt *Suarius in dicta diſputatione 26: ſectione quarta ad finem, §. Mihi tamen placet, pagina 533. columna 2.* Fundamentum eſt; quia licet ſimul ſint cognita, intrinſecam tamen habitudinem habent, vt quoad realem exiſtentiam ſemper ſint in potentia, vt illis fiat realis additio. Accedit; quia res in cognoſci accommodari debent ad ſe ipſas in eſſe reali: ſed quoad eſſe reale ſolum dicuntur infinita ſyncategorematicè. Ergo & in cognoſci habebunt infinitatem ſyncategorematicam. Confirmari etiam poteſt exemplo ſumpto à tempore: quanuis enim tempus in cognoſci ſit ſimul; quia tamen à parte rei eſt ſucceſsiuum; ideò etiam in cognoſci ſucceſsiuum dicitur.

Suar.

15. Oppoſita ſententia placet. ¶ Alij oppoſitum docent affirmantes cognitionem, qua omnia infinita ſimul apprehenduntur, nullo modo dici poſſe ſyncategorematicam, ſed categorematicam: ita *Bellomontanus 1. parte diſput. 63. cap. 2. num. 5. & 7. & cap. 7. numer. 12. & ita loquitur Palatius in 3. diſtinctione 14. diſputatione 1. in quarta, & ſexta ſententia: pagina 155. columna 2. & illi, quos refert Paludanus in quarto diſt. 49: quæſt. 2. n. 25.* Quorum ſententiam ego ita probo, vt oppoſitam putem improbabilem, ſi termini logicè explicentur: etenim illud infinitum dicitur categorematicè infinitũ, quod ita eſt ſimul, vt nihil ſit extra: tale autem eſt omne infinitum quoad cognoſci: etenim in cognoſci, ita omnia ſimul cognoſcuntur, vt nihil illi addi poſſit, & quanuis in exiſtendo ſemper ſit in potentia; hoc non tollit; quin in cognoſcendo, & quoad exiſtentiam obiectiuam per ſe includat omnium actualitatem abſque vlla potentia ad exiſtentiam obiectiuam. Vnde falſum eſt actualitatem obiectiuam accommodandam eſſe actualitati reali: quia illa per ſe includit exiſtentiam ſimultaneam omnium (aliàs non omnia cognoſcerentur) cum tamen hæc ſimpliciter illam excludat. Et quanuis intellectus tale infinitum in ordine ad eſſe reale concipere nequeat, niſi cum potentia ad vlteriores vnitates; poteſt tamen concipere omnes illas infinitas partes, & omnes ſimul intelligibiliter attingere, non vt actu à parte rei exiſtentes, ſed vt potentes exiſtere. Et hoc non diſtinguere eſt cauſa deceptionis. Tempus autem infinitum, quanuis in ordine ad realem exiſtentiam non poſsit non concipi vt ſucceſsiuum; omnes tamen illius partes poſſunt ſimul obijci intellectui, cum ſua tamen potentialitate, & ſucceſsione.

Bellomon. Palatius.

Palud.

Præmittendum eſt ſecundò id, quod ſuprà iam aduertimus, infinitum multitudine infinitate ſyncategorematica, quanuis in eſſendo excludat actualitatem ſimultaneam ab omnibus ſuis partibus; quia in eſſendo non tot habeat, quin poſsit plures habere (ob quam rationem dicitur infinitum in potentia) ab eis tamen non excludere actualitatem obiectiuam ſimultaneam: etenim à Deo vna, & eadem cognitione ſimul cognoſcitur quoad omnes ſuas partes; & per conſequens omnes ſimul actu ſunt in proſpectu diuini intellectus actualitate exiſtentiæ obiectiuæ. Quare infinitas ſyncategorematica intrinſecè non excludit omnem actualitatem ſimultaneam, ſed ſolam realem: quare ex ſe eſt intelligibilis ſecundum omnes ſuas partes; non quidem ſucceſsiua omnium enumeratione (quia ſicut non habet finem, ita non habet vltimam partem) ſed intellectiua adæquatione; quatenus per vnam notitiam omnibus illis adæquatam, omnes illius partes cognoſcuntur: nam hoc modo omnium etiam aduerſariorum conſenſu cognoſcitur à Deo. Tota igitur difficultas in hoc eſt poſita; an ſicut infinita ſimul cognoſcuntur à Deo vna cognitione omnibus illis adæquata; ita etiam poſsit cognoſci ab intellectu creato diuinitus eleuato vna cognitione adæquata illis omnibus. Nos affirmamus: aduerſarij negant: quorum argumenta iam diſſoluimus. 16. præmiſſ.

§. 3.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta aduerſariorum.

Authores primæ opinionis contra noſtram concluſionem quamplurima argumenta adducunt. Primum eſt; quoniam viſio ſiue cognitio infinitorum non poteſt non eſſe in ſe 17. 1. argum.

actu

actu infinita. Sed nulla viſio creata poteſt in ſe ipſa eſſe actu infinita. Ergo nulla viſio creata poteſt eſſe infinitorum. Minor tanquam nota ſupponitur. Maior autem probatur: quia cæteris paribus viſio eo eſt perfectior, quo ad plura ſe extendit: nam ad videndum duo ſimul maior virtus requiritur, quam ad videndum vnum: & ſimili modo ad ſimul videndum tria maior requiritur virtus, quam ad videndum duo, & ſic deinceps. Ergo ad videndum ſimul infinita requiritur virtus infinita.

18. 2. argum. Secundo; virtus infinita non poteſt in plura, quàm in infinita. Ergo virtus finita non poteſt in infinita, probatur conſequentia; quia alias æquaretur virtuti infinitæ, quod non eſt admittendum.

19. 3. argum. Tertiò; infinitas extenſiua præſupponit infinitatem intenſiuam. Sed nullius intellectus creati cognitio habet infinitatem intenſiuam. Ergo nec habere poteſt extenſiuam, id eſt extenſam ad infinita obiecta. Minor eſt nota. Maior autem probatur authoritate Commentatoris in libro de ſubſtantia orbis, & libro 12. Metaphyſicæ comment. 41. Deinde ratione: quoniam exceſſus in numero cognitorum ſupponit exceſſum intenſiuum in cognitione: etenim cognitio duorum eſt perfectior, & intenſior cognitione vnius. Ergo exceſſus infinitus in numero cognitorum ſupponit exceſſum infinitum in perfectione, & intenſione ipſius cognitionis.

20. 4. arg. Quartò; intellectus creatus nullam poteſt habere attentionem circa obiecta infinita. Ergo non poteſt actu intelligere infinita. Conſequentia patet: quia non poteſt dari intellectio ſine aliqua attentione circa rem intellectam. Antecedens probatur; quia attentio ad plura ſimul minor eſt, quàm ad pauciora: ergo circa infinita nulla poteſt dari attentio: quia nulla poteſt dari, quæ in infinitum diſtet ab vna aliqua certa. Ergo ſi attentio ad plura minor eſt, quàm ad pauciora, vtique ad infinita nulla poterit dari attẽtio: quod fuit antecedens.

21. 5. arg. Quintò; cognitio, quæ infinitis cognitionibus æquiparatur, non poteſt non eſſe infinita. Sed cognitio, qua infinita cognoſcuntur, æquiparatur infinitis cognitionibus, quibus ſingula illa infinita cognoſcuntur in ſe ipſis, vt patet. Ergo eſt actu infinita, quod non eſt admittendum.

Sextò; intellectus creatus à Deo eleuatus, ſi infinita intelligit, vel ea intelligit ſucceſsiuè diſtinctis cognitionibus, aut ſimul vnica cognitione: neutro modo poteſt infinita intelligere: ergo abſolutè ea intelligere non poterit. Maior eſt nota ſimul cum prima parte minoris: infinitum enim non poteſt ſucceſsiua numeratione pertranſiri, cum nec finem habeat, nec partem vltimam. Secunda verò pars minoris inde oſtenditur; quoniam intellectus creatus non poteſt plura intelligere, niſi per plures ſpecies, & per ſpecies tot numero, quot fuerint obiecta. Ergo non poterit intelligere infinita, niſi per infinitas ſpecies: infinitæ autem ſpecies dari non poſſunt: ergo nec intellectus poterit intelligere infinita. 22. 6. arg.

Septimò; ſi intellectus in Verbo, vel extra poſſet ſimul cognoſcere infinita, neceſſario in eo ponerentur infinitæ notitiæ, realiter diſtinctæ, vel vna, quæ haberet infinitas partes realiter diſtinctas. Vtrumque autem eſt impoſsibile. 23. 7. arg.

Octauò; intellectus creatus eſt virtutis finitæ. Ergo non poteſt in ſe efficere infinitas viſiones, nec eas recipere, item non poteſt efficere in ſe vnam viſionem, quæ ſit infinita, aut formaliter, aut virtualiter conſtans ex gradibus infinitis, & æquiualentibus infinitis viſionibus. 24. 8. arg.

Nonò; ad videndũm in Verbo certum aliquem numerum creaturarum requiritur aliquod lumen: maius autem cæteris paribus ad videndum maiorem numerum illarum, & ſic in infinitum. Ergo ad videndum infinita neceſſarium erit lumen infinitum: Hoc autem dari non poteſt. 25. 9. arg.

Decimò; fieri non poteſt, vt infinita in proprio genere videantur. Ergo nec poſſunt videri in diuina eſſentia. Antecedens expreſſè ponitur à *Diuo Thoma tertia parte, quæſtione 11. articulo 5. ad ſecundum*. Conſequentia inde patet; quia eadem eſt ratio. 26. 10. arg. D. Thom.

¶ Hæc tamen argumenta noſtram aſſertionem non impugnant. Ad primum negan- 27. Ad 1. arg.

D. Thom. neganda eſt maior, quam negat Diuus Thomas *de Veritate quæſt. 20. artic. 4. ad ſecundum*, vbi docet operationem non eſſe infinitam per ſe, quanuis infinita cognoſcat: & ratio eſt (inquit) quia illa infinita poſſunt cognoſci efficacia, virtuteque finita. Quam etiam ſatis videtur negare 3. *parte quæſt. 10. art. 3. ad ſecundum*. Ad probationem maioris duplicem inuenio ſolutionem. Prima admiſſo antecedente negat conſequentiam. Ita *Molina 1. parte quæſt. 12. artic. 8. diſp. 5. memb. 7. pag. 148. col. 1. §. Ad primum eorum, & poſt eum Conimbricenſes in tertio Phyſicorum cap. 8. quæſt. 6. artic. 2. §. Hæc tamen nihil contra ea, pag.* 459: non videntur tamen eodem vti fundamento: nam Molina ex eo fundamentum ſumit, quia non oportet, vt iuxta proportionem rerum viſarum ad res viſas ſumatur proportio quoad perfectionem notitiæ ad notitiam, qua videntur: maximè quãdo res viſæ pertinent ad obiectum ſecundarium, & videntur in vno obiecto, in quo eminenter continentur. Conimbricenſes verò fundamentum inde deducunt; quia licet exceſſus extenſiuus arguat intenſiuum, ita vt viſio eo ſit perfectior, quo plura per eam videntur: tamen non oportet extenſionem, & intenſionem per æqualia incrementa ſibi perpetuo reſpondere; præſertim cum potentia ex peculiari concurſu agentis infiniti eleuatur: tunc enim (vt aiunt) ipſa ſupernaturalis auxilij efficacitate quodammodo ſuppletur, & compenſatur infinitas intenſiua. Omiſsis tamen his ſolutionibus ob ſui obſcuritatem: omiſsis item quæ pro ſimili difficultate reſoluẽda ſcribit *Suarius in dicta diſput. 26. ſect. 4. pag. 532. col. 2. §. Reſpondetur propter hoc argumentum, & pag. 533. columm. 1. §. Hæc reſponſio*: plures enim includunt difficultates, quæ hoc loco reſolui non poſſunt; ſecunda & vera ſolutio ſit, quæ ſumitur ex Diuo Thoma, & Capreolo, vt pluralitas obiectorum, tunc arguat maiorem perfectionem, & intenſionem in cognitione, cum quodlibet illorum cognoſcitur ſecundum propriam rationem cognoſcendi ſpecie diſtinctam à ratione cognoſcendi aliorum: ſecus ſi omnia illa cognoſcuntur ſecundum vnam, & eandem cognoſcendi rationem, vt docet *Capreolus in 3. diſtinct. 14. quæſt. 2. artic. 3. ad primum Adami contra ſecundam fol. 71. col. 4. §. Ex quibus patet: quæ fuit explicatio D. Thomæ de Veritate quæſt. 20. art. 4. ad 10.* vbi ita ait: *Scientiæ quantitas, quæ attenditur penes numerum ſcitorum, eſt ei quaſi per accidens, & materialis; præcipuè quando in multis ſcitis eſt vna ratio ſciendi: ſecus enim eſſet, ſi diuerſis cognitionibus cognoſcerentur.* Quam ſolutionem probauit *Rubeus in d. quæſt. 6. de infinito ad primum argumentum pag. 552. col. 1.* de quo plura dicemus in tertia concluſione. Quare hoc argumentum non concludit de omni infinito, ſed de eo ſolo, quod conſtat ex infinitis; quæ inter ſe ſpecie diſtinguuntur. Non verò de illis, quæ diſtinguuntur ſolo numero.

Margin notes (left column): 28. 1. ſolutio. Molina. Conimbr. — Non recipitur. — 29. Secunda & vera ſolutio. (right column): Capreol. D. Thom. — Rubeus.

30. Ad 2. ex Scoto. Ad ſecundum reſpondet *Scotus in d. quæſt. 2. § Ad illa pro ſecunda*, & admittit virtutem infinitam non in plus poſſe, quàm in infinita extenſiue; poſſe tamen illa infinita extenſiuè videre viſione infinita intenſiuè; quod non poteſt virtus finita. Ad illud argumentum reſpondet Molina vbi ſupra ad ſecundum, virtutẽ infinitam non poſſe in plura, quàm in infinita, poſſe tamen in aliqua infinita, in quæ non poteſt virtus finita; quia ſcilicet poteſt in omnia vniuerſim, quæ diuina potentia fieri poſſunt. (2. ex Molina.)

¶ Facilius reſpondebis virtutem infinitam in quolibet infinito non poſſe in plura cognoſcendo tendere, quam in infinita: poſſe tamen in omnia infinita, quæ ſub alijs ſpeciebus, & generibus fieri poſſunt: etenim non ſolum poteſt cognoſcere infinita indiuidua ſub qualibet ſpecie, vt infinitos homines, infinitos equos, infinitos lapides, & cæt. ſed etiam poteſt cognoſcere infinitas ſpecies ſub vno & eodem genere: hæc enim diuina potentia ſunt poſsibilia. Quare licet virtus infinita ſub vno infinito non poſsit plura cognoſcere, quam infinita: poteſt tamen cognoſcere infinities infinita ſaltem ſpecie inter ſe diſtincta; in quæ non poteſt virtus finita. Quare non valet hæc conſequentia virtus infinita ſub iſto infinito non poteſt in plura, quam in infinita. Ergo virtus finita æquaretur infinitæ: nam licet in cognitione extenſiua huius infiniti illi æquaretur; non tamen æquaretur in extenſione ad alia infinita. (Vera ſolutio.)

31. Ad 3. Ad tertium reſpondent Molina, & Conimbricenſes relati in ſolutione ad primum: ſed omiſsis illorum ſolutionibus, ex ijs, quæ ad primum diximus, facilè ſoluitur hoc argumentum: maior enim vera eſt de infinitate extenſiua ex infinitis ſpecie diſtinctis conflata: falſa tamen de infinitate extenſiua compoſita ex infinitis numero diſtinctis: in his enim pluralitas obiectorum non arguit cognitionem intenſiorem, vt diximus ad primũ.

32. Ad 4. Ad quartum reſpondetur primò argumentum ex vi formæ nullam vim habere; quoniam admiſſo antecedente, negari poteſt conſequentia; quia dari poteſt ſimplex intellectio ſine attentione, vt docet D. Thomas in 1. ſententiarum diſtinct. 4. q. 4. art. 5. in corp. & ad 3. cuius opinionem probauimus 2. *tom. lib.* 10. *q.* 1. *art.* 4. §. 5. *n.* 57. *&* 58. vnde patet probationem conſequentiæ falſo niti fundamento. Quare argumentum abſolutè nõ probat infinitum non poſſe actu cognoſci; quia poſſet quis reſpondere illud adhuc poſſe diſtinctè cognoſci cognitione ſimplici, quæ ſine attentione dari poteſt. Sed quoniam authores noſtræ opinionis non ſolùm docent infinitum poſſe cognoſci; ſed poſſe cognoſci cognitione perfecta, & cum iudicio, quæ ſine attentione non datur, vt loco citato oſtendimus; ad argumentum negandum eſt antecedens: ad cuius probationem reſpondet Molina vbi ſuprà ad quintum negatione antecedentis, quando plura illa cognoſcuntur in aliquo vno ſimpliciſsimo, in quo vnitè continentur; & quando ratio intelligendi eſt ſimpliciſsima: vnde antecedens non eſt verum in viſione creaturarum in diuina eſſentia: nam ſicut viſio aliquarum creaturarum in Verbo non minuit viſionem ipſius diuinæ eſſentię; ita etiam attentio ad vnam creaturam in eſſentia, non minuit attentionem ad reliquas: & ratio eſt; quia per eandem attentionem, qua ad eſſentiam primario attendunt, attendunt ad creaturas ſecundario. Quæ ſolutio optima eſt, vt defendamus in diuina eſſentia poſſe videri infinita: verum quia etiam extra eſſentiam diuinam poſſunt videri infinita, ſaltem numero diſtincta, quanuis non videantur in aliquo vno obiecto, ſed immediatè, & proximè in ſe ipſis; ad argumentum dicimus propoſitionem aſſumptam veram eſſe, ſeruato ordine naturali, non tamen ſi intellectus diuinitus eleuetur ad plura, & plura; quia omnia illa æquali attentione videre poteſt.

33. Ad quintum omiſsis, quæ Molina, Suarius, & Conimbricenſes adducunt, Ad 5. ſolutio patet ex dictis ad primum. Concedenda enim eſt maior, ſi intellectio illa æquiparetur infinitis intellectionibus ſpecie inter ſe diſtinctis, vt quæ ad obiecta ſpecie diſtincta terminentur: neganda tamen ſi æquiparetur infinitis intellectionibus eiuſdem rationis: hæc enim poteſt eſſe infinita extenſiue, quanuis intenſiuè ſit finita. *Vide Rubeum in dicta q.6. de infinito, pag.* 552. *col.* 2. §. *Argumẽtum Adami.* Rubeus.

34. Ad sextum omnes admittunt infinitum Ad 6. multitudine non poſſe ſucceſsiuè cognoſci: plures tamẽ putant illud ſimul cognoſci poſſe infinitis cognitionibus, quos non reijcit Scotus vbi ſuprà litera N. vnde infinitas ſpecies admittent, ſi infinita extra Verbum cognoſcantur; vel ſi cognoſcantur in Verbo diuina eſſentia infinitarum ſpecierum vicem ſupplente. Sed potius dicendum eſt infinita in Verbo vnica viſione videri, quæ ad illa non 35.
Alia ſolutio primario terminetur, ſed ſolùm ſecundario: ad quam cognitionem ſatis eſt diuina eſſentia, quæ ſe ipſam ad inſtar ſpeciei intelligibilis primo repræſentet, ſecundario vero infinitas creaturas. Vnde illa propoſitio, quæ in argumento ſumitur *tot ſunt ſpecies, quot ſunt obiecta* non eſt vera in obiectis ſecundarijs, quæ in vno aliquo obiecto primario cõtinentur. Sed nec ſimpliciter erit vera in ijs, quæ extra Verbum in proprio genere intelligũtur: etenim neque in hoc ſenſu ſemper neceſſe eſt, vt tot ſint viſiones, & ſpecies, quot ſunt obiecta: quia per vnam ſpeciẽ, quæ naturam vniuerſalem primo repręſentet, non abſtractè, ſed concretè, poſsũt plura ſimul intelligi. Similiter etiam per vnam cognitionem terminatam ad ipſam naturam vniuerſalem non abſtractã, ſed concrete exiſtentem, vt diximus in materia de Angelis; vnde ſi ſub tali natura darentur infinita indiuidua, vtique per talem ſpeciem omnia illa infinita intelligerentur. Accedit etiam, quia propoſitio 36.
illa ſolùm eſt admittenda, quando plura illa

illa cognita intelligerentur ſub diſtinctis ſpecie rationibus; ſecus ſi ſub vna, & indiuiduali ratione: quia in hoc ſenſu poſſunt plura per eandem ſpeciem cognoſci: & per conſequens non opus eſt, vt tot ſint ſpecies intelligibiles, quot ſunt obiecta cognita: vnde non neceſſe eſt, vt ſi obiecta ſunt infinita, ſpecies etiam infinitę ſint. Quod libenter admittit Rubeus *in dicta. pag. 552. col. 2. ad 3. argum. & nos id tanquam probabile admiſimus 2. tom. lib. 8. in 2. p. q. 5. art. 2. §. 3. num. 46. cum Suario, & Sala ibidem citatis.*

Rubeus.

37. Ad 7.

Septimum argumentum eſſe vrgentiſsimũ putat *Salas in d. diſp. 4. ſect. 7. nu. 115. §. Omiſsis ergo pag. 197. col. 2.* & illud tribuit Maiori, Ochamo, Almaino, Gabrieli, Adamo, Richardo, & Henrico: ſed hoc argumentum in illis non inuenio, ſed quicquid de hoc ſit, argumentum præſtantiſsimis Theologis negotiũ faceſsit: imò compellit ſubtiles excogitare Philoſophias. Quidam admittunt infinitas notitias realiter diſtinctas. Alij (teſte Suario *in dicta diſp. 26. ſect. 4. pag. 532. col. 2. §. Reſpondetur propter hoc argumentum*) admittunt in vna, & eadem notitia infinitos augmenti gradus realiter inter ſe diſtinctos, ita vt per vnum eiuſdem notitiæ gradum videatur hoc obiectum, & per alium videatur illud, & ſic in infinitum. Sed his opinionibus reiectis (iam enim ſuppoſuimus non poſſe dari infinitũ actu ſiue multitudine ſiue intenſione) communis opinio ad argumentum negat ad videnda infinita neceſſario admittendas eſſe infinitas notitias realiter diſtinctas; aut vnam compoſitam ex infinitis gradibus diſtinctis realiter.

Argum. eſt difficile.

Aliquorum opiniones.

Non recipitur.

38. Quomodo infinita videntur. 1. Solutio ex Suario.

Quomodo autem infinita illa videantur? varij varios dicendi modos excogitant: Suarius vbi ſupra *pag. 533. colum. 1. §. Hæc reſponſio*, ita hac de re philoſophatur, vt admittat vnã viſionem entitatiuè indiuiſibilem, numero diſtinctam à quacunque alia viſione, quæ ex ſe ſolùm ſit repræſentatiua infinitorum; quæ in ſua indiuidua entitate ſit perfectior quacunque alia, qua infinita non videantur: etenim inæqualitatem in viſione pluriũ, vel vel pauciorum in diuina eſſentia non ponit, aut in æqualitate, aut in inæqualitate graduali viſionis, vt viſio, qua plura vidẽtur, ſit intenſior, minus verò intenſa, qua videntur pauciora: nec etiam in diuerſitate eſſentiali viſionum (quia putat omnes eſſe eiuſdem ſpeciei): ſed in diuerſitate indiuiduali ipſius viſionis: etenim viſio, quæ plura videt in Verbo, eſt entitas quędam intenſiuè indiuiſibilis, numero diſtincta ab ea, qua pauciora videntur: quæ ipſa ex ſua indiuiduali ratione intrinſecè includit non videre, aut plura, aut pauciora: ita vt ſi plura videnda ſunt, opus ſit alia viſione numero diſtincta: ſimiliter etiam ſi videnda ſint pauciora. Hæc colliges ex eodem *in dicta diſp. 26. ſect. 3. §. Concludo igitur pag. 526. col. 2. in fine.* Hac opinione ſuppoſita de viſione infinitorum in Verbo ita philoſophatur, vt illa nec ſit infinitis gradibus aucta; nec ſpecie diſtinguatur à quacunque alia, qua infinita non videntur; ſed ſit diſtincta ſolo numero, differentiaq; indiuiduali: quare ad argumentum negabit antecedens, quod ſine probatione ſumitur.

39. Non recipitur. *Salas.*

Hanc ſolutionem ad propoſitum argumentum appellat acutam Salas vbi ſupra *pag. 297. colum. 2. poſt medium*: eam tamen multis impugnat. Eandem vt confictam, & commentitiam reijcit Bellomontanus *1. p. diſp. 50. cap. 5. num. 27. §. Quidam, qui præcedentem*: & nos ante eos olim eam reiecimus in noſtris Prælectionibus, & iterum *1. tom. lib. 5. q. 11. art. 4. §. 4. num. 30: & in 2. tom. lib. 12. q. 10. art. 3. num. 3.* vbi contra eam multa obiecimus. Nunc autem in propria materia illud obijcimus quia ex ijs, quæ in hac opinione, & ſupponuntur, & docentur, iſta infinitorum viſio non poteſt non habere perfectionem in infinitũ maiorem quacunque alia viſione, qua ſolùm videntur finita: nam Suarius libenter admittit viſionem, qua plura videntur, eſſe indiuidualiter perfectiorem quam illam, qua vindentur pauciora: id enim admittit *in dicta ſectione 3. pag. 597. col. 1. in principio, & ſatis ſect. 4. pag. 533. col. 1. §. Hæc reſponſio.* Hoc autem admiſſo neceſſaria eſt noſtra conſequentia: nam ſi viſio, qua plura videntur, indiuidualiter eſt perfectior, quam viſio, qua videntur pauciora; idque iuxta proportionem pluralitatis, ita vt iuxta exceſſum pluralitatis obiectorum, ſit exceſſus perfectionis indiuidualis; profectò viſio, qua videntur infinita, in infinitum erit indiuidualiter perfectior, quam viſio, qua

Bellomon.

Alia noua obiectio.

videntur finita: quod non eſt admittendum. ¶ *Molina* 1.*p.q.*12,*art.*8. *diſpu.*5. *mem.*7.§.*Ad argumentum ergo. pag.* 147. *col.*1.*&* 2. longè aliter philoſophatur: etenim in viſione, qua infinita videntur, & in lumine, quo illa apparent, admittit intenſionem gradualem, non infinitam, ſed finitam; ita vt per additionē alicuius gradus viſio ſit potens videre infinita, ſine quo infinita videre non poterat: & ratio eſt, inquit, quoniam gradus ille, licet ſit paruus, viſionem, quę antea erat impotēs ad videndum infinita, reddit potentem ad infinita videnda: ideo quia facit, vt penetret diuinam eſſentiam ſecundum illum gradum, quod illa infinita, virtute, & eminenter continet. Quare concludit non requiri proportionē mathematicam inter ea, quæ videntur in Verbo, & ipſam viſionem, vt quanta eſt perfectio gradualis ipſius viſionis, tot ſint cognita: nec etiā requiri, vt tanta ſit ꝓportio obiectorum, quæ modo per iſtam viſionem videntur, ad obiecta, quę antea per eandem videbātur, quanta eſt proportio eiuſdem viſionis auctæ per talem gradum, ad ſe ipſam non auctam; ſed requiri proportionem, id eſt accommodationem vnius ad alterum in eo ſenſu, quem artic.1.explicauit. Sed vellem, vt illum ſenſum iterum nobis explicaret, vt illud expēderemus.

40. Alia ſolutio Molinę

41. Propria ſolutio.

¶ Omiſſa igitur hac Molinæ explicatione, & alia, quæ à Suario adducitur *in dicta pag.*532.*col.*2. §.*Reſpondetur. propter hoc argumentū*, quia neutram intelliges; huius difficultatis facilis erit explicatio, ſi aduertamus hoc loco ſermonem haberi nō de quibuſcumque infinitis, ſed de illis, quæ ſub vna, & eadem cognoſcendi ratione cognoſcuntur, vt ad primum diximus, hæc autem infinita cum ſub vna, & eadem cognoſcendi ratione cognoſcantur non ita ſe habent, vt quo plura ſimul cognoſcuntur, eo cognoſcantur viſione perfectiore, vt ſæpe diximus, ſed de viſione eiuſdem rationis, & virtutis, qua cognoſcitur vnum, & plura, eadem cognoſcuntur infinita. Hac ſuppoſita opinione ad argumentum negandum eſt ad viſionē infinitorum neceſſariam eſſe, aut infinitatem notitiarum, aut infinitatem graduū vnius, & eiuſdem notitiæ.

42. Ad 8.

Octauum argumentum eodem modo ſoluitur: nec enim ad videnda infinita neceſſariæ ſunt viſiones infinitæ, nec infiniti gradus in eadem viſione; quia per vnam, & eandem viſionem intenſiuè finitam videri poſſunt infinita, quæ ſub vna intelligendi ratione ſpecifica intelliguntur, vt diximus.

Ad nonum etiam patet ſolutio ex dictis: admittimus enim ſemper requiri aliquod lumen gloriæ ad videndū in Verbo aliquas creaturas: negamus tamen ad videnda plura ſemper requiri maius lumen: id enim ſolùm verum eſt, quādo quæ videntur, vidētur ſub rationibus cognoſcendi ſpecie diuerſis; non tamen, ſi illa plura ſub vna cognoſcendi ratione cognoſcuntur, vt cū D.Thoma diximus ad 1. argumentum. 43. Ad 9.

Ad 10. & poſtremum negandum eſt antecedens, ſi ſermo ſit de potentia Dei abſoluta: quid enim hoc implicat? quod ſatis eſt de mente *Caietan.*3.*p.q.*11.*art.*5. *ad* 2. *D. Thomæ* vbi admittit intellectum per habitum habitualiter repræſentātem infinita poſſe exire in actualem cognitionem, qua ſimul illa infinita actu cognoſcat, per vnam ſpeciem repræſentata. Vnde verior habet ſententia, Chriſtum per ſcientiā infuſam cognoſcere actu infinita, vt ſtatim dicemus: Nec *D.Th.in d. art.*5.*ad* 2. abſolutè negauit per ſcientiam infuſam in proprio genere poſſe infinita actu cognoſci; ſed ſolùm docuit habitum ad infinita habitualiter cognoſcenda datum, non ideo futurum fruſtrà, quod ad actum illorum infinitorum reduci non poſſit; quia indeterminatio voluntatis ad infinita non proinde eſt fruſtrà, quod ad infinita actu non tendat; quia ſatis eſt, quod poſſit tendere ad ea, quæ velit: eodem igitur modo habitus ad infinita cognoſcenda non proinde eſſet fruſtrà, quod per voluntatem ad actum illorum infinitorum ſimul non moueretur: quia ſatis eſſet, quod voluntas eum mouere poſſet ad ea, quæ vellet: hoc enim ſatis eſt, vt ratio habitus ſaluetur. Quare non eſt audiendus Salas *vbi ſupra pag.* 300. *columna* 1. §.*Quintum argumentum*, dum docet D. Thomam abſolutè illud negaſſe. Hæc eſt optima huius argumenti ſolutio. Non eſſet improbabilis ſolutio ſecunda, ſi admiſſo antecedente, negaretur conſequentia, propter diſparem rationem, quæ reperitur inter cognitionem beatam infinitorum

44. Ad 10.

Caietan.

Id non negat. D.Th.

Reijcitur Salas.

2. Solutio.

nitorum in Verbo, & cognitionem illorum in proprio genere, quam latius explicare non vacat.

§. 4.

Secunda concluſio de cognitione infinitorum poſsibilium.

45. De cognitione infinitorum poſsibilium. IN prima concluſione reſoluimus non eſſe ſimpliciter impoſsibile infinita ab intellectu creato actu cognoſci:& proinde poſſe intellectum creatum diuina potentia adiutum ſimul, & adæquatè intelligere infinita: conſequenter videndum eſt; an ſimpliciter,& abſolutè poſsit intelligere omnia infinita? Suppoſito quod nō poteſt, explicandū eſt quænam infinita valeat, aut nō valeat intelligere,

46. Præmiſſū neceſſariū. Pro cuius explicatione præmittendū eſt longè aliud eſſe cognoſcere omnia infinita poſsibilia, atque cognoſcere aliqua infinita poſsibilia: nam ſub animali, ſicut poſſunt dari infinitæ ſpecies in infinitum ſemper perfectiores, vt oſtendimus *in 1. tom. lib. 5. quæſt.* 11. *art.* 1. *num*, 8. & tamen infinitæ illæ ſpecies non continēt omnia infinita poſsibilia, quia ſub quocumque alio genere infimo infinitæ aliæ ſpecies ſunt poſsibiles, vt ſub genere lapidis, ſub genere Angeli, ſiue Spiritus.

47. Diſcrimen inter vtraq; infinita. Quare neceſſario diſtinguendum eſt inter infinità abſolutè poſsibilia, & infinita poſsibilia ſub aliquo genere infimo: nam prior illa infinitas ſub ſe complectitur plures infinitates diuerſarum rationum: cum tamen infinitas poſterior vnā tantum infinitatem ſpecierū ſub ſe contineat, ſub vna, & finita ratione generis infimi, verbi gratia, infinitas ſpecierū, quę ſub genere animalis cōtinētur, infinitas cōtinet ſpecies ſub vna generica ratione animalis, ſub qua cognoſcuntur, cū tamen infinitas poſsibilium abſolutè ſumpta ſub ſe contineat plures infinitates diuerſarum rationum; quia quælibet illarum ſub ratione longè diuerſa cognoſcitur: etenim infinitas poſsibilium generaliter ſumpta continet ſub ſe infinitatem ſpecierum animalis: ſpecierum lapidis; ſpecierum Angelicarum, quarum prima cognoſcitur ſub ratione generica animalis: ſecunda ſub vna ratione generica lapidis; tertia denique ſub vna generica ratione ſpiritus,

Quod diximus de infinitate ſpecierū in ordine ad infinitatem poſsibilium: dicendum etiam eſt de infinitate indiuiduorum ſub vna ſpecie in ordine ad eandem infinitatem poſsibilium: etenim infinitas poſsibilium nō ſolùm ſub ſe cōtinet infinitatem ſpecierum ſub vno genere infimo; ſed etiam infinitatem indiuiduorum poſsibilium, quæ ſub qualibet infima ſpecie cōtinentur: nam ſicut ſub vno genere infimo dari poſſunt infinitæ ſpecies; ita ſub qualibet infima ſpecie poſſunt dari infinita indiuidua. Cui veriſsimæ Theologiæ illud eſt addēdum (quod oportet diligenter aduertere) infinitatem ſpecierum ſub vno genere infimo nō inferre infinitatem poſsibilium in ſe eſſe infinities infinitam: quod tamē infert infinitas indiuiduorum: & ratio eſt; quoniā licet ſub quolibet genere infimo poſsibiles ſint infinitæ ſpecies; ipſa tamē genera infima nō ſunt infinita, ſed numero finita, vt aduertimus 2. *tom. lib.* 12. *quæſt.* 10. *art.* 3. §. 7. *numero* 41. etenim ens adæquatè diuiditur in finitum, & in infinitum, vt patet: ens autem finitum adæquate etiam diuiditur in ens materiale, & in immateriale: ſicut enim nō poteſt dari ens, quod nō ſit, vel infinitū, vel finitum; ita nō poteſt dari ens finitū, quod non ſit, vel materiale, vel immateriale: ens verò materiale adæquate diuiditur in ens corruptibile, & incorruptibile: corruptibile verò in viuens, & nō viuēs: viuēs autem in vegetatiuum, & ſenſitiuum: ſenſitiuum denique in intellectiuum, & nō intellectiuum: ſub quo cōtinentur infinitæ ſpecies ſubſtantiæ ſenſitiuæ ſiue animalis.

Eādem finitatem inuenies, ſi ens creatum diuidas diuiſione prædicamentali: nam omne ens creatum, vel eſt ſubſtātia, vel accidēs; nec dabitur tertium aliud membrum. Accidens verò adæquatè diuiditur in decem prædicamenta: ſingula autem prædicamenta adęquatè diuidūtur vſque ad genera infima ſecūdum rationes finitas: ſola genera infima ſinguli cuiuſque prædicamenti poſſunt immediatè diuidi per infinitas differentias cōſtitutiuas infinitarum ſpecierum ſub eodem genere, vt iam diximus. Quare infinitas ſpecierum poſsibilium nō poteſt arguere infinitatem infinities infinitam; quia genera infima, ſub quibus infinitæ ſpecies cōtinentur

Margin notes (right column): 48. Nota pro infinitate indiuiduorū poſsibilium. — 49. Notāda doctrina. — Rationes generice non ſunt infinitę. — 50.

tinentur,nõ ſunt infinita,ſed finita. Oppoſitum reperitur in infinitate indiuiduorum poſsibilium: nam cum ſpecies ſub quolibet infimo genere ſint infinitæ, & ſub qualibet ſpecie infima ſint infinita indiuidua poſsibilia; benè infertur infinitatem poſsibilium indiuiduorum eſſe infinities infinitam: imò multipliciter eſſe talem: quia ſub quolibet genere infimo poſsibiles ſunt infinitę ſpecies,& ſub qualibet illarum infinita indiuidua. Quare cum plura ſint genera infima, tot erunt infinitates infinitiesinfinitę,quot fuerint genera infima.

51. 2.Concluſ. His ita præmiſsis ſecundam ſtatuimus concluſionem: *Infinita abſolutè poſsibilia non poſſunt etiam per diuinam potentiam ab intellectu creato actu cognoſci: cætera vero infinita, etiam ſi infinities ſint infinita, per diuinam potentiam ab intellectu creato cognoſci poſſunt.* Hęc cõcluſio quoad vtramque partem ex eo euidenter confirmatur; quoniam per cognitionem infinitorum abſolutè poſsibilium infertur diuinæ eſſentiæ vera,& propria comprehenſio; nõ verò ex cognitione aliorum infinitorum, etiam ſi infinites ſint infinita. Ergo infinita abſolutè poſsibilia abintellectu creato etiam per diuinam potẽtiam cognoſci non poſſunt; benè tamen cætera infinita poſsibilia.

52. Probatio cõſequentiæ. Conſequentia ex eo videtur euidens: quia infinitorum cognitio non ideo eſt impoſsibilis,quia eſt cognitio infinitorũ, vt patet ex prima concluſione; ſed ex eo præciſe, quia ex illorum cognitione infertur diuinę eſſentiæ comprehenſio, vt eſt cauſa rerum, vt patet ex D. Thoma, & ex cæteris quos citauimus: nam & ob hanc cauſam intellectui creato impoſsibilis eſt cognitio omnium poſsibilium,vt oſtendimus ſupra art.4.& 5. Quare ſi ex cognitione infinitorum abſolutè poſsibilium infertur diuinæ eſſentię comprehẽſio, nõ verò ex cognitione aliorum infinitorũ; vtique ſola illa cognitio erit ſimpliciter impoſsibilis intellectui creato, & non alia.

53. Probatio antecedentis quo ad 1. partem. Quod verò ex cognitione infinitorũ abſolutẽ poſsibilium inferatur vera, & propria comprehẽſio diuinæ eſſentiæ ex eo euidẽter probatur; quoniam ex cognitione omnium poſsibilium neceſſario infertur talis comprehenſio, vt oſtendimus in d.art.4.& 5:ſed cognitio infinitorũ abſolutè poſsibiliũ in ſe includit cognitionẽ omniũ abſolutè poſsibiliũ, vt patet; ergo ex cognitione infinitorum abſolutè poſsibiliũ neceſſario infertur diuinæ eſsẽtiæ.eiuſque omnipotentiæ cõprehẽſio.

Quod verò ex nulla infinitate infiniorũ aliorũ poſsibiliũ inferatur cõprehẽſio eſsẽtiæ diuinæ, ex eo manifeſte oſtenditur; quoniam de ratione comprehẽſionis eſsẽtiæ diuinæ eſt, vt extra talem cognitionem nulla maneat diuinæ eſſentiæ intelligibilitas,quę nõ cognoſcatur,vt ex Auguſtino oſtẽdimus ſupra art. 1. §.1. & 3: ſed cognitio, qua cognoſcuntur infinitæ ſpecies animalis nõ attingit diuinam eſsẽtiam,quatenus eſt intelligilis ſub ratione aut Angeli, aut lapidis. Ergo aliquid diuinæ intelligibilitatis eſt extra cognitionem,qua intelligũtur infinitæ ſpecies animalis: & per cõſequens cognitio infinitarum ſpecierum ſub animali nõ comprehẽdit totam intelligibilitatem diuinæ eſſentiæ, vt eſt cauſa rerum. 54. Probatur 2. pars.

Quę ratio cõcludit etiam ſi talis cognitio ſit infinitorum, quæ infinities ſunt infinita,qualis eſt cognitio per quam cognoſcũtũr omnia indiuidua infinitarũ ſpecierum ſub animali, quæ ipſa ſunt infinities infinita: nam cum hæc infinita, licet infinities infinita, cognoſcãtur ſub finita ratione,tam ſpecifica,quàm generica (nam infinita indiuidua hominis cognoſcũtur ſub ratione ſpecifica hominis, & generica animalis:& eodem modo indiuidua infinita equi,leonis,bouis,&cæ.) eorum cognitio nõ attingit diuinam eſsẽtiam ſub ratione Angeli, vel lapidis, vel fici:& per cõſequens nõ erit vera comprehẽſio diuinæ eſſentiæ; ſiquidem aliquid intelligibilitatis illius maneat extra cognitionem, qua cognoſcuntur ſub ratione hominis,& animalis, 55. Explicatur magis ratio

56. 1.Corollar. Ex qua doctrina primò infertur ſolã infinitatem omnium poſsibilium,tùm ſpecierum,tùm indiuiduorum inferre comprehenſionem diuinæ eſſentiæ: quia ſola iſta infinitas adæquat totam diuinæ eſsẽtiæ imitabilitatem, & participabilitatem à creaturis, & ſubinde omnem intelligibilitatem, qua in ordine ad creaturas eſt intelligibilis. Quare cognitio omnium poſsibilium ex ſua ratione habet quod attingat nõ ſolùm rationem eſſentialem in-

infinitarũ ſpeciẽrũ: ſed etiã omnẽ rationẽ & gradum indiuidualem omnium indiuiduorum infinities poſsibilium, Quare cognitio ad infinitas ſpecies ſub ſolo gradu eſſentiali, & ſpecifico nõ ſatis eſt ad cõprehendendam imitabilitatem, & participabilitatem eſſentiæ diuinæ, & ſub inde nec illius intelligibilitatem in ordine ad creaturas: quia extra illam adhuc manet imitabilitas, & intelligibilitas diuinæ eſſentiæ ſecundum gradus, & differentias indiuiduales, quæ alterius ſunt rationis à gradu eſſentiali ſuarum ſpecierum.

57. 2. Corollar. Secundo infertur intellectum creatũ per diuinam potentiam poſſe cognoſcere omnes ſpecies poſsibiles ſub omnibus infimis generibus contentas, ſi ſine infinitis ſuis indiuiduis cognoſcantur: non quidẽ ex eo, quod licet multis modis ſint infinitæ, ſub finitis tamen rationibus genericis cognoſcuntur (nam hoc etiam reperitur in cognitione omnium ſpecierũ infinitarum, & indiuiduorum; quam in primo corollario dixim⁹ intellectui creato eſſe impoſsibilem) ſed ex eo, quia talis infinitorum cognitio non infert verã, & propriã diuinæ eſſentiæ comprehẽſionem; cum extra eam maneant infinitæ imitabilitates, & intelligibilitates infinitorum indiuiduorum poſsibilium. Secus dicendum eſt de cognitione infinitorum indiuiduorum ſpecierum multoties infinitarum: & ratio eſt; quia indiuiduorum poſsibilium cognitio dari non poteſt ſine cognitione infinitarũ ſpecierum; & inde fit, vt talis cognitio ſimpliciter ſit cognitio omniumpoſsibilium, quæ ſine vera, & propria comprehenſione non datur, vt patet ex primo corollario.

58. Obiectio cõtra conclusionem. Contra primam partem huius ſecundæ aſſertionis ſe ſe offert difficultas: quoniam cognitio infinitorum abſolutè poſsibilium, tam ſecundum ſpeciem, quàm ſecũdum indiuidua illa omnia cognoſcit ſub finitis cognoſcendi rationibus, quia omnes illæ infinitæ ſpecies, & omnia illa infinita indiuidua cognoſcuntur ſub rationibus generum infimorum, ſub quibus collocantur; genera autem infima nõ ſunt infinita, ſed finita vt ſupra aduertimus: iã verò cognitio, quæ extenſiuè eſt infinita nõ eſt infinita intenſiuè, quãdo ſub ratione cognoſcendi finita cognoſcit illa infinita, vt expreſſe docet *D. Thomas de Veritate quæſt. 20. art. 4. ad 10. & Capreolus in 3. diſt. 14. quæſt. 2. art. 3. ad 1. Adami contra 2. fol. 71. colum. 4.* quos adduximus ſupra art. 3. ad primum argumentum. *D. Thom. Capreol.*

59. Solutio. Hoc argumentum vim haberet, ſi infinitatem intenſiuam cognitionis omniũ infinitorum abſolutè poſsibilium deduceremus ex ſola infinitate extẽſiua; cum enim infinita poſsibilia nõ cognoſcerentur, imò nec cognoſci poſſent per infinitas rationes cognoſcendi ſpecie diuerſas; quia genera infima, ſub quorum quolibet infinitas ſpecies admittimus, nõ ſunt numero infinita, ſed finita vt diximus, ex infinitate extenſiua non benè deduceretur infinitas intenſiua cognitionis, quæ in infinita abſolutè poſsibilia terminatur. Quare infinitatem intenſiuam cognitionis infinitorum abſolutè poſsibilium ex infinitate extenſiua nõ deducimus, ſed ex eo, quod talis cognitio eſſet comprehenſiua diuinæ omnipotentiæ: quia ſcilicet adæquaretur omni imitabilitati, & participabilitati, & ſubinde intelligibilitati eiuſdem omnipotentiæ: in qua adæquatione poſita eſt vera, & propria comprehenſio, vt ex Auguſtino, & alijs latè oſtẽdimus ſupra art. 3. hæc autem adæquatio neceſſario arguit infinitatem intenſiuam in cognitione.

§. 5.

Tertia, & quarta concluſio de cognitione habituali infinitorum poſsibilium.

60. Quid de cognitione habituali infinitorum. EGimus in prima, & ſecunda cõcluſione de poſsibilitate cognitionis actualis infinitorũ poſsibiliũ: conſequenter agendum eſt de cognitione habituali illorum: etenim plures ſunt, qui licet nõ admittãt infinita poſſe actualiter cognoſci ab intellectu creato: admittũt tamen ea cognoſci poſſe habitualiter, vt vidimus ſupra §. 2. Ita enim exiſtimarũt *Scotus, D. Bonauentura, Marſilius, Almainus, Paludanus, Palatius, Gabriel, Nicolaus de Niſſe, & Salas*, quare oportet hoc etiã expendere. Cum verò huius quæſtionis duplex poſsit eſſe ſenſus, vt diximus in dicto §. 2. vnus; an poſsit dari verus habitus, in quo infinita habitualiter cognoſcantur; ad quem ſenſum excitatur à D. Bonauẽtura, Marſilio, & Henrico. Alter verò

verò; an cognitio actualis poſsit non in actu 2. cognoſcere infinita, ſed in actu primo, vt intellectus per eam ad omnia illa infinita non collectim, ſed diuiſim pro libito volũtatis poſsit cognoſcere, qui fuit ſenſus Scoti, & aliorum, quos citauimus; iuxta vtrumque ſenſum quæſtio explicabitur.

61. Quæſtionis prior ſenſus. Quod attinet ad priorem ſenſum; an ſcilicet poſsit dari vnus habitus, quo infinita habitualiter cognoſcantur? cõtrouerſia eſt inter Doctores. Admittunt D. *Bonauentura in 3. diſt. 14. art. 2. q. 3. in ſexto*
D. Bonau. *dicendi modo, & inferius num. 45. §. Ad il-*
Marſilius. *lud quod quæritur, & Marſilius in 3. q. 10. in*
Henricus, *3. p. articuli. fol. 418. col. 1. fauet Henricus quodlib. 5, q. 14. in fine.* Illum tamẽ impugnat *Scotus in 3. diſt. 14. q. 2. litera H. §. Sed*
Scotus. *contra iſtud*, vbi illum reijcit nõ ſolùm de
Niſſe. facto, ſed de poſsibili, quem in hoc ſequi-
Gabriel. tur *Nicolaus de Niſſe in reſolutione Theo-*
Salas. *logica tract. 4. p. 1. part. 1. & Gabriel. in 3. diſt. 14. q. vnica art. 1. litera C. in 2. opinione pag. 128. col. 1. in principio. latè Salas. 1. to. ad primam ſecundæ. tract. 2. diſp. 4. ſect. 6. §. Hæc autem opinio pag. 300. col. 2. ad finem vbi pro hac ſententia refert Almainum in 3. diſt. 14. diſt. 14. q. 1.* ſed de falſo.

62. 3 Cõcluſio. Sed omiſſa longiore diſputatione ego ex ijs, quæ diximus, puto quæſtionẽ eſſe reſoluendam. Sit igitur Tertia concluſio: *Impoſsibilis eſt habitus, quo omnia infinita ſimpliciter poſsibilia habitualiter cognoſcantur: poſsibilis tamen, ſi ſermo ſit de infinitis ſpeciebus poſsibilibus ſub aliquo genere infimo; aut de infinitis indiuiduis ſub vna infima ſpecie.* Prima concluſionis pars inde probatur, quia impoſsibilis eſt habitus, quo diuina eſſentia, eiuſq; omnipotẽtia verè, & propriè, vel actualiter, vel habitualiter comprehendatur, vt patet ex ſecunda cõcluſione: comprehenſio enim diuinæ eſſentiæ, aut omnipotentiæ ſiue actualiter, ſiue habitualiter requirit cognitionem infinitam, vt patet ex dictis ſupra art. 3. 4. & 5. Et in hoc ſenſu vim habet fundamẽtũ Scoti, quicquid ſit de medio, quo vtitur. Secunda verò pars concluſionis ex eo probatur; quia ex actuali cognitione aliorum infinitorum non infertur diuinę eſſentiæ comprehenſio, & ſubinde nec infinitas intẽſiua in ipſa cognitione, vt in ſecunda cõcluſione oſtẽdimus. Ergo nec inferetur in cognitione habituali illorũ,

Nec contra hãc ſecundam aſſertionis partem vim habent argumenta Scoti, & aliorum. Nam ad primũ Scoti negamus inde inferri iſtum habitum eſſe intenſiuè infinitum: etiam ſi admittamus talem habitum habere poſſe vnum actum adæquatum (quem diuina potentia habere poſſe non eſt negãdum, quicquid ſit de viribus naturæ): etenim, vt diximus, talis actus adæquatus non erit intenſiuè infinitus, cum ad infinita terminetur ſub vna ratione finita, nec inferat diuinæ eſſentię comprehenſionem. Et inde colliges, nec vim habere ſecundum argumentum ex menti Scoti relatum à *Sala pag. 301. col. 2. §. Secundo probant Scotus, & alij*: habitus enim tunc eo plures gradus requirit, quo ad plura ſe extendit, cum ad illa plura ſub diuerſa ſpecie ratione terminatur: ſecus ſi ad illa terminetur ſub vna ratione, vt cum D. Thoma ſæpe diximus. Qua poſita diſtinctione facile ſoluuntur duæ confirmationes ſecundi argumenti, quas Salas adducit. Quæ verò ad finem tertij argumenti obijcit contra habitum diſtinctum à lumine gloriæ, vim non habent, quia nos facilè admittimus talem habitũ exire poſſe in actum adæquatum, cũ non futurus ſit infinitus intenſiuè, ſed finitus, vt ſæpe diximus. Nec ſi hoc illi habitui denegaremus, vllum ſequeretur abſurdũ, quia nos non agimus de facto, ſed poſsibili: iam verò nihil implicat diuina potẽtia dari poſſe habitum infinitorum, qui in actum adæquatum nõ exeat, ſed ſemper in inadæquatum ex imperio voluntatis: id enim non implicare ſatis ſupponit *D. Thomas 3. p. q. 11. art. 5. ad 2.* dum talem habitum vt poſsibilem admittit.

63. Soluũtur argumenta. — Salas. — D. Thom.

64. Soluitur quæſtio in [illegible] ta ſenſu 2. — D. Thom. — Suarius.

Contra poſteriorem ſenſum arguit *D. Thomas de Veritate q. 20. art. 5. in 2. opinione, poſt eum multis inſurgit Suarius 1. to. ad 3. p. diſp. 26. ſect. 3. §. Dico ſecundo pagin. 529. col. 1.* vtrùm argumenta conuincãt? non vacat expendere: ſtatuimus tamen quartam concluſionem: *Quicquid ſit de facto, non implicat vnam, & eandem viſionẽ beatam aliquo modo eſſe in actu primo ſuo modo habituali, vt poſsit ad infinita extendi: nõ quidem ſua propria, & naturali virtute, ſed diuino influxu eleuata, & adiuta.* Hæc cõcluſio ſatis eſt probabilis ſuppoſita probabiliſsima opinione, quod beatus per viſionem beatã poteſt in ipſo verbo aliqua 4. Concluſ.

de

de nouo videre abſq; vlla ipſius viſionis mutatione: de qua agemus in vltimo articulo huius quæſtionis.

65. Ad Argum. oppoſita. Hac ſuppoſita opinione vim nõ habẽt argumenta, quibus Suarius contra Scotũ inſurgit. Nam ad primũ dicimus de ratione viſionis beatæ eſſe, vt ſemper ſit in actu 2. eorũ, quæ ex vi ipſius viſionis videntur; ſecus autem de alijs. Ad ſecundum reſpondemus viſionem, vt habet rationẽ actus primi modo explicato, poſſe reduci in actum ſecundũ, ita vt actualiter videat, quæ antea non videbat: negamus tamẽ id fieri non poſſe abſque reali varietate ipſius viſionis, nouaque ipſius intenſione. Eodem modo ad tertium negamus nõ poſſe ipſam viſionem obiectiuè variari in ordine ad obiectum ſecundarium, quin varietur circa primarium. Ad quartum denique; quomodo ſcilicet fiat illa viſionis extenſio ad obiectum de nouo propoſitum, vtrùm per nouam repræſentationem, nouumque formalem effectum, denique per nouam ipſius perfectionem dicemus in vltimo articulo. Hoc loco expendi poterant argumẽta, quæ in oppoſitum adducunt Nauarre.1.tom. cõtrou. 43.§.2.concl.4.fol.269.col.1,&Cabrera 2.to.ad 3.p.q.10.art.2. diſp. 4. concl.3; nu.28,& Molina 1.p.q.12.art.8, diſp.5. m.7.pag.146.col.2.& Lorca 1.2, diſp,25 de Beatitud.m.2.pag.143.col.1. ſed modo non vacat, vide art. vltimo.

§. 6.

An beati de facto videant aliqua infinita?

66. Quæſt. de facto. IN præcedentibus explicauimus quæſtionem in ſenſu de poſsibili, an.ſ.poſſibile ſit intellectũ creatum per diuinã potentiam actu videre in Verbo infinita? conſequenter explicandũ eſt; an de facto infinita videant? in qua quæſtione primum referemus, quæ Theologi de ea ſcribunt: deinde explicauimus reſolutionem, quam putamus veram.

67. 1. Opinio affirmatiua. Prima opinio abſolutè admittit quẽlibet beatũ in Verbo videre infinita. Quã opinionẽ nõ poſſunt non probare illi, qui volunt omnes beatos neceſſario videre in Verbo, non ſolũ omnia, quę aliquãdo ſũt futura; ſed etiã omnia poſsibilia: quã opinionẽ plures approbaſſe refert *D. Thom, de Verit.q.20.art.5.in princ, & in 3.d.14. q.1.art.2.q.2.quod etiã referunt Durandus Marſilius. & plures alij.* tacitis tamen authorẽ nominib9: cũ verò, quę à Deo poſſunt fieri, ſint infinita, nõ poſſunt nõ admittere quemlibet beatũ in Deo neceſſario videre infinita, & omnia illa, quæ De9 videt, tũ ſcientia viſionis, tũ ſimplicis intelligentiæ.

Marſilius. D. Thom. Durad.

Fundamentũ huius opinionis eſt; quia omnes beati vident omnia, quæ in Deo naturaliter, & neceſſario repræſentantur: iam verò, quæ à Deo poſſunt fieri, omnia naturaliter repræſentãtur in diuina eſſentia, omnia igitur poſsibilia fieri à Deo à quolibet beato videbũtur: cũ verò illa ſint infinita, quilibet beatorũ infinita videbit. Quibus fauere videtur *D. Gregor.lib.4.Dialogor.c.33.&lib.2.Mora. c.3.& lib.12.c.13.& Beda in lib.veriarum quæſtionũ.q.12.to.8.dum ſcribit: quid nõ videt, qui videntem omnia videt?* quaſi dicãt omnia videbit, quæ Deus videt. In eadẽ ſententia erunt, qui putant beatos videre Deum, & ea, quæ in Deo vident per ſcientiam increatam, & eodẽ actu, quo Deus ſe ipſum videt, quod nõnullos ſenſiſſe, referunt D. Bonauentura, & Marſilius, & nos diximus. 1.to.lib.4.q.1.art. 2. Hinc iſti inferunt quemlibet beatum videre in Deo infinita, imò omnia, quæ Deus videt: cum verò hoc affirment de quolibet beato, à fortiori id affirmabunt de anima Chriſti Domini.

68. Fundamentum. *Gregor, Beda.*

Secunda ſententia ex diametro huic opponitur; & docet nullum beatum, nec animam Chriſti in Deo. aut videre, aut videre poſſe infinita, ſed ſolũ finita, quorum fundamentũ eſt, quia Deus non poteſt facere infinita, etiam in ſenſu ſyncategorematico: vnde inferunt poſsibilia à Deo fieri ſolũ eſſe finita, & per cõſequẽs nec Deum videre infinita, & à fortiori, nec aliquem beatum, etiam ſi in Deo videat omnia poſsibilia. Hanc opinionem nonnullos approbaſſe referunt *D. Bonauentura in 3.diſt.14.artic.2.q.3.num.37.in primo dicendi modo, & Marſilius in 3.q.10, art.2.in 3.p. articuli in primo dicendi modo fol.417.col.4.* Alius eandem opinionem approbaſſe diuerſo tamen ductos fundamento refert idem Bonauentura in 5. dicendi modo. Hi igitur animæ Chriſti denegarunt cognitionem infinitorũ in Verbo, & à fortiori eã denegabunt cuicunq; alio beato: fundamentum inde ſumunt; quia,

69. 2. Opinio negans. *D. Bonau. Marſilius.* Fundamentum.

quia Chriſtus homo non omnia cognoſcit, quæ cognoſcit Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ: & quanuis omnia cognoſcat, quæ Deus nouit ſcientia viſionis cũ tamen illa ſint finita (vt volunt) benè infertur animam Chriſti in Verbo ſolùm cognoſcere finita: quare cum idem dicant de cęteris beatis, benè infertur nullũ beatum in Verbo videre infinita, ſed ſolum finita. Hanc opinionem appellat facilem, & rationabilẽ *D. Bonau. loco citato. & cũ eo Marſilius in d. q. 10. art. 2. in ſexta opinione fol. 41. colum. 3. in princ.* vbi affirmat hãc opinionem eſſe cõmunem inter Theologos ſui tẽporis: pro qua citat *Argentinam in 3. q. 14. q. vnica art. 3. concl. 1. & Richard. ibidem, & D. Thom. 3. p. q. 10. art. 3.* ſed quod attinet ad D. Thomã, nõ benè ab eo citatur cum illo in loco potius oppoſitum dicat de anima Chriſti: eam tamen opinionem verè approbarunt Richardus, & Argentina in citatis locis.

D. Bonau. Marſil. *Argent. Richard.*

71. 3. Opinio diſtinguens. Tertia opinio diſtinguit de cognitione rerũ poſsibiliũ quoad quid eſt, & quoad an eſt: docetq; quẽlibet beatum, & animã Chriſti cognoſcere omnes res poſsibiles etiam in eſſe indiuiduali, quoad quid eſt; & ſubinde in hoc ſenſu cognoſcere infinita: nullum tamen beatum, nec ipſam Chriſti animam, in Deo cognoſcere aliquam creaturam, quoad an eſt: quia in Deo nullus beatus, nec etiam Chriſtus, cognoſcit an res aliqua exiſtat, vel non exiſtat. Hæc fuit opinio D*urandi in 3. d. 14. q. 2. & in 4. diſt. 49. q. 3. num. 13. & 14.* Quare primam opinionem approbat, ſi illa intelligatur de cognitione tam ſpecierum, quam indiuiduorum quoad quid eſt quod etiam probarũt Baſſol. in 4. quæſt. proba. prolog. art. 2. & Godofredus apud Capreolũ in 4. diſt. 49. quæſtione ſexta art. 2.

Durand.

72. 4. Opinio diſtinguens. Quarta ſententia etiam diſtinguit de cognitione actuali, & de habituali: & aſſerit nullum beatum, etiam Chriſtum hominem, in Verbo cognoſcere infinita cognitione actuali: animam tamen Chriſti Domini cognitione habituali infinita cognoſcere in Verbo: non tamen alios beatos. Hæc opinio probata fuit *Scoto in 3. diſt. 14. q. 2. litera O. §. Sed ſi iſta,* vbi quanuis Chriſto, & cęteris beatis deneget actualem infinitorum viſionẽ: habitualem, tamen non omnibus beatis concedit, ſed ſoli Chriſto homini, vt patet ex eodem loco § *Et ſi obiciatur.* Idem ſatis explicat *D. Bonauentura ibidem art. 2. q. 3.* vt patet ex ijs, quę ſcribit in dicto ſexto modo explicandi in fine, vbi quoad cognitionem habitualem infinitorum ponit diſcrimen inter Chriſtum hominem, & cæteros beatos, quod etiam explicat in ſolutione *ad 3. num. 40. & in fine quæſtionis.* Idem ſatis declarat *Marſilius in 3. q. 10. art. 2. concl. 3. fol. 418. col. 4.* ſi concluſionem ipſam cõiungas cum ſecundo corollario poſt eam poſito, & expreſſe idem ſignificat *Almainus in 3. diſt. 14. q. 1.* vt patet ex 3. concluſione poſita fol, 37, columna 2. & ex ſolutione argumenti contra eam immediatè poſiti, vbi expreſſe diſtinguit inter Chriſtum, & cæteros beatos quoad ad iſtam habitualem cognitionem infinitorũ, Idẽ ſignificat *Gabriel in eadem diſt. 14. artic. 1. concluſ. 3.* vbi quoad iſtam cognitionem habitualem idem diſcrimen agnoſcit inter Chriſtum, & cæteros beatos. Quod etiam colliges *ex Palatio, ſi bene expendas omnes ſententias, & propoſitiones, quas ponit in dicta diſtinctione. 14. diſputatione prima, pagina 151, vbi ſatis expreſſe Ouandus pro poſit. 5:*

Scotus. *D. Bonau.* *Marſilius.* *Almainus* *Gabriel.* *Palatius. Ouand.*

73. 5. Opinio. Quinta, & vltima ſententia etiam diſtinguit inter Chriſtum, & cæteros beatos, vt cæteri omnes actu non videant infinita in Verbo: Chriſtus tamen ea videat: tùm quoad quid eſt, tùm quoad an eſt. Hæc ſententia quatenus aſſerit beatos in Verbo actu non videre infinita, conuenit cum ſecunda ſententia, & quarta: vtraque enim illa abſolutè negat beatos in Verbo infinita videre: quatenus verò animæ Chriſti concedit videre infinita, conuènit quidẽ cũ prima ſentẽtia, & tertia, repugnat tamen ſecundæ, & quartæ. Quare pro priori parte huius ſententiæ citari poſſunt authores ſecũdæ, & quartæ opinionis: pro poſteriori verò poſſunt citari, qui primam, & tertiam opinionem tuentur. Sed ſingulas partes huius ſententię per ſe expendamus.

74. 1. pars opinionis. ¶ Quod beati alij à Chriſto actu non videant infinita in Verbo, ſed ſolùm finita, ferè omnes ſupponunt: quãuis vix reperies, qui id expreſſe aſſerat: vnus eſt *Henriquez, qui id in terminis doceat de vltimo fine hominis cap. 10. §. 6. in text. & litera*

Henriquez

litera S. vbi ſatis declarat nullum beatum, etiam Virginem Deiparam actu videre in Verbo infinita vno excepto Chriſto, Suar. quod etiam ſatis ſupponit *Suarius 2. tom. ad tertiam partem diſp. 21. ſect. 3.* vbi etiam agit de Virgine: id videtur ſupponere D. Thom. D. Thomas (quamuis non ſatis clare) *de Veritate q. 20. art. 4.* dum ait, *Minimè neceſſarium eſſe, quod beatus Deum videns videat omnia, quæ Deus videt*: quare cum Deus videat infinita, non neceſſe eſt vt beatus infinita videat. Pro hac opinione referri poſſunt, qui primam ſententiam, vt temerariam reijciunt, dum aſſerit omnes beatos videre infinita: ſatis enim fateri videntur nullum beatum (vno excepto Chriſto) infinita in Verbo videre.

75. ¶ Quod verò anima Chriſti Domini in Verbo videat infinita, pauci concedunt, ſi credendum eſt Henriquez: ſed quam plurimos id aſſerere facile intelliges: nam id aſſeruit D. Thomas 3. *p. q. 10. art. 3. ita* D. Thom. *ſcribens: quantum vero ad alium modum ſciendi anima Chriſti in Verbo ſcit infinita.* Idē docet *de Veritate q. 20. art. 4. ad 1.* vbi non ſolùm improbat opinionem, quæ negat animam Chriſti videre infinita; ſed etiam id affirmat ita concludens: *Vnde ſi anima Chriſti ſcit omnia, quæ Deus ſcit ſcientia viſionis, oportet dicere, quod ſciat infinita.* Et in fine illius ſolutionis iterum id concludit, iterum id affirmans ad ſecundū: idem ſimpliciter docet *in 3. diſt. 14. q. 1. artic. 3. q. 2. ad 1.* vbi ita concludit: *Anima Chriſti quamuis finita ſit in eſſentia; non tamen prohibetur quin infinita cognoſcere poſſit.* Tandem quodlibet. 3. art. 3. concludit animā Chriſti in Verbo non videre infinita ſimpliciter; bene tamē infinita potentia, quæ ſunt infinita ſecundum quid. Conſentiūt Capreol. omnes Thomiſtæ: ita *Capreolus in 3. diſt. 14. q. 2. art. 1. concl. 2. & art. 3. ad argumenta Adami contra 2. fol. 71. colu. 4.* vbi ſimpliciter ſcribit animā Chriſti vnico actu Caietan. ſcire infinita: *Satis Caietanus 3. p. q. 10. ar.* Medina. *3. expreſſe Medina 3. p. q. 11. artic. 3. conclu.* Fr. Franciſcus à Chriſto. *3. Præceptor Franciſcus à Chriſto in 3. diſt. 14. quæſt. 8. concluſ. 3. & 4. Suarius lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 27. num. 10. in fine;* Suar. *Cabrera 2. tom. ad tertiam partem. q. 10. art.* Cabrera. *3. diſp. 1. concl. 1. num. 18. & diſp. 9. concluſ. 1. num. 7. vt plures alios omittamus.*

Vera reſolutio.

¶ Pro vera reſolutione præmittimus cum Diuo Thoma de Veritate q. 20. art. 4 ad 76. Vera reſolutio. Præmiſſū.
1. non idem eſſe cognoſcere omnia, quæ Deus poteſt facere, & cognoſcere infinita: nam indiuidua ſub quacumque ſpecie poſſunt eſſe infinita, ſimiliter, & ſpecies ſub vno genere infimo infinitæ poſſunt eſſe; & tamen Deus poteſt plura alia facere, quam illa infinita: nam poteſt facere plura imò infinita indiuidua ſub alia ſpecie: & infinitas ſpecies ſub alio genere infimo: imò indiuidua ſub vno genere animalis poſſunt eſſe infinities infinita; & tamen ſub genere lapidis poteſt Deus facere infinitas alias ſpecies, & alia indiuidua infinities infinita. Quare licet, quæ Deus poteſt facere, ſint infinita, ita vt nō poſſit facere plus quam illa infinita: tamen non quæcumque infinita adæquatè continent omnia, quæ Deus poteſt facere imò abſolutè loquendo, nec quæcumque infinities infinita adæquantur omnibus, quæ facere Deus poteſt, etenim ſub genere animalis continentur indiuidua infinities infinita; & tamē Deus ſub alio genere poteſt facere infinita alia.

Ex quo infertur valere hanc cōſequētiam: 77. 1. Corollar.
Intellectus cognoſcit omnia, quæ Deus poteſt facere. Ergo cognoſcit infinita: hanc tñ nō valere: *Intellect⁹ cognoſcit infinita. Ergo cognoſcit omnia, quæ Deus poteſt facere.* Infertur ſecundo cognitionem omnium, 78.
quæ Deus poteſt facere, inferre veram, & propriā cōprehenſionem diuinæ omnipotentiæ; quia nihil omnipotentiæ diuinæ maneret extra talem cognitionem: at tñ cognitionē infinitorū, imò infinities infinitorū abſolutè loquendo talem comprehenſionem non inferre: quia poſſunt cognoſci aliqua infinita, imò infinities infinita ſub aliquo genere; cum tamen extra illa contineantur plura alia à Deo cognoſcibilia: quare vt omnis confuſio tollatur, oportet diſtinguere duplex infinitorum genus, vt §. 4. iam diximus: vnū eſt infinitorum, quæ abſolutè, & ſimpliciter ſunt omnia poſſibilia: alterum verò infinitorum, quę abſolutè, & ſimpliciter nō ſunt omnia poſſibilia, quamuis ſint omnia poſſibilia ſub aliquo infimo genere, vel ſpecie, de quo iam plura diximus in dicto §. 4.

His ita præmiſſis difficultas facilè reſol- 79. 2. corollari
uetur nonnullis adhibitis propoſitioni-

bus: ſit prima propoſitio: *Nullus beatorũ nec anima Chriſti Domini, de facto videt infinita, quæ abſolute ſunt omnia poſsibilia, quæ Deus poteſt facere.* Hæc concluſio neceſſario infertur ex ſecunda concluſione poſita §. quarto in qua oſtendimus talem cognitionem, etiam per diuinam potentiam eſſe ſimpliciter impoſsibilem; quia ex illa ſequeretur diuinam omnipotentiam verè, & propriè comprehendi, vt ibidem oſtendimus: iam verò nec vllus beatus, nec Chriſtus homo diuinam eſſentiam poteſt comprehendere, vt latè mõſtrauimus ſupra *q. 1. art. 2. & 3.* & de omnibus beatis oſtendit *D. Thomas tum multis in locis, tum maxime 1. p. q. 12. art. 3. & de anima Chriſti 3. p. q. 10. art. 1.* Quare ſi viſio infinitorum, quæ abſolutè ſunt omnia poſsibilia, non poteſt non eſſe comprehenſiua Dei; vtique talis viſio omnibus beatis etiam Chriſto homini, erit impoſsibilis.

D. Thom.

80. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Thomas, dum negat intellectũ beatum, etiã animam Chriſti cognoſcere omnia, quæ ſunt in potentia Dei, vt patet 3. *p. q.* 10. *ar.* 2. & pluribꝰ alijs in locis, in quibus docet cognitionem eorum, quæ abſolutè ſunt in potentia Dei inferre diuinæ eſſẽtiæ cõprehenſionẽ, & ideo nec in Chriſto homine reperiri: etenim cognitio omniũ, quæ abſolutè, & ſimpliciter ſunt in Dei potentia, eſt cognitio infinitorum, quæ abſolutè ſunt omnia poſsibilia fieri à Deo: vnde nullus intellectus creatus poteſt cognoſcere omnia poſsibilia, quæ à Deo poſſunt fieri. Cum verò omnia, quæ abſolutè poſsibilia ſunt fieri à Deo, cognoſcantur ab eo cognitione ſimplicis intelligentiæ; benè infertur nullum intellectum creatum, etiam Chriſti Domini, aut cognoſcere, aut poſſe cognoſcere omnia, quæ Deus cognitione ſimplicis intelligentiæ cognoſcit, vt expreſſe docuit *Diuus Thomas 3. parte, quæſtione 10. artic. 2. ad ſecundum, & quæſtione 13. artic. 1. ad ſecundũ*, & paſsim in ſua doctrina, vbi declarat idem eſſe cognoſci omnia, quæ ſimpliciter ſunt poſsibilia fieri à Deo; & cognoſci omnia, quæ Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ cognoſcit.

D. Thom. *D. Thom.*

81. Ex quo infertur primam ſententiam non ſolum eſſe falſam, sed etiam temerariam, & in fide periculoſam, ne dicam hæreticam, ſi intelligatur de cognitione infinitorũ, quę abſolutè ſunt omnia poſsibilia: nam in hoc ſenſu neceſſario infertur Dei vera, & propria comprehenſio, quod eſſe contra fidem oſtendimus ſupra art. 3. quare in hoc ſenſu admittimus cenſurã, qua notatur illa opinio à *Valentia 1. to. q. 12. pun. 6. q. 2. pag. 204. & à Molina ibidem art. 8. diſp. 5. memb. 2. in princ. pagin.* 139. *col.* 1. non quidem propter fundamẽta, quæ adducunt; ſed quia ex tali cognitione infertur comprehenſio diuinæ omnipotentiæ, quod eſſe contra fidem iam explicauimus. Nec fundamenta quibus nitũtur Theologi primo, & ſecundo loco citati aliquid faciunt: nam quod quilibet beatus Deum, & creaturas videat viſione increata (quæ fuit opinio eorum, quos ſecũdo loco retulimus) falſum ſit, & omnino improbandum, latè oſtendimus 1. *tom. lib. 4. q. 1. art. 2.* quin potius eam opinionem quidam reijciunt, vt hæreticam; vel temerariam, & in fide periculoſam, vt ibidem diximus §. quarto.

1. opinio eſt temeraria.

Valentia. *Molina.*

82. Ad 1. fundamentum.

83. Ad fundamentum verò priorum *Molina vbi ſupra ad 2. Durandi pag. 141. colu.* 1. abſolutè negat maiorem: quia non oportet, vt beatus cognoſcat omnia, quæ per diuinam eſſentiam naturaliter repræſentantur. Sed ego eam potius diſtinguerem, & ſatis ad mentem Diui Thomæ *de Veritate q. 20. art. 5. in principio, & in 3. diſt. 14. art. 2. q. 2. in principio*, vt vera ſit de ijs, quæ per diuinã eſſentiam repræſentãtur formaliter, falſa tamen, ſi repræſentẽtur ſolũ eminenter, vt per causã, in cuius virtute cõtinentur: ratio diſcriminis eſt, quoniã, quę in diuina eſſentia formaliter repræſentantur, ſemper repræſentãtur, vt ſunt in ſe ipſis, ſiue repræſentẽtur vna indiuiſibili actuali formalitate, quæ adæquatè eſt omnia, inadæquate tamẽ ſingula; ſiue repræſentẽtur, vt virtute ſunt plura, & diſtincta, vt oſtẽdimus 1. tom. lib. 5. q. 11. per totã: at verò quæ in diuina eſſẽtia naturaliter repræſentantur ſolũ eminenter, non cognoſcuntur in ſe ipſis, ſed in ſua cauſa: hæc autem licet omnia, quæ cõtinet, naturaliter repræſentet nõ tamẽ ea ſimul repræſẽtat, ſed alia, & alia, iuxta maiorem, vel minorem ipſius cauſæ penetrationẽ; & ideo non oportet, vt ſimul cognoſcantur omnia, quæ repręſentat: de quo vide, quæ diximus ſupra art. 4. ad 3. argu-

Ad 1. fundamentum. *Molina.*

84. Deceptio ad uerſariorũ. argumentũ: decipiuntur autem illius opi
nionis authores, dum putant creaturas in
diuina eſſentia repræſentari, & videri eo
modo, quo res repræſentantur, & viden-
tur in ſpeculo, vt contra eos aduertit *D.*
85. Ad D. Gregorium. *D. Thom.* *Ferrarien.* *Molina.* *Thom. de Veritate loco citato.* Quæ verò ad
ducuntur ex *D. Gregor. & Beda* ſatis ex-
plicantur à *D. Thoma* 1. *p. q.* 12. *art.* 8. *ad* 1.
& de Veritate q. 8. *art.* 4. *&* 3. *contra gentes*
cap. 59. *vbi Ferrarienſis, vide etiam Molinã*
vbi ſupra ad 1. *Durandi*: nam Patres illi in
telliguntur, vel quoad ſufficientiam; quia
ſcilicet beatus videt obiectum, quod ſuf-
ficiens eſt omnia oſtendere: vel quia vi-
det omnia, quæ ad ſtatum eius pertinent.
Vel dicito, qui videt Deum, videre om-
nia, per æquiualentiam; quia quod videt,
æquiualet omnibus, quæ videri poſſunt.

86. 2. Propoſitio. De alijs beatis à Chriſto ſit ſecũda pro
poſitio: *nullus beatus in Verbo videt aliqua*
infinita, cuiuſcunq; ſint generis. Hæc conclu
ſio ſtatuitur pro quinta ſententia. Cui
etiã conſentient authores ſecũdæ opinio
nis; nam ſi Chriſto homini negant actua-
lem infinitorũ cognitionem, à fortiori eã
negabunt cæteris beatis. Aduertendum
tamen eſt neutrum ſecundæ opinionis
87. Non eſt admittendum 1. fundamẽtum. fundamentum eſſe admittendum. Nam
primum; quod ſcilicet nullum dari poſ-
ſit infinitum etiam ſyncategorematicè
in ordine ad diuinam potentiam, pa-
rum eſt tutum: quoniam licet Deus
non poſsit facere infinitũ actu categore-
matico, vt verior habet opinio; negari ta-
men nõ poteſt Deũ poſſe facere infinitũ
ſyncategorematicè ſumptũ; quia nõ po-
teſt facere tot homines, quin plures poſ-
ſit facere: quã philoſophiã, vt certiſsimã
ſupponimus. Sed nec recipiendum eſt
ſecundum fundamentũ, quatenus aſſerit,
88. Nec recipitur 2. fundamentum. nec Deũ ſcientia viſionis videre infinita:
licet enim actu nõ detur infinita actu, &
categorematicè infinita; tñ actu dãtur infi
nita ſyncategorematicè ſũpta: nanã cũ qui
libet beatorũ in æternũ debeat Deũ lauda
re, actu futuræ ſunt infinitæ laudũ actiones
& infinitæ intellectiones in quolibet bea
to; imò in quolibet dãnato actu ſucceſsiuo
erũt infinitæ blaſphemiæ; quæ õnia De⁹
cognoſcit ſcientia viſionis; de quo vide
D. Thomam de Veritate quæſt. 20. *ar.* 4: Sed
89. Nec 3. nec recipiendum eſt fundamentum, quo
nonnulli noſtram propoſitionẽ probant:
quod infinita cognoſci non poſſunt vir-
tute finita, aut abſque diuinæ eſſentiæ cõ
prehenſione: etenim in ſuperioribus oſ-
tendimus, nec omne infinitum arguere
cognitionem infinitam; nec cognitionem
quorumcunque infinitorum neceſſario
inferre diuinæ eſſentiæ comprehenſio-
nem: vtrumque ſatis colliges ex D. Tho-
ma *in d. q.* 20. *art.* 4. *ad finem*: vide quæ di-
ximus ſupra §. 4. in 2. concl.

Verum igitur noſtræ propoſitionis 90. Verum fundamentum.
fundamentum ex eo ſumendum eſt, quo
niã nullus beatus (ſi Chriſtũ Dñm exci-
piam⁹) de facto cognoſcit, aut infinitas ſpe
cies ſub eodem genere infimo; aut infini-
ta indiuidua ſub vna, & eadẽ ſpecie. Ergo
nullus beatus de facto cognoſcit infinita.
Conſequentia eſt nota; quia nulla alia in-
finita dari poſſunt. Antecedens vero ex
eo probatur; quoniam beati de facto ea ſo
lũ vident in Verbo, quæ ad ſuum ſtatum
aliquo modo pertinent, vel ratione per-
fectionis propriæ perſonæ; vel ratione
alicuius curæ illi cõmiſſæ. Sed cognoſce-
re aut infinitas ſpecies, aut infinita indi-
uidua nõ pertinet ad ſtatũ alicuius beati,
Ergo nullus beatus de facto cognoſcit
aliqua infinita. Maior patebit: ex ijs, quæ
dicemus art. 13. huius quæſtionis. Minor
autẽ quoad ſecundam partẽ eſt nota: nec 91. Probatur minor.
enim ad curã alicui beato cõmiſſam per-
tinere poteſt cognoſcere, aut infinitas ſpe
cies alicuius generis, aut infinita indiui-
dua, vt patet: quo ad primam verò partẽ
minor etiã eſt nota, quod attinet ad cog-
nitionem indiuiduorũ: quoniam illorũ
cognitio per ſe non pertinet ad perfectio
nẽ intellectus: quod verò attinet ad cog-
nitionem ſpecierũ ex eo probatur eadẽ
minor; quia ad perfectionẽ naturalem in
tellectus ſolũ pertinet cognoſcere omnes
ſpecies rerũ naturaliũ, quas Deus cõdidit.
ad has enim ſolas habet intellectus crea-
tus naturale deſideriũ, non verò ad eas,
quas Deus poteſt condere, ſed non cõdi-
dit: ſicut etiã nõ datur appetitus natura-
lis ad cognoſcendas ſpecies rerum ſuper-
naturalium, vt patet. Sed Deus non
condidit infinitas rerum naturalium
ſpecies, ſed ſolùm finitas; imò, nec
ſub illis erunt indiuidua infinita, ſed
ſolùm finita. Ergo ad perfectionem in-
tellectus non pertinet cognoſcere infini-
tas rerum naturalium, aut ſupernatura-
lium ſpecies: & per conſequens cognitio

infinitarum ſpecierũ non pertinet ad ſtatũ alicuius beati:quę fuit minor probãda.

92. Molina cõtradicit. Qui huic noſtræ concluſioni expreſſe & in proprijs terminis contradiceret, vnum ſolũ inueni *Molinã* 1.*p.q.*12.*ar.*8. *diſp.*5.*memb.*8.*pag.*151.*col.*1. vbi ſatis ſignificat omnes beatos in Verbo videre aliqua infinita: & affirmat D. Thomam nuſquam negaſſe alios beatos à Chriſto infinita aliqua videre in Verbo. Et contra noſtrã reſolutionem nõnulla obijci poſſunt.

93. 1. Argum. Primum eſt; quoniam in diuina eſſentia naturaliter repręſentantur infinitæ ſpecies. Ergo quilibet beatus de facto videt in Verbo ſpecies infinitas. Quod eſt vnum fundamentum primæ, & tertiæ opinionis, quarum vtraque noſtræ propoſitioni contradicit: alio tamen modo, quam illi contradicat Molina.

94. 2. Argum. Secundo obijcitur: quoniam quilibet beatus videt in Verbo infinitas ſpecies numerorum, figurarum, & proportionum, vt docet Diuus Thomas 3. *contra gentes capite* 60. *& Opuſculo* 9. *q.*81. *D. Thom.*

95. 3. Arg. Tertio; quoniam quilibet beatus videt in Verbo omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis, vt docet D. Thomas *in* 4. *diſtinct.*49.*quæſt.* 2. *art.*5. *quæſtiũ.* 1. Sed Deus ſcientia viſionis videt infinita. Ergo quilibet beatus infinita videt.

96. 4. Arg. Quarto deniq; quoniã quilibet beatus in Verbo videt aliqua ſingularia ſub vna ſpecie. Ergo videt omnia ſingularia illius ſpeciei; quæ ſunt infinita. Antecedens patet ex ijs, quæ inferius dicemus. Conſequentia verò probatur: quia lumen gloriæ, quod ſatis eſt, vt vnum induiduum ſub aliqua ſpecie cognoſcatur; ſatis etiam eſt, vt cognoſcantur infinita, quæ ſub illa poſsibiliter continentur.

97. Ad 1. Hæc facilè diſſoluuntur. Et primum argumentum iam diſſoluimus in prima propoſitione: quod attinet ad ſecundum

Ad 2. plures Theologorum admittunt omnes beatos videre in Verbo infinitas ſpecies numerorum, figurarum, & proportionum, ita *Salas vbi ſupra in dicta ſect.*7.*pag.* 294. *col.* 1. *ante finem*, quod etiam probat *Molina prima parte quæſt.*12.*art.*8. *diſput.* 5.*memb.*8.*pag.*151.*colum.*1. *& Nauarrete* 1.*tom. controuerſiarum. controuerſia* 46. §. 4.*fol.*29[illegible]*colum.*2. *& ſatis videtur docere D.Thomas* 3.*contra gentes cap.*60.*& Opuſcul.*9.*quæſt.*81. ſed non video cur admittendum ſit omnes beatos videre in Verbo infinita huius generis: etenim talis cognitio non pertinet ad ſtatum cuiuſque beati; cum nec pertineat ad aliquam curam illis commiſſam, nec ad naturalem intellectus perfectionem: nam licet ad perfectionem intellectus pertineat cognoſcere omnes ſpecies numerorum, figurarum, & proportionum, quæ in rebus creatis de facto inueniuntur; quia ad ordinem vniuerſi pertinent; non tamen ad perfectionem illius pertinet cognoſcere infinitas iſtorum ſpecies, quæ ſyncategorematicè ſunt poſsibiles, cum Deus non omnes illas actu produxerit (quia id factu eſt impoſsibile) nec ſucceſsiuè vſque in ſempiternum debeat producere; quare nõ video, cur quilibet beatus de facto omnes iſtas ſpecies debeat videre: nec audiendus eſt Nauarrete vbi ſupra, dum ait dari in noſtro intellectu naturale deſiderium cognoſcẽdi infinitas iſtas ſpecies: nam ſi in nobis nõ datur naturale deſiderium cognoſcendi infinitas ſpecies aliarũ rerũ, ſed ſolùm ad cognoſcẽdas eas, quas Deus de facto condidit; quomodo dabitur deſiderũ naturale ad cognoſcendas infinitas ſpecies numerorũ? D. autẽ Thomas in loco citato non inepte explicabitur, vt non loquatur generaliter de omni intellectu; ſed ſolùm indefinitè, vt verificetur in ſolo intellectu Chriſti. Reijcitur Nauar.

Salas. Molina. Nauarrete D. Thom.

Ad 3. nonnulli admittebant maiorem, non ſolùm in Chriſto, ſed etiam in omnibus beatis, quos refert D. Thomas in loco, qui in argumento adducitur: at tamẽ D. Thomas eos ibidem reprehendit, tanquã doctrinæ ſanctorum repugnantes, & verè reprehendẽdos eſſe oſtẽdem⁹ in art. ſequenti, vbi expendemus, an illa opinio aliqua indigeat cẽſura, quare nõ eſt quod D. Thomas pro illa maiore referatur: & quãuis ibidẽ in fine corporis ſcribat poſsibile eſſe, quod poſt diẽ Iudicij omnes beati cognoſcãt omnia, quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis: tamen ſuã mentem declarat ibidẽ ad 12: vbi docet omnes quidẽ beatos viſuros eſſe omnia, quæ Deus ſciẽtia viſionis nouit; ſed tamen non omnes omnia illa viſuros in Verbo, in quo ab anima Chriſti diſtinguentur. Quare maior illa ſimpliciter eſt neganda, ſicut etiã ſimpliciter negandum eſt D. Thomam illam maiorem ſimpliciter docuiſſe, 98. Ad 3. D. Thom.

Ad

99. Ad 4. Ad quartum, quod eſt fundamentũ Molinæ, conceſſo antecedente neganda eſt conſequentia. Ad probationem quidam negant propoſitionem, quæ ſumitur, inter quos eſt *Nauarrete loco citato, & Salas vbi ſuprà tract.2. diſput.4. ſect.7. pag.299.col.2.* Ego tamen illam libenter admitto; aliàs infinita indiuidua ſub vna ſpecie cognoſci non poſſent ſine lumine intenſiue infinito; quod non eſt admittendum; quanuis Nauarrete minus philoſophicè illud admittat *in d.fol.292. col. 3.in fine*: nam quanuis infinitum intenſiuè non ſit ſimpliciter infinitum, prout infinitum ſimpliciter idem eſt, quod infinitum omnibus modis; ſatis tamen eſt, quod verè & ſimpliciter ſit infinitum intenſiuè ſub aliqua ſpecie, vt dari non poſſit etiam per diuinam potentiam: etenim verior Philoſophorum, & Theologorũ, etiam Thomiſtarum opinio docet per diuinam potentiam dari non poſſe albedinem infinitè intenſam, quæ vt patet, non eſt omnibus modis infinita. Admiſſo autem antecedente non proinde infertur viſo vno indiuiduo per tale lumen omnia alia (etiam infinita) de facto videri: quoniam non neceſſe eſt, vt eſſentia diuina, ſi vnit ſe intellectui ſub gradu indiuiduali huius indiuidui, vniat ſe ſub gradibus aliorum, ne dùm infinitorum: quanuis ſub eodem lumine poſsit ſe vnire ſub gradibus aliorum indiuiduorum: ſed de hoc alibi latiùs.

Nauarret. *Salas.* Solutio.

100. 3. propoſitio de anima Chriſti Domini. De anima Chriſti Domini ſit tertia propoſitio: *Anima Chriſti Domini in Verbo non ſolùm videt aliqua infinita, ſed etiam plura*: etenim tot infinitas intellectiones videt in Verbo, quot ſunt beati: nam quilibet illorum cum perpetuò debeat in beatitudine permanere, infinitas Dei laudes, infinitaſque intellectus, & voluntatis operationes habebit, vt omnes fatentur: cum verò Chriſtus Dominus eas omnes in Verbo videat; vtique plurimorum infinitorum collectiones videbit.

101. *Salas.* Oppoſitum plures docent, vt teſtatur *Salas in d.ſect.10. pag.315. col.1. ad finem*, qui volunt animam Chriſti non cognoſcere infinita: ſed oppoſitum eſſe dicendum modo ſupponimus: nam hac de re latiùs diſputare non ad hunc locum ſpectat, ſed ad materiam de ſcientia beata Chriſti. Satis nobis modo ſit, quod D. Thomas teſtatur animam Chriſti videre omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis, vt patet *de Veritate q.8. art.4. poſt principium*. Cum verò Deus ſcientia viſionis, videat infinita, quæ actu futura ſunt, dicendum eſt, animam Chriſti infinita videre. Et de hac concluſione ſatis hęc ſint.

ARTICVLVS VII.

An omnes beati videant in Verbo omnia, quæ ſunt, fuerunt, & futura ſunt? denique omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis?

SVppoſitis his, quę diximus, nullum beatorum (vno excepto Chriſto) videre in Verbo aliqua infinita, ſed omnia, quæ vident, ſiue de ſpeciebus, ſiue de indiuiduis, eſſe numero finita: inquirendum erit, quæ nam ſint illa, quę de facto vident? & primo loco inquirimus: an omnes in Verbo videant omnia præterita, præſentia, & futura? denique an videant omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis? nonnullos affirmatiuè reſpondiſſe teſtatur *D. Thomas de Veritate q.8. art.4. & q.20. art.5.* 1. Quæſtio. 1. opinio affirmatiua.

Sed hęc opinio non eſt recipienda, ſed reijcienda potiùs; eam reijcit D. Thomas in d.art.4. in medio corporis, & in fine, ita concludens: *Et ideò animæ Chriſti, quæ ſuper omnes creaturas perfectius Deum videt, attribuitur, quod omnia cognoſcat, præſentia, præterita, & futura: alijs autem non.* Et ſatis eadem veritas deducitur ex ijs, quæ docet *in d.q.20.art.5. & 3.contra gentes c. 59. & in 4.diſt.49.q.2. art. 5.q.1. ſed clariùs ex ijs, quæ ſcribit in 3.diſt.14.q.1. ar.2. q.1.* vbi ſoli animæ Chriſti tribuit hæc cognoſcere. Pro hac ſententia citari ſolet *Durandus in 3.diſt.14.q.2. & in 4.diſt.49. q.3*: ſed cum Durandus non admittat res in ordine ad exiſtentiam videri in diuina eſſentia, non eſt, quod pro hac ſententia citetur. Ex modernis hanc opinionem tenet *Suarius in tract. de Deo trino & vno lib.2. de Attributis negatiuis cap. 27. n.5.* Et quia res iſta inter omnes iam eſt indubitata à citatione aliorum Doctorum ſuperſedemus. 2. Non recipitur. *D. Thom.* Durandus non eſt pro ea. *Suar.*

Hanc ſententiam ita certam eſſe plures exiſtimant, vt velint oppoſitam, vel eſſe hæreticam, vel ſaltem in fide periculoſam: 3. De cenſura oppoſitę ſententiæ.

loſam: ita exiſtimant *Molina* 1.*p.q.*12.*ar.* 8.*diſp.*5.*memb.*2.*in principio*, *& Valentia ibidem punct.*6.*pag.*204. Et quanuis nonnulli hanc cenſuram non admittant; putant tamen eam eſſe ſatis certam, ita *Suarius in d. lib.*2. *de attributis negat. c.*27. *n.* 5. *& Salas in d. ſect.*10.*n.*149 *pag.*315.*col.* 1.*in medio.* Ego tamen exiſtimo hanc ſententiam eſſe pluſquam certam, ita vt oppoſita ab aliqua cenſura, ſaltem temeritatis, non ſit liberanda. Quod ex eo primũ confirmo, quia D. Thomas in locis citatis expreſſe docet oppoſitam ſententiam dictis Sanctorum ſimpliciter repugnare; quod mihi ſatis eſt, vt eam improbem tanquam non ſatis tutam: etenim Dionyſius *de cœleſti Hierarchia cap.*7. *& de diuinis nomin. c.*3. in Angelis, qui Deum vident, admittit ignorantiam multorum, quæ ſunt, & quæ futura ſunt: & ideò inferiores à ſuperioribus illuminari de ijs, quæ agenda ſunt, quia non omnia noſcunt; & interrogationes factas ab Angelis Iſaiæ 63. ex ignorantia fuiſſe factas affirmat *Ambroſius de inſtit. Virginis, & in lib. de myſterijs cap.* 7. *Idem teſtatur Iuſtinus in dialogo cum triphone ante medium, & Origenes homil.*23.*in Lucam, Chryſoſtomus homil.* 1. *in Ioannem, & Hieronymus ad c.* 3.*ad Epheſios*; cum quibus conueniunt ferè omnes Scholaſtici *in* 2. *diſt.* 11. *& D. Thomas* 1.*p.q.*106.*ar.*4.*& q.*108.*art.*1.*& de veritate q.*9.*art.*5. qui omnes admittũt Angelos ſanctos aliqua ignorare eorum, quæ à Deo ſunt agenda. Cum verò hæc doctrina communis ſit inter Patres, & Theologos, non ſatis tutum erit eam negare: maximè cum ex ſacris literis, ſi non expreſſe, ſaltem iuxta communem ferè omnium Patrum, & interpretum expoſitionem deducatur.

Molina. Valentia. Suar. Salas. Cenſura authoris. *Dionyſ. Iſai.*63. *Ambr. Iuſtinus. Origenes. Chryſoſt. Hieron. D. Thom.*

5\. Confirmatur ex Mat. 24. & Mar. 13.

Et profectò maximè vrgere videtur locus *Matthæi* 24.*& Marci* 13.*de die illo, & hora nemo ſcit, nec Angeli cœlorum; nec filius, niſi ſolus pater.* Ex quo ſatis efficaciter colligitur Angelos abſolutè neſcire diem, & horam iudicij: nam cum dixiſſet nec Angelos cœlorum, i. beatos, qui Deũ vident, ſcire diem illum, per exaggerationem addit *nec filium illum ſcire, niſi ſolum patrem.* Quæ exaggeratio intelligenda eſt de Chriſto homine, vt contra Arianos ſupponimus cum cõmuni omnium Patrum conſenſu; illa igitur ſatis efficaciter videtur conuincere Angelos diem illum ſimpliciter, & abſolutè neſcire: nam ſi verba illa *nec filius* intelliguntur non de filio in propria perſona, ſed de Eccleſia, cuius filius eſt caput (quæ eſt expoſitio *Eulogij, quem refert, & probat D. Gregorius lib.*4.*epiſt.*42. *& Hieronym. Matthæi* 24. *& Origenes in Matthæum homil.* 30.) efficaciter infertur Angelos ſimpliciter diẽ illum neſcire: etenim Angeli ſub corpore Chriſti myſtico intelliguntur. Porrò ſi verba illa intelligãtur de perſona Chriſti hominis (quæ eſt communis & tenenda explicatio) adhuc ex illa exaggeratione ſatis efficaciter conuincitur Angelos abſolutè neſcire diem illum: etenim iſta exaggeratio ſatis declarat adeo diem illũ eſſe omnibus, etiam Angelis, ignotum, vt ipſi filio Dei etiã dici debeat ignotus, cui omnes theſauri ſcientiæ ob ſui dignitatẽ ſunt commiſſi: non quidem abſolutè & ſimpliciter, quaſi diem illum ſimpliciter neſciat. (etenim illum ſimpliciter nouit, quia ad ſtatum ſuum id pertinet) ſed quia ita illius reuelationem habuerit, vt nulli illum reuelare poſſit: quia ſcilicet Deus hoc in ſola ſua poteſtate ita poſuerit, vt illius reuelationem nulli fieri voluerit: ob quam rationem filius dicitur diem illum neſcire; quia illum nulli reuelare potuit; quæ enim ita ſcimus, vt nulli illud reuelare poſſimus, dicimur, neſcire: quæ eſt communis explicatio Patrum in citatis locis Matthæi, & Marci, vbi *Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius cũ cæteris Patribus: Ambroſius lib.*5. *de fide c.* 8. *Athanaſius lib.*4.*contra Arianos, Auguſtinus in lib.*1.*de Trinitate c.*12. *Baſilius* 4. *lib. contra Eunomium.* Ex Theologis idem docent *D. Thomas* 3.*p.q.*10.*ar.*2.*ad* 1. *vbi communiter interpretes, & in* 3. *diſt.*14. *ex Nonioribus Bellarm. lib.*4.*de Chriſto cap.*5. *Canus* 12.*de locis cap.*14. *Suarius* 1.*tom. ad* 3.*p.q.*10.*art.*2. *in comment. art. & lib.*2.*de attribut. negat. c.*27. *Salas in d. ſect.*7. *pag.* 295. *col.* 2. *vt alios innumeros omittamus.* Quod ſi filius Dei diem iſtum neſciret, niſi ſimul eſſet Deus, & niſi conſtitutus eſſet iudex viuorum, & mortuorum: & tamen iſte ita illi reuelatus eſt, vt eum nulli reuelet, profecto dici non poteſt hanc reuelationem ſub eadem conditione factam fuiſſe Angelis. Quare hæc verba *nec Angeli ſciunt*, ſunt abſolutè intelligenda

Eulogius, Gregor. Origen. Hieron. 6.

7\. *Hieron. Chryſoſt. Ambr. Athanaſ. Auguſt. Baſil. D. Thom. Bellarm. Suar. Salas.*

genda, vt ſimpliciter diem illum neſciāt: illa verò *nec filius*, cum ſint per exaggerationem dicta, intelligenda ſunt modo explicato.
8. ¶ Idem etiam oſtendi non inefficaciter poteſt ex Angelorum interrogationibus, de quibus Iſaiæ 63. & Pſal. 23: etenim interrogationes illæ non ſatis accommodatè dicuntur factæ ex admiratione (quāuis id affirmet *Origenes tract. 15. in Matthæum, & tom. 9. in Ioannem*) ſed ex ignorantia; quia verè neſciebant ea, de quibus interrogabant, vt ex litera colligit *D. Ambroſius de inſtitutione Virginum, & in lib. de myſterijs c. 7, & ſatis ſignificat Dionyſius cap. 7. de cœleſti Hierarchia*, dùm ex illis interrogationibus colligit Angelos inferiores à ſuperioribus edoceri, & illuminari: his addimus illorũ ignorantiam efficaciſsimè colligi ex Daniele 10. vbi vnus Angelus beatus reſtitit alteri dùm quiſque pro populo ſuo deprecaretur, ignorans, quidnam Deus illa de re facere ſtatuiſſet:
9. & præterea ex Apocalypſ. 7. vbi vnus Angelus voce magna clamauit quatuor Angelis inquiens: *Nolite nocere terræ, & mari, &c. donec ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Quod argumento eſt quatuor illos Angelos illam circunſtantiam ignorare. Denique mihi ſatis firmiter id perſuadet verba Pauli ad Epheſios 3. *Vt innoteſcat principibus. & poteſtatibus per Eccleſiā multiformis ſcientia Dei*: nam quanuis illa verba ab *Ambroſio ibi. & ab Auguſtino in lib. de quæſtionibus noui, & veteris teſtamenti q. 111*: explicentur de malis Angelis, qui inuiti credunt plura Chriſti myſteria Eccleſiæ reuelata: communis tamen explicatio verba illa intelligit de Angelis bonis: nam hi ſoli ſimpliciter appellantur principes, & poteſtates; mali verò ſolùm cum additione diminuente, vt dicantur principes, & poteſtates tenebrarum, quibus dominantur: vnde communis eſt doctrina Theologorum ſucceſſu temporis quamplurima nouerint myſteria, & reuelatione facta Eccleſiæ, quæ antea non nouerant. ¶ Ex quibus omnibus puto non ſolum certiſsimum eſſe non omnes beatos videre in Verbo omnia præſentia, præterita, & futura: ſed ita eſſe certum, vt oppoſitum non ſit tutum.

10. Confirmatur ratione. Confirmatur hæc veritas ex ijs, quæ diximus in præcedente articulo §. 6. propoſitione 2. vbi ſtatuimus nullùm beatũ (vno Chriſto excepto) videre in Verbo infinita: & ſubinde non videre omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis. Iam verò, ſi quilibet beatus videret omnia præterita, præſentia, & futura, non ſolum videret omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis, ſed etiam videret infinita: quoniã tàm in beatis, quàm in damnatis pro tota æternitate futuri ſunt infiniti actus intellectus, & voluntatis, atque etiam externorum ſenſuum. Quare non eſt dubitandum beatos non videre in Verbo omnia futura, de præſentibꝰ verò & præteritis ſolùm ea videbunt, quæ ad ſtatum cuiuſque pertinet, vt dicemus art. 9.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm omnes beati videant in Verbo cogitationes cordium tàm viatorum, quàm comprehenſorum?

IN hac quæſtione explicanda ſatis cõfusè loquuntur Theologi, dùm confundunt viſiones cogitationũ in Verbo, & extra Verbum. Quare vt omnia diſtinctè explicentur, pręmittendum eſt in hac quæſtione ſolùm inquiri de viſione cogitationum cordium in Verbo; non verò extra verbum per ſcientiam infuſam: de hac enim iam latè egimus *in 2. to. lib. 12. q. 8. art. 3. §. 4. vbi n.* 100. oſtendimus beatos per ſcientiam infuſam diſtinctè poſſe cognoſcere cogitationes cordium, tàm viatorum, quàm comprehenſorum; non ſolùm quæ ſunt naturalis ordinis, ſed etiam quæ ſunt ordinis ſupernaturalis: per eam enim cognoſcunt non ſolùm viſiones beatas aliorum; ſed etiam omnes actiones, quæ ad cognitionem matutinam pertinent. Quare nunc ſolùm inquirimus de viſione illarum in Verbo. 1. Quæſtio de cogitationibus cordium. Præmiſſum 1.
¶ Præmittendum eſt ſecundò plura cogitationum genera diſtingui poſſe: nam quædam ſunt viatorum, quædam verò comprehenſorum: in quibus aliæ pertinent ad cognitionem veſpertinam eorũ, quæ ſinguli beatorum in politia veſpertina cogitant, & volunt: aliæ verò ad cognitionem matutinam: in hac enim pręter viſionem beatam plures dari actus in ipſis beatis latè probauimus *in 2. tomo libro 11. q. 7. per totam.* Quare quæſtio iſta de omnibus actionibus explicabitur. 2. 2. præmiſſum.

Omiſſa

Omiſſa igitur opinionum varietate,
3. Concluſio. quæſtionem hac vnica concluſione diſſoluimus: *Beati in Verbo vident omnes & ſolas illas cordium cogitationes, quæ ad ſuum ſtatum pertinent, tùm in viatoribus, tùm in cæteris beatis.* Hæc concluſio, cum ſit excluſiua duas continet propoſitiones exponentes. Prima eſt affirmatiua: *omnes beati in Verbo cognoſcunt omnes cogitationes, & affectiones cordium, tàm in viatoribus, quàm in alijs beatis, quæ ad ſuum ſtatum pertinent.* Secunda propoſitio eſt negatiua: *nullus beatus videt in Verbo cogitationes tàm viatorum, quàm beatorum, quæ ad ſuum ſtatum non pertinent.* Propoſitionem negatiuam intelligimus de lege ordinaria; vnde non negamus beatos ex priuilegio, & diuina liberalitate poſſe videre in Verbo cogitationes tàm viatorum, quàm cõprehenſorum, quæ ad ſuum ſtatum non pertinent. Et ad hunc ſenſum explicamus concluſionem ſeptimam, quam hac de re ſtatuimus 1.*to.q.*19.*art.*4.§.1.*n.*39.

4. Probatur 1.propoſit. affirmatiua. Propoſitio affirmatiua ex eo efficaciter probatur: quoniam omnes beati diſtinctè vident omnia, quæ ad ſuum ſtatũ pertinent, vt in ſequẽti articulo dicemus. Qua ſuppoſita opinione neceſſariò conuincitur beatos omnes viſuros in Verbo aliorum, ſiue viatorum, ſiue beatorum cogitationes, quæ ad ſtatum ſuum ſpectabũt. Quare tota difficultas ſolùm erit, quænam cordium cogitationes, tâm in viatoribus, quàm in beatis pertineant ad ſtatum cuiuſque. Noſtram igitur concluſionem ex modernioribus probarunt
Molina. *Molina* 1.*p.q.*12. *art.*8.*diſp.*5. *memb.*3. §. *Eam autem regulam*,
Velloſil. *Velloſillus in aduertẽtijs ad Auguſtinum tom.*9. *quæſito* 16.*dub. vltimo in fine*,
Salas. *Salas* 1. *tom. ad* 1.2. *tract.*2. *diſp.*4.*ſect.*11.*pag.*324.*col.*2. §. *Dico quartò*: nec id negat
Suar. *Suarius*, *imò fatetur lib.* 2. *de attribut.neg.cap.*28.*n.*16.*in fine*, quam opinionem probauimus in 1. tom. loco citato; & ſatis eam mihi probat *D.Thom.*
D. Thom. 2.2.*q.*83.*art.*4.*ad* 2. *in hæc*: *ſed beatis, vt Gregor.dicit in* 12. *Moralium, in verbo manifeſtatur illud, quod decet eos cognoſcere de ijs, quæ circa nos aguntur, etiam quoad interiores motus cordis*, quæ verba non indigent expoſitione; vbi etiam ſatis conſentit Caietanus, quanuis in terminis non loquatur de cogitationibus cordis, ſed de orationibus: at tamen cum illæ, etiam vt mentales ſunt, ad ſanctos pertineant; vtique idem ſentiet de cæteris cordis cogitationibus ad ſtatum pertinentibus. Vide etiam *D.Thomam in* 4.*diſt.*45.*q.*3.*art.* 1.*ad finem*, *& ad vltimum*. D. Thom.

5. 2.propoſit. negatiua. Secunda propoſitio vniuerſalis negatiua (*quod ſcilicet nullus beatus in Verbo videat aliquas cordium cogitationes, quæ ad ſtatum eius non pertinent*) expreſſè probata eſt *Caietano* 1.*p.* *q.*89. *art.* 8. *ante finem commenti*, quatenus docet ea, quæ pendent ex ſola voluntate creata, non omnia innoteſcere omnibus beatis, quando exiſtunt: & ſatis ſignificat *D. Thomas de veritate q.*20.*art.*4. dùm ſoli animæ Chriſti hanc generalitatem tribuit, vt cognoſcat omnia ſingularia; omnes actus ſingulares omnium; omnia cordis abſcondita: quam tamen generalitatem nulli alij creaturæ eſſe conceſſam affirmat: non ob aliud fundamentum, niſi quia cognitio omnium illorum pertinet ad ſtatum beatitudinis animæ Chriſti; non tamen aliorũ beatorum, idem ſatis explicat 3.*p.* *q.* 10. *art.*2.*ante finem*.*& in* 4.*diſt.*45.*q.*3.*art.* 1. Et meritò; quoniam cognitio creaturarũ in Verbo regulanda eſt ſecundum exigentiam ad perfectionem beatifici ſtatus cuiuſque beati, vt in ſequenti artic. dicemus; ita vt illarum cognitio ſit beatis tribuenda, quæ ad ſtatum illorum aliquo modo pertineant: neganda verò ſi non pertineant. (Caiet.; D. Thom.; D. Thom.)

6. Difficultas. Quorundã opinio. Sed iam ſe ſe offert non facilis difficultas: quarumnam cogitationum cordis cognitio ad ſtatum cuiuſque beati pertineat? Cui quæſtioni (ſi credendum eſt *Suario in d.lib.*2.*de attribut. negat. cap.*28. *n.*16.) nonnulli reſpondent omnes cogitationes omnium beatorum ad ſtatum cuiuſque pertinere; & ideò omnes beatos videre aliorum beatorum cogitationes. Oppoſitum tamen docet idem Suarius affirmans nec id eſſe neceſſarium, nec veriſimile: tùm; quia nullus ſcholaſticus hoc docuit: *tum*; quia non eſt conſentaneũ intellectualibus, ac liberis creaturis, vt omnes illarum cogitatus alijs beatis pateant: tùm tertiò, quia improbabile eſt, quod inferiores beati videant omnia cogitata ſuperiorum: tùm quartò; quia non eſt veriſimile, quod omnes beati videant omnia, quæ anima Chriſti facere diſpoſuit. Vnde concludit quælibet bea- Opinio Suarij.

beatum videre cogitationes cordis aliorum, quæ expediunt ad ſuum miniſteriũ conuenienter exequendum. Salas. Salas hanc difficultatem explicans rem confundit: nam licet *loco citato*, §. *Dico quartò*, abſolutè ſcribat, quemlibet beatum videre in Verbo omnes cogitationes, & affectus aliorum beatorum ad eius ſtatum pertinentes; tamen ſtatim diuertit ad viſionẽ illarum extra Verbum, & diſſoluit ſine vlla diſtinctione rationes Suarij ſuprâ Reſoluetur in art. ſeq. adductas. ¶ Difficultatis tamen reſolutio pendet ex ijs, quæ in ſequenti articulo dicemus, in dubio, quæ nam ſint illa, quæ ad ſtatum cuiuſque beati pertinent: vide ibi.

ARTICVLVS IX.

An beati in Verbo videant omnia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum? & quæ nam ſint illa?

1. An videant quæ pertinent ad ſuũ ſtatum? HAnc quæſtionem diligentiſsimè explicauimus 1. *tom. lib. 5. q. 9. ar. 4. per totam, maximè §. 2. concluſ.* 1. vbi hanc ſtatuimus concluſionem; tanquam regulam eorum, quæ à ſingulis beatis de facto videntur in Deo: *omnes, & ſinguli beati de facto vident in Deo omnia, quæ ad ſuum ſtatum pertinent.* Concluſio. Hanc concluſionem *in d. §. 2. n. 17.* confirmauimus communi omnium Theologorum conſenſu, & teſtimonio D. *Gregorij libr. 12.* Gregor. Conc. Sen. *Moralium cap. 13. & authoritate Concilij Senenſis; & tandem ratione.*

2. Quæ nam ad ſtatum cuiuſq; pertineant? Deinde excitauimus difficultatem ad inſtitutum ſatis neceſſariam; quæ nam ſint illa, quæ ad ſtatum cuiuſque beati pertinent? quam quæſtionem etiam excitauit *Suarius in d. lib. 2. de attribut. negat. c. 8. n. 16. & poſt eum Salas 1. tom. ad 1. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 11. n. 166. pag. 322. col. 2.* Suar. Salas. Qui ad duplex genus omnia reducũt: quorum primum continet ea, quæ ſpectant ad cõuenienter exercendas omnes actiones, quas beati in ſuo ſtatu operantur: etenim quilibet beatus videt, quidquid neceſſarium eſt ad perfectiſsimè, & iucũdentiſsimè operandum quidquid in illo ſtatu neceſſarium eſt operari. Poſterius verò continet ea, quæ curæ cuique beato ſunt commiſſa. 3. Propria diſtinctio. Ego tamen in loco citato omnia, quæ ad beati ſtatum pertinere poſſunt, ad duo præcipua capita reduxi, nam vel illa pertinẽt ad ſtatum beati ratione perfectionis propriæ perſonæ, vel ratione ſpecialis curæ cuique commiſſæ: nam quod ea, quæ pertinent ad perfectionem propriæ perſonæ, ad ſtatum cuiuſque pertineant, certiſsimũ eſt: quia ad ſtatum beati pertinet quod ſit complete perfectus. Illud verò poſterius (vt ibi diximus) ad ſubſtantiam beatitudinis pertinere, ſi non ſimpliciter & neceſſario, tamen quaſi neceſſario explicuit *D. Thomas de Veritate q. 8. art. 4. ad* 8. D. Thom. *& 12.* 4. Ad prius caput reducuntur, quæ pertinent ad complendum naturalem cuiuſque beati appetitum: poſſunt etiam pertinere ea, quæ neceſſaria ſunt, vt beatus perfectè ſuas operationes exequatur. Ad poſterius verò ſpectant ea, quæ pertinent ad curam, gubernationemque eorum, quæ cuique beato commiſſa ſunt, vel ratione viæ, vel ratione officij, vt ibidem diximus n. 21. vbi etiam n. 22. aduertimus non omnia, quæ Deus diſpoſuit circa eos, quos alicui beato commiſit, pertinere ad ſtatum illius; ſed ſolùm ea, quæ expediunt ad ſuum miniſterium, & curam conuenienti modo exequendã, vt ex *Caietano, & Suario explicauimus in* Caiet. *d. n. 22.* Suar. & inde intulimus concluſionem propoſitam in hoc ſenſu eſſe explicandam.

Ex concluſione illa in præcitato loco 5. nonnullas alias deduximus, Corollaria. quibus ſatis explicatur, quod in titulo articuli ſecundo loco proponitur: quas omnes concluſiones iterum hoc loco breuiter attingemus. ¶ Ex illa igitur primò infertur om- 1. corol. nes & ſingulos beatos ipſa viſione beatifica, videre omnia genera, & ſpecies, quæ à Deo in vniuerſo ſunt conditæ. De quo vide *loco citato concl. 2. n. 23*: etenim omnium iſtorum cognitio pertinet ad complendum naturalem appetitum, & ſubinde ad perfectionem intellectus.

6. 2. corol. Secundò infertur omnes beatos de facto videre aliqua indiuidua: etenim quam plurima ſunt indiuidua, quæ ad perfectionem intellectus pertinent. Vide *vbi ſuprà 3. & 4. concl. n. 26. & 27.*

7. 3. corol. Tertiò infertur omnes beatos videre in Deo omnia, quę pertinent ad diuinam prouidentiam conuenienti modo exequendam circa illos, quorum curam in via

via habuerunt. Vide in 5.*concl.n.*28. vbi
Suar. nonnullas obiectiones diſſoluimus: vide
Salas. etiam *Suarium lib.*2. *de attribut.neg. n.*17.
*& Salā in d.ſect.*11.*n.*166.*pag.*322.*col.*2.

8. 4.coroll. Quartò infertur omnes beatos de facto videre in Verbo orationes, & preces, quæ ab Eccleſia, & à fidelibus ad eos funduntur: etenim hoc ad ſtatum cuiuſque beati pertinet. Vide *loco citato concl.* 6.*num.*32.

9. 5.coroll. Quintò infertur omnes beatos videre in Verbo illas cordium cogitationes, quę ad ſuum ſtatum pertinent. De qua illatione diximus *vbi ſuprà concl.* 7. *& latiùs in præcedenti art.* vbi excitauimus quæſtionem, quæ nam cordium cogitationes ad ſtatum cuiuſque beati pertineant? cuius reſolutionem ad hunc articulum reſeruauimus. Nunc dicimus ad ſtatum cuiuſque beati pertinere, videre cogitationes cordis eorum, qui ſibi commiſsi ſunt; non quidem omnes, ſed eas, quæ ad ſalutem, vel perditionem eorum pertinent, quia ſolæ iſtæ cogitationes per ſe pertinent ad curam illis commiſſam: cæteræ verò, nequaquam. Quod verò attinet ad cogitationes cordis aliorum beatorum; illud certum eſt non omnium illarum cognitionem ad cuiuſque ſtatum beati pertinere: nam licet ad perfectionē beatitudinis eſſentialis cuiuſq; fortè pertineat videre in Verbo omnium aliorum beatorum viſiones, & cæteros actus politiæ matutinæ tàm beatificos, quàm non beatificos (quicquid Salas cōtradicat *vbi ſuprà pag.* 325. *col.* 1. *in medio*) tamen ad perfectionem beatitudinis eſſentialis nō pertinent cogitationes cordis, quas cæteri beati habent in politia veſpertina: nullum enim video fundamentum, quod ad hoc dicendum vel apparenter vrgeat: cū enim harum cognitio ſimpliciter non ita pertineat ad perfectionem intellectus, vt in eo detur naturale deſiderium ad illas cognoſcendas, vt ſcribit *D. Thomas* 1. *p.*
D.Thom. *q.*12.*art.*8.*ad* 4. illarum cognitio non pertinet ad ſtatum cuiuſque beati ratione perfectionis ipſius perſonæ: cum verò nec etiam pertineant ad cuiuſque ſtatum ratione curæ, officijq; ſingulis commiſsi, vtique ad ſtatum cuiuſque beati non pertinet cognoſcere omnia cordis cogitata aliorum beatorum. Vtrum vero cognoſcere illorum aliqua ad ſtatū alicuius pertineat? nihil certi habemus. ¶ Contra hanc illationem obijci poteſt Auguſtinus in libro de cura agenda pro mortuis cap.13. dùm ex eo probat ſanctos iam vita functos neſcire, quæ apud nos aguntur, quod à matre ſua beata Monica non videbatur, nec in laboribus cōſolabatur: iam verò cura filiorum ad ſtatum beati pertinet. Ad hanc tamen obiectionem 1.*tom.lib.*5.*q.*19.*art.*4.*§.*2.*n.*29.*reſpondimus cum D.Thoma* 1.*p.q.*89.*art.*8, Auguſtinum nō aſſerendo illud dixiſſe, ſed dubitando: nec enim illius fundamentū ſatis erat ſufficiens, vt ibidem aduertimus: quoniam Sanctorum animæ, licet cognoſcant res viuentium, maximè quæ ad ſuum ſtatum pertinent; non tamen illis ſe ingerunt, niſi quando diuinæ prouidentiæ diſpoſitio exigit, vt idem *D.Thomas docet in d.art.*8.*in fine*: vnde ideò mater viuens, quæ à filio agebantur, cum nō conſolabatur, quia in diuina diſpoſitione nouerat, id filio non conuenire.

10. Obiectio. — Solutio. — D. Thom.

11. Vlt. coroll. Vltimò infertur omnes & ſingulos beatos de facto videre in Verbo omnia fidei myſteria, quę in via fuerunt Eccleſiæ reuelata: de quo corollario latè diximus *in d.art.*4.*§.*3.*concl.*5.*n.*44. vbi illud è teſtimonijs Patrum, & ſacrarum literarum locis latè confirmauimus: & tandem ratione: quoniam ad ſtatum cuiuſlibet beati pertinet diſtinctè cognoſcere omnia, quæ in via fide credidit.

ARTICVLVS X.

Cur potiùs hæc, quàm illa videantur à beatis?

1. Cur hęc potius videantur, quàm illa? HAnc quæſtionem latè explicauimus 2.*tom.lib.*12. *q.*10. *art.*3. *per totum.* Quidam hoc in diuinam voluntatem retulerunt, vt ibidem diximus §.4.*n.*22.*&* 23. Nos, quod attinet ad ſpecies (cur ſcilicet hæ potius, quàm illæ videantur) quæſtionem reſoluimus ibidem §.6. & diximus cauſam huius ſumendam eſſe, tùm ex parte luminis gloriæ; quia ſcilicet eſt intenſiuè maius, & viſionem clariorem efficit: tùm ex parte obiecti; quia ſcilicet perfectiones intelligibiles horum ſunt magis manifeſtæ; illorum verò magis occultæ: Quod verò

Solutioque ad ſpecies.

2. attinet ad indiuidua difficultatem diſſoluimus

timus ibidem §.7.in 2.difficultate n.42. vbi diximus indiuidua quidem ex vi viſionis non videri,niſi ad ſtatum beati pertineant. Ex quo infertur cauſam per ſe cur hæc indiuidua videantur,& nõn illa; ex eo ſumendam eſſe, quia hæc & nō illa ad ſtatum beati pertinēt: in cæteris verò, quæ ex vi viſionis non videntur,ſed per liberam ipſius viſionis extenſionem, ratio per ſe ex ſola libera Dei voluntate ſumenda eſt,quæ hæc potiùs voluit videri, quàm illa. Vide quæ latiùs diximus in dicto art.3.§.6.& 7.

Solut.quoad indiuidua.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm beatus poſſit videre diuinam eſſentiã nullam in ea videndo creaturam?

An videri poſsit eſſentia ſine creatura?

§. 1.

Referuntur opiniones.

1. DE hac quęſtione non parua eſt cōtrouerſia: vnde variæ ſunt hac de re opiniones.Prima opinio ſimpliciter negat id eſſe poſsibile,etiã per diuinam potentiã. Hanc opinionẽ probauit in terminis *Godofredus quodlib.6.q.3.relatus à Capreol.in 4.diſt.49.q.6.ar.2. in principio*:nõnulli(inter quos eſt Suariꝰ,Salas; & Molina) eam tribuunt *Durando in 3.d.14.q.2.& in 4.diſt.49.q.3*.ſed cũ Durandus *in d.q.3.n.4*. oppoſitũ doceat,non eſt quod hęc opinio Durando tribuatur. Attamen opinio iſta verè tribuitur Baſſolio *in 4.q.Prologi,§.De Theologia in intellectu beatorum,fol.17.col.4.in fine* Fauent maximè, qui volũt creaturas naturaliter repræſentari in diuina eſſentia: inde enim videtur inferri non poſſe diuinam eſſentiam videri, niſi videantur creaturæ poſſibiles;quod docent omnes citati *ſuprà ar.4.§.1.in 1.ſentent.*

1.opinio negatiua. Godofred. Falſo tribuitur Durando. Probat Baſſolius.

2. Oppoſitã tamen ſententiã probarunt cæteri omnes Theologi,qui de ea ſcripſerunt: in explicanda tamen hac opinione varij videntur:nam *Durãdus in 4.diſt.49.q.3.n.4.* ita ſuam explicat opinionem, vt dicat viſionem ipſam ex ſua quidem natura eſſe viſionem tũm eſſentiæ, tũm creaturarum; non terminari tamen ad creaturas; quia Deus ſuum concurſum ſuſpendit in ordine ad eas: vnde negare debet Durandus dari poſſe viſionẽ, quãtumuis minimam,per quam creaturę nõ videantur,ſi adſit generalis cõcurſus Dei. Iſta eſt vera mens Durandi quicquid Molina oppoſitum illi tribuat *1.p.q.12. ar.8.diſp.5.memb.1.§.Dubium eſt hoc loco*: nec in ea aliqua datur repugnantia,vt aduert *Salas 1.tom.ad 1.2.tract.2.diſp.4.ſect.5.in 2.opinione,pag.273.§.Nec valent rationes.* Nec argumenta, quæ Suarius adduxit *lib.2.de attribut.neg.c.26.n.13.* cõuincunt Durandũ non fuiſſe cõſequenter loquutum;nam pro Durando admittimus viſionem illam manere integram ſecundum ſuam entitatem,ſecũdum quã ex ſua natura eſt repræſentatiua creaturarum:negamus tamen eam ſublato concurſu Dei generali de facto actuare intellectum in ordine ad creaturas; quia ſolũ eum actuat in ordine ad eſſentiam: & ratio eſt, quia licet ex ſe ſuaque natura ſit actuatiua tùm in ordine ad eſſentiam, tùm in ordine ad creaturas: tamen non impeditur, quatenus actuat in ordine ad eſſentiam, quæ eſt obiectum primarium, ſed prout actuat in ordine ad creaturas, quæ ſunt obiecta ſecundaria. Vnde ſublato generali concurſu ad creaturas, non actuat intellectum formaliter quoad eas; hoc autem non repugnare affirmabit Durãdus;vnde à Suario probari deberet. Quod verò addit manente integra forma ſubiecto vnita non poſſe impediri effectum formalem, verũ erit (inquiet Durandus) ſi ſubiectum adæquatè actuet quoad omnia,ad quę ex ſua natura eſt illius actuatiua: ſecus ſi actuet ſolũ inadæquatè quoad ſuum primarium effectum formalem, non vero quoad ſecũdarium:quare Durandus falſum quidem dicit, ſibi tamen non contradicit. Quare primus modus explicandi eſt Durandi: vt ſcilicet quæcunque viſio ex ſua natura ſit viſio creaturarum; impediri tamen poſſe, ne per eam creaturæ videantur, ſi Deus ad hõc ſuum concurſum deneget, quod facere poteſt.

Qui probẽt ſententiam affirmantẽ. 1. explicatio Durãdi. 3. Durandus ſibi non repugnat. Ad argumẽta Suarij. 4.

5. Secũdus dicendi modus tribuitur Hẽrico quodlib.6.q.4.& 5.& 1.p. Summæ ar.4.q.6.ad vltimum: in quibus locis diſtinguit de viſione eſſentiæ, vt eſt eſſentia, & vt eſt idea. Si ſermo ſit de viſione eſſentiæ, vt eſt eſſentia, & quid abſolutum,admittit videri poſſe eſſentiam nulla in ea viſa creatura: ſecus ſi eſſentia videatur,vt eſt idea.

2. explicatio.

Tertius

6. 3. explicatio. Tertius dicendi modus affirmat non eſſe neceſſarium in Deo viſo videri aliquam creaturam ſecundum determinatã ſpeciem, aut genus: eſſe tamen probabile, vt viſa diuina eſſentia videantur creaturæ ſub communiſsimo conceptu entis creabilis. Ita rem iſtam diſſoluit Suarius lib. 2. de attribut, neg. c: 26. n. 13. & 14.

§. 2.

Vera reſolutio:

7. Concluſio. VEra tamen huius difficultatis reſolutio hac trimembri concluſione explicatur: *licet de lege ordinaria nulla detur viſio diuinæ eſſentiæ, quin ſimul per eam in Verbo videantur creaturæ, non ſolùm determinati generis, & ſpeciei, ſed etiam indiuidui: de potentia tamen abſoluta Dei dari poteſt viſio ita minima, vt ex ſua natura ad nullam creaturam terminetur, non ſolum ſecundum naturam ſpecificam, vel genericam; ſed nec ſecundum communiſsimum conceptum entis creabilis.* Hæc concluſio tres includit propoſitiones, quarum ſingulæ ſpecialiter explicabuntur.

8. 1. propoſit. Prima propoſitio: *De lege ordinaria nulla datur viſio, quæ ſimul cum diuina eſſentia in Verbo non videat aliquot creaturas.* Hæc propoſitio ſtatuitur contrà Bellomontanum, & ſi qui ſunt alij, qui velint de lege ordinaria nullas creaturas videri in Verbo: contra quos latè ſcripſimus 1. tom. lib. 5. q. 16. art. 2. & 3, vbi §. 7. diximus noſtram ſententiam ita eſſe certam, vt oppoſita (licet nulla indigeat cenſura) ſit tamen omnino falſa, paradoxa, & ſingularis, & omnino non admittenda: pro qua etiam vide, quæ diximus in tota hac quæſtione de ijs, quæ à ſingulis beatis de facto videntur. Et noſtram iſtam propoſitionẽ probat Sotus in 4. diſt. 49. q. 3. art. 3. concluſ. 4. pag. 604. col. 2.

Secunda propoſitio: *De potentia Dei*
9. 2. propoſit. *abſoluta poteſt dari viſio diuinæ eſſentiæ ita minima, vt ſolius diuinæ eſſentiæ ſit viſio, nõ vero alicuius determinatæ creaturæ:* Statuitur contra Durandum: & in terminis ponitur à *Suario in d. c. 26. n. 9. & 13. ſtatuitur etiã à Sala 1. to. ad 1. 2. tract. 2. diſp. 4 ſect. 5. n. 72. §. Ex hac 4. opin. pag. 274. col. 1. probant Molina 1. p. q. 12. ar. 8. diſp. 5. m. 1. §. Dubiũ eſt hoc loco, Sotus ibid. q. 3. ar. 3. Ouandus,prop. 2. Nauarrete 1. to. cõtrou. 44. in ſuis cõcluſionib. maximè in fine cõcluſionis 1. fol. 279, col. 3. poſt princ. Cabrera 2. to. in 3. p. q. 10. ar. 2. diſp. 3. n. 70: ex antiquioribus Capreolus in 4. diſt. 49. q. 6. ar. 3. ad argumẽta Godefredi, fol. 218. col. 1. vbi refert Bernardum de Ganapo pro eadẽ ſententia in principio tertij articuli, fol. 217. col. 2. in princip.*

Suar. Salas. Molina. Ouand. Sotus. Nauarret. Cabrera. Capreol.

Hæc propoſitio ex eo probatur; quia nõ implicat videri diuinam eſſentiam nulla creatura viſa in ea. Deinde; quia creaturæ non videntur in Deo, niſi vt in cauſa, in qua eminenter continentur, & quatenus Deus videtur, vt immitabilis, & participabilis à creaturis ſecundum ſpecialem cuiuſque rationẽ: ſed diuina potẽtia fieri poteſt, vt eſſentia videatur non viſa illius eminentiali virtute; qua potens eſt res producere, ſaltem ſecundum ſpeciales rationes ſuæ participabilitatis, & immitabilitatis, vt patebit ex 3. propoſitione. Ergo eadem potentia fieri poteſt, vt viſa eſſentia nulla determinata creatura in ea videatur. 10. 1. ratio. 2.

11. Tertia. Accedit tertiò; quoniam quô lumen gloriæ maius eſt vel minus, eò plures, vel pauciores creaturæ videntur, vt ſuprà diximus. Ergo adeò poteſt eſſe paruum, vt ſolum illuminet eſſentiam nulla in ea illuminata creatura. Tale autem erit lumen illud, quod ſolum vnam creaturã illuminat: cum verò dari poſsit lumen, quod illo ſit remiſsius; vtique illud ſolũ illuminabit diuinam eſſentiam ſub præciſa, & abſoluta ratione eſſentiæ, vt nullam illuminet creaturam. Quartò addimus; quoniam ex dictis in articulis præcedentibus cõſtat fieri nõ poſſe, vt omnes creaturæ videãtur in eſſentia viſa, ſed ſolũ aliquæ. Ergo viſa eſſentia poteſt occultari, & nõ videri aliqua determinata creatura. Ergo quælibet illarũ diuiſim ſumpta poteſt nõ videri, Ergo omnes creaturę ſũptę collectim poſſũt occultari. Probatur cõſequentia: quoniam ideò quælibet determinatè ſũpta occultari poteſt; quia nulla ſũpta determinatè habet neceſſariã cõnexionẽ cũ viſione eſſentiæ; alioquin nõ omnes diuiſim ſũptæ poſſent occultari. Porrò ſi nulla ſumpta diuiſim habet connexionem neceſſariã cũ eſſentia viſa, eam etiam non habebit tota illarum collectio; ita vt nulla aut determinatè, aut indeterminatè illam habeat; quare ſecunda propoſitiõ non poteſt non admitti.

12. 1. obiectio. Contra eam obijci poteſt: quoniam creaturæ naturaliter repræſentantur in diuina eſſentia. Ergo illa viſa non poſſũt non

Solutio. non videri creaturæ. Ad hoc argumentum dicimus creaturas in diuina eſſentia repræſentari non formaliter, ſed ſolùm eminenter, quia in Deo non ſunt formaliter, ſed eminenter tanquam in cauſa eas virtute continente. Antecedente verò in hoc ſenſu admiſſo non valet conſequentia: cùm enim cauſa non ſub vna ratione eminentiali omnes ſuos effectus repræſentet, ſed ſub alia, & alia, non ſatis eſt illius cognitio ſub communi, & generali ratione cauſæ, vt hos vel illos effectus determinatè repræſentet; ſed opus eſt, vt cognoſcatur ſub ſpeciali cuiuſque effectus ratione. Vnde ſi eius naturæ ſit, vt cognoſci valeat ſub generali ſolùm ratione cauſæ, non verò ſub aliqua determinata cauſalitatis ratione, illa poterit in ſe ipſa cognoſci ſub communi ratione cauſæ nullo interim effectu in ea cognito. Iam verò ita ſe res habet in diuina eſſentia, vt creaturas eminenter cōtinet: quoniam diuina potentia cognoſci poteſt ab intellectu ſub communi ratione cauſæ nulla cognita cauſalitatis, & eminentialitatis determinata ratione. Poterit igitur cognoſci in ſe ipſa ſub communi ratione cauſæ eminenter continentis creaturas; nulla interim cognita creatura determinata. Ex quibus patet argumentum vim non habere, ſi antecedens ſolùm admittatur de repræſentatione naturali, non formali, ſed eminentiali, virtuali, & cauſali.

13. 2. obiectio. Secundò obijci poteſt: quoniam Deus non poteſt videri viſione perfecta, niſi ſimul perfectè videatur, vt eſt rerum cauſa. Ergo videri non poteſt, niſi in eo viſo aliqua videatur creatura. Solutio. Reſpondemus admiſſo antecedente conſequentiam eſſe inutilem: quoniam poteſt diuina eſſentia videri viſione, quæ non omnibus modis ſit obiectiuè perfecta: vnde videri poteſt ſolùm ſub ratione vniuerſali, & communi cauſæ eminenter continentis creaturas, quæ ratio non eſt ſatis, vt aliqua determinata creatura videatur.

14. 3. propoſit. Tertia propoſitio: *De potentia* Dei *abſoluta poteſt dari viſio diuinæ eſſentiæ per quā nulla creatura videatur, etiam ſub communiſſimo conceptu creabilis, ſiue poſſibilis.* Statuitur vt probabilis. Hanc propoſitionē ſtatuimus tanquam probabilē; vnde oppoſitā probabilē eſſe putamus; quod fuit iudiciū Suarij in d. c. 26. n. 14. dùm oppoſitam propoſitionem ſolùm proponit tanquā probabilē: vnde fatetur rem eſſe dubiā. Contra noſtram iſtā propoſitionē à Suario, & Sala citatur *Capreol. in 4. diſt. 49. q. 6. ar. 3. ad argumēta contra primā*: ſed Capreolus ibi ſolū dicit poſſe diuinam eſſentiam in ſe ipſa videri abſque hoc quod in ea repræſentetur, & videatur aliqua creatura, vt patet fol. 218 col. 1. Capreolus non contra dicit. Et eadē ratione contra eandem nō poteſt citari *Sotus in 4. diſt. 49. q. 3. art. 3. concl. 3.* quia ſolū ait de potentia abſoluta non repugnare, quod viſa diuina eſſentia ſolū videātur, quæ formaliter ſunt in ea. Nec Sotus. Sed quicquid ſit de hoc, fundamentum noſtræ propoſitionis ex eo ſumitur; quia probabilis eſt opinio, quę aſſerit poſſe videri diuinā eſſentiā nullo viſo attributo, vt diximus 1. *tom. lib. 5. q. 11. art. 4. §. 3. concl. 6.* 15. Verum fūdamentum. Hac opinione ſuppoſita propoſitio eſt admittenda; quia nō viſo attributo omnipotentiæ nō poteſt haberi cōceptus alicuius creaturæ, etiā ſub cōmuniſſimo cōceptu creabilis. Et eadē ratione propoſitio oppoſita neceſſario erit cōcedenda, ſi admittatur opinio, quæ docet nō poſſe videri diuinam eſſentiā non viſis omnibus attributis, vt diximus in d. ar. 4. §. 2. Quare cū vtraque illarū opinionū ſit probabilis, vtiq; probabilis erit noſtra 3. propoſitio, & quæ illi opponitur. 16. Explicatur quorūdam ſententia. Et iuxta hanc diſtinctionē explicabis ſententiā, quæ docet fieri nō poſſe, vt Deus clarè videatur, nō viſis creaturis, ſecundū quod ſunt radicaliter in potētia Dei, de qua Nauarrete vbi ſupra concl. 2. fol. 279. col. 3: etenim ſi creaturas eſſe radicaliter in Dei potentia idem eſt, quod eſſe in attributo omnipotentiæ, neganda eſt: admittenda tamen: ſi idem eſt, quod creaturas cōtineri in eſſentia, quæ eſt radix omniū attributorum.

ARTICVLVS XII.

An beati videant in Verbo libera Dei decreta? & per quod lumen?

HAnc quæſtionem latè explicauimus 1. *tom. lib. 5. q. 21. art. 1.* vbi §. 1. oſtendimus non eſſe impoſſibile decreta diuinæ voluntatis videri in Deo; imò pium eſſe beatos aliqua videre; quanuis non omnia: videntur autem ſub eodem lumine, quo videntur eſſentiæ, & creaturæ; cum eadem viſione videantur. 1.

ARTICVLVS XIII. & Vltimus.

An beati ſimul videant omnia, quæ vident in Verbo? an verò poſsint de nouo aliqua videre?

§. I.

Referuntur duæ opiniones oppoſitæ.

1\. 1. opinio affirmatiua. DE hac quæſtione duas inuenio oppoſitas opiniones; prima affirmat beatos, quæ vident in Verbo, ea omnia ſimul videre, & ſtatim vidiſſe à principio ſuæ beatitudinis: quæ verò de nouo ſucceſſu temporis eis reuelantur, ea videri extra Verbum in proprio genere, & ſubinde viſione diſtincta à viſione bea-
D. Thom. tifica, Ita *D. Thomas 1.p.q.12.ar.10. & 3.*
Capreol. *contra gent.c.60. Capreolus in 4.diſt.45.q. vnica ar.3.in examine eorum, quæ ex Paludano adduxit, fol.183.col.4.* vbi docet non eſſe probabile, quod eadem viſio non intenſa, ſed ſolum extenſa de nouo videat aliqua nulla facta in ea mutatione: vbi etiam *Hiſpalenſis q.vnic.art.3. poſt princip.*
Hiſpalen. *fol.183.col.2.* *Soncinas q.vnic.ad argumēt.*
Soncin. *Durandi, §.Reſpondeo, dicendum quod ani-*
Sotus. *ma, Sotus in 4.diſt.49.q.3. ar.3.poſt octauā concluſionem, pag.607. §.Contra hanc ergo*
Nauarre. *opinionem, & §.nec cogitare poſſum, latè Na-*
Cumel. *uarrete 1.tom.controu.46. §.1.concl.1. fol. 288.col.1. Cumelius 1.p.q.12.ar.10.q.vnica, §.Pro explicatione huius cōtrouerſiæ pag. 278.col.1. vbi docet eſſe omnino improbabile, viſione beata poſſe aliqua ſucceſsiuè, & de nouo cognoſci: quod etiā fuit iudiciū Bañes*
Bañes. *ibidem, §.Sed his non obſtantibus, Pezantius*
Pezant. *ibidem diſp 3.in 2.dicto, cum Ripa in anno-*
Ripa. *tatione. Ex alijs idem probant Suar.de attrib.*
Suar. *neg.c.26.n.5.& Salas 1.tom. ad 1.2. tract.*
Salas. *2.diſp.4.ſect.11.pag.324, col.1. in princip.*
Valentia. *Valentia 1.tom.q.12.puncto 6. in 2.aſſert.*
Caiet. *pag.208.litera E. Hanc fuiſſe mentem Caietani nullus dubitabit, qui conſideratius legerit, quæ ſcribit 2.2.q.83.ar.5.ad 2.D.Tho-*
2\. *mæ, & 1.p.q.57.ar.5. §.Circa hanc concluſionem*: nam præter quam quod ſimpliciter tranſit cum D.Thoma in d. art. 10. expreſſè docet ſanctos ea omnia, quæ viſione beata formaliter vidēt, videre ſimul à principio ſuæ beatitudinis: & hoc modo nihil de nouo videre: poſſe tamē ipſa eadē viſione videre de nouo plura, quæ à Deo ſucceſſu tēporis ſibi reuelantur. Itaq; per reuelationē plura de nouo videre: formaliter tamē nihil, ſed omnia, quæ formaliter vidēt; videre à principio ſuæ beatitudinis. Diſtinguit igitur inter videre aliqua formaliter per beatā viſionē; & videre per eā ſolū cauſaliter: nam ea, quæ per viſionē ipſam beatā formaliter videntur in Verbo, vidētur per ipſam realē viſionē: cauſaliter verò vidētur, quę per aliam viſionē vidētur ab ipſa cauſatā: quę diſtinctio apud huius opinionis authores ſatis eſt vſurpata. Pro hac ſentētia citari etiam poteſt *Bellomont.1. tom. ad 1. p. diſp. 50.* *Bellomon.*
cap.6.n.40. quatenus admittit nouam viſionem in Verbo dari non poſſe ſine ipſius viſionis reali mutatione.

Secūda opinio ſimpliciter admittit bea- 3.
tos nō neceſſario ſimul videre omnia, quę 2. opinio negans.
formaliter vidēt per ipſam viſionē beatā; ſed plura per eandē viſionē beatā formaliter videre de nouo in ipſo Verbo. Vnde nō omnia, quæ in Verbo per ipſam viſionē formaliter ſunt viſuri, ſtatim videre à principio ſuæ beatitudinis; ſed plura quotidie videre de nouo abſq; vlla ipſius viſionis reali mutatione. Hanc opinionem tanquā probabilē admiſit *Palud. in 4.diſt.*
45.q.2. n.30. & poſt eū Ferrar. 3.cont.gēt, *Palud.*
c.59.§.Sed remanet dubium.fol.282.col.3. *Ferrarien.*
vbi affirmat vtrāq; ſentētiā teneri poſſe; primā tamen magis conſentire cum doctrina D.Thomę. In eadem opinione eſt
Molina: nam licet primā opinionem tanquā *Molina.*
piā, & probabilē defēdat 1.p.q.12.ar.8.diſp. 5.mēb.2.pag.145.col.1. in princip. maximè tamen inclinat in oppoſitā, poſſe. ſ. per viſionē beatam formaliter plura de nouo videri, vt patet diſp.6.dub.1.p.150.col.1.in prin. Quæ etiā fuit opinio Marſilij in 3.q.10.art.2.in
2. illius parte ad confirmationem ſextæ obie- *Marſilius.*
ctionis fol. 417. col.3. citatur à Sala in 3.p. einſdem articuli concl.3. fol.420. col.4. ſed ibi non agit de viſione rerum in Verbo,
ſed in proprio genere: conſentit *Abulen-* *Abulen.*
ſis in Matthæum c.13. q.114. ad 3. argum. fol.239.col.1. §.Et dicendum, quod verum
eſt, & col.2. per totam: citatur à Sala Ada- Falſo tribuitur
mus in 2.q.8.ar.2. ad primum argumentū: Adamo.
ſed ibi agit de ſucceſsione viſionum beatarum, quam admittit; non verò de vna viſione beata ſemper permanēte, variatis de nouo obiectis ſecundarijs: citari poteſt *Bañes vbi ſuprà ad 3. arg.* vbi docet hanc ſententiam aliqualiter poſſe defendi.

§.2.

§. 2.
Reſolutio Quæſtionis.

4. EGo puto vtramque ſententiam eſſe probabilem; ſecundam tamen dignam eſſe, quæ defendatur; quia cedit in maiorem beatorum perfectionē: dùm tamen & Chriſtum Dominum excipiamus, & Virginem Deiparam, quos Molina etiam excipit. Aduerto tamen fundamentum Molinæ ſolùm eſſe efficax contra illos, qui volunt beatos ſtatim à principio ſuæ beatitudinis ſimul videre omnia, quæ ad ſtatum ſuum pertinent, etiam ſi futura ſint: nam cum ad ſtatum D. Petri, & aliorum Summorum Pontificum pertineat ſtatus totius Eccleſiæ, poſita hac opinione à principio omnes viderent totum decurſum Eccleſiæ militantis; & ſubinde iam ſcirent, quando futura ſit dies iudicij. Et eadem ratione quilibet beatus iam nunc ſciret diem illā; quia iam videret orationes, & preces ad eum fundendas in die cōflagrationis. Attamen nullam habet efficaciam contra eos, qui in hoc ſenſu primam ſententiam intelligunt, vt quilibet beatus à principio ſuæ beatitudinis ſolū cognoſcat præſentia, quæ ad ſuum ſtatum ſpectant: futura tamen ſolum cognoſcat ſucceſſu tēporis per nouas reuelationes in ꝓprio genere.

Non ſatis eſt fundamentū Molinæ.

5. Quare ego huius opinionis probabilitatem ex eo ſumo; quia cedit in maiorem perfectionem cognitionis matutinæ cuiuſque beati; ſi omnia, quæ ad ſuum ſtatū pertinent, in eadem matutina politia intra Deum cognoſcat, quam ſi cognoſcat illam in politia veſpertina rerum in proprio genere; quod fundamentum melius confirmatur, ſi talem cognoſcendi modū eſſe poſsibilem oſtendamus; quod præſtabimus, ſi argumenta, quibus impugnatur, diſſoluamus.

Verū fundamentum.

§. 3.
Adducuntur argumenta in contrarium.

6 PRimum argumentum & principale ex eo ſumitur, quia talis noua, & ſucceſsiua cognitio fieri non poteſt ſine reali immutatione viſionis beatæ. Hoc aduerſarij multis modis probant: & primò Bellomontanus; quia (vt ait) fieri non poteſt, vt vna & eadem viſio immutata manens faciat videre, quod antea per eam non videbatur. Deinde: quoniam cognitio ſeu viſio reſpicit obiectum, nō tanquam aliquod extrinſecū, ſed vt intrinſecū: quia illud reſpicit, vt terminū, ad quem intrinſece terminatur. Ergo ſi datur mutatio ex parte obiecti; neceſſariò dabitur ex parte cognitionis. Tertiò; quoniam licet mutatio vnius extremi nō inferat mutationem alterius, quando illud non reſpicit tanquam ſuam perfectionem: tamen illam infert quando alterum reſpicit, vt perfectionem ſui: ſed viſio reſpicit ſuum obiectum tanquam perfectionem ſui; cum obiecta operationum animæ dicantur bona ipſius animæ, ex D. Thoma 1. 2. q. 2. art. 7. ad 3. Ergo mutatio obiecti viſionis infert mutationem in ipſa viſione. Quartò; quia ex doctrina Commētatoris, & D. Thomæ; ex intellectu cognoſcente, & ex recognita fit magis vnum, quàm ex materia, & forma. Ergo mutatio ex parte rei cognitæ infert mutationem in intellectu, & actu cognoſcendi. Quintò; denique; intellectus rem cognitā ad ſe trahit media cognitione. Ergo ſi de nouo ad ſe trahit nouum obiectum, interuenit mutatio in ipſa cognitione.

1. argum.

Secundum fundamentum eſt D. Thomæ in d. art. 10. quæ per vnam ſpeciē videntur, non videntur ſucceſsiuè, ſed ſimul. Sed omnia, quæ in Verbo videntur, videntur per vnam ſpeciem, quia videntur per diuinam eſſentiam, vt ſubit vicē ſpeciei intelligibilis. 7. *2. argum.*

Tertiò; viſio beata menſuratur æternitate participata ex Auguſt. in lib. 83. quæſt. q. 23. Ergo eſt tota ſimul: etenim ratio immutabilitatis conuenit æternitati tàm eſſentiali, quàm participatæ. 8. *3. argum.*

Quartò: omnia principia viſionis manent inuariata in tota æternitate. Ergo in viſione nulla erit mutatio; & ex conſequenti erit tota ſimul. Conſequentia eſt nota: antecedens probatur; quia lumen ſemper erit idem abſque vlla variatione: eſſentia etiam ſemper eodem modo erit vnita intellectui in ratione ſpeciei. 9. *Quartum.*

Quintò; beatus cognoſcit creaturas in diuina eſſentia, ſecundum quod in ea repræſentantur. Sed per totam æternitatē eodem modo repræſentantur. Ergo eodem modo ſemper cognoſcuntur in eſſentia diuina. 10. *Quintum.*

11. Sextum. Sextò; viſio beata eſt eſſentialis beatitudo. Ergo ſemper eſt in actu, & nunquã in habitu ſiue in potentia. Ergo non admittit ſucceſsionem, ſed tota erit ſimul.

12. Septimum. Septimò; viſio beata, cum ſit eſſentialis beatitudo, eſt noſter vltimus finis. Ergo per eam perfectè conquieſcimus: & per conſequens erit tota ſimul ſine vlla ſucceſsione.

13. Octauum. Octauò; viſio datur in ratione præmij. Ergo ſtatim à principio datur ſub omnimoda perfectione, quam habere poteſt: etenim conſequuto vltimo fine iam nullus datur locus merito.

14. Nonum. Poſtremò; Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 16. docet in patria non eſſe futuras volubiles cogitationes; ſed beatos omnia ſimul eſſe habituros in proſpectu vno.

§. 4.

Soluuntur argumenta:

15. Ad primũ argum. AD primum argumentum negandum eſt antecedens: nihil enim cogit, vt ex noua obiecti variatione varietur ipſa viſio, qua antea non videbatur. Quod eſt totum fundamentum noſtrę opinionis: quod à Ferrarienſi inde confirmatur, quoniam Angelus eadem viſione, qua per ſpeciem hominis nunc videbat Petrum, & Ioannem, videt nunc Franciſcum de nouo exiſtentem, quem antea non videbat: idque priori viſione realiter inuariata, ex eo præciſè, quia Frãciſcus naturam humanam de nouo participauit ſecundum exiſtentiam. Similiter etiam qui ſe ipſum videt in ſpeculo ſine vlla macula; ſi continuata viſione de nouo maculetur, per eandem omnino in ſe ipſa inuariatam videbit ſe ipſum maculatum, vt probat Paludanus vbi ſuprà. Fieri igitur poteſt, vt eadem numero viſio realiter inuariata in ſe, extendatur ad obiectum, ad quod anteà nõ extendebatur. Quare negandum eſt aliquod obiectum de nouo videri non poſſe in Verbo abſq; reali viſionis immutatione.

16. Sententia auctoris. Quod ego maximè probo de illis obiectis, quæ ſub eadem ratione à beato videntur, ſub qua obiecta præcedentia videbantur: qualia ſunt ſingularia eiuſdem infimæ ſpeciei, quæ adhuc ſunt futura: hæc enim ideò antea non videbantur; quia non dûm pertinebant ad ſtatum beati: quia non dùm actu erant præſentia; quæ eſt per ſe ratio, cur à beato per ipſam beatam viſionem videri poſſunt: etenim quæ futura ſunt, quatenus ſunt futura, pertinere non poſſunt ad practicam beati gubernationem, & curam; ſed ſola, quæ ſunt præſentia, vt ſupponimus ad mentem *D. Thomæ* 1. *p. q.* 89. *artic.* 8. *in fine, & ex Caietano ibidem* §. *Ad hoc breuiter dicitur.* Quare ſolum pertinebunt, cum fuerint præſentia: & tunc abſque vlla reuelatione ex vi ipſius viſionis videbuntur: non ſic de futuris: futura enim, vt à beatis ſciantur, indigent reuelatione facta extra Verbum. An verò quę ad ſtatum beati non pertinent aut ratione perfectionis perſonæ, aut ratione curæ commiſſæ, poſsint de nouo videri in Verbo? (qualia ſunt decreta diuinæ voluntatis, & poſsibilia vtriuſque ordinis, quæ nunquam ſunt futura) alterius eſt quæſtionis, quæ ad inſtitutum parum cõducit: nam quanuis id negemus (quod mihi eſt probabilius) ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt aliqua de nouo videri poſſe in Verbo viſione omnino inuariata, quod ſatis eſt ad negandum antecedens. D. Thom. Caiet.

¶ Ad primam illius probationem dicimus in illa peti principium; quoniam in hac opinione dicendum eſt viſionem illam, licet in ſua entitate non immutetur intrinſece: immutari tamen extrinſece. Quod fundamentum Bellomontanus debere impugnare. 17.

¶ Ad ſecundam negamus viſionem reſpicere obiectum tanquam aliquid ſibi intrinſecum; cum omnino ſit illi extrinſecum: nam ſicut obiectum eſt quid exiſtens extra animam ex *D. Thoma* 1. 2. *q.* 2. *artic.* 7. *ad* 3. ita etiam eſt quid realiter extrinſecum ab operatione, qua attingitur: vnde operatio eſt ſubiectiuè in anima, obiectum verò ſolum obiectiuè. Ex Philoſophia autem, quæ docet operationem animæ intrinſecè terminari ad terminum, minus philoſophicè infertur terminum eſſe aliquid intrinſecè exiſtens, à operatione. 18. D. Thom.

¶ Ad tertiam neganda eſt maior, ſi intelligatur de perfectione extrinſeca, quomodo viſio reſpicit obiectũ ex D. Thom. loco cit. 19.

¶ Ad quartam dicimus ex intellectu, & re intellecta magis fieri vnum, quàm ex materia, & forma, eſſe intelligendum in genere intelligibili, non vero in genere entis, vt ex Cõmentatore, & D. Thoma alibi diximus. Ex hoc autẽ antecedente, ita

ita explicato ineptè infertur mutationẽ obiecti inferri mutationem realem aut in cognoſcente, aut in actu cognoſcendi:

20. ¶ Quarta, & vltima probatio ex ignorãtia Philoſophiæ procedit: quoniam intellectus trahit ad ſe rem cognitam non tractione reali, ſed intelligibili: quia ſcilicet facit rem, quæ intelligitur obiectiuè præſentem intellectui: ex qua tractione non benè infertur mutatio realis, aut in obiecto, aut in cognitione illius.

21. Ad 2. Ad 2. dicimus Philoſophiam. D. Thomæ in hoc ſenſu admitti poſſe, vt quæ per vnam ſpeciem videntur, poſsint vna viſione ſimul videri: nõ tamen neceſſario ſimul videri, quæ per vnam ſpeciem vidẽtur: quoniã per vnam ſpeciem poteſt eadem res videri ſucceſiuè, quia intellectus per ſpeciem hominis poteſt nunc videre hominem, & mane videre eundẽ per aliam viſionem: Angelus etiam per eandem ſpeciem hominis poteſt nunc videre Petrum hac numero viſione, & poſtea videre Ioannem.

22. Ad 3. Ad 3. admittitur antecedens, ſi intelligatur de ipſa viſionis entitate, hęc autẽ non tollit ſucceſsionem ex parte obiecti.

23. Ad 4. Ad 4. verum eſt antecedens de inuariatione entitatis, tam luminis, quàm vnionis eſſentiæ cum intellectu; ſi verò intelligatur de inuariatione obiectiua, negandum erit.

24. Ad 5. Ad 5. neganda eſt minor ſi intelligatur de repræſentatione parte termini.

25. Ad 6. Ad 6. admittenda eſt conſequentia, ſi conſequens intelligatur de actu actuandi ſubiectum: imò etiam de actu repræſentandi obiectum primarium; ſecus de ſecundario.

26. Ad 7. Ad 7. admittimus intellectum beata viſione conquieſcere quoad ſatiationem naturalis appetitus; quod non tollit, quod adhuc ſit in potentia ad obiecta, quæ ad appetitum non pertinent.

27. Ad 8. Ad 8. dicimus viſionem dari in præmium eſſentiale: vnde admittimus eam à principio dari totam ſimul ſub omnimoda perfectione intenſiua: quod non tollit quominus adhuc aliquo modo maneat in potentia obiectiua.

28. Ad poſtremum. Ad poſtremũ dicimus Auguſtinũ ſe ipſũ exponere, dùm ait: *Cogitationes noſtras nõ eſſe volubiles ex alijs in alias,* quę verba ſignificant illum agere de cogitationibus in ſua entitate ſucceſsiuis, ita vt tranſeũte vna alia ſuccedat; ſed per vnam omnia eſſe cognoſcenda, ita vt omnia cognoſcẽda ſint ſimul id eſt cognoſcantur per vnã viſionem, & non per plures: quare agit ſit ſimultate formali, non verò de obiectiua. Et hæc de iſta prima quęſtione appendice.

QVÆSTIO II. Appendix.

An beatitudo poſt reſurrectionem futura ſit intenſior?

IN 2. tom. quæſt. 13. egimus de intentione, & remiſsione eſſentialis beatitudinis, id eſt, viſionis beatæ, qua beati Deum vident: & in ſecundo artic. eiuſdem quæſtionis reſoluimus eam in ſua entitate eſſe intenſibilem & remiſsibilem: ſuppoſuimuſque illam in nullo beato remittẽdã fore; ita vt aliquãdo futura ſit minus intenſa, quã fuerit in primo Patriæ ingreſſu: in 3. art. excitauim⁹ quæſtionẽ; an aliquãdo, vel ante reſurrectionẽ vel poſt reſurrectionẽ de facto futura ſit intẽſior? in qua quęſtione etiã ſuppoſuimus ante reſurrectionem nullam de nouo intenſionem in ea eſſe futuram: vtrum verò poſt reſurrectionem de facto futura ſit intenſior? difficultatem non reſoluimus; ſed eam in hunc appẽdicem reſoluendam reliquimus: quare oportet, vt promiſsis ſtemus: 1. Ratio huius diſputationis.

§. 1. *Referuntur opiniones.*

QVæſtio iſta inter Theologos eſt controuerſa; partem affirmantẽ expreſſè probauit *Magiſter in 4. diſt. 49. cap. vltimo. quem ſequitur D. Thomas ibidem q. 1. art. 4. quæſt. 1. & poſt eum Richard. art. 2. q. 7. refertur D. Bonauentura in eodem loco in 2. p. art. 1. q. 1. Marſilius in 4. q. 13. art. 3. & ſatis Henric. quodlibet. 7. q. 6.* dum aſſerit animam poſt reſurrectionem perfectius circa Deum operaturam. Hi omnes expreſſè docent beatitudinem in ſingulis beatis poſt reſurrectionem futuram eſſe maiorem, non ſolùm extenſiuè (quatenus tunc extendetur ad corpus) ſed etiam intenſiuè; quia non maiori conatu elicietur. 2. Pars affirmans. *Magiſter. D. Thom. Richard. D. Bonau. Marſilius Henric.*

3. Pars negãs. D.Thom. Oppoſitã tamen ſententiam ſatis probare videtur. *D.Thomas 1.2.q.4. art.5. ad 5. vbi expreſſe docet beatitudinem animæ corpore reaſſumpto creſcere, non intenſiue, ſed extenſiue.* Ex quibus verbis Schola Thomiſtarum hanc ſentẽtiam ſimpliciter approbat: ita Caietan. *Caietan.in dicto art.5.* Sotus. *Sotus in 4.diſt.49. q.6.* Medina. *Medina prima ſecundæ, q.4. art.5. pag.101. col.2. §. Contrariam ſententiam, cum reliquis Thomiſtis, cum quibus* Burgenſ. *Burgenſ. Concordantia 265. eandem probauerunt* Durand. *Paludanus in 4.diſt.49.q.6. & Durand. q.7 Maior q.12. dub. vltimo, & cum illis* Lorca. *Lorca 1.2. diſp.36. de Beatitudine memb.2. pagina 200. §. Sed contraria ſententia, aſſerens eam in Scholis iam eſſe ſine controuerſia: denique eam ſimpliciter eſſe veriorem affirmat* Bellarm. *Bellarmin. lib.1. de ſanctorũ beatitudine cap.5. pag. 861. poſt. principium, late eam probat* Bellomon. *Bellomontanus 1.2. diſp.19. cap.4.*

§ 2.

Reſolutio pro parte affirmante.

4. 1. Opinio. EGo difficultatem ita puto reſoluẽdam, vt prima opinio propter authoritatem Auguſtini, Haymonis, & D.Bernardi digna ſit, quæ defendatur; quamuis ſecunda faciliter defendi valeat. Primam reſolutionis partem primo confirmamus, quia abſq; dubio probata fuit Auguſtiuo, Bernardo, & Haymoni. Aug. Quod probata fuerit Auguſtino euidenter patet ex ijs, quæ ſcribit *lib.1. retract. c. 14. & lib.12. de Geneſi ad literam capit.35.* etenim in priori loco inquirit, *quinã ſint illi beatiſsimi, qui iam ſunt in ea poſteſſione, quo ducit hæc via? magna quæſtio eſt, & Angeli quidem ſancti, quod ibi ſint, nulla magna quæſtio eſt: ſed ſanctis hominibus iam defunctis, vtrum ipſi ſaltem dicẽdi ſint iam in illa poſſeſſione conſiſtere? merito quæritur: iam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggrauatur exutiſunt, ſed adhuc expectãt etiã ipſi redemptionem corporis ſui: ſed vtrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, ſicut dictũ eſt, facie ad faciem; nihil ex hoc minus habeant; non hic locus eſt, diſputando inquirere.*

5. Et quamuis hanc quæſtionem hoc in loco non reſoluat; eam tamen aperte reſoluit lib. 12. de Geneſi ad literam cap.35: propoſita enim quæſtione, quid nã opus ſit animabus corpora ſua in reſurrectione recipere, ſi illi ſine corpore poteſt ſumma beatitũdo præberi? ita reſpõdit: *Difficilior quæſtio eſt; nec poteſt à nobis perfecte diffiniri, ſed tamen minimè dubitandum eſt, & raptam hominis à carnis ſenſibus mentem & poſt mortem ipſã, carne depoſita, & tranſcenſis etiã ſimilitudinibus corporaliũ non ſic videre poſſe incommutabilem ſubſtantiam, vt ſancti Angeli vident: ſiue alia latentiori cauſa; ſiue ideo quia ineſt ei naturalis quidã appetitus corpus adminiſtrandi, quo retardatur quodammodo, ne tota intẽtione pergat in illud ſummum Cælum, quandiù nõ ſubeſt corpus, cuius adminiſtratione appetitus ille conquieſcat.*

Ex quibus locis euidenter patet Auguſtinum quæſtionẽ excitare de viſione maiori, vel minori: hunc enim ſenſum ſatis declarant illa verba dicto cap.14: *ſed vtrum ad contemplandam cordis oculis veritatem facieque ad faciem*: & de hac inquirit; an animę ante reſurrectionem de hac faciali viſione minus habeant, quam poſt reſurrectionem ſunt habituræ? & quod minus habeant, ſatis expreſſe diffinit in dicto cap.35. dum ait: animam ante reſurrectionem propter deſiderium informandi corpus retardari, ne tota intenſione pergat in viſionem Dei. Porrò ſi ab operatione viſionis propter naturalem corporis appetitum aliquo modo retardatur; vtique non ęque intènſe videbit, atque poſtea, cum impedimentum fuerit ſublatum. 6.

Vnde non eſt admittenda diſtinctio Bergomenſ. vt ante reſurrectionem non ſit operatio æque intenſa ex parte ſubiecti; quia anima non eſt perfectè diſpoſita: non tamen ex parte perfectionis gradualis: ſed nec recipienda eſt nonnullorum explicatio, quam refert Bellomont. vbi ſupra ad finem ſecundæ ſententiæ: illa enim ſatis ſufficienter impugnatur à Bellomontano ibidem: apud quem Auguſtinus abſque dubio eſt pro prima ſentẽtia: & eam magis eſſe ad mentem Auguſtini fatetur Bellarminus vbi ſupra. 7.

In eadem ſententia fuiſſe D. Bernardum aſſerit Bellomontanus: & ſumit fũdamentum ex verbis illius in ſerm. omnium ſanctorum, quæ refert *Bellarminus in dicto cap.5. pag.861. in principio*, & clarius pag. 863. in fine. Sed cum D.Bernardus animabus ante reſurrectionem viſionem diuinæ eſſentiæ non concedat, 8. An fuerit D.Bern. *Bellarm.*

vt

vt oſtendimus 2.tom.quæſt.5.art.2.§.1. non eſt,quod D,Bernardum pro hac ſententia referamus: fatetur igitur animas iuſtorum ante reſurrectionem deſiderio corporis retardari, imò etiam impediri, ne earũ beatitudo poſita in viſione Chriſti hominis conſumetur, nec in viſionem illius tota affectione pergat. Quare in hoc ſolum pro nobis erit,quod putat naturale illud deſiderium ad informandum corpus eam retardare à beatitudine, quam illis concedit.

9. Quid de Haymon. Pro hac ſententia à Bellomontano citatus Haymon. in cap.6, Apocalyps: ſed cum librum non viderim, affirmare non poſſum, an ille huius ſit opinionis.

10. D.Tho.huius fuit opinionis. D.Thomam in quarto loco citato huius fuiſſe opinionis negari non poteſt:expreſſe enim ait *operationem,qua anima beata ante reſurrectionem in Deum fertur eſſe minus intenſam.* Quæ verba non ſatis explicantur de intenſione ex parte ſubiecti (quicquid Bergomenſis oppoſitum velit) ſed de intenſione ex parte graduũ ipſius viſionis: vnde *Caietanus cũ cæteris Thomiſtis fatetur D. Thomam,* in illo loco noſtram approbaſſe ſententiam, ſed eam poſtea mutaſſe 1, 2, *loco citato*: cum qnibus cõſentit Bellarminus,quicquid Lorca dubitet. (Caietan.)

11. Quid de D. Bonau. An D.Bonauentura huius fuerit opinionis, forte aliquis dubitabit: etenim Medina vbi ſupra eum refert pro contraria ſententia: cæteri tamen omnes volunt eũ pro noſtra ſtare opinione; & ego idem exiſtimo,quoniam expreſsis verbis docet *Glorificationem corporis facere ad augmẽtum præmij eſſentialis; non quidem principaliter,ſed ex conſequenti.* Et hunc ſenſum ſatis explicat in ſolutionibus argumentorum.

Patet igitur opinionem primam ſatis eſſe probabilem; non ſolùm teſtimonio Auguſtini(quod ad confirmandam illius probabilitatẽ ſatis erat) ſed etiam grauiſſimorum Theologorum authoritate.

§. 3.

Expenditur fundamentum Auguſtini.

12. Defenditur fundamentum Aug. SEcundo loco noſtra ſententia confirmatur fundamento adducto ex Auguſtino: quoniam anima beata, quandiù eſt ſeparata, habet naturale deſiderium ad vnionem cum corpore:quod apud D.Thomam, & omnes Thomiſtas indubitatum eſt: tale autem deſiderium non poteſt non retardare ipſam animam, ne toto conatu tendat in Deum viſum: quare ſublato hoc impedimento expeditius, & ſubinde maiori conatu influet in viſionem; & per conſequens faciet eam intenſiuè,& gradualiter maiorem.

Cuius argumenti vim non elidit reſpõſio maioris,in dicta q.13.ad 3.dum ait illud animæ ad corpus deſiderium non eſſe elicitum,ſed eſſe ſolùm naturalem quandam inclinationem ad informãdum corpus. Iam verò deſiderium non elicitum, quamuis ſit naturalis propenſio, non poteſt impedire conatum animæ in ſuas operationes: non elidit,inquam, hæc ſolutio vim argumenti; quoniam negandum nõ eſt in anima ſeparata dari non ſolùm appetitum innatum ad informandum corpus; ſed etiam elicitum, vt contra eum ſupponit Bellomontanus, & nos idem etiam ſupponimus. 13. 1.Solutio nõ tollit vĩ argum.

Sed nec vim illius elidit ſolutio *Paludani in dicta quæſt.6.num.*31.dum ex eo negat animam illo deſiderio retardari; quia Angeli non retardantur ex eo. quod ad cuſtodiam hominum mittuntur, aut ad alia miniſteria,quæ ſolutio etiam placuit Bellarmino.Sed vim argumenti non tollit:quoniam exemplum ex miſſione Angelorum habet lõge diſparem rationem: quoniam cognitio matutina, & beatifica non retardatur per cognitionem,& attentionem eorum,quę ad cognitionem veſpertinam ſpectant,vt patet ex ijs,quę diximus in 2.tom,lib,11,qualis eſt cura hominum Angelis demandata: etenim diſtratio per attentionem ad plura, omnino tollitur per beatitudinem : quæ tamen non tollit retardationem ortam ex naturali deſiderio ad corpus:hoc enim deſiderium non retardat ratione diſtrationis ad plura obiecta;ſed ratione imperfectionis ipſius eſſe; quod ex ſua natura eſt principium operationis, vt patet ex Philoſophia: vnde hęc Paludani ſolutio merito non placuit Bellomontano. Sed nec illi placuit ſolutio Durandi,quatenus ait illud deſiderium ideo non poſſe retardare: quia amor Dei illud moderatur: ſed id quod immediatè diximus,conuincit amorem Dei non poſſe moderari rationem retar- 14. Nec 2.ſolutio. Nec 3.

retardationis, quia moderari non poteſt carentiam perfectionis ipſius eſſe.

15. Nec 4. Ex quo etiam fundaméto infirma eſt ſolutio Bellomontani, vbi ſupra num. 17, quatenus ex eo probat illud deſiderium non retardare, quia non eſt cum anxietudine: deſiderium autem ratione anxietatis, & triſtitiæ retardat à vehementi delectatione. Quod vero naturale illud deſiderium nõ ſit cum anxietate, ex eo probat, quoniam vehemens delectatio de aliquo obiecto ex ſua natura pellit triſtitiã de quauis alia re. At tamen Bellomontanus falſam cauſã tetigit illius retardationis: nec enim deſiderium illud ideo retardat conatum potentiæ; quia cauſat anxietatem: (omnem enim à beatis excludimus) propter certitudinem, quam habẽt ſed ideo, quia coniunctum eſt cum imperfectione in eſſendo, vt cum D. Thoma iam dicimus.

16. Nec 5. Ex quo etiam fundamento excluditur ſolutio Bellarmini: ideo deſiderium illud nõ retardare viſionem, & amorem, quia ordinatur ad vtrumque, tanquàm ad finem; ſed non video, quomodo hoc deſiderium (cum naturale ſit) ordinetur ad iſtum finem: & quamuis ordinaretur: non tolleret imperfectionem in eſſendo. ¶ Ex quibus patet fundamentum Auguſtini habere efficaciam.

§. 4.

Expenditur fundamentum D. Thomæ.

17. Defenditur fundamentũ D. Tho. Sed tertio loco expendamus fundamentum ſumptum ex D. Thoma in 4. loco citato: quoniam anima extra corpus habet eſſe imperfectum, perfectum autem cũ eſt in corpore. Ergo poſt reſurrectionem intenſius videbit Deum. Conſequentia ex eo patet: quia cum ad eſſe ſequatur operari, ad perfectius eſſe ſequetur operari perfectius. Antecedens verò inde probat. D. Thomas; quia pars ad totum ordinatur; & ſubinde perfectius eſſe habet in toto, quam extra totum. D. Thom. Quo argumento etiam vtitur *D. Thomas prima ſecundæ. quæſtione 4. artic. 5. ad finem corporis.*

18. 1. Solutio nõ placet. Hoc argumentum variè ſoluitur ab aduerſarijs. Prima ſolutio abſolutè negat animam extra corpus habere eſſe imperfectum. Hanc opinionem Bellomontanus tribuit *Scoto in 4. diſt. 43. q. 1. litera B.* Scot. *§. Iſte in hoc contradicit ſibi: & quodlibet. 9. litera K.* ſed Bellomõtanus non legit Scotum in dicto quodlib. 9. litera M. *§. Ex hoc patet*, vbi expreſſe admittit animam ſeparatam habere eſſe imperfectum, in ſenſu tamen longe diuerſo à ſenſu. D. Thomæ. Scotus igitur negat animam ſeparatam habere eſſe imperfectum, ex eo, quod totũ exiſtit per eſſe ipſius animæ. Sed quicquid ſit de Scoto maiorem illam abſolutè negat *Maior in 4. diſt. 49. q. 13. ad 4. quã etiam negat Bellarminus vbi ſupra.* Maior. Bellarm. Sed cõmunis Thomiſtarum eam admittit, & cũ illis plerique Philoſophorum eam probant; & inter eos *Conimbricenſes in tracta. de Anima ſeparata diſp. 2. art. 3. §. Contraria tamẽ ſententia pag. 479. poſt principium, & in 3. argumento poſt medium:* Conimb. & verè admittenda eſt, quia ſatis probatur ex *Ariſtotele lib. 3. de Anima cap. 12. text. 61.* Ariſt. *dum ſignificat conducere animæ rationali, quod ſit in corpore*: etenim niſi illi bonũ eſſet eſſe in corpore, ſeparata naturaliter non appeteret eſſe in eo: cuius tamen oppoſitum, tanquam veriſsimũ ſupponimus. Et inde eſt, vt ſtatus ſeparationis non ſit naturalis ipſi animæ, ſed præter naturam; cũ tamen ſtatus coniunctionis cum corpore ſit illi naturaliſsimus, vt etiam ſupponimus cum Conimbricenſibus in dicto art. 3. Quod verò alicui connaturale eſt, non poteſt illi non eſſe conueniens, & ſubinde bonum, & perfectio.

19. Nec 2. ſolutio. Quare admiſſo antecedente eſt ſecunda ſolutio, vt anima ſeparata habeat defectum perfectionis, non quidem intenſiuæ (quia animæ ſubſtantia non ſuſcipit magis & minus) ſed ſolùm extenſiuæ: quia, ſcilicet eſſe eius non extenditur ad corpus, nec ad operationes, quas in corpore poteſt exercere. Ex antecedente autẽ, admiſſo in hoc ſenſu non benè infertur, animam poſt reſurrectionem èlicituram, viſionem intenſiorem: quia ex perfectione extenſiuè maiori non benè infertur operatio intenſiuè maior. Hęc eſt ſolutio *Caietani in dict. quæſtio 4. art. 5. quæ ſatis eſt de mente Medinæ, & Bellarmini.* Caietan. Medina. Bellarm.

20. Sed non video cur eſſe, à quo per ſe pendet operatio, ſi ideo eſt perfectius, quia agenti eſt naturale in ordine ad operandum, non ſit perfectius, tùm extenſiuè, vt ad plures poſsit operationes extendi; tùm

tùm

tùm intenſiuè, vt poſsit elicere intenſiorem operationem: etenim agens, quod operatur modo ſimpliciter, & omnimode naturali, non ſolum operatur expeditius, & promptius, ſed etiam intenſius: quare cum animæ ſeparatæ operationes intellectiuæ non omnimode ſint connaturales (licet aliquo modo naturales ſint ratione ſtatus, vt ſignificãt Conimbricẽſes in dicto tract. de Anima ſeparata diſp, 2. art. 2. ad 3. pag. 476. & art. 3. ad 2. pag. 481.) ſint tamen illi omnibus modis cõnaturales, prout ſunt in corpore; profecto ſi corpus nullũ affert impedimentũ, vtique operationes intellectiuas, quas ſeparata operabatur in corpore, operabitur & expeditius, & intenſius quoad gradualem intenſionem: ex quibus patet allatam ſolutionem vim argumenti non elidere.

21. 3. Solutio. Quare nõnulli ad tertiam ſolutionem confugiunt, & admiſſo antecedente, ideo negant conſequentiam, quia licet eſſe animæ ſeparatæ poſt reſurrectionem perficiatur; tamen principium formale videndi ſemper manet æque perfectum; quia ſemper manet idem lumen gloriæ, quod eſt principium formale videndi: ita reſpõdet *Medina vbi ſupra ad primum argumentum pag. 102 columna 1. in fine, & ſatis Bellomontanus in dicta diſp. 19. cap. 4. nu. 17.* *Medina. Bellomon.*

22. Non recipitur. Sed nec iſta ſolutio vim argumenti diluit, quoniam ſupponit intenſionem viſionis à ſolo lumine gloriæ pendere, cuius oppoſitum latè oſtendimus in 2. tom, lib. 12. q. 11. art. 3, Admiſſa autem opinione, quod viſio etiam pẽdet ab intellectu, admittendum eſt, quod etiã pendeat à modo connaturali in eſſendo ipſius intellectus iuxta fundamentum explicatũ. Quare fundamentum D. Thomæ non eſt omnino reijciendum.

§. 5.

Confirmatur ex ſolutione argumentorum.

23. 1. Arg. Quarto loco noſtra opinio confirmari poteſt ex ſolutione argumentorum, quæ in contrarium obijciuntur. Contra eam obijcit *Bellomõtanus in dicto cap. 4. in fine. §. Poſtremo denique* ſimul cum Lorca vbi ſupra: quoniam viſio eſt operatio ſupernaturalis, *Bellomnt. Lorca.* quæ ab intellectu elicitur, non ſecundum perfectionem naturalem potẽtiæ, ſed ſecundum quantitatem luminis. Nihil igitur obſtat deſiderium naturale animæ ſeparatæ; quominus viſio æqualiter eliciatur ante vnionem cum corpore, & poſt eam: & putant hanc rationem continere cauſam à priori.

¶ Sed eam contineret, ſi fundamentum verum foret: ſed illud iam negauimus, & oppoſitum oſtendimus in dicta q. 11. art. 3. vbi explicauimus, in quo ſenſu viſio pendet à virtute naturali intellectus. 24. Solutio.

Secundo obijcit Lorca in dicta diſput. 36. memb. 2. quoniam ſemper eſſet eadẽ viſio, etiam ſi menſura illius oriretur ex naturali perfectione intellectus: quoniã eadem eſt virtus animæ in corpore, & extra corpus, quod attinet ad operationẽ elicitam ſine phantaſmatis miniſterio; quam difficultatem etiam tetigit Medina & ſumpta ẽſt ex Durando. ¶ Sed ex preiacto fundamento intenſio operationis animę, non ſolũm pendet ex virtute potentiæ intellectiuæ, ſed etiam ex connaturalitate eſſendi: quod eſt huius opinionis fundamentum. 25. 2. Arg.

Tertio obijcit idem Lorca: quoniam nihil datur à quo impediatur, & retardetur vſus viſionis ante vnionem cum corpore, & poſt vnionem cum illo: etenim ſi ab aliquo impediretur, maximè impediretur à voluntate retardante operationem: à voluntate autem retardari non poteſt, vt multis ibidem oſtendit. ¶ Sed eodem modo ſoluitur hoc argumentum, quo præcedens. 26. 3. Arg. Solutio.

Quarto obijcit Medina in dicta q. 4. art. 5. pag. 102. col, 1. in principio: quoniam, vel homo in vita meruit tantam gloriam, quantam habuit poſt reſurrectionẽ; vel non meruit. Si primum; ergo anima totam illam habuit ante reſurrectionem, cum habeat totam, quam meruit. Si ſecundum; anima nunquam totam illam habebit. cũ gloria non detur, niſi propter merita. ¶ Hæc difficultas ſoluitur ex ijs, quæ diximus *2. tom. lib. 12. q. 11. art. 3*, §, 4. de illis, qui cum æqualibus meritis habent inæqualem intelligendi virtutem: eadem enim eſt vtrobique difficultas, vbi videbis minimè neceſſarium eſſe, vt viſio tanta ſit, quãta eſt mẽſura proprij meriti: vnde corruit fundamentũ huius argum. 27. 4. Arg. 28. Solutio.

Quinto

30. 5.Arg. Quinto loco: ſequitur, quod anima Chriſti in triduo habuit minorem gloriã; ſiquidem non habebat connaturalem eſſendi modũ. Solutio. ¶ Hęc difficultas tangitur à Medina, quæ non eſt parua: dicendum tamen diſparem eſſe rationem in anima Chriſti ſeparata in triduo, & in alijs: vnde Deus pro illo triduo ſuppleuit vim connaturalitatis in eſſendo.

31. 6.Arg. Sexto loco ex eõdem Medina: ſequeretur, quod anima poſt reſurrectionem poſſet de vna Hierarchia trãſire ad aliam: ſequelam probat, ſi ponamus infimam Hierarchiam ſolùm poſſe peruenire vſq; ad decem gradus gloriæ: & ſimul ponamus, quod anima Beati Martini cum tot gradibus gloriæ ſit in illa ante reſurrectionem. Ergo ſi poſt reſurrectionem gloria futura eſt maior, anima Beati Martini Solutio. tranſibit ad ſecundã Hierarchiam. ¶ Sed non video cur conſequens nõ ſit admittendum.

32. 7.Arg. Septimo arguit idem Medina: quia anima beata ante reſurrectionem nõ minus amat, quam poſt: cùr enim non amabit totis viribus? Ergo non minus videt. Solutio. ¶ Sed ex preiacto noſtro fundamento hoc argumentum ſatis eſt ſolutum: retardatur enim voluntas ex carentia connaturalitatis in eſſendo.

33. 8.Arg. Octauo obijcit Bellarminus vbi ſupra pag. 861. B. quoniam cõtra noſtram ſententiam videtur diffinitum à Benedicto 12. in Extrauagante, quæ incipit *Benedictus Deus*, dum ait, *Continuari viſionẽ Dei, quam habent animæ à morte corporis, vſque ad reſurrectionem. & inde vſque in æternũ.* Benedict. 12. Quibus verbis videtur dicere eam nec creſcere, nec minui. Imò *Ioannes Villanus lib. 11. Hiſtor. cap. 19.* Villanus. ſcribit Benedictum definiuiſſe animarum gloriam non augendam poſt reſurrectionem, niſi extẽſiuè; affirmatq; ſe hoc audiuiſſe à Theologis, qui interfuerunt, cum illud à Pontiſice diffiniretur. Solutio. ¶ Sed cũ verba diffinitionis Benedicti ſolùm denotent, viſionẽ, quæ fuit ante reſurrectionem ſine aliqua intermiſsione, ſeu euacuatione continuandam fore vſque in ſempiternum; non eſt quod dicamus ipſum diffiniuiſſe eam ſine vlla maiori intenſione eſſe continuãdam. Verba autem ſunt iſta: *Quodque poſtquam inchoata fuerit talis intuitiua, & facialis viſio, & fruitio in iiſdem; eiuſdem viſio, & fruitio, ſine aliqua intermiſsione, ſeu euacuatione prædictæ viſionis, & fruitionis continuata exiſtit, & continuabitur vſque ad finale iudicium; ex tunc vſque ad ſempiternũ.* Oſcitanter igitur Ioannes Villanus ſcripſit diſſinitum eſſe à Benedicto viſionem futuram non eſſe intenſiuè maiorẽ: & eãdem oſcitantiã admittimus in Theologis, ſi qui Villano talem diffinitionem retulerunt. Et hæc de iſta ſecunda quæſtione appendicia.

QVÆSTIO III.
Appendix.

De appetitu hominis ad ſupernaturalem beatitudinem.

HAnc etiam tertiam quæſtionem appendicem in hunc locum reſeruauimus. In qua quatuor excitauimus articulos: primus eſt; quidnam ſit appetitus? Secundus aget de duplici illius diuiſione, & de explicatione vtriuſque. Tertius inquiret; vtrùm in nobis detur appetitus elicitus ad ſupernaturalem beatitudinem? Quartus, & vltimus, an detur ad eam appetitus innatus?

ARTICVLVS I.

Quid nam ſit appetitus in communì ſumptus?

QVod attinet ad primum; generaliter inquirimus; quid nam ſit appetitus? cui quęſtioni cõmuniter reſpondetur, *Appetitum eſſe inclinationem quandam, & quandam tendentiã in bonum conueniens perfectionemque non dum habitam, poſsibilem tamen haberi, vel re ipſa vel ſecundum exiſtimationem appetentis.* Quæ explicatio appetitus abſolutè ſumpti ab omnibus recipitur, & facilè explicabitur quoad ſingulas partes. 1. Explicatio appetitus.

Nam quod appetitus ſit tendentia in aliquod obiectum docet *D. Thomas prima ſecundæ q. 8. art. 1. & in 1. Eth. lect. 1.* appetere enim aliquid nihil aliud eſt, quam illud petere tendendo in illud, vt ex Auguſtino Pſalm. 9. docet Henricus quodlibeto 4. quęſtione 11. in principio: vnde Ariſtote- 2. Quod ſit tendentia. D. Thom.

Ariſtot.3.de Anima c.10. tex.49. docet *Omnem appetitum eſſe alicuius gratia.*

3. *Quod ſit in bonum.* Quod appetitus tendat in aliquod bonũ ſiue conueniẽs; & ſubinde quod tendat in aliquam perfectionẽ; apud omnes eſt indubitatum: appetitus enim, non eſt niſi boni, vt docet *D.Thomas in d.q.8.art.1.& ſatis Ariſt.8.Ethic.cap.8.& clarius 6. topic.c.4.* & ſatis conuincitur ex eo, quod appetitus eſt quædam inclinatio, & tendentia in aliquod tanquam in obiectum, vt diximus: inclinatio autem non datur niſi in bonum, & conueniens; cum bonũ ſit id, quod omnia appetunt, ex Ariſt. 1. Rethoric.c.6.& 1. Ethic.c.1.in princip. vnde ad malũ propriè nõ datur appetit⁹.

D. Thom. *Ariſtot.*

4. *Quod ſit in bonum nõ habitum.* Additur in diffinitione *in aliquod bonũ non habitum,* quoniam appetitus propriè ſumptus, & prout ab appetendo denominatur, per ſe reſpicit bonũ nõ dũ habitũ: vt docet *D.Thom.1.p.q.19.arti.1.in corp. & ad 2.& q.59.art.1.ad 2.& in 1.diſt.45. ar.1.ad 1*; & ſatis id colligitur ex eo, quod appetitus ex ſua intrinſeca ratione habet, quod ſit inclinatio quædã, & tẽdentia ad modũ motus: imò appellatur motus ab *Ariſt.3.de anima c.10.text.54.* dũ ait appetitionẽ eſſe quendã motũ: etenĩ eſt veluti quædã boni proſecutio, quæ ad inſtar motus ſignificatur: iam verò motus non eſt, niſi ad terminũ nondũ habitũ: quare ctê dicit. *D.Bonau.in 4.diſt.49.art.1.q.2.* duo facere appetitũ; conuenientiam, ſ. rei appetitæ, & indigentiã illius: indigentia autẽ ſupponit carentiã rei. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Plato in Sympoſio ſub pſona Socratis; *nemo, quod habet, amat*; intelligendus eſt enim nõ de amore cõplacentiæ, quo in re aſſecuta cõquieſcimus; ſed de amore deſiderij, quo in rem amatã, non dũ tamẽ habitã, appetendo tendim⁹: quare ſi ꝓpriè loquendũ eſt, nõ eſt admittenda diſtinctio appetitus in appetitũ deſiderij, & in appetitũ cõplacentię: vt ille tendat in bonũ non dum habitũ; iſte verò in bonũ iam habitũ terminetur; quamuis hæc diſtinctio à nõnullis admittatur: etenim cũ de ratione appetitus ſit inclinatio tendens in bonũ, vt diximus: cõplacentia ſiue quies in ipſo bono habito appetitus dici nõ poteſt, quia ſine vlla tendẽtia cõcipitur: & in hoc ſenſu cum Socrate optimè dici poteſt, *nemo, quod habet, appetit*: quæ philoſophia cõfirmari poteſt ex *Ariſt.2.de anima c.3.tex.27.* dũ ait appetitũ eſſe cupiditatẽ, ſiue deſideriũ. Vtrũ verò appetit⁹ realiter diſtinguatur ab amore, cõplacentiaq; in bono poſſeſſo? alteri⁹ eſt quæſtionis: nos realẽ diſtinctionẽ admittimus, vt alibi diximus: quare potẽtia appetitiua præter actũ appetitus, qui eſt deſiderare bonũ nondũ habitũ, habet etiã actũ amoris, quo cõplacet in bono habito, vt ait *D.Thom.1.p.q.19.art.1.ad 2.*& tamẽ illud nõ habet, vt eſt appetitiua, ſed quæ eſt appetitiua.

D. Thom. *Plato.* *D.Bonau.* *Ariſt.* *D. Thom.*

5. *Eſt in bonũ poſſibile.* ¶ Adiungitur in diffinitionẽ *poſſibilẽ tñ haberi, vel reipſa, vel ſecundũ exiſtimationẽ*; quoniã de ratione apperit⁹ eſt ordo ad poſſibilitatẽ boni quod appetitur: quod enĩ ſub ratione impoſſibilis cognoſcitur, appeti non poteſt appetitu ſimplici, & efficaci, vt in dubitata docet Philoſophia, quã modo ſupponimus.

6. *Reſolutio.* Quare cõſtitutũ ſit appetitũ in cõmuni ſumptũ eſſe inclinationẽ ſiue tendentiã in bonũ perfectioneq; nõ habitã, poſſibilẽ tñ haberi, ſaltem ſecundũ exiſtimationẽ appetentis: Qualis autẽ ſit hæc tendentia, & inclinatio facilè patebit ex ijs, quæ de diuiſione appetitus iam dicimus.

ARTICVLVS II.

Duplex appetitus diuiſio, & ſingularum diuiſionum explicatio.

§. 1.

De duplici appetitus diuiſione.

1. *Duobus modis diuiditur.* Appetitũ multis modis diuidi cõmunis eſt omniũ cõſenſ⁹: nã 1. diuiditur in appetitũ naturalẽ, & in animalẽ: ita *D.Th.1.p.q.78.artic.1.ad 3.& q.80.in cor.& ad 3.& 2.2.q.148.& multis alijs in locis*: quã etiã ponit *Henric.quodl.4.q.11*; ea colligitur ex *Cõmentatore lib.1.Phyſi.ad finẽ, & euidentius ab Aug.lib.11.de Ciuita. Dei.c.28.* etenim cũ omnis appetitus cõſequatur formã, vt eſt cõmunis doctrina ex D.Thom. deſũpta, vel cõſequitur formã naturalẽ in re exiſtentẽ, vel formã apprehẽſam. Si priori modo; dicitur appetitus naturalis: ſi modo poſteriori; dicitur appetitus animalis.

Scotus. *Auguſt.*

2. *Diſcrimẽ.* Vnde inter vtrũque iſtũ appetitũ hoc intereſt, quod appetitus naturalis nulla in ipſo appetẽte prærequirit cognitionẽ rei, quã appetit. Et ideo eſt in omnibus rebus tã cognoſcẽtibus, quã nõ cognoſcentibus: appetitus autẽ animalis neceſſario requirit propriã in ipſo appetente cognitionem: quæ eſt communis omniũ doctrina. Ex qua aliud oritur diſ-

crimen: quoniã appetitus naturalis ſolũ tendit ad propriã perfectionẽ ipſius potẽtiæ,& naturæ,in qua reperitur: animalis verò tendit in bonum totius animalis, vt docet *D.Thom. in d. q.80, art. 1. ad 3*.vbi etiã Caietan. Cũ verò duplex ſit cognitio animalis: vna ſenſitiua, intellectiua altera; duplex etiã diſtinguitur appetitus animalis: vnus ſenſitiuus; alter intellectiuus: de qua diſtinctione vide D.Tho, 1 *p. in d.q.* 80.*ar*.2. & 1.2.*q*.18.*ar*.1. Et inde eſt, vt appetitus adæquatè diuidatur in naturalẽ, ſenſitiuũ,&intellectiuũ,ex D.Tho. 1.*p. q*.5*ar*.1.& ex *Conimb.in Ethi.d*.1.*q*.1.*a*.3. *D.Thom.* *Conimbr.*

4. *Fonſeca.* *Suarius.* *Bellomon.* *Salas.* *Medina.* Secundo diuiditur appetitus in innatũ & elicitum: quæ diuiſio celebris eſt inter recentiores: eam ponunt Fonſeca *in* 1. *Metaph.cap.*1.*q*.1.*ſect*.3. *in princ. Suarius in Metaphyſi.diſp*.1.*ſect*.6.*n*.3. *Bellomont.* 1.*p.q*.12.*ar*,1.*in Cõme.n*.9. & *vt notã ſuppomit Salas* 1.*tom.ad* 1.2.*tract*.2.*diſp*.12 *in Præfatione,& ſect*.1.*pag*.509.*colum*.1. *Ex Thomiſtis ea vtitur Medina* 1.2. *q*.5. *art*.8. §.*Ad huius igitur rei explicationẽ*, & quãuis in antiquioribus in terminis non inueniatur; iam tamen in Scholis eſt vulgata, Innatus appetitus eſt inclinatio, & propenſio, qua vnaquæque res ſine vlla ſua cognitione in aliquod bonum propẽſa eſt: vt appetitus grauis ad locum infimũ, & materiæ ad formam: dicitur autẽ innatus, quia ab authore naturæ inditus eſt; ob quã rationem etiam dicitur naturalis; prout naturale idem eſt, quod inditum à natura. Appetitus autem elicitus eſt, qui in bonum fertur per actum à ſe elicitum: talis eſt potentia animæ appetitiua, ſiue ſenſitiua ſit (qui appellatur appetitus ſenſitiuus) ſiue intellectiua, quæ dicitur voluntas. Cum verò omnis potẽtia appetitiua animæ conſequatur cognitionem, quia nihil volitum, niſi præcognitum, vt ait Ariſtoteles; ideo talis appetitus neceſſariò prærequirit cognitionẽ aliquam in ipſo appetente: & inde eſt, vt appetitus iſte potius dici debeat elicitiuus quã elicitus: cum per actũ à ſe elicitum tendat in bonũ: ſed iam vſus obtinuit, vt dicatur appetitus elicitus. ¶ Coincidit autẽ hæc ſecunda diuiſio cũ prima: quoniã appetitus innatus idẽ eſt, quod appetitus, qui in prima dicitur naturalis: naturalẽ enim in illa diuiſione idẽ eſt, quod inditũ à natura, vt iam diximus. Appetitus verò elicitus coincidit cũ appetitu animali: etenim animalis appetitus, ſiue ſenſitiuus ſit, ſiue intellectiuus, tendit in ſuum bonũ mediante actu elicito.

Quid ſit innatus.

5. Quid ſit elicitus.

6. Coincidit cum 1.

7. 3. Diuiſio.

Durand. Tertia diuiſio appetitus apud nonnullos Theologos diuidit appetitum in naturalem, & liberum, ſiue electiuum. Quã diuiſionem probarũt quidam relati à *Dur. in* 4.*diſt*.49,*q*.8. In qua diuiſione naturale ſumitur pro neceſſario: vnde cõprehendit appetitum non ſolùm innatũ, ſed etiã elicitum, ſi à voluntate libere nõ eliciatur.

8. De qua agendum ſit.

Iſta diuiſio ad noſtrum inſtitutum nõ pertinet; benè tamen prima, & ſecunda: quia verò prima diuiſio ad ſecundam reducitur, de ſola ſecũda agemus. Quia ſola illa ad noſtrum inſtitutũ pertinet: quare illius membra hoc loco explicabimus.

§. 2.

Explicatur vterque appetitus innatus ſcilicet & elicitus.

9. Quid ſit appetitus innatus.

QVod igitur attinet ad appetitum innatum, qui ab antiquioribus appellatur naturalis, vt naturale idem eſt, quod à natura inſitum: ex dictis patet appetitum naturalem ſiue innatũ nihil aliud eſſe quam inclinationem quandã, ſiue propenſionem, qua res nulla ſua cognitione præuia inclinatur, & propendet in bonum ſibi conueniens.

10. Impropriè eſt appetitus.

Pro illius explicatione illud primo loco ſtatuimus cũ *Fonſec.in d.ſec*.3.§. *Impropriè dictus eſt*.hũc appetitũ propriè nõ dici appetitũ, ſed impropriè: & ratio eſt; quoniã de ratione appetitus propriè ſumpti eſt, quod tẽdat in bonũ formaliter, & ſub ratione boni, ſiue conuenientis: nam cũ appetitus ex ſua intrinſeca ratione tẽdat in bonũ,& conueniens, tanquã in obiectũ, à quo ſpecificatur: obiecta autẽ ea, quę ad ſe feruntur ſpecificent ſumpta nõ materialiter, ſed formaliter; vtiq; appetitus propriè ſumptus ex ſua natura tendet in bonũ formaliter.i, ſub ratione boni. Iam verò appetitus iſte innatus, licet terminetur ad bonũ; non tamen ad illud terminatur formaliter, ſed materialiter: terminatur enim in id, quod bonũ eſt ſiue conueniens; non tamẽ ſub ratione boni ſiue cõueniens: etenim cum in bonũ terminetur nulla præuia ſua cognitione, nõn poterit terminari in bonũ formaliter, & vt ipſi appetenti eſt bonũ; quia ſub iſta formalitate per ſolam cognitionem poteſt appetitui obiici. Quar

11\. Quare cum diximus appetitum naturalem ſiue innatum appetere bonum, in quod naturaliter propendet; id non eſt verum niſi per translationem; quatenus ſcilicet perinde in bonū fertur ac ſi cognoſceret illud eſſe ſibi bonum, vt docte ſatis aduertit *Fonſeca vbi ſupra §. Ex hac diſtinctione patet*: vbi id cōfirmat ex Ariſtotele 1. Rhetoricę ad Theodectem, quatenus inter bona enumerat illud, quod omnia appeterent, ſi intellectum haberent. Iam verò illa, quæ appetitu innato aliquid appetunt, illa appeterent, ſi haberent intellectum. *Fonſeca.*

12\. Confirmatur. Quod etiam ex eo ego cōfirmo; quoniam quæ hoc innato appetitu appetunt aliquod bonum, ideo dicuntur illud appetere ex inſtinctu naturæ; quia ab authore naturæ diriguntur in tale bonum, vt communis habet Philoſophia; quod ſatis eſt, vt iſte innatus appetitus dicatur ſequi aprehenſionem, & cognitionem, vt ait, *Diuus Thomas prima, ſecundæ, quæſt. 40. articulo primo; & de Veritate quæſtione 15. articul. tertio, & pluribus alijs in locis*: nam cum ex ſua ratione appetat bonum ex inſtinctu authoris naturæ eū dirigētis: author autem naturæ illum dirigat cognoſcendo bonum, ad quod dirigit. Vtique talis appetitus conſequitur cognitionem, non ſuam, ſed Dei dirigentis, vt locis citatis ait Diuus Thomas. Quare non ſine fundamento per translationem dici poteſt appetitus: nam licet ſecundum ſe terminetur in bonum ſolum materialiter; tamen vt directus à Deo naturæ authore tendit in bonum formaliter. *D. Thom.*

Nihil [illegible] addere. Deinde ſtatuimus appetitum in actu nihil ſuperaddere vltra ipſam rei naturam, quæ in bonum inclinatur; & ſubinde nihil eſſe aliud quam ipſam rem, vt propendet in perfectionem, quam appetit. Ita *Suarius in Metaphyſ. diſput. 1, ſect. 6. numero 3*, expreſſe *Scotus in 4. diſtinctio. 49. quæſt. 10. §. Ad primum argumentum principale*. vbi ita ſcribit: *Appetitus naturalis non addit aliquam perfectionem ſupra naturam abſolutam; ſed ſolum inclinationem ipſius naturæ ad ſuam perfectionem: quod etiam innuit in ſecundo diſtiinct. 39. quæſtio. 1. & ſecunda, §. Per idem ad tertium. Maior in quarto diſtinctio. 49. quæſtio. 6. §. Dico igitur, Baſſolius ibidem quæſt. 6. de Beatitudine animæ articul. 1. §. Tertio diſtinguitur*: ſignificat *D. Bonauentura in 2. diſt. 24. in 1. p. art. 1. q. 3*, dum inter voluntatem, & appetitum naturalem, quem habet, nullā agnoſcit diſtinctionem. Citari etiam poteſt *Caietan. 1. 2. q. 10. art. 1. §. In reſponſione ad primum*, vbi voluntatem, vt natura eſt (quomodo habet quod ſit appetitus naturalis) non diſtinguit ab eadem, vt voluntas eſt: poteſt etiam citari *Bellomontanus 1. tom. ad primam ſecundæ. diſput. 22. cap. 9. num. 9.* quatenus docet appetitū naturalem non eſſe aliquid realiter reſultans in re ex priuatione boni, quo caret: *Suarius. Scotus. Maior. Baſſol. D. Bonau. Caietan. Bellomon.*

14\. Confirmatur. Non inefficaciter confirmatur; quoniam potentia ſiue paſſiua ſit, ſiue actiua, ex eo eſt naturalis propenſio ad ſuum actum, & obiectum, quia ex ſua natura habet ordinem, & reſpectum trāſcendentalem ad actum, & obiectum: cum verò talis reſpectus tranſcendentalis ſit vtrique potentiæ intrinſecus, neutra illarum indiget aliquo ſuperaddito, vt habeat naturalem propenſionē, quæ ipſi eſt naturalis appetitus.

15\. 2. Confirm. Cui etiam accedit; quoniam inclinatio illa naturalis, quæ eſt formalis appetitus, eſt ab authore naturæ conferente formas ex ſe ordinatas ad perfectionem, quā quæq; res appetit: nam cum ſine vlla cognitione tendāt ad talē perfectionem, pertinet ad ipſū naturę authorē vnāquāq; rem in propriam perfectionem ordinare per formas ex ſua natura propenſas, & inclinatas ad eam: quæ fuit doctrina *D. Thomæ de Veritate quæſt. 22. art. 1 & inde Scotus in 1. diſt. 1. q. 5. in fine*, intulit appetitum innatum datum eſſe à Deo naturam cōferente, quatenus contulit naturā ex ſe ordinatā ad talem perfectionem. *D. Thom. Scotus.*

16\. 3. Confir. Deniq; id oſtenditur; quia potētia, tàm paſſiua, quā actiua immediatè coniungitur cum ſuo actu, qui eſt ſua naturalis perfectio: coniungitur autem mediante appetitu innato. Ergo is appetitus non eſt aliquod ens realiter, aut ex natura rei diſtinctū à re, quæ ſuum bonum appetit.

17\. Reſolutio. ¶ Hoc igitur tanquam indubitatum ſupponatur, appetitum innatum nihil ſuperaddere naturæ, quæ in ſuū bonum inclinatur: ſed eſſe ipſammet rem, vt inclinata eſt, & propenſa in talem perfectionē: non eſt tamen negandum [illegible]um a[illegible] diſtingui ratione, ſiue potius modaliter: nam cum ſimpliciter non ſit ipſa

res, ſed prout eſt inclinata, addet ſupra rem inclinationem, & propenſionem ad tale bonum, quæ ipſa eſt veluti quidam
18. modus ab ea inſeparabilis. Quam Philoſophiam intellige de re, quæ bonũ illud appetit, tanquam ſubiectũ immediatum, non verò tanquam ſubiectum mediatũ: lapis enim eſt, qui inclinatur in locum infimum, vt quod; quia inclinatur mediante grauitate: homo etiam eſt, qui naturaliter appetit ſcire: mediante tamen intellectu: materia etiam prima appetit vt quod formam; at tamen vt eſt potentia paſsiua: & quanuis in ea appetitus nihil ſuperaddat ipſi entitati: tamen in alijs, in quibus potentiæ, aut realiter, aut ex natura rei diſtinguntur à natura appetitus formaliter ſumptus ab eadem eodem modo diſtinguetur; ab ipſa tamen potentia, quæ eſt ſubiectum immediatũ, & veluti, vt quo, ſola ratione.

Explicatur doctrina.

19. Tertio loco ſtatuimus appetitum innatum ſine vllo actu ſecundo tendere in bonum, & perfectionem, quam appetit; ſed immediatè ſe ipſo appetere, quod ſibi eſt conueniens. Quare in eo non datur diſtinctio actus primi, & ſecundi: quę eſt cõmunis doctrina Nouiorum, ita Suarius vbi ſupra, *Molina 1.p.q.12.art.1.diſp.2.in princ. Cumelius ibidem q.2. §. Quarto aduertendum pag.219.col.1. ex antiquioribus Scotus in 4.diſt.49.q.10. §. Reſpondeo, & inferius lit.G.§. Ad primum argumentũ principalé, vbi etiã Maior q.6. & Paludan. q.7. & ſatis Gabriel in 3.diſtin.15.q.vnica art.1.* vbi expreſſe ait appetitũ naturalẽ nullũ habere actum circa rem appetendã, multis id cõfirmat *Durand. in 4.diſt.49.q.8.nu.7. Baſſol. ibidem q.6. artic.1. §. Tertio diſtinguitur.* Ad cuius confirmationem, præter ea, quæ à doctoribus afferuntur, ſatis ſit, quod in nobis nullũ huius appetit⁹ innati actũ experimur. ¶ Quare nõ ſunt audiendi *Ochamus quodlib.3, q.19. & Gabriel in 3.diſtin.25.q.1.dub.3.* quatenus in appetitu innato inpotẽtijs reperto admittunt quendã actum, quem appellant niſum, & conatũ: ſed licet forte iſte admittendus ſit in grauitate, nõ proinde admittendus eſt in alijs potentijs in ordine ad ſuas perfectiones; nec enim hũc conatũ in nobis experimur: & licet illũ experiamur in grauitate; ille tamen nõ eſt actus ipſius grauitatis, vt eſt appetitus, ſed vt

Non habẽt actum 2.

Molina. Cumelius. Scotus. Maior. Palud. Durand.

Baſſol.

20. Reijcitur Ochamus. Gabrielétiã

eſt potentia ad deſcenſum, ſed de his plura dicere non eſt huius loci.

Poſtremo ſtatuimus cum communi ſententia appetitum innatum reperiri in omnibus rebus, & in omnibus potentijs, tam paſsiuis, quàm actiuis. Hæc doctrina vno, vel altero dempto eſt communis: eam expreſſe ſcribit *D. Thomas 1. Ethicor. lectio 1. & 1.p.q.80.articul.1.ad 3. probant Scotus in 4.diſt.49.q.10. loco citato, Maior ibidem q.6. tanquam certiſsimum ſupponũt Nouiores. ſ. Fonſeca in 1. Metaph.cap.1.q.1. ſect.3. & Suarius in Metaph. loco citato, vt alios omittamus.* Quare appetitus innatus, & naturalis ineſt in omnibus rebus ratione carentibus; vt in materia in ordine ad formam; & in terra in ordine ad locum infimum. Reperitur etiam in omnibus potentijs cognoſcentibu, & non cognoſcentibus; & ex conſequenti ineſt in omnibus potentijs animæ, etiam in intellectu. & voluntate in ordine ad propriam cuiuſque perfectionem: quod in terminis docuit *Diuus Thomas de Veritate quæſt. 22.art.3.ad quintum, Scotus in 1. Metaph. q.1. Baſſol. in 4.diſt.49.q.6. vbi etiã Durãd. q.8.nu.8. & plerique alij*: nam cũ vna quęq; res ordinata ſit ad aliquod bonũ perfectio nẽque ſibi cõnenientẽ, vna quæq; habet naturalẽ appetitũ ad illũ. ¶ Hanc opinionẽ vnus Henricus nõ recipit *in ſũma ar.4. q.3. ad 4.* vbi docet appetitũ naturalem in nulla potentia reperiri, niſi in ſola voluntate. Quã ſententiã, tanquã minus philoſophicã reijcimus: maximè cũ ipſe Henricus veluti ſui oblitus appetitũ naturalẽ admittat in plantis *Quodlib.4.q.11.*

21. Reperitur in omnibus

D. Thom. Scotus. Maior. Fonſeca. Suar.

D. Thom. Scotus. Baſſol. Durand.

Henric. non recipitur.

Ex dictis infertur appetitũ innatũ nõ ſolũ reperiri in potentia paſsiua, ſed etiã in actiua, cõtra Durandũ in d. q.8. nu. 8. nã cum in vtraq; potentia detur propria perfectio connaturalis; vtraq; habebit appetitũ innatũ ad perfectionẽ ſibi propriã: nã cum naturaliter cõueniat vtriq; neutrã indigebit cognitione, vt in illam feratur. Appetitus autẽ innatus in potentia paſsiua nihil erit aliud, quã naturalis capacitas, vt propenſa ad in ſe recipiendã ſuam formã, & perfectionẽ: in potentia verò actiua erit ipſa facultas, vt propenſa eſt, tum ad producendũ actum ſibi proprium; tũ ad attingendum obiectum ſibi cõueniẽs; & hæc de appetitu innato.

22. Reperitur in potentia actiua & paſſiua.

De appetitu elicito.

¶ De

23. De appetitu elicito. ¶ De appetitu elicito, quia parum habet difficultatis, pauca dicemus. Appetitus igitur elicitus (ſiue potius elicitiuus) eſt, qui per actū à ſe elicitū tendit in propriū bonum, præuia tamen illius cognitione, in quo omnes cōueniunt. Inde infertur appetitū elicitū eſſe potentiam vitalem apprehenſiuam boni, & perfectionis, quam appetit. Cùm verò duplex ſit cognitio, vna ſenſitiua, altera intellectiua, duplex etiā erit appetitus elicitus: vnus ſenſitiuus alter intellectiuus; qui dicitur voluntas. Inde inferes appetitū elicitū eſſe in ſolis rebus congnoſcentibus: eo enim res cognitionis participes præuia aliqua cognitione ſua feruntur in bonū formaliter, & vt eſt bonū atque conueniens. Inde etiā inferes appetitum elicitū verè, & propriè eſſe appetitū; quia verè fertur in bonum ſub ratione boni, quæ eſt propria ratio appetitus.

24. Diuiſio illius. Diuiditur appetitus inſēſitiuū, qui cōſequitur ad cognitionē ſenſitiuam: & intellectiuū, ſi conſequatur cognitionē intellectiuā. ¶ Deinde diuiditur in appetitum omnino liberū: omnino neceſſariū: & partim liberum, partim neceſſarium. Dicitur omnino liber; quia liber eſt quoad ſpecificationē, & quoad exercitium. Dicitur neceſſariꝰ omnino, qui & quoad ſpeciē, & quoad exercitiū eſt neceſſarius: erit autē partim liber, & partim neceſſarius, qui neceſſariꝰ eſt quoad ſpeciē; liber autem quoad exercitiū de hac diuiſiōne vide Fonſecam 1. Met. c. 1. q. 1. ſect. 4.

ARTICVLVS III.

Vtrum in nobis detur appetitus naturalis. elicitus ad ſupernaturalem beatitudinem?

1. IN hac quæſtione ſolùm agimus de appetitu naturali elicito reſpectu beatitudinis ſupernaturalis, qualis eſt viſio diuinæ eſſentiæ: nam de appetitu ad beatitudinem naturalem ibi egimus,

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

2. 1. Opinio. DE appetitu igitur naturali, & elicito in ordine ad beatitudinē ſupernaturalem variæ ſunt Theologorū opiniones. Prima abſolutè docet dari talē appetitum ſecundùm cōmunem rationē beatitudinis. quatenus. ſci. beatitudo eſt quoddam bonū ſummè perfectum: nullū tamen dari ad beatitudinem ſecundum particularem rationem rei, quæ eſt beatitudo: & ſubinde non dari appetitum naturalem elicitum reſpectu viſionis beatæ. Hanc opinionem in his terminis ſcribit *D. Thomas 1.2.q.5.art.8. eam repetit q.10. art.1. & 2. & de veritate q.22. art.7. & ſatis in 4. diſt. 49. q.1. art.3. q.1. in corp. & ad* 2. Eandem reſolutionem nulla facta diſtinctione probarunt *Capreolus in 4. diſtin. 49. art. 1. concl. 1. & artic.* 3. *ad argumenta Scoti, & Durandi contra primam. Hiſpalenſis ibidem q.3. art.1. concl.1. & art.4. ad argumenta eorundum, Sotus in eodem loco q.2. art.2. concl.2. pag.575. col.2. & concluſ. 4. pag.578. colu.1. & 2. Soncinas ibidem q.3. Medina 1.2. q.5. art.8. concl.1. & 2. vbi Cōrad. cum plæriſque aliis.* D. Thom. Capreolus. Hiſpal. Sotus. Medina.

Secunda opinio huic ex diametro opponitur, docetque nullum dari appetitū elicitum naturalem circa ſupernaturalem beatitudinem, tàm in communi, quàm in particulari ſumptam: ſed omnem appetitum elicitum circa beatitudinem vno, vel altero modo acceptam eſſe liberum: ita ſimpliciter docet *Scotus in 4. diſt. 49. q. 10. art. 2. in principio*: quam ſententiam intelligit de naturali appetitu prout eſt inclinatio naturalis ad beatitudinem; non verò de naturali, prout naturale idem eſt, quod conforme inclinationi naturali, vt explicat *ibidem litera E. §. Sed eſt ne actus ille*, quod enim eſt liberū poteſt iſto modo dici naturale: quare apud Scotum appetitus elicitus erga ſupernaturalē beatitudinē, vel in cōmuni, vel in particulari ſumptam nunquam poteſt eſſe appetitus naturalis, prout appetitus naturalis ſumitur pro inclinatione naturali: hi enim duo appetitus opponuntur; quia vnus habet actum elicitum, alter verò nullū, ſed (vt ait) neceſſario eſt liber ſaltē quoad exercitium, quod annotādum eſt pro intelligenda mente Scoti: cum eo conſentiunt *Baſſol. in 4. diſt. 49. q. 5. ar. 2, & Mayronius in 1. diſt. 1. q. 7.* 3. 2. Opinio. Scotus. Baſſolius. Mayron.

Tertia opinio eſt media diſtinguens de appetitu elicito, in via, & in Patria. Si ſermo ſit de appetitu elicito in Patria erga Deum viſum, talis appetitus eſt naturalis, & neceſſarius. Si verò ſit ſermo de 3. Opinio.

de appetitu in via elicito circa beatitudinē: diſtinguendū eſt de appetitu efficaci, & inefficaci, qui dicitur velleitas, & ab alijs appellatur appetitus conditionatus. Priori modo nullus datur appetitus elicitus naturalis ad beatitudinem, etiam ſecundum rationem communem beatitudinis; & à fortiori non dabitur ad beatitudinem in particulari: poſteriori autem modo admittendus eſt talis appetitus, ſiue ſecundum rationem communem beatitudinis, ſiue ſecundum particularē: Ita *Durand. in 4. d. 49. q. 8. n. 16. 17. & 18.* *Durand.*

5. 4. Opinio. Quarta opinio etiam media diſtinguit de appetitu abſolutè ſumpto, vel de eleuato ad aliquem ſtatum, ſecundum quem ad beatitudinem ordinetur. Priori modo datur appetitus naturalis ad beatitudinem in communi: non tamen in particulari: ſecus ſi appetitus ſumatur modo poſteriori. Ita *Caieta. 1. p. q. 12. art. primo ante finem §. Ad euidentiam horum, & ſatis q. 82. art. 1. §. Rurſus ſcito.* *Caietan.*

6. 5. Opiniō. Quinta opinio etiam tenet medium locum; quoniam admittit dari appetitū elicitum naturalem in ordine ad beatitudinem ſecundum rationem communem beatitudinis: de appetitu verò ad particularem rationē beatitudinis diſtinctione vtitur: quoniam, vel ſermo eſt de appetitu viſionis Dei, vt eſt prima cauſa: vel vt eſt ſummum bonum, & obiectum beatificum: ſecundum priorem conſiderationem, admittit appetitum elicitum naturalem viſionis Dei, vt eſt prima cauſa: illum tamen negat ſecundum conſiderationem poſteriorem, id eſt, in ordine ad viſionem, vt terminatur ad Deum, vt eſt beatificum obiectum: ita *Ferrarienſis 3. contra gent. cap. 51. §. Propter quod videtur.* *Ferrar.* Has opiniones collegi ex noſtris Theologis, apud quos quæſtio iſta non ſatis diſtinctè explicatur.

§. 2.

Præmittuntur nonnulla.

7. Præmiſſū. HAnc difficultatem facilè explicabimus, ſi pro tollenda confuſione nonnulla præmittamus. Primo loco præmittimus multis modis aliquid dicipoſſe naturale: & quod attinet ad præſens inſtitutum aliquid dici poteſt naturale, quia ſecundum ſuam entitatem eſt ordinis naturæ: quomodo naturale diſtinguitur à ſupernaturali. Appetitus igitur elicitus in hoc ſenſu naturalis dicetur, ſi in ſua entitate fuerit ordinis inferioris, (qui dicitur ordo naturæ) non vero ſupernaturalis. Et hoc modo ſenſus quæſtionis erit: an detur aliquis appetitus ſecundū ſuam entitatē ordinis naturæ, quo beatitudinē ſupernaturalem appetamus.

8. Naturale 2. modo. Secundo modo dicitur naturale, quod actione agentis naturalis, viribuſq; naturę fieri poteſt: vnde potētia, ſiue actiua, ſiue paſſiua dicetur naturalis, ſi per vires naturalis agentis poteſt ad actū reduci: in quo ſenſu naturale diſtinguitur ab obedientiali, quod reſpicit actiuitatem agentis ſupernaturalis. Senſus igitur erit, an detur appetitus ad beatitudinem ſupernaturalē, qui per vires alicuius naturalis agentis poſsit reduci ad actum.

9. Naturale 3. modo. Tertio modo naturale dicitur id, quod eſt à principijs intrinſecis naturæ, id eſt; quidditatis, & eſſētiæ: in quo ſenſu homo naturaliter eſt intellectiuus, riſibilis, mortalis, & cæ. & in eodem ſenſu naturale eſt intellectui intelligere: voluntati velle; viſui videre: & hæc naturalitatis ratio etiā reperitur in ſupernaturalibus: etenim lumini gloriæ naturale eſt influere in viſionem beatā: illuminare rationes intelligibiles diuinę eſſentię, vt beato obiectiuè appareāt: ſimili modo naturale eſt intellectui lumine gloriæ eleuato videre diuinā eſſentiam: & voluntati per charitatē ſupernaturaliter amare Deum. In hoc ſenſu noſtra quæſtio ita explicabitur; vtrū detur in nobis appetitus viſionis beatæ, qui à principijs naturæ humanæ oriatur? ita vt voluntati noſtræ connaturale ſit appetere beatitudinem ſupernaturalem.

10. Naturale 4. modo. Quarto modo aliquid dicitur naturale, quia à natura eſt determinatum ad vnū, & ſubinde neceſſarium: & hoc modo naturale diſtinguitur à libero. Senſus igitur erit; vtrū detur in nobis appetitus elicitus, qui naturaliter id eſt, neceſſariò feratur in beatitudinē ſupernaturalē? Cum verò neceſsitas iſta ſit duplex: vna quoad exercitiū; quia voluntas non poteſt non velle: altera quoad ſpecificationem, quia ſi debet exire in actū non poteſt non velle. Senſus igitur erit: an detur in nobis appetitus beatitudinis, ita naturalis, vt ſit neceſſarius, aut quoad exercitium, aut quoad ſpecificationem.

Secundo

11. 2. præmiſſ. *D. Thom.*

Secundò præmittendum eſt cum *D. Thoma 1.2.q.5.ar.8. & paſsim alibi* beatitudinem conſiderari poſſe vel ſecundum communem rationem beatitudinis, quæ poſita eſt in ratione boni ſummè perfecti, vel ſecundum ſpecialem rationem illius rei, in qua ponitur beatitudo. Hæc diſtinctio quamuis ab omnibus communiter recipiatur, niſi bene explicetur parere poteſt deceptionem. Aduertendum ergo hanc propoſitionem *Beatitudo ſupernaturalis poteſt conſiderari ſecundum cõmunem rationem beatitudinis* duobus modis intelligi poſſe: vno modo vt beatitudo ſumatur pro beatitudine vniuerſali, prout abſtrahit à quacunque ſingulari, & indiuidua: quomodo illi primo, & per ſe conuenit ratio beatitudinis, quæ poſita eſt in ratione boni ſummè perfecti: ſicut etiam homini ab indiuiduis abſtracto, & in ſuppoſitione ſimplici conſiderato per ſe primò conuenit communis ratio hominis, ſcilicet eſſe animal rationale. Altero modo poteſt illa propoſitio intelligi, vt beatitudo ibi non ſumatur pro beatitudine in abſtracto, & vniuerſali, ſed pro beatitudine ſingulari, ſumpta tamen indeterminatè pro re, quæ à parte rei eſt beatitudo; abſtrahendo quidem à quacunque re, quæ eſt beatitudo abſtractione determinata; non tamen indeterminata, & confuſa: licet enim nullam ſingularem determinatè dicat, indeterminatè tamen & confuſè aliquam denotat. Intereſt autem inter vnam & alteram explicationem: nam ſecundum priorem, beatitudo non poteſt cadere ſub appetitu, quia bonum abſtractum ab omni bono particulari appeti non poteſt, vt benè aduertit *Capreolus in d.q.10.art.3. ad 4. Scoti fol. 198.col.4 & ſatis docet D.Thomas in 4. diſt.49.q.1.art.3 q.3:* etenim ex Ariſtotele in 6.Metaph.cap.2.tex.8, obiectum voluntatis eſt in rebus: & inde eſt, vt materia non appetat formam abſtractam ab omni forma: cum enim vt ſic ſolum ſit in mente, non poteſt ipſam materiam actuare, ſed prout eſt in aliqua forma ſingulari. At verò ſecundum poſteriorem conſiderationem poteſt cadere ſub appetitũ, quia appetitus poteſt actu appetere id, quod ſibi proponitur ſub ratione boni, licet nullum bonum determinatè proponatur, ſed indeterminatè: ſicut etiam materia ſumpta ſecundum ſe, licet nullã ſingularem formam determinatam appetat; appetit tamen aliquam indeterminatè: & idem dicendum eſt de appetitu ſcientiæ, qui in intellectu reperitur: etenim cum quodlibet ſingulare ſumptum determinatè participet communem rationem boni, eandem participat bonum ſingulare ſumptum indeterminatè. Quare appetitus elicitus hoc habet ſpeciale, quod in actu exercito non ſolum poteſt ferri in hoc determinatum bonum ab intellectu ſibi propoſitum, ſed etiam in bonum quodlibet indeterminatè ſumptũ; quia vtrumque participat communem boni rationem, ſub qua appetitus fertur in bonum.

(Margin: Duobus modis intelligitur beatitudo ſecũdum communem rationem. — 12. 2. ſenſus. — 13. Diſcrimen inter vtrũque ſenſum. — *Capreol.* *D. Thom.* — 14.)

15. His igitur præmiſsis agemus de appetitu naturali elicito tùm ſecundum rationem communem beatitudinis ſupernaturalis; tùm ſecundum particularem rationem huius determinatæ beatitudinis, quæ eſt viſio diuinæ eſſentiæ. Et primo agemus de appetitu beatitudinis ſecundum rationem communem: deinde ſecundum rationem ſpecialem viſionis beatæ.

§. 3.

De appetitu naturali elicito ſupernaturalis beatitudinis ſecundum communem beatitudinis rationem.

16. 1. concluſ.

QVod attinet ad appetitum elicitũ beatitudinis ſecundum communem beatitudinis rationem: ſit prima concluſio: *Admittendus eſt in nobis appetitus elicitus beatitudinis ſecundum cõmunem beatitudinis rationem, qui ſit naturalis ſecundum ſuam entitatem, non verò ſupernaturalis.* Hæc concluſio in ſenſu explicato eſt ab omnibus recepta, ita *Diuus Thomas 1.2.q.5.art.8. & q.3.art.8. & 1. p.q.12, ar.1. & mille alijs in locis*, in quibus agit de appetitu elicito ordinis naturalis, ſequitur *Capreolus, cum cæteris, quos pro prima opinione citauimus. Adde D. Bonauenturam in 2.diſt.22.dub.3. & diſt.38. art.1.q.2. Richardum in 4.diſt.49. art.2. q.1. Valentiam 2.tom.q.5.punct.1. Bellomõtanum 1.p.diſp.22. cap.4. Suarium in Metaph.diſp.30.ſect.11.n.37. Salam 1.tom. 1.2 tract.2.diſp.12.ſect.3.n.21. §. Ego tamen dico primo, pag.518.col.1.* & ni fallor, in his terminis nullum habet impugnatorem.

(Margin: *D. Thom.* *Capreol.* *D. Bonau.* *Richard.* *Valentia.* *Bellom.* *Suar.* *Salas.*)

17. Confirmatur. torem. Hæc aſſertio ex eo efficaciter demonſtratur; quoniam cum appetitus ſequatur cognitionem, vt eſt communis doctrina, de qua *D.Thomas* 1.2.*q*.40. *art*. 3.*& de Veritate q*.15.*art*.3. vtique appetitus (D.Thom.) ille ſecundum ſuam entitatem erit ordinis naturalis, qui conſequitur cognitionem naturalis ordinis: ſed appetitus beatitudinis ſecundum communem rationem ſequitur cognitionẽ ordinis naturalis; nimirum illam, quæ habetur lumine naturali. Ergo talis appetitus ſecũdum ſuam entitatem erit ordinis naturalis. Antecedens notum eſt ſimul cum cõſequentia; minor vero ex eo patet; quia prima principia ſunt nobis indita à natura, vt docet communis Philoſophia, de qua *D.Thomas in* 4.*diſt*.49.*q*.1.*art*.3.*q*.2. ſed inter prima principia hoc vnum eſt principale, *bonum eſt appetendum, beatitudo eſt deſideranda*, quæ fuit minor. Patet igitur principalis concluſio: ſcilicet appetitum ad beatitudinem ſub communi ratione beatitudinis, bonique ſummè perfecti ſecundum ſuam entitatem eſſe ordinis naturalis, prout naturale diſtinguitur contra ſupernaturale.

18. 2. concl. Secunda concluſio: *Admittendus eſt in nobis appetitus elicitus beatitudinis ſecundum rationem communem, qui non ſolùm ſit naturalis ſecundum ſuam entitatem; ſed etiã qui ſit naturalis ſecundo modo, id eſt, qui per vires naturæ, & actione agentis naturalis poſsit ad actum appetendi reduci*. Concluſio licet in his terminis à nullo ponatur; eſt tamen veriſsima, & ſatis demonſtratur ex fundamento primæ aſſertionis: nam cum appetitus cognitionem ſequatur: & lumine naturali intellectus agentis cognoſcamus non ſolûm appetendum eſſe bonum, ſed ſummè appetendum quod eſt ſummum bonum, & noſtra beatitudo, vtique poteſt appetitus beatitudinis ad actum reduci per naturalia principia ipſius appetitus.

19. Tertia conclusio. Tertia concluſio: *Appetitus elicitus ad beatitudinem in communi eſt etiam naturalis tertio modo; prout ſcilicet dicitur naturale, quod eſt ex principijs naturæ*. Iſta etiam propoſitio non poteſt non admitti; quoniam voluntas ex principijs intrinſecis ſuæ naturæ habet appetere ſuum bonũ, ſuamque felicitatem ſecundum communem rationem felicitatis: id enim habet tùm ex natura ipſius voluntatis, quæ ex ſua natura fertur in bonum, vt bonum eſt; tùm ex natura intellectus, cui prima principia tâm in ſpeculatiuis, quàm in practicis ſunt indita à natura, vt diximꝰ.

Quarta & vltima concluſio: *Appetitus elicitus beatitudinis in communi eſt naturalis, prout naturale diſtinguitur à libero; non quidem naturalitate quoad exercitium actus, ſed quoad ſpecificationem illius*. Hæc concluſio omnibus eſt certa, ſi res diligentiùs expendatur: in terminis ponitur *à Caietano* 1.*p*.*q*.82.*ar*.1. §.*Rurſus ſcito*, *& inferius* §.*Aduerte ſecundo*, *& à Soto in* 4.*diſt*. 49.*q*.2.*ar*.1.*concl*.3.*pag*.576.*col*.1. *Valẽtia* 2.*tom*. *q*.5.*punct*. 1. §.*Loquendo verò*, *p*.100. *A.Sala* 1.*to*. *ad* 1.2.*tract*.2.*diſp*.12. *ſect*. 3. §.2.*dico*, *pag*.520.*col*.2. Cui opinioni non contradicit *Scotus in* 4. *diſt*.49. *q*.10. quin potius eam probat, ſi expendantur, quæ ſcribit litera E. §. *Reſpondeo quod nec neceſſario*, vbi ita ſcribit: *ſicut poſſum non elicere nolle circa malum; & non elicere velle circa bonum. tamen ſi elicio circa malum, non alium poſſum elicere, niſi nolitionem: ſi vero debeo elicere circa bonum, non poſſum elicere, niſi volitionem*. Quæ verba ſatis expreſſè declarant voluntatẽ circa beatitudinem in communi (de hac enim agebat) quoad exercitium quidem eſſe liberam; quia poteſt ſuſpendere actũ volitionis, & negatiuè ſe habere: quoad ſpecificationem verò eſſe neceſſariam; quia ſi debet in illam ferri, non poteſt in illam ferri nolendo, ſed volendo, vnde Caietanus vbi ſuprà docet Scotum nobiſcum conſentire. Denique eſt receptiſsima inter recentiores: nec vidi aliquẽ, qui in terminis oppoſitum doceat: nam Henricus, qui à Soto, & ab alijs in contrarium citatur quodlib. 7. q. 7. nullum hac de re verbum facit: quod verò ſcribit quodlib. 4. q. 11. vbi affirmat appetitum elicitum eſſe neceſſarium, explicari poteſt de neceſsitate quoad ſpecificationẽ. Durandus autem communiter citatur pro nobis in 4.diſt.49. q.8. ſed ſi benè expẽdatur n.17. & 18. potiùs nobis contradicit, dùm negat appetitum neceſſariò velle beatitudinem etiam in communi, ſi ſermo ſit de appetitu efficaci; ſecus de inefficaci, & imperfecto, qui per velleitatẽ explicatur; & hunc nõ ſemper dari actu, ſed ſolum habitu; in quo nobis cõtradicit, qui

20. 4. concl.

Caiet. Sotus. Valentia. Salas.

Non contradicit Scotus.

Henricus nihil contra nos.

Durandus potius nobis contradicit.

qui circa beatitudinem in communi non admittimus actum elicitum velleitatis, ſed efficacem, & hunc ponimus eſſe ne-
21. ceſſarium, non quoad exercitium, ſed quoad ſpeciem. ¶ Sed quicquid ſit de Henrico, & Durando noſtra concluſio tenenda eſt. Quæ primò confirmatur ex Auguſtino 13. de Trinit. c. 3. vbi multis oſtendit nullum eſſe, qui appetitum beatitudinis, vt eſt quoddam ſummum bonum, in ſua non agnoſcat voluntate: ita enim ait: *Nullus eſt, qui appetitum hunc beatitudinis in ſua non agnoſcat voluntate: quicquid enim aliud quiſquam latenter velit ab hac voluntate, quæ omnibus nota eſt, non recedit.* Quæ verba de appetitu elicito intelliguntur, & de appetitu beatitudinis in communi, hæc enim ſola eſt omnibus nota. In capite etiam quinto eiuſdem lib. ita ſcribit: *Verum eſt quod omnes homines beati eſſe velint, idque vnum ardentiſsimo amore appetant*: & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. affirmat *omnes homines naturali inſtinctu beatos eſſe velle*, id eſt, ab ipſa natura habere, quod velint eſſe beati.

Probatur ex Auguſt.

22. Probatur ratione.

Sed ratione ita demonſtratur: quoniã appetitus non poteſt nolle beatitudinem ſub communi ratione ſibi præſentatam. Ergo ſi debet in actum exire, non poteſt eam nolle, ſed velle. Ergo appetitus quoad beatitudinem in communi non eſt liber, ſed neceſſarius quoad ſpeciem. Antecedens primi diſcurſus ita oſtenditur: quoniam appetitus non poteſt velle malum ſub ratione mali, vt ait Seneca lib. 4. de beneficentia cap. 17. *Nequitia odio, & pudori eſt: nec quiſquam tantum à naturali lege deſciuit, & hominem exuit, vt mali cauſa malus ſit.* Quare ex Seneca contra naturam eſt malum ſub ratione mali non odire, ſed amare: quæ eſt communis Philoſophia, de qua diximus 1. *tom. lib.* 1. *q.* 10. *ar.* 6. §. 2. *n.* 4. *& ſatis eam probat Dionyſius de diuin. nomin. c.* 4. *dùm ait, nemo pro poſito malo facit, quod facit*: etenim nihil amatur, niſi bonum, ſub ratione boni, vt explicat *Ariſtoteles* 8. *Ethic. cap.* 5. *tex.* 23. *&* 3. *Ethic. c.* 4: *tex.* 23. *& docet Anſelmus de concord. libri arbitr. & prædeſt. & Damaſcen.* 2. *de fide c.* 22. *vnde Aug.* 2. *Confeſſ. c.* 4. *& in Enchyrid. c.* 80. *cum Boetio lib.* 4. *de conſol. proſ.* 2. *Miſeri non ſolum eſſe volumus, ſed nec velle poſſumus.* Ex quibus patet appetitum non poſſe velle malum ſub ratione mali, ſed neceſſario illud nolle: eadem igitur ratione appetitus non poterit nolle beatitudinem ſub ratione beatitudinis: quæ conſequentia à fortiori eſt nota: quoniam apud Philoſophos antiquiſsima eſt Philoſophia, quod bonum omnia appetunt, 1. Ethic. cap. 1. natura etiam ſicut maximè fugit malum, ita maximè ſectatur bonum 8. Ethic. c. 5. text. 21. & ex Auguſt. omnes naturaliter ita volumus eſſe beati, vt non poſsimus id nolle. Quare veriſsimum eſt noſtri diſcurſus antecedens. Conſequentia verò eſt per ſe nota: quoniam appetitus, ſi in actum debet exire, aut exit volendo obiectum, aut nollendo. Quare ſi nõ poteſt nolle beatitudinem in communi, vt oſtẽſum eſt; vtique illam volet: quo ſuppoſito vltima cõſequentia eſt nota: ſiquidem appetitus non poteſt in beatitudinem in communi ferri, niſi volendo.

Seneca.

Dionyſius

Ariſt. Anſelm. Damaſc. Auguſt. Boetius.

§. 4.

De appetitu elicito in ordine ad viſionem beatam.

Conſequenter agendum eſt de appetitu naturali elicito in ordine ad beatitudinem in particulari, qualis eſt viſio diuinæ eſſentiæ, de qua doctores non ſolùm variè, ſed confuſè loquuntur: etenim *D. Thomas* 1. 2. *q.* 5. *art.* 8. negare videtur dari in nobis naturalem appetitũ erga beatitudinem in particulari: oppoſitum tamen videtur docere ibidem art. 1. dùm in nobis admittit capacitatem ad viſionem diuinæ eſſentiæ, & voluntatem eam appetere; vbi agit de appetitu conſequente apprehenſionẽ intellectus. Clariùs id ſcribit 1. *p. q.* 12. *art.* 1. vbi ex eo, quod in nobis ineſt naturale deſiderium videndi cauſam effectuum, quos nouimus, concludit nos poſſe Deum videre: vnde Thomiſtæ varij ſunt: nam *Caietanus* 1. *p. q.* 12. *ar.* 1. §. *Ad euidentiam horum, & q.* 82 *ar.* 1. §. *Rurſus ſcito*, diſtinguit de appetitu nude & abſolute ſumpto; & de eodem eleuato, & ordinato ad viſionem, ſuppoſitaque reuelatione effectuum gratiæ, & gloriæ. Priori modo negat dari in nobis naturalem appetitũ ad claram Dei viſionem: illum tamen admittit poſteriori modo. Alij diſtinguunt de viſione Dei, vt eſt prima cauſa; & vt eſt obiectũ beati-

23. De appetitu elicito.

D. Thom.

Thomiſtæ variant. Opinio Caietani.

Opinio Ferrarienſ.

beatificum, voluntque dari in nobis naturale deſiderium ad viſionem clarã Dei, vt eſt prima cauſa; non tamen vt eſt obiectum beatificum: ita *Ferrarienſis* 3.*contra gentes c.*51.§.*Propter quod videtur nobis.*

Opinio Scoti. Huic tamen opinioni, quocunque modo illa exponatur, ſe ſe opponit Scotus abſolutè negans dari in nobis appetitum naturalem ad beatitudinem in particulari; ſed in ordine ad eam appetitum ſemper eſſe liberum: ita *in* 4.*diſt.*49. *q.*10 *ar.*2. *in principio, & inferiùs litera E*: conſentiunt

Baſſolius. *Baſſolius ibidẽ q.*5.*art.*2.*& Mayronius in* 1.*diſt.*1.*q.*7: quam ſententiam, ſi

Mayron. intelligatur de appetitu neceſſario quoad ſpecificationem (quomodo intelligitur à Scoto) probant

Valentia. *Valentia* 2,*tom.q.*5.*punct.*1.§.*Loquendo autem,pag.*100.*C.& Bellemont.*1.*p.diſp.*22.*c.*5.*&*

Salas. *Salas* 1.*tom.ad* 1.2.*tract.*2.*diſp.*12.*ſect.*3.§.*Dico tertio, pag.*521.*col.*1. Non deſunt, qui hanc opinio-

Aliorum opinio. nem probent, ſi ſermo ſit de appetitu elicito imperfecto, & improportionato; ſecus de efficaci, & abſoluto. Ita *Durandus*

Durand. *in* 4. *diſt.* 49. *q.*8. *n.*17. *&* 18. (quidquid nonnulli oppoſitum illi imponant) & hoc fuit iudicium *Suarij in Metaph. diſp.*

Suar. 30.*ſect.*11. *n.* 37. *& latiùs in commentarijs ad* 1.2:*q.*5. *art.* 8. *q.*3. *fortè conſentit Na-*

Nauarret. *uarrete* 1.*tom. controuerſ.*33, §.3. *concl.* 3. *fol.*191. *col.* 3. vbi ſecundam partem expreſſè probat; de prima nihil dicit, forte non contradicet.

24. 1. præmiſſ. Pro vera reſolutione præmittimus hoc loco ſermonem eſſe de appetitu in hoc ſenſu naturali, quia entitatiuè eſt ordinis naturalis, & prout naturale diſtinguitur à ſupernaturali: & inquirimus vtrum ſecundum actum elicitum talis appetitus detur in nobis erga viſionem beatam? Præmittimus ſecundò de hoc appetitu

Secundum. dupliciter agi poſſe; vno modo abſolutè, & prout naturæ ſuæ relinquitur, quomodo nullam poteſt habere cognitionẽ viſionis beatæ, quoniam homo viribus naturæ cognoſcere non poteſt ſe eſſe capacem diuinæ viſionis. Altero modo; prout ille ipſe aliquo modo eleuatur, vt cognoſcat noſtram beatitudinem poſitã eſſe in viſione Dei, quocunque modo id cognoſcat. Pręmittendum tertiò, vel ſer-

T[illegible] monem eſſe de appetitu relicto ſuis viribus naturalibus, vel adiuto gratiæ auxi-

Vltimum. lio. Poſtremo præmittimus quæſtionem intelligi poſſe, vel de actu elicito efficaci, & perfecto, per quem voluntas efficaciter intendat conſequi claram Dei viſionem, vel de actu inefficaci, & imperfecto, qui eſt ſimplex quædam complacentia ſiue velleitas, & quidam actus cõditionatus, vt qui includat virtualẽ quandam conditionem, ſi talis viſio ſine labore haberi poſſet. 25.

His ita ſuppoſitis ſit prima concluſio: *Dubitari non poteſt dari in nobis appetitum naturalem ſecundum entitatem, qui per auxilium gratiæ poſsit actu elicito efficaciter appetere viſionem diuinæ eſſentiæ.* Hæc 1. concluſ.

propoſitio eſt de fide; quia de fide eſt nos gratia diuina adiutos poſſe videre diuinã *D. Thom.*

eſſentiam, vt omnes docent cum *D. Thoma* 1.*p.q.*12.*ar.*1.*&* 1.2.*q.*5.*ar.*1: etenim

1. Ioannes 3. dicitur, *Videbimus eum, ſicuti* *1. Ioan.* 3.

eſt, & Matthæi 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, eſt etiam de fide *Matt.* 15.

intellectum fide illuminatum apprehendere hanc diuinæ viſionis poſsibilitatem (expectamus enim vitam æternam:) ſed quodcunque bonum à nobis ſupernaturaliter cognitum poteſt voluntas appetere, ſi ſupernaturaliter adiuuetur, vt patet. Ergo datur in nobis appetitus, qui auxilio gratiæ adiutus efficaciter appetat claram Dei viſionem. 26.

Secunda concluſio: *nec datur, nec dari poteſt in nobis appetitus elicitus ordinis naturalis naturaliter efficax ad vidẽdum Deũ.* 2. concl.

Hæc eſt de fide; quia de fide eſt Deum viribus naturæ non poſſe videri à nobis, vt omnes docent cum *D. Thoma* 1.*p.q.*12.*art.*4.*&* 1.2.*q.*5.*art.*5. Appetitus autem naturalis non datur ad id, quod viribus naturæ eſt impoſsibile. Deinde; quia appetitus efficax ad videndum Deum virtute includit voluntatem abſolutam [illegible] exequendi omnia media neceſſaria ad conſequendam Dei viſionem: ſed hanc voluntatem nõ poteſt homo habere ſuis viribus naturalibus, quia nec viribus naturæ habere poteſt efficacem voluntatẽ credendi, quæ ve[illegible] fides credit. Ergo nec poteſt habere actum elicitum naturalem ad videndũ Deum: nec *D. Thomas* 1.2. *q.* *D. Thom.*

5.*art.*1. agit de hoc voluntatis deſiderio, quando docuit intellectum poſſe comprehendere bonum vniuerſale, & perfectum, & voluntatem illud appetere: etenim ibidem agit de poſsibilitate videndi Deum

Deum, & appetendi illius viſionem abſtrahendo à poſsibilitate aut per vires gratiæ, aut per vires naturæ: vnde ar. 5. eiuſdem quæſtionis expreſſè docet hominē non poſſe viribus naturæ conſequi beatitudinem, quæ in clara Dei viſione ponitur.

27. Tertia conclu- Tertia concluſio: *Non eſt admittendus in nobis appetitus naturaliter elicitus ad viſionem claram Dei, vt eſt prima cauſa.* Hæc ſtatuitur cōtra Ferrarienſem loco citato.

Opinio Ferrarienſis. Aduertendum eſt igitur Ferrarienſem admittere in nobis naturale deſiderium videndi Deum in ſe ipſo, vt eſt prima cauſa: ita vt vi naturali deſideret videre Deum primam omnium cauſam; quanuis viribus naturæ, ad illius viſionem peruenire non poſsit: nec enim putat eſſe inconueniens admittere deſiderium naturaliter conſequens apprehenſionem alicuius boni, quod viribus naturæ conſequi non poſsimus: quanuis inconueniens ſit admittere naturale deſiderium alicuius boni conſequens naturalem formam, ſi tale bonum viribus naturæ conſequi non poſsimus. Et ad hunc modum conciliat D. Thomam dùm 1.2. q. 5. art. 8. negat dari appetitum naturalem ad beatitudinem particularem poſitam in clara viſione diuinæ eſſentiæ: quem tamen admittit in eadem q. 5. art. 1. & 1. p. q. 12. art. 1: quoniam in priori loco agit de viſione diuinæ eſſentiæ, vt eſt obiectum beatificum: in poſteriori verò de viſione eiuſdem, vt eſt prima rerum cauſa naturaliter cognoſcibilis.

28. Impugnatur. Hanc opinionem Ferrarienſis refert Nauarrete in d. controuerſ. 33. fol. 188. col. 4. in fine; quam tamen non impugnat, quanuis ex ijs, quæ ſcribit ſatis colligatur illum eam non recipere. Nos tamē contra eam hanc tertiam concluſionem ſtatuimus: quam etiam latè impugnauimus 2. *tom. lib.* 12. *q.* 2. *art.* 1. §. 2. *n.* 18. *&* 19. *cum ſequentibus*: vbi illam ex eo impugnauimus; quoniam ſupponit dari poſſe rationem ex lumine naturali petitam, qua efficaciter probetur poſsibilem eſſe viſionem diuinæ eſſentiæ præciſè, vt eſt prima cauſa, quod in eodem loco latè impugnauimus. Suppoſita autem illa opinione efficaciter conuincitur non dari in nobis appetitum naturalē, naturaleq; deſiderium viſionis diuinæ eſſentiæ, etiā vt eſt prima cauſa: nam deſiderium naturale ex ſua natura conſequitur cognitionem naturalem rei, quæ naturaliter appetitur. Quare ſi nulla poteſt dari ratio naturalis, qua cognoſcatur poſsibilitas viſionis intuitiuę Dei, vt eſt prima cauſa; vtique nec vllus dabitur appetitus naturalis, quo voluntas actu elicito tendat in claram viſionem Dei, vt eſt prima cauſa.

¶Nec vim huius argumenti elides, ſi pro Ferrarienſi reſpondeas nullam dari poſſe rationem naturalem, quæ oſtendat poſſibilem eſſe viſionem claram primæ cauſæ habendam aut viribus agentis naturalis, aut à Deo donandam, vt eſt author naturæ: dari tamen poſſe rationem naturalē, quæ oſtendat viſionē Dei, vt eſt prima cauſa, abſolutè eſſe poſsibilē; conſequēdam tamē per vires agentis ſupernaturalis: quod eſt fundamentum Ferrarienſis: non elides (inquam) vim argumenti: quoniam quæſtio inter Catholicos excitata de poſsibilitate viſionis Dei, vt eſt prima cauſa, non excitatur in eo ſenſu; vtrum naturaliter demonſtrari poſsit poſsibilitas viſionis Dei, vt eſt prima cauſa acquirenda aut viribus naturæ, aut donanda à Deo naturæ authore: etenim hæc quæſtio in hoc ſenſu ſolùm agitatur contra hæreticos, qui docebant viſionem ſupernaturalem diuinæ eſſentiæ, aut acquiri poſſe viribus naturæ, aut dono Dei authoris naturæ: contra vtrumq; errorem docet fides, quoniam nec natura ſuis viribus poteſt ad eam pertingere; nec Deus eam nobis confert, vt author naturæ, ſed vt author gratiæ, iuxta illud Pauli Roman. 6. *Gratia Dei vita æterna.* 29. Solutio. 30. Non recipitur.

31. Quare quęſtio illa in eo ſolùm ſenſu excitatur; vtrum ratione naturali conuinci valeat poſſe nos videre Deum per gratiā Dei authoris ſupernaturalis: & in hoc ſenſu vera ſententia habet id ratione naturali conuinci non poſſe; & hoc intelligit non ſolùm de viſione Dei, vt eſt obiectum beatificum; ſed etiam de viſione eius, vt eſt prima cauſa. De quo vide, quę diximus 2. *tom. lib.* 12. *q.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. *n.* 13. *& concl.* 2. *num.* 18. *vbi* §. 3. diſſoluimus omnia argumenta, quæ in contrarium adducuntur.

32. confirm. Secundò, eandem opinionem ex eo impugnamus, quoniam recepta Philoſophia abſolutè docet nullum dari poſſe deſiderium

ſiderium ſimpliciter naturale, quod aut viribus naturæ non poſsit impleri; aut ſaltem à Deo, prout eſt author naturæ. Hoc autem ex eo oſtenditur; quoniam ex eodem Ferrarienſi ideo appetitus cōſequens formam naturalem per ſe reſpicit id, quod virtute naturæ, & actione agentis naturalis, ſaltem Dei authoris naturæ, quia forma naturalis non inclinat ad id, quod virtutem naturæ excedit; ſed cognitio naturalis, etiam non inclinat ad id, quod excedit virtutem naturæ (inde enim eſt, quod ſolum finem naturalem reſpicit, & virtutem ſolius agentis naturalis: etenim per cognitionem naturalem nec poſſumus peruenire ad cognitionem Dei, vt eſt finis ſupernaturalis.) Ergo appetitus conſequens apprehenſionem alicuius naturalis boni per ſe etiam reſpiciet ſolum id, quod virtute naturæ fieri poteſt.

33. 6. confirm. Confirmatur; quoniam appetitus ille conſequens naturalem apprehenſionem, ſi non neceſſario reſpicit agens natutale, cuius actione ad actum reducatur, ſed poteſt reſpicere agens ſupernaturale: iam non eſt appetitus naturalis, ſed obedientialis: quia naturale, & obedientiale in appetitibus, & potentijs inter ſe ſolúm diſtinguuntur; quia naturale reſpicit naturale agens; obedientiale verò agens ſupernaturale, vt diximus 2.tom.lib.10. q. 3.art.4.§.2.n.40.& n.44. Nos autem in hac quæſtione agimus de appetitu naturali, vt diſtinguitur ab obedientiali: is autem intrinſece includit reſpectum ad agens naturale, cuius actione perueniat ad id, quod appetit.

34. 4. concl. Quarta concluſio: *Ad ſupernaturalem beatitudinem poſitam in Dei viſione dari poteſt appetitus elicitus naturalis inefficax, & imperfectus, atque improportionatus.* Hęc concluſio probatur Durando, Suario, & illis, quos in vltima opinione citauimus.

1. ratio. Probatur experientia: nam hæreticus habet hunc appetitum per ſolam cognitionem fidei humanæ: & eundem habebit gentilis, ſi de viſione Dei ab aliquo fidem prædicante audierit. Deinde, quia

35. Secunda. appetitus voluntatis inefficax poteſt dari circa impoſsibilia ex *Ariſtot. 1. magn. moral.c.1. & 3.Ethic.c.2.tex.16.* Tertiò, quia ſimplex & imperfectus iſte ap-

Ariſt.

3. ratio. petitus poteſt dari ſine intētione, & propoſito illius conſequendi, vt aduertimus *1.tom.lib.1.q.9.art.3.n.4.* Quartò; quoniam quicquid voluntas appetit appeti- 4. ratio.

tu innato, poteſt naturaliter appetere elicito, ſi adeſt cognitio boni, quod appetitu innato appetitur, ſaltem actu ſimplici, & inefficaci: appetitus enim elicitus ſequitur cognitionem. Sed ſolo lumine naturali ex aliquibus probabilibus rationibus, & coniecturis poſſumus naturaliter venire in aliqualem cognitionem de poſſibilitate viſionis beatæ, vt oſtendimus *2.tom.lib.12.q.2.art.1,§.2.concl.3.n.24.* Ergo poſſumus appetitu elicito naturaliter appetere viſionem beatam, ſaltem inefficaciter. Accedit quintò, quoniam

ex §.3. conſtat dari in nobis appetitum 36. elicitum, ad beatitudinem ſupernatura- 5. ratio.

lem in communi: ergo poſſumus appetitu elicito ſaltem imperfecto naturaliter ferri in beatitudinem particularem, ſi aliquo modo cognoſcatur, vt poſsibilis. Conſequentia probatur; quoniam ex appetitu beatitudinis in communi ſuo modo neceſsitatur appetitus, vt appetat beatitudinem particularem, quam vt veram cognoſcit: etenim in tali beatitudine nō poteſt non cognoſci cōmunis ratio beatitudinis: vnde ſicut intellectus cognoſcens hominem eſſe animal rationale, ſi cognoſcit Petrum eſſe hominem, non poteſt non cognoſcere illum eſſe animal rationale: ita voluntas, ſi naturaliter appetit beatitudinem in communi; nō poteſt naturaliter non appetere hanc beatitudinem (ſcilicet viſionem beatam) ſi præcedat cognitio, quod illa ſit vera beatitudo.

37. 5. concluſio. Quinta & vltima concluſio: *Appetitus elicitus in ordine ad viſionem beatam præſentatam, vt veram beatitudinem, neceſſario fertur in illam neceſsitate quoad ſpecificationem; non tamen quoad exercitium.* Hæc concluſio eodem modo probatur, quo probata eſt vltima concluſio ſupra §.3.

38. ¶ Ex ijs, quæ diximus infertur generalis reſolutio difficultatis propoſitæ in hoc §.4: dicimus enim admittendū eſſe in nobis, etiam purè conſideratis, appetitum elicitum, quo appetamus viſionem beatam, etiam ſub ratione formalis beatitudinis, idque per actum non ſolum naturalē, ideò, quia viribus naturæ elicitur; ſed

ſed etiam naturalem; quia eſt neceſſarius quoad ſpecificationem: idque appetitu, non quidem efficaci, ſed inefficaci, ſimplici, & improportionato.

Reijcitur Caiet. ¶ Quare non eſt admittendus Caietanus, quatenus negat in noſtra voluntate nudè conſiderata abſque vlla reuelatione dari appetitum elicitum erga viſionem beatam: etenim nulla ſuppoſita reuelatione ex aliquibus rationibus probabilibus poſſumus venire in aliquam cognitionem, quod poſsibilis ſit viſio beata, vt loco citato oſtendimus. Præſuppoſita autem hac aliquali cognitione non poteſt non admitti aliqualis appetitus, qui viribus naturæ in eam feratur, actu tamen inefficaci, & improportionato, vt iam oſtẽdimus.

Reijcitur Ferrarienſ. ¶ Nec etiam admittendus eſt Ferrarienſis, dùm ait non poſſe dari talem appetitum erga viſionem propoſitam, vt obiectum beatificum; nam cum viſio illa cognita, vt beatifica aliquo modo lumine naturali cognoſci valeat; vtique aliquo etiam modo poteſt appeti: & à fortiori ſi poſsibilitas eius proponatur aut per reuelationẽ, aut per auditum fidei.

39. De conciliatione Diui Thomæ. Quod verò attinet ad conciliationem D. Thomæ, ne ſibi contradicat, dicimus nec admittendam eſſe conciliationem, quam adducit Caietanus, nec quæ placuit Ferrarienſi, nec denique quam adducit Valentia loco citato, pagina 101. §. *Reſpondeo primò*; quod latiùs oſtenderemus, niſi opus eſſet breuitate.

40. Propria cõciliatio. Ego puto *D. Thomam* 1. *p. q.* 12. *art.* 1. *&* 1. 2: *q.* 5. *art.* 1. & vbicunque admittit in nobis deſiderium naturale ad viſionem beatam, intelligendum non eſſe de deſiderio naturali, prout naturale diſtinguitur contra obedientiale; ſed de naturali, prout naturale idem eſt, quod inſitum à natura: in quo ſenſu intelligitur illud Auguſtini: *Habere fidem, naturæ eſt hominis*. Hoc igitur deſiderium naturale prout reſpicit agens, à quo debet ad actum reduci, indifferens eſt ad ſimpliciter naturale, & obedientiale: naturale eſt in ordine ad formas, quas actione agentis naturalis poteſt recipere, obedientiale verò in ordine ad eas, quas ſolùm recipere poteſt actione agẽtis ſupernaturalis. Quod ex eo patet, quia D. Thomas in illis locis ſolùm agit de potentia ad videndum Deum, abſtrahendo à modo, quo illum videre poteſt; an. ſ. viribus naturæ, an ſolius gratiæ? vnde cum 1. p. q. 12. art. 1. abſolutè quæſiuiſſet, an homo poſsit videre diuinam eſſentiam? & an hoc deſideret? & affirmatiuè reſpondiſſet, admittens naturale deſiderium ad talem viſionem; inferiùs art. 4. inquirens de modo, quo illam videre valeat, cõcludit viſionem illam per vires naturæ haberi nõ poſſe, ſed per ſolas gratiæ. Quod argumento eſt euidentiſsimo quæſtionem propoſitam in 1. art. ſolùm agere de poſsibilitate, deſiderioque videndi abſtrahendo à modo, quo viſio illa, illudq; deſideriũ ſit poſsibile; id enim in 4. art. expoſuit. At vero 1. 2. *q.* 5. *ar.* 8. nõ negat abſolutè dari in nobis voluntatẽ, & 41. D. Thom. appetitum ad beatitudinem in particulari (qualis eſt viſio diuinæ eſſentiæ:) ſed ſolum negat talem appetitum actu dari in omnibus; quia non omnes cognoſcũt, in quo particularis beatitudo conſiſtat: quare ſupponit talem appetitum actu reperiri in aliquibus. Ex quo ſolùm poteſt inferri, appetitum beatitudinis in communi ab omnibus quidem aliquando appeti; quia in omnibus ſæpè datur cognitio illius: ſecus verò dicendum de beatitudine in particulari: nam cum non in omnibus detur illius cognitio; non in omnibus reperiri poteſt actualis illius appetitus: & in hoc approbamus iudiciũ Valentiæ vbi ſuprà.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in nobis detur appetitus innatus ad beatitudinem ſupernaturalem?

§. 1.

Refertur pars negans cum argumentis.

Quæſtio iſta ſatis eſt controuerſa. 1. Pars negãs. Partem negantẽ grauiſsimi probarunt Theologi: cõmuniter tribuitur *Caietano* 1. *p. q.* 1. *ar.* 1. *&* *q.* 12. *ar.* 1. Caietan. ſed in hoc ſecũdo loco potiùs agit de appetitu elicito, quã de innato; in primo autem de innato videtur agere. Cõmuniter etiam tribuitur Ferrar. 3. *contra gent. c.* 51. ſed ibi ſolũ agit de appetitu elicito: poteſt Ferrarien. tamen illi tribui 1. *contra gent. c.* 5. §. *Scotus prima ratione, fol.* 5. *col.* 3. *ante medium*: eam expreſſè tenet *Medina* 1. 2. *q.* 3. *ar.* 5. *cõcl.* Medina. 4. *ſi expendantur quæ ſcribit in ſol. argumentorum*. *Conradus* 1. 2. *q.* 5: *artic.* 8. Conrad. *Cumel.* 1. *p. q.* 12. *ar.* 1. *q,* 2. *cõcl.* 2. *vbi docet* Cumelius.

oppoſitam ſententiam eſſe falſam, & indignã viro Theologo; eandem ſententiam probat Bañes. *Bañes ibidem dubio ſecundo, concluſione 3.* Nauarre. *Nauarrete 1. tomo controuerſi. 33. §. 2. concluſione 2. fol. 191. columna 1.* Victoria. *Citari ſolent* Canus. *Victoria, & Canus: eam breuiter probat* Capreol. *Capreolus in quarto diſtinctione 49. quæſtione 3. articulo 3. ad argumenta Durandi in fine, fol. 200. columna 1. poſt principium: ex re-* Molina. *centioribus eam probant Molina prima parte quæſtione 12. articulo 1. diſputatione 2. per* Suar. *totam, Suarius in Metaphyſica diſputatione 30. ſectione 11. num. 36. quam latiùs probauit in commentar. ad primam ſecundæ quæſt. 5. articulo 8. quæſtione 2. §. Dicendum eſt* Bellom. *in hoc: & tanquam certam ſumit 2. de Attributis negatiuis capite 8. numer. 4. Bellomontanus ad primam ſecundæ, diſputatione* Fonſeca. *22. cap. 2. cum ſequentibus: latè Fonſeca in* Henriquez. *3. Metaphyſicæ cap. 1. quæſtion. 2. per totam,* Palatius. *Henriquez de vltimo fine hominis cap. 2. §.* Naclant. *3. in tex. & litera N. Palatius in 4. diſt. 49.* Abulen. *diſputatione 1. Refertur Naclantus Theorem. 10. Theologiæ, denique Abulenſis in cap. 25. Matthæi quæſtione 648. ex Scotiſtis Herrera 1. tomo diſputatione 1. quæſtione 8. eſſe probabiliorem affirmat Salas prima ſe-* Salas. *cundæ tractatu 2. diſput. 12. concl. 3. nu. 13. pag. 515. col. 2.* Vtrùm autem hæc ſententia fuerit D. Thomæ? non facilè conſtat.

2. 1. ratio. Huius opinionis plurima ſunt fundamenta. Primum eſt: natura non tribuit rebus inclinationem ad id, ad quod tota vis naturæ eam perducere non poteſt: ſed ad viſionem diuinæ eſſentiæ tota naturæ vis perducere non poteſt. Ergo non datur in nobis appetitus naturalis ad Dei viſionem. Minor eſt de fide, & ponitur à D. Thom. *D. Thoma 1. p. q. 12. artic. 4. & probatur ex* Ad Rom. 6. *Paulo ad Romanos 6. Gratia Dei vita æterna.* Maior autem probatur; quia quando natura tribuit naturalem inclinationem, tribuit etiam inſtrumenta ad conſequutionem: aliàs deficeret in neceſſarijs, & ſatis probatur ex *Ariſtotele 1. de cœlo cap.* Ariſt. *8. tex. 50.*

3. 2. ratio. Secundò; appetitus innatus ad propriã perfectionem ſupponit potentiam naturalem paſsiuam illius receptiuam. Sed in nobis nulla datur talis potentia ad viſionem Dei. Ergo nec ad illam datur appetitus innatus. Maior probatur; quoniam appetitus innatus non poteſt fundari in potentia obedientiali, ſiue non repugnantia naturæ: aliàs aqua haberet appetitum naturalem, vt ſit calida; & accidens; vt ſit ſine ſubiecto. Minor multis proba- Fonſeca. tur à *Fonſeca vbi ſupra ſectione 2. in primo argumento.*

4. 3. ratio. Tertiò; appetitus naturalis debet fundari in aliqua potentia. Sed in homine nulla datur, in qua fundetur appetitus naturalis ad viſionem Dei. Ergo, & cætera. Maior eſt nota: minor probatur; quoniam in homine nulla datur potentia naturalis actiua, aut paſsiua ad viſionem, ſed ſola potentia obedientialis: hæc autem inſufficiens eſt, vt in ea appetitus innatus fundetur. Ergo, & cæt. Quod non detur potentia actiua naturalis; probatur tùm; quia aduerſarij fatentur viſionem non poſſe dari, niſi actione agentis ſupernaturalis. Tùm ſecundo; quia viſio ſecundum totam ſuam ſubſtantiam eſt ſupernaturalis. Tùm tertio; quia viſio ſyncategorematicè eſt infinita; quia ſemper poteſt eſſe maior: cum tamen potentia actiua naturalis limitata ſit ad certam intenſionem formæ. Quod nec etiã detur potentia paſsiua, præter adductas rationes ex eo probatur; quoniam potentia paſsiua non dicitur naturalis, niſi in ordine ad actum naturalem, & ad naturale agens: nam ex Ariſtotele omni potentiæ paſsiuæ naturali correſpondet naturalis actiua. Denique quod potentia obedientialis ſit inſufficiens ad fundandum in ſe appetitum naturalem viſionis beatæ; primo oſtenditur exemplis, quia natura humana habet potentiam obedientialem ad vnionem hypoſtaticam; & corpus humanum eandem habet ad claritatem Solis: & tamen nec humana natura habet appetitum naturalem ad vnionem hypoſtaticam, nec corpus ad Solis claritatem. Deinde ratione, quoniam appetitus naturalis non dicit aliquam rem, aut modum aliquem diſtinctum à capacitate naturali rei, ſed ſolum illam explicat per quandam metaphoram inclinationis. Talis autem capacitas naturalis non ſatis eſt, vt in ſe fundet potentiam naturalem, ſed ſolam obedientialem. Ergo nec ſatis erit vt fundet in ſe appetitum naturalem. Hoc eſt præcipuum fundamentum Suarij in *dictis Commentarijs ad primam ſecundæ:* Suarius.

Non datur potẽtia actiua.

5. Nec paſsiua.

Nõ ſatis eſt obedientialis.

6.

Quartò

6. 4. ratio. Quartò ex eodem: in homine præter beatitudinem ſupernaturalem poſitam in viſione Dei, datur alia beatitudo naturalis, quam appetit naturali appetitu, tanquam vltimam beatitudinem. Ergo appetitu naturali non poteſt appetere vlteriorem aliquam beatitudinem. Probatur conſequentia: quia ſicut impoſsibile eſt dari duos vltimos fines reſpectu eiuſdem: ita impoſsibile eſt appetere duas perfectiones, tanquam vltimas, & ſub ratione beatitudinis. Ergo ſi appetitus naturalis non poteſt non appetere beatitudinem naturalem, tanquam naturaliter vltimam; vtique non poterit appetere beatitudinem ſupernaturalem.

7. 5. ratio. Quintò; vt appetitus innatus ſit naturalis habere debet principia naturalia ſufficientia ad conſequendum id, quod appetitur; qualia ſunt potentiæ actiuæ, vel paſsiuæ, ſed in nobis non dantur principia naturalia ex ſe ſufficientia ad videndum Deum: ergo non datur appetitus innatus ad viſionem illius.

8. 6. ratio. Sextò; ſi in nobis eſſet appetitus, & propenſio naturalis ad viſionem Dei, Angelus naturaliter poſſet cognoſcere noſtram beatitudinem ſupernaturalem poſitam eſſe in viſione diuinæ eſſentiæ: comprehendit enim totam naturam hominis: conſequens autem eſſe falſum oſtendimus ſecundo tomo, libro ſexto.

9. 7. ratio. Septimò; ſi in noſtro intellectu daretur appetitus innatus ad viſionem beatam, inclinaretur in eam vel primario vel ſecundario. Sed neutro modo poteſt in eam naturaliter inclinare. Ergo, & cætera. Sequela patet; quoniam appetitus innatus, vel primario inclinat vel ſecundario ad id, quod appetit: etenim viſus primario inclinatur in viſionem in communi, ſecundario verò in hanc vel illam. Idem cernes in cæteris potentijs cognoſcentibus: imò etiam in appetitu innato materiæ ad formam: primario enim fertur in formam in communi; ſecundario autem ad hanc vel illam. Quare ſi in intellectu daretur appetitus innatus ad viſionem Dei; vtique in eam inclinaretur, vel primario vel ſecundario, quæ fuit ſequela. Minor autem probatur. Et quidem quod non inclinetur primario ex eo patet, quia cæteræ potentiæ non inclinantur primario, niſi in actum proprium in communi. Ad actus verò particulares ſolùm ſecundario, vt inductiuè patet, in viſu, auditu, & cætera. Quare cum viſio diuinæ eſſentiæ ſit quidam actus particularis ad eam intellectus non primario, ſed ſecundario inclinabitur: quæ fuit prima pars minoris, de qua latè Molina (cuius eſt hoc argumentum) *in dicta diſputatione ſecunda. §. Hoc autem conſtituto, pagina* 100. *columna* 1. & 2. Molina. Quod verò nec in viſionem poſsit ſecundario inclinari probat ibidem in ſecunda concluſione, pagina 102. columna 2: ſumit autem argumentum ex eo, quod appetitus, & potentia naturalis ſolùm inclinatur ad perfectionem ſibi connaturalem, & cõmenſuratam, vt ſupponit alibi à ſe probatum. Viſio autem cum ſit ſupernaturalis eſſe non poteſt connaturalis, & cõmenſurata appetitui innato ordinis naturalis.

Octauo; ex ijs, quæ latè ſcribit idem Molina in dicta diſputatione ſecunda in quarto argumento, pagina 101. columna 1. in principio, hoc ſumi poteſt argumentum: quoniam vel appetitus innatus ad viſionem beatam eſt in intellectu, vt eſt potentia actiua, vel vt eſt paſſiua. 10. 8. ratio. Non vt eſt actiua (quicquid oppoſitum doceat Sotus:) quoniam licet intellectus, vt eleuatus efficaciter concurrat ad viſionem, non proinde concedi poteſt intellectum eſſe potentiam actiuam naturalem viſionis: quoniam non vt eſt res naturalis habet efficere viſionem, ſed vt ſupernaturali lumine eſt eleuatus. Non vt actiua. Quare nullo modo poteſt dici potentia actiua naturalis reſpectu viſionis; & ſubinde in illo non poteſt conſtitui appetitus naturalis in ordine ad eam. Sed nec appetitus iſte poteſt eſſe in intellectu, vt eſt potentia paſsiua (contra Scotum, & Durandum:) id autem ex eo probat Molina vbi ſuprà pagina 101. columna 2. §. *Hæc ſententia*: Non vt paſſiua. 11. quoniam reſpectu viſionis beatæ, aliorumque actuum ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalium cum cõmuni Thomiſtarum ſententia non admittit potentiam paſsiuam naturalem: tùm, quia omnipotentiæ paſsiuæ naturali reſpondet aliqua actiua

actiua naturalis ex Ariſtotele tertio de Anima cap. 5. Tùm ſecundò; quia talis potentia paſsiua eſſet fruſtra reſpectu actuum ſupernaturalium, quos Deus nunquam eſt producturus. Tùm tertiò; quia conſentaneum eſt Deum rebus creatis contuliſſe propenſiones commēſuratas naturis rerum, quibus eas contulit. Ergo eas non contulit reſpectu eorum, quæ ſunt ſupra naturam: nemo enim dixerit naturam humanam habere propenſionem naturalem, vt ſit inextenſa, & hypoſtaticè vniatur perſonæ diuinæ. Quare in intellectu non dabitur appetitus naturalis ad viſionem, nec vt eſt potentia actiua, nec vt eſt paſsiua. Hæc ex Molina vbi ſuprà pagina 101. col. 1. & 2.

12. 9. ratio. Nonò; ſi viſio diuinæ eſſentiæ appeteretur à nobis appetitu naturali, illa eſſet finis noſter naturalis. Hoc autem eſt falſum; quia nulla dantur media naturæ, per quæ acquiri poſsit viſio diuinæ eſſentię. Ergo non appetitur naturali appetitu.

13. 10. ratio. Decimò; quidam ita arguunt: ſi in nobis eſſet inclinatio vel potentia ad viſionem beatam, illa eſſet aliqua ex potentijs animæ; ſed nulla eſſe poteſt. Ergo, & cæt.

14. Poſtrema ratio. Poſtremò; viſio beata non eſt actus adæquatus noſtri intellectus, ſed inadæquatus. Ergo intellectus ad eam ſolùm inclinatur ſecundario. Ergo non datur ad eam appetitus naturalis. Prima conſequentia eſt nota: vltima autem probatur; quia potentia naturalis non inclinatur ad actus ſecundarios contentos ſub obiecto adæquato, niſi quando ad illos ſuis viribus poteſt peruenire.

¶ Hæc ſunt vel omnia, vel præcipua argumenta, quibus hæc opinio negans cōfirmatur: plura alia vide apud Cumelium, & Nauarrete, quæ vel nihil, vel parum habent efficaciæ.

§. 2.

Refertur opinio affirmans cum argumentis.

15. Opinio affirmans. PArtem tamen, quæ affirmat dari in nobis appetitum innatum, & naturalem ad viſionem Dei probauit communior Scholaſticorum ſententia, ſi credendum eſt Molinæ, & quibuſdam alijs, Appetitum naturalem ad viſionem beatam admittit *Scotus in Prologo quæſtione prima, §. Ad quæſtionem iſtā,* Scotus. *litera L, & inferius litera P. §. Ad argumenta pro opinione Ariſtotelis ad primum, & in quarto diſtinctione 49. quæſtione 10. articulo primo, §. De illo appetitu naturali, cum Scoto eſt Baſſolius ibidem quæſtione 6.* Baſſolius. *articulo ſecundo, §. Et quantum ad præſens. fol. 160. columna ſecunda, ſupponit Ouandus* Ouandus. *ibidem propoſitione 23: expreſſe Sotus in* Sotus. *eodem loco quæſtione ſecunda, concluſione 1. & libro primo de natura, & gratia cap. 4: Valentia 2. tomo, diſputatione 1. quæſtione* Valentia. *5. puncto primo, §. Qua diſtinctione præmiſſa, pagina 99: pro eadem eſt Durandus in quarto diſtinctione 49. quæſtione octaua, num. 8.* Durand. *& Paludanus quæſtione ſeptima, articulo 1.* Paludan. *concluſione ſecunda, num. 8. refertur Alenſis* Alenſis. *in Prologo quæſtione prima, & in quarto diſtinctione 49. quæſtione 10: citatur etiam Maior in primo diſtinctione prima, quæſt. 8.* Maior. ſed in eo nihil inuenio de appetitu innato ſiue naturali; de eo tamen agit *in quarto diſtinctione 49. quæſtione 6. vbi concl. 1.* abſolutè aſſerit dari in nobis appetitum innatum ad beatitudinem: non tamen diſtinguit de beatitudine in communi, aut in particulari, naturali, aut ſupernaturali. Pro eadem ſententia Suarius in *Commentarijs ad primam ſecundæ quæſtione* Non bene citatur Henricus. *quinta, articulo 8. citat Henricum in Summa articulo 3. quæſtione 4. & 5. & articulo 4. quæſtione 3:* at tamen artic. 3. quæſt. 4. & articulo 4. quæſtione 3. nullum hac de re verbum facit: in quæſtione vero quinta ſolum docet intellectum noſtrū ex ſua natura habere, quod eléuatus lumine gloriæ poſsit viſionem recipere: quare pro hac opinione citari [illegible]-teſt.

16. 1. confirm. ex Auguſt. Hæc opinio plu[ri]bus confirmatur: & primò teſtimonijs Auguſtini. Primū ſumitur ex libro 4. contra Iulianum capite 3. vbi ſic ait: *Nec enim omnes homines naturali inſtinctu immortales, & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſsimus.* Hæc verba ēſſe intelligenda de beatitudine, quam ſperamus, & ſubinde de viſione diuinæ eſſentiæ ſatis declarant verba, quæ immediatè ſequuntur: *ſed ſummum bonum præſtari non poteſt hominibus, niſi per Chri-*

ſtum

ſtum, & hunc crucifixum: & tamen docet omnes homines hanc beatitudinem appetere inſtinctu naturali. Secundum ſumitur ex lib. 13. de Trinitate cap. 8. vbi ita inquit: *Ad appetendam beatitudinem natura compellit; cui ſummè bonus, & immutabilis creator hoc indidit*: iam verò natura cui creator hunc appetitum indidit, non eſt, niſi ipſa natura ad beatitudinem propenſa: Deus enim vt author naturæ rebus confert naturales inclinationes, & motus, dum illis confert formas cum naturali inclinatione ad id, ad quod mouentur. Tertium teſtimonium ſumitur ex eodem libro cap. 3. vbi reprehenditur quidam mimus, quod in celebri conuentu dixerit omnes appetere vili emere; & carius vendere: *Verius dixiſſet* (inquit Auguſtinus) *ſi dixiſſet omnes velle eſſe beatos*: quæ verba intelligenda eſſe de appetitu innato docet Scotus in primo diſt. 1. quæſt. 4. §. *Ad authoritatem Auguſtini*. Facit quod Auguſtinus ſcribit lib. 1. Confeſsionum: *Feciſti nos Domine ad te; & inquietum eſt cor noſtrum, donec perueniamus ad te*. Denique primo de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. ait: *Poſſe habere fidem naturæ eſt hominum: habere autem, gratia eſt fidelium.* Quæ verba ſatis confirmant dari in nobis appetitum naturalem.

Secundò arguit Scotus: natura non
17. poteſt remanere natura, ſi ab ea tollatur
2. argum. inclinatio ad ſuam perfectionem: talis enim inclinatio eſt ab ea inſeparabilis: ſed appetitus naturalis nihil eſt aliud, niſi inclinatio naturalis ad perfectionem. Ergo appetitus naturalis ad eam non poteſt ſeparari à natura. Sed beatitudo ſupernaturalis in particulari, & ſubinde viſio diuinæ eſſentiæ eſt perfectio naturæ intellectualis, ergo in ea datur appetitus naturalis ad viſionem.

18. Tertiò ex Baſſolio; vnumquodque
Tertium. perfectibile naturaliter appetit ſuam perfectionem intrinſecam, ſed beatitudo ſupernaturalis in particulari eſt perfectio intrinſeca naturæ rationalis. Ergo naturaliter eam appetit, & ſubinde appetitu innato.

19. Quartò apud eundem Baſſolium qui-
4. argum. dam ſic arguunt: datur in nobis appetitus naturalis ad beatitudinem in communi, vt omnes fatentur, & ſatis Ariſtoteles primo Ethicorum cap. 1. dùm ait, *Bonum eſt, quod omnia appetunt*. Ergo datur in nobis appetitus innatus ad beatitudinem in particulari. Conſequentiam inde probant; quoniam appetimus beatitudinem in communi, quia eſt noſtra perfectio, ſed beatitudo in particulari eſt quæ perficit. Ergo ſi beatitudo in vniuerſali naturaliter appetitur, à fortiori ſic appetetur beatitudo in particulari. 20.

Quintò arguit Sotus vbi ſuprà conclusione prima, §. *Et vt arguit Scotus. pagina 574. columna 2*: Appetitus vel eſt 5. argum. naturalis, vel violentus, vel neuter: ſed appetitus noſter ad videndum Deum, nec violentus eſt nec neuter. Ergo eſt naturalis. 21.

Sextò & eſt præcipuum Soti fundamentum: naturale eſt quod homo ſit ad 6. argum. imaginem, & ſimilitudinem Dei, iuxta illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: quibus verbis Deus diſsignauit naturam hominis: Iam verò imago, & ſimilitudo Dei non ſolùm dicit capacitatem videndi Deum, ſed naturalem etiam inclinationem; quia ſimile naturaliter appetit ſuū ſimile: ſed capacitas naturaliter inclinata ad videndum Deum eſt appetitus naturalis viſionis Dei: ergo, &c. 22.

Septimò ex eodem Soto: quoniam 7. argum. appetitus naturalis hominis (qui non poteſt in eo non admitti) in nulla re mundi, quam obtinuit ſatiatur; ſed ſolùm in viſione Dei, vt patet ex verbis Auguſtini ſuperiùs adductis: *Feciſti nos Domine ad te, &c.* Ergo appetitus naturalis noſter tendit in viſionem Dei. Probatur conſequentia; quia ideò probamus materiam appetere omnē formam, quia in nulla ſatiatur.

Octauò; vna quæque res ſua natura 23. fertur in aliquam determinatam rem, in 8. argum. qua naturaliter quieſcat: terra enim ad centrum, & ignis fertur ad concauum lunæ, ſed nulla res poteſt diſsignari in quam naturalis appetitus hominis, vt in vltimum finem tendat, niſi viſio clara Dei. Ergo illa eſt naturalis finis noſter in quem noſter appetitus naturaliter fertur.

Confirmatur ex illo Pſalm. [illegible]
de nobis faciem tuam, & ſalui erimus: & 24.
ex illo Ioannis 14: *Oſtende nobis Patrem,* Confirmatur.

& ſufficit nobis: ex quibus verbis non ſolùm deſignatur inclinatio naturalis; ſed etiam appetitui naturali nihil ſufficere, niſi viſionem claram Dei.

25. 9.argum. Nonò ex eodem Soto: habita cognitione, quòd viſio Dei eſt noſter finis vltimus illam naturaliter appetimus actu elicito. Ergo ante illam cognitionem iam inerat in nobis inclinatio ad illam viſionem indita à natura, & ſubinde iam ad illam inerat appetitus innatus. Antecedens admittitur ab aduerſarijs, Caietano, inquam, & Ferrarienſi. Conſequentia probatur: nam quod ille actus elicitus ſit naturalis, id eſt neceſſarius quoad ſpecificationem, non præciſè prouenit ex ipſa cognitione: etenim illa ſtat cum libertate quoad exercitium: non aliunde autem prouenire poteſt, niſi ex appetitu inclinationevè innata, Ergo iàm illa inerat ante cognitionem.

26. 10.arg. Decimò; intellectus naturaliter inclinatur in ſuum obiectum; ergo naturaliter inclinatur in omne, quod continetur ſub illo. Sed Deus clarè viſus continetur ſub obiecto illius: aliàs non poſſet ad eum videndum eleuari.

27. 11.arg. Vndecimò; ſi appetitus naturalis non appeteret Deum videre, ex eo eſſet, quia homo non poteſt ad eum videndum naturaliter peruenire. Hæc ratio non eſt ſatis ad illum negandum: quoniam anima ſeparata naturaliter deſiderat vniri ſuo corpori: & cæcus naturaliter deſiderat viſum: & tamen nec anima viribus naturæ poteſt reuniri corpori; nec cæcus viſum adipiſci.

28. 12.arg. Duodecimò; vt ſe habet materia ad formas reales, ita intellectus noſter ad formas intelligibiles: ſed materia ex ſe habet inclinationem non ſolùm ad formas, quibus actione cauſarum naturalium informatur; ſed etiam ad eas, quæ diuina virtute præter naturæ ordinem in illam introducuntur. Ergo intellectus in ſe propenſus eſt, non ſolùm ad omnem cognitionem, quam viribus ſuis conſequi poteſt; ſed etiam ad omnem

Ariſtotel. eam, quam poteſt obtinere ope diuina. Maior patet ex Ariſtotele in tertio de Anima, vbi ponit ſimilitudinem inter [illegible], & materiam. Minor ex eo conſtat; quoniam materia prima non minus appetebat formas primorum parentum, quæ non ſunt introductæ more naturali, quam eorum, quos ipſi genuerunt. Hoc eſſe Alenſis fundamentum refert Fonſeca vbi ſuprà ſectione prima. Alenſis.

Decimo tertiò; Valentia ita arguit: quoniam appetere beatitudinem ſiue in 29. communi, ſiue in particulari nihil aliud 13.argum. eſt, quàm habere quoddam pondus naturæ, & quandam capacitatem ad illam; ſed non eſt in poteſtate hominis poſitum vt hanc naturæ capacitatem habeat, vel non habeat; quia omnes naturaliter, & neceſſario illam habent; ergo omnes naturaliter appetunt beatitudinem, tàm in communi, quàm in particulari: idque appetitu innato.

Decimo quartò: appetitus naturalis 30. nihil eſt aliud, quàm capacitas aut poten- 14.arg. tia ad perfectionem ſibi conuenientem. Sed in nobis eſt capacitas naturalis, & potentia ad viſionem Dei. Ergo & appetitus innatus. Minor probetur ex Au- Aug. guſtino ſupra citato *poſſe habere fidem naturæ eſt hominis.*

Poſtremò, appetitus innatus eſt potentia ſiue appetitus perfectionis ſibi cõ- 31. uenientis cum ordine, & inclinatione ad Poſtremũ argum. illam. Hæc autem conuenit potentijs vitalibus creaturæ intellectualis in ordine ad viſionem Dei. Ergo ineſt illi naturalis appetitus eiuſdem viſionis. Maior patet; minor quoad rationem potentiæ, ſiue capacitatis etiam patet ex Gloſſa ad illa verba Pſalmi: *Beata gens, cuius Dominus eſt Deus eius*; vbi aſſerit animam Gloſſa. noſtram eſſe naturaliter capacem beatitudinis: cum vero capacitas conſiſtat in ratione potentiæ paſſiuæ reſpectu actus; ſi hæc ineſt naturaliter, illa quoq; inerit. ¶ Alia innumera adduci poſſent, quæ recentiores ſcribunt; ſed eá omnia ad [illegible] reduci poſſunt.

§. [illegible]

Refertur opinio media.

INter vtramq; opinionem mediat quædam opinio vtramque veluti concili- 32. Opinio media. ans: quæ cum prima opinione abſolutè negat dari in nobis appetitum abſolutum innatum, & naturalem viſionis Dei: cum ſecunda verò admittit appetitum innatum naturalem imperfectum, & conditio-

ditionatum. Hęc fuit opinio *Salæ 1. tom. ad primam ſecundæ, tract. 2 diſp. 12. ſectio. 2. concl. 1. & 2. pag. 514. comluna, 1*, admitit enim dari in nobis appetitū viſionis beatę ſimpliciter abſolutū; illum tamen abſolute non eſſe naturalem: cum hoc tamen admittit tanquam probabile dari in nobis appetitum viſionis Dei naturalem, non abſolutum, ſed conditionatum, & hoc modo conciliat duas illas opiniones; vt prima ſolum neget appetitum innatum naturalem abſolutum: ſecunda verò admittat conditionatum. Quod in nobis detur appetitus innatus ſimpliciter abſolutus viſionis Dei, ex eo probat quoniam iſte appetitus per ſe poſitus eſt in poſſe ſimpliciter, & abſolutè recipere, vel conſequi perfectionem: ſed nos ſimpliciter, & abſolute poſſumus recipere, & conſequi Dei viſionem: quia illam per Dei gratiam conſequi poſſumus, vt fides docet: Ergo in nobis ſimpliciter admittendus eſt appetitus innatus abſolutus viſionis beatæ. Ex hac probatione infert talem appetitum innatum, & abſolutū dici non poſſe ſimpliciter naturalem; quia ſimpliciter includit ſupernaturalem eleuationē. Quod verò admittendis ſit appetitus innatus naturalis, conditionatus tamen, ex eo probat; quia, & nunc, & in puris naturalibus eſſet in nobis potētia obediētialis ad viſionem Dei, ſi ille velit nos ad eam adiuuare: quæ potentia obedientialis eſt ſimpliciter naturalis ſecūdum ſuam ſubſtantiam, vt pote data ab Authore naturę. Ergo in nobis admittendus eſt appetitus innatus conditionatus; cum nobis datus ſit ad obtinendam aliquam perfectionem ſub conditione. Hæc habes ex Sala. — *Salas.*

§. 4.
Vera reſolutio.

33. *Opinio negans probatur.* EGo negantem opinionem vt veriorem admiſi 1. *tom. lib. 3. q. 1. art. 3. §. 5. num. 27. & §. 6. num. 29. & in 2. tom. lib. 7. quæſt. 4. art. vnico §. 4. num. 23.* quod tamen oppoſita aliquo modo admitti poſſit diximus 2. *tom. lib. 12. q. 2. artic. 1. §. 3. num. 35.* Nunc abſolutè aſſerimus negantem eſſe ſimpliciter veram, & tenendam; non propter fundamenta, quibus ſuperius confirmatur; quia nec omnino conuincunt, & aliqua falſa ſupponunt: ſed propter fundamentum longè diuerſum.

34. *Fundamentum verū.* Etenim verum illius fundamentum ex eo eſt ſumendum, quod appetitus innatus ex ſua intrinſeca ratione includit, quod ſit realis quædam propenſio, & inclinatio ad perfectionem rei orta ex intrinſecis principijs illius, dataque à Deo Authore naturæ, tanquam naturalis quidam, & innatus amor ad perfectionem: vnde ad appetitū naturalem non ſatis eſt quæcumque ordinatio rei ad perfectionem, ſed opus eſt, vt ſit facta à Deo, prout eſt Author naturæ, iam verò talis ordinatio, & propenſio non datur in nobis in ordine ad beatitudinē poſitam in viſione diuinæ eſſentiæ: & inde conuincitur non dari in nobis appetitum naturalem ad talem viſionem. Singula huius diſcurſus perſequamur.

35. *Probatur Maior.* Quod attinet ad maiorem, pro illius confirmatione ſupponimus id, quod aduertimus ſupra articulo 2. §. 2. appetitum innatum ſupra rem ſolùm addere propenſionem, & inclinationem ad perfectionē eiuſdem rei. Ita vt appetitus innatus rei nihil aliud ſit, quam ipſa res, vt propenſa ad ſuam perfectionem. Quare ſi appetitus fuerit realis, realis etiam ſit ipſa rei propenſio ad perfectionem. Et non ſolùm talis inclinatio debet eſſe realis, ſed etiam debet eidem rei conuenire ex intrinſecis principijs naturæ: quod ſatis docuit *D. Thomas prima parte, quæſtio. 78. artic. 1. ad 3. & q. 80. art. 1.* dum non ſolū ſcribit appetitum innatum conſequi formam naturalem, ſed eam conſequi ex ſua natura. Ob quam rationem talis inclinatio ab omnibus appellatur pondus naturæ: & amor quidam illius, quo in ſuam perfectionem propendet, iuxta illud Auguſtini, *Amor meus: pondus meum, illo feror, quocunque feror.* Vnde talis inclinatio naturalis dicitur eſſe impreſſa à Deo Authore naturæ ſimul cum ipſa natura, vt docet *D. Thomas in 2. diſt. 24. q. 3. artic. 2. ad 3. & in 3. diſt. 27. q. 1. ar. 1.* Nō eſt igitur dubitandum, quin appetitus innatus ex ſua intrinſeca ratione includat, quod ſit realis quædam propenſio ad perfectionē rei data ſimul cum natura à Deo authore naturæ, & orta ex principijs intrinſecis eiuſdem naturæ: quæ fuit maior noſtri diſcurſus. — *D. Thom.*

36. Propenſio illa non datur in nobis

Quod verò talis propenſio, & ordinatio non detur in nobis in ordine ad viſionem claram Dei, ex eo etiam conuincitur; quoniam licet ad eam habeamus naturalem capacitatem receptiuam illius, & innatam quandam atque inchoatam actiuitatem; ad eam tamen non inclinamur naturaliter, ſed ſolùm obedientialiter, vt latè oſtendimus lib. 10. q. 3. Et ex eo euidenter patet; quoniam inclinatio naturæ ad perfectionem ita à Deo naturę authore imprimitur, vt debitor ſit talis impreſſionis, ne natura maneat naturaliter imperfecta, quod non eſt admittendum, cũ Dei, & naturæ opera ſint perfecta: & inde eſt vt talis indiclinatio vniuerſaliter, & in omnibꝰ fruſtrari nequeat, vt eſt cõmunis philoſophia: iam verò Deus potuit non ordinare creaturam rationalem ad ſui viſionem: nec proinde illa maneret naturaliter imperfecta. Cum ad naturalẽ illius perfectionem ſatis foret eam ſolùm ordinare ad beatitudinem naturalẽ, quia hæc ſola illi erat debita. Non eſt igitur dicendum Deus vt Authorem naturæ impreſsiſſe in nobis naturalem inclinationẽ ad viſionem Dei; & ſubinde non impreſſiſſe appetitum naturalem ad eam, ſed ſolùm obedientialem.

37. 1. præmiſſ.

Et vt hoc noſtrum fundamentum clarius appareat, aduertemus nonnulla, quæ 2. tom. lib. 10. aduertimus: ex illis enim colliges dari quidem in nobis, & capacitatem ad recipiendam viſionem, & virtutem actiuam innatam ad eam producendam, inchoatam tamen, radicalem, & imperfectam. Quod anima noſtra, & noſter intellectus ex ſua natura habeant capacitatem ad recipiendam in ſe viſionem Dei, quam non habet, aut leo, aut lapis, ſatis patet ex Auguſtino, dum ait, *Poſſe habere fidem naturæ eſt hominis: eam tamen habere, gratiæ eſt redemptoris*: quæ verba omnes intelligunt de capacitate paſſiua entitatis animæ, & intellectus, hæc autem capacitas ideo dicitur eſſe naturæ hominis; quia à principijs eſſentialibus animæ, & intellectus illis conuenit, quam appellare poſſumus potentiam ſubiectiuam: vnde talis capacitas dicitur naturalis, prout naturale idem eſt, quod inſitum à principijs [illegible] circa [illegible]titatis rei: vnde (vt dixim9) hæc capacitas non eſt naturæ equi aut lapidis,

Auguſt.

38. 2. præmiſſ.

Præmittimus deinde hanc capatitatem eſſe quidem receptiuam viſionis; non tamen formaliter eſſe potentiam paſſiuam eiuſdem, quamuis in ſe ipſa neceſſario eam fundet; dum, ſcilicet reſpicit ipſam viſionem, vt formam, quam poteſt recipere: etenim capacitas receptiua alicuius formæ non poteſt eam non recipere, vt acquirendam: alias talis capacitas fruſtra eſſet: cum verò illam acquirere nequeat, niſi mediante actione alicuius agentis; nõ poteſt non fundare in ſe reſpectum quẽdam tranſcendentalem ad agens à quo eã debet recipere; vnde ſub hac ratione cõſequitur rationem potentiæ paſſiuæ, quæ vt ſic non poteſt non includere reſpectũ ad actiuam. Verum cum duplex ſit agẽs, vnum ordinis naturalis, à quo formæ naturales introducuntur: alterum ordinis ſupernaturalis, à quo introducuntur ſupernaturales formæ, potentia illa, & capacitas poteſt in ſe fundare duplicem potẽtiam paſſiuam; naturalem vnam, obedientialem alteram: nam ſi reſpiciat formas naturales introducendas actione naturalis agentis, dicetur potentia paſsiua naturalis: ſi verò reſpiciat ſupernaturales formas recipiendas actione agentis ſupernaturalis, ſolùm dicetur potentia obediendientialis: etenim in potentijs paſſiuis naturale, & obedientiale diſtinguntur per reſpectum ad agens naturale, & ſupernaturale.

39. Non eodẽ modo vtraque fundatur.

Et quamuis vtraque iſta potentia poſſit fundari in vna, & eadem reali capacitate; & ſubinde ambæ poſsint realiter idẽtificari: tamen non vtraque eodem modo in in ea fundatur: quia potentia naturalis paſsiua fundatur in præcitata capacitate, prout ab ipſo Authore naturæ ex principijs intrinſecis illius habet realem propenſionem ad pefectionem, [illegible] capax: potentia vero obedientialis ſolũ fundatur in inclinatione quadam obedientiali, quam habet [illegible] eo, quod à Deo ordinata eſt ad recipiendas formas ſupernarales, quas Deus vt Author ſupernaturalis ordinis ſtatuit in pilam introducere, vt latè oſtendimus 2. tom. lib. 10. in diſputatione de potentia obedientiali: & inde eſt, vt potentia paſſiua naturalis ex ſua natura habeat capacitatem completam, & complete proportionatam ad recipiendã formam, ſibi naturalem, & ſolũ indigeat actua-

actuali agentis applicatione: cum tamen potentia paſsiua obedientialis non habeat completam capacitatem; ſed incompletā, & adhuc indigentem ſupernaturali eleuatione, vt ſit proximè receptiua formę ſupernaturalis actione Dei, vt eſt agens ſupernaturale: quæ omnia latè explicauimus, & confirmauimus in d. lib. 10.

40. Idem de potentia actiua innata. Quod diximus de capacitate, & potentia paſsiua nobis innata ad viſionem Dei, etiam dicendum eſt de potentia actiua innata ad producēdam eandem viſionem, quæ radicaliter, & remotè eſt in ſubſtātia animæ, formaliter verò, & proximè in potentia intellectiua, prout eſt animæ inſtrumentum: etenim illa innata actiuitas ex ſua natura eſt apta actiuè concurrere ad intellectionem cuiuſcumque intelligibilis, aliter tamen, & aliter: quia in ordine ad intelligibilia naturalia eſt potentia actiua in ſuo ordine completa, & ideo ſolùm indiget reponi in actu primo per ſpeciem intelligibilem, vt actu poſſit intelligere. At verò in ordine ab obiecta ſupernaturalia eſt quidem virtus actiua; inchoata tamen, & incompleta, indigens in ſuo ordine compleri, & eleuari lumine gloriæ, vt in dicto lib. 10. latè oſtendimus; ſine quo ſupernaturali complemento non poteſt cōſtitui in actu primo ad Dei viſionem. Quare ante tale complementum ſolùm eſt in potentia obedientiali ad viſionem: vnde ſolùm dici poteſt potentia naturalis; quia eſt data à natura ad intelligendū abſtrahendo ab hoc, vel illo obiecto: & ideo nec poteſt dici naturalis, quaſi ex ſuis principijs intrinſecis habeat vires ad omnia obiecta intelligenda. Ex quo fit, vt nec dici poſsit naturalis, quaſi ex ipſis ſuæ entitatis principijs habeat naturalem propēſionem; & n[illegible] pondus ad quodcumque obiectum: qu[illegible]lem inclinationem, & propenſionem ſolu[illegible]abet ad illa obiecta ad quæ viribus natur[illegible], & actione agentis naturalis poteſt peruenire.

41. Quare non poteſt [illegible]ici appetitus naturalis reſpectu viſionis [illegible]eatæ: idque nec ſimpliciter abſolutus, nec conditionatus, quidquid Salas oppoſitum doceat: qui, ſi benè expendatur, quæ ſcribit videtur ſecum pugnare: nam ideo non admittit appetitum naturalem viſionis beatę, quia eam non reſpicit, niſi per potentiam obedientialem, quam ponit eſſe ſimpliciter ſupernaturalem. At verò conditionatum illū appetitum etiam habere non poteſt, niſi mediante potentia obedientiali, quæ naturalem excludit: quomodo igitur appetitus iſte conditionatus erit naturalis? Sed id latius impugnare modo nō vacat. Quare accedamus ad ſolutionem argumētorum partis affirmantis.

§. 5.

Soluuntur argumenta partis affirmantis.

42. Ad 1. arg. AD primum argumentum ſumptum ex teſtimonijs Auguſtini, dicimus illa intelligenda eſſe de appetitu elicito ad beatitudinē. Nam primum ſatis explicatur de inſtinctu naturali elicito; agit enī de inſtinctu naturæ cōſequente cognitionem fidei, qua cognoſcimus beatitudinem, quam ſperamus, ex meritis Chriſti nobis eſſe docendam. Et eodem modo explicandum eſt ſecundum teſtimonium: in quo natura idem eſt, quod lumen naturale, cuius inſtitutu naturalimus ſummum bonum noſtrum: hoc autem naturale lumen eſt nobis inditum à Deo, iuxta illud Pſalmi *Signatum eſt ſuper nos vultus tui Domine.* Quod tertium teſtimonium explicetur de appetitu elicito, non eſt dubium; agebat enim mimus ille de appetitu, quo homines volunt vili emere, & carius vendere; qui non poteſt eſſe naturalis, ſed elicitus; vnde volebat ſignificare, quidnam omnes in corde haberent: cum verò in eodem ſenſu dixerit Auguſtinus, quod melius dixiſſet omnes velle eſſe beatos, vtique de appetitu elicito loquitur. Et in hoc ſenſu eum explicant Durandus in 4. diſt. 49. quæſt. 8. & Capreolus ibidem quęſt. 3. ar. 3. ad argumenta ſecundo loco contra primam. Quartum teſtimonium ſatis explicat Auguſtinum agere de inquietudine actuali animi, qui nullius boni creati poſſeſsione ita quietatur, vt nullum aliud bonum actu deſideret. Denique vltimum intellgitur nō de appetitu innato, ſed de capacitate naturæ ad habendam viſionem.

43. Secundum argumentum ſolùm concludit dari in nobis appetitum na[illegible] perfectionem connaturalem nobis, & commenſuratam: hæc enim ſola eſt à na-

tura

tura inſeparabilis: nam perfectio ſupernaturalis viſionis Dei ſeparabilis eſt à noſtra natura; & de facto ſepararetur, ſi Deus nollet eam nobis conferre: tunc enim viſio perciperetur à nobis, vt impoſsibilis.

44. Ad 3. Ad tertium reſpõdetur maiorem eſſe veram de perfectione connaturali, de qua minor eſt falſa.

45. Ad 4. Ad quartum negandam eſſe conſequentiam idem Baſſolius fatetur: probatio autem in eo deficit: quoniam licet beatitudo in communi abſtracta ab omni particulari, non perficiat: omnis tamen particularis per ſe primo perficit ſub formali ratione beatitudinis, quam in ſe includit.

46. Ad 5. Quintum ſolum concludit quod appetitus videndi Deum foret naturalis, ſi ille daretur in nobis: alias argumentum nullam habet formam.

47. Ad 6. Ad ſextum non video, quomodo ex verbis allatis benè inferatur dari in nobis capacitatem, cùm naturali inclinatione ad videndum Deum, nam homo, ſi ad viſionem beatã non ordinaretur à Deo (quod facto fuit poſsibile) adhuc eſſet factus ad imaginem, & ſimitudinem Dei: quoniam ad hoc ſatis eſt, quod homo ſit beatificabilis beatitudine naturali, quę etiam eſt quædam Dei ſimilitudo.

48. Ad 7. Ad ſeptimum dicimus appetitum naturalem hominis in nulla re creata ſatiari, ex ſe tamen naturaliter ſatiari poſſe, ſi conſequeretur vltimum finem ſibi naturalem, qualis eſt perfectiſsima Dei cognitio, quæ ſaltem poſt mortem naturaliter haberi poſſet: vt diximus primo to, lib. 1. in quæſtione de beatitudine naturali: ſuppoſita tamen Dei reuelatione, quod homo ordinatus ſit in ſupernaturalem beatitudinem, cum iam de facto nullum habeat finem vltimum, quem ita appetat propter ſe, vt in vlteriorem eum non referat; ideo nullo bono creato ſatiari poteſt, ſed ſola viſione boni increati: ex quo non benê infertur dari in nobis appetitum naturalem ad videndum Deum.

49. Ad 8. Ad octauum admiſſa maiore, neganda eſt minor: quia homini naturaliter cõſiderato poteſt aſsignari res aliqua, in quã [illegible] tra tendat, vt in finem naturaliter vltimum. Ad confir. Et eodem modo ſoluenda eſt confirmatio argumenti.

Ad nonum quidam negant antecedẽs: 50. Ad 9. ſed illo admiſſo neganda eſt conſequentia, ſi conſequens intelligatur de inclinatione perfecta, & completa, qualis requiritur ad appetitum ſimpliciter naturalẽ: admittenda tamen eſt, ſi conſequens intelligatur de inclinatione radicali, inchoata, & imperfecta quam admiſimus ſupra 2. tom, lib. 10. Ad probationem verò cõſequentiæ dicimus neceſsitatem illam actus eliciti ſecundum ſpecificationem nõ præciſe prouenire ex ipſa cognitione; ſed ex illa radicali, & inchoata inclinatione, quæ vt eleuata per illam cognitionẽ neceſsitat appetitũ, vt ſi debet habere actũ, ille ſit volitio; non autem nolitio.

Ad decimum reſpõdetur intellectum 51. Ad 10. naturali, & completa inclinatione inclinari in ſuum obiectũ intenſiuè adæquatum, non tamen extenſiuè: vnde ſolùm inclinatur ad obiecta per ſe contenta ſub tali obiecto.

Ad 11. negamus minorem: ad proba- 52. Ad 11. tionem dicimus animam ſeparatam ideo naturaliter appetere reunionem, quia abſolutè naturaliter appetit vniri corpori: ad quem appetitum ſatis fuit ſemel fuiſſe naturaliter vnitam: nec oportet, vt ſoluta illa priori vnione ceſſet talis appetitus, quamuis iam naturaliter reuniri nõ valeat: & idem dicendũ eſt de appetitu cęci. 53.

Ad 12. vide Fonſecã vbi ſupra in d. q. Ad 12. 2. ſect. 3. ad 1.

In 13. quod Valentia putat eſſe euidens, 54. Ad 13. nullam video euidentiam: imò non video formam ſyllogiſticam, niſi petat principium, dum ait omnes homines naturaliter appetere viſionem Dei, quod erat probandum:

Ad 14. dicimus in minori dari petitio- 55. Ad 14. nem principij. Ad vltimum eodem modo reſpondemus.

¶ Et hæc ſatis ſint pr[illegible] ſolutione argumẽtorum partis affirma[illegible] accuratiorem, & diligentiorem ill[illegible] eum ſolutionem vide apud Fonſecam, Molinam, Salam, & nonnullos alios ex [illegible] ouioribus:

Et ita imponi[illegible]r finis huic Appendici: ſit laus Deo, Virgini, & P. Auguſtino.

Finis, Laus Deo.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRÆ.

GENESIS III.

Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: cinis es, & in cinerem reuerteris. 130. num.23.

¶ *Geneſis 27. Ecce odor filij mei, ſicut odor agni pleni.* 316. num.13.

¶ *Exodi 13. omne maſculũ adaperiens vuluam ſanctũ Domino vocabitur.* 521. n.15.

Exodi 25. Facies illi labium aureum: & in ipſo coronam: & ſuper illam alteram coronam aureolam. 547. num.2.

¶ *Numer. 16. Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum deuorauit illos; deſcenderuntque viui in infernum.* 70. num.62. & 63.

¶ *Tobiæ 12. cum eſſẽ vobiſcum, videbar vobiſcum manducare.* 290. ar.7. num.1.

¶ *Pſalm. 1. non reſurgent impij in iudicio.* 70. num. 64.

Pſalm. 15. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem 131. num.24.

Pſalm. 149. Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis: exultationes Dei in faucibus eorum. 350. nu.4.

¶ *Sapient. 3, Fulgebunt iuſti, & tanquã ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* 483. n.10.

¶ *Eccleſiaſt. 1. Nihil ſub ſole nou[illegible] & cæt.* 8. num.11.

[illegible] *Iſaiæ. 40. Qui ſperant in Domino m[illegible]tabũt [illegible]nem; aſſum[illegible]nt pennas vt aquilæ: current, & [illegible] labo[illegible]abunt. &c.* 483. n.9.

¶ *Daniel. 12. Mun[illegible] poſtquam iuge ſacrificium oblatum fuer[illegible] durabit dies mille ducentos ſexaginta.* 154. nu.27.

Ibidem. Multi ex his, q[illegible] dormiunt in terræ puluere, euigilabunt 71. [illegible]u. 66.

¶ *Amos. 3. Non facit Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ad ſeruos ſuos Prophetas.* 156. nu.33.

¶ *Sophoniæ. 3. Reddã populis meis labium electum, vt inuocent in nomine Domini.* 427. num.16.

¶ *Malachiæ. 4. Orietur Sol iuſtitiæ vobis timentibus nomen meum; & ſanitas in pennis, & egrediemini.* 483. nu.10.

¶ *Machabæorum 7. Tibi reſurrectio ad vitã non erit.* 71. nu.65.

¶ *Matthæi 10, Qui me confeſſus fuerit corã hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* 548. art.4.

Matthæi 15. Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. 192. num.32.

Matthæi 17. Sunt de hic ſtantibus qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo. 477. art. 7. num. 3.

Matthæi 22. Ego ſum Deus Abrahã: Deus Iſac: Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum. 49. n.27.

Ibidem. In reſurrectione erunt homines, ſicut Angeli Dei. 221. §.4. nu.16.

Matthæi 24. Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius, à quatuor ventis. 116. nu.72.

Ibidem: De die autem illa, & hora nemo ſcit; niſi ſolus Pater. 151. nu.12.

Matthæi 25. Media autem nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit. 160. n.8.

Matth. 26. Non bibam de hoc genimine vitis, vſque in diem illam, cum illud bibam vobiſcum nouũ in regno Patris mei. 138. num.28.

Matthæi 27. Multa corpora ſanctorum ſurrexerunt; & exeuntes de monumentis venerunt in ſanctam Ciuitatem. 79. nu.25.

¶ *Marci 7. Omne quod in os intrat; & cæt.* 192. num.32.

Marci 12. Non eſt Deus mortuorum, & cæ. 49.27.

Marci 13. De die autem illa, &c. 151. n.12.

¶ *Lucæ. 17. Media autẽ nocte &* [illegible]

Lucæ 20. Non eſt Deus mortuorum, & cæt. 49. n.72.

Ibidem

Ibidem. Erunt in reſurrectione,&c.221.n.16

Lucæ 21. Capillus de capite veſtro non peribit.199.§.4.num.17.

Lucæ 22. Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. ibidem.

Ibidem. Non bibam de generatione vitis,&c, 138.num.28.

Ioannis 1. Plenum gratiæ,& veritatis.ap.20 col.1.

Ioannis 5. Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei.&c.69.n.59.

Ibidem: Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic & filius, quos vult viuificat, 104.num.19.

Ibidem: Qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei.115.nu.65. Et 118. n. 77.

Ibidem: Pater demonſtrat ei, quæ ipſe facit ap.20.col.1.

Ioannis. 6. Reſuſcitem eum in nouiſsimo die 104.num.16.

Ioannis.16. Nunc ſcimus, quia omnia noſti. ap.20.num. 16.

Ioannis vltimo: Et omnia noſti.ibidem.

Actorum. 1. Quem oportet cœlum ſuſcipere vſque ad tempora reſtitutionis omnium, 137.nu.22.& 23.

Actor. 2. Et ſepulchrum eius apud nos eſt. 77.n.17.& 79.n.24.

Actor 10: Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum,& mortuorum 62.nu.29. & 68.num.53.

¶ Ad Rom.4. Chriſtus in hoc mortuus eſt,& reſurrexit, vt viuorum,& mortuorum dominetur.62.n,29.& 28.num,53. & 68, nu.53.

Ad Rom.5. Vbi abundauit delictũ, ibi ſuperabũdauit & gratia.63.n.33.& 69.n.57.

Rom.14. Ad hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit,& viuorom, & mortuorũ, & cæt, 104.num.17.

Primæ Corinth.9. Sic currite vt comprehendatis ap.8.ar.2. num.1.

Primæ Cor.15. Paulus multis confirmat reſurrectionem : expenduntur argumenta illius. 51.num.32. & 33.

Ibidẽ: Omnes quidẽ reſurgem⁹. 61. n.2.& 4

Ibidem: Omnes quidem dormiemus: variæ ſunt verſiones.62.nu.27.& 65.n.42.

Ibidem: Canet enim tuba,& mortui reſurgẽt incorrupti. 115.nu.65.

Ibidem: Sicut Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus 117.num.73.

Ibidem: In Chriſto omnes viuificabuntur; vnuſquiſque in ſuo ordine.141.nu.43.

Ibidẽ: Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.169.n.3.& 174.n.31.& 512.n.5

Ibidem: Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. 173.§.4.n.26.& 433.n.6.

Ibidem: Quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas.174.nu.29.

Ibidem: Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis.174.n. 33.

Ibidem ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.277.n.17.& 413. nu.3.

Ibidem: Caro regnum Dei non poſsidebit. 413.num.4.

Ibidem, Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute:483.n.8.

Ibidem: In momento, in ictu oculi.495. n.6.

Secundæ Cor.4. Eo quod nolumus ſpoliari: ſed ſuperueſtiri.63. nu.32.& 69.n.56.

Secundæ Cor.5. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum.69.n.60.

Ad Epheſios.2. conuiuificauit nos Chriſto,& conreſſuſcitauit.111.n.52.

Ad Epheſios 4. Donec occurramus in virum perfectum.222.§.5.num.22.

Ibidem: In menſura plenitudinis Chriſti.249 num.4.

Ibidem: Ipſe eſt qui aſcendit ſupra omnes cælos.298.num,9.& 300.n.18.

Ad Philippenſes 3, Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.122.nu.8.& 131.nu.25.

Ibidem: Sequor autem, ſi comprehendam ap.8 art. 2.

Ad Colloſſenſes.2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ,& ſcientiæ abſconditi ap.20. colum. 1.

Primo Theſſal.4. Nos qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini non perueniemus eos, qui dormierunt.61.nu.24.

Ibidem: Mortui, qui in Chriſto ſunt reſurgent primi : deinde nos qui viuimus [illegible] 61. num.24.& 144.n.10.

Ibidem, Nos qui viuimus,&c. 62,num. 28. 66.num.46.

Ibidem: Ita Deus eos, qui dormierunt adducet cum eo.104.nu.18.

Ibidem In voce Archangeli,& in tuba Dei deſcendet de cælo,& mortui, qui in Chriſto ſunt reſurgent.115.num.65.

Ad Hebræos 4. Qui penetrauit cœlos. 522. num.22.

Ad Hebræos 7. Excelſior cælis factus. 300. num,18.

¶ *Apocalypſ.* 2. *Eſto fidelis vſque ad mortẽ, & dabo tibi coronam vitæ.* 549. col. 1. *in principio.*
Apocalypſ. 12. *Mulier alitur in deſerto per tempus, & tempora, & dimidiũ temporis.* 154. *n.* 25. & 26.
Apocalypſ. 20. *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Throni.* 137. *num.* 25.
Ibidẽ: *& vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis: cæteri verò mortuorum, non vixerunt, donec conſummarentur mille anni.* 139. *n.* 31. & 32.

F I N I S.

INDEX RERVM, QVÆ IN HOC TERTIO Tomo continentur.

¶ *Abiron dum deſcendit in infernum: mortuus eſt.* 70. *n.* 63.
¶ *Accidentia ſub eadem ſpecie non poſſe diſtingui numero, niſi per diuerſa ſubiecta; nõ recipitur.* 254. *n.* 5.
¶ *Actio formaliter ſolum poteſt eſſe actio ſui termini intrinſeci.* 109. *n.* 41.
Actio conſeruatiua non ſemper eſt productiua, aut corruptiua. 273. *n.* 8.
Non repugnat impaßibilitati, aut immobilitati permanenti corporis glorioſi, ibidem nu. 9.
Actio productiua, & conſeruatiua non ſemper identificantur. 457. *nu.* 51.
¶ In *Adamo actualiter non fuit noſtra caro, nec materia primigenia, ex qua gignimur:* 187. *nu.* 8.
In *Adamo fuimus ſolum virtute, & ſecundũ rationem ſeminalem, ibidem.*
Adami corpus, an fuerit maximum corpus ante diluuium: & exceſſerit Gigantes? affirmant quidam. 250. *nu.* 9. *Negatio eſt vera.* 2[illegible] *nu:* 18.
¶ *Admiratio ad quam potentiam pertineat?* 372. *n.* 4, *& quas habeat cauſas?* 373. *n.* 5.
An detur in beatis? via. beatus.
¶ Æditio *vulgata omnino eſt tenenda in bis, qnæ ad fidem, & mores pertinent.* 61. *nu.* 24.
¶ *Aer eſt materia locutionis, etiam in Patria.* 424. *n* 7, *& ad eam edendam ſpiratur, & reſpiratur.* 425. *n.* 10.
¶ *Æuum an realitier diſtinguatur ab Angelo?* 33. *nu.* 57.
¶ *Agentis naturalis virtutem indifferentem ad plura indiuidua eiuſdem ſpeciei, determinatam eſſe in ipſo vſu ad ſemper producendũ indiuidua numero diſtincta, an ſit verum?* 13. *n,* 33. & 14. *n.* 37.
Vt agens bis poßit eandem rem producere, an neceſſario debeat habere eandẽ habitudinẽ ad eundem numero effectũ, quam prius ad eum habuit? 26. *n.* 25. Et 27. *n.* 26.
Agens naturale ob quã rationẽ non poteſt reproducere, idẽ numero corruptũ? 33. *n.* 55.
Agens naturale cur non poßit generare in inſtanti? 96. col. 1.
Agere in inſtanti etiam actione ſubſtantiali cur Deus poßit? 96. *nu.* 20.
Agens naturale virtute ſua, nec agere poteſt in vacuo, nec immediate in diſtans 300. *n.* 21. & 22.
¶ *Agilitatis dos in corpore glorioſo eſt admittenda.* 483. *n.* 7.
Agilitas: quæ eſt in potentia loco motiua ſpirituali beatorũ eſt diuerſa ſpecie ab ea, quæ eſt in eorum potentia corporea 493. *n.* 29.
Agilitas beatorum determinata eſt quoad velocitatem. 502. *n.* 2.
Agilitas non eſt futura æqualis in omnibus beatis. 507. col. 1. *n.* 1.
Agilitas beatorũ eſt vera qualitas. 508. *n.* 6.
Non eſt vna, ſed plures. 510. *n.* 19.
Vt per agilitatis donum eleuetur potentia loco motiua, non ſufficit ablatio impedimentorũ. 509. *n.* 12.
Agilitas non determinat ſpeciem certam motus, ſed velocitatem eius. 511. *n.* 25.

¶ *Alimentum tranſit in naturam aliti.* 191. *num* 27.
*Conuertitur in veram carnem. nu.*28.
Alimentum ex primaria naturæ intentione ordinatur non ad augmentum viuentis, ſed ad inſtaurationem humidi natiui. 194.*n.*7.
Alimenti materia ex prima intentione naturæ ſuccedit in locum materiæ deperditæ. 194.*num.* 8.
¶ *Amari nihil poteſt, niſi ſub ratione boni. ap* 69.*num.*22.
Amor ſenſibilis futurus eſt in appetitu concupiſcibili beatorum, quod debet intelligi, tam de amore concupiſcentiæ, quam amicitiæ. 342.*nu.*1. & 3.
¶ *Angelus, an poßit reproducere idē animal corruptum?* 21.*nu,*59.
Angeli in reſurrectione, an ſuis viribus, ſine Dei concurſu ſpeciali diſponere debeāt materias omnium reſurgentium? 21.*nu.*59.
Angelus annihilatus, ſi à Deo reproduceretur, an bis exiſteret per diuerſas numero durationes? 33.*nu.*57.
Angeli duratio, an realiter diſtinguatur ab Angelo? ibidem.
Angeli, an congregabunt mortuorum cineres propria virtute? 91.*nu.*9.
Angeli in corporibus aſſumptis verè, & propriè non manducarunt, nec maducare poſſunt. 288. *nu.*2. & *deinceps.*
Angeli, anſciant diem iudicij? ap. 44. *nu.* 5. & *deinceps.*
¶ *Annihilatum adhuc continetur ſub obiecto adæquato diuinæ omnipotentiæ: quia adhuc habet rationem entis.* 26.*nu.*22.
Nihil, in quod res annihilata tranſit, non eſt formaliter diſtinctum à nihilo, quod res habebat, antequam crearetur. 26. *num.* 23.
¶ *Anima vnita corpori licet poſſit ſe ipſa formaliter animare corpus: non tamen poteſt ſe ipſam effectiuè illi vnire, & dare ei eſſe humanum.* 37. *nu.*14.
In anima ſeparata, an maneat appetitus naturalis ad corpus? Dubitatur, Vide. 39.*num.* 21. & 22 *ap.* 57.*nu.* 13.
*An retardet animam beatam ne toto conatu tendat in Deum? ap.*57.*n.*13. & 14. 15. & 58.*nu.*16.
*Anima ſeparata, an habeat eſſe imperfectum? ap.*58.*num.*18.
Animæ ſeparatæ ſtatus, an ſit contra illius na[illegible] 39.*nu.* 24.
Animæ vegetatiuæ ſunt tres vires, nutritiua, augmentatiuà, & generatiua: ſunt inter ſe ordinatæ. 188. *numero* 16.
Omnes animas intellectiuas. & ſecundū perfectionem ſpecificam, & ſecundum indiuidualem eſſe æque perfectas, qui dixerint? 250.*n.*12. *Alij contra nu.*13.
Anima perfectior non proinde requirit maiorem quantitatem. 250.*n.*13. & 14.*Vera ratio.* 251.*nu.*16. & 17.
¶ *Annus magnus quot annorum millibus cōcludendus ſit apud nonnullos Philoſophos?* 5.*num.*2.
¶ *Appetibile inducit duplicem affectum in appetitum.* 352.*nu.*2.
¶ *Appetitus eſt deſiderium naturale, quo nolumus corpore ſpoliari, ſed ſuperueſtiri, quo modo intelligatur?* 63. *n.*32. & 69. *num.* 56.
Vterque appetitus ſenſitiuus futurus eſt in Patria idem numero, qui fuit in via. 339. *nu.* 1. & 2.
Appetitum ſenſitiuum naturaliter inclinare in malum, quomodo ſit intelligendū? 339. *num.*5.
Actus appetitus ſenſitiui, qui & quot ſint? 340. *num.*1.
Appetitus ſenſitiuus quomodo diuidatur in naturalem, & rationalem? 344.*nu.*6.
Appetitus concupiſcibilis actus circa bonum ſunt tres. 341.*nu.*1.
Appetitus iraſcibilis quinque ſunt actus. 357. *num.*1.
Appetitus quomodo ſatietur à beatitudine? 349.*n.*33.
Actus appetitus ſenſitiui, an futuri ſint in beatis voluntarij? 374.*col.*2.*n.*1.
An habeant in eis rationem paſsionis? 375. *col.*2. *nu.*3.
Appetitus ſenſitiuus beatorum futurus eſt, tam naturaliter, quàm ſupernaturaliter omnimode perfectus. 378.*n.*9.
Ornabitur omnibus habitibus acquiſiti[illegible] *infuſis quorum eſt capax.* 37[illegible] 15. & *deinceps.*
Appetitus ſenſitiuus [illegible]*minibus contra naturam concupiſci*[illegible] *electabile inhoneſtum; & quare?* 389.*num.*23. & 392. *nu.*37. & 396.*nu.*7.
Quomodo dicatur voluntas participata? 395. *nu.*2.
Quomodo rationi ſubijciatur? ibidem. num. 3.
*Illum ſubijci naturaliter rationi quomodo ſit intelligendum? nu.*5.

An

An ab eo ſit ſeparabilis aptitudo, vt feratur in bonum? 400. nu. 22.

Appetitus ſenſitiuus cur ſit capax habituum moralium? 405. n. 6.

Appetitus in communi ſumptus, quid ſit? ap. 60. q. 3. art. 2. n. 1. & 2.

Tendit in aliquam perfectionem. 61. num. 3.

Reſpicit bonum non dum habitum, poſsibile tamen haberi. nu. 4.

Appetitus diuiſio in appetitum deſiderij, & complacentiæ non admittitur. ap. 61. n. 4.

Appetitus, an realiter diſtinguatur ab amore? ibidem num. 4.

Appetitus alius naturalis; alius animalis: & quid vterque ſit? ap. 61. art. 2. §. 1. nu. 1.

Quid inter vtrumque interſit? ibidem.

Appetitus in communi diuiditur in naturalem, ſenſitiuum, & intellectiuum. ap. 62. nu. 4.

Alius eſt innatus, alius elicitus. ibidem, quid vterque ſit? ibidem & latiùs. §. 2. n. 9.

Appetitus alius naturalis: alius electiuus. ap. 62. num. 7.

Appetitus innatus propriè non dicitur appetitus, ſed per translationem. ap. 62. §. 2. n. 10. 63. nu. 11.

Quomodo includat cognitionem? ap. 63. n. 12.

Nihil addit ſupra rem, idque reſpectu ſubiecti immediati: non tamen mediati. 64. num. 18.

Diſtinguitur ratione. 63. nu. 17.

Tēdit in obiectū ſine aliquo actu. ap. 64. n. 19.

Reperitur in omnibus rebus, & potentijs. ap. 64. num. 21.

Reperitur etiam in potentia actiua in ordine ad ſuum actum. ap. 64. num. 22.

Appetitus elicitus, quid ſit? ap. 65. n. 23.

Eſt potentia vitalis apprehenſiua boni etiam formaliter. ibidem.

Appetitus diuiditur in ſenſitiuum, & intellectiuum. ap. 65. n. 24.

Diuiditur in omnino liberum, & omnino neceſſarium: & partim liberum: partim neceſſarium, ibidem.

Appetitus elicitus dicitur naturalis prout naturale, idem eſt quod neceſſario. apend. 68. nu. 17.

An appetitus elicitus naturalis detur in nobis in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem? Vide beatitudo ſupernaturalis.

Appetitus elicitus non poteſt velle malū ſub ratione mali. ap. 69. num. 22.

Nec poteſt nolle beatitudinem, & bonum propoſitum ſub ratione boni. ibidem.

Appetitus elicitus naturalis erga beatitudinē in particulari, an detur? Vide beatitudinis ſupernaturalis appetitus.

Appetitus. vide deſiderium.

Appetitus conſequens apprehenſionem naturalem reſpiciens agens ſupernaturale non eſt naturalis, ſed obedientialis. ap. 72. nu. 33.

Appetitus elicitus ſimplex, & imperfectus poteſt dari ſine intentione conſequendi. ap. 72. nu. 34.

Appetitus, & voluntas ex appetitu beatitudinis in communi neceſsitatur ad appetitum beatitudinis in particulari, ſi detur illius cognitio. ap. 72. nu. 36.

Appetitus elicitus eſt neceſſarius quoad ſpeciem, non tamen quoad exercitium in beatitudinem in partıculari ſibi præſentatam. ap. 72. nu. 37.

De appetitu innato beatitudinis ſupernaturalis, vide beatitudo ſupernaturalis.

Appetitiua potentia, vide potentia appetitiua.

¶ *Aqua in plures partes diuiſa, an redeat eadem numero, ſi partes iterum cōiungātur? dub. Vide. 18. nu. 50. & 19. n. 51.*

¶ *Archangelus, qui in die Iudicij tuba canet, qui nam erit? 90. nu. 6.*

An à ſolo iſto Archangelo cineres mortuorū ſint colligendi? 90. nu. 7.

Archangelus quomodo ad reſurrectionē concurret canendo tuba. 117. nu. 75.

¶ *Ariſtoteles. 8. Met. c. 4. tex. 11. Si materia eſt eadē, & agens idem, effectus eſt idē, quomodo ſit intelligendus? 17. num. 43. §. Ad hoc argumentum.*

Ariſtoteles 2. de Generatione c. 10. text. 56. & 8. Phyſicor. c. 8. text. 53. idem eodem modo ſe habens ſemper aptum eſt facere idem: quomodo intelligatur, ibidem.

¶ *Artefacta ſemel corrupta, an naturaliter reſtaurata redeant eadē numero? 19. n. 53.*

¶ *Attentio quando reperiatur in intellectione? ap. 30. nu. 32.*

Attentio ad plura ſimul, quando erit minor? ibidem.

Attritiò cibi in ore, ſiue maſticatio habet cō cōmitantem potentiam loco motiuā. 287 num. 3.

¶ *Audacia in beatis nō eſt futura. 371. n. 46*

¶ *Auditio non fit ſine ſpecie intentionali ſoni in ſenſorio auditus recepta. 308. nu. 3.*

Quomodo ſpecies eius producatur? ibidem [illegible] 4. & 15.

Auditio in Patria quomodo fiat? 312. ar. 3. num. 1.

An in Patria fiat in quamcunque diſtantiã?

Quænam res in Patria audiantur? & an ſemper ibi fiat auditio? 313. num. 1. & 2.

¶ *Ante primam viuentis augmentationem ſemper præcedit aliqua carnis deperditio. 189. col. 1. in medio.*

¶ *Aureola vnde dicta? & quid ſignificet? 547. num. 2. & 3. Et quid ſit? ibidem. num. 6.*

Aureola animæ ſubiectatur in eius eſſentia 548. num. 8.

Aureola corporis ponẽda eſt in captite. 548. num. 9.

Aureola eſt triplex: Martyrum, Doctorum, & Virginum. 548. nu. 10.

Singulæ explicantur. ibidem numer. 11. cum ſequentibus.

Aureolas non habent Angeli. 549. nu. 14. Nec Chriſtus. num. 15.

Aureolæ beatæ Virginis Deiparæ explicantur. 550. nu. 16.

Aureolæ non in omnibus ſunt æquales. 550. num. 17. Et quæ quibus anteferendæ? ibidem nu. 18. cum ſeq.

¶ *Axioma, Primum in quolibet genere eſt cauſa eorum, quæ ſunt poſt in eodem genere, expreſſe non ponitur ab Ariſtotele: & quomodo intelligatur? 112. nu. 56. & 108. nu. 38.*

Axioma, Quod eſt maximè tale, eſt cauſa, quod cæte ra ſint talia, quomodo explicetur? 113. numero 57.

Litera B.

¶ *Beatitudo naturalis, an debeatur homini ſecundum ſuam naturam ſpectato? 40. n. 27. 28. & 29.*

¶ Beatitudo *ſupernaturalis non omne deſiderium à beato excludit: nullam tamen animi ſolicitudinem admittit. 348. numero 25.*

Beatitudo *non omnem ſatiat appetitum. 349. numer. 32. Et in quo ſenſu dicatur illum ſatiare? ibidem nu. 33. 34. 35.*

Beatitudo *non complet omne deſiderium obedientiale creaturæ. Apend. 21. numero 23.*

Ad beatitudinem ſupernaturalem, an detur in nobis appetitus naturalis elicitus. ap. 65

Variæ ſententiæ. Explicantur varij quæſtionis ſenſus. §. 2. in 1. & 2. præmiſſo.

Beatitudo conſiderari poteſt, vel ſecundum communem rationem beatitudinis, vel ſecundum ſpecialem. ap. 67. nu. 11.

Et quomodo intelligatur eam conſiderari ſecundum communem rationem. num. 12.

Ad beatitudinem in communi eſt admittendus appetitus naturalis primo modo. i. qui ſecundum ſuam entitatem ſit ordinis naturalis. ap. 67. §. 3. nu. 16.

Eſt etiam admittendus naturalis. 2. modo. i. qui viribus naturæ ad actum reduci poteſt. 68. concl. 2. nu. 18.

Eſt etiam admittendus naturalis 3. modo. i. ortus ex principijs intrinſecis. ibidem.

Eſt etiam admittendus naturalis, vt diſtinguitur à libero, & dicitur neceſſarius: idque quoad ſpecificationem, & non quoad exercitium, ibidem. num, 19. & latè confirmatur.

Ad beatitudinem in particulari, ſiue ad viſionem beatam, an detur appetitus elicitus? ap. 69. §. 4. num. 23. Variæ ſententiæ.

Datur appetitus elicitus naturalis. 1. modo. i. ſecundum entitatem ordinis naturalis, 70. num. 25.

Non datur efficax ad videndum Deum. *ibidẽ concl. 2. num. 26.*

Nec in ordine ad Deum, vt eſt prima cauſa. 71. concl. 3. nu. 27.

Reſolutio quæſtionis. 72. concl. 4. n. 34.

Ad beatitudinem poſitam in clara Dei viſione dari poteſt appetitus naturalis elicitus, inefficax: imperfectus, & improportionatus. ap. 72. concl. 4. nu. 34.

Ad beatitudinem viſionis beatæ præſentatam vt veram beatitudinem fertur appetitus neceſſario quoad ſpecificationem: non quoad exercitium. ap. 72. concl. 5. num. 37.

An detur appetitus innatus ad beatitudinem ſupernaturalem?

Variæ ſententiæ: opinio negans cum fundamẽtis. §. 1,

Opinio affirmans cum fundamentis. §. 2.

Opinio media. §. 3.

Negans opinio apprehenditur. §. 4. Proprium huius opinionis fundamentum.

Solutio argumentorum. §. 5.

¶ *Beatus, an comprehendat, aut poſſit comprehendere Deum? Vide Dei comprehenſio.*

Beati cuiuſcumque cognitio ſimpliciter non eſt infinita. ap, 10. nu. 10.

Beatus cognoſcit diuinã eſſentiã per quidditatem inadæquatè cognitam. ap. 11. n. 18.

Beati

Beati an videant omnes creaturas poſsibiles ſecundum eſſe eſſentiæ? ap. 15. artic. 4. Variæ opiniones, §. 1. per totum.

Negatiua eſt tenenda. 17. §. 2. An ſit de fide? 18. §. 3. indiget cenſura oppoſita ſententia. 19. n. 12. Soluuntur argumenta. 19. §. 4. per totum. Cur hæ vel illæ creaturæ repræſententur? ap. 21. n. 22.

Beatus an poſsit videre omnes creaturas ſecundum ſuas eſſentias abſtrahendo à poſsibilitate exiſtentiæ? ap. 22. art. 5. Negatiua eſt tenenda. n. 5. an oppoſita indigeat cenſura? ibidem.

Beatus ex vi viſionis videt aliqua indiuidua poſsibilia. ap. 22. n. 6.

Beati an videant, aut videre poſsint infinita? ap. 23. artic. 3. Variæ ſententiæ. 24. §. 2. Quidam docent non poſſe videri infinita actu; bene tamen habitu. 25. num. 7. & 8. Alij affirmant. n. 10. Quomodo videantur? dubium. 26. n. 11. Vera reſolutio. 26. §. 3. n. 12.

Soluuntur argumenta. 27. §. 3. per totum.

Infinita iſta in ordine ad intellectum beati, an dici debeant infinita categorematicè, an ſyncategorematicè? dub. ap. 26. num. 14. dicenda ſunt categorematicè. 27. numero 15.

Infinita in ordine ad intellectum non excludũt exiſtentiam obiectiuam ſimultaneam. ap. 26. nu. 16.

An beatus poſsit videre omnia infinita? Vide viſio infinitorum.

In beatis datur cognitio infinitorum ſincategorematice. apend. 23. art. 6. §. 1. n. 1.

Beatus an videat infinita habitualiter? & in quo ſenſu? ap. 35. §. 5. & 36. concluſ. 3. num. 62. & concl. 4. num. 64.

Beati an de facto videant aliqua infinita? ap. 37. §. 6. Variæ opiniones à num. [illegible]7. vſque ad 75. Vera reſolutio. 38. num. 7[illegible] & 39. num. 86.

Nu[illegible]atus videt infinita poſsibilia, quæ Deus pote[illegible]ere? apend. 40. colum. 1. in principio. Opp[illegible]itum indiget creatura. nu. 81. Quomodo [illegible]atres ſint intelligendi. 41. nu. 85.

Beatum cognoſcere om[illegible], quæ per diuinam eſſentiam repræſentan[illegible]r, quomodo intelligatur? ap. 40. n. 83.

Nullus beatus, excepto Chriſto, videt in Verbo aliqua infinita cuiuſcunque ſint generis. append. 41. n. 86.

Fundamentum quorundam non recipitur. n. 87. Verum fundamentum. numero 90.

Argumenta Molinæ ſoluuntur. 42. n. 92.

An quilibet beatus videat in Verbo infinitas ſpecies numerorum, figurarum, & proportionum. ap. 42. n. 97.

Quemlibet beatum videre omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis, an dixerit D. Thomas? ap. 42. n. 98.

Beati omnes, an videant in Verbo omnia, quæ ſunt, fuerunt, & futura ſunt: & omnia, quæ Deus videt, ſcientia viſionis. ap. 43. art. 7. Oppoſitum non eſt tutum. n. 4. & nu. 9. in fine.

Multis probatur. 44. cum ſeq.

Beati, an videant in Verbo cogitationes cordium viatorum, & comprehenſorum? ap. 45. art. 8. Vident omnes & ſolas, quæ pertinent ad ſuum ſtatum. 46. n. 3.

An eas videant ſcientia infuſa? 46. numero 1.

Quænam ad ſtatum illorum pertineant? 46. num. 6.

Beati an videant omnia, quæ pertinent ad ſuũ ſtatum? ap. 47. art. 9.

Quæ ſint illa, quæ ad ſtatum beati pertinent? 47. n. 3. Quænam ſint, quæ videant? à n. 5. cum ſeq.

Beati cur potius hæc, quàm illa videant? ap. 48. art. 10.

Beati an poſsint videre diuinam eſſentiam ſine vlla creatura? ap. 49. art. 11. Quidam negant. §. 1. n. 1. Alij affirmant. n. 2. 3. & 4. Vera reſolutio. 50. §. 2.

In beatis de lege nulla datur viſio in Verbo, quin videatur aliqua creatura. ap. 50. n. 8.

De potentia abſoluta poteſt nulla videri. latè probatur. n. 10. & 11.

Soluuntur obiecta. n. 12. 13. & 14. Imò poteſt non videri creatura aliqua, vt creabilis. 51. n. 14.

Beati an videant in Verbo libera Dei decreta? ap. 51. art. 12.

Beati an ſimul videant omnia, quæ vident in Verbo? ap. 52. art. 13. Variæ opiniones. §. 1.

Vtraque pars eſt probabilis: probabilior negatiua. 53. n. 2. n. 4. & 5.

Argumenta in contrarium ſoluuntur. §. 3. & 4.

Ad ſtatum beati non pertinent, quæ adhuc ſunt futura, quamuis debeant pertinere, quando fuerint præſentia. append. 54. num. 16.

Viſio beati poſt reſurrectionem [illegible] intenſior? ap. 55. art. 2. Variæ opiniones. num. 2.

Affirmatiua defenditur propter Auguſtinū. 56.§.2.

Confirmatio adducta ab Auguſtino latè expenditur. 57,§.3. & 58.§.4. & 59.§.5.

Confirmatio ſumpta ex D. *Thoma expenditur.* 58.§.4. *vide nu.*19, & 21.

Confirmatur eadem opinio ex ſolutione argumentorum. 59. §. 5. *per totum.*

In beatis non datur admiratio orta ex malo. 373. *num.* 8.

Nec admiratio circa effectum naturalem, nu. 9. *futura eſt in illis admiratio diuinæ perfectionis, & excellentiæ.* 373, *num.* 10. & *admiratio extremi iudicij.* 374. *nu,* 11.

Beati in Patria corporaliter multa videbunt poſt reſurrectionem, 295. *nu.* 1. & *quomodo?* 297. *nu.*6. & 7.

Beati quo in loco in patria ſint futuri? 298. *num.*9. & 299. *num.*15.

Beati poſſunt pro libito præbere ſe viſibiles non beatis, vel ſe ab eis abſcondere impediendo emiſſionem ſpecierum. 328. *nu.*2.

In corporibus beatis dabuntur varia temperamenta ſiue complexiones. 259. §.3.

In beatorum corporibus erit plena ſanitas. 259. *q.*6. *art.* 1. §.1. & *erit perpetua,* 260. *num.*3. *Erit perfecta ad ad normam Philoſophorum* §.2. *Erit maior, quam fuerit in ſtatu innocentiæ.* §. 3. *Non erit perfectior, quam fuerit Chriſti in via* 261. §.4.

Beatorum corpora futura ſunt colorata, 262. *art.*2. §.1. *Eſt certa,* 264. *num.* 17. & 18.

An omnia futura ſint alba? dub. Quidam affirmant. 262. §.2. *Oppoſitum verius,* 263. *n.* 10. *Soluuntur argumenta. nu.* 11.

Litera C.

¶ *Cambium quid ſit?* 230. *num.*6. & 9. & 233. *num.*1.

¶ *Capilli non ſunt partes corporis noſtri ex ſententia Medicorum,* 218. *ar.*2. *num.*1.

¶ *Caro natiua naturaliter eſt corruptibilis.* 189. *num.* 17. *Eſt eiuſdem rationis cum carne facta ex alimento, & aggenerata. ibidem.*

Caro primigenia vſque ad ſtatum parum conſumitur, 190. *num.*22.

An ſola caro primigenia, & natiua pertineat ad veritatem naturæ humanæ? Diſp. 190. §.3. 191. *nu.*25. 26. *cum ſeq.*

An ſola caro primigenia purius, & perfectius [illegible] *vt naturā ſpeciei humanæ?* 192. §. 4.

An caro nutrimentalis pertineat ad veritatē naturæ humanæ? Vide materia nutrimentalis.

Caro ex alimento non ſolum pertinere poteſt ad augmentum naturæ humanæ, ſed etiam ad conſiſtentiam illius, 194. *num.*7.

¶ *Carnis primigenia in ſenectute nihil manere, eſt poſsibile.* 190. *nu.*21.

Caro vnius hominis comeſta ab alio conuertitur in ſubſtantiam comedentis contra Antenagoram, 202. *nu.* 5.

¶ *Cauſa naturalis cum cauſat, aliquid amittit de potentialitate actiua, quam habebat, antequam cauſaret.* 16. *n.* 41. & 42.

Cauſæ exemplaris ratio in quo ſit poſita? 121. §.2. *num.* 3.

Ad cauſam exemplarem non requiritur, quod exemplatum in omnibus ſit æquale exemplari, 121. *num.*4.

¶ *Charitas ōnia in beatis imperat.* 369. *n.*34

¶ *Chiliaſtarum error de regno millenario explicatur,* 132. §.2. *Impugnatur,* 134. *num.* 12. *vſque ad* 26. *ſoluuntur argumenta.* 138. *num.* 26. *cum ſequentibus.*

¶ *Chylus quid ſit?* 23. *n.*4.

¶ *Chymus quid ſit? ibidem.*

¶ *Cineris nomine, in quē reſoluentur corpora mortuorum, quid intelligatur.* 127. *n.*2.

¶ *Claritatis dos admittenda eſt in corpore glorioſo.* 465. *num.* 7. *quid ea ſit?* 466. *nu.*6, & *aliæ hac de re opiniones reijciuntur.* 467. *à num.* 11.

Claritas beatorum non eſt futura in ſola ſuperficie externa. 468. *nu.* 8.

Claritas beatorum non lædit oculos, ſed confortat. 471. *nu.*19.

Claritas beatorum non eſt eiuſdem ſpeciei cū claritate Solis. 474. *nu* 13. *conuenit tamē cum ea in gradu generico vniuoce. n.* 14.

Claritas [illegible]*poris glorioſi à quo producatur?* 47[illegible] *nu.* 4. & *quomodo cauſetur ab anima.* 477. *num.*14.

Claritas beatorum ex [illegible] *viſibili*[illegible]*u.* 1. *non tamen natura* [illegible] *nu.*19.

Claritatem Chriſti, & [illegible]*orum non videbūt damnati in die iudi*[illegible] 481. *nu.*25.

Claritatem ſuam an vnus beatus poſsit occultare alij beato? [illegible] *an ſe ipſum totum?* 481. *num.* 26.

An poſsit non beato ſe præbere viſibilem: & ſe coloratum inuiſibilē? & quomodo? 481. *num.* 29. & *deinceps.*

¶ *Chriſti duos aduentus in terras cognoſcit Eccleſia: quando carnem ſumpſit: & quando*

do in iuditium eſt venturus idque cum maieſtate. 136 nu. 17.20.21.22.
Chriſtus quando Paulo apparuit perſonaliter deſcendit de cœlo: an vero ſimul fuerit in cœlo? diuerſæ ſunt opiniones. 136 num. 18 19. & 20.
Chriſtus quos mortuos ſuſcitauit actiuè reſuſcitauit per ſuam carnem, & vocem ſenſibilem. 105 num. 21.
Chriſtus, vt homo, eſt cauſa operatiua noſtræ ſalutis, & reſurrectionis ſpiritualis, 105. num. 22.
Christus aſſumpſit naturam humanam, vt ea tanquam inſtrumento vteretur ad omnia miracula ordinata ad finem incarnationis: qui eſt reſtaurare omnia, quæ in cœlis ſũt, & quæ in terris. 105. nu. 23.
Chriſtus reſurrectionem generalem operabitur, vt cauſa inſtrumentaria, 102. §. 3. & §. 4. num 29 & cætera.
Chriſti Domini inſtrumentum eſt Angelus canens tuba in reſurrectione. 106. nu. 26.
Chriſti humanitas non operatur gratiam, & iuſtificationem, vt cauſa principalis ſed vt principale inſtrumentum. 107. num 31. & oppoſitum non eſt tutum. 108. nu. 34.
Chriſti reſurrectio an actiuè concurrat ad noſtram reſurrectionem? Vide reſurrectio.
Actio, qua Chriſtus reſurrexit, an adhuc permaneat? 110. nu. 44.
Facta fuit à Deo mediante anima, & corpore, vt inſtrumentis apud nonnullos: oppoſitũ verius. 110. nu. 44.
Chriſti humanitati ex ipſa actione reſurrectionis communicata eſt vis quædam reſuſcitatiua mortuorum. 110. nu. 47.
Chriſti humanitas, ideo quia eſt organum coniunctum diuinitatis, habet quod ſit vniuerſale inſtrumentum ad omnia miracula pertinentia ad redemptionem: in[illegible]get tamen aliqua determinatione ad hoc, ve[illegible]llud miraculum. 110. nu. 48.
Chri[illegible]tio in quo [illegible]nſu dici poteſt cauſa inſtrumen[illegible]æ iuſtificationis. 111. num. 50.
Chriſtus quomodo ſi[illegible]auſa reparationis totius naturæ. 117. nu. 73.
In Chriſto quænam ſit [illegible]rtus inſtrumentalis, qua eleuatur ad opera[illegible]dam reſurrectionẽ. 117. nu. 74.
In Chriſti carne aliquid fuit reſolutũ actione natiui caloris. 189. nu 20. quamuis parũ.
Chriſti caro natiua non tota fuit conſumpta vſque ad mortem. 190. numero 22.
Chriſto reſurgenti non ſunt reſtituti humores ſecundarij, roris, cambij, & glutinis. 234. num. 6.
An hi humores in Chriſto fuerint Verbo vniti? Dubium. Probabilis affirmatio. 234. num. 6 & 7.
An in Chriſti paſsione hi humores fuerint effuſi? affirmatio vera contra nonnullos, 234. num. 8. & 9.
Chriſto reſurgenti, an totus ſanguis effuſus reſtitutus ſit? negatiua placet contra Suariũ. 235. nu. 10. & 11.
An totus ſanguis Chriſti effuſus in paſsione vnitus fuerit Verbo? 235. nu. 11. & 12.
Chriſtus reſurrexit cum quantitate perfecta debita ſuæ complexioni. 240. num 9.
Surrexit in quantitate in qua fuit mortuus. 245. nu. 32.
Chriſtus tempore mortis habuit perfectum augmentum ſuæ naturalis quantitatis. 246. col. 1. poſt principium.
Chriſto repugnabat omnis morbus. 261. n. 7.
In eo fuit exactiſsima ſanitas. 261. n. 9.
Chriſtus, ſi vixiſſet, incurriſſet ſenium, & naturaliter moreretur. 261. nu. 10.
Chriſtus poſt reſurrectionem verè & propriè cum diſcipulis manducauit 290 num. 2. & diuerſa eſt ratio manducationis eius, & Angelorum. nu. 4.
Chriſtus eſt perfectiſsimum exemplar reſurrectionis beatorum. 434 nu. 12.
Chriſti anima an cognouerit omnes creaturas poſsibiles? negatiua placet ap. 19. nu. 15. explicantur loci Scripturæ in contrarium. 20. n. 15. & 16.
Chriſti animam in Verbo cognoſcere infinita, qui dicant ap. 25. num 10.
Non videt omnia infinita, quæ Deus poteſt facere. ap. 40. col 1. in principio: & oppoſitum indiget cenſura nu. 81. & 82. Videt in Verbo non ſolum aliqua infinita ſed plura ap. 43. nu. 100.
Chriſtus ſua ſubtilitatis dote penetrauit clauſtrum Virginis, 519. nu. 11 exiuit de ſepulchro 521. n. 16. Et per fores clauſas intrauit. n. 18.
¶ Cœlo circularis motus eſt naturalis, & debitus. 152. num. 17.
Cœli motus finis naturalis eſt participare diuinam bonitatem cauſando inferiora per motum. ibidem.
Cœlum eſt indifferens ad motum, & quietem. 153. num. 18
Motus cœlo quomodo dicetur naturalis? n. 19.

Cœlum eſt medium ad olfaciendum ſatis accommodatum. 319. n. 19.

¶ Adæquatio cognitionis comprehenſiuæ ad intelligibilitatem rei cognitæ in concipi, & terminare: in quo ſit poſita? app. 6. §. 5. Varij modi. Vera reſolutio. 7. n. 19.

¶ Cognitio, vide Viſio.

¶ Color in corpore glorioſo eſt admittendus. 470. n. 13.

¶ Comeſtio formaliter eſt actus potentiæ loco motiuæ, quæ ex intentione naturæ adminiſtrat potentiæ nutritiuæ. 287. n. 3.

Eſt actus animæ vegetatiuæ, non vitalis, ſed naturalis. 288. n. 6.

De eius ratione eſt, quod ſit operatio inſtituta à natura ad nutritionem. 289. n. 5.

¶ Complacentia in bono dicitur appetitus. append.

¶ Complexio, vide temperamentum: idem enim ſunt.

¶ Comprehendere in corporalibus vno modo idem eſt, quod rem veluti fugientem manu tenere. ap. 2. col. 1. in principio. Altero modo idem eſt, quod totam rei quantitatem intra ſe continere, & claudere. n. 2.

Comprehendere tranſlatum ad intellectum vno modo idem eſt, quod cognoſcendo rem attingere: Altero modo idem eſt quod totam rem intelligendo ita capere, vt nihil intelligibitatis eius lateat. ap. 2. n. 2. & 3. num. 6.

Comprehendi an poſſit creatura? ap. 7. n. 20.

Comprehendi an poſſit Deus? vide Dei comprehenſio.

¶ Comprehenſio propriè reperitur in corporibus, & per tranſlationem extenditur ad potentiam ſpiritualem, quæ fit per mentẽ. ap. 1. n. 1.

Comprehenſio propriè ſumpta idem eſt, quod rem intellectu ita percipere, vt nihil eius lateat ex Auguſtino. app. 2. n. 2. & latiùs §. 2. n. 3.

Comprehenſio intellectiua propriè ſumpta poſita eſt in extenſiua adæquatione cognitionis cum intelligibilitate; vt cognitio ita tantum illius apprehendat, quantum res habet intelligibilitatis. ap. 3. n. 3. latè probatur ex Patribus.

Comprehenſio propriè ſumpta non ſolùm ſumitur ex parte rei cognitæ, ſed etiam ex modo cognitionis quoad extendi ad obiectum: it. vt cognitio adæquatur cognoſcibilitati, & è cõtrario. ap. 3. n. 6. & deinceps.

Comprehenſio per ſe eſt poſita in adæquatione quantitatis, & quantitatiuè latitudinis apprehenſiuæ ad quantitatem, & latitudinem intelligibilitatis rei cognitæ in apprehendi, & cognoſci. ap. 3. n. 6.

Comprehenſio neceſſario includit duas quantitates: vnam ex parte cognitionis: alteram ex parte cognoſcibilitatis rei cognitæ. ibidẽ.

Ad comprehenſionem ex parte viſionis præter adæquationem extenſiuam, an aliquid aliud requirat? ap. 4. §. 3. Varij dicendi modi. Vera reſolutio. n. 9.

Ad comprehenſionem non requiritur, vt cognitio in genere entis ſit tam perfecta, quãtum obiectum in genere entis eſt perfectũ contra nonnullos. ap. 4. n. 7.

Nec ad eam per ſe requiritur, vt quantum obiectum excedit alia obiecta, tantum cognitio illius excedat alias cognitiones. ap. 4. n. 8.

Nec etiam requiritur, vt res comprehenſa cognoſcatur perfectiſſima cognitione, qua eſt cognoſcibilis ab alio. n. 9.

Requiritur tamen per ſe, vt tantæ perfectionis ſit in genere cognitionis, quantæ obiectum eſt in genere cognoſcibilis: non in eſſe, ſed in extendi; vt tantum ſe extendat in cognoſcendo obiectum, quantum illud eſt cognoſcibile in ſe. Nec oppoſitum docuit D. Thomas n. 10.

Ad apprehenſionem requiritur claritas, & quomodo? ap. 5. §. 4. n. 11.

Non tamen oportet, quod ſit ſumma; ſed quod ſit ſatis ad cognoſcendas omnes obiecti intelligibilitates. ap. 6. n. 14

Comprehenſionis qualitates ex Patribus. ap. 5. n. 11. 12. & 13.

Ad comprehenſionem rei non ſatis eſt videre totam rem quoad ea, quæ formaliter in illa ſunt con[tr]a Bellomontanum. ap. 6. n. 15. 16. & 17.

Ad comprehenſionem requiritur, quod cognoſcantur omnia, quæ formaliter ſunt, & quæ ad eam [co]nſequuntur, & ab ea pendent. coincidit [illegible] communi explicatione. ap. 7. n. [illegible].

Ad comprehenſionem requiritur, & ſatis eſt cognoſci omnia, quæ in re ſunt formaliter, & eminenter, [et] ſubinde quod cognoſcatur quoad omn[em] habitudinem, & connexionem, ſecundum quam cognoſci valet. ap. 7. n. 19.

An ad comprehenſionem requiratur, quod cognoſcantur omnes rei cognitiones, & etiam obedientiales? dub. ap. 7. n. 20.

Compre-

Comprehenſionis definitio tradita ab Auguſtino datur de comprehenſione ſtrictiſsimè ſumpta contra Bellomontanum. apend. 13. num. 6.

Comprehenſio diuinæ eſſentiæ infertur ex cognitione infinitorum ſimpliciter poſsibilium: non tamen ex cognitione aliorum in finitorum. ap. 34. concluſ. 2. num. 71. cum alijs.

¶ Conuerſio cibi in ſubſtantiam non eſt de ratione comeſtionis. 286. num. 3. & in quo eius ratio conſiſtat? fol. 286, num. 4. & 5.

¶ Corpora in reſurrectione à quo efformētur, & diſponantur ad animam? 92. art. 4.

Corporis reſurrecturi organizatio non poteſt fieri virtute naturali. 92. §. 1.

¶ An fiat à Deo mediante inſtrumento? 93. num. 4. & 5.

An fiat ab Archangelo tuba canente, vt ab inſtrumento Dei? 93. §. 3. Affirmatiua placet. num. 9, idem de alijs Angelis tuba canentibus. 94. nu. 11.

Corporis efformatio, & organizatio quomodo fiat? & quo ordine? Dub. 94. §. 5. Quæ ſint certa? 95. nu. 15.

An præcedat animationē ſolū natura? Dub. 95. num. 16. & 17. Vera opinio. nu. 18.

Corpus cur à Patribus dicatur prius formatū quam illi infundatur anima? 97. nu. 22.

An fiat in inſtanti terminatiuo temporis, in quo cineres delati ſunt ad locum, vbi futura eſt reſurrectio? 97. num. 23.

An prius natura fiat, quæ debetur animæ vegetatiuæ, deinde ſenſitiuæ, tandem intellectiuæ? 97. nu. 23.

An vltima corporis organizatione actiuè corrumpatur forma cinerum? & vniatur anima? Difficile explicatur. 98. numer. 26. Variæ explicationes. nu. 27. Vera reſolutio. 98. vſque à num. 33.

Corporis perfectio multiplex. 168. n. .

Corporis ſubſtantialis perfectio in quo ſit poſit… q. 2. art. vnico nu. 1.

Corpus anima… Paulum quid ſit? quid etiam ſit corpus ſpirituale? 169. nu. 3.

¶ Corpus glorioſum ab his actiuis qualitatibus alterare poteſt non glorioſum ſuo contactu. 274. nu. 16. Poteſt tamē beatus ſuſpendere qualitatum actiones, & emiſsionem ſpecierum, ne videatur, aut ſentiatur. 275. nu. 19.

Corpus glorioſum cur reſurget ſpirituale? 277. nu. 17.

Corpus glorioſum non eſt in cœlo violenter. 278. nu. 22. 23. & 24. Et quare? 279. num. 25.

Corpora glorioſa ſunt tangibilia. 326. nu. 1.

An poſsint tangere cœlum, ignem, & aerem? num. 2. Et deinceps.

Corpora glorioſa habebunt perfectiones ſupernaturales. 432. nu. 4.

¶ Corrumpi poteſt aliquid tribus modis. 23. num. 6.

Corruptibilia nō eadē numero redire, ſed ſolū eadem ſpecie docuit Ariſtoteles. 8. n. 13. Quidquid Scotus reclamet. nu. 14.

In corruptione quomodo fiat tranſitus ab habitu ad priuationem formæ, quæ deſijt? 17. colum. 1. ad 3. obiectionem.

¶ Corruptum vtrum actione agentis naturalis poſsit idem numero redire? Variæ ſentē. 5. art. 1. §. 1. impugnātur. §. 2. Vera eſt negatio §. 3. Variè confirmatur. art. 13. Expenditur cauſa à priori, 12. §. 5. Soluūtur argumenta. §. 6.

Omnia corrupta poſſe eadem numero redire viribus naturæ, plures docuerunt. 6. nu. 3. 4. & 5. Alij excipiunt, quæ ex ſemine generantur. nn. 4.

Corruptum redire idem numero natuturaliter eſſe impoſsibile, de quo corrupto ſit intelligendum. 18. nu. 50.

Corruptum an poſsit idē numero redire diuina virtute? Diſputatur. 21. art. 2. referuntur opiniones. 22. §. 1. Vera reſolutio. 22. §. 2. & 23. §. 3. Impugnantur fundamenta Dur. 25. 26 & 27. Afferuntur argumēta partis neg. 28. n. 30. Soluūtur. 29. n. 35.

Corruptum rei permanētis poſſe diuinitus idē numero redire, quocumque modo ſit corruptum indubitatum eſt. 23. nu. 7. & §. 3. Soluuntur argumenta. §. 5.

Corrupta ſucceſsiua an Diuina potentia eadē numero redire poſsint? res dubia: affirmatiua probabilior. 23. num. 8. & 28. §. 4. num. 30. Afferuntur argumenta. 28. nu. 31. Soluuntur. 29. n. 35.

Corruptum ſucceſsiuum an poſsit diuina potentia, idem numero redire? 23. num. 8. 28. §. 4. Argumenta partis negantis. 28. num. 31. Soluuntur. 29. nu. 35.

Corruptum, an poſsit diuina potentia, idem numero redire, ſi Deus ageret de neceſsitate naturæ? 32. nu. 53.

Omnia corrupta reditura fore in eadem numerica vnitate peractis certorum annorū periodis, aliqui Antiqui docuerunt. 34. art. 3. §. 2. num. 3. Et quomodo id intelligerent

ligerent. 35. num. 4. Non recipitur hæc opinio. num. 5.

Semel corruptum, an poſſit reproduci cũ alia numero exiſtentia? Quidam negant. 213. §. 1. nu. 1. Vera eſt affirmatiua. §. 2. per totum.

An ſemel corruptũ poſſit reproduci cum eadem numero duratione? 215. §. 2. nu. 4.

Litera D.

¶ Dathan, dum in infernum deſcendit, mortuus eſt. 70. nu. 63.

¶ Dauid, an cum Chriſto reſurrexit? 78. n. 23. & 79. num. 24.

¶ Delectationes ſenſitiuæ futuræ ſunt in Patria. 295. nu. 11. & 350. nu. 1.

Delectatio, & triſtitia non opponuntur, niſi ferantur in idem obiectum formale. 355. num. 5.

¶ Deſiderium ſimpliciter naturale nullum datur, quod viribus naturæ impleri non poſſit: aut ſaltem à Deo Authore naturæ, tanquam nobis debitum. ap. 72, col. 1. in principio.

Deſiderium ſenſibile duplex: abſolutum, ſiue efficax, & conditionatum, ſiue inefficax, 343. nu. 1.

Deſiderium, an repugnet eſſe in beatis? 344. num. 7. poſt reſurrectionem nullum in eis erit. 347. n. 23.

Deſiderium ſecum affert boni concupiti carentiam; non tamen animi inquietudinem, aut curam. 348. n. 28. & quænam requirantur, vt afferat moleſtiam, & curã. n. 29

Deſiderium, vide appetitus.

¶ Deſperatio in Beatis eſſe non poteſt. 364. n. 1.

¶ Deum cauſas ſecundas ad agendum determinantem ſolum determinaſſe ſuum naturalem concurſum ad nouum effectum; non vero ad eum, qui deſijt eſſe; an ſit verum? 13. n. 31. & 32. & 14. n. 36.

Dei potentia non minuitur ex eo, quod res deſijt eſſe. 23. n. 11.

Deum agere de neceſſitate naturæ, & eſſe Deum; an implicet? 32. n. 53.

Si Deus ageret de neceſſitate naturæ, adhuc poſſet ex nihilo aliquid producere, & reproducere, quod anihilatum eſt. 23. n. 16.

Si Deus ageret de neceſſitate naturæ, in quo nam ſenſu ageret ad modum agentis naturalis. 32. n. 53.

D[illegible]ſit in inſtanti agere productionem ſubſtantiæ? 96, n. 20.

Deus à Beatis comprehenditur, comprehenſione impropriè ſumpta. App. 8. art. 2. §. 1. n. 1. & 2.

An Deus comprehendi poſſit comprehenſione propria explicata ab Auguſtino? Variæ opiniones. Ap. 8. §. 2. n. 3.

Nec per diuinam potentiam comprehendi poteſt. 8. concluſione 2. num. 4. Confirmatur latè §. 2. Soluuntur argumenta. 10. §. 3.

Deus an comprehenderetur, ſi alicui daretur lumen gloriæ infinitum? App. 11, n. 13. 14. 15. 16.

Deum eſſe incomprehenſibilem ab intellectu creato, an ſit de fide? Ap. 11. art. 3. dubiũ n. 1. & 12. n. 2. & 3. Simpliciter aſſerendum eſt, eſſe de fide. 12. n. 4. 13. n. 5. 14. n. 7. & in quo ſenſu. 14. n. 9.

Deum ſimpliciter eſſe incomprehenſibilem fides ſimpliciter aſſerit. Ap. 15. n. 10.

Deus non eadem ratione, qua eminenter eſt homo, eſt leo, ſed alia virtualiter diſtincta. Ap. 21. n. 26,

Deus quamuis libere repræſentet Beato has creaturas; radicaliter tamen ſe vnit repræſentatione, quæ ſtante lege debita eſt huic, vel illi viſioni. App. 21. n. 26.

Deus non poteſt facere infinitum actu, bene tamen in potentia, & ſyncategorematicè. App. 41. n. 87.

Deum non videre infinita ſcientia viſionis falſum eſt. Ap. 41. n. 88.

¶ Dies iudicij, vide iudicij dies.

¶ Diſpoſitione vltima in generatione effectiue producitur forma, & vnitur. 98. n. 29.

Diſpoſitio vltima in generatione actiuè producitur à generante, non verò â forma genita, vt iam eſt recepta in materia. 98. n. 29. Priùs natura producitur à generante, quàm [illegible]ma contraria corrumpatur. 99. col. [illegible] in principio.

Prius [illegible]iam natura producitur, quàm form[illegible] generanda: quamui[illegible]eſterius [illegible] piatur in materia. [illegible] n. [illegible]

V[illegible]tima diſpoſitio ant[illegible] formam generãdam tùm in genere [illegible]auſæ efficientis, tùm materialis, ſi in corruptione non fiat reſolutio vſque ad m[illegible]teriam primam.

Diſpoſitio ſuper[illegible]uralis non eſt neceſſaria, vt corpus perfectè ſubijciatur animæ quo ad actuationem, & informationem ſubſtantialem. 541. n. 14.

Nec eſt neceſſaria ad perfectum vſum potentiarum ſenſitiuarum. 542. nu. 16. nec ad

opera-

operationes naturales perfectiſsimè eliciendas. nn. 17.
¶ Dolor, & triſtitia in quo differant? 354. nu. 1.
Dolor in beatis nullus eſt futurus. 354. n. 1.
Dona Spiritus Sancti quid, quot, & quæ ſint? 551. nu. 2. & deinceps.
Diſtincta ſunt à virtutibus infuſis. 552. n. 3.
¶ Dotes corporis glorioſi enumerantur, & probantur. 437. n. 3. Fluunt effectiuè ab anima beata. 458. n. 55.
Dotis ſupernaturalis definitio. 546. n. 2.
¶ Durandi ſententia, quæ docet non eſſe neceſſarium ad reſurrectionem, quod ſinguli reſurgant in eadem numero materia eſt temeraria in fide, & contra Philoſophiam. 179. num. 22.
¶ Duratio, an ex natura rei diſtinguatur ab exiſtentia? quidam negant. 214. art. 5. §. 1. num. 1. Alij affirmant. nu. 2. Et hac opinione ſuppoſita non neceſſario multiplicatur duratio multiplicata exiſtentia: poteſt tamen multiplicari exiſtentia non multiplicata durotione. 215. col. 1. in princip.
Duratio hominis beati eſt altioris ordinis ab ea, quam habuit in vita. 215. n. 7. eſt tota ſimul. ibidem.
Duratio hominis mortalis eſt ſucceſsiua, & extenſa. ibidem n 7 & 8.
Duratio eſſe rerum corruptibilium ſecundum ſe ſumpta non menſuratur tempore apud nonnullos, ſed menſura indiuiſibili. 215. n. 8.

Litera E.

¶ Effectum vnum numero vindicare ſibi vnã numero cauſam ſecundam, & vnam eiuſdem agentis numero actionem, an ſit verũ? 12. n. 30. Vera reſolutio. 13. n. 35.
Effectus ſemel productus nõ continetur in virtute actiua agentis naturalis, contra Scotũ. [illegible]8. & 39.
Effectum e[illegible]dem, ſi materia eſt eadem, & agens idem, [illegible]modo intelligitur? 7. n. 43.
Effectum eundem numero non poſſe habere plures actiones ſui productiuas habet duplicem ſenſum: & in [illegible] ſit verum, aut falſum? 25. n. 18. 19. & 20.
Effectum ſucceſsiuè produci duabus actionibus non implicat. 26. n. 24.
Effectus formalis ſecundarius ſeparabilis eſt à forma; non tamen primarius. 505. n. 17.
¶ Elias, an mortuus ſit? dubitatur. 62. n. 26. 63. n 35.
¶ Enoch, an mortuus ſit? dubitatur. ibidem.
¶ Ens ſemel productum ita exijt extra potentiam agentis naturalis, vt in illa amplius contineri non valeat; contra Scotũ, & Suarium. 16. n. 40.
¶ Eſſentia diuina repræſentat naturaliter omnes creaturas poſsibiles, non actu, ſed virtute: non indiuiſibiliter, ſed diuiſibiliter. ap. 21. n. 20.
Diuina eſſentia non repræſentat creaturas, vt ſpeculum. ap. 21. n. 21.
Eſſentia diuina poteſt videri nullo viſo attributo. ap. 51. n. 15.
Poteſt etiam videri nulla viſa creatura. ap. 51. n. 14. & 58. n. 9.
Excluſio doloris, & triſtitiæ vnde oriatur? 356. n. 9. & ſequentibus.
¶ Exiſtentiæ diſcontinuatio non infert rei pluralitatem. 30. col. 1. in principio.
Exiſtentia, an diſtinguatur ab eſſentia ex natura rei? quidam negant, alij affirmant. 213. n. 3. & 4.
Exiſtentia, an diſtinguatur à duratione, Vide duratio.
Exiſtentia eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ, vt eſt ens actu. 213. n. 6. 214 n. 7.
Exiſtentia totius compoſiti eſt compoſita ex exiſtentijs ſuarum partium. 213. n. 5.
Exiſtere, an poſsit eadem res per diuerſas exiſtentias. 213. § 2 n. 3. & 214 n. 8.
¶ Expectatio beatorũ à qua virtute oriatur? 364. n. 18.
¶ Eua fuit formata ex coſta Adami additione nouæ materiæ. 242. n. 18.

Litera F.

¶ Facilitas, qua beati mouentur conſiſtit in carentia laboris, & laſsitudinis, & in velocitate motus. 503. n. 3. Et quæ ſit cauſa carentiæ nu. 4. Et quæ ſit cauſa velocitatis. 57. n 24.
¶ Facultates animæ vegetatiuæ quot ſint, & quæ? 280 n. 4. & deinceps.
Facultas vitalis ad quem animæ gradum pertineat? 280 n. 2. & 3.
Facultates animæ vegetatiuæ in reſurrectione reſtituentur beatis, & eædem numero. 282. n. 3. & 284. n. 2. & 3 nec officit quod ceſſent earum actiones. 283. num. 8. & 9. Et cur non ſint otioſæ n. 10.
Faculates habent ſuã perfectionem in ordine

ad

ad vſum in actu ſignato, non vero in exercito. 283.n.11.

Facultatis vitalis animæ vegetatiuæ vſus non manebit in corpore glorioſo. 285. col. 1. num. 1.

Facultates omnes animæ ſenſitiuæ reſtituendæ ſunt in reſurrectione. 292. col. 1. n. 1. eædem numero col. 2. n. 1.

¶ *Filij, an in diuinis eſſent plures, ſi generatio diuina per impoßibile interrũperetur: an vero idem numero Filius generãdus foret. 32. n. 54.*

¶ *Fletus in Patria non erit. 374. colum. 2. num. 1.*

¶ *Fœmina quomodo dicatur naturæ imperfectio, & ab ea non intendi per ſe. 222. ad quartum. n. 24.*

¶ *Fomes peccati in appetitu non ſolum frænari poteſt quoad actum ſecundum; ſed etiã ligari quoad primum: imò penitus extingui. 340. n. 7.*

Fomes peccati ſubiectatur in appetitu ſenſitiuo. 383. n. 5. Et deinceps: & per eum mediatè in ſubſtantia carnis, eiuſque complexione. 384. n. 10.

Fomes peccati quid ſit? 390. n. 24: & 391. n. 34. Variæ ſententiæ. 385. n. 2. Plerarumque refutatio. 388. nu. 15: & cur ita vocetur? n. 11.

Fomes peccati idem eſt, quod concupiſcentia. 388. n. 12.

Fomes peccati in actu primo, & ſecundo quid ſit? 388. nu. 13.

Non eſt aliqua qualitas appetitui ſuperaddita. 390. n. 25: Nec eſt non repugnantia ad concupiſcendum. 391. n. 32.

Fomes peccati eſſet in homine, ſi crearetur in puris naturalibus. 395. n. 39

Fomes peccati ſemper inclinat in malum. 393. nu. 42. & 394. n. 46.

Manet in nobis poſt baptiſmum. 395. n. 1.

Fomes peccati materialis, & formalis quid? 396. n. 1.

Fomitem ligari, & tolli, quid ſit? 397. n 5.

Fomitem tolli totaliter, & nõ totalliter quid? 397. nu. 6.

Fomes peccati poteſt tolli, tam in via, quàm in Patria. 398. n. 12.

Fomitẽ fuiſſe in Chriſto Domino: error. 399. num. 13.

Nec etiam fuit in Beata Virgine ſaltem poſt Verbi conceptionem, ibidem.

[illegible] ſita eſt ligatio. 402. n. 5.

Ligari per cauſam intrinſecam, aut extrinſecam intelligitur dupliciter, ibidem.

Fomes in viatore ligari poteſt, & quomodo? 403. n. 10. & deinceps.

Fomes peccati quomodo poßit à nobis tolli? 406. n. 10. & deinceps. 415. n. 7. & 8.

Fomes quoad actum ſecundum manere non poteſt in beato, 412. col. 2. nu. 1. Nec etiã quoad actum primum. 414. n. 3.

¶ *Forma corrũpenda prius natura expellitur à materia, quam introducatur generanda. 99. col. 1. in principio.*

Forma generãda prius natura producitur à generante, quam corrumpatur contraria. 99. col. 1. in principio.

Poſterius tamen natura producitur, quam vltima diſpoſitio; ſed prius recipitur in materia, quam illa. 99. n. 30.

Forma ſubſtantialis nõ eſt tota rei materialis eſſentia. 206. n. 2. & 3.

Formæ ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales eductæ de potentia materiæ, non poſſunt immediatè conſeruari à ſubſtantia creata immateriali. 457. nu. 53.

¶ *Forti tudinis donum manet in Patria. 553. num. 4.*

¶ *Fructus beatitudinis quidnam ſit? 506. n. 1. Eſt actus non vero habitus. n. 1. Et cur dicatur fructus beatitudinis? 561. n. 3.*

Fructus beatitudinis, an dentur in Patria? ibidem.

Non erunt in omnibus beatis æquales. Ibidem.

¶ *Functiones facultatum naturalium in corpore glorioſo non erunt. 284. n. 2. & deinceps.*

Functiones internorum ſenſuum erunt in Patria. 293. n. 5. & deinceps.

¶ *Fuga mali futura eſt in vtroque beatorum appetitu etiã ſi fuga diſtinguatur ab odio. 354. n[illegible].*

Fuga n[illegible] ſemper reſpicit executionem imminen[illegible]m, & futuram; ſed ſufficit poßibil[illegible] 354. numero 5.

Liter[illegible] G.

¶ *Gaudium ſenſibile futurum eſt in patria. 550. n. 1. & quo[illegible] 351. n. 10. & de quibus? n. 11.*

¶ *Generans an vltima diſpoſitione effectiuè corrumpat formam contrariam, & producat generandam eam cum materia vniendo. 98. n. 28. & deinceps.*

Generatio eſt vera actio diſtincta ab alteratione

tione præcedente in toto tempore immediato. 98, n. 28.

Generans effectiuè producit formam, & eam vnit mediante vltima diſpoſitione. 98. n. 29.

Generans prius natura producit vltimam diſpoſitionem, quam formam generandam: prius tamen eam introducit in materia, quã timã diſpoſitionem. 99. n. 31.

¶ Gigantes omnes in magnitudine ſunt monſtruoſi. 244. n. 25. & 26.

Gigantæa quantitas quænam dicatur? Ibidem.

Gigantes, an fuerint antequam Filij Dei (ſcilicet ſeph) ingreſſi fuerint ad filias hominũ? 252. n. 17.

¶ Gluten quid ſit? 233. n. 1. & 2.

¶ Gratiæ gratis datæ quid ſint? 561. n. 1. & quot? n. 2.

Gratiæ gratis datæ quoad omnem earum perfectionem manebũt in patria: ſed nõ ſub ratione gratiæ gratis datæ. 561. n. 3.

¶ Grauitare non eſt effectus formalis grauitatis. 279. n. 26. Et ideo poteſt dari grauitas ſine actuali impulſu. n. 27.

Grauitas, & leuitas ſunt principia actiua motus. 275. n. 1.

Grauitas, & leuitas eſſentialis, & accidentales quid ſignificent? 275. n. 2.

Grauitas, an futura ſit in corpore glorioſo? 276. n. 14. & 503. n. 7.

Grauitas non repugnat doti agilitatis benè tamen eius vſus. 278. n. 20.

Grauitas in corpore glorioſo cur non ſit otioſa, cum in perpetuũ ſuo vſu priuetur? 278. n. 21.

Grauitatis ablatio, & aliorum impedimentorum non ſufficit ad agilitatem beatorum. 506. n. 23. 509. nu. 12.

¶ Guſtatio in patria eſt futura. 32[illegible] nu. 5. & deinceps: quomodo fieri debeat? [illegible]1. nu. 10. & quod ibi ſit eius mediũ, & ob[illegible]ctum? [illegible]13. Et qu[illegible]modo immutet corpus glorioſum[illegible]14.

Guſtus non ſolum [illegible]ſtitutus, vt per eũ animalia ad capiendu[illegible] cibum alliciantur, ſed etiam ad comparãdam ſaporum ſcientiam. 323. n. 18.

Litera H.

¶ Habitus in appetitu ſenſitiuo ſunt admittẽdi. 376. nu. 1. Et quomodo hæc habituum capacitas à quibuſdam explicetur? num. 3. & 4.

Habitus omnes tam acquiſiti, quàm infuſi, quorum appetitus ſenſitiuus eſt capax, an futuri ſint poſt reſurrectionem? 379. nu. 15. & deinceps.

Habitus naturales appetitus beati habebunt ſummum, & perfectum gradum rectitudinis naturalis; & in omnibus erunt æqualis perfectionis: non tamen eadem perfectio in habitibus & virtutibus infuſis. 380. n. 21.

Habitus, qui fuerunt in via in appetitu, an reſtituendi ſint ijdem numero? 380. num. 22.

An habituri ſint eundem operandi modum, & operaturi omnes actus viæ? n. 23. & deinceps.

Habitus repræſentans omnia infinita ſimpliciter poſſibilia eſt impoſſibilis: ſecus de alijs infinitis. apend. 36. concluſio. 3. num. 62. Soluuntur argumenta n. 63.

¶ Hebraice loquentur beati communiter in patria. 427. num. 16. Sed aliarum etiam omniũ linguarum notitiam ſunt habituri. 426. n. 14.

¶ Hominis totius entitas per mortem omnino perit: & tamen in reſurrectione eadem numero reproducitur. 27. n. 29.

Homo generans effectiuè vnit animam corpori. 38. n. 17.

¶ De integritate humanæ naturæ, an ſit caro tam primigenia, quàm aggenerata? 190. §. 3.

Humanæ naturæ partes multis modis dici poſſunt principales. 193. §. 2. numero 5.

Humanæ natura non neceſſario ſibi vendicat hanc materiam natiuam, aut illam. 194. nu. 6.

Natura humana ſiue humanitas non eſt ipſa anima, vt dat ſpeciem toti homini: contra nonnullos. 206. n. 2.

Natura humana homine mortuo quamuis deſinat vt eſt quoddã totum: non tamen deſinit totaliter, & ideo non annihilatur. 207. n. 7.

Natura humana non exiſtit per exiſtentiam animæ, ſed per propriam. 207. num. 9.

Humana ſpecies ſpectata ſua naturali conſtitutione habet terminum magnitudinis intrinſecum: abſolutè tamen ſolum habet extrinſecum. 244. n. 27.

Hi autem termini variantur variata ætate Mundi. 245. n. 32.

¶ Humidum radicale non eſt ſola caro natiua: quid ſit? 189. n. 18.

Humor corporis quid ſit? 225. q.7.§.1 .n.1.
Primarij humores ſunt quatuor. numero 2.
Secundarij, qui ſint? nu.3. & 4. Sunt quatuor. Ros, cambium, gluten, & alius innominatus. 233. art. vnico. n.1.
Generalis diuiſio humoris. 225. n.5.

Litera I.

¶ Idem eodem modo ſe habens ſemper facere idem, quomodo intelligatur? 17. num. 43.
Ex identitate ſubſtantiali hominis, qui cecidit infertur identitas, tum animæ, tum materiæ. 182. n.6.
¶ Ignis conflagrationis in die Iudicij, an venturus ſit ante iudicium, an poſt? 129. nu. 16.
¶ Immutatio realis in ſenſorio guſtus corporis glorioſi, quomodo poſſit admitti, non obſtante dote impaſſibilitatis? 323. num. 17.
Immutatio realis ad contactum, quamuis ſit neceſſaria in via, non tamen in Patria: & quare? 325. n.9. & deinceps.
¶ Impaſſibilitas corporis glorioſi oſtenditur. 439. n.7.
Impaſſibilitas iuſtorum non excludit paſſionem perfectiuam, ſed corruptiuam. 440. nu.11.
Impaſſibilitas conuenit iuſtis ab intrinſeco. 443. n.10. Variæ hac de re opiniones, 441 n. 3, Reijciuntur. 444. n.14.
Impaſſibilitas quidnam ſit? 449. num.11. Reijciuntur plures ſententiæ. 451. n.23.
Impaſſibilitas, quomodo reſiſtat qualitatibus corruptiuis? 460. n.66.
Impaſſibilitatis nomine nō ſignificatur priuatio aliqua, aut negatio, ſed quid poſitiuum. 462. n.72. & 464. n.5.
Impaſſibilitas, an in omnibus beatis ſit æqualis? 464. n.5.
¶ Ad Impoſſibile poteſt dari affectus ſiue appetitus inefficax. ap.
¶ Impotentia ad recipiendum motum violentum ab aliqua creatura vnde conueniat beatis? 463. n. 77.
¶ Incorruptibilitas duplex, paſſibilis, & impaſſibilis. 439. n.9.
¶ Incorruptio damnatorum cuiuſmodi ſit futura? 539. n.10.
¶ Indiuiduationis principium eſſe materia[illegible] ſignatam volunt Thomiſtæ. Non recipiũtur. 255. n.4.
¶ Indiuidui vnitas per ſe conſtituitur per hãc formam, & per hanc materiã. 181. n.31.
¶ Indiuiſibilitas corporis glorioſi à qua dote proueniat? 462. n.76.
¶ Infantes, an ſint reſurrecturi? Vide reſurgere.
Infantes damnati, mortui in vtero matrum comparebunt in Iudicio. 72. n.72.
¶ Infinitum intenſiuè, nec per diuinam potentiam dari poteſt. ap.10. nu. 11. Quidam oppoſitum volunt. 11. n.13.
Infinitum categorematicè duobus modis poteſt cognoſci. ap.24. n.3.4. & 5.
Infinita in Verbo, an repugnet videri? Vide beatus, & viſio.
Infinita abſolutè poſſibilia, & infinita poſſibilia ſub vna ſpecie non ſunt idem. ap. 33. n. 43. & 48.
Non quæcumque infinita adæquatè continent omnia, quæ Deus poteſt facere. ap. 34. n. 76.
Infinitum ſyncategorematicè poteſt fieri à Deo. ap.41. n.87.
Infinitorum non omnis cognitio arguit infinitam cognitionem, aut comprehenſionem diuinæ eſſentiæ. ap.41. n.89.
Infinitas extenſiua obiectorum, quando ſupponat infinitatem intenſiuam cognitionis? ap. 30. n. 31.
Infinitas ſpecierum ſub vno genere infimo nō infert infinitatem infinities infinitam: eam tamen infert infinitas indiuiduorum ſub vno genere. ap.33. n.49.
¶ Inſtrumentum eſſe non poteſt id, quod fuit, ſed iam non eſt. 109. n.42. & 43.
Inſtrumentum realiter agit in effectum. 109. n.43.
¶ Intellectio ſimplex poteſt haberi ſine atteñtione. p.30. n.32.
¶ Intellectus beatus, nec à multitudine obiectorum, nec à ſenſuum operatione ibid[illegible] futura impedietu[illegible] 195. n.1[illegible]
Intellectus beati pote[illegible] quar[illegible] rem intelligere ſine phanta[illegible]s cõcurſu, 334. n.7.
Intellectus depende[illegible]ia à phantaſmatibus, vnde oriatur? 334. n.9. Eſt depẽdentia tãtum naturalis, [illegible]n vero eſſentialis. n.10.
Intellectus crea[illegible] an poſſit videre infinita, & omnia infinita? Vide viſio infinitorum.
¶ Ioannes Euangeliſta, an vere ſit mortuus: & vere iã reſurrexerit? 82. n.43. & 44.
¶ Ira in beatis locum non habet. 372. n.2.
¶ Iudicium generale fiet in terra. 146. num. 5.

In

In quo loco fiet?
Fiet in valle Ioſaphat. nu. 6.
Iudicij diem appropinquare in ſe: quo ſenſu dixerunt Patres. 159. n. 45. & 46.
Iudicij diem, & horam, an ſciant Angeli, & beati? ap. 44 n. 5. & deinceps.
¶ Iuſtitia originalis per ſe ſola non erat ſufficiens ad tollendum fomitem, & ad ſubijciendum appetitum rationi. 409. n. 21.

Litera. L.

¶ Linguarum omnium notitiam habituri ſunt beati, ſed non communem vſum. 426. nu. 14.
¶ Locus nec eſt vbi, ne c illud relinquit in rebus locatis, niſi prout habet ordinem ad locum imaginarium, & immobilem, quem Philoſophi fingunt. 30. n. 41.
¶ Locutio vocalis, & ſenſibilis futura eſt in patria. 422. n. 2. Ad quid ibi detur? 307. n. 8. Quæ ſit eius materia? 424. n. 7. An fiat per reſpirationem? n. 8. & deinceps.
In qua lingua futura ſit? 426. nu. 14. & deinceps.
Lucere, & eſſe tranſparens, an repugnet corpori glorioſo? 470. n. 14. & deinceps.
¶ Lumen gloriæ, quod ſatis eſt, vt vnum indiuiduum vnius ſpeciei videatur, an ſatis ſit, vt videantur infinita eiuſdem ſpeciei? ap. 43. n. 99
¶ Lux corporis glorioſi non lædit oculum, ſed confortat. 471. n. 19.

Litera M.

¶ Mãducatio inſtituta eſt à natura ad nutritionem. 299. n. 5.
¶ Maſticatio cibi non eſt de ratione formali comeſtionis propriè ſumptæ. 2[illegible]6. n. 5.
Habet concomitantem potentiam [illegible]o motiuam. 287. 3.
[illegible]ne dici poſ[illegible] actus potentiæ vitalis? 288. n.[illegible]
¶ Maria Virgo ta[illegible] erfectè reſurrexit. [illegible]3. §. 2. per totum.
Quanto tempore poſt mortem reſurrexerit? Variè reſoluitur. Ve[illegible] reſolutio. 74. n. 5.
Reſurrexit ſine corporis [illegible]ſolutione in cineres. 127. ar.. 1. §. 1. n. 1.
¶ Materiæ potentia ad recipiendam animam quomodo dicatur naturalis? 39. num. 21.
Materia prima, an aliquem actum eſſentialiter admittat? Dub. 180. n. 23. & 24.
Materia in ſua entitaie vendicat ſibi vnitatem. Ibidem.
Materiæ vnitas neceſſario requiritur, vt compoſitum ſit vnum: Vnde mutata materia erit alius numero homo. 180. n. 27.
Ad vnitatem materiæ, an ſatis ſit vnitas formæ? 183. artic. 3. Negat Durandus. §. 1. Impugnatur. §. 2. per totum.
Materia prima habet propriam, & intrinſecã vnitatem ab eius entitate inſeparabilem. 184. nu. 11.
An in materia prima præter vnitatem intrinſecam ſuæ entitatis admittenda ſit alia vnitas externa, quam habeat à forma? 18[illegible] n. 11. Si admittatur, fundabitur in entitate materiæ, & erit diuerſa in diuerſis compoſitis: nec tollet, vt materia prima ſemper perſeueret cum ſua intrinſeca entitate. nu. 12.
Materia à parentibus accepta dicitur primigenia. 186. n. 2.
An fuerit in Adamo? aliqui affirmant. 186. n. 3. Negandum eſt. n. 6. & 7.
Materia primigenia non fit maior ſolo quantitatis acceſſu, ſed additione nouæ ſubſtantiæ. 187. n. 9.
An maneat vſque ad mortem? Dub. 188. nu. 11. 12. & 13. Vera reſolutio. n. 14.
Materia tam natiua, quàm de nouo ex alimẽto addita perpetuo dilabitur. 188. nu. 15. & 16.
Materia nutrimentalis ſuperaddita per nutritionem, an pertineat ad veritatem naturæ humanæ? 193. art. 5. Variæ opiniones. §. 1. Affirmatiua vera. §. 2.
Hæc numero materia vnitate continuationis eſt ſimpliciter neceſſaria ad conſiſtentiam huius hominis. 164. n. 6.
Materia cœleſtis, an poſſit venire in compoſitionem cum anima rationali? 453. n. 31.
¶ Membrorum nomine in corpore humano, quid ſit intelligendũ? 116. artic. 1. §. 1. n. 1.
¶ Mobile bis eſſe motum, & moueri vno tantum motu, quomodo non implicet? 30. nu. 40.
¶ Morituros eſſe omnes homines ſimpliciter eſt aſſerendum. 56. §. 3. n. 9.
In quo gradu certitudinis ſit tenendum? 58. n. 14 & 60. nu. 20. Soluuntur argumenta. 62. n. 26.
Morituri ne ſint, qui in aduentu Domini ad Iudiciũ viui reperientur? D[illegible]4. n. 40. Vera reſolutio, 65. n. 41. Vide 62. nu. 30. & 68. n. 55.

¶ Mortuorum cineres in die Iudicij à quonã colligantur? 89.art.3.n.1.& 2.
An Angeli ad id ſint adminiſtraturi? nu. 3. Vide multa de hoc. 89.art.3. per totum.
Mortui dicuntur habitare in puluere, & in ſepulchro, quia in illis eſt materia, in qua ſunt reſurrecturi. 201.n.4.
¶ Mouere poterunt beati ſingulas corporis partes, vt mouebant in via. 421. colum. 1. n.1.
Moueri ab vno extremo ad aliud non pertrãſeundo medium non poterit corpus glorioſum. 494.n.3.
An beatorum corpora in quacumque locorum diſtantia in tempore æquali moueantur? Ibidem.n.5.
Moueri in inſtanti cur beati in corpore dicantur? 495.n.6.
Moueri non poteſt beatus motu continuo de exremo ad extremum non tranſeundo per medium. 496.n.5.
An poſsit de vno loco ad alium immediatum non communicantem ſimul, & indiuiſibiliter tranſire? 498. n.16.
Moueri de extremo in extremum motu diſcreto non poteſt beatus, quin medium pertrãſeat? 499.n.22.& deinceps.
¶ Motus, an diuina potentia poſsit idem numero redire? Vide corruptum ſucceſsiuum.
Motus continuitas, quæ requiritur, ad veritatẽ numericam illius, quæ nam ſit? 29.n. 36.& 37.
Motus progreſsiuus in beatis eſt futurus. 420. n.2.& 502.col.2.n.1. Per quæ media eũ poterunt exercere? 420.n.8.
Motus cur dicat imperfectionem? 484.num. 15.
Motus de extremo ad extremum cur dari nequeat in inſtanti? 495.n.8.
Motus ſimplex in beatis eſt admittendus. 485 n.6.
Iſte autem non eſt à potentia loco motiua corporea, ſed à ſpiritnali. 486.n.12.& 491. n.17. & deinceps.
Motus beatorum tam organicus, quam non organicus, à quibus potentijs oriatur: & quomodo? 490.n 9. cum ſeq.
¶ Moyſes, an ſimul cũ Chriſto reſurrexerit? 81 n.41.& deinceps.
Moyſes in Chriſti transfiguratione qnomodo ſurrexerit? 82.n.42.
Moyſes, an mortuus fuerit? Etiam ſurrexit? 81.n.41 & deinceps.
¶ Multitudo obiectorum non retardat, aut impedit intellectionem in Patria. 295. n.10.
¶ Mundum infinities per circulum peractis certorum annorum periodis in eadem rerum vnitate numerica rediturum eſſe, plures ex Philoſophis antiquis dixerunt. 5. q. 3.art.1.n.1.& 2. Oppoſitum docet fides, & vera Philoſophia. 7.§.2.per totum.
A Mũdi creatione quot anni tranſiere? 158. n.44.
¶ Mutatio ea tantum, quæ fit cum corruptione repugnat impaſsibilitati. 291.n.6.

Litera N.

¶ Naſus abciſus, an redeat idem numero ſi arte medicinæ eidem carni iterum coniũgatur? 19.n.52.
¶ Natura ſubſtantialis non eſt ipſa ſubſtantialis forma, vt dat ſpeciem compoſito. 206 n.2.& 3.
Ad compoſitionem naturæ concurrunt cauſalitates materiæ, & formæ. 209.n. 8.
Natura tota non ſolùm cauſatur ab agente, ſed etiam à materia, & forma. Ibidem.
Natura ſubſtantialis præter vnitatem tranſcendentem, qua eſt ens, vendicat ſibi vnitatem compoſitionis, quæ eſt vnitas actualis indiuiſionis in ſuas partes. 210.numero 14.
Naturæ ſubſtantialis vnitas quid ſit? Ibidem.
In compoſitione naturæ ſubſtantialis duplex partium coniunctio eſt diſtinguenda. 211. n.16.
Naturale multis modis dicitur. ap.66. §.2. per totum.
¶ (Nihil) [illegible]od eſt terminus à quo creationis, an ſit [illegible]ſdem rationis cum nihilo rei anihila[illegible]? Dub.23. num. 12.& 24. num 13.
Nihi[illegible]tas entis per co[illegible] aduenie[illegible]ns, quam poſsibilita[illegible]n tollat à cauſa agẽte? 15.n.39.
¶ Non eſſe entis, quod nunquam fuit, quomodo diſtinguatu[illegible]d non eſſe entis, quod fuit, ſed deſiit e[illegible]? 15.num.39.& 16. col. 1.in principio.
¶ In nutritione ſemper permanent partes formales ex Ariſtotele. 189. numero. 19.
Quid nomine partium formalium ſit intelligendum? Ibidem.

Nutritio per cibi conuerſionem repugnat corpori glorioſo. 291.n.7. Non ratione impaſſibilitatis ſed numericæ identitatis, & perfectionis.n.9.

Litera O.

¶ Obiectorum pluralitas quando arguit maiorem perfectionem cognitionis? ap. 29. nu. 28. & 29.
Obiectum actus non eſt aliquid actui intrinſecum. ap. 54. n.17.
Obiectum voluntatis eſt in rebus, ex Ariſtotele. ap.
Obiectum adæquatum extenſiue plura continet quam obiectum adæquatum intenſiuũ 480.n.20.
¶ Oculus etiam glorioſus non ſub quocumque paruo angulo pyramidis viſualis poteſt ab obiecto naturaliter immutari. 303.n.6.
Oculus glorioſus, an aliquando de facto eleuetur à Deo ad videndum extra ſphæram ſuæ actiuitatis? 303.n.9 & deinceps.
Oculus glorioſus quænam videre poteſt in patria? 304.n.1. & ſequentibus.
¶ Odium ſimplex quid ſit? 352.n.1. & 2.
Odij diuiſio in odium inimicitiæ, & concupiſcentiæ. 352.n.4.
Item in odiũ concupiſcentiæ poſitiuæ, & auerſiuæ. n.5.
Odium beato non repugnat. 353.n.6. Et quarum rerum odium de facto habebit? n.9. & quale odium? n.10. & 11.
¶ Odor corporum beatorum, an illis naturaliter conueniat? 316.n.16.
Odor non eſt exhalatio corporis odoriferi, ſed qualitas quædam odoratu ſenſibilis, nec per ſe poſtulat exhalari per ſubſtãtiam fumeã. 317.n.23. Et cur per iſtu[illegible]di ſubſtantiam ſeſe apud nos diffundat? n[illegible]3. & 24. & 318.n.25.
[illegible] vera definiti[illegible] eiuſque explicat[illegible]. 318. n.26.
¶ Odoratus in p[illegible] eſt futurus. 315.[illegible]8.
In terra tamen poſ[illegible]iem Iudicij non dab[illegible]ur ex defectu corporis mixti.n.10.
¶ Olfactus in beatis e[illegible] omnium perfectiſſimus 317.n.21.
Olfactus apud varios va[illegible] ſũt vſus. 319 n.30 Neque eſt conceſſus tantum ad vitæ conſeruationem, ſed etiam ad cognitionem. Ibidem.
¶ Opacitas corporum minor futura eſt in patria, quam in via. 469.n.10.
¶ Opacum interiectum non impedit viſionem oculi glorioſi. 305.n.1. & deinceps.
¶ Operationes potentiarum corporalium in patria, vide facultas.
Operationes ſenſuum internorum enumerantur. 329.n.8. & deinceps.
¶ Ordo, quem inter ſe ſeruant dotes corporis glorioſi. 438.col.1.n.1.
¶ Organizatio corporis reſurrecturi, vide corporis organizatio in reſurrectione.

Litera P.

¶ Palpari non poteſt corpus glorioſum à non glorioſo ſine alteratione reali non glorioſi per actiones primarum qualitatum. 328. n.3.
Palpari, vel non palpari eſt in poteſtate corporis glorioſi. 538.n.11.
¶ Panes in deſerto fuerunt multiplicati à Chriſto additione nouæ materiæ. 242.n. 18.
¶ Pars etherogenea potentior non agit in aliã vicinam, quam inuenit in ſuo cõpleto temperamento actione corruptiua, ſed conſeruatiua. 273.n.9. & 11.
¶ Paruum non poteſt etiam diuina potentia fieri magnum, niſi acceſſu nouæ materiæ. 242 n.18.
¶ Paſſio Chriſti, vide Chriſti paſſio.
Paſſiones perfectiuæ, cuiuſmodi ſunt ſenſationes, non repugnant corpori glorioſo. 294. n.8.
¶ Penetratio corporum eſt poſſibilis non ſolum per diuinam potentiam, ſed etiam per formam creatam ordinis ſupernaturalis. 525.n.38.
Penetratio corporum in quo ſenſu ſit actio? 532.n.27.
¶ Perfectiones naturales variè diuiduntur. 1.n.1.
Perfectiones ſupernaturales corporis glorioſi habent veram rationem dotis. 546.col.1. n.1.
Perfectio vltima vitæ ſenſitiuæ in quo conſiſtat? 293.n.6.
Perfectiones ſupernaturales futuræ ſunt in corporibus beatorum. 432.nu.4. & 436. n.1.
Hæ non excedunt quaternarium numerum. 540.n.6.
¶ Perſona, vide ſuppoſitum.
¶ Phantaſia in patria habitura eſt ſuũ vſum. 331.n.1.

Quomodo intellectui tunc miniſtrabit? 333. n.5.

Phantaſiæ miniſterium non erit neceſſarium beato ad intelligendum. 334. n. 8.

Ad quarum rerum intelligentiam poßit interuenire? n. 11. cum ſeq.

¶ *Pietatis donum manet in patria. 552. nu. 2.*

¶ *Poßibile ſimpliciter duobus modis ſumitur. 33. n. 58.*

Poßibilitas naturalis quomodo tollatur per *priuationem actus eſſendi? 16. col. 1. in principio.*

¶ *Potentia loco motiua animalis, & naturalis in quo differant? 287. n. 3.*

Potentiæ loco motiuæ diuiſiones. 418. n. 1. cũ ſequentib.

Potentia loco motiua in reſurrectione beatis eſt reſtituenda. 419. n. 1. Eadem numero quæ fuit in via. n. 2.

Potentiæ loco motiuæ beatorum quomodo eleuantur ad mouendum cum agilitate ſupra vires naturæ? 493. n. 28.

Potentia reſpirandi futura eſt in beatis. 421. col. 2. n. 1.

Potentia comedendi futura eſt in beatis poſt reſurrectionem: ſed de lege ordinaria non reducetur ad actum. 290. n. 1. & 3

Potentia tam actiua, quàm paßiua immediatè coniungitur cum ſuo actu. ap.

Potentia appetitiua habet actum deſiderij in bonum non dum habitum: & actum amoris, & complacentiæ in bono iam habito. ap.

¶ *Primum in vnoquoque genere per ſe eſt tale, & per ſe eſt cauſa aliorum in eodem genere: quomodo intelligitur? Et an ſit Ariſtotelis? 108. n. 38. & 112. n. 56.*

Principium. Vide Axioma.

¶ *A priuatione ad habitum non eſſe regreſſum eſt verißimum in ordine ad vires naturæ, non ad diuinam potentiam. 10. num. 22.*

Priuatio alicuius formæ, quæ erat in materia, antequam talem formam reciperet, an redeat eadem numero poſt corruptionem talis formæ? Quidam affirmant: alij diſtingunt. 20. n. 55. Vera reſolutio nu. 56.

¶ *Propoſitio iſta, à priuatione ad habitum nõ eſſe regreſſum, non bene explicatur à Scoto, & Baſſolio. 10. n. 23. & 24.*

Quomodo ſit intelligenda? 11. n. 25. & 26. & 12. n. 27.

¶ *Pulchritudo quid ſit? 267. n. 7.*

Litera Q.

¶ *Qualitates primæ ſunt principia motus. 271. n. 1. Illarum geminus eſt vſus. 272. num. 2.*

Quas nam actiones exercere poſsint in corpore glorioſo? & quas non poſsint? 272. n. 6. cum ſeq.

Si inter ſe in beatis mutuo exercent actiones conſeruatiuas, cur adhuc egeant dote impaſsibilitatis? 274. n. 13. & ſi eas inter ſe non exercent, quomodo conſeruetur temperamentum? n. 15.

¶ *Quantitas in indiuiduo ſequitur formam in indiuiduo. 241. n. 14.*

Inter terminos quantitatis connaturales quoad ſpeciem poſſunt dari non connaturales quoad indiuiduum. 243. n. 29. & 30.

Vna nnmero quantitas datur in vnoquoque compoſito realiter diſtincta à ſubſtantia, & à cæteris accidentibus. 254. col. 1. in principio.

Quantitates non poſſe diſtingui numero, niſi per diuerſa ſubiecta volunt Thomiſtæ: ſed non recipiuntur. 254. n. 5.

Quantitatem ſaltem interminatam eſſe materiæ coæuam, & ab ea inſeparabilem plures volunt. 254. nu. 6: ſed non admittuntur. n. 7.

Quantitas permanens non ita ſe habet ad locum extrinſecum, vt ſucceſsiua ad extrinſecum tempus, & ratio diuerſitatis. 524. num. 33.

Quantitatis eſſentia in quo conſiſtat? 526. num. 1. Eiuſdem proprietates ordinate numerantur. n. 2.

Quantitas penetrationi non reſiſtit actiuè, ſed materialiter. 532. n. 28.

Litera R.

¶ Rati*o formalis ſub qua obiecta cognoſcuntur? non ſemper eſt ſpecifica. 475. nu. 16*

¶ R*edemptio noſtra eſt* … *mortalitate corporis. 433. n. 10. cum ſeq.*

¶ *A regula generali poteſt fieri exceptio, quando adeſt ſufficiens fundamentum. 80. num. 37.*

¶ *Religio quomodo reſpiciat diuinam excellentiam. 557. n. 30.*

¶ *Reſpiratio ad olfactionem non eſt ſimpliciter neceſſaria. 318. num. 27. Et cur in hac vita ſine ea non olfacimus? ibidem. 319. n. 28.*

Reſpi-

Reſpiratio aeris extrinſeci non repugnat corporibus glorioſis. 421 nu. 3.

Reſpiratio, an ſit neceſſaria ad locutionem in Patria? 421. nu. 2. & 424. n. 10.

¶ Reſurrectionis nominis Ethimologia. 2. num. 1.

Reſurrectionis nomen multis modis ſumitur. 2. n. 3.

Ad veram rationem reſurrectionis generaliter ſumptæ neceſſaria eſt aliqua vnitas inter id, quod cecidit, & id, quod iterato ſurgit. 2. n. 2.

Reſurrectio latè eſt quædam reparatio, & inſtauratio rei, quæ aliquo modo cecidit quocumque modo reſtauretur. 2. n. 3. Et hæc ſignificatio nec impropria eſt, nec Metaphorica, eſt tamen latiſſima. 3. n. 4.

Reſurrectio adhuc latè ſumpta eſt, in qua id, quod cecidit iterum conſequitur eaſdem numero partes, quas cadens dimiſerat. 3. n. 5.

Reſurrectio ſtrictè ſumpta eſt iterata reparatio ſubſtantialis facta cum vera mutatione ex aliquo ſubiecto. 3. n. 6.

Reſurrectio magis ſtrictè ſumpta eſt iterata reſtitutio animæ, quæ per veram mortem cecidit. 4. n. 7.

Reſurrectio propriiſſime ſoli homini conuenit. 4. n. 8.

Reſurrectionis vera definitio. 4. n. 9.

An ſit mutatio ſupernaturalis eſſentialiter diſtincta à mutatione Phyſica? 163. q. 11. Variæ ſententiæ. n. 1. Reſolutio. 164. nu. 2.

Diſtinctio reſurrectionis perfectæ, & imperfectæ non eſt admittenda penes eſſentialia, ſed penes accidentalia. 182. n. 4.

Nulla datur vera reſurrectio ex parte termini. i. ex parte hominis, quæ non ſit vera reſurrectio ex parte corporis. contra Suariũ. 182. n. 5.

Poſſibilitas eius.

Reſurrectio hominis an ſit poſſibilis? 5. q. 3. n. 1. Reſurrectio hominis an naturaliter ſit poſſibilis? Variæ ſẽtentiæ. 34. §. 2. 35. §. 3. Vera ſententia. 35. §. 4. Adducuntur & ſoluuntur argumenta. 38. §. 5.

Reſurrectionem hominis viribus naturæ ſimpliciter eſſe impoſſibilem, quibus argumentis probetur. 36. n. 9. & 37. n. 10. & 11.

Hæc ſententia etiam eſt vera, quamuis materia hominis eiſdẽ numero diſpoſitionibus diuinitus diſponeretur quibus diſpoſita fuit in prima illius generatione. 37. n. 12. cum ſequentib.

Reſurrectio hominis, an per diuinam potentiã ſit poſſibilis? dubitant hæretici: fides fatetur. 41. art 4.

An illius poſſibilitas poſſit ratione naturali demonſtrari? Dub. 42 art. 5. n. 1. Vera reſolutio. n. 2. cum ſeq.

Illius poſſibilitas in quo ſenſu ponatur à fide. 43. n. 9.

De ea quæ futura eſt.

¶ Reſurrectio generalis homini, an ſit futura. 44. q. 4. art. 1. Hæretici negant. Argumenta eorum. §. 1. Fides confitetur 45. §. 2. Confirmatur ex Sacris literis. 46. & 47.

Confirmatur argumento Chriſti Matthæi 22. pag. 49. §. 4. Defenditur hoc argumentum contra nonnullas obiectiones. 49. nu. 27. & 50. n. 28. 29. & 30.

An bene probetur argumentis Pauli. 1. Cor. 15. Vide latè. 51. 52. 53. & 54.

Reſurrectio futura, an apud Iudæos in lege veteri fuerit articulus Fidei? 47. §. 3. per totum.

Reſurrectio hominum futura excedit naturã, & ex parte modi, & ex parte termini. 34. n. 1. & 541. n. 15.

An omnes reſurgemus in Iudicio?

¶ An omnes homines ſint reſurrecturi in die Iudicij? diſputatur. 55. ar. 2. variæ opiniones. §. 2. Vera reſolutio. §. 3.

An debeant reſurgere omnes damnati, & iniqui? Negant hæretici. Affirmat Fides. 69. §. 4. n. 58 & 59. Probatur ex Scripturis n. 59. & 60. Et ex Patribus. 70. n. 61 Soluitur quædam obiectio. nu 62. Soluuntur argumenta. 70. n. 64. & 71. n. 65. 66 & 77.

Reſurgere debent omnes infantes, etiam qui in vtero matrum mortui ſunt. 71. §. 5. per totum.

An reſurrectio in aliquibus iam ſit completa? 72. art. 3. Reſolutio, quod in aliquibus iam completa ſit: & in quibus? 73. §. 2. & 74. §. 3. & 81. §. 4. & 82. n. 43.

Qui ſit cũ Chriſto ſurrexerunt, an ſurrexerint iterum morituri, an vero ad immortalẽ, & glorioſam vitam? dub. 74. §. 3. n. 6. Quod reſurrexerint mortales, qui [illegible] ſunt nu 7. Alij oppoſitum. 75. num. 12. cum ſequentib. Fundamenta illorum. 77. n. 17.

Vera reſolutio. 78. nu. 21. Soluuntur argumenta 78 n.23. Oppoſita ſententia etiam defenditur. 80.n.32.

An iſti ſimul cum Chriſto in cœlum aſcenderint? 79. n.27. ad 5.

Cauſa effectiua.

In reſurrectione Deus actiuè concurrit. 99. num.32.

An ſolus ad eam concurrat. 62.§.2. Et 83. art. 1. per totum. An ad eam Chriſtus homo inſtrumentaliter concurrat? 102.§.3.

In quo ſenſu Deus eam operetur per Chriſtũ. 111. n.52.

An eam Chriſtus operabitur, & per actum imperij, & per vocem Archangeli? 113. §.6. Propria ſententia. 114.n.62.

Eam operabitur Chriſtus non ſolùm iuſſu interno, ſed voce ſenſibili. 114.n.63.

An eam operabitur ſola ſua voce? an etiam per vocem Archangeli? 115.n.65.

Operabitur reſurrectionem tàm bonorum, quàm malorum. 116 §.7. per totum.

Ad eam quæ nam vox Chriſti concurrat? 118. nu.77.78.79. & 80. Probabilius eſt, quod non ſit promenda ore Chriſti, ſed miniſterio Angelorum. n.80.

Ad reſurrectionem, an concurrat Archangelus tuba canens? dub. 117.n.75. Propria opinio. 118. n.77.

Archangelo dedit Chriſtus virtutem actiuam ad reſurrectionem. 119.n.81.

Archangelus iſte eſt Michael. n. 83.

An ſolus ille concurrat? n. 83. & 84.

Cauſa exemplaris.

Reſurrectionis noſtræ Chriſtus eſt cauſa exemplaris. 120. art.6. §.1.

In quo ſit poſitus effectus huius exemplaritatis. 121.§.2. n.3 & 5.

Vtrum ratio exemplaris reperiatur quoad terminum à quo, & ad quem? dub. 121. n.5. Propria opinio. n.6.

Reſurrectionis iuſtorum quoad glorioſam immutationem eſt cauſa exemplaris, non vero malorum. 122.n.3.

In iuſtis erit vera cauſa exemplaris quoad omnes naturales humani corporis perfectiones. 122.§.4. In malis verò non erit cauſa exemplaris in omnibus. 123.§.5.

An [illegible] ſit cauſa exemplaris in ordine ad terminum ad quem? 124. n.17.18.& 19.

An ſit cauſa exemplaris reſurrectionis infantium in originali decendentium quoad corporis integritatem. 124.n.20.

An Chriſtus ſit cauſa exemplaris noſtræ reſurrectionis quoad terminum à quo? 125, §.6 n.21. id intelligitur quoad terminum à quo proximum, qui eſt mors; non verò quoad remotum, qui eſt incineratio corporis. 125 n.22. & 23.

Erit noſtrum exemplar non ſecundum quantitatem arithematicam, ſed proportionalẽ. 241. n.13.

¶ Cauſa finalis noſtræ reſurrectionis vltima eſt Deus: Chriſtus autem eſt finis proximus. 126. art.8.

¶ Cauſa meritoria noſtræ reſurrectionis an ſit reſurrectio Chriſti? 125.art.7. Quod meruerit eam, certum eſt. n. 2. An eam meruerit per reſurrectionem? negandum eſt. 126. n.3.

Cauſa meritoria ſuæ reſurrectionis eſt quilibet iuſtus. 126.n.4.

Terminus à quo.

An omnis reſurrectio fiat ex cineribus? 127. q.6.art.1. Quidam affirmant 128.§.2. Alij negant. 129.§.3 Vera reſolutio.§.4.

Quid intelligatur nomine cineris? 127.n.2.

Reſurrectio abſque reſolutione corporis conceſſa eſt Virgini. 127.art.1.§.1.n.1.

An id ſoli Virgini fuerit conceſſum? ibidem.

Terminus ad quem.

De ratione veræ reſurrectionis eſt, vt qui reſurgit, ſit idem numero homo, qui fuit. 182 num.2.

Vt reſurgat i[illegible]em numero homo qui fuit, quæ partes [illegible]r ſe requirantur? Variã placita. per ſ[illegible]equiritur quod redeat eadem nume[illegible], anima, & eadem numero materi[illegible] 170.n.4.

An [illegible]urrecturi ſimus [illegible] numero [illegible]ateria? dub. 175. [illegible]. art. 1. Pars negans cum fundamen[illegible]. §.1. Affirmatiua eſt omnino tenenda. 176.§.2. & 177. §. 3. Soluuntur argu[illegible]enta. 179.§.4.

¶ Ad veram reſurre[illegible]onem abſolutè an ſit neceſſaria reſtitutio eiuſdem numero materiæ? 181. art. 2. negat Suarius num. 1. Oppoſitum eſt tenendum. 182.n.2. cũ ſeq.

In reſurrectione ſingulis reddendũ eſt aliquid materiæ, qui in vita fuit de integritate naturæ humanæ. 185.n.3.

Ali-

Aliquibus dabuntur aliquæ materiæ particulæ, quas nō habuerunt in via, vt infantibus, & c æ. 185 n 4.
An omnes reſurgent cum ſola materia primigenia? Variæ opiniones. 164 art. 2. §. 1. Opinio magiſtri refertur. 195. §. 2. Reijcitur. §. 3.
An omnes debeant reſurgere cum materia ſumpta à parentibus? Quidam affirmant 196. §. 2.
Reijciuntur. §. 2. Soluuntur argumēta. 197. §. 3.
An reſtitui debeant omnes partes, quæ aliquando fuerunt de veritate naturæ humanæ? 197. ar. 8. Quidam affirmant. §. 1. Alij gant. 198. §. 2. Vera reſolutio. 199. §. 3.
An reſurrecturi ſimus in illa materia, quam mortis tempore habebamus? affirmatio vera 200. art. 9.
An reſurrecturi ſimus in tota illa? 201. art. 10. Reſolutio. 202. §. 1.
Quid, ſi caro vnius hominis ab alio comedatur, ita vt eadem materia tempore mortis vtriuſq; in vtroque fuerit? difficile. 202. n. 3. 4. & 5. Vera reſolutio. §. 2. per totum.
In reſurrectione vnde ſumenda ſit materia, quando, quæ fuit in vita non ſatis eſt ad ſtaturam reſurgentis? 203 art. 11.
In reſurrectione non ſolum idem numero homo reſurget, ſed etiam eadem numero caro, & idem numero corpus. Eſt de fide, late probatur. 177. nu 14. 15. 16. 17.
Caro, quæ eadem numero reſurget, reſurget ex ijſdem numero pulueribus, in quos per mortem fuit reſoluta. 178. n. 17.
Hi pulueres cur dicantur ijdē numero? 179. nu. 18.
In quo ſenſu in reſurrectione to[illegible]m corpus reſurget? 200. n. 19.
¶ An omnes ſint reſurrecturi in [illegible]dem numero anima? 204. art. 1.
[illegible] reſurrec[illegible]ri in eiſdem numero formis, ſi p[illegible]adr[illegible]ttātur in homine[illegible] Quidam negant. 20[illegible] art. 2. 205. §. 1. [illegible]ffirmatio vera. §. 2. Soluuntur argumen[illegible]. §. 3.
An debeamus reſurge[illegible] in eadem numero h[illegible]manitate? Affirmati[illegible]era. 206. artic. 1[illegible] 207. §. 2.
In reſurrectione natura humana iterato redibit. 207. nu. 9.
In reſnrrectione, an redeat eadem numero vnio animæ cum corpore? 208. art. 2. Variæ ſententiæ. §. 1. Reſolutio ſit facta diſtinctione. 208. num. 7. 209. num. 10. 211. numero 17. Soluuntur argumenta. §. 3.
Anima & corpus eadē numero cauſalitate ſe vnient in reſurrectione, qua ſe vniuerunt in generatione. 209. n. 8. & 9.
Vtrum redeat idem numero ſuppoſitum, ſiue perſona? 211. art. 3. 212. nu. 2.
An reſurgemus cum eadem numero exiſtentia? 213. §. 1. & 2. 214 num. 8.
An reſurgemus cum eadem duratione intrinſeca? 214. art. 5. 215. §. 2. n. 4. [illegible] & 8.
An anima in reſurrectione naturaliter actuet corpus? 102.

De vnione animæ, & corporis.

¶ Deus actiue vnit animam corpori media organizatione. 99. nu. 32.
Prius natura Deus producit organizationem, quam expellat formam cinerum. num. 32. & 33.
A quo efficienter fiat hæc vnio? 100. art. 5.
Naturaliter non eſt poßibilis. num. 1.
Suppoſita ſupernaturaliter organizatione corporis, an agens naturale poſsit propria virtute animam vnire corpori? 100. nu. 2. 4. & 5.
An hæc vnio immediate fiat à ſolo Deo? 102. §. 2.
Fiet à Chriſto, vt inſtrumento Dei. §. 3. Late confirmatur. 103. à num. 14. & 104. à num. 16. & 105. à nu. 21. & 106. §. 4.
Ad noſtram reſurrectionem reſurrectio Chriſti actiuè non concurrit. 108. §. 5. 109. n. 40 110. num. 44. & 48 & 49. & 50.
In quo nam ſenſu reſurrectio Chriſti dici poteſt cauſa noſtræ? 111. num. 49.

Organizatio corporis.

¶ Organizatio corporis in reſurrectione prius natura fiet, quam corruptio cinerum. 92. nu. 31. & 33.
Naturaliter non eſt poßibilis. 100. n. 1. Nec fiet naturaliter ab Angelis. Ibidem.
An fiat in inſtanti? 161. q. 9. art. 1. & 162. nu. 4. & 5. Fiet per motum. 163 nu. 6.

De Ordine.

¶ An electi prius tempore ſint reſurrecturi, quā reprobi? 131. art. 2. §. 1. 132. §. 2 per totum. 134. num. 12. 140. [illegible] 35. & 36. & 38. 141. num. 39. Soluuntur argumenta. nu. 43.

An in reſurrectione iuſtorum inter ſe detur prioritas temporis? 142.*ar*.3.

An mortui ante legem gratiæ prius tempore reſurgent, quam in lege gratiæ? 142.*ar*.3. *nu*.2.

An reſurgent prius tempore, qui ante diem iudicij obierunt, quam qui tūc viui fuerint? 143. *num*.4. & 6. *Soluuntur argumenta*. 144. *nu*.10.

An boni prius tempore reſurgent, quam rapiantur in aera? 145. *art*.4.

De Loco.

¶ Reſurrectio *in quo loco fiat?* 145.*q*. 7. *ar*. *vnico*§.1. 146. *num*.6. *Soluuntur argumenti*. 147. §. 3.

R*eſurgent mortui ex ſepulchris, in quibus iacent: & ex cineribus, in quibus dicuntur habitare*. 201. *num*.4.

De Tempore.

¶ Reſurrectio *generalis in quo tempore fiet?* 147.*q*.8.

In qua nam die futura ſit? 148. *artic*.1.§.1. *concluſ*.1, *Soluuntur argumenta*. 149. *num*.5.

Dies, & hora omni creaturæ eſt occulta. 150. §.2. *concl*. 2.

Eam cognoſcit Chriſtus. 150. *num*.11.& 151. *n*.12.

N*aturaliter ſciri non poteſt*. 151, *nu*. 13. *concl*.3. 152. *nu*.17.

N*on poteſt conſtare ex ſacris literis*. 153 *nu*.21. Soluuntur *argumenta*. 154. *num*.22.& 25.

Dies illa nulli reuelata eſt, nec forte reuelabitur. 155.*n*.30.& 156.*nu*.33. *Vnde reprehendēdi ſunt, qui diem illā nituntur præfinire*. 156.*nu*.35. 157.*nu*.39.

N*ec de illa die poteſt ſumi iudicium ex ſignis, quæ præceſſerunt*. 158 *nu*.45.

An reſurrectio futura ſit nocte, an die? 159. *art*. 2.§.1. 160.§.2.

R*eſurrectio, an fiet in tempore, vel in inſtanti?* 161.*q*.9.*art*.1.

Cuius nam temporis ſit terminus? 163.*ar*.2.

De integritate corporis.

¶ R*eſurgent tam boni, quam mali incorrupti*. 123.*nu*.14.

R*eſurgemus cum integritate membrorum*. 216.*q*.6.*art*.1.217.§.2.218.§.3.

Mali reſurgent integri, quoad omnia. 123.*n*. 15. *An reſurgent cum deffectibus quos habuerunt?* *num*.16.

An reſurrecturi ſint iuſti in corpore materiali, an vero in ſpirituali? 168.*q*.1.169. *num*.2.

R*eſurgent in corpore vere carneo, & humano*. 169. *artic*.*vnico*.§.2.*n*.6.& 7. *cum ſeq*. 171.*num*. 12.172.§.3. Soluuntur *argumenta*. 173.§.4.

In reſurrectione redibit organizatio corporis humani. 218.*nu*.12.

R*eſurgemus cum capillis, & vnguibus*. 218. *art*.2. 219.*nu*.2. *cum ſeq*.

R*eſurgemus in proprio ſexu*. 219.*articul*.3. 220.§.3.221.§. 4.& 222.§.5. *Explicantur Patres*. 221. §.18.

Q*ui in vita habuerunt vtrumque ſexum reſurgēt cū principaliori: ſi vterque eſt æqualis, cum virili*. 221.*num*.15.

Omnia membra redibunt cum eadem materia, & forma. 222. *art*.4.223.§.1.& 2.

An reſurgemus cum quatuor humoribus? 225.*q*.7.*art*.1. 226.§.3.227.§.4.*Soluūtur argumenta*. §.5.

In reſurrectione quinam humores non ſint reſtituendi? 226.§.2.

An reſurgemus cum ſanguine? 227.*artic*.2. 228. *per duas columnas*.

An cum omni ſanguine? 229.*ar*.3.230.§.2.

N*on redibit chylus, nec chymus*. 230. *nu*. 4.& 6.

An reſurgemus cum tribus humoribus ſecundarijs? 233.*art*.*vnico*.§.2.& 3.

An maior quantitas ſanguinis redibit, quam fuerit in vita? 235.*nu*.15.

An reſtitue[illegible] ſint ſpiritus ijdem numero, & ſtabiles [illegible]236. §.2.

De quantitate, & ſtatura.

¶ *A[illegible] reſurgemus cum* [illegible]*uantitate* [illegible]. *q*. [illegible]*t*.1. & 255. *ar*[illegible]

R[illegible]*urgemus cū quanti*[illegible] *organizatiua corporis humani*. 239[illegible]*.n*.3.

[illegible]*eſurgemus in quantitate perfecta debita cōplexioni*. 239. *artic*.2. 240.§.2. 241. §.3.

Infantes reſurgent cum debita magnitudine ſuæ naturæ pro ſtatu iuuenili. 241. §. 4.

Quomodo fiet hæc reductio? 241. §.4. *nu*. 15. 16.17.18.& 242.*n*.22.

Pygmæis quomodo danda ſit quantitas? Vide in notatione præcedente.

De

De reſurrectione Gigantum quomodo quantitas reducenda ſit ad magnitudinem debitam naturæ talis indiuidui. 243. §.2.
Reſtituetur quantitas quæ eſt maxima in ſua naturali conſtitutione: quæ verò illam exceſſerit non reſtituetur. 244.n.27.
Idem dicendum eſt de quantitate quoad paruitatem. 245.n.28.
Regula pro reſtitutione quantitatis in reſurrectione. 243.n.29.& 30.
In reſurrectione ſinguli reſurgent in ſtatura, quæ pro ea, qua vixit mundi ætate erat connaturalis. 245.n.31.
Non omnes reſurgent in ſtatura Chriſti. 248 art.5.§.1. concl.1. eſt certa. 248. num.4. & 5.
Non omnes reſurgemus in minori ſtatura, quam ſit ſtatura Chriſti. 249. concl.2. n. 6. & 7.
Non omnes reſurgemus in æquali ſtatura, ſed alij maioris, alij minoris. 252. §. 3. n.20.

Ætas.

In qua ætate reſurgent iuſti? 246. ar.3. 247. §.2. 255. q.3. art. vnico n.2.
In quo annorum numero reſurgemus? 247. art.4. 248. art.2. 261. §.2. per totum.

De primis qualitatibus.

An iuſti reſurgent cum quatuor primis qualitatibus? 256.q.5. art.1.§.1. 257. §.2. Soluuntur argumenta. §.3.
Reſurgemus cum proprio tẽperamento. 258. art.2.§.1. & 2. 259.§.3. & 4.
Reſurgemus cum perfecta ſanitate. 259.q.6. art.1.
An omnes reſurgemus cum col[illegible] albo? 262. art.2. Vide corpus beatum.
Reſurgemus cum debita membroru[illegible] mollitie aut duritie. 264.art.3. §.1. Cu[illegible] debita [illegible]tate. 264.§.[illegible] Cum grauitate. 265. §.3. [illegible]aſſiti[illegible] & tenuitate. n.[illegible] cum humiditate, & [illegible]tate. 265.n.8.
An reſurgemus cum [illegible]ualitatibus, non conu[illegible] nit inter omnes, quidam negant. 265. art. 4. n.1. Affirmandu[illegible] eſt. 266.n.2.
Reſurgemus cum propri[illegible] figura, & ſpecie. 266.art.5.n.2. & 3. [illegible]ublatis tamen omnibus deformitatibus. 267.n.4.
Reſurgemus cum eadem numero effigie. n.5.
Cum naturali pulchritudine. num.6.
An debeamus reſurgere cum qualitatibus ſupernaturalibus? Vide corpus glorioſum.
An poſt reſurrectionem viſio beata futura ſit intenſior? ap.55 art.2.
An omnes reſurgemus in eadem numero quãtitate? 253. art. vnico, §.1. n.1. & 2. §.2. & 255. §.3.
In reſurrectione licet anima actione ſupernaturali coniungatur corpori, coniuncta tamen, naturaliter illud actuat. 209.n.9.
¶ Reuerentia quid ſit? & quod habeat obiectum? 557. n.30.
Reuerentia actus non eſt idem cum timore filiali. 558.n.35. Nec includit timorem. num.38: Cur dicatur timor reuerentialis? num.39.
¶ Riſus in beatis non eſt futurus. 374. col.1. n.2.

Litera S.

¶ Sanitas quid ſit? 260. n.2.
¶ Sanguis eſt de veritate naturæ humanæ. 228. n.3.
Sanguis eſt animatus ex ſententia doctiſſimorum: ſed verius oppoſitum. 228. n.4. & 5.
Eſt pars corporis humani, vt eſt ſub forma ſanguinis. n.8.
Eſt veluti inſtrumentum generale ad vitæ operationes. 229. n. 8. Variæ ſanguinis diuiſiones. 229. §.1.
An omnis ſit eiuſdem rationis? n.2. & 3.
Sanguis bene diuiditur in naturalem, & nutrimentalem. 231. n.10.
Quid ſit ſanguis naturalis? & quid inſtrumentalis? 230. n.7. 8. & 9.
Sanguis in venis actu non eſt nutrimentum, bene tamen extra venas. 231. n.10.
Sanguis in venis ſimpliciter eſt neceſſarius ad vitam. ibidem. n.11.
Sanguis nutrimentalis in Chriſto an fuerit vnitus Verbo? & an fuerit effuſus in Paſſione? 234. n.9. & 10.
¶ Scientia in beatis eſt triplex. 333. n.4.
¶ Semen ex quo gignimur, eſt ex ſuperfluo alimenti. 186. n.7.
¶ Senſatio in patria non impediet intellectionem. 295. n.10.
¶ Senſus naturaliter appetit ſuum actum ſecundum tanquam vltimam ſuam perfectionem. 294. n.7.
Senſus interni variè à varijs enumerantur. 323. n.4. cum ſeq.
Omnes ſenſus interni reddendi [illegible] corpori glorioſo. 328. n.2. Habebunt omnem ſuũ vſum. 330. num.2. Id oſtenditur de ſenſu commu-

communi col. 2. n. 1. & deinceps, & de phantaſia. 331. n. 1.

Senſus interni beatorum quaſnam res poſsint percipere, & quomodo à ſenſibus externis dependeant? 337. n. 1. cum ſeq.

¶ Sentire vel non ſentire contacta erit liberum beatis: & quomodo? 327. n. 2.

Sentiri poſſunt ab alijs beati omnibus ſenſibus præter vnum guſtum. 327. col. 2. n. 1.

¶ Societas humana, & politica futura eſt inter beatos. 423. n. 6.

¶ Species tot eſſe quot ſunt obiecta, abſolutè non eſt verum. ap. 30. n. 35. & 36.

Species viſibiles obiectorum in patria non ſunt à ſolo Deo producendæ. 301. nu. 23. à quo producentur, & quomodo? 301. n. 25.

Speciem emiſſam à corpore glorioſo naturaliter non recipit oculus non glorioſus. 480. num. 22.

¶ Spes quid ſit, & quotuplex? 357. num. 1. & 2.

Spes poſt reſurrectionem non erit in beatis. 358. n. 3. imò nec ante reſurrectionem. n. 7. & 8.

Spes primo & per ſe terminatur ad bonum ſperanti proprium. 360. n. 17. & ipſi ſperanti arduum. 361. n. 19.

¶ Spiritualia non percipientur à ſenſibus etiã internis beatorum. 337. n. 5. niſi fortaſſe mediate, & cognitione connotatiua. 338. n. 7. & 9. nec ad talem cognitionem neceſſe eſt, vt moueantur cognitione intellectiua. n. 8.

¶ Spiritus quid nam ſint? 235. q. 9. art. 1. §. 2. n. 1.

Diuiſio illorum, & explicatio. ibidem.

¶ Subtilitatis donum in corpore glorioſo eſt futurum. 511. n. 1. Quid ea ſit? 515. n. 8. & 9. Eius poſsibilitas oſtenditur. 519. num. 9.

Subtilitas eſt duplex, & quænam magis propria? 517. n. 15. & 16.

Subtilitas per translationem explicatur. 517 num. 17.

Subtilitatis munere Chriſtus clauſtrum Virginis in natiuitate penetrauit. 519. n. 11, exiuit de ſepulchro clauſo. 521. n. 16.

Introiuit ad diſcipulos per fores clauſas. n. 18. penetrauit cœlos in aſcenſione. 522. num. 22.

Sub[illegible]eatorum in quo conſiſtat? 527. à n. 6. 528. n. 9. 529. n. 13. & 14.

Subtilitas quomodo ad penetrationem corporum concurrat? 530. n. 19.

Subtilitas corporis glorioſi eſt qualitas corporea ſupernaturalis. 534. n. 52.

Vnde corpori glorioſo conueniat? 536. n. 3.

Subtilitatis dono vnus beatus non poteſt aliũ penetrare: 536. n. 3. Nec poſſunt ſe penetrare ſecundum partes ſui corporis, 538, n. 10.

¶ Succeſsiuis licet repugnet permanentia, & ſimultas, non tamen iterata illorum productio. 30. n. 39.

¶ Suppoſitum aliquo modo diſtinguitur à natura. 212. col. 1. in principio. Quid addat ſupra naturam. n. 2. 3, 4. & 5.

¶ Suſpendere poſſe actiones corporis, vnde beatis proueniat, 545. n. 28.

Litera T.

¶ Tactus in patria vſus eſt futurus. 324. n. 2. Per quam immutationem fiat? 325. n. 9. Futurus eſt in ſumma perfectione. 326. n. 14.

¶ Temperamentum ſiue complexio quid ſit? 258. art. 2. n. 2.

Temperamento attribuũtur operationes mixtorum. ibidem.

Temperamentum aliud ad pondus, aliud ad iuſtitiam. 258. §. 2. quod eſt ad pondus, eſt præſtantiſsimum, & poteſt dari in nobis diuina virtute. n. 4.

Ad iuſtitiam debetur cuique corpori viuenti. num. 5.

Varia ſunt genera temperamenti. 259. §. 3.

¶ Temperiem partium exactiſsimam quomodo Deus conſtituat in inſtanti reſurrectionis? 273. n. 12.

¶ Tempus præteritum an poſsit idem numero redir[illegible] (vide corruptum ſucceſsiuum.

Tempus [illegible]teritum non poteſt iterum coniung[illegible]um eadem duratione imaginaria, vn[illegible] ſi idem numero tempus iterum re[illegible]t, redibit coniun[illegible]um cum [illegible]gi[illegible]a duratione, & [illegible]m [illegible]mero quã[illegible]o. 30. n. 41.

Tempus eſſentiale non [illegible] ipſum quando, niſi prout includit ordinem ad duratione imaginariam, quæ e[illegible] immobilis. 30. n. 41.

Tempus idem num[illegible]ro prout eſt in alia, & alia duratione imaginaria poteſt dare aliud, & aliud quando. ibidem.

Tempus formaliter eſſe ſuam quandalitatem in quo ſenſu ſit verum? 31. n. 42.

Terminus odij & amoris duplex, vt quod, & vt quo. 352. n. 3.

¶ *D. Thomas circa appetitum elicitum naturalem ad viſionem beatam, quomodo ſit intelligendus? append. q.3. art.3. §.4: in fine.*

¶ *Timoris diuiſio.* 364. *n.* 10.

Timor mundanus, & humanus in beatis eſſe non poteſt. 364. *n.* 3. *nec etiam ſeruilis. n.* 14. *nec initialis.* 361. *n.* 14: *nec ingerens ſolicitudinem. ibidem. n.* 15. *nec filialis.* 370. *n.* 39.

Timoris ratio in quo conſiſtat? 365. *n.* 17.

Timor in beatis nullus eſt futurus. 367. *n.* 27.

Timorem pœnæ non eſſe futurum in beatis latè oſtenditur. 368. *n.* 29. *cum ſeq.*

Timoris Domini donum manet in patria quoad habitum. 553. *n.* 2. *An maneat quoad actum?* 559. *n.* 41. 42. & 43.

Timorem caſtum manere in patria non eſt de fide. 554. *n.* 11.

Timor ſanctus includit duos actus. 557. *n.* 29. *Quinam illi ſint?* 557. *n.* 32.

Timor vero filialis minime illos includit. 558. *n.* 39.

Timoris donum quomodo reſpiciat diuinam excellentiam? 557. *n.* 30.

Quomodo terminetur ad eam? n. 31.

Timor filialis conſideratur per modum actus, non vero per modum habitus. 458. *n.* 34.

Timor filialis, & donum timoris non ſunt idem. 556. *n.* 28.

¶ *Tranſparentia corporis glorioſi an repugnet claritati illius?* 470. *n.* 14.

¶ *Triſtitia & dolor in quo differant?* 354. *n.* 1.

Triſtitia in beatis nulla eſt futura. 354. *n.* 2.

¶ *Tuba nouiſsima in die iudicii quiſnam ſit effectus?* 85. *art.* 2. *n.* 1.

An tubæ vox ſumatur pro voce [illegible]ij Dei? ibidem.

Lit a V.

¶ (*Vbi*) *res non habe[illegible] niſi prout eſt in loco [illegible]ſiderato coniuncto cum magnitudine im[illegible]ginaria.* 30. *n.* 41.

Vbi ſunt diuerſa in corp[illegible]ibus penetratis, & quæ ſitualiter ſunt ſim[illegible]? 534. *n.* 53.

¶ *Ad videnda infinita quidam requirunt infinitas notitias: alij vnam tantum, habentem tamen infinitos augmenti gradus: ſed hoc non recipitur. ap.* 30. *n.* 37. *Aliqui requirunt vnam viſionem entitatiuè indiuiſibilem numero diſtinctam à quacunque alia viſione.* 31. *n.* 38. *Non recipitur. n.* 39. *Vide opinionem Molinæ, quæ non recipitur.* 32. *n.* 4. *Vera reſolutio. n.* 41.

Ad videnda plura in Verbo, an requiratur maius lumen? ap. 32. *n.* 43.

Videri in proprio genere an poſsint infinita? ap. 32. *n.* 44.

An videri poſsint infinita ab intellectu creato, ſaltem per potentiam diuinam? ap. 34. *concl.* 2. *n.* 51.

Videri non poſſunt etiam per diuinam potentiam infinita abſolute poſsibilia: bene tamen cætera, licet ſint infinities infinita: ap. 34. *n.* 51. *cum ſeq.*

Videri poſſunt per diuinam potentiam infinitæ ſpecies poſsibiles ſine indiuiduis: aliàs ſecus. ap. 35. *n.* 57. & 58.

Videri infinita habitualiter an ſit poſsibile? ap. 36. *n.* 62. & 64.

Videre omnia, quæ Deus poteſt facere, & videre infinita non eſt idem. apend. 39. *n.* 76.

Videre omnia infinita, quæ Deus poteſt facere eſt impoſsibile. ap. 40. *col.* 1. *in principio.*

Quæ videntur per vnam ſpeciem poſſunt ſimul videri & vna viſione: non tamen omnia ſimul, & vna viſione videntur, quæ per vnam ſpeciem videntur. append. 55. *n.* 21.

¶ *Virtutum moralium quid materiale, & quid formale?* 381. *n.* 23.

Virtutes morales in appetitu, an poſsint extinguere fomitem? 49. *n.* 26.

Virtutem infinitam non poſſe in plura, quam in infinita, quomodo ſit explicandum? ap. 29. *n.* 30.

¶ *Viſio beata non impedit actiones ſenſitiuas.* 294. *n.* 9.

Viſio beata an comprehendi poſsit? ap. 11. *num.* 17.

Ad viſionem beatam an detur in nobis appetitus elicitus? vide Beatitudo ſupernaturalis.

Quod viſio beata Dei, vt eſt prima cauſa ſit poſsibilis, nulla datur ratio naturalis, ap. §.4: *concl.* 3.

Viſionis beatæ poſsibilitatem poſſumus cognoſcere ſub lumine naturali per rationes, & coniuncturas poſsibiles. ap.

Viſio corporea futura eſt in patria. 295. *n.* 1. *& quomodo ſit elicienda?* 29[illegible]. *n.* 6. & 7.

Viſio alicuius corporis an impediatur à corpore glorioſo interiecto? 471. *n.* 1. *cum ſeq.*

Viſio

Viſio infinitorum non eſt infinita. ap. 28. num. 27.
Viſionis maior perfectio quando inferatur ex maiori obiectorum pluralitate? appen. 29. n. 29.
Viſio, quæ æquiparatur infinitis, quando ſit infinita? ap. 30. n. 35.
Vnica viſione videntur infinita in Verbo. ap. 30. n. 35.
In viſione plurium vel pauciorum inæqualitas non ponitur in æqualitate, vel inæqualitate graduali, ſed in inæqualitate indiuiduali viſionis apud Suarium; ſed nõ recipitur. ap. 31. n. 38. & 39.
Viſionem vnam eſſe in actu primo ſuo modo habituali, vt poſsit ad infinita extendi, vt eleuata, non implicat. ap. 36. n. 64.
Viſio eorum, quæ Deus poteſt facere eſt comprehenſiua. ap. 40. col. 1. in principio.
Viſio eſſentiæ non variatur variato obiecto. ap. 54. §. 4. n. 15. vſque ad 20.
Viſio poſt reſurrectionem an futura ſit intenſior? Vide Beatitudo.
¶ *Viſus corporis glorioſi futurus eſt in ſuo genere perfectiſsimus. 302. n. 3.*
Longiſsimam habiturus eſt ſphæram videndi; ſed definitam. 302. n. 4. 303. n. 5. & 8.
¶ *Vngues non ſunt partes corporis humani ex ſententia Medicorum. 218. art. 2. n. 1.*
Vnio animæ cum corpore in reſurrectione, à quo actiuè fiat? Vide Reſurrectio.
Ad vnionem cauſalem, & formalem animæ cum corpore quid requiratur? 101. n. 60.
Vnio trifariam accipitur. 208. n. 3.
Vnio animæ, & corporis fundamẽtalis, quidnam ſit? 209. n. 11. & 13.
Vnio fundamentalis eſt coniunctio, ſiue potius indiuiſio partium. 210. n. 14. Non eſt conditio ſiue via ad compoſitionem partium. n. 15.
Vnionis relatio in natura ſubſtantiali compoſita proximum fundamentum quodnam habeat? 210. n. 14.
¶ *Ad vnitatem viuentis qualis nam vnitas materiæ requiratur? 180. n. 25.*
Vnitas compoſiti ſubſtantialis per ſe requirit vnitatem materiæ, aliàs erit aliud. 180. num. 27.
¶ *Vnitiua actio tam agentis, quâm materiæ, & formæ immediatè terminatur ad vnitatem naturæ; mediate vero ad partes cõponentes. 210. n. 14.*
Vnum ſemper ſequitur entitatem rei, quæcunque illa ſit. 180. n. 24.
¶ *Volũtas poteſt appetere actu elicito, quidquid appetit appetitu innato, ſi adſit cognitio. append.*
Voluntas duplex, naturalis, & rationalis. 343. n. 2. Quid vtraque ſit? n. 2. & 3.
¶ *Vſus potentiarum naturalium, vitalium, & ſenſitiuarum in corpore glorioſo. Vide Functio.*
Vſus potentiæ viſiuæ in patria eſt futurus. 306. n. 4. & quid in hac re ſit certũ? n. 5. & 6.
¶ *Vox filij Dei, quæ in vltimo iudicio audienda eſt, an ſit eadem cum voce Angeli, & tubæ? 85. art. 2. §. 1.*
An voces futuræ ſint ſenſibiles? 85. §. 2. per totum.
An vox illa ſit ore Chriſti proferenda? 87. §. 3. per totum.
Voces illæ an futuræ ſint dearticulatæ, & ſignificatiuæ? 88. n. 12.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

Finis huius Indicis.

RES
3930 V.

OFS
3930 V